Conciły

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
33 1
22

M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 13. e

III
13

III
15
6.

Digitized by Google

JOH. HENRICI HEIDEGGERI

ציון אצל עצם גוג

TUMULUS TRIDENTINI CONCILII,

Juxta Ejusdem

ANATOMEN, SEU SCELETON,

Antehac exhibitum,

NOVITER ERECTUS.

Ubi *Anatome Historico-Theologica Concilii Tridentini*, secunda Editione emendatior, repræsentatur, & Veritas Fidei à Tridentinis damnatæ, adversus D. AUGUSTINI REDING, Abbatis Einsidlensis, jactatam *Inextinctam Concilii Tridentini Veritatem*, summa fide studióque asseritur.

TOMUS PRIOR,

Exhibens Sessiones XVI. Concilii priores, Pontificibus Paulo III. & Julio III. celebratas.

TIGURI.
Apud DAVIDEM GESSNERUM.
M DC XC.

Digitized by Google

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI,

D. GUILIELMO III.

D. G. MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ

REGI,

FIDEI DEFENSORI; &c. &c.

SERENISSIME REX, DOMINE CLEMENTISSIME,

AB eruditissimis juxta atque Sapientissimis hominibus demonstratum pridem est ex præscriptione vetustæ consuetudinis, quodvis argumentum rectè dedicari summis etiam Principibus; quos etsi ob negotiorum, quibus in protegenda Republica distringuntur, gravissimorum molem, curásque perpetuas, & in ardua

 om-

Digitized by Google

omnia vigiles, noſtra vix unquam lecturos auguramur, tamen hinc ea utilitas emergit, quòd illorum titulis fronti præſcriptis opus ipſum lectorũ affectibus commendatur efficaciùs. quemadmodum non inſcitè ſcripſit Plinius, quædam ob hoc ipſum ſummo in pretio haberi, quòd ſint Templis dicata. Hæc me quidem ratio movere potuit, ut SERENISSIMI Nominis Tui, quo non aliud πρόσωπον τηλαυγέστερον, auguſtiúſque hodie orbis Chriſtianus melior ſuſpicit, præſcriptione Opus iſthoc, ſi argumentum ſpectetur, non omnino contemnendum, exornare religioni nullus ducerem. Inprimis cùm Inclytis SERENISSIMÆ MAIESTATIS Tuæ Prædeceſſoribus, HENRICO VIII. EDUARDO VI. ELISABETHÆ, & JACOBO Sapienti, non unus ex Eccleſiæ Tigurinæ Theologorum, haud poſtremi in Orbe Chriſtiano nominis φωστήρων numero, uti ſcripta eorum cedro digna loquuntur, eodem thure litaverit. Cœterùm validiores profectò animum meum, altiora hoc potiſſimum tempore volutantem, ad id audendum faciendúmque rationes impulerunt. Nam Opus *novum*, in quo non de ſtillicidiorum, aut parietum jure lis agitatur, ſed Cauſa Dei *aſſeritur*, & מלחמות יהוה *Prælia Domini* cernuntur, Cœleſtiſque adeò Evangelii, Chri-

ſti

sti Salvatoris ipsius Sanctissimo ore præconiati, æterna veritas adversus erroris fucum, & inquissima anathemata conjuratæ factionis Tridentinæ, quæ Concilii Oecumenici nomen non pretio, sed vi abstulit, ejúsque hyperaspistem acerrimum, & gentilem lividissimum, sub auspiciis Romani Pontificis nuper defuncti Innocentii XI. spissa volumina μετὰ πολλῆς φαντασίας protrudentem, defenditur, cui post Deum magis, quàm *novo* REGI SERENISSIMO; quàm FIDEI, non humanæ, qualis erat Leonis Papæ, titulum huncce Henrico VIII. alia omnia promerito, impertientis, qualémque Tridentinis decretis Purpurata Mulier nequicquam corroboravit; sed Divinæ illius, quæ secundum pietatem est, DEFENSORI Incomparabili, eo ipso ferè tempore, quo in publicum illud enitebatur, potentissimorum Regnorum clavum recipienti, sanctissiméque moderanti, sacratum esse decuit? Accedit, quòd Orbe Christiano pœne universo suavissimo gratulationum, & piissimorum ominum concentu mirè personante, & Soteria quaquaversum offerente, temperare ego, infimæ licet sortis, & toto fere Orbe divisus, nec potui, nec debui, quin, occasione non rapta, sed nata, tum lœtitiam incredibilem ob liberatum à præsentissimo exitio populum & peculium

 Christi,

Christi, fascésque SERENISSIMÆ MAIESTATI Tuæ delatos, devotissimo affectu testificarer: tum vota, flagrante animo fusa, publicis chartis, perenni veluti ære fixis, humilimè consignarem. Jam primùm ergo certis, REX MAXIME, experimentis liquidò exploratum habemus, esse universum orbem terrarum gymnasium, seu palæstram quandam DEI T.O.M. in qua suos ille per diversa laborum exercitia, & subinde etiam calamitatum prodigia quædam ita frangit & pœne atterit, ut tamen pro ea, quam apud se constitutam habet, opportunitate eosdem è decumanis fluctibus, & periculorum vorticibus clementer, potenter, admirabiliter liberatos in integrum restituat; quò rerum ipsarum notionibus & experiundò discamus, Eum solum esse, qui ad portas mortis usque, faucésque Orci deducit, atque inde gratiosè sapienterque reducit, vulnerat & sanat, occidit & vivificat. Id ipsum verò cùm amplissimis, & cœtera fortissimis Populis, Augusto nunc SER. MAIESTATIS Tuæ Imperio subjectis; quin & Tuæ quodammodo etiam SER. MAIESTATI contigerit, agnoscunt sanè ultro pii cordatique omnes, DEUM à veteri instituto suo non descivisse, sed novis potiùs illustribúsque documentis illud amplissimè confirmasse. Nam Ejus

quidem

quidem opera cùm in paucis, obſcuris & abjectis hominibus exercentur, minùs eſſe conſpicua ſolent. At gliſcunt magis, & conſpectiora evadunt, omniúmque quodammodo animadverſione nobilitantur, cùm in Regnis Populíſque ampliſſimis, quin & Principibus maximis repræſentantur. Ac ut de Populo fideli Anglicano primùm dicam, quotiens ille, extremas in anguſtias redactus, in ipſa acie novaculæ ſtetiſſe viſus eſt? Teſtantur inprimis Marianæ tempeſtates, quibus EDUARDO VI. Rege glorioſiſſimo, vix Orbi oſtenſo, ſubitóque in libitinæ cenſum vocato, Optimi quique, Orthodoxæ Religionis Zelo ſuccenſi, vel horrendis & inauditis ſuppliciis è medio ſublati, vel carcerum ſqualore pœne oppreſſi, vel triſte in exilium pulſi ſunt, vel ſua denique ſponte patrios penates deſeruerunt, ne cervices ſuas impiis, & quolibet Buſiride dirioribus perſecutoribus ſecandas, corpora uſtulanda temerè objicerent; meliora tempora operienda rati, quibus ex horribili incendio, veluti titiones, ſervati, Regnum Chriſti fermè collapſum poſtliminio, DEI ipſius ductu auſpiciíſque, inſtaurarent. Quorum è numero non pauci ſœvienti immani tempeſtati, propitio Numine, ſe ſubducentes, & imminentibus calamitatum procellis terga feliciter dantes,

exopta-

Digitized by Google

exoptatum in urbe noſtra Tigurina tugurium nacti, amabili & ſuaviſſima præſentia ſua Eccleſiam, & Civitatem noſtram, ejúſque inprimis Antiſtites præcipuos, *Henricum Bullingerum* & *Petrum Martyrem*, quorum nonnulli in contuberniis vixere, bearunt, atque, ſubſequente malacia, digreſſi non unum apud nos cimelion & monumentum, ſeu potiùs collatæ hoſpitalis teſſeræ hoſtimentum, reliquerunt. Memorant hos inter Annales noſtri domeſtici Viros Sanctiſſimos, Epiſcopos deinceps creatos, *Robertum Hornum* Vintonienſem, *Iohannem Iuellum* Sarisberienſem, *Edvvinum Sandum* VVigornienſem, *Iohannem Parkhurſtum* Norvicenſem, *Iacobum Pilkinthonum* Dunelmenſem; alióſque etiam Confeſſores Chriſti eximios, *Richardum Chamberum*, *Thomam Leverum*, *Iohannem Ælmerum*, *Thomam Samſonum*, *Laurentium Hunfredum*, *Thomam Spencerum*, *Guilielmum Colum*, *Michaelem Renningerum*, *Iohannem Mullinum*, *Robertum Beamundum*, *Henricum Kokrofftum*, *Nicolaum Carvilium*, *Iohannem Abelum*, *&c.* Quòd ſi ergo vetus Trevirorum Galliæ Eccleſia plurimùm ſemper gloriata eſt, quòd exul Athanaſius, propter Chriſtum Conſubſtantialem Dei Patris Filium Oriente expulſus, in ea urbe exul aliquandiu delituit;

tuit;

Digitized by Google

tuit; quidnì Tigurina etiam Ecclesia inter trophæa sua numeret, quòd & ipsa veræ Religionis gratia Confessores tantos, quos inter non unum cum Athanasio, sine comparationis invidia, paria fecisse constat, hospitio, gremióque suo recepit, & plus minùs triennio retinuit? Illud certè sibi amplum gloriosúmque reputat, quòd plerique illi sanctæ recordationis viri, in patriam reduces, non parum ad Ecclesiæ Anglicanæ palingenesiam contulerunt. Nam subitò, velut ex Cœli machina, se commovente fortuna, conversisque rerum vicibus, Deus Eam ex mortis miserrimæ confinio in posterioris vitæ auspicium resuscitavit, quando Sorori morte fortuita, seu potiùs per ξυμφορὰν θεήλατον extinctæ ELIZABETHA Pientissima successit, & haud sanè molli, plana, jucundáque via ad Regnum evecta est, sed aliquot jam annos in tristi carcere, ceu mortis esurialis victima, cubans, adeò crescentibus in immensum periculis, ut vitæ Ejus cymba jam prope mergeretur, Divinóque adeò præsidio, non ope humana ulla conservata, ad Regni aviti possessionem promota, subitò ex profunda illa malorum nocte emersit, &, DEO Duce & Luce, Regno splendorem, Ecclesiæ pacem, Religioni puritatem feliciter restituit; atque insidiarum à Sathana & squamis ejus stru-

ctarum magna mole appetita licet, quàm diutissimè, veluti sedens in abdito Excelsi, & sub umbra Omnipotentis, conservavit. Durarunt halcyonia isthæc diu post ejus mortem, potiente inprimis rerum JACOBO I. Rege Pio, Sapiente, Inclyto quanquam & Ille moderationis & συγκαταβάσεως laude nemini secundus, feralibus, pullatæ inprimis & Polyglotticæ illius Societatis, consiliis, & omni ævo inauditis machinationibus jam in nervum erupturis, nonnisi Cœlesti auxilio adjutus, sospes & incolumis evasit, Sacrúmque Caput super æthera tulit. Subiit verò non una, nec lœtabilis illa vicissitudo, quando consiliorum exitialium architecti iidem, qui jam diu in Orbe Christiano turbarum omnium Æoli, Principaliúmque animorum, acri thyrso percussorum, nefarii corruptores extiterunt, & clarissimis gentibus orbitatem, Ecclesiæ Christi πανωλεθρίαν, Reipublicæ solitudinem, ut Soli ipsi regnent, implacabili furore minantur, nihil inausum intentatúmque reliquerunt, ut perfractis Religionis & Legum Sacrosanctarum repagulis ima summis miscerentur, & Cœlitum ipsorum decreta impune palámque convellerentur. Eóque jam machinationum subtilis illa tela non ita pridem perducta est, ut & hostes veritatis ἄσπονδοι de hæresi (eo enim convitio hære-

tici

tici verissimi Cœlestem veritatem aspersetunt) pedibus conculcata, publicis etiam & petulantissimis monumentis impotenter triumphaverint, & perspicassimi quique, precariam infensos inter & conjuratos animam trahentes, de salute Patriæ & Ecclesiæ conclamaverint, séque adeò sensim sine sensu ad mortis confinium pertigisse stupuerint. Sed en fidi Custodis Israelis, qui dormitantibus nobis non dormitat Ipse, providam vigilémque curam! Excivit Ille, & Cœlesti Spiritu armavit SER. MAIESTATEM Tuam, ex fatali illa hostibus Libertatis & Religionis familia oriundam; Cujus etiam fortunas & legitima jura, Sanguini SERENISSIMÆ CONJUGIS, atque Tuæ etiam SERENISSIMÆ MAIESTATIS prægnantissimis meritis debita, per plusquam novercalia odia, flagrantémque vim non utcunque delibare, sed pessundare, ne dicam, vitam ipsam, & avitum illum Heroicum Spiritum extinguere jurati hostes deliberatum constitutúmque habuerunt. Neque verò SER. MAIESTAS Tua, magna Ordinum, quibus fas piúmque erat labenti libertati recta ratione consulere, consensione in consilium auxiliúmque advocata, id sategit, ut cujusquam Mortalium legitima jura appeterentur, (malebas enim, si libe-

liberum fuiſſet, eſſe, quod fueras, ingens jam gloria, ingenſque fama, ut Te ſortis Tuæ pœnitere non potuerit) ſed ut à competente judice, juxta antiquiſſimas fundatiſſimáſque Regnorum leges, cognita cauſa, jus & injuriæ diſcernerentur, ſua cuique illibata & eximia durarent, poſt morbum pœne deploratum lœta & optabilis ſanitas revocaretur, denique poſthac meliùs & æquabiliùs cuncta haberent. Nihil hoc inſtituto ſanctius, laudabilius nihil excogitari potuit. Neque profectò alia ratione DEO fatale quoddam in gigantes telum expedire placuit. Nam & foro, & Regno cedentibus iis, qui hoſtium artibus nimiùm jam infecti, ſeu pavidi & conſcientia væcordes, ſeu mala cupidine perciti, non regnare, quàm, Regi Sacrificulo mancipati licet, indomitam de cœtero, & infinitam voluntatem ſuam certis juſtíſque arbitrii legibus conſtringi maluerunt; quaſi ita palam profiterentur, ſe rerum duntaxat ſuarum, non populi procurationem ſuſcepiſſe, nec ſe civibus datos, ſed ſibi cives: non aliud jam malorum levamentum ſupererat, quàm ut in AUGUSTISSIMI illius Paris CONIUGUM, propitio & gratioſo Numine, conſentientibus quinetiam Procerum voluntatibus, votis, deſideriis, ſtudiis, ſuffragatione omni, ſinum tot Populorum deſertum

Impe-

Digitized by Google

Imperium,& concussa pœne Republica confugeret, cederetque, cùm & sors felicitásque nascendi, & merita, supra quàm dici potest, maxima, & Virtutum Regiarum choragium omne, cunctáque adeò eò aurigarentur, & non fatuorum occulta quadam potestate fatorum, sed à DEO ipso coram ac palam Te repertum, electum, datúmque proclamarent. Sic planè clementia, bonitate, Providentia Dei admirabili Populus in umbra mortis jacens denuo revixit; atque Tu, SERENISSIME REX, tot iniquis fatis (metuendum enim erat, ne Deo displiceres, nisi ad tot is adversa, ad tot pericula Te citasset) inde à teneris unguiculis conflictatus, Omnipotente Dei brachio, ut sigillum super corde & manu ejus, custoditus, & Selectum ad stupenda adeò Dei Opera perficienda organon destinatus, servatúsque, tot jam Populorum, Tua post Deum pietate, fortitudine, prudentia conservatorum gubernaculis feliciter admotus Sospitator, & verus Eleutherius, postquam tanti operis gloriam non Tibi, sed pro eximia pietate Tua uni solíque Deo publicè castissiméque vindicaiti, nuncupasti, regnas; & ut juxta Te Leges regnent, æquo, infinitæ quippe potestatis domitore animo, pateris, imò jubes, efficis. A Domino factum est istud, (familiare hoc Inclytis Majori-

joribus Tuis ſymbolum repeto) & mirabile eſt in oculis noſtris. Hic eſt dies ille, quem fecit Jehova, gaudeamus & lœtemur in eo! Vidit enim Deus, quòd non eſſet Vir, & obſtupuit, quòd non eſſet interpellans. Et induit juſtitiam tanquam loricam, & induit veſtes ultionis, & operuit ſe Zelo, tanquam pallio, æſtum hoſtibus ſuis, inſulis meritum rependit. Timeant omnes ab Occidente nomen Jehovæ, & ab Oriente gloriam ejus, quia venit כנהר צר *tanquam fluvius hoſtis*, in quo Spiritus Domini ſignum prætulit, Eſaj. LIX. 16-20. quod Oraculum ἀξιομνημόνευτον ſtupendæ Expeditioni Tuæ ilico haud temerè, confido, aptavi. Tantum verò iſthoc Dei immortalis munus eſt, ut in uno illo Auguſto REGUM CONIUGUM Pari, & ſubjectis Eidem Populis, minimè claudatur, ſed ad maximum inſuper hominum numerum derivetur. Quotquot enim illibato gloriæ Divinæ ſtudio flagrant: quotquot ad libertatem iniquè óppreſſam recuperandam anheli aſpirant: quotquot amittendæ ejuſdem per quæſitiſſimas prædonum hujus mundi inſidias, & Nimrodicam venationem, in diſcrimine verſantur; ii omnes velut à morte reſuſcitati denuo vivere, liberúmque ſpiritum ſibi trahere videntur, atque dulce illud Cœlo ſpectaculum, novum Seculo exemplum gratulabundi

Digitized by Google

di ovantésque intuentur. Ego quoque cùm in secundis heic consistere, & brachia decussare religioni duxerim, uti me ex beata hac catastrophe incredibili lœtitia circumfundi expertus sum: ita existimavi DEO O. M. cumprimis gratias ineffabiles devoto pectore agendas, deinde SER. MAIESTATI Tuæ, nec non Regiæ Majestatis & curarum CONSORTI, MARIÆ AUGUSTÆ, subjectísque Regnis, Ecclesiæ hospitiis liberalissimis, enixissimè gratulandum esse; nullus ferè dubitans, quin prima hæc, & adhuc circa Augustum limen Tuum verecundantia licet vota & obsequia SER. MAIESTAS TUA propitio pacatóque vultu admittere velit. Laudandus itaque sit DEUS & Pater Domini nostri JESU CHRISTI, qui populum suum pœne mortuum denuo visitavit, & Evangelio Jesu liberè prædicando viam pœne obstructam denuo potenter aperuit & munivit; cornúque adeò suum iterum erexit, quo electi Dei, potentia invicta Servatoris nostri Jesu Christi, de manu inimicorum asserantur, & DEUM ex verbi sui præscripto sanctissimè colant. Gloria sit in Altissimis: Pax in Ecclesia: beneplacitum Dei erga populos Britannicos, quò sub auspiciis Piissimi REGIS, & Invicti Herois Cives eorum justitia, concordia & sancti-

tate

Digitized by Google

ętate ornati coram ipſo perpetuò & innocenter verſentur, omnigenáque felicitate temporali & ſpirituali, etiam hoſtibus invidenda, jugiter mactentur! Id verò ut ex bonorum omnium certantibus votis, unáque ſententia feliciter eveniat, poſt Deum in Tua, POTENTISSIME MONARCHA, manu ſitum eſt. Eveniétque adeò, ſi, quod futurum præteritorum recordatione planè auguramur, Tuis ſemper ornamentis favens, gloriæ immortali, ad quam Te fata ducunt, authoritatem porrò præſtiteris: ſi pro antiqua Tua fide, pietate, ac Dei Omnituentis gratia, qua Te à prima juventæ Principalis face adverſus eos etiam, qui SER. MAIESTATEM Tuam, uti quondam Dracones Herculem, in ipſis cunis ſuffocare contenderunt, alióſque ad hunc uſque diem Clementer adeò & admirabiliter, ceu Pupillam oculi ſui, protexit, poſt varios caſus, & mille pericula rerum ad altiora uſque provexit, adverſus tot hoſtium infenſiſſimorum, qui ſi malignè odiſſe non deſinunt, at metuere, & gloriæ Tuæ invidia contabeſcere incipiunt, ferales inſidias potenter ſemper erexit, DEO, Tremendo huic Heroi Tuo, & Verbo ejus honorem, reverentiam, obſequium integrum ſemper detuleris, Regnique adeò Chriſti incrementa haud poſtremo Principales inter

curas

Digitized by Google

curas Tuas loco habueris; neque dimoveri Te unquam ab illa felici Imperii sive lege, sive summa, quæ interiori commercio imperantis cum Supremo Numine omnem sacri & civilis operis vim atque successum metitur, passus fueris: si Solis adinstar, qui influxu suo ita singulos afficit, ut maximè tamen circa aurum excoquendum vires suas exerat; præ cœteris etiam Religioni Orthodoxæ, non vi conscientiis facta, non Scythica barbarie, non immissis carnificibus & Dimachis, religionis prætextu, in vitam, fortunas & libertatem innocentissimorum hominum, extincta etiam pactorum juratorum fide & sanctimonia omni, horrendum in modum grassantibus, re profanissimis etiam gentibus pudenda; sed mollibus consultis, sed Potentiæ ac Christianæ moderationis, duarum rerum diversissimarum, pio, prudente, felice temperamento conservandæ, &, compositis inprimis, quæ eam nimiùm nimiúmque hactenus disturbarunt, intestinis dissidiis, eò periculosioribus, quò nocentiores sunt tempestates, quæ ex fundo maris prodeunt, iis, quæ in circumfuso aere excitantur, latè propagandæ assiduè studueris: si denique non tam terrore, infideli recti magistro, imperium Tuum succinxeris, quàm perpetua innocentia, quæ sola arx illa inaccessa & inexpu-

gnabile munimentum est, firmaveris, & charitate sepiveris; sapientissima illa persuasione Regio animo sensibúsque altissimè infixa, Illius scilicet demum Principis magnitudinem fundatam stabilitámque esse, quem omnes tam supra se, quàm pro se esse sciunt; Cujus curam excubare pro salute singulorum atque universorum cotidie experiuntur; quo procedente, non tanquam malum aut noxium aliquod animal è cubili prosilierit, diffugiunt, sed tanquam ad clarum & beneficum sidus certatim advolant, objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem Illi humanam ad salutem sternendum iter sit. Hæc, hæc illa sunt præclara, tuta, quæ non ex Machiavelli, vel Hobbesii, Pseudo-Politices modernæ Consultorum, foliis, sed ex Spiritus S. & Sapientum tabulis deprompta, suaderi à nobis possunt: absit verò ut jubere sustineamus Eum, qui supra jussa nostra est, & quæ DEUS, Ratio, Justitia omnis præcipit, ultro & promptissimè facit; Quique adeò non ad amussim Regum impiorum, generis humani flagellorum & tortorum, in quibus omnium scelorum sentina confluit, saburrámque facit, compositus est, sed sinceræ Pietatis, Orthodoxæ Religionis studii flagrantissimi, incredibilis Temperantiæ (ut verissi-

Digitized by Google

riſſimum Nicetam, ſui priùs quàm aliorum victorem, dicere fas piúmque ſit) laborum curarúmque Patientiæ, Vigilantiæ pro ſalute ſingulorum atque univerſorum excubantis, Conſtantiæ nullis caſibus quaſſatæ, Fortitudinis in extremis etiam pro DEO & libertate adeundis ſuſtinendiſque periculis imperterritæ, deniquе morum in univerſum integerrimorum Sanctimoniæ & gravitatis laude ſtudióque Optimos quoſque, præfiſcine, & procul omni ſpecie adulationis dixero, plus quàm Regio cubito ſuperat, multiſque adeò poſt ſe paraſangis relinquit. Vivent ergo poſthac in AUGUSTO & SERENISSIMO Illo Conjugum Regiorum PARI tot Populi: animum & ſpiritum in anima Principum ducent.: cum vivis vivent, pro iis periclitabuntur; &, quod utramque felicitatis paginam faciet, ad ſalutaria & benefica hæc Cœli Pignora, & Terræ Regníque Sidera, tanquam ad geminos illos Caſtores, in publica hac bellorum tempeſtate reſpicient. Illi conſpecti nautas recreant. Illi, cùm navibus inſederint,

——tumida æquora placant,
Collectáſque fugant nubes; Solémque reducunt.

Ita Vos quàm auſpicatò inſediſtis, & Regiis Corporibus jam preſſiſtis Britannicam navim è bellorum flu-

ctibus, ex insidiarum Charybdi in exoptatissimum tranquillitatis portum denique feliciter subducetis. Mirabitúrque adeò, & vix Annalibus fidem substringet præteritarum rerum curiosa Posteritas, ubi cognoverit à SER. MAIESTATE Tua brevi tempore vindicatam ex maximis periculis Rempublicam & Ecclesiam, perornatam legibus sanctis utramque, reddita sua Successioni jura, emendatos moribus, excultos studiis cives, defensos socios, restitutos exules, recuperatos fines, munitos limites, conjunctas amicitias, amplificatas opes; cuncta domi forísque pace, consilio, authoritate in securitatis duraturæ contextum colligata; denique, verbo dicam, CONSTANTINUM MAGNUM in GUILIELMO MAGNO Redivivum. Ille ex Helena Matre Angla natus, idololatriam domuit, Imperii Romani scuta Christo Crucifixo sacravit, Christiani nominis persecutores famosos, tyrannos crudeles, Diocletianum, Galerium, Maxentium, Maximinum & Licinium extinxit, ac juxta illos ejusdem crudelitatis insignitæ Socerum Maximianum, cognomento Herculeum, qui deserto priùs Imperio, ut postliminio illud recuperaret, vitæ Ejus insidias struxit, Massiliæ strangulari curavit; nec tamen propterea Virtutibus suis ullam labem

asper-

aspersisse cuiquam bono visus est. Hic ex Matre pariter Angla MARIA satus, non minore Zelo, pietate, prudentia idololatriam cohibuit, Christo Salvatori Unico scuta ab Antichristo, ejúsque Cornubus rapi cœpta vindicavit, & Socerum insidiosissimum, violentum imperium diutiùs continere non valentem, adeóque Regnum deserentem, cùm tradere, & legitimo judicio perdere posset, Constantini M. pietate superata, & Davidis adæquata, bis elabi sivit, servavitque. Sed jam desino, memor apud quem dicam, & quàm breves sermones non solùm apud Deum sæpe, sed apud Principes semper grati decoríque sint. Voto claudo, ut JESUS CHRISTUS, Cœli terræque Immortalis Monarcha, per quem solum Reges regnant, & Principes justitiam decernunt, beneficiis suis faveat, tantis muneribus perpetuitatem addat, innocenterque adeò & felicibus auspiciis cœptum, & prædonum jam faucibus ereptum hoc Imperium Tibi, REX POTENTISSIME, Conjugi REGINÆ, addo etiam, Stirpi Regiæ (ô DEUS eam, votorum publicorum impetu efflagitatam, dona,

——ut primo avulso non desinat alter
Auriacus, }
Aureus, et } *simili frondescat virga metallo!*)

florens, diuturnum, stabile esse velit jubeat, cum DEI Ipsius, cum Vestra gloria, cum publica & secura Populi Christiani omnis, Anglicani, Scotici, Hibernici, & cum iisdem Sanctæ fidei consanguinitate junctorum & contesseratorum maximè, prosperitate & salute! Ita vovebam & confidebam Tiguri, Helvetiorum Metropoli, Anno ἀπὸ τῆς θεανθρωπογονίας MDCLXXXIX. die 18. Novembris, quo ipso SER. MAIESTATIS Tuæ ad Helvetios Ablegatum Illustrem, magnique Nominis D. Thomam Coxum, Civitas nostra tota in lœtitiam effusa, solenni pompa, velut Angelum Dei, excepit.

SER. REGIÆ MAIESTATIS TUÆ

Humilimus Cliens

JOH. HENRICUS HEIDEGGERUS,
SS. Theol. D. & P. P.

Digitized by Google

AD LECTOREM
PRÆFATIO PRIOR,
Anatomæ Concilii Tridentini antehac præmissa.

IN ipso limine Te, Pie & Benevole Lector, *paucis morabor, redditurus instituti & suscepti mei laboris rationem. Decennium integrum effluxit, ex quo in Illustri VVestphaliæ Gymnasio Steinfurtensi Theologica Professione defungens, inter alia* de Fide Decretorum Concilii Tridentini *libellum edidi, quo ad Pontificias controversias studiosæ juventuti in via disputationum tum privatarum, tum publicarum, facem præluxi. Concilium autem Tridentinum selegeram, quia, Bellarmino judice, ejus vox est vox ecclesiæ Catholicæ, Pontificiæ puta, quam proinde pro animi sui sententia complecti tenentur omnes, cùm nunquam desit occasio tricandi & restitandi circa ea, quæ à privatis Doctoribus determinata sunt. Labori quamvis exiguo Deus, quæ ejus bonitas est, gratiosè ubertimque benedixerat. Ex eo tempore amicorum rogatu & quæsitis precibus, inductis primis illis lineamentis, plenius quid commentari cœpi. Ac primò quidem ipsius Concilii textum à Bartholomæo Caranza contractum, & in Summa Conciliorum repræsentatum, præmissis etiam Pontificum Bullis, edidi. Textui succedit singularum Sessionum historia. In ea pertexenda probatissimorum authorum filum secutus sum, ac inter eos illius potissimùm, qui Concilii hujus historiam accuratè & integra veritate composuit. Est is* Paulus Sarpius *Venetus, Servitarum Ordinis, qui* Petri Suavis Polani *nomine præscribitur, quique in Pontificia communione & natus est & obiit, caussasque iræ & studii, genuinas veritatis pestes, procul habuit. Ejus historiam* incomparabilem, *uti meritò vocat Cl. Conringius, omnique exceptione majorem, idoneis argumentis munivi, & ἀξιόπιστον esse apud omnes debere, in palmaria* de Concilii Tridentini authoritate *quæstione demonstravi. Quæ fusè*

à

à me ibi dicta sunt, hoc loco repetere attinet. Historiam porrò singularum Sessionum & Bullarum Notis locupletatam illustratámque dedi, quibus continentur tum consectaria ex Historia illata & deducta, tum concisæ ad Capita Reformationis stricturæ. Hisce prælibatis sequuntur Quæstiones Theologicæ de dogmatis Fidei, ut plurimùm ipsius Concilii verbis formatæ, atque ita disceptatæ, ut primùm sententiæ Orthodoxæ sive ajentis, sive negantis argumenta ex Dei verbo, sobria ratione, antiquitate ecclesiastica, & ipsorum Adversariorum οἰκείοις testimoniis atque suffragiis, quantum fieri potuit, succinctè ac nervosè, & rebus multis in paucißima verba collatis arctatisque, proponerentur: postea demum heterodoxæ sententiæ argumenta verbis sive Concilii ipsius, sicubi rationes Capitibus mixtas reperi, sive Catechismi Romani, sive Bellarmini, sive Augustini Redingii, sive aliorum, repræsentata, paucis & factâ κατ' δύναμιν compendii operâ, discuterentur. Fateor sanè ultro, Virum doctißimum, & immortali laude dignum, Martinum Chemnitium Concilium Tridentinum uno ictu ita feriisse fortiter, & ad quintam usque costam percußisse, ut iterato ictu haud equidem opus fuerit: gratúsque simul agnosco & profiteor, non mediocrem ipsum inopiæ meæ opem tulisse. Cæterùm qui nostra hæc legere & comparare dignabitur, me nec planè actum egisse, nec operam lusisse, & frustra contrivisse, deprehenderit. Eo enim ordine omnia tractare mihi consilium studiúmque fuit, ut multa paucis complexus, studiosæ juventutis, cujus potißimùm commodis heic velificatus sum, φιλομάθειαν, & in hoc genere proficiendi ardorem, non parum & adjuvarem & proveherem. An verò ritè destinata mea proveniant, liberum probo, nullisq; e πραχείμασι fascinato Lectori judicium relinquo, Deúmque ardentibus precibus expeto, ut parem voto ac desiderio meo, majorémque etiam exitum gratiosè largiatur! Unum superest, de quo benevolum Lectorem monere necessum habeo; nimirum scriptum hoc sub calamo & prælo præter opinionem meam grandescens, excrevisse ob neceßitatem defendendæ veritatis, quam mihi nec opinanti imposuit Augustinus Redingius, Sacelli Einsidlensis Decanus, nunc etiam Abbas, & S. R. I. Princeps nuper electus, quam ei dignitatem & antiqui generis splendor, & subactæ eruditionis, eximiæ prudentiæ, & in actu rerum dexteritatis fama conciliavit. Quo nomine ei, uti Musæ nostræ sunt ἄφθονοι, & carentes invidiæ æstro, fortunam hanc propenso animo gratulor, Deúmque rogo, ut ampliore etiam gratiâ eum impertiat, qua fretus omnes acris ingenii vires ad salutarem agnitionem

veri-

Digitized by Google

veritatis cœlestis in Evangelio, quod justitiam Dei ex fide in fidem revelat patefactæ intendat. quo pacto nihil felicitati ejus ampliùs astrui poterit. Nescio autem, quo fato meo cum ipso in campum inclusus sum, occasione Synodalis de Religiosis peregrinationibus dissertationis. Eam nuper cùm adversus insultum Ejus publicè vindicâssem, spisso volumine, cui titulum Dissertationum Controversisticarum fecit, tum in Cl. D. Vedrosium, Ecclesiæ Curiensis Antistitem vigilantissimum, tum in me etiam incurrit. Mirabar certè variæ, tractationis prolixitatem, cui tædiosa repetitio multorum vela dedit: μεθοδείαν singularem: ingeniosum inprimis illud finale Corollarium, novum eludendi potiùs, quam solvendi argumenta artificium: supercilium tantùm non Campanum, quo Pyrgopolinicis Plautini instar ita nobiscum agere solet, ac si homines essemus projectissimi, ne digni quidem, quibus in sentina locus concedatur: crebra convitia. Toties enim perfidiæ, blasphemiæ, criminis falsi, societatis cum atro Spiritu, Diabolicæ fraudis, mendacii, præsumptionis, aliaque ejusmodi probra, grandis nimbi instar, in Ecclesias nostras, Reformatores, Cl. Vedrosium & me, immerentes, jactat. Destinaveram certè tum contentionum odio, tum fretus causæ liquidæ & manifestissimæ bonitate, alto imposterum silentio veritatem adversus obstinatos vindicare. inprimis quòd ex repetita velitatione exiguum operæ pretium sperare liceret. Est enim jubare meridiano clarius, ejusmodi Scholasticæ Helenæ amasiorum omnem industriam stare intra contortulas captiones, distinctiones & sophismata, à quibus pedem non efferunt. Et cùm parùm cursu valeant, flexu eludunt, ita ut nunquam ipsis satisfaciamus, etiam cùm maximè satisfacimus. Effundunt se postea in convitia, & in suum illum campum. Solido dentes non illidunt: in carpendo solùm & vellicando impetum omnem consumunt. Attamen duo potissimùm effecerunt, ut bonæ causæ adesse etiam ulteriùs non pigeret. Primum, quòd facilè animadverterem, Adversarios Orthodoxorum silentio & patientiâ suum ad decus abuti solere. Tacere nostrum illis jacere est: & victi convictique ilicò pronuntiamur, qui nec icti. Crescitque illis ex specie etiam alieni metus audacia. Ne dicam, omnibus bonis existimationis suæ tutelam grande pretium esse. Alterum, quod occasio non rapta, sed nata ad defensionem veritatis non tam invitaret, quàm impelleret. Nactus sum librum Adversarii, cùm ad XIII. Sessionem usque Concilii jam tractatio producta esset. Cùm igitur

 reliqua

reliqua essent non pauca capita, de quibus ipsum inter & Cl. Vedrosium ac me certatum fuerat, statui unâ fideliâ duos dealbare parietes, & simul Concilii contextum prosequi, simul ad incudem revocare, quæ Cl. Vedrosio & mihi eadem in materia, quæ mihi institutum meum prosequenti succrevit, opposita sunt. Factum hinc, ut non tantùm ea omnia, quæ adversus me, Eremitanum inprimis illud è porta eburnea somnium refellentem, scripta sunt, sed pleraque etiam Cl. Vedrosio, cui & ipsi minimè arduum fuisset idoneam defensionem parare, si per crebra negotia, quibus in gravi & exercita statione distringitur, integrum fuisset, objecta, nominatim inde à pag. 459. de asservatione Eucharistiæ, de Confessione Secreta, Humanis Satisfactionibus, Sacrificio Missæ, Canone & Ceremoniis Missæ, Cœlibatus Voto, Sacerdotum Cœlibatu, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Reliquiarum Cultu, Veneratione Imaginum, Monachatu, Consiliis Evangelicis, Delectu Ciborum, Jejuniis Statis & Quadragesima; *ita limam meam subierint, ut quoad rei summam, nihil intactum omiserim. De cætero profiteor, mihi contentionem esse cum Augustino Reding, non cum Abbate, vel S. R. I. Principe, salvúmque adeò & illibatum velle honorem ejus fastigii, ad quod ascendit. Verborum acerbitatem & linguæ intemperiem vitare studui. Sicubi tamen asperiora verba excidisse videri possunt, Adversarius ipse sibi choreæ hujus præsultori, & nimium patientiam lædenti, imputabit. Eum certè funem ducentem secutus sum impare gradu, valdéque intra exemplum substiti. Faxit Deus T. O. M. ut brevi salutaris Evangelii lux illucescat omnibus, ad Nominis sui gloriam, & electorum salutem! Tiguri Cal. Jul. MDCLXXII.*

PRÆ-

PRÆFATIO NOVISSIMA.

Qua Anatomes Hiſtorico-Theologicæ C.T. expoſitis fatis, inſtitutum novum Authoris panditur; de Tumulando Gogo Prophetia eidem accommodatur; Papatus Tridentini genuina Arcana reſerantur; denique Sfortiæ Pallavicini tum Hiſtoria C.T. tum Pſeudo-politica Religio vivis coloribus depingitur.

QUo conſilio, *Pie & Benevole Lector*, ante annos exactos ſeptendecim Anatomen Hiſtorico-Theologicam Concilii Tridentini ediderim, Præfatio Eidem præmiſſa expoſuit. Diverſa ex eo tempore liber Dias in luminis auras editus fata ſubiit, judiciorum ancipitem aleam. Non ingratum fuiſſe Eccleſiis Proteſtantibus laborem qualemcunque veritati propugnandæ impenſum, non uno documento haud illibenter cognovi. Sed ἐξ ἐναντίας ringi & fremere, quòd tanti ſcilicet Conſeſſus, ex Purpuratorum & Infulatorum magno numero, aſſiſtentibus quinetiam Optimatum Reipublicæ Chriſtianæ Oratoribus, & Theologis haud ima ex cavea, omníque adeò eruditionis genere excultis, conflati ſtudia, πραγματείας, decreta ſugillare & oppugnare unus & obſcurus ille homo non reformidaverit. In ipſum ergo librum ante omnia Expurgatorum Romanorum cenſura impotenter efferbuit, quæ non tantùm catenam & clauſtrum ei circumpoſuit, ſed peſſulum etiam obdidit, nemini poteſtate inſpiciendi ejus facta, niſi antea damnaverit, quàm viderit, &, immanitate belluina, priùs oderit, quàm legerit. Præclarum ſanè judicium, quod rem non ex eo, quod eſt, ſed equum ex ſtrato, rem ex veſte, tractatus ex ſolo nomine, præjudicatis ſententiis, repudiat. Sed non propterea fides, veritas, candor, virtutes à DEO conſtabilitæ undequaque, longè latéque odorem lucémque ſuam non ſpargunt, & extra omnem calumniarum, telorúmque jactum inviolatæ illeſæque non pærmanent. Petuntur illæ,

Digitized by Google

non læduntur. Tangitur, non sternitur Religio. Vinciuntur, vincuntur, cæduntur homines, pereunt chartæ, syllabæ torquentur. At Veritas invicta, immortalis, & omnibus vinculis exsoluta suos æternitatis mercede tandem cultores, & assertores beabit. Cùm ergo hac loligine & sepia Anatomen de monumentis librorum & mentium humanarum deleri non posse facilè animus ejus osoribus præsagiret, aliam quercum excutere, alium arietem admovere placuit, ut videlicet falsitati & tyrannidi apertæ, quam Anatome quassaverat, veritatis & justitiæ fucus induceretur. Nam Pontificis ipsius jussu apud Helvetios Nuntius ejus *Odoardus Cybo*, ex Principibus Massæ, Cardinalis Alderani Cybo germanus, & *ex Sorore Leonis X. nepos* (si Adversario in dedicatione ita scribenti credere fas est) Fani Eremitani in vicinia nostra Præsuli, D. *Augustino Reding*, cujus pridem mihi, propter proditum è porta eburnea Divæ Einsidlensis, & Sacelli eidem à Christo consecrati nobile somnium illud, infensi, jam tum per plura scripta in orbe nomen claruerat, neque minùs in certamine mecum inito Zelus & industria emicuerat, id negotii dedit, ut absque mora adversus Anatomen calamum stringeret, &, si quem posset, scorpionem vulneri huic novo, Papatui Tridentino inflicto, illideret. Haud equidem ille calcari, sed frœno potiùs ad decurrendum in hac palæstra indiguit, ὅμοιος ἵππῳ ἡτοιμασμένῳ εἰς πόλεμον. *similis* (Apocalyptico) *equo ad bellum parato*, Apoc. IX. 7. Hæsit tamen in manibus ejus labor annos duodecim. quibus, Anno MDCLXXXIV. exactis demum sub auspiciis Papæ *Innocentii XI.* (cui, sed tenaci nimis, ingente hoc cuneo pileum, Romam immolandi Papæ Sacerdotalis hujus muneris gratia profectus, Bellarmini, Baronii, Pallavicini fortunam sibi spondens, extorturus credebatur) titulo *Oecumenici Tridentini Concilii Veritatis Inextinctæ, ne apice quidem læsæ ex Præsumptuosa J.H. Heideggeri Anatome Historico-Theologica* (quasi scilicet, quæ nulla unquam extitit veritas, à me vel quoqam alio *extingui, lædi* potuisset) in lucem prodierunt ejus Volumina quinque, elephantina certè illa, & prodigiosæ molis; quò sic, juxta illud Martialis,

Avertam vultus, tanquam mihi pocula Gorgon
Porrigat, atque oculos, oráque nostra petat.

Non dissimularunt enim passim Sacrificuli, Præsulem hunce id præcipuè

pue operam dedisse, ut partim mole incondita librorum, partim sermonis obscuritate (non minùs enim ille *clarus ob obscuram linguam est*, quàm olim Heraclitus fuit) Medusæum veluti jubar quoddam ex oculis, vel potiùs calamo suo adversus me vibraret, & repente attonitum metúque exanimem, à meditanda adornandáque communis causæ defensione cohiberet. Et terruit me, fateor, juxta Callimachi illud, *μέγα βιβλίον μέγα κακόν*, *Magnus Liber Magnum Malum*; perculitque adeò tam teter & horrendus tot voluminum, Cimmeriis inculti barbarique sermonis tenebris immersorum, obtutus, ut ancipites animo curas volutarim diu, an è re foret, aliorum haud fortè minùs utilium operum lucubrandorum destinationem abrumpere, & denuo, suscepta veluti *θηριομαχίᾳ* quadam, studiorum meorum cymbam vasto turbidóque huic contentionum pelago committere, ex quo, an per totam vitam meam reliquam ad tranquillitatis portum aliquem eluctari detur, ambiguum esset. Nec deerant amici, præcipui etiam in Ecclesia nominis, propositi, prout diversæ rationes animos subiverunt, suasores dissuasorésque. Subductis tandem rationum omnium calculis, communis causæ neutiquam deserendæ necessitate me adigi putavi, ut denuo, DEO Duce ascito, oneri huic succollarem; de instituti, dum vitam mihi, vitæ & mortis Arbiter Unicus prorogaret, & animi corporísque vires corroboraret, successu planè securus. Neque enim semel memoriam animúmque meum ferierunt decantata illa Hieronymi *contra Rufinum lib. III.* verba: *Canes latrant pro dominis suis. Tu me non vis latrare pro Christo, veritate? Mori possum, tacere non possum.* Etiam alta mente repostum manebat illud, quòd Antichristi fata non vi ulla externa, sed solo Spiritu Oris Christi, hoc est, verbo ejus, & demonstratione veritatis ex eodem ad omnem conscientiam, maturare conveniat. Verbo mundus creatus est: verbo victus: Verbo servata est Ecclesia: Verbo reparabitur. Sicut sine manu Antichristus cœpit, operante sensim mysterio iniquitatis: ita sine manu, per verbum Christi, & demonstrationem Spiritus conteretur. In eo ergo unicè desudandum putavi semper, ut detecta ex Dei verbo falsitate, & in arce collocata Veritate Evangelii, minuatur, & in animis hominum vilescat Antichristus. Hic unus efficacissimus modus est, quo illum *καταργηθῆναι*, *antiquari*, & ad incitas redigi oportet. Nun-

quam enim vis corporibus & fortunis illata animos, Regni Christi sedem unicam, mutavit, vel veritatis iisdem amorem instillavit, quin odii potiùs scintillas in iisdem suscitare, animúmque in errore obfirmare apta nata est. Solo igitur puróque asserendæ, & à strophis humano ingenio excogitatis vindicandæ veritatis Zelo motus (unicam hanc propositi mei causam esse, DEUS & conscientia, qua nullum amplius theatrum habeo, mihi testis est,) rem aggressus sum, animi recta πληροφορίᾳ id mihi dictante, laborem hunc durum neque Deo, qui Veritas ipsissima est, posse displicere, neque bono cuiquam improbari. Egique rem non levi brachio, & desultoriè, sed seriò, modestè, quantum per Adversarium; cujus confidentia, & subinde protervia frangenda fuit; licuit, & cordatè adeò, non semel ad animum mihi revocans decantatum illud Magni Lutheri apophtegma: *Pigrè refutare, est bis confirmare.* Proin etiam adversantes, qui opum aut honorum auctoramento doctrinam, scientiam, ingenii vim omnem & conscientiam suam alienæ cupiditati addixerunt, quamvis eos, Pelidæ stomacho cedere nescio præditos, à proposito, quod mala mente & consilio susceperunt, me absterriturum diffido; causam tamen adeò deploratam, apertè adeò convictam, posthac non ausuros tanto animo, tantáque confidentia defendere spero. Quam verò in decurrendo hoc stadio omni rationem iniverim, paucis nunc accipe. Anatome nostra Concilii Tridentini tum historiam, tum dogmata ad incudem revocaverat. Vestigia hæc lecturus Adversarius meus tum historiam Concilii, tum dogmata ab eodem definita adversus ea, quæ utrorumque integritatem & veritatem appetierant, vindicare annixus est. Ego ὕστερον πρότερον occupandum duxi, ratus videlicet, ἓν ἀναγκαῖον *unum necessarium* esse, ut quicquid de historia, ejúsque fide & integritate fiat, Religio saltem, dogmatum veritate constans, tuta in arce collocetur. Hinc nata duo illa volumina, in quibus Anatome ipsa, post distracta pridem ejus exemplaria, grandiori paulò charactere, (nam vetera & nova literarum figura disparavimus) denuo repræsentata, non pœnitenda accessione eorum, quibus Adversarii tum Responsiones ad argumenta veritatis, tum ἐνστάσεις ad Responsiones Objectionibus perhibitas excipere & diluere debui, aucta comparent. Cúmque in Adversarii tractatione Sermonis inprimis fastidiosa prolixitas, ceu quidam Dodonæi æris trinni-

tus,

Digitized by Google

tus, & ingrata insuper omnibus obscuritas nauseam creaverint; ego utrique morbo qualemcumque medicinam adhibiturus, non tantùm resectis verborum inanium ambagibus, periodos ejus exuberantes sic contraxi, & in pauca verba arctavi, ut nihil eorum, quæ ad rei summam faciunt, omiserim; sed etiam iis, quæ mihi opposuit, lucem nonnullam fœneraturus, & tœdium non simplex, quod ex sermone numeris Platonicis obscuriore oboriri lectori poterat, abstersurus, quæ ille animi sui sensa adeò intorta, perplexa, ne dicam, impura & lutulenta oratione complexus est, ut ei Oedipo aliquo conjectore, qui Sphingi interpres fuit, aut Urinatore Delio opus omnino fuerit; ego, quantum fieri potuit, planioribus & intellectu facilioribus verbis exponere, & lectori repræsentare studui. Absque eo fuisset, vix ullus ex lectione nostrorum fructus ad studiosos veritatis redundaturus fuerat. Neque hic dicere attinet, quot mihi vel in solo hoc sermonis Adversarii repurgando stabulo, summovendáque illa verborum nube & nocte, tœdia devoranda, quot labores superandi fuerint. Candoris verò & fidei eadem in re à me adhibitæ ne Adversarium quidem ipsum testem judicémque, si ἰκανῶς arbitrari dignabitur, abnuo. De cœtero habebit, confido, Lector uno, nec longo admodum, si res ipsa æstimetur, complexu explicatum Religionis, Pontificios inter & Protestantes controversæ, negotium omne, & Veritatem Cœlestem adversus ingeniosæ & subtilis Sophistices, Scripturis Divinis, Conciliis, Patribus & ratione ad stabilimentum inveterati erroris nequiter abutentis, omnésque adeò subdoli & subacti ingenii nervos ad obscurandam, eludendam, oppprimendam veritatem intendentis, ita vindicatam assertámque, ut spes bona appareat, fore, ut ad columnas quodammodo Herculis perducta, victas tandem manus det superstitio, saltem cum rationis specie aliqua ne mutire quidem ampliùs possit. *Anatomen* nuper dedimus, & Sceleton quoddam confecimus illius Concilii, cujus Oraculorum tibicine totus ferè Papatus nititur. Nunc Funus supremum dissecto corpori sceletóque à nobis inde composito condendo, ne ampliùs ejus contagio fœdet vel inficiat quenquam, adornavimus, justáque adeò, *Tumulo* etiam juxta Sceleton ejus erecto, justè persolvimus; memores Divini vaticinii de Sepultura Gogi, Tumulóque eidem juxta ossa ejus erigendo, Ezech. XXXIX, 11. 17. Tametsi enim non ignoro,

Gogi

Gogi nomine Sarracenos ibi à plerisque intelligi; non puto tamen erroris convinci posse doctissimorum Interpretum sententiam, quæ ibi Antichristum, ceu גג *tectum*, hoc est, capitis instar Vicarii *tegentem*, protegentem suum מגוג *Magog*, seu populum, qui *protectioni* ejus subest, figurari statuit. Eam proin de Sepeliendo & Tumulando Gogo μυστικωτάτην Prophetiam Concilio Tridentino, ejúsque oppugnatoribus apprime congruentem, instituto nostro per succinctam paraphrasin accommodare, & simul titulo Operi præfixo lucem fœnerari, ab instituto nostro haud alienum fuerit. Sic autem illa sonat: *Et erit, inquit Dominus, in die illo, dabo Gogo sepulchrum in Israele,* גיא העברים קדמת הים *vallem transeuntium versus Orientem maris* (quæ luculenta est descriptio Vallis Tridentinæ, per quam est via à Septentrione ex Germania, Ecclesiæ hospitio, per Italiam, in Palæstinam, ultra mare, ad Orientem sitam) *& erit illa frænans transeuntes* (nam Tridentini transeuntibus in Palæstinam Hierosolymas, ut inde, unde lex Evangelii, ex Sione primitus orta, prodiit, legem & testificationem repetant, traditionum suarum frœnum, imposuere, ne recta ad Hierosolymam, & Sionem pergant, hoc est, scripta Mosis, Prophetarum & Apostolorum sua se luce explicantia, consulant, vel saltem aliter, quàm ex ore Gogi illa interpretari audeant) *& sepelient ibi Gogum & turbam ejus* (destinaverant enim Tridentini sepelire Scripturam, ejúsque salutarem sensum; sed decreta illi talia cuderunt, quæ ipsimet sepulturam accelerarunt, agnita deinceps & convicta à fidelibus traditionum vanitate, & usurpatæ tamdiu à Papa potestatis tyrannide) *& vocabunt* גיא המון גוג *Vallis Turbæ Gogi* (Tridentum, seu consessus ibi celebratus peculiare nomen sortietur, ut radix, crepido, seu, uti Bellarminus insignivit, *vox Ecclesiæ* Catholicæ Romanæ habeatur.) V. 12. *Et sepelient eos domus Israelis* למען טהר *ad purgandam, reformandam terram septem mensibus* (Ecclesia vera Dei anathema sibi dicentes Tridentinos ipsa, post explorationem seriam & studiosam dogmatum ab iis definitorum, & demonstrationem spiritus sedulam, explodet, detestabitur, & à purgamentis his se liberabit, Reformatione instituta, promota, & ad tempus usque Deo notum purgata) v. 13. *Et sepelient omnis populus terræ* (totus cœtus secundum mensuram doni quisque sui) *& erit ipsis nomen die, quo glorificabor, ait Dominus* (sic glorificabitur & manifestabitur

no-

nomen meum, ut nullus de populo futurus ſit, qui non intelligat diſcrimen Iſraelis & Gogi, atque ille peculari nomine, quale טהורים *Purificatorum*, Reformatorum, Proteſtantium, Evangelicorum inſigniendus ſit) v. 14. *Et* אנשי תמיד *viros perpetuos ſeparabunt Tranſeuntes per terram, ſepelientes cum Tranſeuntibus reliquos in facie terræ, ad purgandam illam* (habebunt illi περιοδευτὰς *Viros perpetim* circumeuntes, Vigilantes, Speculatores, Epiſcopos, Paſtores, Theologos veros, non Titulares, fucatos, qui una cum aliis Tranſeuntibus, Senioribus, donum κυβερνήσεως *gubernationis* habentibus, id operam jugiter dabunt, ut nunquam non ſepeliant omnem fœditatem, impuritatem Gogi, & ſpeciem ejus, quam nunquam non Gogi miniſtri inducere parabunt; imò & ſordes ipſas Sionis expurgent, aboleant) *A fine ſeptem menſium ſcrutabuntur* (exacto, quod Deus præſtituit, tempore *Viri illi perpetui* Prophetias omni ſtudio ſcrutabuntur) v. 16. *Et tranſibunt Tranſeuntes per terram, & cùm viderint* עצם *oſſa, ſceleton hominis, ædificabunt juxta illud* ציון *tumulum, donec ſepeliant illud ſepelientes in Valle turbæ Gogi.* v. 16. *Atque etiam nomen Urbis* המונה *Multitudinis, & expurgent eam,* (animadverſo ſceleto notam, monumentum, tumulum) nam ציון ſignum, notam ſepulchro appoſitam ſignificare, Arabum & Hebræorum ſcriptorum teſtimoniis Celeb. Eduardus Pocockius *Miſcell.* 65. &c. confirmat) ei per veritatis & falſitatis ſolidam demonſtrationem erigent, ut erroris mors & fœditas omnium oculis pateat, donec non tantùm ſceleton illud, ſed etiam nomen, hoc eſt, authoritas, dignitas, præeminentia Urbis המונה *Multitudinis*, ſeu Urbis illius Magnæ, quæ habet Regnum in Reges terræ, Apoc. XVII. 18. adeóque שם *Nomen* Papæ, Cardinalis, Patriarchæ &c. ex memoria & uſu Eccleſiæ penitus profligetur.) Si cui hæc literalem ſenſum reddere non videbuntur (nos tamen reddere, ex antecedentibus, ἐχομένοις, conſequentibus, verborum ſignificationibus, & Prophetiæ ac hiſtoriæ harmonia, perſuaſi ſumus) apud illum ſaltem παρῳδία ſeu alluſio neutiquam contorta, ſed ſimplex & ſignificans valeat. Non pigebit autem eundem in ſenſum quædam ex Hieronymo, eandem Prophetiam explicante, haud ἀπροσδιόνυσα adſcribere. *Labor eſt*, ſic ille, *eorum, qui egrediuntur de urbibus Iſrael* (Eccleſiæ) *ut omnem exitum atque introitum hæreticæ pravitatis* (Antichriſtianæ ſeductionis) *claudant, & circumædificent, & in voraginibus*

Digitized by Google

nibus terræ sepeliant, ne ampliùs exire valeant, & aliquos sua fraude decipere. Ibi ergo sepelient Gog & omnem multitudinem ejus, qua semper hæretici delectantur. &c. Post necem autem & interfectionem, sive sepulchrum eligentur viri Ecclesiastici, qui hoc habeant studii, ne quid in terra Israel sordium pristinarum: ne quid morticinum: qui lustrent terram, & requirant mortuos, & sepeliant: ut videlicet mundetur terra Ecclesiæ. Atque ita officio tumulandi Gogum, eique monumentum, seu Hermam quandam, indicem & extirpatricem reliquæ fœditatis & ad extremum deplorati erroris Concilii, quo in valle transeuntium versus Orientem maris celebrato, ipse & promachi ejus veritatem cœlestem sepelire nequicquam contenderat, erigendi pro modulo gratiæ, quam DEUS mihi impertitus est, me fideliter defunctum confido. Imponi ergo jam pugnæ huic, si adversantibus haud lœva mens est, finis poterit, quando jubare meridiano clarius est, ne pedamentum quidem errori relinqui, & dogmata fidei controversa à Concilio hoc definita, & plus quàm Thyestæis cum execrationibus sancita, atque Christiano orbi propinata, religionis quidem & pietatis, Verbi Dei, Conciliorum, Patrum Ecclesiæ, rationi, ad alia omnia malignè detortorum, præsidiis fucatæ fallacem speciem assumpsisse; at de cœtero omnia in id comparata esse, ut verbis spiritualem, reapse autem, uti nonnemo appositè dixit, *mundo mundaniorem, & carne carnaliorem* Papæ in mundo Monarchiam, quam παπακαισαρίαν *Papa-Cæsareatum* nonnulli appellant, ruentem, magnisque jam passibus ad interitum præcipitantem, utcunque suffulciant, & sustentent. Ecquod enim, ut in errorum ipsorum Tridentinorum cubile perveniamus, dogma à Concilio sancitum non eò manifestè velis remisque navigat? Nullum certè eorum eò spectat, ut animi ad veram solidámque pietatem & sanctimoniam vitæ formentur, sed cuncta sic composita & animata sunt, ut Nimrodica illa venatio, hoc est, Papæ & Sacerdotum potentia, authoritas, opes immensùm quodammodo glíscant. *Lis est*, inquiebat ille, *de divite Regno.* Hoc πρῶτον decretorum Tridentinorum ψεῦδος, hoc centrum eorundem, hoc Cor & Palladium est. Proin haud immeritò non ita pridem Severinus de Monzabano, Veronensis, quisquis ille fuit, libro de statu Imperii Germanici edito, se miratum ait Sacerdotum Romanorum ineptias, quòd controversias cum hæreticis (ut ipsi vocant)

sibi

ſibi intercedentes, ex Sacris literis, & per comparatas invicem rationes, decidendas ſuſceperint, cùm longè evidentior modus ſuppetat ad certitudinem demonſtrationum Mathematicarum omnia definiendi. Semel ſtabilito atque admiſſo principio illo, quòd religionis Catholicæ finis ſit, ut Sacerdotum potentia, authoritas, opes validæ magnæque ſint, væ ſani, inquit, forent adverſarii, ſi vel verbulo ultra cenſerent oppugnanda dogmata, circa quæ tanta vis chartarum hactenus exiguo cum ſucceſſu conſumpta fuit. In rem præſentem ut eamus, & Papatus Tridentini arcana & Profunditates obiter ut referemus; Tridentini Seſſione *Quarta* ante omnia, velut Palladium quoddam Religionis, definiverunt, *Traditionem* cum Verbo ſcripto pari pietatis affectu ſuſcipiendam eſſe; præterea ipſius Scripturæ non alium ſenſum recipiendum eſſe, quàm eum, quem Eccleſia, Romana ſcilicet, eidem attribuit. Neque obſcurè, qui hancce κυρίαν δόξαν defendunt, Scripturas S. imperfectionis & obſcuritatis inſimulant; eòque prætextu ab earundem lectione laicos arcent. Quo verò fine tali pipulo Verbum Dei differunt? Annon quia proſpexerunt, Monarchiam Cleri, & inſervientia eidem media nullum verum in Scripturis præſidium habere; neque aliunde, quàm ex fictitia traditione, imperfectionem & obſcuritatem illam, ſi credere fas eſt, compenſante, habere poſſe: ac præterea legem illam de non legendis à plebe Scripturis efficere poſſe, ne ea, quæ in Scripturis evertendæ huic Monarchiæ occurrunt (uti certè plurima occurrunt) ad notitiam populi perveniant; vel ſicubi fortè perveniunt, ut ſoli Sacerdotes earundem interpretationem ſibi vindicantes, alium & peregrinum in ſenſum omnia diſtorquere valeant, ne laicis integrum ſit ex iis quædam eruere, quæ parùm è re Sacerdotum forent? Hic, non alius decretorum illorum cardo eſt. Seſſione *Quinta* Regenitorum *concupiſcentiam* omni noxa eximendam Patres illi putarunt, quod carnali hominum, non ea, quæ Dei, ſed quæ ſua ſunt, curantium ingenio apprime convenit. Quæ Seſſione *Sexta* de *libero arbitrio*, *gratia*, *habitu juſtitiæ infuſo juſtificante*, *meritis operum* decrevere Patres, uti quidem ambitioſam hominum pietatem inſigniter ſtimulant: ita dum eadem iis ferè rebus definiuntur, quæ Sacerdotes locupletant, reliquo Theologiæ ſyſtemati examuſſim quadrant. Nec fruſtra *numerus Sacramentorum* Seſſione *Septima* auctus, & *Confirmatio*, *Pœnitentia*,

 Ordo,

Digitized by Google

Ordo, Matrimonium Sacramentorum ex *opere*, quod ajunt, *operato* efficaciam exercentium, dignationem ſubiverunt; ut videlicet eo frequentiùs Sacerdotibus indigerent homines, & eorundem prætextu tribunalia iidem in Eccleſia erigerent, pro quibus hominum in quavis Societate corporibus, fortunis, conſcientiis liberè imperitarent, lucrúmque inde opimum perciperent. Jam Sacramenta & vera & ficta, univerſámque religionem tot *Ceremoniis* veſtire & adornare placuit, ut earum numero atque ſplendore obruta plebs, & velut attonita, de ſolida pietate rimanda, & Sacrificulorum arcánis fraudibus perveſtigandis cognitionem omnem deponat. *Tranſſubſtantiationis* monſtroſum dogma Seſſione *Decima tertia* definitum ad augendam immenſùm poteſtatem Sacrificulorum, quibus, ceu novis quibuſdam Eliciis Numinibus, facultas datur demurmuratis quinque verbis ipſum de Cœlo Chriſtum in terras devocandi, & intra hoſtiolæ anguſtias, nullo ſenſu perceptum, nulla intelligentia comprehenſum, adigendi, abſtrudendíque, pertinet. Tanta porrò poteſtate pollentibus quid non reliqui Mortales miſeri, acri adeò thyrſo percuſſi, gratificandum putarent? Imò quis non adoret homines, tam venerabilem victimam ſolo murmure ſuo producere valentes? Et quò *jurisdictio* principalis & ἀνυπεύθυνος, in legibus pro arbitrio ferendis, & pœnis etiam propriè dictis tranſgreſſoribus earum infligendis conſiſtens, Clero Seſſione eadem vindicata, niſi ad dominationem ejuſdem latiſſimè proferendam, &, religionis prætextu, pro libitu exercendam, pertinet? Peccatorum remiſſionem judicialem ſoli Deo relinquere, parum lucroſum erat. Ergo illa poteſtas *Abſolutionis* titulo Seſſione *Decima-quarta* Sacerdotibus aſſerta eſt; queis haudquaquam placebat tam proficuo jure diſſolutè uti, vel generali confeſſione, & munuſculo qualicunque, à liberalitate confitentis dependente adquieſcere: Exactiſſima enim in injuncta *Secreta Confeſſione* enumeratio ſingulorum peccatorum, taxatione eorundem in Sacerdotis, ejuſmodi *Satisfactiones*, quæ Hierarchiæ commodis ſtrenuè velificantur, imponentis arbitrio poſita præſcripta eſt. Heic ſi dives eſt reus, paratiſſimum eſt lucrum, etiam ubi gratis peccata remiſſa fuerunt. Quis enim adverſus tam benignum Patrem liberalitatis quid non exhibeat? In pauperes ſecuriùs authoritatem & poteſtatem exercere licet. Et quanti quæſo eſt, omnium arcana nôſſe? Aut

quis

quis non revereatur pectoris sui arbitrum, eúmque sibi conciliare quovis modo contendat? Laicis *usum calicis* rectè ademptum, & nonnisi Papæ arbitrio, quod Sessione *Vicesima prima* definire placuit, vel adimendum semper, vel gratificandum quandoque esse, mordicus utique pertendendum fuerat, ne ulla in re Sacerdotes errasse, vel errare posse videantur. Si enim hic errarunt, quidnî in aliis etiam errare potuerint? Id verò cœcæ fidei in obnoxiis animabus alendæ parùm conduxisset. *Missa* porro Sessione *Vicesima secunda* gravi anathemate sancita, nihil ad lucrum & authoritatem Sacerdotum promovendam excogitari accommodatius poterat. Nam quis tam salutarem operam, haud quaquam sibi gravi vel molesta ratione Sacrificium Christi per Sacrificuli oblationem pro se præsente vel absente, mortuo etiam, sibi applicandi, & maxima quæq; impetrandi navanti Sacrificulo, quidquam negare ausit. Sessione *Vicesima tertia* tanta *Ordinum* multitudo & varietas instituta est, ut eò plures sint, qui sacræ hujus Reipublicæ rebus invigilent, & attrahendis laicorum bonis hamos jaciant. *Hierarchia*, seu Sacerdotum Respublica ibidem stabilita quàm artificiosè compaginata, quàm in ea pressè omnia inter se connexa sunt? Singulis quinetiam Hierarchiæ membris solius *Ordinationis* vi, ex *opere operato* decreta est tum Spiritus S. *gratia gratum faciens*, tum *spiritualis potestas* perpetua, *characteris* impressi beneficio; ne Divina authoritas vel in minimo Dominationis Pontificiæ ministro desiderari possit. Ut verè dicere liceat, nullum ab orbe condito fuisse corpus tam affabre dispositum, tam validis radicibus mundanæ potentiæ subnixum. Ad correctissimæ enim instar Monarchiæ Respublica constituta est. Ipsi Principi Sacerdotum *Papæ* Divinæ par authoritas circumdata. Vicarius Christi, errare nescius, ætheris crebúque claves citra provocationem aut intercessionem dispensans; Regnorum omnium arbiter, Coronarum diribitor, Reges solio dejicere vel locare pollens poténsque. Neque verò ullus Principum tam addictum civium suorum experitur obsequium. Et cùm inter Ministros ejus non desint æmulationes, astutissimè tamen, ne in Reipublicæ hujus Sacræ detrimentum erumpant, Pontifex temperare solet. Neque proin absque causa multi autumant, pleraque ad sacram hanc ferreámque Hierarchiam accommodari posse, quæ apud Jobum cap. XL. XLI. de Leviathane sensu mystico traduntur, & ver-

bis his cap. XLI. 24. 25. clauduntur: *Non eſt in terra Dominium, cui pareat, ita factus, ut neminem metuat. Quicquid eſt ſublime, id reſpicit, ipſeque Regem agit in feroces univerſos.* Neque parum etiam Reipublicæ hujus potentiam roborant Seſſionis *Viceſimaquartæ* decreta. præ cœteris autem tum illud, quo Papæ arbitrio ſubjecta ſunt *matrimonia*, etiam jure Divino & naturali *vetita*: tum illud, quo Sacerdotibus & Monachis voventibus *cœlibatus* perpetuus indictus eſt; ut ne videlicet privati reſpectus & familiarum charitas aliò curas & affectus converterent, & erga nativos ac legitimos potiùs Principes, quàm erga Papam, peregrinum Regem obſequia flecterent. Eundem denique finem Seſſionis *Viceſimæ quintæ* & ultimæ decreta propoſitum habent. *Purgatorium* in ea definire placuit, ut tributo poſſent onerari, quos mors ipſa jam rebus & moleſtiis humanis exemerat. cùm tamen ἀπὸ νεκρῶν φορολογεῖν, *à mortuis tributum exigere*, vel ipſi gentiles extremæ rapacitatis argumentum habuerint. *Sanctorum invocatio* uti ſplendorem religionis non parùm auget: ita Sacerdotibus authoritatem conciliat; quos ſuſpiciant magnopere oportet illi, qui cogitant, iſtorum decreto Cœleſtis aulæ Proceres creari. Eorundem *imagines & reliquiæ* in veneratione maxima habitæ, & *religioſis* etiam *peregrinationibus* frequentatæ, tum rudem plebeculam à S. Scriptura & veritate ex eadem indaganda abſtrahunt: tum quæſtus immenſi ex captis ſuperſtitione ea, & ſpiritualium ac temporalium bonorum inde colligendorum, atque adeò non infelice mercatu vitrearum pro gemmeis exportandarum exponendarúmque mercium, ſpe flagrante, animis faciendi, anſam ſuppeditant. Sed & *Monachatus* ſtatum gravi decreto ſancire collibitum eſt, non tantùm ut milites proprios, & devotè ſibi addictos Papa ſemper habeat; ſed etiam, *ut* (quæ ipſorum in Concilio Gallorum voces fuerant) *prætextu paupertatis Monachi exſtimationem acquirant, quaſi nullam rem temporalem intueantur, ſed omnia charitatis cauſa faciant in populi ſervitutem: poſt, exiſtimatione parta, Curiam cum ipſis de voto diſpenſare, unde facilè diteſcant: cúmque bene opulenta facta ſunt Monaſteria, demandentur in commendam, & id omne denique Romanam in Curiam affluat.* Denique *Indulgentiæ* eadem Seſſione confirmatæ quid aliud ſunt, quàm Papatus nundinæ? Ob quas ſic Abbas Urſpergenſis jam olim Romæ applauſit: *Gaude mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur*

cata-

Digitized by Google

cataractæ thesaurorum in terra,ut ad Te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompensationem tantum malorum datur tibi pretium. Plura addere apud callentissimos, putidum foret. Et cui accuratiùs isthæc scrutari vacaverit,ad eum gustum cœtera deprehendet. Non ausim, fateor, omnibus Pontificiis hanc mentem tribuere; cùm nec in populo defuerint, vel hodiéque desint, qui ignorantes τὰ βάθη τοῦ Σαθανᾶ *profunditates Sathanæ*, nullo ad Pontificiæ Monarchiæ Majestatem, vel Cleri utilitatem respectu, & ne ob sola quidem dogmata, sed ob levissimum etiam ritum capitalia adversus dissidentes odia exerceant: nec inter Theologos nulli reperiantur,quibus non tam Monarchia Papæ, quàm dogmata per se curæ cordique sint. Sed de iis loquor,quos penes rerum summa semper stetit: qui fulmina ex aula Romana,& proscriptiones in comitiis procurarunt, dominationis vel Magistri,vel instrumenta etiam. Jam & decreta *Reformationis* potiora, de Episcopali jurisdictione, appellationibus ad Papam,Exemptione Regularium à jurisdictione Episcopi,Commendis,Ordinationibus ad titulum, Dispensationibus,Testamentorum cognitione, executione Episcopis concessa, Bonis Ecclesiasticis, Reformatione Principum,Unione beneficiorum, Annatis, Resignationibus, Expectativis, Reservationibus mentalibus,Facultate bona immobilia possidendi concessa Ordinibus,Usu gladii excommunicationis, clausula illa, *Salva authoritate Sedis Apostolicæ*,aliáque ejusdem commatis plurima, non tam Cœlesti veritati & saluti animarum,quàm Cleri commodis, divitiis, potentiæ strenuè litare Concilium,extra omnem dubitationis aleam ponunt. Denique *historia* etiam Concilii,artes exquisitas & stratagemata à Pontificiæ Monarchiæ Atlantibus gnaviter, quin & impudenter adhibita propalans,amplissimam certè fidem facit,non quæ Christi, sed quæ sua sunt,conjuratam illam factionem Italicam unicè intendisse. De quo paucis adhuc dicendum. Expectaveram equidem, ut Adversarius historiam Concilii à me ex Suavis Polani,seu Patris Pauli Veneti historia verè incomparabili,certè cum Thucydidis, Xenophontis, Polybii, Taciti &c. historiis veteribus paria faciente,Thuano,aliisque contractam examini accurato subjiceret. Sed quæ ejus ἀπολογία est, non suo illam judicio pensitare,sed,aliena scilicet facundia disertus, corniculæ Horatianæ

næ ad imitationem, opposita, seu potiùs ad verbum ferè exscripta, cœca fide & ἀβασανίστως adoptatâ, & in crassos centones suos, ut inde molem acquirerent, transvasatâ Sforzæ Pallavicini, qui totus hic ei ad arculas sedit, *Concilii Tridentini historiâ*, Notas historicas, contextæ à me ejusdem Concilii historiæ subjunctas discutere satis superque habuit. Miratus sum equidem non parùm, & forte mecum alii mirati sunt, Adversarium animum suum induxisse, ut crederet, Pallavicini dictis ἀδοκιμάστως Mortalium quenquam paulò cordatiorem perinde fidem habiturum, ac si Divinus ille fuisset, & fundendorum oraculorum peritus Apollo. Etenim Jesuita ille fuit, ex Polyglottica illa Societate, quæ æquivocandi, hoc est, diversis linguis, serpentum more, loquendi, subtilitérque mentiendi artem profitetur. Ipsos etiam Pontificiarum partium paulò circumspectiores quosque segniter admodum dictis ejus suam hactenus fidem substrinxisse, constat; nominatim verò apertos ejus hostes, censores, sugillatores extitisse Viros Clarissimos & longè doctissimos, Cæsarem Aquilinium, Julium Clementem Scotum, Philippum Quorlium, fratrem Siculum, Johannem Gallœsium, Presbyterum Gallum, Amelotum de la Houssaye; &, quod mireris, ejusdem Ignatianæ Societatis Doctorem, Augustinum Aldovini, quanquam is suam adversùs Pallavicinum παῤῥησίαν carcere luit, cui propterea, ipso Pallavicino machinante, Alexandri VII. jussu A. MDCLXVII. mancipatus est. Incommoda ex historia illa in ipsam Ecclesiam Romanam redundantia his verbis Julius Clemens Scotus *Discuss. judic. 4. pag.* 19. perstrinxit: *Cùm visa fuerit ac sit quàm plurimis Suavis historia, factum est, ut ex editione Historiæ Pallavicini celebriorem & Suavis famam, & historia authoritatem sortita fuerit; & quæ veluti spreta jam exolescebat, in scenam prodierit, cum ampliore scriptoris laude. Nimiæ laudes & adulatoriæ nonnullis, & è primariis scriptoribus tributæ effecerunt sanè, ut nonnullæ labes in eorum doctrina fuerint observatæ. Nimiæ Pallavicini vituperationes effecerunt, ut à labe ferme omni, nedum ab innumeris, quæ illi objiciebantur, Historiam Suavis quidam expurgare contenderint, adeóque majorem Suavi existimationem conciliaverint. Qui amoris & odii argumentis certos non præscribunt fines, experientia teste, illi argumenta odii, hi amoris potius exhibent, cùm nequeant non instigare plures ad investigandos defectus aliquos, vel errores objecti nimis amati, & ad virtutes*

Digitized by Google

tutes aliquas vel prærogativas objecti nimis deteſtati. Nullus cenſetur ſcriptor inter Catholicos illuſtris (ſi excipiatur ad ſummum S. Thomas, in cujus tamen fulgenti, inſtar Solis, doctrina nonnulli, & è Societate Jeſu, maculas aliquot perſpexerunt; de qua re Thomiſtæ viderint) qui in quibuſdam reprehendi non poſſit; ſicut & nullus, in quo pariter aliquid laudabile non reperiatur, etſi communiter reprobatus. Quæ damna importaverit ac importatura ſit Pallavicini hiſtoria Catholicæ Romanæ Eccleſiæ apud Catholicos ac hæreticos circa venerationem Romanorum Pontificum, eorúmque authoritatem in convocatione Conciliorum quoque, ac Præſidentia, atque circa æſtimationem Tridentini Concilii decretorum, ſupervacaneum eſt peculiariter recenſere, cùm illa habeantur ex notis. Certum videri poteſt. 1. Minorem fidem habendam iis, quæ ſcribit Suavis, à compluribus è Catholicis, eò quòd exiſtimetur Romanæ Eccleſiæ infenſus, quàm Pallavicinus, qui è proprio, & Societatis ſuæ inſtituto, cenſetur in eandem propenſiſſimus. Ideóque hoc nomine cenſendum, magis pernicioſam Pallavicini quàm Suavis hiſtoriam. 2. Romanos Pontifices non eſſe finem conſecutos, ad quem decreverunt, ut Reſponſio præberetur Suavi, cùm potiùs contrarius effectus apud Catholicos & hæreticos jam olim procreaverit, & præcipuè, quòd & poſt 37. annorum ſpatio meditationem, & in urbe impreſſa prodierit. Idem Vir ſanè πολυμαθέστατος brevi ſpecimine edito *Notarum Sexaginta quatuor Moralium, Cenſoriarum, Hiſtoricarum ad Pallavicini Inſcriptionem,* &c. luculenter probavit, Pallavicinum ſibi in multis fidem ademiſſe (*pag.* 39.) minorem ſibi fidem in dictis peculiariter contra Suavem vindicaſſe (*pag.* 3.4.) prima Theologiæ elementa ignorare (*pag.* 12.52.) ſchiſmatis authorem eſſe (*pag.* 11.) in Pontifices, Principes alióſque iniquum eſſe (*pag.* 20.45.) favere hæreticis (*pag.* 42.112.113.118.130.) eorundem laudes nimiùm celebrare (*pag.* 53.54.) ſibi haud rarò contradicere (*pag.* 31.51.) pædagogi inſtar errores in Suavi notare (*pag.* 50.51.) calumniatorem (*pag.* 47.) Pſeudopoliticum (*pag.* 2.6.28.) maledicum (*pag.* 3.28.37.) imprudentem (*pag.* 20.49.76.77.) ejus denique hiſtoriam ſcandaloſam (*pag.* 18.) & magis quàm Suavis pernicioſam eſſe (*pag.* 42.) Neque adeò ratio deſtituit Sereniſſimam etiam Rempublicam Venetam, quæ fulminante Decemvirorum decreto Hiſtoriæ Pallavicini publicationem in omnibus ditionis ſuæ locis ſeverè prohibuit. Hæc Pontificiorum de Pallavi-

cini Historia judicia sunt, multùm certè ab Adversarii, qui insano & insanabili partium studio dementatus, in gratiam Capitolini sui Mystarchæ, omnia Authoris hujus (sit venia verbo) stercora pro aromatis venditare satagit, judicio, seu stupore potiùs abludentia. Et non dubitavit ille tamen singulos Pallavicini hujus apices pro oraculis obtrudere nobis; nobis, inquam, manus heic oculatas habentibus, nec ignaris sanè, Jesuiticæ, cui ille deditus fuit, sectæ hunc palmarium finem esse, ut inclinatam, & ad lapsum jam pronam rem Romanam qualitercunque (virtus an dolus, quis in hoste requirat?) suffulciat, ac nutantem pœnéque fusam Papatus superstitiosi aciem, ejus asseclæ ceu triarii supervenientes integri, restituant. Ne dicam, non leve Jesuitæ huic scripturienti auctoramentum fuisse, purpuram, quam hoc labore ab iis, quorum commodis ancillatus est, promeruit. Quis ergo jam censeat, parem eum fuisse scribendæ historiæ, & quidem Ecclesiasticæ seu Conciliari, quam eo modo, quo ille scripsit, scribi plurimùm Papæ conductoris, & amplissimæ mercedis diribitoris intererat; cùm tamen omnis historiæ fundamenta nota sint illa, quæ paucis his verbis complexus est M. Tullius Cicero: *Quis nescit, primam esse historici legem, ne quid falsi dicere audeat? Deinde, ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis?* Ubique ille sibi fidem, cujus se apud bonos nimiùm indigere prospexit, conciliaturus suas Memorias, Pontificia sua documenta pleno gutture jactat, &, ceu pompam quandam, ostentat. Quàm verò lubrica & fluxa illorum fides sit, non tantùm Gallœsius Presbyter Gallus, *Ephemer. XII.* 23. *Mart. A. M DC LXV.* notavit, observans scilicet, *quòd scriptis iis, quia privata sint, nemo fidem habere obligetur priùs, quàm illa in publicum sint edita, quò examinari, & veritas exinde cognosci possit*; idque *magis etiam tum, cùm quis iisdem utitur contra alium Historicum pæne æqualem*, quique *in hominum animis multum jam fidei acquisivit*; sed etiam Pallavicinus ipsemet *Histor. lib. XIII.* 16. imprudens prodidit, ubi Pontifices Romanos duplices commentarios, publicos & secretos, illos publicè custodiendos, hos verò, Eleusiniorum adinstar sacrorum, in interiore sacrario maximo studio claudendos, imò & abolendos, adornare solitos esse observavit, & arcanum isthoc non exiguo cum historiæ suæ damno propalavit. Unde enim secretorum, quorum potissimùm fide historia contexi debuit,

co-

copiam ille nactus eſt? Nam Suavem quod attinet, conſtat ratio. Illi enim non ſine Numine contigit non tantùm literas, libellos memoriales, Diaria, eorum etiam, qui arcanorum Pontificis conſiliorum arbitri & adminiſtri fuerunt, puta Cardinalis Montani, principis in Concilio, Paulo III. Pontifice, Legati, Cardinalis Amulii, Epiſcopi Ventimiglienſis, Fabrianenſis &c. inſpicere, & ex iiſdem abſtruſa & recondita quæque eruere: ſed etiam familiarem ſibi notitiam comparare quorundam ejus ætate ſuperſtitum adhuc, qui Præſulibus Concilii à Secretis fuerunt, inprimis verò Camilli Olivi, Cardinalis Mantuani primarii in Concilio, Pio IV. Pontifice, Secretarii, quo cum ei diu arcta neceſſitudo interceſſit. Quæ non ab eo arcana expiſcari potuit? Pallavicino verò nemo eorum, qui Concilio interfuerunt, coævus vixit. Sed de his aliiſque in principali de authoritate Concilii quæſtione fuſiùs egimus. Unum heic addo, obiter ibidem inſinuatum, Pallavicinum, ut Concilii errores & tyrannidem ſtabiliret, ejuſmodi Eccleſiæ & religionis ideam finxiſſe, qualem non Chriſtus, non Apoſtoli θεόπνευστοι tradiderunt, ſed qualem Plato, Ariſtoteles, aliique ſapientes & Principes hujus ſeculi Rempublicam inſtituerent. Evangelium quidem Chriſti Eccleſiam definit cœtum hominum electorum, vocatorum, ſanctificatorum, poſt Chriſtum crucem ferentium, mundo, ejúſque vanitatibus, omníque mundanæ politiæ & φαντασίᾳ nuntium mittentium, divitias, gloriam & delicias hujus ſeculi poſteriore loco amandantium, in paſſionibus, paupertate, perſecutionibus decus omne ſuum, portionem ſuam cantantium, denique praxi pietatis, humilitatis, charitatis, & aliorum bonorum operum, tanquam viæ ad conſequendam ſalutem tutiſſimæ, ſedulò incumbentium. Quid verò Pallavicinus? Evangelium ille novum nobis prodidit, quod paſſim ille hiſtoriæ ſuæ intertextum inculcat & enixè commendat, alia omnia, quàm Evangelium Chriſti & Apoſtolorum præcipiens. Laudat enim Purpuratus ille, ad amuſſim hujus ſeculi factus, imíſque adeò hominum medullis infigere parat Chriſtianiſmum ejuſmodi, qui carni gratus fiat, & cum mundo componi ac conglomerari commodè valeat. Id verbis diſertis ex Pallavicini hiſtoria excerptis non ita pridem Vir doctiſſimus, ſive Sorbonæ, ſive Janſenii ſectator ille fuit, novo Cardinalis Pallavicini *Evangelio*, ſeu novis *Politices*, quæ

Ecclesia, eodem doctore & ductore, administrari debeat, *Luminibus* editis, demonstravit. Cujus quidem eam in rem distincta sex capita, ut quam homo ille, Adversarii nostri Dodonæum oraculum, fidem professus sit, Cardinali Jesuita dignam, paucis comprehensa, lectori heic repræsentare operæ pretium duxi, inprimis cùm libellus ille, Jesuitarum industria suppressus, paucorum in manibus versetur. *Primo* ergo Capite verbis ipsius Pallavicini novæ hujus Politices Religiosæ natura, utilitate, necessitate & excellentia delineata, in eo potissimùm à Pallavicino eam collocari docet, quòd hominem in hoc & altero seculo felicem reddat, non tantùm secundum spiritum, sed etiam, Aristotele inprimis duce, secundum carnem. qua ratione distinguenda sit à falsa Politice tum Muhammedis, quæ mera tyrannis sit; tum Politica improvida & scrupulosa Zelotarum ignorantium, qui non credentes, quòd homo simul in hoc seculo, etiam secundum carnem, simul in altero seculo felix esse possit; Politices hujus virtute in excessum ineptæ & idealis Reformationis conversa. quorum in numero fuisse ait Hadrianum VI. Optimum sanè Sacerdotem, sed valde mediocrem Pontificem. *Secundo* ex mente & verbis Pallavicini refellit quinque regulas Zelotarum, contendentium, quòd Politice Religiosa solo eo, quod secundum spiritum, & non eo, quod secundum carnem, hominique in statu naturæ corruptæ gratum est, niti debeat; credentiúmque adeò & propugnantium severè, id optimum esse factu, quod præcipiunt Concilia & opinio plebejorum Episcoporum, quos Zelotæ hi malè consulti venerantur, ut parvos quosdam Reges in suis Diœcesibus, cùm tamen juxta veras Politices Religiosæ leges Papa eos non alio loco habere possit, quàm quo sunt infantes, insulsi, moriones, equi rhedarii, currus pensiles ab equis volantibus tracti. utpote qui modum administrandæ Ecclesiæ & aulæ Romanæ penitus ignorant. *Tertio* ex ejusdem sententia & verbis demonstrat, unicam Politices Religiosæ regulam esse felicitatem hominum secundùm carnem in hoc & altero seculo, & in hoc sub unius Papæ, Regis & Monarchæ totius orbis regimine, cujus tributarii & subditi sint Christiani Reges omnes; cujúsque adeò patrimonium ex divitiis universi mundi conflatum sit; cujus denique honores, potentia, divitiæ, earúmque temporalis usus eam Ecclesiæ carnalem felicitatem & splendorem conciliant, quam Jesus

Chriſtus profuſo ſanguine ſuo promeruit, ut ſcilicet Eccleſiam viſibilem, perpetuam, illuſtrem, & ſecundum carnem etiam feliciſſimam omnium, quæ in hoc mundo fuerunt vel erunt, redderet. *Quarto* in medium producit viginti rationes, quibus ex Pallavicini mente divitiarum, honorum, voluptatum Eccleſiæ, ad formandum inde Evangelium ſecundum carnem, & ad illius fidem invitandum totum orbem, neceſſitas demonſtratur. Abſque eo enim eſſet, nullam, Purpurato hoc judice, Eccleſia in mundo authoritatem haberet apud eos, qui divitiis & honoribus delectantur, quia illis non liceret eſſe felicibus ſecundum carnem, ſi ejus cives inopia premerentur, neque divitiis immenſis abundarent eum in modum, quo hodie glorioſi Cardinales & aulici Papæ abundant. Eodem verò Capite Pallavicini verbis oſtendit paupertatis vitium & infelicitatem pudendam; cujus author non ſit Deus per ſuam providentiam, ſed peccatum vel fortuna, quæ hoc in caſu, ceu inimica virtutis, juſtè accuſetur. *Quinto* ex opinione & citatis verbis Pallavicini adducuntur duodecim media locupletandæ aulæ Romanæ, augendóque ejus ſecundum mundum ſplendori maximè opportuna. puta Annatæ, Commendæ, Penſiones, Pluralitas beneficiorum, Dominium abſolutum in beneficia, Cauſarum majorum evocatio, Reſervatio caſuum, Jubilæa & Indulgentiæ, Diſpenſationes pretio addictæ, Exemptio Capitulorum, Ordinum, &c. à juriſdictione Epiſcopi, &, quod poſtremo quidem loco refertur, at ex intentione Pallavicini primore haud dubiè referendum fuerat, Collegiorum Societatis Jeſu ſedula & frequens inſtitutio, quorum ſcilicet opera Evangelium iſthoc & Religioſa Politice in mundo prædicetur & ſtrenuè propagetur, idque potiſſimùm juxta doctrinam Ariſtotelis, utpote cui Eccleſia plures articulos fidei acceptos referat; hac inſuper lege, ut Inquiſitionis poteſtas & tribunal iiſdem demandetur, conſtituantúrque adeó Commiſſarii Sancti Officii, ut promptum iis ſit litem intentare iis omnibus, qui Philoſophi hujus opiniones aſpernabuntur: utque iiſdem omnium privilegiorum, cœteris Ordinibus Religioſis; improbante quidem S. Bernhardo, at viciſſim probante Machiavello; indultorum, generalis conceſſio fiat. *Sexto* denique ex ejuſdem Pallavicini ſententia & expreſſis verbis, ediſſeruntur Rationes ſtatus omnium Regnorum & Rerumpublicarum, & quatenus illæ Politicæ huic Religioſæ faveant, vel

adversentur etiam, dilucidè exponitur. Ubi præ cæteris Regnum & Ecclesiam Gallicanam, utpote quæ cladem Monarchiæ Papæ machinetur, & splendorem atque potentiam Aulæ Romanæ infringere unicè constitutum habeat, à Religiosa Politice ad eum modum informata, quàm maximè abhorrere ostenditur. Concludit denique, quòd Pallavicino arbitro, Concilium Tridentinum recipiendum & explicandum sit ex sensu Politicæ Religiosæ, felicitatem hominis etiam secundum carnem in hoc & altero Seculo statuminantis, & unius Papæ Monarchæ arbitrio, & potestatis pro lubitu omnia disponentis, & canonibus etiam derogantis, plenitudini subjectæ, non Zelotarum ignorantium, idealem quandam & Platonicam Reformationem meditantium sententiæ. Hac demum lege eventurum, ut Concilium isthoc plus Ecclesiæ incrementi & utilitatis afferat, quàm ei calamitatis Lutherus ejúsque hæresis inflixit; Religióque adeò Papalis contra omnes hæreticos, infideles, Atheos, quos arrogantia ad oppugnandum publicis etiam scriptis Tridentinum Concilium impulit, immota & inconcussa persistet. Dubitari enim nullo modo posse, quin Spiritus S. peculiari ratione Concilium isthoc direxerit, ne quid inde detrimenti Ecclesia capiat, cùm ipsi etiam hæretici adoptaverint verba decantata Ludovici Lansaci, Regis Galliarum Legati, à Pallavicino *lib. XV. 10. 15. 16.* memorata, quòd Papa singulis diebus *Spiritum S. Roma Tridentum in Bulga ablegaverit.* Hoc illud novum Evangelium est, quod Adversarius etiam noster, qui Pallavicini, novi scilicet Politices Religiosæ Machiavelli, sicut Civilis infamis ille Florentinus fuit, totidem verba sua fecit, veluti Sacrum quoddam Spiritus S. germen, & prognatam è cerebro Jovis Palladem, tum adoravit ipse, tum adorandam nobis propinavit. Neque profectò mirum est, Pallavicino, talibus scilicet Christiano homine indignissimis opinionibus imbuto, Romanam Curiam demandasse provinciam defendendi, vel mitigandi etiam detectas à Suavi artes ejusdem Curiæ pudendas, quibus ad opprimendam in Concilio veritatem & libertatem omnem usa est. Atque hæc eruisse & propalasse, nisi fallor, totum Pallavicinum, atque eadem opera ejus Compilatorem Redingium, refutasse est. Jam enim ad liquidum perducitur, hominem illum versipellem, calamum habuisse venalem, & Epicureæ illi Monarchiæ constabiliendæ unicè addictum, nullámque adeò

apud

Digitized by Google

apud remotos à studiis partium fidem prorsus mereri. Fateor equidem, diu satis me hæsisse ancipitem, an è re foret, non solùm dogmata Fidei à Concilio damnata ab Adversarii instantiis, sed etiam Suavis Historiam à Pallavicini Pseudo-Politici Religiosi, & Censoris ac definitoris potiùs controversiarum, quàm historici fidi, strophis & technis callidissimis dedita opera defendere, atque eadem ratione Adversario clypeum, quo se infeliciter texit, è manibus excutere. Et passim quidem, occasione ita postulante, hoc ipso in opere nonnihil præstitum à me, lector inveniet. Qui verò provinciam eam ex professo suscipiat, Pallavicinum, quem Cæsar Aquilinius buboni multum plumarum, & parùm carnis habenti comparavit, deplumandi, non deerit, confido, Hercules alius quispiam, ætate & ingenii vigore florentior, ac præsidiis monumentorum ad conficiendum ejusmodi opus instructior; si, quod θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, tum vergens ad senium ætas, quæ spes longas inchoare vetat; tum studia sanctioribus & magis necessariis curis pridem devota, tum monumentorum quorundam saltem (nam plura, nec spernenda illa in manibus meis versantur) defectus, Augiæ isthoc stabulum volenti gestientique penitus expurgare non permiserit. Quanquam si ita in fatis fuerit, ut neque ab aliis, gravioris armaturæ triariis, neque à me etiam velite, ad incudem Pallavicini Historia penitiùs revocetur, satis adhuc ejus mendaciis pluribus detegendis, fucóque abstergendo facient stricturæ neutiquam pœnitendæ, quas & pietatis, & prosapiæ, & meritorum, & reconditæ eruditionis ac candoris gloria verè Illustris Vir, D. *Vitus Ludovicus à Seckendorf*, Eques Francus & Consiliarius Intimus Saxonicus, Commentario Historico & Apologetico de Lutheranismo, Operi æternitate dignissimo, partim jam edito, occasionibus invitantibus inspersit, partim edendo & continuando deinceps inspersurus videtur. quibus abundè Pallavicino nervos omnes poplitésque succisos esse, facilè periti rerum agnoscent. Quod superest, præsentem laborem meum Deo & Ecclesiæ, flagrante pietatis studio, dicatum, Sacro-Sancta Trias bene vertere velit jubeat, toto pectore precor. Ei ornamenta operis; mihi verò ἁμαρτήματα, πλημμελήματα, nævos (quis enim suos non patitur manes? felix qui minimos!) in solidum accepta fero. Sicubi visus forte fuero acriùs Adversario instare, &

tene-

——*teneras nimium mordaci radere vero*
Auriculas;——

veniam tum ipse, tum inprimis æquus lector haud invitus, spero, dabit. Si enim Eliam nemo improbat, qui immedicabili Sacerdotum Baaliticorum gangrenæ hoc veluti cauterion adhibuit, ut eos coram populo mordaci risu traduceret: quis æquus judex mihi crimini vel vitio dederit, quòd *quos natura negat*; *dedit indignatio versus*; quòdque adeò Adversarium non tam ob personam (quam, utpote & hominis, & Christiani, & *συνωμότῃ*, & eruditione singulari longè supra vulgarem Clerum conspicui, & civilem pacem amantis, ex Christi disciplina amore, cultu & piis votis sincerè prosequor. atque utinam ex inimico Evangelii mea dilectione amicum reddere possim!) quàm desperatam, ad quam ipsum infelix, in qua natus, educatus & ad principale fastigium evectus est, religio, ejúsque Supremus dictator Papa, non sine redhostimenti spe, tuendam pro viribus, adegit, causam, causæque permixtas tristes ineptias & vanissimas strophas, quas perfecto odio odi, immixtis subinde salibus, seu ההתלה *μυκτηρισμῷ* Eliæ (1. Reg. XVIII. 27.) ludificor ac rideo; qui me, ac multò magis Dei causam prior non tantùm derisit, sed etiam continuis ferè maledictis inclementer lacessivit; futurus adeò seria gravíque admonitione inemendabilis & insanabilis. quanquam ut ullo modo sanetur, & vel Divino etiam caduceo quopiam excitetur, quia callum inveterati erroris pridem obduxit, lauream in pertinacia quærit, &, quæ fundi hujus calamitas est, tiaras, infulas, aliásque mundani fastus præstigias ante Evangelium habet, *εὐχῆς μᾶλλον ἢ ἐλπίδος ἐστί*. Vale longùm, Lector Optime, & pro incrementis Regni Christi mecum supplicem semper ad DEUM animum palmásque tende. Scripsi Kal. Nov. A.C. MDCLXXXIX.

Digitized by Google

TOMI PRIORIS

INDEX OCTUPLEX;

Generalis, *puta Bullarum, Seßionum, Historiæ, Notarum & Quæstionum Theologicarum; nec non* Speciales, *puta Capitum Reformationis abusuum, Quæstionum fidei in Locos communes redactarum, (qui Tomo utrique Operis præmittuntur) Locorum Scripturæ, Conciliorum & Patrum, Authorum reliquorum, Rerum & Personarum, denique Sphalmatum (qui operi subjiciuntur.)*

EXhibitum Indicem multiplicem cujus potissimùm industriæ & dexteritati tribuere, Lector Benevolus debeat, dissimulare sine ingratitudinis nota non potui. Contexuit eum magno studio Rev. & Cl. Vir. *D. Fridericus Vtzingerus* Collegii Alumnorum nostrorum Palæoparthenii Ephorus dignissimus, qui, publicis commodis favens, nec uno eruditionis genere excultus, in his aliísque mihi occupatiori, addo etiam, publico operam suam promptissimè addixit & impendit. Quemcunque igitur ex Indicibus his solerter concinnatis fructum L. B. capiet (capiet autem plurimum) Viri hujus Clarissimi fidei & studio acceptum debita cum gratitudine ferat, operáque sic navata utatur fruatur, rogo.

INDEX I. GENERALIS,

Bullarum, Sesſionum, Historiæ, Notarum & Quæstionum Theologicarum.

BULLA Indictionis Concilii Tridentini. Tom. I. Pag. 1.
Notæ historicæ ad Bullam Indictionis. 11.
Quæstiones ad Bullam indictionis;

******* DE

DE CONCILIIS & AUTHORITATE PAPÆ Pag. 16.

De
- *Jure indicendi Concilium.* 16.
- *Personis in Concilio suffragantibus.* 27.
- *Authoritate decretorum Concilii.* 36.
- *Jure præsidendi in Concilio.* 52.
- *Capite Ecclesiæ.* 61.

SESSIO I. Concilii Tridentini. 98.
Historia Sessionis I. Concilii. 99.
Notæ ad Historiam Sessionis I. 100.
SESSIO II. Concilii Tridentini. 103.
Historia Sessionis II. Concilii. 104.
Nota ad Historiam Sessionis II. 106.
SESSIO III. Concilii Tridentini. 108.
Historia Sessionis III. Concilii. 109.
Notæ ad Historiam Sessionis III. 111.
SESSIO IV. Concilii Tridentini. 133.
Historia Sessionis IV. Concilii. 117.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis IV. 117.
Quæstiones Theologicæ ad Sessionem IV.
DE NORMA FIDEI. 119.

De
- *Traditionibus.* 120.
- *Libris Apocryphis.* 137.
- *Versione Vulgata.* 149.
- *Interpretatione Scripturæ.* 161.

SESSIO V. Concilii Tridentini. 177.
Historia Sessionis V. 181.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis V. 184.
Quæstiones Theologicæ ad Sessionem V.
DE PECCATO ORIGINALI. 187.

De
- *Essentia Peccati Originalis.* 187.
- *Peccato Originali regenitorum.* 196.
- *Conceptione B. Virginis.* 211.
- *Pœna peccati Originalis.* 222.
- *Limbo infantum.* 231.

SESSIO

Digitized by Google

SESSIO VI. Concilii Tridentini. Pag. 243.
Historia Sessionis VI. 255.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis VI. 258.
Quæstiones Theologicæ ad Sessionem VI.
DE IVSTIFICATIONE. 261.

De
Gratia præveniente & Libero Arbitrio. 261.
Gratiæ convertentis efficacia. 276.
Libero Arbitrio. 290.
Authore peccati. 304.
Operibus irregenitorum. 319.
Timore Gehennæ. 328.
Mortis Christi amplitudine. 337.
Causa Justificationis. 352.
Fide justificante. 373.
Fidei justificantis fiducia. 389.
Certitudine gratiæ. 402.
Certitudine Prædestinationis. 427.
Impletione Legis. 436.
Christo Legislatore. 453.
Perseverantia Sanctorum. 463.
Certitudine Perseverantiæ. 481.
Imperfectione bonorum operum. 484.
Fidei & Charitatis nexu. 496.
Remissione culpæ & pænæ. 504.
Opere ex intuitu mercedis. 512.
Meritis Operum. 516.
Merito augmenti gratiæ. 538.
Aureolis. 543.

SESSIO VII. Concilii Tridentini. 549.
Historia Sessionis VII. 555.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis VII. 558.
Quæstiones Theologicæ ad Sessionem VII.
DE SACRAMENTIS IN GENERE. 561.

Digitized by Google

De Numero Sacramentorum. Pag. 561.
De Differentia Sacramentorum V. & N. Test. 572.
De Efficacia Sacramentorum N. Test. 583.
De Charactere Sacramentali. 601.
De Intentione Sacramentali. 611.
De Ceremoniis Sacramentalibus. 625.
De BAPTISMO. 638.
De Baptismo Johannis. 638.
De Baptismi Ceremoniis. 647.
De Necessitate Baptismi. 656.
De Legibus Ecclesiasticis. 661.
De Efficacia Baptismi. 671.
De Votis Pontificiis. 682.
De CONFIRMATIONIS SACRAMENTO. 689.
SESSIO VIII. Concilii Tridentini. 711.
Historia Sessionis VIII. 711.
Nota ad Historiam & Decretum Sessionis VIII. 713.
SESSIO IX Concilii Tridentini. 719.
Historia Sessionis IX. 719.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis IX. 720.
SESSIO X. Concilii Tridentini. 721.
Historia Sessionis X. 722
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis X. 722.
BULLA JULII III. de Resumendo Concilio. 723.
Notæ ad Bullam Julii III. 725.
SESSIO XI Concilii Tridentini. 729.
Historia Sessionis XI. 729.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XI. 735.
SESSIO XII. Concilii Tridentini. 739.
Historia Sessionis XII. 740.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XII. 741.
SESSIO XIII. Concilii Tridentini. 743.
Historia Sessionis XIII. 752.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XIII. 756.

Quæ-

Digitized by Google

Quæstiones Theologicæ ad Sessionem XIII. Pag.
DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO. 760.

De
- *Præsentia corporis Christi in Eucharistia.* 760.
- *Consecratione Eucharistiæ.* 790.
- *Transsubstantiatione.* 797.
- *Asservatione Eucharistiæ.* 830.
- *Circumgestatione Eucharistiæ.* 845.
- *Festo corporis Christi.* 851.
- *Adoratione Eucharistiæ.* 858.
- *Effectu Eucharistiæ.* 879.
- *Tempore Communionis sacræ.* 885.
- *Præparatione ad S. Cœnam.* 891.
- *Iurisdictione Ecclesiastica.* 894.

SESSIO XIV. Concilii Tridentini. 913.
Historia Sessionis XIV. 930.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XIV. 932.
Quæstiones Theologicæ ad Sessionem XIV.
DE SACRAMENTO POENITENTIÆ. 937

De
- *Pœnitentiæ Sacramento.* 937.
- *Partibus Pœnitentiæ.* 953.
- *Contritionis Merito.* 966.
- *Contritionis Libertate.* 973.
- *Attritione.* 976.
- *Confessione secreta.* 986.
- *Satisfactionibus Humanis.* 1009.
- *Absolutione Sacerdotali.* 1028.
- *EXTREMA UNCTIONE.* 1046.

SESSIO XV. Concilii Tridentini. 1064.
Historia Sessionis XV. 1065.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XV. 1067.
SESSIO XVI. Concilii Tridentini. 1068.
Historia Sessionis XVI. 1070.
Notæ ad Historiam & Decretum Sessionis XVI. 1073.

Digitized by Google

INDEX II. SPECIALIS

Capitum præcipuorum Reformationis abusuum, quæ in Notis Historiæ & Decretis Concilii subjunctis, obiter perstringuntur.

De	Librorum impressoribus.	Pag. 118.
	Abusu Scripturæ.	116. 118.
	Concionibus & Prælectionibus.	18.
	Residentia Episcoporum.	285.
	Beneficiorum pluralitate.	559.
	Simonia.	560.
	Episcoporum delegationibus.	561.
	Episcopali jurisdictione.	557.
	Appellationibus ad Pontificem.	758.
	Clericorum degradatione.	758.
	Actione adversus Episcopum.	758. 759.
	Pœna eorum, qui prohibiti ad Ordines ascendunt.	934.
	Ordinibus extra Diœcesin non conferendis.	934.
	Examine Ordinandorum.	934.
	Exemptione Regularium à jurisdictione Episcopi.	934.
	Judicibus Conservatoribus.	935
	Commendis.	936.
	Jure Patronatus.	937.

IN-

Digitized by Google

INDEX III. SPECIALIS
Quæstionum Theologicarum, juxta Locos Communes dispositarum.

I.
DE VERBO DEI.

1. *An Veritas & disciplina Evangelii contineatur tum Verbo Dei scripto, tum traditionibus ex ore Christi ab Apostolis acceptis, & ab Apostolis Spiritu S. dictante per manus traditis, pari cum Verbo scripto pietatis affectu ac reverentia suscipiendis?* 119.

2. *An præter libros Canonicos Vet. Test. utrimque receptos, ad Canonem etiam pertineant libri Tobiæ, Iudith, Estheris, Sapientiæ, Ecclesiastici, duo Macchabæorum, Baruchi, additamenta ad Estherem & Danielem?* 137.

3. *An vulgata versio Latina in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica haberi debeat, ita ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat?* 149.

4. *An Christiani in rebus fidei & morum non alium sensum complecti debeant, quàm quem tenet Romana Ecclesia, & unanimis consensus Patrum?* 161.

II.
DE PRÆDESTINATIONE.

5. *An quilibet homo justificatus teneatur ex fide credere, se esse ex numero prædestinatorum?* 427.

III.
DE PECCATO.

6. *Qua in re sita sit peccati Originalis essentia?* 187.

7. *An per Iesu Christi gratiam in baptismo collatam tollatur peccatum Originale, & quoad reatum & quoad maculam, adeóque totum id, quòd veri peccati rationem habet?* 196.

8. *An beata Virgo, Dei genitrix, fuerit in peccato originali concepta?* 210.

9. *An jure Reformati accusentur, quòd statuant, Deum esse authorem peccati, quippe qui peccata operetur solus, ut in potestate impiorum non sit vias suas malas facere?* 304.

10. *An*

10. *An Opera omnia, quæ ante regenerationem fiunt, sint vera peccata, odii Dei meritoria?* 319.

11. *An timor gehennæ in nondum justificatis sit peccatum, an potiùs via & dispositio ad justificationem?* 328.

IV.
DE POENA PECCATI.

12. *An infantes ante baptismum decedentes, propter peccati originalis reatum puniantur pœna damni in limbo, non pœna sensus in gehenna?* 222.

13. *An post acceptam justificationis gratiam cuilibet pœnitenti ita culpa remittatur, & reatus æternæ pœnæ deleatur, ut nullus maneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc seculo, vel in futuro, nempe in Purgatorio?* 504.

V.
DE LIBERO ARBITRIO.

14. *An liberum arbitrium à gratia præventum, motum & excitatum, Deo excitanti & vocanti assentiendo ita cooperari possit, ut ad gratiam justificationis obtinendam se disponat ac præparet?* 261.

15. *An gratiæ convertenti, prævenienti & excitanti arbitrium ita dissentiri & resistere possit, ut gratiæ effectus nullus sequatur?* 276.

16. *An post Adami peccatum Liberum Arbitrium hominis ita sit amissum & extinctum, ut ante regenerationem in spiritualibus penitus nihil valeat?* 290.

VI.
DE LEGE, in specie, DE CULTU SANCTORUM.

17. *An homini etiam justificato & sub gratia constituto, Dei præcepta observatu sint possibilia?* 436.

18. *An Christus Iesus hominibus à Deo datus sit, ut Redemptor tantùm, cui fidant, non etiam ut Legislator, cui obediant?* 453.

19. *An Vota Pontificia detrahant voto & promissioni in Baptismo facta?* 683.

VII.
DE CHRISTO MEDIATORE.

20. *An Christus Iesus hominibus à Deo datus sit ut Redemptor tantùm, cui confidant, non etiam ut Legislator, cui obediant?* 453.

21. *An Christus pro omnibus & singulis hominibus sit mortuus?* 337.

VIII.

Digitized by Google

VIII.
DE ECCLESIA.

22. *An Papa Romanus sit caput & Oecumenicus Pastor Ecclesiæ, quam nomine & vice Christi cum imperio moderari & gubernare debeat?* 61.

23. *An baptizati per baptismum in conscientia liberentur ab ecclesiasticis mandatis, sive scriptis sive traditis?* 661.

24. *An Ecclesiæ competat vera jurisdictio, & præfectura externa, auctoritativa, principalis, αὐτοτελὴς, cujus vi ejus præfectis Episcopis fas sit, non tantùm leges condere per se conscientias obligantes, & de Verbo Dei ac rebus fidei judicare, sed etiam subjectos censuris, & pœnis propriè dictis coërcere?* 894.

IX.
DE CONCILIIS.

25. *An ordinaria & perpetua potestas convocandi Concilium Generale & Oecumenicum sit penes Romanum Pontificem?* 16.

26. *An in Concilio Generali suffragandi potestas ordinariè sit penes solos Prælatos majores, hoc est, Episcopos & Archiepiscopos: extraordinariè verò penes Cardinales, Abbates, Generales Ordinum?* 27.

27. *An eorum qui in Concilio res dubias fidei, & morum definiunt, sententia ita sit judicialis, ut ea lata perinde standum sit, atque statur sententia Prætoris in causis politicis?* 36.

28. *An in Concilio Christiano generali & legitimo jus præsidendi habeat Episcopus Romanus vel immediatè per se, vel mediatè per Legatos?* 52.

X.
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

29. *An Sacramenta N. T. non sint plura vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, Matrimonium: & quidem singula à Domino nostro Iesu Christo instituta?* 561.

30. *An Sacramenta V. & N. Test. hactenus differant, quòd illa quidem figuraverint gratiam Christi, hæc eandem conferant & obsignent?* 572.

31. *An Sacramenta N. T. ita operentur gratiam, ut eam ex opere operato, sive adsit fides & devotio, sive non, efficiant & contineant: an potiùs sint signa & sigilla efficacia gratiæ?*

** 32. An

Digitized by Google

32. *An in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione & Ordine imprimatur character in anima, hoc est, signum spirituale, & indelebile?* 601.

33. *An ad essentiam & efficaciam Sacramenti in Sacerdote sacramentum conficiente requiratur intentio saltem faciendi id, quod facit Ecclesia?* 611.

34. *An recepti & approbati Ecclesiæ Pontificiæ ritus, in solenni administratione sacramentorum adhiberi soliti, sine peccato omitti, aut in alios mutari possint?* 625.

XI.
DE BAPTISMO.

35. *An Baptismus Iohannnis eandem habuerit vim cum Baptismo Christi?* 638.

36. *An in Ecclesia Pontificia obtineat vera de Baptismi sacramento doctrina?* 647.

37. *An Baptismus ita necessarius sit ad salutem, ut quicunque eo nullâ culpâ suâ privantur, æternam damnationem incurrant?* 655.

38. *An baptizati per Baptismum in conscientia liberentur ab Ecclesiasticis mandatis, sive scriptis, sive traditis?* 661.

39. *An Baptismi efficacia se extendat etiam ad remissionem eorum peccatorum, quæ post Baptismum committuntur?* 671.

40. *An vota Pontificia detrahant voto & promissioni in Baptismo factæ?* 683.

XII.
DE EUCHARISTIA.

41. *An in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sub specie rerum sensibilium verè, realiter, & substantialiter præsens sit corpus & sanguis Christi?* 760.

42. *An in Eucharistia consecratio fiat pronunciatione verborum:* Hoc enim est Corpus meum; *an potiùs benedictione symbolorum, & quidem à verbis illis distincta?* 790.

43. *An in Eucharistia post consecrationem maneat substantia panis & vini, an potiùs convertatur tota substantia panis in corpus, & vini in sanguinem, manentibus duntaxat panis & vini speciebus?* 797.

44. *An peracta consecratione ante & post usum Eucharistiæ, in hostiis & particulis consecratis durabili conjunctione permaneat verum Corpus Domini,*

Digitized by Google

mini, ita ut licitè reponi, includi, asservari, & ad alios usus accommodari possit? 830.

45. *An Eucharistiæ sacramentum solenniter circumgestandum sit?* 845.

46. *An singulis annis die solenni & festivo, Sacramentum Eucharistiæ seu corporis Christi, necessitate sub anathemate obligante, sit celebrandum?* 850.

47. *An omnes Christi fideles sacramento Eucharistiæ cultum latriæ, alias soli summo Deo debitum, exibere teneantur?* 858.

48. *An Eucharistiæ effectus, sit remissio peccatorum mortalium, quorum homo communicans conscientiam habet: an verò antidotum tantùm pro peccatis venialibus?* 879.

49. *An omnes & singuli Christi fideles, cùm ad annos discretionis pervenerint, non teneantur singulis annis nisi semel in Paschate communicare?* 885.

50. *An præparatio ad sacramentum Eucharistiæ fiat sola fide, an potiùs perfectione nostræ contritionis, confessionis & satisfactionis?* 891.

XIII.
DE SACRAMENTIS SPURIIS.

51. *An Confirmatio baptizatorum sit verum & propriè dictum Sacramentum?* 689.

52. *An Pœnitentia sit sacramentum verè & propriè dictum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, Deo reconciliandis?* 937.

53. *An Christus instituerit sacram Unctionem infirmorum, tanquam verum & propriè dictum N. T. sacramentum, cujus vi peccatorum, si quæ sint adhuc expianda, reliquiæ abstergantur, morbi leviùs ferantur, tentationibus omnibus Sathanæ faciliùs resistatur, & sanitas interdum etiam corporis recuperetur?* 1046.

XIV.
DE RESIPISCENTIA ET FIDE.

54. *An pœnitentia sit sacramentum verè & propriè dictum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, Deo reconciliandis?* 937.

55. *An ad integram & perfectam remissionem peccatorum requirantur tres actus in pœnitente, quasi materia illius sacramenti, videlicet contritio, confessio & satisfactio?* 953.

Digitized by Google

56. *An terrores conscientiæ à lege incussi, & fides concepta ex Evangelio, qua quis credit, sibi per Christum remissa esse peccata, sint partes pœnitentiæ?* 960.

57. *An Contritio, hoc est, animi dolor & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, accedente charitate illam perficiente, & sacramenti voto, causa sit reconciliationis, & remissionis peccatorum?* 966.

58. *An contritio sit dolor liber, sponte assumptus & voluntarius, an passio coacta?* 973.

59. *An Contritio illa imperfecta, vulgò dicta Attritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccati, cum proposito melioris vitæ, præparet ad Dei gratiam, & accedente virtute absolutionis justificet?* 976.

60. *An Confessio secreta, quâ aperiuntur sacerdoti omnia peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habetur, etiam occulta, & circumstantiæ, quæ speciem mutant, sit jure Divino ad salutem necessaria?* 986.

61. *An dentur satisfactiones humanæ vel sponte susceptæ, vel à Deo aut Sacerdote injunctæ, quibus peccata redimi possint?* 1009.

62. *An absolutio sacerdotis fiat per actum judicialem, quo ab ipso, velut à judice, sententia remissionis peccatorum pronuntietur, an per nudum ministerium pronuntiandi & declarandi, remissa esse pœnitenti peccata?* 1028.

63. *An fides, justificans sit fiducia Divinæ misericordiæ, peccata propter Christum remittentis?* 389.

64. *An fides justificans, apprehendens gratiam remissionis peccatorum, debeat in specie de gratia & justificatione dubitare, an potiùs de ea certò confidere?* 402.

65. *An fides, quæ à charitate separata, adeóque viva & formata non est, sed mortua & informis, vera sit, ita ut per eam verus Christianus aliquis esse possit?* 496.

66. *An fides justificans solà per modum instrumenti satisfactionem Christi apprehendentis justificet?* 373.

XV.
DE JUSTIFICATIONE.

67. *An timor gehennæ in nondum justificatis, sit peccatum; an potiùs via & dispositio ad justificationem?* 328.

68. An

68. An fides justificans sola per modum instrumenti satisfactionem Christi apprehendentis justificet? 373.

69. An vera & propria causa, propter quam peccator in judicio Dei justificatur, & ab omni reatu absolvitur, sit justitia Christi credentibus donata & imputata, an potiùs infusus habitus gratiæ seu charitatis inhærentis? 352.

70. An fides justificans, apprehendens gratiam remissionis peccatorum, debeat in specie de gratia & justificatione dubitare, an potiùs de ea certò confidere? 402.

71. An post acceptam justificationis gratiam cuilibet pœnitenti ita culpa remittatur, & reatus æternæ pœnæ deleatur, ut nullus maneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc seculo, vel in futuro, nempe purgatorio? 504.

72. An augmentum gratiæ justificantis cadat sub meritum? 538.

73. An homo semel justificatus possit gratiam amittere, adeòque in justificatione non perseverare? 463.

XVI.
DE SANCTIFICATIONE ET BONIS OPERIBUS.

74. An opera omnia, quæ ante regenerationem fiunt, sint vera peccata, odii Dei meritoria? 319.

75. An justus in quolibet opere bono peccet, atque sic pœnas æternas mereatur? 484.

76. An homini etiam justificato, & sub gratia constituto, Dei præcepta observatu sint possibilia? 436.

77. An justificatus peccet, cùm intuitu mercedis bene operatur? 512.

78. An justificati hominis bona opera ita sint dona Dei, ut simul etiam sint bona ipsius justificati merita? 516.

79. An augmentum gratiæ justificantis cadat sub meritum? 538.

80. An augmentum gloriæ cadat sub meritum? 543.

XVII.
DE PERSEVERANTIA SANCTORUM.

81. An homo semel justificatus possit gratiam amittere, adeòque in justificatione non perseverare? 463.

Digitized by Google

82. *An juſtificati infallibiliter certi eſſe poſſint, ſe magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum certò habituros?* 481.

XVIII.
DE ULTIMIS.

83. *An augmentum gloriæ cadat ſub meritum?* 543.

84. *An infantes ante Baptiſmum decedentes propter peccati originalis reatum puniantur pœnâ damni in limbo, non pœnâ ſenſus in gehenna?* 222.

BULLA

Digitized by Google

BULLA INDICTIONIS SACRI OECUMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI.

SUB PAULO III. PONT. MAX.

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

INITIO noſtri hujus Pontificatus, quem non ob merita noſtra, ſed propter ſuam magnam bonitatem, Dei omnipotentis providentia nobis cõmiſit, cernentes jam tum, in quas perturbationes temporum, quotque incommoda rerum fere omnium noſtra Paſtoralis ſolicitudo & vigilia eſſet vocata, cupiebamus quidem mederi Chriſtianæ Reipublicæ malis, quibus illa jamdudum vexata, & propemodum oppreſſa eſt. Sed ipſi etiam, ut homines, circumdati infirmitate, ad tantum onus tollendum impares vires noſtras eſſe ſentiebamus. Nam cùm pace opus eſſe intelligeremus, ad liberandam & conſervandam à plurimis impendentibus periculis Rempublicam, omnia invenimus odiis & diſſenſionibus plena, diſſentientibus præſertim Principibus iis inter ſe, quibus ſumma rerum penè omnis à Deo permiſſa eſt. Cùm unum ovile, & unum Paſtorem Dominici eſſe gregis, ad integritatem Chriſtianæ religionis, & ad cœleſtium bonorum ſpem in nobis confirmandam, neceſſarium duceremus, ſchiſmatis diſſidiis, & hæreſibus erat Chriſtiani nominis divulſa jam penè & lacerata unitas. Cùm tutam atque munitam ab infidelium armis atque inſidiis Rempublicam optaremus, noſtris

erratis, nostráque cunctorum culpâ, Dei videlicet ira peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria vexata, conceptum & meditatum contra Italiam, contráque Austriam, & Illyricum terrâ marique bellum: cùm impius & immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret, nostrorúmque inter se odia & dissensiones suam bene gerendæ rei occasionem duceret. Igitur, ut dicebamus, in tanta hæresum, dissensionum, bellorúmque tempestate, tantísque excitatis fluctibus, cùm essemus ad moderandam & gubernandam Petri naviculam vocati, nec viribus ipsi nostris satis fideremus, primùm conjecimus in Domino cogitatus nostros, ut ipse nos nutriret, animúmque nostrum firmitate & robore, mentem consilio sapientiáque instrueret. Deinde animo repetentes majores nostros, sapientiâ admirabili & sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ Reipublicæ periculis remedium optimum atque opportunissimum, œcumenica Concilia, & Episcoporum generales conventus adhibuisse, ipsi quoque animum ad Generale habendum Concilium adjecimus, exquisitísque Principum sententiis, quorum nobis videbatur utilis inprimis & opportuna in hanc rem esse consensio, cùm eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere invenissemus, œcumenicum Concilium, & generalem eorum Episcoporum aliorúmque Patrum, ad quos pertineret, conventum in civitate Mantuæ indiximus, anno Jncarnationis Domini, sicut literis & monumentis nostris testatum est, millesimo quingentesimo trigesimo septimo, Pontificatus nostri tertio, ad X. Kalend. Jun. inchoandum, spem propè certam habentes, fore, ut cùm illic in nomine Domini essemus congregati, ipse, sicut promisit, Dominus in medio nostrûm affuturus & bonitate ac misericordiâ suâ omnes temporum procellas, omniáque pericula spiritu oris sui facilè depulsurus esset. Sed, ut semper insidiatur piis actionibus humani generis hostis, primùm contra omnem spem & expectationem nostram denegata fuit nobis Mantuana civitas, nisi aliquas conditiones subiremus ab institutis majorum nostrorum, & conditione temporum, nostráque, ac huius sacræ Sedis, ac nominis Ecclesiastici dignitate libertatéque prorsus alienas, quas in aliis nostris literis expressimus. Quapropter alium invenire locum, aliámque deligere civitatem necesse habuimus, quæ cùm non statim nobis

nobis occurreret idonea & apta, ad ſequentes Kalend. Novembr. prorogare Concilii celebrationem fuimus coacti. Interim ſævus & perpetuus hoſtis noſter Turca, ingenti claſſe Italiam adortus aliquot oppida in littoribus Apuliæ cepit, vaſtavit, diripuit, prædas hominum abegit. Nos in maximo timore, & periculo omnium, muniendis littoribus noſtris, finitimíſque auxilio juvandis fuimus occupati, nec tamen interea deſtitimus conſulere & hortari Chriſtianos Principes, ut de idoneo ad habendum Concilium loco quid ſentirent, nobis exponerent. Quorum cùm eſſent incertæ variæque ſententiæ, tempúſque diutiùs, quàm erat opus, videretur extrahi, nos optimo animo, atque, ut arbitramur, etiam conſilio, Vincentiam elegimus, urbem copioſam, & Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, auctoritate, potentiâ cùm aditum patentem, tum ſtationem omnibus liberam, atque tutam inprimis in ſe habentem. Sed, cùm jam tempus longiùs progreſſum eſſet, novæque urbis electionem omnibus ſignificari conveniret; jámque Kalendæ Novembr. appetentes facultatem hujus divulgationis excluderent, hyémſque eſſet propinqua, rurſus altera prorogatione tempus Concilii differre in proximum ſequens ver, Majique futuras Kalendas, compulſi fuimus. Quare firmiter conſtituta atque decreta, cùm & nos ipſos, & cætera omnia ad eum bene agendum, Deo juvante, celebrandúmque conventum pararemus, plurimùm reputantes, intereſſe cùm celebrationis Concilii, tum univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ, Chriſtianos Principes pace inter ſe concordia conſentire, cariſſimos in Chriſto filios noſtros, Carolum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, & Chriſtianiſſimum Regem Franciſcum, duo præcipua Chriſtiani nominis firmamenta atque ſubſidia, orare atque obſecrare inſtitimus, ut ad colloquium inter ſe & nobiſcum unà convenirent, quorum quidem apud utrumque literis, Nunciis, & à latere noſtro miſſis, ex venerabilium fratrum noſtrorum numero Legatis, ſæpiſſimè egeramus, ut ex ſimultate & diſſidiis ambo in unum fœdus & piam amicitiam vellent convenire, labentibúſque ſuccurrere Chriſtianis rebus, quarum ſervandarum cùm eſſet illis poteſtas à Deo præcipuè tributa, ſi id non agerent, & ad commune Chriſtianorum bonum ſua conſilia non dirigerent, acris & ſevera ratio eidem Deo ab

A 2 ipſis

Digitized by Google

ipſis reddenda eſſet. Qui aliquando precibus noſtris annuentes, Niceam ſe retulere, quò nos quoque longum iter, & ſenili ætati noſtræ vehementer contrarium, Dei & pacis conciliandæ causâ ſuſcepimus. Neque prætermiſimus interea, cùm tempus Concilii præſtitutum, Kalendæ videlicet Majæ, appropinquarent, tres Legatos ſummæ virtutis ac auctoritatis à latere noſtro, de numero eorundem fratrum noſtrorum S.R. E. Cardinalium, Vincentiam mittere, qui initium Concilii facerent, Prælatóſque undique venientes exciperent, & ea, quæ judicarent eſſe opus, agerent & tractarent, quoad nos, ab itinere & negotio pacis reverſi, omnia accuratiùs dirigere poſſemus. Interim verò in illud ſanctum opus, maximéque neceſſarium, tractationem videlicet pacis inter Principes, incubuimus, & quidem omni animi ſtudio, omni pietate ac diligentia. Teſtis eſt nobis Deus, cujus freti clementiâ, noſmet ipſos itineris & vitæ periculo expoſuimus. Noſtra teſtis conſcientia, quæ nihil habet in hac re quidem, in quo nos arguat aut prætermiſſæ, aut non quæſitæ ad pacificandum occaſionis. Principes ipſi teſtes, quos tam ſæpe, támque vehementer Nunciis, litteris, Legatis, monitis, hortatu, precibúſque omnibus obſecraveramus, ut ſimultates deponerent, ut in ſocietatem coirent, ut Chriſtianæ Reipublicæ in maximum & propinquum jam adductæ diſcrimen, communibus ſtudiis & ſubſidiis opitularentur. Jam verò teſtes illæ vigiliæ atque curæ, illi diurni nocturnique animi noſtri labores, graveſque ſolicitudines, quas ob hanc rem & cauſam plurimas jam ſuſcepimus: nec tamen ad optatum exitum noſtra conſilia, & acta adhuc perducta ſunt. Ita enim viſum Domino Deo eſt: quem tamen non deſperamus aliquando optata noſtra benigniùs reſpecturum. Ipſi quidem, quantum in nobis fuit, nihil quod eſſet noſtro Paſtorali officio debitum, in hac re omiſimus. Quòd ſi qui ſunt, qui actiones pacis noſtras in aliam interpretentur partem: dolemus quidem; ſed tamen in dolore noſtro gratias Omnipotenti agimus, qui ad exemplum & doctrinam patientiæ noſtræ ſuos voluit Apoſtolos haberi dignos, qui pro nomine Jeſu, qui pax noſtra eſt, contumeliam paterentur. Verùm in illo congreſſu colloquióque noſtro, quod Niceæ habitum eſt, etſi, peccatis noſtris impedientibus, inter duos Principes vera & perpetua pax non potuit confici,

fici, induciæ tamen decennales factæ ſunt: quarum opportunitaté nos ſperantes & ſacrum Concilium commodiùs celebratum iri, & deinde ex Concilii auctoritate perfici poſſe pacem, apud Principes inſtitimus, ut & ipſi venirent ad Concilium, & Prælatos ſuos præſentes ducerent, abſentéſque accerſerent. Qui cùm de utroque ſe excuſâſſent, quòd & ipſis redire in regna ſua tum neceſſe eſſet, & Prælatos quos ſecum habuiſſent, itinere atque impendiis feſſos atque exhauſtos, recreari & refici oporteret, nos hortati ſunt, ut aliam quoque prorogationem temporis habendi Concilii decerneremus. Qua in re concedenda cùm eſſemus aliquantum difficiles, literas interim à Legatis noſtris, qui Vincentiæ erant, accepimus, tranſacto jam, & longiùs præterito Concilii ineundi die, unum vix, aut alterum ex externis nationibus Prælatum Vincentiam ſe contuliſſe. Quo nuncio accepto, cùm videremus eo tempore nulla jam ratione haberi Concilium poſſe, ipſis Principibus conceſſimus, ut differretur tempus agendi Concilii uſque ad ſanctum Paſcha, diémque feſtum futuræ Dominicæ reſurrectionis. Cujus noſtri præcepti, expectationíſque decretæ literæ Genuæ An. Incarnationis Dom. M. D. XXXVIII. IV. Kalendas Julii, factæ publicatæque ſunt, atque hanc dilationem eò propenſiùs fecimus, quòd pollicitus eſt nobis uterque Princeps Legatos ſuos Romam ad nos ſe miſſurum, ut ea quæ ad perfectionem pacis reliqua eſſent, neque Niceæ ob brevitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodiùs coram nobis agerentur, & ob hanc rationem etiam à nobis ambo petierunt, ut hæc pacificationis procuratio Concilii celebrationi præponeretur, cùm ipſum Concilium, pace facta, multò deinde utilius & ſalutarius Chriſtianæ Reipublicæ futurum eſſet. Semper enim hæc pacis ſpes nobis injecta Principum nos voluntatibus aſſentiri hortata eſt, quam ſpem vehementer auxit poſt diſceſſum à Nicea noſtrum ipſorum duorum Principum inter ſe benevola amicáque congreſſio, quæ, maxima noſtra cum lætitia à nobis intellecta, confirmavit nos in bona ſpe, ut tandem aliquando noſtras preces apud Deum exauditas, & vota pacis accepta eſſe crederemus. Hanc igitur pacis concluſionem cùm & expeteremus, & urgeremus, nec ſolùm duobus antedictis Principibus, verùm etiam chariſſimo in Chriſto filio noſtro, Ferdinando Regi Romanorum, videretur,

Digitized by Google

deretur, actionem Concilii, niſi pace facta, ſuſcipi non oportere, cunctique à nobis per literas ſuóſque Oratores contenderent, ut alias rurſus temporis prorogationes faceremus, præcipuè autem inſtaret Sereniſſimus Cæſar, promiſiſſe ſe demonſtrans iis, qui à Catholica unitate diſſentiunt, ſe operam ſuam apud nos interpoſiturum, ut aliqua concordiæ ratio iniretur, quod ante ſuam in Germaniam profectionem aptè non poſſet fieri: Nos eadem ſemper ſpe pacis, & tantorum Principum voluntate adducti, cùm præſertim cerneremus, ne ad dictum quidem Reſurrectionis feſtum alios Prælatos Vincentiam conveniſſe, prorogationis nomen jam fugientes, quod tam ſæpe fruſtra fuerat repetitum, celebrationem generalis Concilii ad noſtrum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendere maluimus. Itaque fecimus, & de ſuſpenſione hujuſmodi literas ad ſingulos ſupradictorum Principum decimo die Junii, M.D.XXXIX. dedimus, ſicut ex illis perſpicuè poteſt intelligi. Ea itaque ſuſpenſione neceſſariò per nos facta, dum tempus illud magis idoneum à nobis, pacíſque aliqua concluſio expectatur, quæ & dignitatem poſtea, frequentiámque Concilio, & Chriſtianæ Reipublicæ præſentiorem ſalutem erat allatura, Chriſtianæ interea res in deterius quotidie prolapſæ Rege bellum in eos movente; Belgis ad defectionem à Cæſare ex parte quadam incitatis; cujus defectionis comprimendæ causâ per Galliam amiciſſimè, & cum Rege Chriſtianiſſimo concordiſſimè, magno benevolæ inter eos voluntatis indicio tranſiens in Belgas Sereniſſimus Cæſar, & illinc deinde in Germaniam profectus, conventus Germaniæ Principum & civitatum, tractandæ ejus, quam dixerat, concordiæ causâ habere cœpit. Sed cùm, ſpe pacis jam deficiente, ille quoque modus curandæ in conventibus, tractandæque concordiæ ad majores potiùs diſcordias concitandas aptus eſſe videretur, inducti fuimus ad priſtinum Concilii generalis remedium reverti, idque per Legatos noſtros S.R.E. Cardinales, ipſi Cæſari obtulimus; quod etiam poſtremò, & præcipuè in Ratisbonenſi conventu egimus; cùm illic dilectus filius noſter, Gaſpar tit. S. Praxedis, Cardinalis Contarenus, & ſumma doctrina & integritate, Legatum noſtrum ageret. Nam cùm, id quod ne accideret, antea veriti eramus, ex ejus conventus ſententia peteretur à nobis, ut ab Eccleſia diſſentientium

quoſdam

quoſdam articulos tolerandos declaremus, quoad per œcumenicum Concilium illi excuterentur & deciderentur; ídque nobis ut concederemus, neque Chriſtiana & Catholica veritas, neque noſtra & Sedis Apoſtolicæ dignitas permitteret; palàm potiùs Concilium, ut quàm primùm fieret, proponi mandavimus. Neque verò in alia unquam ſententia & voluntate fuimus, quàm ut primo quoque tempore Concilium œcumenicum & generale congregaretur. Sperabamus enim ex eo & pacem populo Chriſtiano, & Chriſtianæ religionis integritatem poſſe recuperari. Verumtamen id cum bona gratia & voluntate Chriſtianorum Principum habere volebamus. Quam voluntatem dum expectamus; dum obſervamus tempus abſconditum, tempus beneplaciti tui, ô Deus! aliquando tandem decernere compulſi ſumus, omne eſſe tempus beneplacitum Deo, cùm de rebus ſanctis, & ad Chriſtianam pietatem pertinentibus conſilia ineuntur. Quapropter videntes, maximo quidem animi noſtri cum dolore, rem Chriſtianam quotidie in pejus ruere, Hungariâ à Turcis oppreſsâ, Germanis periclitantibus, cæteris omnibus metu mœroréque afflictis, nullius jam Principis conſenſum expectare, ſed tantùm Dei omnipotentis voluntatem, & Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem attendere conſtituimus. Itaque cùm Vincentiam amplius non haberemus; cuperemúſque cùm univerſæ Chriſtianorum ſaluti, tum Germanicæ nationis incommodis in eligendo per nos novo Concilii habendi loco conſulere; aliquótq; locis propoſitis ipſam Tridentinam civitatem ab ipſis deſiderari videremus: nos etſi in citeriore Italia commodiùs omnia tractari poſſe judicabamus, ad eorum tamen poſtulationes noſtram voluntatem paterna charitate deflexìmus. Itaque Tridentum civitatem elegimus, qua in civitate œcumenicum Concilium ad proximè venturas Kalend. Nov. haberetur, idoneum locum illum ſtatuentes, quò ex Germania quidem, aliíſque Germaniæ finitimis nationibus facillimè, ex Gallia, Hiſpania, cæteríſque provinciis remotioribus non difficulter Epiſcopi & publicandi per Chriſtianas nationes noſtri hujus Decreti, & facultatis omnibus Prælatis ad veniendum tribuendæ. Quò minùs autem annuum tempus præfiniremus mutando Concilii loco, ſicut quibuſdam conſtitutionibus aliàs præſcriptum eſt, ea res fuit in cauſa, quòd longiùs extrahi ſpem ſanandæ aliqua

in

in parte Chriſtianæ Reipublicæ, quæ tot detrimentis & calamitatibus affecta eſt, noluimus: & tamen videmus tempora: agnoſcimus difficultates: quid ſperari poſſit ex conſiliis noſtris, incertum eſſe intelligimus. Sed quia ſcriptum eſt, Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo; & ipſe faciet: magis Dei clementiæ & miſericordiæ confidere, quàm noſtræ imbecillitati diffidere, conſtituimus. Sæpe enim fit in bonis operibus incipiendis, ut, quod humana conſilia non valent, divina virtus efficiat. Hujus igitur ipſius Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac beatorum ejus Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque ſubnixi, de venerabilium item fratrum noſtrûm S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu, ſublata, amotáque ſuſpenſione, de qua ſupra commemoratum eſt, quam per præſentes tollimus & amovemus, ſacrum œcumenicum & generale Concilium in civitate Tridentina, loco commodo & libero, omnibúſque nationibus opportuno, ad Kalend. proximas Novembr. anni præſentis ab incarnatione Dom. M. D. XLII. incipiendum, proſequendum, & eodem Domino adjuvante, ad ipſius gloriam atque laudem, & Chriſtiani totius populi ſalutem abſolvendum perficiendúmque indicimus, annunciamus, convocamus, ſtatuimus, atque decernimus, omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, quàm alios quoſcunque, quibus jure aut privilegio in Conciliis generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis vi jurisjurandi, quod nobis & huic ſanctæ Sedi præſtiterunt, ac ſanctæ virtute obedientiæ, aliiſque ſub pœnis jure aut conſuetudine in celebrationibus Conciliorum adverſus non accedentes ferri & proponi ſolitis, mandantes, arctéque præcipientes, & ipſimet, niſi fortè juſto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certè per ſuos legitimos procuratores & nuncios, ſacro huic Concilio omnino adeſſe & intereſſe debeant. Supra autem dictos, Imperatorem, Regémque Chriſtianiſſimum, nec non cæteros Reges, Duces, Principes, quorum præſentia, ſi aliâs unquam, hoc quidem tempore maximè ſanctiſſimæ Chriſti fidei, & Chriſtianorum omnium futura eſt ſalutaris, rogantes atque obſecrantes

obsecrantes per viscera misericordiæ Dei & Domini nostri Jesu Christi, cujus fidei veritas & religio, & intus & extra graviter jam oppugnatur, ut, si salvam volunt Christianam esse Rempublicam, si se Domino obstrictos & obligatos pro maximis illius erga se beneficiis intelligunt, ne deserant ipsius Dei causam & negotium, ipsimet ad sacri Concilii celebrationem veniant, in quo ipsorum pietas atque virtus communi utilitati salutique suæ ac cæterorum & temporali & æternæ plurimùm est profutura. Sin autem, id quod nollemus, accedere ipsi non poterunt, at graves saltem viros Legatos cum auctoritate mittant, qui personam Principis sui quisque & cum prudentia, & cum dignitate possint in Concilio referre. Inprimis verò ut id curent, quod ipsis facillimum est, ut ex suis cujusque regnis ac provinciis Episcopi & Prælati sine tergiversatione & mora ad Concilium proficiscantur, quod maximè quidem à Prælatis Principibúsque Germaniæ Deum ipsum, atque nos impetrare æquum est, ut cùm eorum præcipuè causa, ipsisque cupientibus Concilium indictum sit, & in ea civitate indictum, quæ ab eis est desiderata, non graventur ipsi sua cunctorum præsentia id celebrare & ornare; quò meliùs atque commodiùs, quæ ad integritatem & veritatem Christianæ religionis, quæ ad bonorum reductionem, emendationémque malorum, quæ ad Christianorum inter se tam Principum, quàm populorum pacem, unitatem, concordiámque pertineant, & quæ ad repellendos impetus Barbarorum & infidelium, quibus illi universam Christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria, Deo nostris consultationibus præeunte, lumen sapientiæ suæ ac veritatis mentibus nostris præferente, agi in dicto sacro œcumenico Concilio, & conspirante omnium charitate consuli, tractari, confici, ad optatósq; exitus deduci quamprimùm & quàm optimè possint. Atque ut nostræ hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perveniant, néve quis illarum ignorantiæ excusationem prætendat, cùm præsertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illæ essent intimandæ, tutus forsitan patet accessus, volumus & mandamus, ut in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi, cùm ibi multitudo populi ad audiendam rem divinam congregari solita est, palam clara voce per

B Curæ

Curiæ nostræ cursores, aut Notarios aliquos publicos legantur, lectæque in valuis dictarum Ecclesiarum, itémque Cancellariæ Apostolicæ portis, & Campi Floræ solito loco affigantur, ubi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquandiu expositæ pendeant: cúmque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publicationem, affixionémque hujusmodi, omnes & quoscumque, quos antedictæ nostræ literæ comprehendunt, post spatium duorum mensium à die literarum publicationis, & affixionis, ita volumus obligatos esse atque adstrictos, ac si ipsismet illæ coram lectæ & intimatæ essent, transsumptis quidem earum, quæ manu publici Notarii scripta aut subscripta, & sigillo personæ alicujus Ecclesiasticæ, in dignitate constitutæ, munita fuerint, ut fides certa & indubitata habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, annunciationis, convocationis, statuti, decreti, mandati, præcepti, & obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ M. D. XLII. XI. Kalend. Jun. Anno VIII.

Blosius.

Hier. Dand.

NOTÆ

Digitized by Google

NOTÆ HISTORICÆ
AD BULLAM INDICTIONIS CONCILII.

BUlla Indictionis Pauli III. è Farnesiorum prosapia oriundi, præ se fert vehemens studium celebrandi Concilii Generalis. In quo, siquidem sincerum, non simulatum ejus studium fuit, multum à Prædecessorum suorum moribus ac ingenio discesserit oportet. Eos enim à pii, Christiani ac liberi Concilii mentione abhorruisse toto pectore, multa nobis fidem facere possunt. Etenim Leonem X. quod attinet, præcipuum schismatis authorem, is jam Anno 1520. die 15. Junii emisso diplomate Lutherum, ejúsque dogmata quadraginta & unum obelo confixit, non aliis quam Cardinalibus suis & aulicis suffragatoribus. Quòd si in Christianum Concilium favor ejus inclinavit, cur jam tum decretariam sententiam tulit, & non potiùs totam causam ad Christianum Concilium retulit? Idem Leo postea, cùm & Lutherus, & Principes ac Optimates, & populus, & aula Romana Concilium omnes, non eodem licet animo, expeterent, universale quidem & liberum Concilium, utpote periculosæ plenum aleæ, rerúmque à se secius gestarum reformationem post se tracturum, planè aversatus est, & Concilium aliquod vel Romæ, vel alio aliquo ditionis Ecclesiasticæ oppido, tale nimirum, quale erat Lateranense, à se & antecessore Julio, magno suo bono celebratum, convocare instituit. Sed in hoc rerum statu sub finem Anni 1521. vitam cum morte commutavit. Ei succesit Adrianus VI. Ejus in Instructione, quam, Francisco Cheregato Nuntio Noribergam amandato impertiverat, hæc confessio fuit: *Ex peccatis hominum maximè sacerdotum & Præsulum natam hanc rerum perturbationem; etiam in ipsa sancta sede ab aliquot annis abominanda pleraque perpetrata; multos fuisse abusus in spiritualibus, multos excessus in præceptis; denique omnia sic in deterius mutata, ut lues à capite ad membra, à summis Pontificibus ad minores Præsules devergens, latè se diffuderit, ac vix unus aliquis reperiatur rectè faciens, atque ab ea labe immunis.* Itaque curiæ Romanæ emendationem sibi curæ esse testatus equidem est. Sed pium, liberum & Christianum Concilium, in quo non abusus duntaxat curiæ emendarentur, sed religio etiam collapsa restaura-

retur, æquè averſatus videtur. Cæterùm mors præpropera impedivit, quicquid tandem tentare in animo habuit. Ei datus ſucceſſor Clemens VII. Mediceâ familiâ, quamvis non legitimo thoro, oriundus, adeóque uti omnibus exploratum erat, ſpurius, à mentione Concilii majorem in modum ſemper abhorruit, ſive quòd timeret, ne & illegitimus, & Simoniacarum artium ſibi probè conſcius, idem adiret, quod olim Balthaſſar Coſſa, dictus Joh. XXIII. dignitatis & vitæ periculum; ſive quòd controverſiæ de Apoſtolicæ ſedis authoritate, quam ab adverſariis præcipuè moveri intellexerat, Concilium idoneum judicem eſſe poſſe negaret. Dicere ſolitus eſt, *Concilium eousque eſſe utile, quoad de authoritate Pontificis non agatur: ea verò in quaſtionem vocata nihil eſſe periculoſius. Unicum rerum ſuarum præſidium ac firmamentum eſſe, Concilia vitare & declinare: præſertim Lutheri doctrina jam ante Leonis decreto prædamnata.* Quæ cauſa eſt, quòd Carolus V. Imperator ad Collegium Cardinalium datis literis, eos, ut Pontificem hactenus reluctantem, ad Concilium convocandum impellant, hortatus eſt. Sed ſurdis fabulam cantavit. Etiam Bononiæ, ubi inaugurabatur Cæſarem, omnes ingenii vires intendit, Cæſari ut perſuaderet, *Concilium non modò ad compeſcendos Germaniæ motus eſſe inutile, ſed etiam tum rebus ſuis, tum authoritati Imperatoriæ noxium.* Eius argumenta recitat Hiſtoricus P. Suave lib. 1. p. 44. Cùmque Anno 1532. Cæſar apud Pontificem Concilii convocationem urgeret, is equidem videri voluit non recuſare Concilium, ſed leges has præſcripſit, *ne in alio quàm Italia, vel alio ditionis ſuæ oppido, celebretur, & in modo definiendi novi aliquid ne admittatur.* Clementi huic non obſcurè favet Scipio Henricus Cenſuræ ſuæ pag. 126. ubi ejus vocem, *quòd Concilium hæreticorum obſtinationi inutile futurum ſit*, tanquam *Propheticam* laudat. Fateatur igitur oportet, Clementem pium & liberum Concilium nunquam deſideràſſe. Ei ſucceſſit Anno 1534. Paulus III. author hujus Bullæ. Is homo ſupra modum verſutus, videri omnino voluit Concilium non reformidare. Sed fraus ejus pellucebit, ubi ſequetia expenderimus. Etenim *primò* hoc prætextu, quòd ad Concilium paratus eſſet, uſus eſt non alium in finem, quàm ut velaret ea, quæ animo conceperat, & declinaret multa, à quibus alieniſſimus fuit. uti mox dicemus. *Secundò* modum habendi Concilii, & locum rebus ſuis commodum ipſe deligere voluit, ne vel in loco, quo potentior alius eſſet, periculum timendum haberet, vel modus habendi Concilii talis præſcriberetur, qui cauſæ Pontificiæ non parùm inconciliaret. *Tertiò* idem d. 27. Maij. A. 1537. diploma publicaverat, quo locum habendi Concilii Mantuam deſignavit. Atqui probè cognoverat, neque Proteſtantes, quorum de cauſa agebatur, compariturós Mantuæ, plurimas ob rationes, quas ediſſeruit P. Suave Polanus in hiſtoria: neque ipſum

Frideri-

Fridericum Mantuæ Principem paſſurum, ut eo loco Concilium haberetur niſi propoſitis certis legibus, quas nunquam Papa ratas habiturus eſſet. Rectè Henricus VIII. Angliæ Rex in Scripto contra Indictionem Vicentinam emiſſo, meram eſſe hanc illuſionem dixit. *Cur, inquiebat, ad locum incertum, & quem in ſua poteſtate non habuit, homines venire juſſit?* Nempe quia omne hoc ſtudium ſimulatum, non ſerium fuit. *Quartò* ipſe Cæſar Carolus V. obſervans ambiguum illud procedendi genus, quo Papa ſub ſpecie petentis Concilium illud unicè renuit, conventum Noribergenſem indixit, in quo doctores & Theologi, aliíque Viri prudentes inter partes agerent, & earum conciliationi ſtuderent: minimè id facturus, ſi Papam ſeriò agere putâſſet. Unde Papa Epiſcopum Montepulcianum miſit in Hiſpaniam ad Cæſarem, qui cum eo de non comprobandis, aut certè circumducendis conventûs illius decretis ageret. *Quintò* Papa ſentiens artes ſuas jam omnibus innotuiſſe, demum aperto pectoris velo mentem ſuam aperuit. Miſſis enim in vota Cardinalibus, eorum probavit ſententiam, quibus conſultius viſum, nullum amplius præfigere diem, ſed, ut loquitur Bulla, *Generalis Concilii celebrationem ad ſuum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendere.* Ita enim inſigni fraude rationes ſubducebant, poſſe quolibet prætextu continuari *ſuſpenſionem*, ubi utilitas ſuadebit: indici verò poſſe, ubi periculum impendebit à Concilio Provinciali, aut Colloquio Religioſo. Hic Bulla Papalis ſuſpenſionis hujus alias allegat rationes; videlicet, *Cæſari Ferdinando & Regi Galliæ viſum eſſe, actionem Concilii, niſi pace facta, ſuſcipi non oportere: contendiſſe eos per literas, ſuóſque Oratores, ut alias rurſus temporis prorogationes Papa faceret. Inſtitiſſe Sereniſſimum Cæſarem, promiſiſſe ſe demonſtrantem iis, qui à Catholica unitate diſſentiunt, ſe operam ſuam apud Pontificem interpoſiturum, ut aliqua concordiæ ratio iniretur, quod ante ſuam in Germaniam profectionem aptè fieri non poſſit. Proinde Papam eadem ſemper ſpe pacis & voluntate tantorum Principum adductum, cùm præſertim cerneret, ne ad dictum quidem reſurrectionis feſtum alios Prælatos Vicentiam convenisse, Prorogationis nomen jam fugientem, quod tam ſæpe fruſtra fuerat repetitum, celebrationem Generalis Concilii, ad ſuum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendere voluiſſe.* Sed nimirum facillimum erat callido conſilio, à bona parte Cardinalium ſuppeditato, ſpecioſum prætextum obducere. Si induciæ jam erant decennales inter Cæſarem & Regem Galliæ factæ, ſicut paulò ſuperiùs Bulla memoravit, illud ſpatium & opportunum, & amplum erat ad celebrationem Concilii. Fidæ & ſolidæ ac duraturæ pacis inter utrumque hunc Principem ſpes non magna affulgebat. Imò, ſi hæc prægnans fuit ſuſpenſionis cauſa, cur Tridenti Concilium indixit eo tempore, quo Galliæ Rex atrociſsimis verbis Cæſari bellum denuntiavit? Quòd ſperaret Cæſar, poſſe apud Pontificem concordiæ inter Papiſtas & Proteſtantes vias reperiri, noverat

 Papa,

Digitized by Google

Papa, ipso suæ sibi mentis optimè conscius, vanum esse. Farnesius Pontificius Legatus cum Cæsare in Belgium profectus, suadentibus aliis concordiam cum Protestantibus in Colloquio ineundam, quo expeditiores sint contra Turcam, deliberationi illi nomine Pontificis opposuit: *E duobus malis eligendum esse minus, cùm majus malum sit religionis causa prodita offendere Deum, quàm parte aliqua auxiliorum unius provinciæ carere. Maximè cùm non facile sit discernere, qui Christo magis adversentur, Protestantes an Turcæ. Hos enim corpora servitute premere, illos corpora & animas exitio devovere.* Quam igitur spem de tam difficili & iniquo Pontifice conciperet Cæsar? Præterea nec illud percipi potest, quid sit discriminis inter *prorogationem* & *suspensionem* Concilii ad beneplacitum Papæ. Nisi forte in prorogatione terminus temporis definitur, non item in suspensione. At satis constat ex iis, quæ diximus, etsi terminus temporis in diplomatibus definitus fuisset, tamen in consilio Papæ nunquam definitum fuisse. Sed nimirum rebus ipsis & eventu cognitum est, non alias esse *suspensionis ad beneplacitum Papæ* causas, quàm quas nos subindigitavimus. In proximo enim conventu, ad discordias terminandas Ratisbonæ, præsente ipso Imperatore, habito, nomine Pontificis solicitati à Cæsare, *ut mitteret virum doctum & prudentem, amplissima authoritate munitum, quò necesse non sit Romam mittere, sed penes eum sit immediatè definire, quæ ordines cum Legato Ecclesiæ bono conducere judicabunt*; comparuit Caspar Contarenus Cardinalis, cum mandato Papæ: *Ut si quid, quod ad authoritatem Pontificiam imminuendam faceret, geri persentisceret, actionem eam interpellaret, proposito unico Concilii generalis remedio.* Cùm igitur Collocutores in eo Conventu delecti, à parte Protestantium Philippus Melanchthon, Bucerus & Pistorius, à parte Papistarum Eccius, Pflugius & Gropperus, præsidentibus Palatino & Granvellano, in nonnullis fidei articulis convenirent, dissentirent autem potissimùm in articulis de *ecclesiæ potestate, pœnitentiæ sacramento, hierarchia, articulis ab ecclesia determinatis, de cœlibatu*; cúmque consensum illum & dissensum cum Contareno communicaret Cæsar, ut articulis conciliatis authoritatem præstaret, respondit: *Existimare se, ad Pontificem & Sedem Apostolicam actionem omnem esse referendam. Illum per Concilium publicum brevi convocandum, aut aliam rationem tempori accommodatam, juxta veritatem catholicam omnia esse definiturum.* Hinc genuinus usus illius suspensionis ad beneplacitum Papæ agnosci potest, ut nimirum tantisper non indicatur, quoad à Concilio Nationali vel Provinciali metus non imminebit: ubi verò imminebit, hoc veluti φοβήτρῳ quodam adversarii Papæ absterreantur. Plura sunt in Bulla hac animadversione digna, inprimis illud de scopo Papæ Concilium indicentis. Cæterùm de eo in Notis ad historiam Sessionis 1. uberiùs ξὺν Θεῷ dicturi sumus. Etiam illud censurâ dignissimum est, quòd Paulus se Ni-

ceam,

ceam, ubi Carolus V. & Franciſcus Galliarum Rex convenerant, *longum inter & ſenili ætati ſuæ vehementer contrarium, Dei & conciliandæ pacis cauſa ſuſcepiſſe*, gloriatur. Sed gnari rerum & emunctiorum narium noverant, præcipuè eum in finem iter illud à Pontifice ſuſceptum eſſe, ut Ducatum Mediolanenſem familiæ ſuæ compararet. Et mirum eſt, Paulum in Bulla hac pacis conciliandæ curam & ſtudium ſibi arrogare auſum. Conſtat enim, fuiſſe ipſum ſanguinis Evangelicorum ſitientiſſimum. Nam indicto etiam Concilio, & Legatis Tridentum miſſis, adeò tamen belli cupidus fuit, ut auxilia Cæſari, ſiquidem Proteſtantibus bellum indiceret, promitteret, peditum millia duodecim, equites quingentos. Clam etiam conduxit centuriones atque duces. Cúmque ei renuntiatum eſſet, non adeò multum temporis ſupereſſe ad rem gerendam; aliámque occaſionem expectandam eſſe, continuò ducibus illud communicavit, & futuri anni ſpem fecit. Sed quarto demum poſt anno fœdus illud cum Cæſare in nervum erupit. Conſule ſis Sleidanum lib. XVI. ad An. 1542. & XVII. ad An. 1546. Denique cùm Bulla hæc neſcio quam ſanctitatem ſpiret, conſtat tamen penitus, Paulum ejus authorem fuiſſe hominem non una labe contaminatum & deformem. Ut Cardinalis fieret, Alexandro VI. ſororem Juliam ſtuprandam dedit. Anconæ legatus & induens unius è nobilibus legati ſchema, puellam nobilem pacti matrimonii colore vitiavit, quæ agnito errore in inſaniam ferè incidit. Ex eo contubernio Petrum Aloyſium genuit, monſtrum hominis potiùs, quàm verum hominem, qui ob intolerabilem tyrannidem à nobilibus ſuis Placentiæ trucidatus, de muro ſuſpenſus, pugionibus confoſſus, pedibus impetitus, & in foſſam præcipitatus eſt. Filiam ſuam Conſtantiam jam Pontifex in deliciis habuit, qua ut potiretur liberiùs, maritum ejus Boſium Sfortiam veneno ſuſtulit. Sororem ſuam contaminatam priùs, toxico interemit. Adjecit his matrem & nepotem, ut omnis ad ſe conflueret Farneſiorum hæreditas. In tabulis numerata habebat 45000. meretricum, ex quarum quæſtu ſingulis menſibus cenſum exigebat. Cùm Nic. Quercæus congredientem eum cum Laura Farneſia uxore, ſed ejus nepte, deprehendiſſet, tale ei vulnus pugione incuſſit, ut ejus cicatrix ad mortem uſque permaneret. Magicæ aſtrologiæ addictus, Dionyſium Servitam, ejus artis nomine celebrem Cardinalem fecit, & Gauricum Luſitanum ac Cæcium Marcellum in ea ſuperſtitione peritos, ſocios ac familiares ſemper habuit, ut ſua ac nothorum ſuorum fata in horoſcopis & ſiderum domiciliis inquireret. Hæc aliáque non minùs horrenda de eo narrat Libellus Italicus, titulo quidem Bernhardini Ochini, ſed ab aliis, uti creditur, compoſitus, cum præfatione ad Aſcanium Columnam, ex quo pluſcula exerpſit Sleidanus ad An. 1549. Conſcientiæ ſtimulis adactus

Digitized by Google

ctus in Bulla profitetur, verbis tamen nimium figuratis, *se ut hominem circumdatum infirmitate, ad tantum onus tollendum imparem esse.* Tam egregio scilicet authore Tridentinum Concilium concitum erat! Hæc de Historia Indictionis Concilii præfati, ex eadem Indictionis Bulla quæstiones Theologicas excerpemus.

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ

Ad Bullam Indictionis;

DE CONCILIIS ET POTESTATE PAPÆ.

QUÆSTIO I.

An ordinaria & perpetua potestas convocandi Concilium Generale & Oecumenicum sit penes Romanum Pontificem?

ITa sentit Bulla Indictionis. Nec aliam ob rationem Paulus III. Concilii convocandi potestatem sibi arrogavit. Cardilli Villalpandei Hispani, qui ipse ab Episcopo Abulensi missus Concilio interfuit, & librum de Conciliis scripsit, in defensione Concilii Tridentini Disp. 1. hæc sunt verba: *Vis & facultas indicendi, cogendi & celebrandi Oecumenicam Synodum, non ad Imperatorem, sed ad Pontificem maximum pertinet.* Etiam ante Paulum Leo X. in Concilio Lateranensi edixit, solum Pontificem Romanum, tanquam authoritatem super omnia habentem Concilia, plenum eorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum jus ac potestatem obtinere. Nos tale jus Pontifici competere negamus, & asserimus, penes summum Magistratum illud esse, si consentiens & conjunctus est; & eo vel non consentiente, indulgente tamen, vel non conjuncto, penes eos, quibus Ecclesiæ regendæ potestas competit.

ARG. I. Pontifex jus hoc convocandi nec ex verbo Dei, nec ex delegatione Ecclesiæ seu universitatis fidelium habet. Nullo igitur modo ei competit.

RESPONDET AUG. REDING: *Ex verbo Dei Papa potestatem eam habet, quia ceu Petri successor (Matth. XVI. 18. 19.) fundamentum est ecclesiæ, habens potestatem clavium, adeoque judiciariam & legislativam summam, ad quam jus convocandi Concilia pertinet.* Tract. Procemial.

Digitized by Google

mial. p.68.69 Reſp.1.Eccleſiæ fundamentum, ſeu Petra, Chriſtus eſt : claves verò Petro datæ.ut œconomo, non hero, jus ei & Eccleſiæ Paſtoribus univerſis ex æquo tribuunt in Conciliis verbum Dei docendi, & adverſus errantes aſſerendi, non actus externos, civiles, coactivos, quales ad generalis Concilii convocationem requiruntur, exercendi, utpote qui ad poteſtatem civilem dominantem, non eccleſiaſticam ſervientem pertinent. 2. Neque S. Petrus Hieroſolymitanum Concilium convocaſſe legitur. convocaturus haud dubiè, ſi poteſtas hæc ei eximia fuiſſet. 3. Neque Papa S.Petri ſive in eminentia Apoſtolica, ſive in communi munere Paſtorali ſucceſſor eſt. Sunt igitur meræ λήψεις ἐν ἀρχῇ.

ARG. II. In Vet.Teſt. non Pontifex, ſed pii Reges ac Principes hoc jure uſi ſunt. Non Aharon, ſed Moſes ſolennes conventus populi ex Dei mandato indixit, confectis duabus argenteis tubis, quibus uteretur למקרא העדה *ad convocationem cœtus*, Num.X.1. Idem feciſſe Joſuam, Davidem, Salomonem, Ezechiam, Joſiam, ex eorum hiſtoria conſtat.

Resp. Reding : 1. *In V. T. in dubiis juris etiam judices politici ad Sacerdotes recurrere debuerunt, Deut. XVII.8. Mal.II.7. 2.Paralip.XIX.10. Stante verò liquido juris Divini ſenſu in dubiis facti Reges potuerunt ferre ſententiam, & exequi decreta Sacerdotum.* 2. *Moſes inſuper etiam Sacerdotis munus obivit, Pſalm.XCIX.6. Joſua, David, Solomon etiam Prophetæ fuerunt, 1.Reg.II.27.* Ib. p.69.70. Reſp. De locorum Deut.XVII.8. Mal.II.7. ſenſu infra viderimus. 2. Concilii convocatio non eſt inter dubia juris Divini, ſed actus jurisdictionis externæ, quæ non Eccleſiæ, ſed Magiſtratui, ceu executori non decretorum eccleſiæ, ſed tabularum Divinæ legis, competit. 3. Moſes fuit כהן non *Sacerdos*, ſicut Aharon, poſt Aharonem ſcilicet, (nam ante Sacerdotium Aharoni commiſſum, Sacerdos eſſe potuit æquè ac alii Patresfamilias, & primogeniti) ſed *Miniſter* Dei in civilibus, uti Aharon in eccleſiaſticis. Eſt enim vox כהן generalis, quemlibet *miniſtrum, officialem* denotans. uti etiam Apud Arabes כהן *miniſtrandi* notionem habet. 3. Joſua, David, Solomon, ceu Divinitus extra ordinem inſpirati, Prophetæ etiam fuerunt, & ceu tales Divina prolocuti ſunt; at ut Reges, eminente poteſtate præditi, ſacros etiam conventus indixerunt, gubernarúntque. quod vel inde manifeſtè liquet, quia nullus unquam Sacerdos conventus indixiſſe legitur, Reges verò perpetim; ut manifeſtum ſit, ab iis, ceu civilibus, non eccleſiaſticis perſonis ita factitatum.

ARG. III. Convocandi poteſtas pendet ab exteriori jurisdictione. Ad eam enim pertinet tractare de loco, tempore, forma publicorum conventuum, de ſumptibus illuc erogandis. Atqui exteriorem jurisdictionem in Eccleſiam non habet Pontifex, quippe quæ à poteſtate architectonica dependens, jure naturali convenit ſummo Magiſtratui, uti ex Rom.XIII.1. 4. liquet.

Resp. Reding : 1. *Pontifici competit illimitata poteſtas ſolvendi & ligandi; ac proin in eodem eſt eminens poteſtas, cui omnes animas ſubeſſe S. Paulus jubet; & cujus materia conveniens in hæreſium diſcrimine eſt indictio Concilii.* 2. *Tum in V. T. etiam Pontifici competiit poteſtas authoritativè exponendi jus Divinum & ceremoniale, & judiciale, ita ut ſententia ejus in foro etiam externo ligaverit, in cauſis civilibus & criminalibus ſumma poteſtate in Regibus reſidente.* 3. *Denique tempus, locus, forma conventuum, &c. ceu accidentia & circumſtantiæ ad Magiſtratum politicum reſpectum habere poſſunt nonnullum, ut*

eorum consilium & auxilium imploretur; non item substantia, quæ limites politicæ potestatis excedit. Ibid. pag.70. Resp. 1. Illimitata ligandi & solvendi potestas soli Christo Domino convenit, & à solo Antichristo illegitimè usurpatur. 2. Potestas supereminens, cui S.Paulus omnem animam subjicit, illa est, quæ gladio temporali munita, & propter terrorem, & propter conscientiam obligat. adeóque architectonica civilis, non ministerialis ecclesiastica. 3. Pontifex Vet. Test. nec Papæ typus fuit, sed solius Christi; nec jus Divinum ita authoritativè exponere potuit, ut ad os legis Divinæ alligatus non fuerit; nec ad authoritatem suam pertinere putavit, ut conventus indiceret, cùm id Regibus solis incubuerit; nec suam, sed solius legis Divinæ sententiam à se, præconis more, indicatam in quolibet foro ligare, putavit. Nihil igitur Papæ externam jurisdictionem involanti inde seritur metitúrve. 4. Cùm indictio Concilii, non ipsa Concilii substantia, sed ejus accidens necessarium sit, illud politicæ potestati competere tantò magis potest, quantò magis eadem pars substantiæ Concilii meritò habetur.

ARG. IV. Convocatio & indictio Concilii est opus humani ordinis. Atqui ordinis humani vindex & curator non est Papa, vel quilibet alius ecclesiasticus servus, sed summa potestas civilis. Unde Principes Ecclesiæ futuros esse nutritios, Esaj. XLIX.23. prædicitur. Et pertinet ea ordinis externi sanciendi potestas ad eos, qui sunt κατακυριεύοντες τῶν ἐθνῶν, καὶ κατεξουσιάζοντες, de quibus Christus Matth. XX.25. loquitur.

RESP. REDINO: 1. *Ordo humanus in lumine fidei fundatus ad exteriora se quoque extendit, veluti Sacramenta, &c. Et requiris id Hierarchica regiminis subordinatio, inprimis Hierarchia Ecclesiastica in supernaturali fidei lumine radicata.* 2. *Nec Matth. XX.25. negatur jurisdictio externa Ecclesiæ, sed humilitate & modestia exercenda asseritur,* 3. *Esaj. XLIX.23. etiam Reginæ inter Ecclesiæ nutritias reponuntur. An ergo penes easdem est Ecclesiæ regimen?* Ib. p.70.71. Resp.1. Ecclesiæ potestas ad exteriora nonnulla se extendit, sed ministrando, prædicando, œconomicè dispensando, non heriliter imperanda. 2. Hierarchiam & jurisdictionem propriè dictam non Ecclesia Christi, sed Babylon Magna, quæ Mysterii & sacrorum prætextu Regnum in Reges & populos terræ gerit, Apoc. XVII.5.18. sibi arrogat. 3. Apostolis Matth. XX.25. quodvis dominium interdicitur. neque humilitas & modestia, maximos etiam Reges decens, dominium distinguere potest. 4. Quidni Reginæ, summa potestate præditæ, cujusmodi nonnullæ in Hispania, Anglia, alibi fuerunt, æquè ac Reges, externo Ecclesiæ regimine defungi possint debeantque?

ARG. V. Sive convocandum est Concilium, sive in eo consultandum & definiendum, sive definitiones exequendæ, requiritur auctoritas coactiva vel coercitiva. quæ ad Papam nullo jure pertinet, cùm Ministrorum Ecclesiæ non sit imperium, sed *διακονία, ministerium.*

RESP. REDINO: *Potestas coercitiva sub clavium potestate Petro & Papæ tradita est; & contra refractarios à brachio Seculari adjuvatur.* Ib. p.71. Resp.1. Clavium potestas in earum Ministris non coercitionem & dominium, sed officium merè ὑπηρετικὸν ponit: in earundem Domino, Christo, qui aperit, nemine claudente, & claudit, nemine aperiente, Apoc. III.7. utrumque supponit. 2. In iis, quæ exteriorem ordinem, sive in politia, sive in

Ecclesia

Eccleſia concernunt, Politicus Magiſtratus principale, non adjuvans; imperans, non exequens officium exercet: & imperata Eccleſiæ Miniſtri exequuntur.

ARG. VI. Concilia plerunque indicuntur, cùm veritas fidei & pax Eccleſiæ turbatur. Atqui turbatur ea quandoque ab ipſis eccleſiaſticis. Si igitur ſummi Magiſtratus auctoritas coactiva non præeſſet ordini, confuſio major ex ſchiſmate eccleſiaſticorum oriretur, dum alii agerent in alios, & velut retiarii cum ſequutoribus committerentur.

RESP. REDING: 1. *Pax Eccleſiaſtica ab Imperatoribus etiam apoſtatis, hæreticis, turbari poteſt; & Eccleſiaſtici in hæreſin prolapſi eosdem in partes ſuas trahere poſſunt. Quid tum facto opus?* 2. *Fidei dogmatum in Eccleſia tuendorum infallibile remedium non aliud eſt, quàm Papæ & Concilii in ſanciendis fidei dogmatis authoritas.* Ib. pag. 71, 72. Reſp. 1. Si Princeps non fuerit conſentiens Eccleſiæ, indulgens tamen, Eccleſia, quod è re fuerit, decernet. Sin indulgere nolit, carebit Concilio, & interiore communione cum Chriſto capite, & fidelibus contenta, iniquitatem temporis, donec lœtiora Deus, tolerabit. 2. Non Papæ, non Concilii, cùm ſine utroque Eccleſia conſiſtere poſſit, ſed verbi Divini authoritas, & Spiritus S. operatio tuendæ puritatis fidei remedium certiſſimum ſunt.

ARG. VII. Papa ipſe fieri poteſt reus, ac proinde in Concilio judicandus. Non igitur ipſi competit jus ordinarium & perpetuum indicendi Concilia. Ita in eo ipſo, quod Proteſtantes ſuperiori ſeculo expetebant, Concilio de Papæ authoritate & doctrina controverſia diſceptanda fuit.

RESP. REDING: *Suprema Majeſtas Pontificis, æquè ac jura ſupremæ poteſtatis in Politico Magiſtratu, à ſubditis, citra perduellionis crimen, in controverſiam vocari nequit.* Ibid. p. 72. Reſp. Quicquid de Majeſtate civili fiat, (conſtat tamen, Principes imperii limites transgreſſos quandoque in jus legitimè vocari) at Papæ Majeſtas non aliud eſt quàm *ſuperbiæ elatio* hominis peccati ſupra omne Numen, ob quam & à Sanctis omnibus judicari poteſt, & ſeverum Dei judicium quandoque ſubiturus eſt.

ARG. VIII. Etiam antiquitus jus convocandi Concilia non Pontifices, ſed Cæſares tenuerunt. Nicænum indixit Conſtantinus M. Conſtantinopolitanum I. Theodoſius Senior, Epheſinum Junior, Chalcedonenſe Martianus. Imò omnia antiquitus Concilia ab Imperatore coacta fuiſſe, probatum dedit Nilus Theſſalonicenſis, libro contra primatum & tyrannidem Papæ ſcripto. Quin ipſe Carolus V. vetus illud jus Cæſarum ſibi vindicare in animo habuit. Nam in receſſu Comitiorum Ratisbonæ An. 1532. habitorum promittit, ſi indictionem Concilii Generalis impetrare nequeat, ſe convocaturum ejuſmodi Concilium, in quo controverſiæ de religione ortæ componantur, atque ut hoc faciat, ait *ſibi incumbere ex officio, ex poteſtate Cæſarea, ex debito*, & quæ ſequuntur. Atque id ipſum etiam aſſerebant Archiepiſcopi, Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Magdeburgenſis, Bremenſis, Salisburgenſis, alii. Quæ cauſa eſt, quòd Paulus III. literis ad ipſum datis octavo Cal. ſept. An. 1544. Carolo V. id verbis acerrimis exprobravit.

Digitized by Google

RESP. REDING: 1. *Nicænum Concilium ex Sylveſtri ſententia à Conſtantino: Conſtantinopolitanum I. à Damaſo: Epheſinum I. Cœleſtini, Chalcedonenſe Leonis authoritate indicta eſſe, idonei authores teſtantur. 2. Acceſſit iiſdem authoritas Imperatorum, non quòd ſine ea rata apud Chriſtianos futura non eſſent, ſed quia Concilia in eorum ditione celebranda fuerunt, & lege cautum fuit, ne eorum injuſſu Collegia vel cœtus haberentur. 3. Carolus V. non Concilium ſe indicturum, ſed Comitia Imperialia convocaturum minatus eſt. Neque exprobrationem Pauli III. eam ob rem refutavit, ſed in Romanæ Sedis reverentia perſtitit.* Ib. pag. 72. 73. Reſp. 1. Authores poſteriores, qui contra antiquiores, & actuum ipſorum fidem teſtes inducuntur, idonei non ſunt. Aliqui etiam de Pontificum conſenſu, non authoritate intelligendi ſunt. Ita Synodus VI. quæ *Act.* 18. Conſtantinum & Silveſtrum Nicænum congregaſſe dicit, accipi debet, cùm & ipſa fateatur, ſe *per Imperialem ſanctionem* congregatam eſſe. Ruffinus *lib.* X. 1. Conſtantinum Nicænum Concilium indixiſſe ſcribit *ex ſententia*, id eſt, conſilio, conſenſu, non authoritate, *Sacerdotum*, qui circa Conſtantinum degebant, non vel Papæ, vel Papæ ſolius. Sin aliter, cum Euſebio, Athanaſio, actis ipſius Concilii pugnat. *Ex mandato* Damaſi Theodoſium I. indixiſſe Concilium Conſtantinopolitanum I. non dixit Theodoretus *Hiſtor. Eccl.* V. 9. ſed ex Bellarmino Redingius, ex Chriſtophorſono Bellarminus deceptus dixit. Theodoretus enim hoc ſolum ſcripſit, ἐκ τῶν πέρυσι γραμμάτων &c. *ex literis* (non mandato) *ſuperiore anno miſſis* &c. Epheſinum non ſine conſenſu Papæ à Theodoſio Juniore coactum eſſe, ex Proſpero & Evagrio liquet: at Papæ, non Imperatoris authoritate & imperio coactum eſſe, teſtis nemo eſt. De Chalcedonenſi infra. 2. Conciliorum ab Imperatoribus indictorum olim non eæ fuerunt cauſæ, quas ex Bellarmino Redingius protulit (quanquam & illæ quoad jus Divinum hodie æquè valent) cùm illas S. Patres vel Epiſcopi Romani nunquam allegaverint; ſed hæc potiùs, quòd Imperator olim, non Papa, univerſalem poteſtatem habuit, nondum ſibi à Papa, ſcenico poſt Imperatore facto, raptam. 3. Quoad Carolum V. pro me Redingio reſpondeat ipſe Papa Paulus III. qui in Epiſtola ad Cæſarem An. 1544. data acerrimè ei exprobravit, quòd *Imperialem conventum, in quo de Religione, cæteriſque rebus agatur*, promiſerit, ſuppreſſo ubique nomine Papæ. Quid *Imperialis conventus, in quo de religione agitur*, aliud quàm Concilium, Imperatoris, non Papæ imperio coactum ſonat? An ad finem uſque vitæ in Sedis Romanæ reverentia perſtiterit Carolus, nec ne, hiſtoria ejus ignorare nos non patitur.

ARG. IX. Ut nihil dicam de conſenſu Patrum, Hieronymi, Liberii, Sozomeni, Socratis, aliorum; ſanè ipſe Æneas Sylvius poſtea factus Papa lib. 1. de Concilio Baſileenſi hac utitur ratione: *Quid erit remedii, ſi criminoſus Papa eccleſiam perturbet, ſi animas perdat, ſi fidei contraria prædicet, & hæreticis dogmatibus ſubditos imbuat?* Sed & Cardinalis Nicolaus Cuſanus faſſus eſt, octo generalia Concilia ab Imperatoribus convocata eſſe, inde concludens: *Concilium fore legitimum, etiam à Papa non convocatum.* Confer Bullingerum de Conciliis lib. I. cap. 7.

RESP. REDING: 1. *Patres id unum teſtantur, Imperatores convocaſſe Concilia, non tamen ex propria authoritate, ſed ex juſſu & conſenſu Romani Epiſcopi. 2. Æneas Sylvius, quæ juvenis incautè ſcripſit, Papa factus retractavit. 3. Si Papa hæreticus evaderet, Papa eſſe deſineret, & Concilio Acephalo contra ipſum procedere, noviſque Papæ electionem procurare liceret.* Ib. pag. 73. 74. Reſp. 1. Juſſu Papæ Imperatores olim Concilia indixiſſe, Patrum ne-

Digitized by Google

mo teſtis eſt. Nondum quippe eò audaciæ Pontifices pervenerunt, ut Imperatores jubere auderent; quin potiùs Imperatorum juſſa humiliter ipſi capeſſiverunt. Conſenſus verò eorum eſſe poteſt, qui ſuadendi, approbandi, non jubendi, decernendi authoritate pollent. 2. Æneas ſobrius fixit, quæ inebriatus Babylonis poculo, adeóque ſana mente privatus refixit, non faſcinatus ut Galatæ quondam, ſed effaſcinatus penitus. 3. Si Cardinales, Epiſcopi per ſe ad Concilium venire poſſunt, in nomine Chriſti igitur, ſine authoritate Papæ, adeóque etiam Imperatorum, Regúmque juſſu, congregari iiſdem integrum erit.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Concilia congreganda ſunt in nomine Chriſti, Matth. XVIII. 20. Ergo à Papa, qui in his terris obtinet vicariam authoritatem Chriſti.* Reſp. negari ſequelam, 1. Quia ſic multæ particulares congregationes non convocatæ à Papa, non fierent in nomine Chriſti. 2. Quia Papa non obtinet vices Chriſti. 3. Quia *in nomine Chriſti congregari* eſt in Concilio, ſive extra illud, propter Chriſtum, & ejus auſpiciis ac ſpiritu, cum voluntate ipſum ſolum ex Verbo Dei audiendi & ſequendi congregari, non auctoritate Chriſti viſibiliter in ſe, vel vicario aliquo præſentis.

Excipit Aug. Reding: 1. *Qui in Chriſti nomine ſeu authoritate congregantur, mandato ejus, qui Chriſti vicariam authoritatem obtinet, congregantur non objectivè, propter Chriſtum, ceu finem, & objectum motivum; ſed ſubjectivè, ita ut Chriſti authoritas illi, qui in nomine ejus operatur, inexiſtat, quia Chriſtus in medio illorum, qui in ejus nomine congregantur, exiſtere voluit. Proin authoritas congregandi viſibilis ſit oportet, propter quam neglectam viſibiliter ac publicè pro Ethnico & Publicano haberi aliquis poſſit. Talis autem non eſt niſi Papa.* 2. *Concilia particularia abſque Papa approbatione, non abſolutè, ſed ſecundùm quid, ſeu participativè, in nomine, ſeu authoritate Chriſti & vicarii ejus, inſtituuntur.* Ibid. pag. 74. 75. Reſp. 1. Exceptio tota putri vicariæ poteſtatis Papæ fundamento nixa evaneſcit. An, Redingi, vetera Oecumenica Concilia, non Papæ, ſed Imperatorum authoritate, juſſu congregata, in nomine Chriſti congregata non ſunt? Apageſis inſaniam! 2. In nomine Chriſti ut fiat aliquid, requiritur ſanè authoritas Chriſti præcipiens, efficiens, Spiritus & verbum Chriſti; neque hoc ſolum, ſed inſimul materiæ, formæ & finis actionis illius cum voluntate Chriſti conformitas, ita ut tota natura talis ſit, qualem Chriſtus pro ſua agnoſcere poſſit. Alias nullum Concilium ab eo, cui convocandi jus ſit, congregatum errare poſſet, cùm congregatis in nomine ſuo præſentiam ſuam Chriſtus addixerit. Atqui particularia Concilia ſic congregata errare poſſe, οἱ ἐξ ἐναντίας fatentur. 3. Si in nomine Chriſti congregari, non aliud eſt, quàm authoritate vicarii Chriſti viſibilis congregari, in cujus igitur nomine, Redingi, congregantur Cardinales tui, quoties mortuo Papa, adeóque inviſibili, ad eligendum novum Papam, viſibile ſcilicet eccleſiæ caput, congregantur? Oedipus ego eſſe poſſum, ſi tu Davus. 4. Agnoſcit Jeſuita Salmero *Evangel. hiſtor. tom. 4. pag. 3. tract. 10.* nihil hic de celebrandis Conciliis Chriſtum præſcripſiſſe, ſed *pium Chriſtianæ unitatis conſenſum, & communem orationis fidelium efficaciam* commendâſſe. Non ergo authoritatem convocantem ille intellexit. 5. Ut publicè & viſibiliter pro Ethnico & publicano haberi aliquis poſſit, non viſibilis Chriſti vicarius, ſed Eccleſia viſibilis, ex Chriſti præſcripto gubernata requiritur. 6. Particularia Concilia in nomine Chriſti, non *abſolutè*, ſed *participativè*, hoc eſt, authoritate immediata

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

non Chriſti,ſed Papæ,adeòq; in nomine & authoritate Chriſti in vicaria illa poteſtate præſentis,neque aliter,coaleſcere poſſe,dicere ſpermologus noſter potuit;at probare poteſt nunquam. Qui ita coaleſcunt,non ſervi & membra Chriſti,ſed mancipia futilia Papæ exiſtunt.

OBIECT. II. *Poteſtas civilis non poteſt omnes cogere, ſicut Papa. Huic enim ſubſunt omnes Chriſtiani quoad Eccleſiaſticas actiones: illi quoad civiles actiones nunquam ſubſunt omes, quoad Eccleſiaſticas nulli. Ergo hoc jus competit Papæ.* Ita Scipio Meſſanenſis contra Paulum Servitam. Reſp. negari antecedens 1. Quia Papæ Chriſtiani omnes non ſubſunt,ſive quoad civiles, ſive quoad Eccleſiaſticas actiones. *Uſurpatio* juris eſt,non *jus* legitimum. 2. Quia in Eccleſias Orientales vel Occidentales à comunione ejus ſeparatas, ne quidem *uſurpatione* imperium habet. 3. Quia in laicos, qui pars etiam eſſentialis ſunt Concilii,Papa non habet imperium quoad poteſtatem coactivam. 4. Quia Papa, quà talis, nullam omnino habet poteſtatem coactivam. 5. Quia ſummus Magiſtratus civilis vel *unus*, vel multi *conſenſione unus*, velut Imperator, Reges, Principes, Reſpublicæ Chriſtianæ omnes conſentientes in unum votum,totum orbem Chriſtianum cogere poſſunt.

EXCIP. REDINO: 1. *Sic legitima Concilii Oecumenii convocatio impoſſibilis erit, quia nunquam Imperatoris & Regum omnium Principúmque conſenſus ſperari poteſt: cùm Principes nonnulli, ſub quibus Orthodoxi Epiſcopi ſunt, hæretici, ſchiſmatici, infideles eſſe poſſint. Ita Concilio Nicæno Johannes Epiſcopus Perſa, non Imperatoris, ſed Regis Perſarum ſubditus, & Armeniæ Epiſcopi quinque interfuerunt. 2. Papæ ovium omnium curam Chriſtus commiſit.* Ib. p. 75. 76. Reſp. 1. Tuo te,Redingi, telo ſauciaſti. An enim Papa tuus efficere poteſt, ut Concilio Oecumenico interſint Patriarchæ, Epiſcopi Orientis, Turcæ ſubditi? An ut interſint Galli, Hiſpani, Veneti, invitis Regibus dominíſque ſuis? Si igitur Principes conſentientes ob quorundam diſſenſum Concilium Oecumenicum convocare nequeunt: neque Papa convocare poterit, quia Principes non pauciores diſſentientes obnitentéſque habere poteſt. 2. Concilium Chriſtiani orbis abſolutè Oecumenicum tam non convocare hactenus licuit,licebítque deinceps Papæ, quàm non Imperator Principes omnes conſentientes convocare poteſt. 3. Neque etiam Perſæ Armeniíque Epiſcopi ad Concilium Nicænum authoritate Papæ, ſed potiùs amore Chriſti, Eccleſiæ, Imperatoris Chriſtiani, pióque adeò Zelo allecti ſunt. 4. Sufficiet tandem,ſi præſto ſint tot Conciliorum membra,quot conſentientibus jubentibúſque Principibus præſto eſſe poterunt, cùm vel duobus aut tribus in nomine Chriſti coactis præſentiam ſuam promiſerit. 5. Cœtera principium petunt.

OBIECT. III. *Concilia Provincialia convocantur à Metropolita: Nationalia à Patriarcha. Ergo Generalia convocari debent à Papa primæ ſedis Epiſcopo.* Ita Scipio Meſſ. p. 150. Reſp. negari ſequelam. 1. Quia Nationalia & Provincialia Concilia indicuntur ordinariâ lege à Magiſtratu ſancita & approbata. At Concilium Generale eſt extraordinarium, ob cauſam hæreſeos vel ſchiſmatis ab ipſis Eccleſiaſticis plerumque excitati. Proinde hîc Magiſtratus debet ſuccurrere Eccleſiæ intus laborantis malo. Neque jus tale Concilium convo-

convocandi lege aliqua obtinet Papa. Aliàs omnia Generalia Concilia convocâsset, quod non est factum. 2. Quia Papa hodie non amplius primæ sedis Episcopus est, Olim Roma princeps orbis locus fuit, non hodie. 3. Quia ipsi Metropolitæ & Patriarchæ facti sunt jure humano Ecclesiastico, non Divino.

EXCIP. REDING: 1. *Nulla extat lex ordinaria Magistratus Politici, cujus vigore Patriarchæ aliique particulare Concilium indicere queant. Valentinianus sanè, Sozomeno lib. VI. 7. teste, ad se tale quid pertinere negavit. 2. Papam verò lege certa obtinere potestatem indicendi generale Concilium, ex Canonibus in Decreto Gratiani Distinct. 17. liquet.* Ib. pag. 76. Resp. 1. Eadem lex, quæ omnem animam potestati eminenti subjicit, etiam Patriarchas, Episcopos, humano jure tales, conventus indicentes ab authoritate Politici Magistratus suspendit. Quot quæso particularia ejusmodi Concilia à Carolo M. in Germania, Francia; Regibus Hispanis Toleti, Bracharæ indicta sunt? Legat Redingius vel apud ipsum Cusanum *de Concord. Cathol. cap. 9.* Quin ipse Gregorius M. id juris agnovit, qui *lib. IX. Epist. 54.* Theodoricum Regem, ut Synodum cogeret, hortatus est. 2. Valentiniani Imp. facto te ipsum, Redingi, premi, cur non vidisti, palpasti? Concilii etiam non generalis potestas ab eo Episcoporum precibus petita, ab eo data est. Curiosiùs religionis apices, velut τ̃ *ὁμοουσίου* vocem, perscrutari noluit. At de Concilio, gratificaturus respondit: *Conveniant, quo voluerint, loco.* 3. De Canonibus Pontificum ipsorum infra.

OBIECT. IV. *Illius est cogere Concilium, qui Christianos de rebus fidei potest instruere. Hoc autem possunt Sacerdotes, non Cæsares.* Scipio Messanensis lib. cit. Resp. 1. In Concilio distinguenda sunt ea, quæ pertinent ad *ordinem*, ab iis, quæ pertinent ad ejus *causam*, quæ merè est Ecclesiastica. Quæ *ordinis* sunt, pertinent ad Potestatem civilem. *Causa* verò est Christi, & disceptatur ab iis, qui ejus nomine in Concilio congregantur. Fallit igitur antecedens, quia coactio Concilii pertinet ad *ordinem*, adeóque est summi Magistratûs: instructio autem de rebus fidei ad *causam*, quæ disceptatur ab iis, qui ad Concilium vocantur, quales sunt Pastores, Doctores, aliique ab Ecclesia delegati. 2. Ipsa quoque instructio de rebus fidei quomodo competere potuerit circa tempora Concilij Episcopis plerisque omnibus Pontificiis, judicent æqui æstimatores. Ipse Claudius Espensæus ementitum schema personatis illis Episcopis detrahit his verbis: *Certè ex nostratibus Episcopis, qui Tridenti & Bononiæ pars aliquota fuerunt, nemo per se, quod quidem audiverim, docet. Ludimúsne in re adeò seria? An potiùs hac decretorum specie reformationem poscentibus illudimus?* Confer ejusdem concionem Bellovaci habitam p. m. 918. &c. Et dicamus quod res est, nimirum in Papatu nihil humilius, nihil cura Episcopi indignius censeri, quàm instruere de rebus fidei, docere, prædicare.

EXCIP. REDING: 1. *Causam Concilii Ecclesiasticam esse, fateris ipse. Quomodo igitur supra eam potestati coactivæ Magistratus Politici subjecisti? 2. Indictio authoritatem præstat nomine*

mine Chriſti de cauſis fidei decernendi. Hoc igitur Eccleſiaſtici juris eſt, non Politici, ad quod indictio reſpectum habet ſolùm ab circumſtantias nonnullas, locum, tempus, ſumptus, &c. 3. Licet Epiſcopi plerique in Concilio imperiti ſint, Chriſtus tamen ſemper providet, ut ex virorum fidei doctrina & pietate præſtantium ſententiis ex illibato Dei verbo veritas decernatur. 4. Epiſcopi imperiti veri Epiſcopi ſunt, quia alias imperitia iis exprobrari non poſſet. nui Contarenus Card. in Comitiis Ratisbonæ ſibus A. 1541. Proteſtantes Theologos ſimili argumento, Pallavicino lib. IV. 14. 13. 14. laudante, convicit. Id. p. 76. 77. Reſp. 1. Cavillaris, quin mentiris ſtrenuè, Redingi. Ubi enim cauſam Concilii, de qua conſultatur, quæ definitur, poteſtati coactivæ Magiſtratus Politici ſubjeci? Cauſa ſolius Dei, Chriſti eſt, ex ſolius Dei verbo exponenda, definienda. At conſultatio de cauſa, ejuſdémque executio in foro quidem non conſcientiæ, ſed ſocietatis externæ, Magiſtratui Politico, ceu cuſtodi tabulæ utriuſque, ſubjacet. 2. Indictio poteſtatem impertitur conveniendi, deliberandi, definiendi. Ut verò rite hæc fiant, convenienter voluntati non Papæ, non poteſtatis politicæ, ſed Dei, Chriſti, adeóque in nomine Chriſti fiant, oportet. 3. Quid Epiſcopis imperitis, juris Divini ignaris, cum Concilio? Larvæ ſunt, ſtatuæ carnales ſunt, ad ſubſellia tyronum, diſcentium detrudendi, non ad cathedram docentium, conſultantium, definientium evehendi. An in nomine Chriſti, qui præſentiam promiſit, congregantur, qui verbum ejus neſciunt, adeóque Spiritu Chriſti non reguntur, & tamen jus conſultandi, definiendi dignioribus ereptum ſibi arrogant? 4. Epiſcopi imperiti ita veri Epiſcopi ſunt, uti mus farina aſperſus dominus piſtrini eſt. Libuit tibi, Redingi, ceu luſco in Regno cœcorum duci, Epiſcopos tales cum Cardinalibus tuis, Contareno, Pallavicino, laudare, vel ſaltem excuſare, quia Regnum Pontificium talibus ſcatere non ignoras, atque iis palpum obtrudere è re tua eſſe, judicas. At verè piis, cordatis, ceu רעים אוילים *Paſtores ſtulti* (Zachar. XI. 15.) ἐν ἀλόγοι ἀριθμῷ εἰσί.

OBIECT. V. *Concilium Chalcedonenſe actione 1. habet, Dioſcoro Alexandrino non conceſſam inter Epiſcopos ſedem, eò quòd Synodum feciſſet ſine authoritate Pontificis. Ergo agnovit poteſtatem hanc convocandi competere Papæ.* Reſpondeo, non ſequi, quia Concilium loquitur de authoritate ſocia R. Pontificis, non ſolitario ejus privilegio. Dioſcorus Epheſi ſine conſenſu R. Pontificis Concilium habuit. Hoc rectè reprehenſum Chalcedone à Paſchaſino & Lucentio à Leone Papa eò legatis, quia moris fuit, ut omnes Patriarchæ aut per ſe, aut per alios Conciliis intereſſent. Fas igitur erat ipſius conſenſum non negligere.

EXCIP. REDING: 1. *In Concilii Chalcedonenſis Act. 1. Dioſcorus reprehenſus eſt, quòd ſine Papæ, urbis Romæ, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum, ceu Apoſtolici viri, authoritate Concilium celebraverit. Non igitur de ſocia, ſed ſolitaria & ſuperiori omnibus authoritate Papæ Chalcedonenſes loquuntur. 2. Suffragatur ei Concilium Romanum IV. ſub Symmacho, in quo Epiſcopi omnes Theodorico dicente, ſe convocaſſe Synodum, reclamarunt, aſſerentes, id Papæ eſſe, non Regis; neque acquieverunt, donec Rex literas Papæ proferret.* Ib. pag. 75. Reſp. 1. Romam caput eſſe eccleſiarum omnium, non Chalcedonenſis Synodus, ſed Paſchaſinus, Papæ legatus, dixit. Quòd ſi in Synodo nemo titulo illi reclamavit, nemo pariter laudâſſe eum legitur. Neque nos reclamamus titulo, ſi ſano ſenſu *κεφαλὴ caput* pro primo accipiatur. quomodo voces ראש, *κεφαλὴ, caput* veteribus *primum* ſignificaſſe,

quia

quia caput non dominans tantùm, ſed etiam primum corporis membrum eſt. *Salmaſius de Primatu Papæ pag.39.* comprobat. Ita Epheſina Synodus Cyrillum, licet is Papa Romanus non fuerit, *τὴν κεφαλὴν τῶν συνειλεγμένων ἁγιωτάτων innuentes caput congregatorum Sanctorum Epiſcoporum*, non dominans utique, ſed primum membrum, nuncupavit. Contingere tamen poteſt, ut primi fiant ultimi. Atque utinam non ita Romanæ Eccleſiæ coram Deo & electis omnibus contigiſſet! 2. Concilium Romanum IV. ſub Symmacho fuit particulare ex Liguria, Æmilia & Venetiis coactum, non generale. de quo diſputamus. Et exemplo particulari plurima alia opponi poſſunt. Licet verò Rex dixerit, *Papam in colligenda Synodo voluntatem ſuam declaraſſe*, nihilominus Synodus ipſa in actis *ex præceptoglorioſiſſimi Regis Theodorici diverſis è regionibus congregata* dicitur; quin & ipſe Papa ingreſſus Regi pro convocatione Synodi gratias egit. Authoritas igitur convocationis penes Regem, conſenſus penes Papam fuit. Ne dicam Epiſcopos à Symmacho invitatos perfrictæ frontis adulatores ejuſdem fuiſſe, qui etiam Symmachum accuſatum abſolverunt eo argumento, *quòd ejus imbecillitates B. Petri meritis compenſentur.*

OBJECT. VI. *In Epiſtola Marcelli R. P. diſertè habetur ex traditione Apoſtolorum, Concilia nonniſi Romani Pontificis authoritate celebranda eſſe. Quæ epiſtola à Concilio Nicano acceptata eſt, teſte epiſtola Alexandrinæ Synodi ad Felicem Papam.* Scipio Henr. Reſp. 1. Canon hic ex Marcello citatus eſt ſuppoſititius, tum quia inter Canones Apoſtolicos non reperitur: tum quia legatio Papæ ejus in Synodo Nicena non meminit: tum quia Patres Nicæni non Canonem, ſed morem, non poteſtatem univerſalem Papæ, ſed parilem cum aliis canone ſexto agnoſcunt. Eſt igitur Marcelli Epiſtola pura puta rapſodia, quales & reliquæ decretales veterum Pontificum Epiſtolæ. 2. Epiſtola Alexandrinæ Synodi ad Felicem eſt κίβδηλος, uti vel hinc conſtat, quòd ait, *Athanaſium Româ à Felice Pontificalis honoris conſecrationem accepiſſe*, cùm nec Felix tum temporis Romæ Epiſcopus fuerit, nec Athanaſius factus ex diacono Epiſcopus Alexandrinus unquam Romam viderit. Unde ne ipſi quidem Baronio ea epiſtola probatur, uti patet ex Annal. An. 357. Sect. 66.

Excip. Reding: 1. *Refutatio hæc procedit ex authoritate merè negativa. 2. Licet legatio Papæ in Synodo Nicæna Canonis illius non meminerit, ejus tamen renovatio ex Julii I. epiſtola ad Orientales exarata, & à Socrate, Sozomeno, Nicephoro memorata evincitur. 3. Fateris ſaltem, Nicænos meminiſſe conſuetudinis, cujus vi Concilia Pontificis authoritate indici oporteat. 4. Veterum verò Pontificum Epiſtolas puras putas rapſodias appellare, petulantis ingenii indicium eſt.* Ib. pag. 77. 78. Reſp. 1. Teſtimonium negativum non omnino invalidum ibi eſt, ubi teſtimonium neceſſariò dicendum fuerat. At Canon ille, ſiquidem Apoſtolicus eſt, inter Canones Apoſtolicos relatus eſſe debuit. Neque tacuiſſet legatus Papæ, ſiquidem tale quid promi, Papæ non parùm interfuit. 2. Julius I. apud Socratem *lib. II. 13.* Antiochenis inter alia reſpondit, *Eccleſiaſticum Canonem præcipere, præter Epiſcopi Romani ſententiam non oportere κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας.* hoc eſt, uti Chriſtophorſonus, *decreta Eccleſiis ſancire*, vel, uti nuper Valeſius meliùs reddidit, *quidquam ab Eccleſiis decerni.* qui poſterior, Pontificius licet, obſervavit etiam, licet de Julio ita ſcripſerit Socrates, & cum eodem Sozomenus, nuſpiam tamen id in Epiſtola

Julii legi. De quo quicquid fiat, de Concilii convocatione ne γρῦ quidem vel Socrates etiam, vel Sozomenus, vel Nicephorus commemoravere, ſed id omne eſt à παρερμηνείας Caſſiodori. 3. Ubi verò, Redingi faſſus ſum, Nicænos meminiſſe *conſuetudinis*, cujus vi ſolius Pontifici Conciliorum convocatio ſoli competat? Pro more tuo vetere Argus, vides, quod nemo videt, & quod non eſt, & figmenta tua Monachis tuis propinas. De ἔθει *more* locutus ſum, quo ſicut Romanus Patriarcha Occidentalibus Provinciis præeſt, ſic Alexandrinus Provinciis Ægypti, Lybiæ & Pentapolis, atque Antiochenus & Hieroſolymitanus etiam ſuis præfuere hactenus. cum quo more jus indicendi generale Concilium à Romano Pontifice prætenſum è diametro pugnat. 4. Nullius ego petulantiæ reus ſum, Pontificum veterum decretales *rapſodiæ* nomine inſigniens. Vel ſola illa Marcelli epiſtola teſtis locuples eſt. Merus quippe cento eſt, in quo deſcribitur ferè totum caput tertium Epiſtolæ Jacobi, cui ſubjicitur ex priore Petri magna pars capitis primi, tum ex quarto ad Epheſios verſus non pauci; & tandem reditur ad prioris Petri caput quartum. quomodo nunquam ſanus quiſquam ſcripſit. Ad extremum Conſules adduntur Maxentius & Maximus, qui nulli fuerunt. Tu verò, Redingi, impudens & contumax ingenium prodis, qui decretalibus Pontificum, quarum νοθείαν ſaniores Pontificii quique pridem agnoverunt, venerandæ antiquitatis fucum illinere nondum erubeſcis.

OBIECT. VII. *Leo Papa libr. 1. Ep. 93. ſcribit, ſe Coëpiſcopis Concilium Synodi generalis indixiſſe. Ita Pelagius II. Epiſtolâ 1. ad Orientales ſcribit, authoritatem indicendorum Conciliorum generalium Petri ſingulari privilegio Apoſtolicæ ſedi eſſe tributam. Quin & Sixtus III. profitetur, Valentinianum ſuâ authoritate Synodum vocâſſe. Unde Valentinianus requiſitus ab Epiſcopis de Concilio, negavit, ſibi fas eſſe talia perſcrutari. Denique decretum Concilij Lateranenſis Seſſ. 11. hoc jus tribuit Papæ.* Reſp. 1. Teſtimonia pleraque ſunt Romanorum Pontificum, fimbrias ſuas extendentium, qui in propria cauſa non poſſunt audiri teſtes. 2. Leo loquitur de Synodo Nationali. 3. Valentinianus non negat, ſuum eſſe convocare, ſed τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν, de rebus nempe fidei diſceptare. 4. Concilium Lateranenſe fuit Antichriſtianum.

EXCIP. REDING: 1. *Saltem inde liquet, Pontifices veteres jus convocandi Concilia olim prætendiſſe. Atqui juri ei veneranda antiquitas usque ad tempora noſtra detulit. Cùmque priores illos Epiſcopos Romanos pro piis, Orthodoxis & veris Paſtoribus vos ipſi habeatis, absque legitimo titulo privilegium iſthoc prætendere non potuerunt. 2. Leo diſertè dicit, ſe indixiſſe Concilium Synodi generalis, & ad illud convocaſſe Epiſcopos & fratres ſuos Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitanos, Gallos. Nationalis verò Synodus ex tam diverſis Nationibus non congregatur. 3. Si Valentinianus Imp. ſui fori non eſſe judicavit de rebus fidei diſceptare, multò minùs in ejus poteſtate fuit Concilio authoritatem ad res fidei definiendas impertiri.* Id. pag. 78. 79. Reſp. 1. Si poteſtatem convocandi Concilii Oecumenici Epiſcopi illi Romani, puta Julius, Pelagius, Leo, Symmachus, Marcellus, Damaſus (hos enim Gratianus *Diſt.* 17. producit) prætenderunt, nihil iis veneranda antiquitas ante invectam Oecumenicam tyrannidem detulit. Quis enim ante eam Papa Oecumenicum Concilium convocavit? Quis jus ei competere aſſeruit? Cedo tabulas! Quos verò Romanos Epiſcopos in fide Orthodoxos prædicamus (neque tamen veteres ſingulos tales

præ-

Digitized by Google

prædicamus) eoſdem in regimine degeneraſſe, & ambitionis nimiæ ſtimulis, Sathanæ aſtu, actos ſubinde fuiſſe, nulli diſſimulavimus. 2. Concilium à Leone indictum nationale fuiſſe, vel inde conficere licet, unde tu contrarium probare contendis. Qui enim fuerunt *Epiſcopi Tarraconenſes, Carthaginenſes, Luſitani* atque (non *Galli*, uti perperam Redingius, ſed) *Callaici*? Atqui hi ſub diœceſi Romani Patriarchæ erant omnes. Ex diœceſi verò Conſtantinopolitani, Alexandrini &c. neminem ille convocaſſe legitur. Fuit igitur omnino Concilium Nationale. quod *generale* dicitur καταχρηστικῶς, uti ipſe Bellarminus, *cap.* 4. expoſuit. ex quo id diſcas licet. 3. Qui ob imperitiam de rebus fidei diſceptare ipſe nequit, ob poteſtatem tamen, quam eminentem habet, facultatem conveniendi, res fidei ex Dei verbo exponendi & ſuo ſenſu definiendi impertiri potis eſt. Ita Papa Innocentius X. faſſus licet palam, ſe Theologum non eſſe, ob poteſtatem Papalem, Te quidem judice, authoritatem conveniendi, conſultandi, definiendi præſtare potuit.

QUÆSTIO II.

An in Concilio generali ſuffragandi poteſtas ordinariè ſit penes ſolos Prælatos majores, hoc eſt, Epiſcopos & Archiepiſcopos: extraordinariè verò penes Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum?

Affirmat Bulla, in qua Paulus Papa ad reſidendum in Concilio & ſententias dicendum vocat *Venerabiles Fratres ſuos, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos Filios Abbates, aliòsque, quibus id jure aut privilegio eſt conceſſum.* Scipio Henricus de his ait: *Iſti ſoli in hiſce cauſis veri judices ſunt. Reliqui verò, qui ad Concilium convenire poſſunt, convenire poſſunt ut conſultores, vel diſputantes, (quales Presbyteri, clerici minores, Doctores Theologi) vel ut Auditores, (quales Magiſtratus, notarii, cuſtodes, famuli) judices verò nullo modo eſſe poſſunt.* Hæc mens Papiſtarum. Nos ſtatuimus, in Concilio ſuffragari poſſe, quotquot dono & vocatione ſunt inſtructi. *Dono*, qui pii, probi, docti. *Vocatione*, qui aut *ordinariè* ad docendum vocati, & miſſi ſunt, quales Paſtores aut Doctores; vel *extraordinariè* ab Eccleſia legati, quales Seniores, Presbyteri, & quilibet plebeji, ab Eccleſia miſſi. Argumenta Pontificiis opponimus ſequentia.

ARG. I. Plerorumque, quibus Pontificii jus hoc tribuunt, nomen, ordinem, dignitatem, Scriptura & prima antiquitas ignorat. Qui igitur iis jure Divino hoc competit? Etenim jure Divino nulli ſunt Epiſcopi à Presbyteris

 byteris

Digitized by Google

byteris distincti. Cardinalitia dignitas ne priscæ quidem ecclesiæ nota fuit. Abbatis in hodierna notione & nomen & res tum Scripturæ, tum Antiquitati est incognita.

RESPONDET AUG. REDING: I. *De institutione Episcoporum, Cardinalium, Abbatum aliàs. 2. Cùm ea demum Concilia legitima sint, quæ congregantur in nomine Christi, seu authoritate ejus vicaria in Papa residente, atque Episcopi, Cardinales, Abbates à Pontifice in partem solicitudinis Pastoralis vocati sint, meritò illi, ac nominatim etiam Monachorum præfecti, Abbates ad suffragandum, ex antiquo Ecclesiæ in Viennensi, Lugdunensi, Lateranensibus, septimo Orientali Concilio, more vocantur. Atque ad eam rem Abbates se Pontifici juramento obstringunt.* Tract. I. pag. 79. *Resp.* 1. De institutione Episcoporum nos quoque alibi. Cardinales, Abbates Redingius tam bene ex jure Divino arcesset, quàm eorundem ministeria Secularia, ordines, & Papæ dominationem, cujus illi meri satellites tandem evaserunt. 2. Quo sensu in nomine Christi congregentur fideles, supra vidimus. Neque hic disputamus, in cujus solicitudinis partem Papa Episcopos, Cardinales, Abbates vocaverit, cùm certum sit, ejusdem vasallos, & in administrando Regno sub specie spiritualium merè terreno sive consultores, sive ministros esse omnes, juramento ad imperata facienda, & promovendum regnum obstrictos. Hæc vera caussa est, cur suffragatores eos, non alios pientiores doctioresque etiam optet. 3. Cardinales, Abbates, quales inprimis hodie sunt, frustra in veteribus Oecumenicis Conciliis requiras. Eorum ne nomina quidem, nedum rem in iis reperias. Martinus Archimandrita Concilio Chalcedonensi subscribere noluit, jussitque Pulcheria ex eodem cœtu Monachos excludi, quia scilicet eorum est plangere, non docere. Si qui seriùs subscripsisse in Conciliis, inprimis Florentino, Lateranensi, Tridentino (in his enim Abbates & Generales ordinum subscripsisse Bellarminus concedit) leguntur, novo instituto ecclesiæ collapsæ & Papali tyrannidi obnoxiæ, exempla sunt, quæ authoritatem rei adferre nullam possunt.

ARG. II. In Synodo Hierosolymitana, omnium Conciliorum norma, suffragati sunt non Episcopi, Archiepiscopi, Cardinales, Abbates, sed Apostoli, Presbyteri & Ecclesia, Act. XV. 2. 16. 22. Unde Paulus Act. XVI. 4. Civitatibus, per quas transibat, dicitur tradidisse δόγματα τῶν τῶν Ἀποστόλων καὶ τῶν πρεσβυτέρων κεκριμένα. Quid est δόγμα κεκριμένον nisi *sententia judicata?* Atqui ea tribuitur etiam Presbyteris.

RESP. REDING: *Disquisitio quidem in Concilio facta est non à solis Apostolis, verùm etiam à Senioribus, seu consultatoribus; sed definitiva sententia à solis Apostolis lata est, utpote qui soli v. 7. 8-12. tacente tota multitudine v. 12. loquentes introducuntur. Seniores verò & Ecclesia definitam ab Apostolis sententiam ratam habuerunt, v. 22.* Ib. p. 79. 80. Resp. 1. Non dicam, in rebus fidei hominum non alias partes esse, quàm disquirentium, consultantium, non verò propriè in foro scilicet soli & conscientiæ, definientium de quo infra. Inde saltem, quàm futile sit consultantium & definientium discrimen, liquet. 2. Numquid etiam Apostoli Presbyteris indigebant consultoribus, sicut Episcopi tui imperiti, quos pro veris Episcopis tamen habes, talibus Theologis scilicet, ipsi caussidici potiùs quàm Theologi, opus habent? Plus est bene consulere, quàm ex consilio aliorum rem definire. 3. Si illi, qui in Concilio locuti sunt, rem definierunt soli, tum & Barnabas, qui Apo-

Apoſtolus non fuit, rem definivit; & novem Apoſtoli, qui locuti non leguntur, non definiverunt. Etiam qui tacent, conſentiendo, & in loquentium ſententiam pedibus eundo, definire poſſunt. niſi forte Epiſcopi veſtri, quorum plures, imperiti inprimis illi, Tacito potiùs quàm Ajo Loquutio in Conciliis litarunt, ex definientium numero eximi, atque Theologi conſultores Loquutuleji eorum locum ſubire debuerunt. 4. Quid verò multis? Non tantùm Act. XV. 22. dicitur: Tunc *ἔδοξε visum eſt Apoſtolis, Presbyteris & Eccleſiæ toti* mittere Antiochiam legatos cum literis communi omnium nomine ſcriptis, in quibus v. 28. dicitur: *ἔδοξεν ἡμῖν viſum eſt nobis*, pariter ſcilicet omnibus, ſine diſcrimine ullo, *nullum onus imponere &c.* ut manifeſtum ſit, *δόγμα placitum, decretum* unum idémque omnibus pariter tribui: ſed etiam Act XVI. 4. decreta Concilii Hieroſolymitani disertè *δόγματα κεκριμένα ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καὶ πρεσβυτέρων placita definita ab Apoſtolis & Presbyteris* vocantur. Presbyteri igitur in Concilio eo non tantùm conſultarunt, ſed etiam ſano ſenſu definiverunt.

ARG. III. Ad ſuffragandum in Concilio vocari poſſunt, quotquot facultatem habent judicandi de rebus ſpiritualibus, & donum diſcretionis. Neque enim amplius aliquid requiritur ad ſuffragandum. Atqui tales eſſe poſſunt ſinguli Paſtores, Doctores, Presbyteri, Plebeji ab Eccleſia delegati. Facit huc, quòd 1. Cor. XIV. 29. omnibus in Eccleſia Chriſti congregatis, qui videlicet munere ac dono prophetandi ſunt præditi, poteſtas loquendi, reliquis verò poteſtas judicandi conceditur.

Resp. Reding: 1. *Supra ne diſceptandi quidem, nedum judicandi poteſtatem Valentiniano conceſſiſti. 2. Suffragari poſſunt, qui facultatem in rebus ſpiritualibus judicandi habent non privatim, ſed ex authoritate, ſeu in nomine Chriſti per Papam ad id vocantis.* Ib. pag. 80. Reſp. 1. Valentinianus, Sozomeno *Hiſt. Eccl. VI. 7.* teſte, ſuum eſſe negavit *ἑαυτῷ πολυπραγμονεῖν, negotia* fidei *iſthæc*, de quibus ſcilicet Epiſcopi diſceptabant, *curioſius perſcrutari.* An verò jure ita locutus fuerit, atque judicium de litibus Epiſcoporum rectè abdicaverit, non definivi equidem. Quid igitur hoc ad rem? Curam de fidei doctrina, infirmitatis ſuæ conſcientia, & errore Principum poſteriorum, judicium de fide Epiſcopis præter officium ſuum cedentium, Imperator ille, exemplo parùm laudabili, depoſuit. 2. Authoritatem ſuffragandi in nomine Chriſti præſtare ſolus is poteſt, qui vocandi jus habet. qualem Papam neutiquam eſſe, ex ſuperioribus liquet.

ARG. IV. Sententiæ in Concilio dicendæ poteſtas propriè eſt penes Eccleſiam, cui in perſona Petri Chriſtus dedit claves Regni Cœlorum. At Eccleſiæ cauſam agere poſſunt non ſoli infulati & purpurati, neque ſoli uncti vel raſi, ſed quotquot dono & vocatione ſunt inſtructi.

Resp. Reding: 1. *Chriſtus authoritatem clavium Petro dedit cum ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum, ſiquidem ſuper ipſum tali authoritate munitum, ceu Petram, Eccleſiam fundavit. quæ niſi tranſeat in ſucceſſorem ejus, intelligi nequit. Habet igitur Eccleſia poteſtatem judicativam ex authoritate vicaria Succeſſoris Petri.* Ib. pag. 81. Reſp. 1. Claves in perſona Petri accepit Eccleſia, atque illas ad finem mundi retinebit. Si in perſona Petri Papa ceu ſucceſſor illas accepiſſet, una cum Papa vel moriente, vel recens electo, cla-

vium poteſtas interiret & rediret; atque ita eas Petrus *cum ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum* non accepiſſet. Eccleſia verò Chriſto Petræ ſemel inædificata nec moritur, nec oritur, idoneúſque adeò clavium cuſtos eſſe poteſt. 2. Reliqua non Petræ, ſed arenæ futilium hypotheſium innixa ruunt.

ARG. V. Eadem praxis fuit Eccleſiæ primitivæ. Apud Socratem libr. 1. 9. Conſtantinus M. fatetur, ſeipſum ἐξέτασιν τῆς ἀληθείας, *veritatis diſquiſitionem* ſuſcepiſſe. In Chalcedonenſi, Evagrio libr. II. 4. teſte, Legati Imperatoris, Senatores & Patricii ἐψηφίσαντο *decreverunt*, ſuffragiis redditis. Sed & Æneas Sylvius de Concil. Baſil. lib. 1. fatetur, alios quàm Epiſcopos in Conciliis habuiſſe vocem decidentem. Quin in ipſo Concilio Baſileenſi Presbyteri Bohemi ſunt ſuffragati.

RESP. REDING: 1. *In veteri Eccleſia ſuffragari non poterant niſi legitimè vocati. Sed legima vocatio ſine Papæ, vicarii Chriſti, authoritate nulla contigit.* 2. *Conſtantinus M. teſte Socrate l. c. ſibi non arrogavit munus dijudicandi vel diſquirendi res fidei, ſed Epiſcopos duntaxat ad concordiam cohortatus eſt. Quin ſic Epiſcopos apud Rufinum lib. 1. cap. 1. allocutus eſt:* Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi. 3. *Ex Evagrio hoc unum liquet, Imperatoris legatos in Synodo Chalcedonenſi non decretum deciſorium in cauſis eccleſiaſticis, ſed eo ab Epiſcopis lato executivum duntaxat tuliſſe. 3. Baſileenſe Concilium Oecumenici characterem amiſit, quando Papa illud revocante, in nomine Chriſti eſſe congregatum deſiit.* Ib. pag 81. 82. Reſp. 1. Concilia vetera œcumenica, legitima utique, ab Imperatoribus, non à Pontificibus coacta eſſe, ſupra manifeſtum fecimus. Nondum ſcilicet inverſus erat rerum ordo, ut Imperator Papæ ſubeſſet; uti procedente tempore contigit. Authoritatem proin ſuffragandi Imperatoris, non Pontificis vocatio contulit. 2. Conſtantinum M. ſic loquentem Socrates in Epiſtola ad Alexandrinorum Eccleſiam *Hiſtor. Eccl. lib. I. 9.* inducit: *Convocavi in urbem Nicæam quamplurimos Epiſcopos.* μεθ' ὧν εἷς ἐξ ὑμῶν ἐγὼ, ὁ συνθεράπων ὑμέτερος ἐυθ' ὑπερβαλλὼ εἶναι χαίρων, καὶ αὐτὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἐξέτασιν ἀνεδεξάμην. *Quibuscum ego unus ex veſtro numero, qui me veſtrum conſervum eſſe magnopere gaudeo, veritatis examen ſuſcepi.* En, unà cum Epiſcopis, conſervus eorum, *veritatem*, ſicut illi, *examinavit*, diſcuſſit. Examen autem, diſcuſſio, ſine concluſione & definitione diſcretiva nulla eſt. Sicut enim concluſio ex præmiſſis neceſſariò ſequitur: ita definitio ex examine, diſcuſſione. Veritas quippe unica eſt, & ejuſdem ſemper valoris, ſive poſt, ſive ante hominum placita ſpectetur. Ad hæc nihil, Redingi, reſpondere potuiſti. Epiſcoporum quoque, ceu Sacerdotum Dei, judicio meritò ſe Imperator etiam ſubjecit, gnarus ſcilicet, ſe in rebus fidei non eſſe ἀνυπεύθυνον, qualem ſe Papa fert, ſed ex Dei verbo à quolibet, nedum ab Epiſcopis, judicari poſſe, quin & ipſos Prophetas Prophetis ſubeſſe. 3. Senatorum Imp. Marciani in Chalcedonenſi Concilio ψηφισμὸν *ſuffragationem* ad judicium ſeu decretum executivum cùm refert Redingius, imperitiſſimè facit. An enim qui exequitur decretum de Epiſcopo abdicando ab aliis jam latum, ipſe quoque ψηφίζειν *decernere, definire* dici poteſt id, cujus merus executor eſt? Memorabile verò eſt, quòd ad ſententiam decretoriam *Sanctiſſimorum Imperatorum* omnia Senatores illi retulerint. Fruſtra in poſterioribus, & merè Papalibus Conciliabulis potiùs quàm Conciliis ejuſmodi Imperatorum ψηφίσματα, decretoriáſque voces Redingius venabitur, cùm præter brutam & ſedentariam aſſentiendi,

& latas

Digitized by Google

& latas ſententias exequendi neceſſitatem, non aliud iis Pontifices reliquerint. 4. Concilium Baſileenſe, licèt à Papa, & curiæ & culinæ ſuæ ab eo metuente, improbatum, & cum Florentino commutatum, prodit tamen antiquitus recepti moris reliquias nonnullas, conſensúque ſuo confirmat. Neque ei Oecumenici & legitimi Concilii authoritatem tam Papæ diſſenſus, quem ipſi Concilii illius Patres validè ſpreverunt; quàm alia omnia demunt, licet in eo ſalutariter nonnulla & acta & conſtituta ſint.

ARG. VI. Dignitas & eminentia perſonæ nuſpiam ad hoc in verbo Dei requiritur. Neque donum prophetiæ & cognitionis hierarchiæ Pontificiæ eſt alligatum. Rectè Panormitanus Abbas pronunciavit, unius idiotæ ſententiam teſtimoniis Scripturæ bene munitam Decretis totius Concilii & Pontificis in Scriptura non confirmatis, prævalere.

Resp. Reding: 1. *Licet in verbo Dei non alia eminentia perſonæ, quàm illius, cui Chriſti vicaria authoritate cogendi Concilii poteſtas eſt ſpectetur: dignitas tamen vel exigit, ut ad plenitudinem poteſtatis ſolvendi & ligandi, eccleſiæque repræſentandæ eminentiam aggregentur ii, qui de jure præſertim ordinario eminentiæ illius partem ex officii ſui munere obtinuit.* 2. *Donum prophetiæ & cognitionis privatum Epiſcopis vel Papæ non eſt alligatum: at poteſtas cum authoritate decidendi nonniſi ad eos, qui in nomine Chriſti & vicarii ejus conveniunt pertinet.* 3. *Cùm Chriſtus tali Concilio præſentiam ſuam promiſerit, talis emergere caſus nequit, in quo idiotæ unius ſententia Concilii ſententiæ prævaleat. Certo tamen caſu, quo ultima Concilii deciſio per vim impeditur, fieri poteſt, ut idiotæ unius ſententia prævaleat, de quo Panormitani vox, adeóque conditionaliter, non abſolutè, accipi debet.* Ibid. pag. 82.

Reſp. 1. Ex arena funiculi hi contexuntur omnes. Plenitudo poteſtatis clavium in ſolo Chriſto; miniſterium in Eccleſia: in Papa, ceu vicario Chriſti, Eccleſiæ eminentiam repræſentante, hoc eſt, ſibi poteſtatem omnem in Cœlo & in terra vindicante; nec non in iis, qui partem *inigeros elationis* ſeu eminentiæ illius capeſſunt, verbo dicam, in Hierarchia Pontificia plenitudo poteſtatis clavium abyſſi potiùs, quàm Regni Cœlorum, reſidet. 2. Poteſtas cum authoritate decidendi res fidei à dono cognitionis privato ſeparari nequit. Quomodo enim rerum fidei ignarus cum authoritate eaſdem decidet? Cùm igitur in iis, qui ad Concilium vocandi ſunt, donum cognitionis & prophetiæ, ſeu interpretationis S. Scripturæ ſupponatur, adeóque vocatio omnis ſine donorum exploratione & conſcientia illegitima ſit, atque donum illud Hierarchiæ alligatum non ſit, vocari etiam alii non Hierarchæ poſſunt, imò debent, cùm Hierarchiæ propriè dictæ ratio omnis merè Antichriſtiana ſit. 3. Panormitani & Gerſonis vocem illam abſolutè accipiendam eſſe, inde liquet, quia & ipſi, & aliis eo adhuc tempore perſuaſiſſimum erat, Concilia & errare poſſe, & quandoque actu errare. quod ipſe Cardinalis Cuſanus *de Concord. Cathol. II. 5.* palam profitetur. *Αναμαρτησίας* verò ſive Papæ ſive Concilii monſtrum Tridentina demum Synodus nobis peperit.

ARG. VII. Conſentientem habemus ipſum Nicolaum 1. cujus apud Gratianum Diſt. 96. verba ſunt: *Ubinam legiſtis Imperatores anteceſſores veſtros Synodalibus conventibus interfuiſſe, niſi fortè in quibuſdam, ubi de fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ non ſolùm ad Clericos, verùm etiam ad Laicos, & omnes omnino pertinet Chriſtianos.* Sed & Marſilius Patavinus *Part. II. cap. 20.* fusè probat,

Digitized by Google

bat, ad Legislatoris Politici authoritatem pertinere, *Generale Concilium convocare, & personas idoneas ad hoc determinare.* Ex quo etiam post Concilium Tridentinum Ranchinus *in revisione* mutuatus est.

RESP. REDING: *Sensus Nicolai est, Imperatorem Concilio Oecumenico, non quà judicem, sed quà primarium Ecclesiæ advocatum, interesse posse.* Ib. pag 83. Resp. 1. Ratio Nicolai repugnat. Quia scilicet *fides universalis est, pertinens non ad clericos duntaxat, sed etiam laicos, omnesque Christianos*; ideirco Imperator Conciliis ita interesse potest, ut non tantùm ceu advocatus & patronus Ecclesiæ, Papæ & Episcoporum oracula non explorata ad verbi Divini amussim, exosculetur, & invitis aliis violenter obtrudat; sed ut exploret, dijudicet spiritualiter, & discernat omnia, bonum retineat, quod Christianum quemvis, rectores inprimis communitatum, decet. Intersint igitur Imperatores oportet, non ut advocati, defensores, executores duntaxat, sed ut *Moderatores supremi* in iis, quæ externum ordinem spectant; ut *Suffragatores primarii* in iis, quæ fidei sunt, cùm eorum, ceu custodum utriusque tabulæ, referat fidem sartam tectámque perstare; ut *Confirmatores primarii* decretorum Synodi, quæ vim legum in externa Republica non aliunde consequuntur. quò inprimis pertinet *ἐπίκρισις* seu judicium summis Potestatibus de decretis à Synodo jam latis competens. quod veteres verbis *βεβαιοῦν, ἐπισφραγίζειν, ἐπιψηφίζειν, κρατύνειν, ἐπικυροῦν τὰ πεπραγμένα*, expressum, soli Summæ Potestati civili vindicarunt.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Pastoris, qui pascere, & sic docere, debet ut alii teneantur credere, est definire in Concilio credenda & agenda. Atqui soli Episcopi sunt Pastores.* Resp. 1. nullam esse argumenti consecutionem, tum quia finis Conciliorum est, non verbo salutari præire populo, & Sacramenta administrare, quod facit Pastor, sed cognoscere sententias hæreticorum erroneas, eas ex Verbo Dei refellere & damnare, unitati Ecclesiæ consulere, agenda & credenda definire; quæ communia esse possunt Presbyteris, Pastoribus, Laicis dono & vocatione instructis: tum quia Papa jus suffragandi communicavit etiam non Pastoribus, quales Cardinales, Abbates, Generales. 2. Fallit etiam minor, tum quia Episcopi Pontificii non pascunt gregem, sed sunt caussidici plerique, & τοῖς τοῦ βίου πραγματείαις ἐμπλέκονται: tum quia ipsis Pontificiis dantur Parochi Curati, Episcoporum vice fungentes, non Episcopi: tum denique, quia nihil obstat, quò minùs nostri, qui Verbum Dei docent, & Sacramenta administrant, Pastores dicantur, qui Episcopi non sunt sensu Pontificio, sed צופים *ἐπίσκοποι* sensu Scripturæ.

EXCIPIT A. REDING: 1. *Pascere est docere dogmata fidei. Docendi verò munus authoritativum non est nisi eorum, adeóque non competit nisi iis, quibus alii credere tenentur; qui in nomine Christi, vel vicarii Papæ, in Concilio conveniunt, & munus pascendi principale exercent, quod erga universalem Ecclesiam Papæ, erga partes, seu definitas Diœceses Episcopis competit. 2. Si qui Episcopi non pascunt vel docent gregem per se,*

pascunt

Digitized by Google

pascunt tamen per delegatos seu curatos: adeóque jus habent pascendi, atque ita in Conciliis cum authoritate docere ac decernere possunt. Ib. pag. 83. Resp. 1. Qui gregem Christi ordinariè pascit, dogmata fidei etiam doceat oportet. Neque tamen ideo quisquis erroneam doctrinam refellit, damnat, & veram ex verbo Dei statuminat, vel Pastor ecclesiæ ordinarius, vel Episcopus Papalis à Presbyteris, aliísque distinctus sit oportet. 2. Docendi munus cum tali authoritate conjunctum, ut ad fidem simpliciter obligentur inferiores, non est nisi Christi, qui eo sensu solus Διδάσκαλος, *Doctor & Rabbuni* cluet, omnésque alios Ῥαββὶ seu *doctores* appellari vetat, Matth. XXIII. 8. Jac. III. 1. Solus etiam *πολλῷ Pastor & Pastor bonus* appellatur. Ne ipsi quidem Apostoli ea cum authoritate docuerunt, ut ad fidem ἀδιακρίτως quenquam obligarent; utpote qui & manifestatione veritatis omnium conscientiis se commendarunt, 2. Cor. IV. 2. & Spiritus quosvis probare, an ex Deo sint, jusserunt, eo argumento, quòd Pseudo-Prophetæ multi in mundum exiverint, 1. Joh. IV. 1. Qui igitur authoritativum ejusmodi docendi munus sibi rapiunt, in Christi ipsius munus involant. tantùm abest, ut in Concilio vel soli suffragari possint, vel audiri etiam debeant; Tros Rutulúsve fuant. 3. Episcopi per delegatos, curatos pascentes, docentes, ut ipsi interea negotiis hujus seculi securiùs invigilare possint, Pseud-episcopi sunt, non ipsi in Concilio judices, sed judicandi præ aliis. Sunt Episcopi veri mandatarii, quibus alios substituere nefas est. 4. Si Papa & Episcopi per alios docere, pascere, concionari possunt, quidni etiam per alios, non Episcopos, sed Presbyteros, Theologos, pios peritósque Conciliaribus negotiis fungi poterunt? Et si novellæ Papæ creaturæ, Cardinales, Generales & Abbates ordinum, qui pastores non sunt, imò quandoque imperitissimi omnium, ad id deputari, ut in Conciliis suffragentur, possunt: cur periti quivis alii, sive ex clero, sive ex populo ad deputationem ejusmodi indigni inhabilesve censentur?

OBIECT. II. *Presbyteri & Laici non repræsentant Ecclesiam, sed soli Episcopi. Ergo non illi, sed hi suffragari possunt.* Resp. 1. negari antecedens, tum quia in sensu Pontificio Ecclesia planè repræsentari non potest: tum quia sano sensu *extra ordinem* Ecclesiam repræsentare possunt omnes ab ea delegati. 2. Negari sequelam, tum quia Cardinales, Abbates Ecclesiam non repræsentantes, tamen suffragantur: tum quia sic solus Papa, quippe quem solum pro *repræsentativa Ecclesia* habent gnathones ejus, suffragari posset: tum denique quia ad suffragandum sufficit donum & vocatio.

EXCIP. REDING: *1. Cur Ecclesia ab iis, qui nomine & authoritate Christi vicaria concurrunt, repræsentari non possit? 2. Abbates & Generales ordinum ex privilegio Apostolico participant de potestate ligandi & solvendi. Cum aliis igitur Ecclesiam repræsentant.* Ib. pag. 83. 84. Resp. 1. Repræsentatio Ecclesiæ Pontificiæ talis definitur, ut in repræsentantium fide, sensu & judicio Ecclesiæ, quæ repræsentatur, fides, sensus, atque judicium includi statuatur. Ita Bellarminus. Hoc verò est dominari fidei & conscientiis hominum, quod non est nisi solius Christi, qui proin solus, ceu Adamus secundus, Rom. V. 14. hoc est caput, stirps & Dominus Ecclesiæ suæ, eandem repræsentat. Si Apoc. XIII. 14. *Bestia* est illa Ecclesia, quæ in terra habet imaginem, in qua omnis ejus sensus conspiciatur, propterea quòd ei in omnibus etiam ἀδιακρίτως velit obedire; is qui ita dicit & agit, ut author dicendorum & agendorum; & cui illa Ecclesia implicitè vel explicitè se subjicit,

qualis Ecclesia Repræsentativa, Papa est, *εἰκὼν θηρίου imago Bestiæ* est. 2. Repræsentationem talem Cardinalibus, Abbatibus non invidemus, sed viderint illi, quos repræsentent, & à quo vicissim ipsi repræsententur. Ligent solvántque pro lubitu. Non propterea in Cœlo ligatio & solutio rata erit, quia non Christi, sed Papæ Christo adversantis nomine ligant solvúntque. 3. Potestas porrò docendi, pascendi Ecclesiam, ligandi & solvendi, cùm merè ministerialis, & limitata sit, repræsentationem veræ Ecclesiæ in docente, ligante, solvente non tam ponit, quàm destruit.

OBIECT. III. *In Republica nemo, quantumvis pius & doctus, si in officio publico non sit, decidere causas potest. Eadem ratio est Ecclesiæ.* Resp. At vocatio præstat authoritatem. Unde vocati ad Concilium tanquam publicæ personæ censeri debent in publico officio constitui.

EXCIP. REDING: *Ecclesia Pseudo-Reformata, in qua Ecclesiastici nulla legitima authoritate ordinati, adeóque merè laici sunt, ejusmodi potestatem vocandi nullam habet.* Ib. pag. 84. Resp. Pendet hoc à quæstione principali de veritate Ecclesiæ nostræ. qua probata (millies autem probata, & in Anatome etiam ita stabilita est, ut Redingius nil nisi fumos & verborum inanium phaleras obducere potuerit) telum in ipsum Adversarium retorqueo. Et numquid sic, Redingi, ad argumentum respondes?

OBIECT. IV. *Conciliorum omnium decreta à solis Episcopis facta sunt, uti patet ex subscriptionibus.* Resp. 1. Falsum esse, liquet ex superioribus. Etiam Nicæno Vitus & Vincentius, Constantinopolitano I. Presbyteri aliquot, Alpius, Paulus, Bassus adfuerunt. 2. Non mirum ut plurimùm Episcopos adfuisse, cùm ex singulis provinciis pauci ablegarentur, & ex singulis presbyteriis eligerentur Episcopi ii, qui doctrinâ, pietate, peritiâ præstarent.

EXCIP. REDING: *In Synodo Nicæna Victor (non Vitus) & Vincentius pro Papa subscripserunt. Concilio Constantinopolitano licet Presbyteri nonnulli interfuerint, in subscriptione tamen ejus expressè dicitur, Philomusum Episcopum Alexandrinum per Alpium, Montanum Constantinopolitanum per Paulum, Theosebium Philomeliensem per Bassum, Presbyteros subscripsisse. Definiendi igitur, & definitis subscribendi jus penes solos Episcopos, quos absentes Presbyteri repræsentarunt, fuit. Adeò igitur non à Presbyterorum Collegiis Episcopi delegati sunt, ut ipsi potiùs Presbyteros delegarint.* Ib. pag. 84. Resp. 1. Et victorem & Vitum, variante lectione, dici, ex Crabbio & Binio tuo cognoscere potuisti. Quin infra pag. 108. tu ipse non Victorem, sed Vitum, subtilitatis tuæ immemor, appellas. 2. Quicquid de subscriptionis forma fiat, illud verò certum est, Presbyteros in utroque illo Concilio laudato non paucos sine authoritate Papæ & admissos, & suffragatos esse, & definivisse rem controversam, absentibus Episcopis, quos forte minùs idoneos Ecclesiæ judicarunt. In Papalibus verò posterioribus Conciliis Presbyteros ita suffragari, definire, vel Episcoporum etiam vice subscribere, piaculum Hierarchæ duxissent. 3. Licet Episcopi absentes per Presbyteros subscripserint, non tamen Presbyteros illos ab Episcopis solis delegatos esse, consequitur. Quia scilicet Ecclesiarum προεστῶτες, seu Ministri primarii Episcopi fuerunt, illis expressis universæ Ecclesiæ consentientes subintelligebantur.

OBIECT. V.

Digitized by Google

OBIECT. V. *In quaestione de Paschate convocatus est Episcoporum conventus, teste Eusebio Hist. Eccl.l.23. Idem docent Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus. Theodosius junior in Epistola ad Synodum Ephesinam negat ecclesiasticis tractatibus immisceri posse, qui non sunt in ordine sanctissimorum Episcoporum. Denique in Concilio Chalcedonensi, cùm Monachi & laici ingressi essent pro Dioscoro, Patres clamârunt: Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.* Resp. 1. Pleraque haec facti sunt, non juris. Maturè satis Episcopi laxiorem sibi potestatem arrogârunt. 2. Dicta illa Patrum pleraque sunt indefinita. 3. Episcopi ut plurimùm aderant, non quia Episcopi, sed quia eruditione & doctrinâ praestabant aliis, & eandem ob causam Collegio presbyterorum praefecti. Hoc jam tanquam perpetui juris statuae illae Episcoporum Pontificiorum sibi assumpserunt. 4. Theodosius loquitur de ordine Episcoporum ad Concilium ablegatorum, extra quem nemini licuit se intrudere. 5. Chalcedonenses Monachos & laicos eliminabant, quia venerant turbatum.

EXCIP. REDING: *1. Factum illud orthodoxae antiquitatis arguit observantiam, quae optimus juris interpres est. 2. Episcopi non ut delegati ecclesiarum intererant, sed jure proprio. Aliàs Collegia Presbyterorum vocari debuissent, non Episcopi. Unde passim Patres asserunt, Concilia Episcoporum esse. 3. Theodosius absolutè loquitur, sine delegationis mentione ulla. 4. Chalcedonenses Monachos arcuerunt, ut superfluos, & quia Concilium sit Episcoporum. Proin Martinus Archimandrita jussus subscribere, respondit, non suum esse, sed Episcoporum, subscribere. Pulcheria quoque Imperatrix eandem ob causam Clericos, Monachos, laicos, exceptis iis, quos Episcopi adduxerunt, vi à Concilio arceri jussit.* Ib.p.85. Resp.1. Factum non uniforme observantiam uniformem antiquitatis orthodoxae non arguit. Neque observantia uniformis, Divino juri non innixa, juris interpres optimus est, non magis quàm Israëlitarum in deserto communis in colendo vitulo observantia; vel Christo in cruce pendente communis Apostolorum fuga, juris colendi vituli, vel fugiendi crucem interpres esse potuit. Ne quid dissimulemus, operabatur in eo occultè mysterium iniquitatis, quòd Episcopi maturè exaltari nimiùm coepti, populo judicium eripere visi sunt. licet neutiquam eodem animo id fecerint, quo procedente tempore facturus id Antichristus erat. Interim ablato paulatim ab Ecclesia judicio, & Episcopis, ceu paedagogis in Christo, in thronis suis consìdentibus, atque judicium ferè omne exercentibus, crevit fastus & affectatio potentiae in Ecclesia, & Episcopi paulatim in Principes terrenos degenerarunt. 2. Episcopi, non Presbyterorum Collegia, ab Imperatoribus ad Concilia vocari sueverunt, quia primores erant ecclesiae, celebrataeq; adeò pietatis, zeli & doctrinae viri. Non igitur jure proprio, sed jure vocantis potestatis, & Ecclesiae consensu suo delegantis ad Concilia iverunt. Ita Spiritus S. Apoc. II. III. in Angelis Ecclesiarum Asiaticarum plures earundem Ministros, quin & Ecclesias ipsas compellavit. 3. Theodosii in Epistola ad Synodum Ephesinam, quae *cap.32.* ejus Synodi extat, verba Graecè sic habent: *Ἀθέμιτον γὰρ τὸν ἔξω τοῦ καταλόγου τῶν ἁγιωτάτων ἐπισκόπων τυγχάνοντα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς σκέμμασιν ἐπιμίγνυσθαι. Nefas enim est, eum, qui extra Catalogum sanctissimorum Episcoporum est, ecclesiasticis quaestionibus immisceri.* Aliud verò est, *extra ordinem*; aliud, *extra Catalogum* Episcoporum esse. Prius non dixit Theodosius, ex aliis affictum ei à Redingio. Posterius

Digitized by Google

rius dixit, eo videlicet ſenſu, quòd eos ſolùm audire, cognoſcere & ſententiam ferre in Concilio oporteat, qui in Catalogo inſcripti erant eorum, qui ab Eccleſiis ad Concilium fuerint ablegati, & ab Epiſcopis ex literis authoritatis publicæ, quas exhibere Concilio ſolebant, recenſuiſti. Hi autem, cùm eſſent ut plurimum Epiſcopali dignitate, ex communi ratione Catalogus Epiſcoporum à majore parte appellatur. 4. Imò Pulcheria in Epiſtola ad Strategum Bithyniæ juſſit, ut Clerici, laici, Monachi etiam vi repellerentur à Concilio, exceptis paucis, quos Epiſcopi ſecum duxerant; qui proin Synodo aderant cum literis & authoritate publica, functuri partes ſuas. Quæ circumſcriptio propterea addita eſt, quia in gratiam Eutychis *ſupervenientes clerici, Monachi atque laici tumultus facere tentabant contendentes*, ut ibidem Pulcheria ſcribit. En, Redingi, cauſam rejectorum à Synodo diſertis verbis proditam à Pulcheria, *quia tumultus facere tentabant.* Propter factionis igitur periculum proviſum eſt, ut à Concilio illi diſcederent. Patrum equidem in Concilio vox erat: *Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt.* Sed non Epiſcoporum tantùm. Ex particulari univerſale non ſequitur. Nam & Presbyteros aliósque interfuiſſe, liquet. 5. Rectè Martinus Archimandrita ſubſcribere renuit, quia non aderat cum authoritate ullius Eccleſiæ. Epiſcoporum verò ſubſcriptionem eſſe addidit idem, quia ut plurimùm tales, ab Eccleſiis cum authoritate ad Synodos mittebantur. Alias ſi ei Archimandritæ planè nefas fuit ſubſcribere Concilio, dic Redingi, cur in poſterioribus Conciliis Archimandritæ tui, Generales & Abbates Ordinum id ſibi fas eſſe duxerunt? Dixeris tamen, Papæ, domini veſtri *αὐτοκράτορος*, arbitrium facilè quadrata rotundis mutare potuiſſe.

QUÆSTIO III.

An eorum, qui in Concilio res dubias fidei & morum definiunt, ſententia ita ſit judicialis, ut eâ latâ perinde ſtandum ſit, atque ſtatur ſententiâ Prætoris in cauſis politicis?

ITa ſentit Bulla, in qua *ſententiæ dicendæ poteſtas*, puta judicialis & prætoria, quâ in judicio etiam conſcientiæ ſtandum & cadendum ſit, tribuitur Epiſcopis. Nos diſtinguimus forum externum & internum, politicum & conſcientiæ. Sententia in legitimo Concilio definita eſt judicialis & prætoria quoad forum *externum & politicum*, ita ut eâ in externa ſocietate ſtandum ſit & cadendum, & ex ea jus quæratur ſummo Magiſtratui diſſentientibus injungendi ſilentium, vel interdicendi civitatem & immunitates externas. Aliàs in externa ſocietate perturbationibus nec finis nec modus imponi poſſet. Quoad forum autem *internum & conſcientiæ* Concilium nobis non eſt mera *inquiſitio & conſultatio*, uti malè nobis tribuit Bellarminus: verùm ad illud

pertinet

pertinet tum *inquisitio* veri, justi, sancti religiosa communicatione instituta; tum *dictio sententiæ* non judicialis *prætoria*, sed *ministratoria*. Judicium autem prætorium est solius Christi, ab iis, qui Concilio adsunt, in Scriptura inquirendum, & ex ea, velut ex tabulis mandati pronuntiandum, à fidelibus verò per judicium discretionis amplectendum. Itaque sententia Conciliaris quoad conscientiæ forum est *suasionis* non *coactionis*, judiciúmque adeò non *prætorium*, sed *ministeriale*, quale est œconomi vel dispensatoris in domo aliqua præsentis domini, vel medici etiam, quod morbum graviorem non facit, nedum ei dat esse. Opponimus ergo Pontificiis

ARG. I. Is potest ferre judiciariam, principalem & prætoriam sententiam, qui imperat conscientiæ, & fidem ipsam legibus obligare potest. Hoc autem non est Hominum, uti patet ex 1. Cor. VI. 12. VII. 23. 2. Cor. I. 24. Col. I. 24. 25. Cap. II. 20. Gal. V. 1. 1. Petr. V. 2. 3. sed solius Christi, cujus infinita est scientia & potentia.

RESPONDET A. REDING: 1. *Nihil loca isthæc adversus decreta Conciliorum conscientiam obligantia faciunt. inprimis cùm Ecclesiæ alibi Scriptura tribuat potestatem clavium, & ejus præpositis obedire jubeat. 2. Dominium in Scripturis vetitum necessitatem physicam, seu coactionem libertati contrariam, non moralem propriæ libidini oppositam notat.* Tract. I. pag. 86. 87. Resp. 1. Doleo equidem, Redingio hic cum erratis potiùs typographicis, (in hac editione correctis) quàm cum argumento meo confligendum fuisse. Argumenti vis in eo consistit, quòd homines fidei & conscientiis hominum dominari, adeóque decretis suis ex Dei verbo non repetitis obligare nequeant. Id clarè S. literæ in textibus allegatis docent. velut 1. Cor. VI. 12. οὐκ ἐγὼ ἐξουσιασθήσομαι ὑπό τινος. *Non patior me redigi sub ullius (hominis) potestatem.* Cap. VII. 23. *Pretio emti estis. ne fiatis servi hominum.* 2. Cor. I. 24. *Non dominamur fidei vestræ.* Coloss. I. 24. 25. *Ecclesia corpus Christi est. cujus ego minister sum.* Cap. II. 20. *Si cum Christo mortui estis, &c.* τί δογματίζεσθε, *cur in mundo dogmatis,* placitis, decretis hominum *obstringi vos sinitis?* Gal. V. 1. *In libertate, in quam Christus vos asseruit, perstate, nec jugo servitutis iterum constringimini.* 1. Petr. V. 2. *Pascite gregem Dei, providentes μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως non coactè, sed voluntariè.* Quid disertius dici poterat? Vetat Spiritus S. nos redigi sub ullius hominis (in fide extra Dei verbum dominantis) potestatem: fieri servos hominum (quales sunt, quotquot hominibus fidem non demonstratam ex Dei verbo præcipientibus parent: Ne ipse quidem S. Paulus dominari fidei hominum ita voluit, ut injungeret quicquam à Deo non mandatum; Ministrum se Ecclesiæ, corporis non hominum, sed Christi, professus; in vitio insuper ponens, si quis se dogmatis, seu decretis hominum, quæ à Deo edita esse non demonstratur, obstringi, & in servitutem humanæ in rebus fidei voluntatis se redigi patiatur; denique ita pascat gregem, ut is non *voluntariè* ob demonstrationem ex Dei verbo, sed *coactè* ob dictum, imperium & vim hominum pareat. Hæc si cum decretis Conciliorum, non demonstratis ex Dei verbo, adeóque sine demonstratione verbi conclusis, conscientiæ obtrusis, pugnare è diametro, Redingi, non vides, næ doctor cæcus es cæcorum tuorum. 2. De potestate clavium, & obedientia præpositis debita alibi. 3. Pascere ἀναγκαστῶς *coactè* vel *cogendo* non est necessitatem physicam, brutam imponere, uti in-

Digitized by Google

optit Redingius, (cui bono enim tale quid S. Petrus vetaret?) sed non cogere ad fidem ita, ut cibum quemlibet, etiam ex verbo Dei non propositum, non probatum, exploratum, an scilicet salubris sit, an venenatus, capessere, degustare, in conscientia non teneare. Ita coactè & cogendo pascunt, qui decreta humana Conciliorum simpliciter, etiam sine demonstratione ex Dei verbo, obligare conscientias sciscunt, & vel ignaris rerum, vel invitis etiam obtrudunt.

ARG. II. Judicium decisivum fidei esse scripturæ solius, ipsamet abunde testatur Deut. XVII. 11. Esaj. VIII. 20. XLII. 3. 4. Psal. XCIV. 14. 15. Dan. VII. 10. cum Apoc. XX. 12. 2. Cor. IV. 2. Heb. IV. 12. Neque aliud hic requiritur, quàm ut singuli habeant bonam conscientiam, se credere, quod ad salutem revelatum est,' facere quod faciendum. At verbum Dei solum hoc judiciali sententiâ conscientiæ manifestat.

RESP. REDING: 1. *Verbum quidem Dei solum lex illa est, ex qua judicium fidei decisivum formari debet. Sed ratio prudentialis, quæ in fidei controversiis ex ipsomet Dei verbo judicium decisivum format, inniti debet Concilio Oecumenico, non propria conscientiæ privato instinctui. 2. Duplex est conscientiæ & judicii nostri principium, effectivum, quod est gratia Spiritus S. & directivum, Ecclesia in Conciliis definiens. sine quo posteriore nulla certitudo fidei est.* Ib. pag. 87--89. Resp. 1. Verbum Dei scriptum (non scriptum nullum agnoscimus) lex & norma juris propriè est, judex impropriè. Judicat enim Deus per verbum, & Spiritu suo, una cum verbo ab Ecclesia nunquam recedente, verbum legémque omnem cordi inscribit. 2. Ratio prudentialis hominis apud Deum stultitia est, nec capit ea, quæ Spiritus Dei sunt. Ubi verò se spiritui Dei subjicit, hominem spiritualem & spiritualiter prudentem reddit, ita ut per Spiritum Dei & veram fidem verum à falso, verbum Dei à verbo hominum discernat. Juvare hic Concilia Oecumenica possunt ministrando argumenta ex Dei verbo. Plus enim vident oculi quàm oculus, docti quàm indocti. Neque tamen ita illorum definitio authentica est, ut ei tutò conscientia, ante demonstrationem veritatis; ex Dei verbo, innitatur. Neque etiam Spiritus privatus, qualis est Enthusiasticus ille Papæ spiritus, quo agitur ad fundenda ex proprio motu oracula *αὐτοπίσ-τως*, quidquam confert, oppositus quippe Spiritui, quo authore omnis prophetia processit. Quid ergo? Homo spiritu Dei & vera fide, quæ communis omnium fidelium est, præditus, & ministerio verbi Divinitus instituto adjutus, lucem verbi Divini nativo Divinitatis suæ fulgore radiantem, sine ulteriore verbo vel revelatione authentica, non minùs intuetur recipítque, quàm visu corporali præditus Solem radiantem intuetur atque recipit. Neque aliò vera *φρόνησις prudentia*, & intelligentia Spiritualis hominem ducit. Prudentialis verò ratio Redingii à lege & præcepto Dei ad legem & præceptum hominum, ipsiúsque Antichristi seducit. 2. Principium igitur & effectivum & directivum non est nisi Spiritus Dei, qui sicut *efficit* fidem solus, Phil. II. 13. ita הדריך *ὁδηγεῖ dirigit* in omni veritate, & in omnem veritatem, Joh. XVI. 13. Ministri verò verbi & Spiritus Dei licet, volente Deo, dirigant etiam Psal. XXV. 5. fideles, sive in Concilio, sive extra illud, *principium* tamen *directivum* neutiquam sunt, cùm neque primò, neque immediatè, neque necessariò & infallibiliter dirigant. 3. Quæ præterea de Spiritu privato Redingius, ad farciendas chartas suas, ex aliis suis scriptis repetit, à me in scripto vernaculo eidem opposito, ita retusa & obtusa sunt, ut recoctæ putidissimæ crambis suæ pudere illum debuerit.

ARG. III.

ARG. III. Pastorum munus est merè ministeriale. Sunt enim *ministri* & *œconomi* Dei & Christi, 1.Cor.IV.1. *Diaconi Novi Fœderis,* 2.Cor.III.6. *Servi* Ecclesiæ, c.IV.5. pro Christo πρεσβεύοντες, v.20. Servis porro, legatis, œconomis potestas ἀνυπεύθυνος extra tabulas mandati judicandi concessa non est: nec fas est Ecclesiæ extra tabulas mandati judicialiter pronunciantibus obsequi.

RESP. REDING: *Nemo equidem potestatem habet judicandi extra tabulas mandati Divini. Nihilominus authoritas causas fidei ex Dei verbo judicandi ita Conciliis concessa est, ut illa promissione Christi, & assistentia Spiritus S. munita falli, vel contra S. Scripturæ veritatem pronuntiare non possint. Unde S. Apostoli, licet assistentiam Spiritus S. singuli habuerint, Concilium tamen celebrandum duxerunt. quia scilicet per definitionem Concilii prudentiale de dogmate tanquam Divinitus revelato judicium fundatur; cujus contemptu ipsum Dei verbum contemnitur.* Ib. pag.89–91. Resp. 1. Huc scilicet redeunt verissimæ tenebræ Redingii, quas prolixo non minùs quàm obscuro sermone veritati, homo σκοτινάζοντος, offundere nequicquam conatur. Sed verò argumenti vim parùm illa feriunt. Qui in Conciliis definitivas sententias, ceu Ministri, œconomi, præcones Christi proferunt, promunt illi mandati Divini tabulas, atque ita confecta res erit. Sin illas promere negligunt, & dictis suis non probatis, non examinatis fideles quosvis audientes esse volunt jubéntque, nihil illos promissio Christi, nihil Spiritus S. assistentia fidelibus promissa solatur, utpote quæ veræ ecclesiæ, veris Christi ministris, mandati ejusdem tabulas proferentibus, non fidei dictatoribus ex proprio motu ita promissa est, ut non propterea omnes illos ἀναμαρτήτους reddat, uti infrà ampliùs probabimus. 2. S. Apostoli Concilium celebrantes, rem totam ex Dei verbo prolato, & ad conscientiam manifestato definiverunt, præditi insuper in scribendo infallibilitatis dote tali, qualis post illos Ecclesiæ doctoribus nullis competiit. 3. An verò ante Concilii illius definitionem *prudentiale* de dogmatibus suis ceu Divinitus revelatis *judicium* S. Apostoli nullum habuerunt? Scilicet hactenus imprudentes, increduli, meris opinionibus fluctuaverant, nec nisi Concilii illius, non propter Apostolorum, sed perturbatorum, nec non discipulorum seu tyronum ex Judæis & gentibus causam, indicti, anchora figi & sustineri certitudo fidei illorum potuit? Apagesis imprudentissimum, imò & ìmpium *prudentiale* illud in hominum præceptionibus & decretis, non Dei indubitabili verbo, fundatum *judicium!*

ARG. IV. Patres in Concilio collecti sententiam ferunt vel conformem Verbo Dei, vel non. Si prius, *judices* non sunt, quia sententia non ab illis, sed à verbo Dei emanat, sed judicii Divini fideles *interpretes*, jus ipsum non *facientes*, quod propriè judicis est, sed alibi factum *declarantes*. Si posterius, tanquam homines, qui sermonem Dei non habent in se permanentem, audiendi planè non sunt, nedum ut judices haberi possint.

RESP. REDING: 1. *Patres in Concilio collecti sententiam verbo Dei conformem ferunt. Neque iccirco judices non sunt, quia judicis non est statuere jus, sed facti speciem cum jure conferre, atque ex prudenti illa collatione sententiam decisoriam ferre, quæ inter litigantes jus aliquod privatum inducit, non pertingens tamen ad gradum juris publici nisi summi Principis approbantis authoritas accedat. qualis etiam in Concilio est Papæ authoritas.*

2. Calvi-

2. *Calviniſtæ verò quomodo veritatem in ſe permanentem habent, cùm tali nitantur principio, ex quo acerimis contradictionibus etiam circa dogmata ſubſtantialia fidei conflictentur?* Ib. pag. 91--93. Reſp. 1. Quæſtio eſt de infallibilitate Concilii in rebus dubiis fidei & morum definiendis, non de judicio eo, quo facti ſpecies cum jure confertur. quod judicis propriè eſſe Redingius aſſerit. Perſtat igitur vis argumenti noſtri, quod definitiones Concilii verbo Dei conformes à Patribus Concilii emanent, non ut à judicibus, ſed ut ab interpretibus fidelibus, qui jus non faciunt, ſed indicant, repetunt, declarant, adeóque infallibiles non ſunt, niſi quatenus juri Divino conformes eſſe cognoſcuntur. 2. Quantum verò ad collationem facti perſonarum ſeu τ καθ' ἕκαστα, cum jure, poſſunt Concilii patres eſſe judices, ſed merè ſubalterni & adminiſtri, quorum eſt retinere normam judicii à Chriſto præſcriptam, ad quam inprimis pertinet ἔλεγχος demonſtratio peccati per manifeſtam rationem, aut per ſermonem Dei, Matth. XVIII. 15. 16. 17. Sicut autem in demonſtratione tali, ita in ipſo etiam judicio errare Concilium poteſt. neque errorem Papæ approbantis authoritas quicquam minuit. 3. Cætera de Reformatæ fidei principio uti ex fœdis calumniis & Sophiſticis detorſionibus contexta ſunt: ita obtorto collo rapiuntur à Redingio, non alium in finem, quàm ut *reproductis* iis libri ſui molem atque rapſodiam augeret, & mole illa, verbórumque toties repetitorum ſtrepitu, ſtuporem cœcis admiratoribus ſuis incuteret. Contemptu igitur rectiùs quàm reſponſo ullo, toties protrita & conculcata vindicantur.

ARG. V. Concilia etiam Generalia obnoxia ſunt periculo errandi, tum quia infallibilitas iis nullibi promiſſa eſt: tum quia erráſſe docet experientia. Neocæſarienſe enim ſecundas nuptias improbavit. Nicenum I. *Can.* 9. ſanxit rebaptizandos hæreticos, & *Can.* 12. prohibuit ἀναστρατεύεσθαι iis, qui cingulum abjecerunt. In poſterioribus verò, Niceno II. Florentino, Romano, Lateranenſi, Tridentino inprimis, haud obſcurè ſpiritûs deceptoris vim ex Verbo Dei agnoſcimus. Quid quòd Scripturæ prædicunt, omnes incolas terræ beſtiam adoraturos, Apoc. XIII. 8? Eo autem tempore an Concilium aliquod œcumenicum privilegium infallibilitatis habiturum erat?

RESP. REDING: 1. *Concilium Neocæſarienſe, quod Oecumenicum non fuit, à bigamis tantùm pœnitentiam requiſivit, eò quòd incontinentiam ſuam manifeſtarunt. Nicænum I. Paulianiſtas, ſeu Samoſathenianos Divinitatem Chriſti abnegantes, non hæreticos quosvis rebaptizari vetuit: & Canonica pœna multavit eos, qui cingulo ſemel abjecto, in ſortem Domini ſe voluntariè conſecrarunt, atque Deo devoverunt, poſt reſumpta militia ſacrilegè ad mundum redierunt. 2. Siccine tibi Concilia, Nicænum II. Florentinum, Lateranenſe, Tridentinum in Conciliorum Oecumenicorum cenſu ſunt, cùm ex eorum erroribus generalia Concilia errare poſſe, probare ſatagas? Apoc. XIII. 8. incolæ terræ beſtiam adoraturi dicuntur, nempe quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ; adeóque non in univerſum omnes. 3. Conciliorum infallibilitatem S. Patres, Tertullianus, Athanaſius, Ambroſius, Auguſtinus, alii agnoſcunt.* Ib. pag. 93--95. Reſp. 1. Neocæſarienſe Concilium licet Oecumenicum non fuerit, à Leone tamen quarto Papa confirmatum, *diſt.* 20. *Can. de libellis,* quin imò, ſi Concilio Florentino *Seſſ. VII.* fides eſt, à Concilio Nicæno I. receptum eſt.

Si

Si in bigamia *incontinentiæ manifestationem*, pœnitentia dignam, Concilium illud esse putavit, disertè igitur S. Paulo Hebr. XIII. 4. contradixit, adeóque erravit. 2. Concilium Nicænum I. in magna etiam nobis equidem veneratione est, inprimis quoad ea, quæ fidem concernunt. Alia tamen singulorum in eo actorum & decretorum ratio est; quæ ne ipsa quidem Ecclesia Romana singula veneratur, uti, exempli causa, canones XIII. & XVII. Inter ea etiam reponimus, quòd hæreticos ἐξάπαντος ἀναβαπτίζεσθαι *omnino rebaptizari Can. XIX.* jubet. De Paulianistis loqui Concilium ais, Redingi. Numquid verò non illi hæretici fuerunt? Quo ergo jure tu, seu capite, seu pede tuo me dimetiens, *perfidum caput* me appellitâsti? Atqui Paulianistas non simpliciter quâ hæreticos, sed quâ Divinitatem Christi abnegantes, rebaptizari voluisse Nicænos, asseris. Qua verò ratione fretus? Nam nec Canon, nec Canonis interpretes, Balsamon, Zonaras, Aristenus hanc rationem reddunt. Neque Paulianistas, cùm primùm baptizarentur, omnes hæresi ea jam infectos, neminémque adeò primò legitimè baptizatum fuisse, constat. Si tamen rebaptizari eos, quâ Divinitatem Christi abnegantes, Nicæni jusserunt, cur igitur Concilium Constantinopolitanum I. Canone VII. Græco qui in omnibus Balsamonis & Zonaræ editionibus habetur, atque etiam à Photio in Nomocanone *Tit. 12. cap. 14.* citatur, nec non in Alexii Aristeni epitome contractus extat; Arianos Divinitatem Christi similiter abnegantes, etiam non rebaptizatos recipi jussit? Concilia hæc, si potes, Redingi: vel, si non potes, ingenuè nobiscum confitere, alterutrius, vel Nicæni, vel Constantinopolitani Concilii ea de re decretum erroneum fuisse. Par ratio est Canonis XII. ejusdem Concilii Nicæni, quo pœnitentia gravis iis injungitur, qui προσκληθέντες ὑπὸ τῆς χάριτος, *evocati à gratia*, cingulis depositis, hoc est, abdicata militia, post ad vomitum redeuntes, beneficiis etiam τὸ ἀναπραττίνειν, novam militiam redimerent. Hîc Redingius insignem imperitiam suam prodit, cùm inhærens vulgari Canonis illius interpretationi, *Qui vocati sunt per gratiam &c.* nihilominus pertendit, agi de iis, *qui in sortem seu clerum Domini se consecrarunt, & Deo devoverunt.* Tum enim scribendum fuerat non προσκληθέντες, *qui evocati sunt* (uti tamen constans Canonis illius lectio habet) sed προσκληρωθέντες, *qui se sorti seu clero sociarunt, consecrarunt gratia Dei.* Verba certè Canonis, uti jacent, clarissimè conversis ad Christum militiam prohibent. licet variis variorum ariolationibus aliò eum torqueri, non ignorem. 3. Concilia Nicænum II. Florentinum, Tridentinum mihi quidem Conciliabula potiùs, & Italicæ factionis catervæ, quàm legitima & Oecumenica Concilia habentur. Quia tamen & à Pontificibus vestris approbata sunt, & in Conciliorum Oecumenicorum censu illa reponitis, argumento ad hominem, seu Papistam, uti mihi licuisse, intelligere potes. 4. Apoc. XIII. 8. non incolas simpliciter omnes terræ, sed maximam incolarum terræ, Bestiam potiùs quàm Agnum adorantium multitudinem intelligi, probè noveram. Cùm verò persuasus sim, eam Bestiæ adorationem in ea tempora, quibus Concilia vestra inde à Seculo octavo ad decimum sextum usque celebrata sunt, incidisse, quid de iis, quæ Vos Oecumenica per eum temporis tractum appellatis, sentiendum sit, ultro intelligitur. 5. Patrum testimonia, quæ singula ex Bellarmino *de Concil. lib. II. 3.* compilasti, Doctiss. Junius in Animadversionibus ad eundem Bellarmini locum solidè diluit. Hoc unum dico, utcunque S. Patres Concilia, quæ scilicet legitima fuerunt, & solam Scripturam judicii sui normam & amussim admiserunt, commendarint, neminem tamen eorum reperiri, qui vel eorum authoritatem à dicto hominum ex Dei verbo non demonstrato, nec non confirmatione R. Pontificis suspenderit; vel appellationem à judicio Concilii ad judicium Dei excluserit. examen & probationem

Conciliarium decretorum prohibuerit; vel inter decreta toti Ecclesiæ communia & particularia; inter ea, quæ de jure, & quæ factum spectant (qua distinctione semota Pontifici infallibilitatem Conciliorum non defenderint,) distinxerit. Quin etiam non desunt, qui disertè profiteantur, se Concilii Nicæni authoritate contra Arianos uti nolle, sed Scripturæ potiùs, cui illud innititur.

ARG. VI. Posito, Concilia errare non posse, nemo tamen certitudine fidei persuaderi & πληροφορεῖσθαι potest, rem in Concilio ita, ut narratur, gestam esse, & non aliter, cùm narratio de eorum rebus gestis sit industriæ merè humanæ. Quòd si igitur fide, uti vocant illi, Catholica non constat, Concilium hoc vel illud legitimum esse, ejus decreta non erunt *fidei Catholicæ*, sed merè *humanæ*, quæ deceptioni est obnoxia. Hoc argumento in ipso Concilio usus est Vega.

EXCIP. REDING: 1. *Qua erga fide, Divina, an humana vobis constat, Biblia vestra Tiguri impressa & recognita esse verbum Dei? 2. Fidei dogmata in Conciliis decisa absolutè Divina sunt; sententiæ Concilii definitivæ participativè duntaxat, quarum authoritas ad nos defertur non immediatè, sed mediantibus libris, seu Ecclesiæ Pastorum & Doctorum vivis oraculis, errori quidem per se obnoxiis, attamen per Spiritus S. Ecclesiæ assistentis providentiam, & Papæ approbationem eam authoritatem accipientibus, ut jam ultra humanæ industriæ limites ad gradum authoritatis participativè Divinæ eleventur. quæ tatenus prudentialem fidei regulam fundat, ut voluntatem ad assensum ex reverentia primæ veritati debita movere possit.* Ib. p. 95. 96. Resp. 1. In Bibliis Tiguri impressis & recognitis verbum Dei, tum quoad historiam, tum quoad fidei normam, authenticè narratum, contineri, fide non utique humana & Papistica, quæ in Papæ solius definitionem resoluta ad Atheismum denique vergit; sed Divina eadem, qua verbum Dei, ubicunque nativa Divinitatis suæ luce radiat, homo non animalis, sed spiritualis intueri & recipere potest, cognoscitur. Neque enim voces, versiones mutatæ, dum sensum fidei analogum retineant, Divinitatis splendorem mutant; quia verbum Dei non in verbis, quæ humana interpretum industria ponuntur, sed in verborum sensu consistit. 2. Dispar planè definitionum Conciliarium ratio est. uti in ipso Concilio Tridentino Vega agnovit. Gesta enim & decreta Concilii, quatenus genuinum Dei verbum, quod fideles quivis ad scripti verbi normam exactum cognoscere possint, non repræsentant, nec *absolutè*, nec *participativè* Divinum verbum sunt. Cùm igitur narratio rei in Concilio gestæ, & definitionum in ea cusarum; qualicunque demum lingua proponantur, merè humana, insitam Divinitatis notum habeat nullam, Spiritus S. qui Ecclesiæ adest, (de Papa mero homine, in cujus naribus spiritus est, nihil dicam) ut Divina & Catholica fide ea recipiatur, nunquam efficere potest. Neque prudentiæ regula patitur, ut, quod Divinitus sive quoad historiam, sive quoad fidem, revelatum non est, Divina & Catholica fide recipiatur, quæ aliàs non prudentiæ, sed stultitiæ & impietatis regula certissima audiet.

ARG. VII. Sententia Episcoporum in Concilio est judicialis, decisiva & obligatoria vel per se, vel propter consensum plurium, vel propter authoritatem Papæ decreta Conciliaria confirmantis. Non *per se*, quia singuli ire in partes, imò & errare possunt. Non *propter consensum plurium*, quia

quia & illi, fatentibus adversariis, errare possunt, uti patet ex Conciliis improbatis. Cúmque singuli Episcopi errare possint, quidni etiam plures congregati? Sic ægrorum multitudo in unum coacta non minuit, sed auget morbum. Non *propter confirmationem Papæ*, tum quia illa Concilio est extrinseca & posterior sententiis Episcoporum, quorum proinde naturam mutare non potest: tum quia nec ipse habet judicium αὐτοκρατορικὸν fidei: tum denique, quia apud ipsos Pontificios nondum certum & definitum est, Conciliísne an Papæ judicio fides Christianorum nitatur?

EXCIP. REDING: *Episcopi una cum vicaria Christi authoritate promissionem habent præsentiæ Christi, ex qua Concilii sententia decisoria fit.* Ib. pag. 96. Resp. 1. De promissione præsentiæ Christi & Spiritus S. infra videbimus, & supra etiam vidimus. 2. Si Christus præsens Concilio infallibilitatis ejusdem causa est, iis utique, qui Concilio adsunt, infallibilitatem conferet. Hi autem Episcopi sunt ut plurimùm, non Papa, qui ob causas minùs honestas à pluribus Conciliis veteribus & recentioribus, Tridentino etiam, abfuit. Neque obstat, quòd per Legatos interfuit. Illorum enim sententia nonnisi Romæ à Papa à Concilio disjuncto vel dictata vel approbata valuit. Denique nullius ponderis pretiique æstimantur Episcoporum in Concilio sententiæ, sive Dei verbo conformes sint, sive non, nisi extra Concilium à Papa Romæ regnante probentur confirmentúrque, ut certum exploratúmque sit, Episcopos in Concilio nonnisi consiliariorum, Papam verò extra Concilium Dictatoris αὐτοκράτορος munere defungi.

ARG. VIII. Nullus humanus judex tractare & judicialiter decidere potest causas proprias, sicut testari de se ipso nemo potest, Joh. V. 31. Atqui causæ fidei & morum omnium hominum sunt propriæ, quia interest omnium hominum credere veritati, & recta facere.

EXCIP. REDING: *Sicut in politica v. g. Tigurina societate vestra officium publici Magistratus exercere potest, qui societatis ipsius membrum & concivis est: ita in ecclesia ille, qui Ecclesiæ membrum est, & cujus causa etiam propria agitur.* Ib. pag. 96. 97. Resp. 1. An igitur in politica Societate rector vel senator quivis in propria causa judex esse potest? Tiguri esse non potest, quid Suitiæ fiat, nescio. 2. Dispar politicæ & ecclesiasticæ societatis ratio est. Ibi Deus supremus Dominus dominandi potestatem, quibus vult, participat, iisdémque legum ratione generalis mandati conscientiam obligantium, condendarum potestatem impartitur. Hic Christus supremus Dominus & caput, dominio omni ministris suis interdixit, & legibus credendi suis, non ullius ministri stare cunctos jubet. Ibi judicio dominantium usque ad aras subditos subjecit. Hic quemque sua fide vivere, omnia explorare & bonum retinere, denique ἐν ἰδίῳ νοῒ πληροφορεῖσθαι, *in propria mente certum esse* jussit.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Deut. XVII. 9. 12. jubentur, qui dubia habent, recurrere ad sacerdotum Concilia, quique contra eorum decreta fecerit* בזדון *per protervium, reus statuitur mortis.*

tis. Ergo etiam decreta Conciliaria Episcoporum in N.T. ita judicialia sunt, ut conscientiam per se obligent. Resp. nullam consecutionem esse argumenti. 1. quia in V.T. in rebus obscuris edebantur responsiones per signa & revelationes Dei: proinde decreta illa à Deo πρώτως emanantia omnes obligârunt sub pœna mortis. Hoc in N.T. ampliùs non fit. 2. Quin ipsi Sacerdotes in V.T. non poterant aliquid ex proprio motu judicare. Dicit enim Moses v. 9. הגידו לך את דבר המשפט *Indicabunt tibi verbum Judicii.* Et v. 11. על פי התורה *juxta legem, quam docuerint te, & juxta judicium, quod dixerint, facies.* Neque enim rei mortis erant non facientes id, quod non dixerunt Sacerdotes juxta legem. Sic cùm Sadducæis abundabat Collegium sacerdotum, uti factum sub Jannæo, Pharisæi eorum decretis impiis non parentes, non peccârunt, etsi à Rege interficerentur. Nec Christus à Collegio Sacerdotum rejectus & morti addictus propterea inobediens fuit. 3. Quæstiones, de quibus consuli jubentur Sacerdotes, non erant fidei & morum, sed partim politicæ, partim ceremoniales. Politicæ, partim criminales בין דם לדם *inter sanguinem & sanguinem*, hoc est, capitales; partim civiles בין דין לדין *inter causam & causam*, puta causas civiles de rebus ad commoda vitæ pertinentibus. Ceremoniales verò בין נגע לנגע *inter plagam & plagam*, putà morbos sive incommoda, quæ ratione ecclesiastica & ceremoniali secundum legem distingui oportuit. 4. Quin & in eo discrimen est inter Sacerdotes Veteris & Episcopos Novi Testamenti, quòd illis gladio armatis subjectus fuit populus, cui servitus legalis imposita fuit: hi verò nec gladio utuntur, nec legibus suis ecclesiam subjicere possunt.

EXCIPIT AUG. REDING: 1. *Judicium igitur fidei decisivum etiam in N. T. locum habet, ex verbo scilicet Dei; adeò ut eo standum sit, si à Conciliò fiat ex norma per Christum instituta. 2. Sadducæorum autem Concilia prorsus illegitima fuerunt.* Ib. pag. 97. Resp. 1. Sententiæ Concilii, ubi ex Dei verbo deprompteas eas esse, constiterit, obligabunt utique, non ex judiciali authoritate definientium, sed ex verbi Divini clarè indicati, demonstrati, vindicati authoritate. Lex certè à supremo judice emanans & repetita, in repetente, indicante, demonstrante non judicialem potestatem per se conscientiam obligantem, sed merum ministerium, superiori legislatori subjectum arguit. 2. Sicut in V. T. non parentes impiis Sadducæorum Sacerdotum decretis rei non fuerunt, licet ad Sacerdotum Concilia Deus remiserit: ita in N. T. parendum non est ullius Concilii decreto, priusquam id ex Dei verbo depromptum constiterit. 3. Norma Concilii à Christo instituta voluntati ejus in verbo revelatæ, non dicto ullius hominis, ceu authentico & judiciali, extra verbum demonstratum obliganti, Ecclesiæ fidem obstringit.

OBIECT. II. *Ecclesiam, quæ est cœtus Pastorum in Concilio, Christus Matth. XVIII. 17. ita audire jubet, ut qui non audit, haberi debeat pro ethnico & publicano. Ergo Episcopi in Concilio ad credendum obligare possunt sub pœna, quod est veri judicis prin-*

cipalem

Digitized by Google

cipalem sententiam ferentis. Resp. 1. Ecclesiæ vox in sacris nuspiam notat cœtum Episcoporum *δογματιζόντων*, sed ordinem presbyterorum, & fraternitatem consentientem. 2. Neque hoc loco Ecclesia notat universalem in Concilio congregatam, sed particularem. 3. Jubet Christus audire ecclesiam eam non in *ἀποφάσει dictione* sententiæ de rebus fidei & morum judiciali, sed in *ἐλέγχῳ redargutione* seu demonstratione peccati ex verbo Dei ad conscientiam, & tali quidem, qualem etiam duo vel tres, imò unus fratrum, facere posset, uti patet ex v. 15. 16. Alia autem ratio est fidei, alia fraternarum offensarum. 4. Judicium, quo peccator habetur pro ethnico & publicano, non proficiscitur ex authoritate & potestate principali, sed est declaratio sententiæ Ecclesiæ, judicantis contumacem peccatorem, quia elencho ex verbo Dei non paruit.

EXCIP. REDING: 1. *Nullo peccato magis proximus offenditur, quàm hæresi, quâ ecclesiæ totius unitas scinditur. 2. Pro Ethnico & publicano haberi pertinax, nisi ex potestate ligandi Petro & Successori ejus concessa, haberi nemo potest. 3. Demonstratio peccati à Cælesti Patre fit illis, qui in nomine Christi & vicarii ejus congregantur. 4. Licet Concilii sententia ex authoritate principali non procedat, judicialis tamen est, quia à vicaria authoritate Dei manat.* Ib. pag. 97. 98. Resp. 1. De offensa, quæ fit per hæresin, non agere primò Christum, liquet ex verbis v. 15. *Cùm peccaverit εἰς σὲ contra te frater.* Agit igitur de offensa privata, qualis non est ea, quæ fit per hæresin, utpote qua offenditur communis fides totius ecclesiæ. ubi actor non est frater privatus, sed tota ecclesia, Dei in verbo ejus judicium implorans. Tum, ubi audiverit frater elenchum, dicit Christus: *ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν σου, lucratus es fratrem tuum.* Singulis igitur tribuit potestatem veniam dandi, & solvendi. At judicium de hæresi singulis Redingius concessum nollet. 2. Cùm consequentia, Redingi, urgeas, cur antecedentium oblitus es? Annon enim Christi scopus est, omnem majoritatem, dominationem excludere, & docere, quomodo absque superioritate sub imperio Christi fideles cuncti & singuli in cœtu officium suum peragere possint? Tantundem Christus tribuit minimis in Eccesia, quantum maximis. 3. Neque seu unius, seu duorum, seu totius ecclesiæ judicium in dominatione, judicialis potestatis plenitudine, præceptis humanis, infallibilitate capitis, sed in solo *ἐλέγχῳ demonstratione* peccati ex Dei verbo, cujus faciendæ potestatem & gratiam Deus non Concilio soli, (uti Redingius delirat) sed uni etiam, vel duobus concedere vult, Christus fundat. 4. Cœtera chimæris alibi refutatis innituntur.

OBIECT. III. *Concilium Hierosolymitanum Act. XV. fuit ordo Judicum principali potestate sententiam dicentium. Sententia enim Synodi fuit ipsius Spiritus. S. uti apparet ex v:* 28. Visum est Spiritui S. & nobis. *Vnde Lucas Concilii sententiam appellat præcepta, decreta, dogmata. Ergo par ratio est Conciliorum reliquorum.* Resp. 1. nullam esse sequelam, quia dispar ratio fuit Concilii Apostolici & sequentium temporum. Illi præfuerunt Apostoli, universales mundi præcones, canonis consignandi instrumenta, adeóque homines *Θεόπνευστοι*. His non item. 2. Neque Apostoli fuerunt judices ex proprio motu &

plenitudine poteſtatis dogmata definientes, cùm Paulus ipſe neget, ſe eſſe dominum fidei, 2. Cor. 1.24. ſed potiùs miniſtri, & irrefragabiles Dei teſtes & legati, ſententiam judicialem à Spiritu S. emanantem pronuntiantes. 3. Viſum eſt Spiritui S. & Apoſtolis, ne ampliùs onerentur diſcipuli, & abſtinerent tamen à quibusdam, ſed diverſa ratione. Neque enim Spiritûs S. εὐδοκία & voluntas ulli homini tribui poteſt. Cùm igitur in ſententia conciliari fuerit tum ἐπιταγὴ, decernens, ne ampliùs jugum imponatur diſcipulis, tum δόγμα ſeu συγγνώμη vetans eſum ſanguinis, ſuffocati, & idolothytorum, illa ἐπιταγὴ fuit Spiritûs S. quam Apoſtoli & interpretes ejus declarârunt: hæc, συγγνώμη nempe circa res adiaphoras, de quibus ſpeciale mandatum non extabat, fuit Apoſtolorum, quibus datum eſt eſſe fidelibus in opere Domini. Quod igitur viſum eſt Spiritui S. pertinebat ad fidem; quod Apoſtolis, ad praxin circa adiaphora. Quod viſum eſt Spiritui. S. proceſſit ex plenitudine poteſtatis ejus: quod Apoſtolis, ex generali mandato de charitate ſervanda & infirmis fratribus non offendendis. 4. Sententia Concilii hujus fuit præceptum, decretum, dogma reſpectu Spiritûs S. αὐτοκρατορικὸν, reſpectu Apoſtolorum οἰκονομικὸν.

EXCIP. REDING: 1. *Poteſtas Apoſtolis conceſſa fuit cum ordine ad Eccleſiæ ſtatum perpetuum, proin etiam in ſucceſſores tranſit. 2. Apoſtoli & Seniores v. 6. dicuntur congregati, εἰς τὸ ἰδεῖν ut viderent de verbo hoc, ſeu controverſia oborta, & v. 7. 13. de eadem judicant. Quin & v. 28. decretum de rebus, quæ neceſſariæ vocantur, individuè in judicium Spiritus S. ſimul & Apoſtolorum reducitur. Qua igitur fronte dogma decernens, ne jugum ampliùs diſcipulis imponatur, ad ſolum Spiritum S. excluſis Apoſtolis; & decretum de adiaphoris ad ſolos Apoſtolos refers? An Apoſtolicam etiam authoritatem ad gradum ſolius œconomicæ poteſtatis redigere præſumis?* Ib. p. 98--100. Reſp. 1. Apoſtolatus poteſtas, quâ talis, eſt planè ἀδιάδοχος, adeóque iis ita data eſt, ut in ea ſucceſſorem habuerint neminem. Quos enim, præter eos, Chriſtus in totum terrarum orbem ablegavit, ceu teſtes vitæ ab eo actæ, mortis, reſurrectionis, aſcenſionis in Cœlum? Quos alios Canonis ſui conſignandi inſtrumenta, poſt eorum deceſſum, eſſe voluit? Quos eadem menſura Spiritus ſui implevit? Tantundem diſcriminis illos inter & Papam tuum, quem Apoſtolorum choro inſertum quoque innuis, quantum lucem inter & tenebras, Cœlum & Terram intercedit. 2. De controverſia oborta diſpexerunt non ſoli Apoſtoli, ſed etiam Presbyteri, v. 6. ſermocinatus eſt æquè Barnabas ac Paulus, v. 12. judicarunt & Apoſtoli, & Presbyteri, & eccleſia v. 10. 28. cap. XVI. 4. An igitur ex æquo omnibus definitivum judicium tribuendum ais? Si negas, cur Spiritus S. & Apoſtolorum δόγμα *placitum*, quod v. 28. exprimitur, ita conjungis, ut utrumque & ratione decreti de onere diſcipulis non imponendo, & ratione eorum, quæ circa adiaphora diſpoſuerunt, judiciale, emanans & à Spiritu S. & ab Apoſtolis, pertendas? An Spiritus S. & Apoſtolorum, ratione judicialis authoritatis, major conjunctio, quàm Apoſtolorum, Presbyterorum & Eccleſiæ fuit? Quod Spiritui S. viſum eſt, ut ſcilicet onus non imponeretur diſcipulis, fateor etiam Apoſtolis viſum

Digitized by Google

ſum eſt, ut miniſtris & præconibus ſententiæ Spiritus S. non ut cauſis decreti ejuſdem efficientibus; vel quaſi dogmati ſuo nihil aliud prærogarent, quàm quòd viderentur habere Spiritum S. adeóque eo privilegio gauderent, ut quod ipſis viſum eſſet, iccirco ſententia decretoria Spiritus S. eſſet. Viciſſim quod Apoſtolis viſum eſt, ut ſcilicet *τὰ ἐπάναγκες ſubneceſſaria* quædam (ratione ſcandali puta, cùm alioquin alia per ſe, alia ratione judicii hominum quorundam, adiaphora fuerint) etiam Spiritui S. viſum eſt, quia etiam in determinatione talium Spiritu S. ſe non deſtitui, S. Paulus 1. Cor. VII. 40. profeſſus fuit. Neque tamen ita Spiritui S. viſum eſt, ut haberet rationem *ἐπιταγῆς mandati*, ſicut placitum ejus de onere non imponendo. Diſtinctionem illam inter *ἐπιταγὴν mandatum*, & *συγγνώμην* ſententiam & *conſilium*, non nos finximus, ſed alibi 1. Cor. VII. 25. S. Paulus ipſe præivit. 3. Apoſtolicam authoritatem nonniſi *œconomicam* fuiſſe, ipſimet 1. Cor. IV. 1. 2. IX. 17. Epheſ. III. 2. agnoverunt. Vel domini fuerunt domus ſeu eccleſiæ Chriſti, vel œconomi. Non *domini*, quia ſolus Chriſtus, *κατασκευάσας qui conſtruxit domum*, ejuſdem dominus eſt, Hebr. III. 3--6. Ergo œconomi. Si œconomi, non alia eorum quàm œconomica poteſtas fuit. Te forte, Redingi, *Reverendiſſimum* ſcilicet, *& Illuſtriſſimum Sacri Romani Imperii Principem* (quo titulo non ab aliis, ſed à Te ipſo, Tibi Monachorum præſtiti, in fronte librorum, adſcripto, ô tempora, ô mores! ſuperbis) puderet *œconomum* dici. Sed Apoſtolos adeò non puduit, ut tanti domini ſui Oeconomos ſe dici, honori ampliſſimo duxerint; & Tibi, Papæ & Cardinalibus tuis *κοσμικῆς ἐξουσίας τῦφον ſecularis poteſtatis typhum* illum ultro reliquerint.

OBIECT. IV. *Concilia omnia anathema dicunt non credentibus, & leges ſuas vocant Decreta, Canones, Διατάξεις, Conſtitutiones. Qui eis ſubſcribunt, dicunt,* Ego N. definiens ſubſcripſi. *Ergo eorum ſententia eſt judicialis definitiva.* Reſp. fallere ſequelam. 1. quia Patres in Conciliis anathema dicunt non ex proprio motu & plenitudine poteſtatis, ſed tanquam miniſtri declarant anathema eum, qui Chriſtum non diligit, & in eum non credit. Ita privatus quiſque ei, qui non diligit Dominum Jeſum, poteſt dicere *anathema Maranatha*, 1. Cor. XVI. 22. Neque tamen is fidei judex eſt. 2. Decreta, Canones, *Διατάξεις*, definitiones rectè appellari poſſunt, ſive immediatè ex verbo Dei excerptæ ſunt, ſive determinationes ſunt eccleſiaſtici ordinis ex generali mandato fluentes. Neutrum tamen arguit, definientes, decernentes, conſtituentes eſſe judices potiùs fidei, quàm miniſtros ejus. 3. Probatio tota eſt facti, non juris; exempli, non ætiologiæ. Idem autem factum eſſe poteſt bonum vel malum pro conditionibus ipſius, ſecundum ſpeciem, finem aut circumſtantias.

EXCIP. REDING: 1. *Annon etiam Principes hujus mundi, cùm decreta & ſententias condunt, licet judiciali poteſtate polleant, Miniſtri Dei cluent Rom. XIII. 5. nihil utique ex plenitudine poteſtatis facientes? Eadem ratione Miniſtri Eccleſiæ, licet ex proprio motu & poteſtate plenitudinis nihil agant, judiciali poteſtate pollere poſſunt. 2. Cùm privatus anathema erranti dicit, authoritate publica deſtituitur, adeóque in Cælo non ligatur, quem in terra ſolus ligat. 3. Patres in Concilio decernunt, ut judices, quatenus ex verbo Dei in Eccleſia*

Digitized by Google

Ecclesia conservato per vivum Dei verbum, seu fidem verbi Divini in mentibus eorum, qui in Christi nomine congregati sunt, expressam, statuunt fidei dogmata, & judiciarias fidei sententias edant, quibus conscientia obligatur. Unde sententias Concilii decreta, definitiones fidei rectè appellari ipse statuis. Ib. p.100.101. Resp.1. Principes hujus mundi ita διάκονοι *Ministri Dei* sunt, ut propter communicatam Divinitus dominii potestatem, simul ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι *supereminentes potestates*, ἐξουσιάζοντες καὶ κατακυριεύοντες, *potestatem habentes & dominantes*, Matth. XX. 25. Luc. XXII. 23. Rom. XIII. 1. 2. appellentur, legésque proin ex proprio arbitrio, extra Dei verbum scriptum, condere, refractarios pœnis propriè dictis plectere possint. Sunt igitur & Ministri Dei, & Legislatores, domini, ac judices propriè dicti. In Ministris Ecclesiæ alia omnia obtinent, utpote qui meri ministri & præcones sententiæ legis divinæ, & pœnæ refractariis intentatæ sunt. 2. An ergo privatus, qui anathema eum, qui Jesum Christum non diligit, dicit, sententiam, quæ tamen ipsius Dei, Christi, Regis & Principis totius mundi est, authoritate destitui, neque ligari in Cœlo sontem, Redingi, arbitraris? Annon ex eodem principio & fonte privata ea unius, & communis plurium sententia manat? An verbi Divini vis infringi potest, si à pluribus illud non enuntietur? Verùm forum externum soli, & internum poli ac conscientiæ turpiter confundis. 3 Verbum Dei vivum in corde credentium ἔμφυτον *implantatum* cùm idem illud sit, quod in verbo scripto legitur, malignè agis, cùm hoc illi oppositum *vivum* appellas, ac insuper innuis, judiciale propriè esse, quasi aliud ex verbo scripto, aliud ex vivo tali depromi possit. Atqui vera fides legem & sententiam de credendis & faciendis ex solo verbo scripto profert, annuntiat, non prætoris, sed præconis munere functa. Vivum verò verbum, quod appellas, Papæ & Cardinalium infulatorúmque tuorum verbum est, quod à vero Dei verbo ad alia omnia transversos abripit.

OBIECT. V. *Ecclesia habet promissionem assistentiæ Spiritûs S. & infallibilitatis,* Joh. XVI. 13. Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem. *Ergo ea in Concilio congregata infallibilis est, & ejus decreta eodem loco habenda, ac si à Spiritu S. processissent. Unde porro sequitur, sententiam Concilii esse judicialem definitivam.* Resp.1. Esto, ecclesia infallibilis sit propter assistentiam Spiritûs S. non tamen ejus sententia est ideo judicialis definitiva. Is enim judex est, qui jus facit & dicit ex propria & principali potestate, non qui sententiam à Spiritu S. infallibiliter latam pronuntiat. Atqui prius illud foret Spiritûs S. posterius demum ecclesiæ. Apostoli infallibiles etiam fuerunt. Neque tamen dicta sua habuerunt pro κυρίαις δόξαις, & judicialibus sententiis ἀδοκιμάστως καὶ ἀβασανίστως admittendis. 2. Christi promissio Joh. XVI. 13. locum habuit πρώτως in Apostolis, uti patet ex verbis sequentibus: *Et ventura annunciabit vobis.* Horum autem alia ratio fuit quàm ministrorum ecclesiæ in Concilio. Neque locum habuit in congregatis tantùm, verùm etiam in separatis, quia singulos Spiritus S. duxit in omnem veritatem. Numquid igitur singuli Episcopi sunt infallibiles? Δευτέρως tamen pertinent non ad ipsam duntaxat fidelium universitatem, verùm etiam ad singulos credentes, qui sine ductu Spiritûs S. salvari non possunt,

Digitized by Google

possunt. Neque tamen singuli credentes sunt judices fidei. 3. Ecclesia secuta post Apostolicam, vi promissionis hujus ducitur à Spiritu S. in omnem veritatem, nempe *necessariam* ad salutem, & *fundamentalem*. Unde sequitur, veram Ecclesiam, quâ talem, in Concilio congregatam, in fundamento errare non posse. Neque tamen propterea ejus decreta etiam in fundamentalibus sunt judicialia, quia non nituntur plenitudine potestatis ecclesiæ, sed sententiâ principali à Spiritu S. in verbo ejus lata, & in Concilio fideliter declarata.

EXCIP. REDING: 1. *Non solus is judex est, qui ex propria & principali potestate decernit. uti supra dixi.* 2. *Veritas à Spiritu S. sub velamine obscuræ revelationis exarata, in Concilio authoritativè declarante definitur.* 3. *Spiritus S. singulis Apostolis promissus & datus, quia in ordine ad perpetuum ecclesiæ statum promissus & datus est, iccirco Episcopis collectim sumptis, seu in nomine Christi congregatis deinceps datur.* 4. *Cùm omnis veritas Divinitus revelata ita ad salutem necessaria sit, ut ei dissentire non liceat, utique veritas, in quam Spiritus S. ducit, non fundamentalis duntaxat, sed quævis alia est.* Ib. p. 101. 102. Resp. 1. Neque tamen etiam is judex propriè esse potest, qui principalis sententiæ & legis præco duntaxat est, & nihil non definitum ante, definire potest: denique definitivam sententiam non ipse fert, sed aliunde solerter promit. 2. Revelationem à Spiritu S. velari cùm dicis, revelationem omnem tollis. Qualis enim revelatio, sive clara sive obscura est, quæ velamen habet? Et cur Spiritui S. non tantùm revelationem obscuram, sed velamen etiam revelationis authoritate destitutæ, Concilio verò, seu hominum cœtui, definitionis & claritatem & authoritatem arrogas? Næ impietatem meram & blasphemiam talia spirant. Tibi Spiritus S. est Moses velamen obducens faciei, Concilium verò Episcoporum, Satraparum tuorum, Christus revelans. Frustra igitur Apostolus dixerit 2. Cor. III. 16. *Nos omnes retecta facie gloriam Domini in speculo repræsentantes, ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.* Sed cave ne tibi dicta sint, quæ sequuntur cap. IV. 3. *Si adhuc velatum est Evangelium nostrum,* (prout tu velatum obtrudis) *in his, qui pereunt, velatum est. in quibus Deus hujus Seculi excæcavit sensus incredulorum, ne illis lumen Evangelii gloriæ Christi illucesceret.* 3. Spiritus S. Ecclesiæ promissus & datus Apostolis est in ordine ad perpetuum ecclesiæ statum, sed non eadem mensura gratiæ & Spiritus. Apostoli immediatè à Deo inspirati infallibiliter Canonem consignarunt. Immediata hæc inspiratio Apostolis data est sine ordine ad perpetuum Ecclesiæ statum, cùm post illos nemini ea vel promissa, vel data fuerit. Sufficit nunc Ecclesiæ, quòd veritatem infallibilem & sufficientem habet in verbo, quod Apostoli θεόπνευστον nobis reliquerunt. Cúmque singuli Episcopi & fallere & falli possint, suásque ad Concilium infirmitates afferant; *collectim* sumpti infallibilitatem decretis non aliam afferre possunt, quàm eam, quæ doctrinæ Apostolicæ inest. à qua ubi aberraverint, fidem merentur nullam. Fidelium autem singulorum interest, decreta talia ad verbi Divini scripti amussim exigere, & τὰ διαφέροντα δοκιμάζειν, *præstabilia*, magis *explorata*, seligere. 4. In veritatem quamvis Spiritus S. solus ducit Neque tamen singulos in omnem veritatem ducit, quia singuli ex parte cognoscunt & ex parte prophetant, nec nisi per speculum in ænigmate vident, 1. Cor. XIII. 9. 10 &c. 5. Omnis quidem veritas revelata necessaria hactenus est, quatenus ei cognitæ explicitè, vel etiam

by Google

nondum cognitæ implicitè dissentire nefas est. Neque tamen Spiritus S. ita in veritatem omnem ducit, ut salvari, quisquis vel ignorantia, vel errore qualicunque tenetur, adeóque explicitè veritatem quamvis non cognoscit, nequeat.

OBIECT. VI. *Si ecclesia in Concilio congregata non potest judicialiter definire controversias, tum nullum est in ecclesia judicium, quo fidei controversia dirimantur, & veritas ecclesiæ conservetur. Nihil enim in terra datur majus Concilio.* Resp. 1. Sufficit fidelibus ad conscientiæ suæ tranquillitatem & salutem judicium definitivum *interius*, seu *Divinum*, Christi nimirum & Spiritûs S. in Scripturis loquentis. Hæc utique etiam sunt in ecclesia, & quidem majora Concilio. Christus enim est caput ecclesiæ ab ea ἀχώριστον: *Scriptura* autem fidei norma est, ex qua, prætereuntibus Cœlo & terra, ne Jota quidem mutabitur. 2. Judicium *externum* seu *humanum* infallibile & definitivum in Ecclesia nec necessarium est, nec possibile. Quia enim controversiæ pertinent non ad externum ordinem & politiam, sed ad judicium mentis, necessarius est judex, qui illustret mentem & voluntatem sanctificet. Hoc autem judex externus & humanus, quâ talis, efficere non potest, quippe qui in animam & conscientiam potestatem nullam habet. 3. Sed & unitatem ecclesiæ Christus sine judicio humano conservare potest. Is enim pro ea quotidie intercedit apud Deum Patrem, & solus efficit, ut nos invicem diligamus & unitatem Spiritûs servemus. Quid quòd unitas ecclesiæ fundatur in veritate fidei, atque eadem proinde est causa unitatis quæ veritatis? Atqui Concilium non est causa veritatis, sed sola invisibilis præsentia Christi & Spiritûs S. ducentis in omnem veritatem. Ergo eadem est causa unitatis.

EXCIP. REDING: 1. *Verbum Dei, quando sensus ejus patet, sufficiens est fidei motivum. At per Concilium primùm patet. Nam & Ariani pro se Scripturam allegabant, non ante de vero sensu convicti, quàm Concilium Nicænum eum eruisset.* 2. *Si, uti fateris, Concilium in fidei fundamento errare non potest, eatenus igitur judicium externum in ecclesia definitivum possibile est.* 3. *Judex mentem, quæ se Conciliis clavium potestatem exercentibus non subjecit, illustrans olim hæreticos ad varias hæreses propulit.* 4. *Christus unitatem Ecclesiæ conservat, non immediatè, sed ordine per humilem erga Concilia Oecumenica subjectionem rite servata.* 5. *Hinc adeò vos neglecto illo ordine, & spiritu vestro freti, perpetuis contradictionibus, etiam contra ipsum Concilium Nicænum, quod pro legitimo tamen habetis, conflictamini.* Ib. pag. 102–104. Resp. 1. Quàm malè igitur de Ecclesia Christi, ante celebrata œcumenica Concilia, actum fuit, si verbum Dei patens non habuerunt, adeóque nec unitate spiritus, nec veritate fidei potiti sunt! Imò quàm malè de ipso Dei verbo actum est, si lucerna ejus tandiu sub modio delitescens, vim suam illuminandi omnem perdidit! Et quid si persecutionibus continuatis pax ecclesiæ reddita diutius non fuisset, an impeditis Oecumenicis Conciliis verbum Dei continuè latuisset, fidelibúsque de persona & Deitate Christi & Spiritus S. dubitandum perpetuò fuisset? En

quò

Digitized by Google

quò protervæ assertiones tuæ præcipitem te egerint? 2. Interim placuit Deo veritati per prima illa Oecumenica Concilia succollare, non quasi ejus definitio ab illis demum manaverit, sed quia veritatem in verbo Dei definitam & patentem strenuè Patres illi non tam judices, quàm veritatis doctores, asseruerunt, & Arianorum, non scripturis utique, sed impiis figmentis suis Scripturæ impositis pugnantium, hæresin magno consensu, non authoritate sua, sed verbi Divini luce, doctrina & industria obruerunt protriveruntque; ceu cùm fenestra manu valida & agili aperitur, quæ ante clausa manebat, debiliores & minùs industrii, qui illam aperire non poterant, Solem videre incipiunt, non propter aperientium authoritatem ullam, sed propter illorum vires & industriam, quæ sese effectu sensibili produnt exerúntque. Nullum igitur hic judicium prætorium conscientiis dominans; & si qua vera Jurisdictio in Nicæno hoc, ut & in aiii. legitimis Conciliis exercita est, illa omnis non ab Episcopis, sed à civili potestate emanans, robur decretis in externo duntaxat & politico, non interno & conscientiæ foro addidit. 3. Veram Ecclesiam, quâ talem, adeóque manentem (nam deficere particularis quælibet etiam potest) sive in Concilio, sive extra illud, in fidei fundamento errare non posse, constanter assero, at non ob authoritatem ullius hominis, nedum Papæ, sed propter promissionem Spiritus, qui fidem eam in cordibus credentium sola verbi Divini principali ἐνεργείᾳ, & hominum ministeriali opera liberè adhibita, operatur. Non igitur hinc judicii externi & humani infallibilis in Ecclesia vel necessitas, vel possibilitas sequitur. 4. Quæ de ordine Divinitus instituto, quo mediante Spiritus S. mentem illustret, & unitatem Ecclesiæ conservet, asseris, principium turpiter petunt; neque etiam sincerè à te dicta sunt. Si ingenuè, quod res est, fateri velis, non Concilia, sed Papæ solius quidvis probantis vel improbantis oraculum & authoritas, talis ordo vobis habetur. Hinc nempe Concilio generali Ecclesia vestra ultra centum jam annos caruit, & carebit, quod ipsi sagaciores inter vos divinant, ad finem usque ecclesiæ vestræ. Timet enim sibi Papa vester à Regibus & Episcopis, ne ab iis in ordinem redigatur; & solus cum Cardinalibus suis, adeóque sine pari, regnare mavult. 5. Non igitur ordinis à Redingio præscripti neglectu ulla re, per Dei gratiam, nos caremus, sed potiùs tyrannidis per Concilia Pontificia tyrannica, conscientiis dominantia, (qualia prisca illa neutiquam fuerunt) grassantis jugum à cervicibus nostris masculè excussum gaudemus. Quæ verò de antilogiis nostris garrivisti, aniles fabulæ sunt, neque responsum ullum merentur. Si vir es, Redingi, contende invicem Concilii Nicæni decreta fidem Deitatis Christi concernentia, & confessionis nostræ publicæ capita; ac dissensum vel levissimum in hisce proba. Quòd si tamen contradictionum stabulum ingredi adeò gestis, ingredere ocyùs Theologiæ tuæ Scholasticæ, abs Te quondam editæ, velut alterum quoddam Augiæ stabulum, & millenas contradictiones Scholæ tuæ doctorum, quas ipse tu sine omni pudore recitasti, concilia. Hoc labore Herculis decimo tertio defunctus nos demum aggredere, & veras, non ex Sophistico cerebro confictas, non privatorum doctorum, sed publicarum confessionum antilogias, & quidem ex fidei nostræ principiis, uti statuis, protuberantes demonstra. Cur enim nos priùs nugis tuis excutiendis bonas horas tam malè perderemus?

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

An in Concilio Christiano generali & legitimo Jus præsidendi habeat Episcopus Romanus, vel immediatè per se, vel mediatè per legatos?

ITa innuit tum Bulla, tum Decretum Sessionis II. in quo jus præsidendi tribuitur tribus Apostolicæ Sedis legatis. Fuerunt autem illi Pauli III. nomine missi Johannes Maria Montanus Cardinalis Palæstinus, Marcellus Cervinus S.Crucis Presbyter, & Reginaldus Polus S.Mariæ in Cosmedin Diaconus. Successerunt procedente Concilio Hercules Gonzaga, Hieronymus Seripandus, Johannes Moronus, Stanislaus Hosius, Ludovicus Simoneta, Marcus Syricus, & Bernhardus Navagericus. Orthodoxæ sententiæ summa est, in ipso Concilio prospiciendum esse de præside gemino, altero politico, qui præsit ordini, ecclesiastico altero, qui præsit disceptationi causæ. Et ecclesiasticum hunc contendunt Evangelici esse non perpetuo aliquo jure Romanum Pontificem, sed arbitrarium & electivum, & talem quidem, qui Scripturarum peritissimus, in negotiis ecclesiasticis gerendis exercitatissimus, famâ prudentiæ, dexteritatis, moderationis celeberrimus. Cùmque distinctæ sint actiones ecclesiasticæ generalis Concilii & particularium nationum, distinguunt iidem inter præsidem *universalem* Concilii, & *particularem* Nationum. *Universalis* præsidentia, quia extraordinaria, defertur per electionem optimo. *Particularis*, ordinaria olim jure ecclesiastico competiit Patriarchis. Hodie penes ecclesias particulares est, talem præficere vel ordinarium, vel ambulatorium. Interim Tridentinis, tum jus præsidendi perpetuum Episcopo R. vendicantibus, tum à jure præsidendi externo ordini Magistratum summum excludentibus, argumenta opponimus sequentia.

ARG. I. Jus ordinarium & perpetuum in rebus Ecclesiasticis nititur lege Divinâ, vel Ecclesiasticâ. Neutra autem Pontifici R. jus præsidendi ordinarium & perpetuum tribuit. Non *Divina*, quia juris hujus consignati tabulæ edi non possunt. Non *ecclesiastica*, quia membra ecclesiæ universalis nunquam consenserunt de jure tali in Papam transferendo.

RESPONDET AUG. REDING: 1. *Papa, seu successori Petri, una cum absoluta & indefinita ligandi & solvendi potestate pastoralis muneris in universalem ecclesiam primatus, & cum*

Digitized by Google

& cum eo jus præsidendi in Conciliis collatum est. Ibid. p.104--105. Resp. 1. Nec Papa Petri in munere extraordinario & Apostolico successor est; neque in munere ordinario & pastorali, nedum in potestate absoluta & indefinita clavium, quæ solius Christi est, ei Episcopus Romanus solus successit. 2. Cœtera, quæ de Petro Babylone, hoc est, Romæ Epistolam scribente, ibi primatum totius orbis gerente, mortuo, martyrio coronato, & ibi principatum suum in successores derivante, affers, uti partim incerta, partim apertè falsa sunt: ita *ἐκ τῶν δρόμων φέροντες*, & ad farciendas duntaxat chartas instituuntur.

ARG. II. Ecclesia Romana est particularis. Atqui nullius Ecclesiæ particularis Episcopo jus competit ordinarium prędsidendi in Concilio generali, quia singulæ ecclesiæ particulares tum errare, tum deficere à fide possunt. Neque enim in N.T. Deus ulli particulari cœtui juramento vel fœdere se obstrinxit, quò minùs illinc migrare, & candelabrum movere velit, si ingratitudo mereatur.

RESP. REDING: 1. *Papa Ecclesiæ universalis pastor universalis est, quia Petra, cui inædificatur tota ecclesia, à Christo constitutus. Adeóque nec ipse, nec ecclesia ejus errare potest.* Ib. pag. 105--107. Resp. 1. De antecedente infra viderimus. 2. Si maximè Christus Papæ, ceu Petri successori, haud secus quàm S. Paulo olim 2. Cor. XI. 28. *μέριμναν πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν solicitudinem pro omnibus Ecclesiis* commendasset; non tamen inde ejus infallibilitas, vel jus ordinarium Concilia moderandi concluderetur, quia in officio suo peccare, adeóque aliorum judicio se reddere obnoxium posset, longè magis ipse, quàm S. Petrus, qui Christum abnegavit, & cui S. Paulus in os restitit, *ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, quia condemnandus erat*, Gal. II. 11. qui proin hoc quidem in casu ne judicium quidem, nedum *προεδρίαν* seu *præsidium* inter judices, qua pietate & humilitate fuit, sibi arrogasset. Sed in Papa inversa omnia videas. Vult esse reus quàm maximè, & simul judex, judicúmque præses. Nam ceu spiritualis, uti olim Bonifacius ille bacchatus est, à nemine judicari potest.

ARG. III. Amplior fuit potestas Sacerdotum Veteris, quam ministrorum N.T. Neque tamen illi tam arrogantes fuerunt, ut à rerum ecclesiasticarum gubernatione submoverent Magistratus, uti patet exemplo Mosis, Davidis, Salomonis, Ezechiæ. Multò minùs potestas ejusmodi competit ministris N.T.

RESP. REDING: 1. *Annon Uza olim arcam attingens, & supplere conatus id, quod ad Sacerdotum & Levitarum officium pertinuit, severè à Deo punitus est? Annon Coreh, Dathan & Abiram summi Sacerdotii honorem rapturientes, vivi absorpti sunt? Denique Uzia Rex pius incensum ad altare thymiamatis afferens, ut ibi adoleret, lepra percussus est?* 2. *Supra quæst. 1. Resp. ad object. 4. causam ecclesiasticam ad potestatem civilem pertinere negâsti. Hic verò eandem rerum ecclesiasticarum gubernationi admoves.* Ib. p. 107. Resp. 1. Extra oleas, Redingi, vagaris. Uza, Coreh, Dathan, Abiram, Uzias puniti meritò sunt, quia ad Deum appropinquare annixi sunt, cùm altari & Sacerdotio omni, præter tribum Levi, reliquæ omnes, ceu impuræ, Divino judicio, amotæ sint. Cessante in N. T. legali impuritate illa, omnes Christiani Dei Sacerdotes sunt, & in Christo Pontifice vero ad

Deum appropinquant. Distinctæ de cœtero sunt manéntque partes Ministrorum Ecclesiæ & potestatis civilis, illis ex munere suo facientibus, quod à Christo jussi soli facere tenentur: his in externo ecclesiæ ordine præstantibus, quicquid cum vera jurisdictione conjunctum est. uti etiam Moses, David, Solomon, Ezechias præstiterunt. 2. Aliud igitur etiam est causa fidei, quæ in Concilio tractatur: aliud rerum ecclesiasticarum gubernatio cum vera jurisdictione conjuncta. Illam ad eos in Concilio pertinere, qui dono & vocatione instructi sunt, supra asserui. Hanc ad solam potestatem civilem pertinere, denuo affirmo.

ARG. IV. Ecclesiæ Christianæ promissum est, fore, ut, gentibus ostium ecclesiæ ingressis, Reges sint אמנים *nutricii*, Reginæ מיניקות *nutrices*, Jesaj. XLIX. v. 23. Atqui nutritios suos quo jure ab ejusmodi gubernatione arcebit ecclesia?

RESP. REDING: 1. *Nutritii & nutrices sunt, qui ex bonis suis ecclesias fundarunt & dotarunt. Hi Reges & Principes fuerunt in Ecclesiæ Romanæ gremio defuncti. Quo igitur jure hujusmodi à rerum ecclesiasticarum gubernatione arcetis, violatis notoriè fundationum & dotationum tabulis? 2. Jus Divinæ authoritatis Pastoribus ecclesiæ collatum nec ex dotationis, nec ex fundationis titulo pendet.* Ib. pag. 107. Resp. 1. Et falleris & fallis, Redingi, qui Regibus & Principibus munus dotandi & ditandi ecclesias non invides equidem, at eosdem potestate sua & jurisdictione, qua in res ecclesiasticas suo modo pollent, spoliatos, in spiritualibus totos à nutu Papæ tui suspendis, ejúsque vasallos esse jubes. Nutritii utique & nutrices sunt Reges & Principes, summæque potestates quævis, non tantùm, cùm ceu educatores, procuratores, dispensatores, tutores ecclesiæ, injurias ab eadem propulsant, ei hospitia & stipendia largiuntur, ecclesias dotant ditántque (sæpe tamen sine dote & divitiis illis ecclesiæ res meliùs habuerunt) verùm etiam maximè tum, cùm doctrinæ sinceræ præconium procurant, propagant, falsam doctrinam impediunt. Beneficia eorum à potestate iis competente separari utique non debent. 2. Potestas porro illa non cuilibet Evergetæ, sed solis iis, qui summa potestate pollent, competit. Tales apud nos cùm sint Senatus Populúsque, seu delegati populi, iis illibatam potestatem, seu jurisdictionem exteriorem omnem in Ecclesia necessariam asserimus. tantum abest, ut Nutritios *hujusmodi* à rerum ecclesiasticarum gubernatione arceamus, vel dotatorum etiam nostrorum intentioni saltem genericæ, & quatenus ea culpa, si quam temporum iniquitate contraxerunt, vacat, non religiosè respondeamus. Vos verò adeò malam, ne dicam, serpentinam Nutritiis vestris gratiam retulistis, ut eos potestate sua impiè spoliatos & seductos Papæ libidini, profanandos calcandósque pridem mancipaveritis, mancipetísque adhuc. 3. Aliud esse Pastorum Ecclesiæ, aliud Nutritiorum officium agnoscimus, & neutrum vel ex dotationis, vel ex fundationis titulo, verùm utrumque ex Divino jure arcessimus.

ARG. V. Actus *ordinis* in Concilio sunt Doctoribus, Pastoribus, aliísque legitimè vocatis de necessariis prospicere, authoritatem, ubi necessarium fuerit, interponere, efficere, ne in magno cœtu Cyclopum concio habeatur, in qua, uti ait Euripides, ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενὸς; decreta publicare cum authoritate, periculis occurrere, hæreticis conventibus interdicere, contumaces

maces punire, lupos arcere. Atqui actus illi nullo modo nisi à summo Magistratu ordini præsidente exerceri possunt.

RESP. REDING: 1. *Quæcunque Potestas civilis in Concilio agere potest, partim sunt accidentaria Concilio, partim ex mandato Concilii peraguntur.* 2. *Constantinus M. Theodosius, Valentinianus, Constantius vel tale quid nunquam affectarunt, utpote qui postremi Conciliis subscripserunt; vel affectantes ab Episcopis repressi sunt.* Ib. pag. 107. 108. Resp. 1. Exteriorem in Concilio jurisdictionem exercere, atque eadem robur addere decretis, ut in externo foro obligent, libellos ab Episcopis oblatos accipere, combuere, de religionis negotio disquirendi potestatem iisdem permittere, ferre opem utrique disputantium parti, discordantes reconciliare, conferre cum singulis (quæ in Concilio Nicæno Constantinum M. fecisse Socrates & Eusebius memorant) ad essentiam Concilii pertinent, si quicquam aliud. Eam porro jurisdictionem tam non habet Magistratus à Concilio, quàm non potestatem eminentem quamvis. 2. Quæ de Imperatoribus ex Bellarmino *de Concil. lib. I. 19.* corrasisti, à Junio nostro *Animadv. ad eundem locum* κατὰ πόδας dissoluta vide. Si quando Imperatores se veris Episcopis, ceu Pastoribus, ductoribus suis se subesse, & proprio illorum muneri se non ingerere, causam fidei Episcopis relinquere velle, piè professi sunt, nihil hoc facit ad rem, cùm de eorum jurisdictione exteriore & gubernatione Ecclesiæ quoad externum ordinem hic agatur. Constantius quoque Concilio Nicæno subscripsit ultimus, quia ceu Præses non actionis, seu causæ, sed ordinis, nec non executionis vindex subscriptione tali auctoritatem suam in observatione actorum spondere ac obsignare voluit. Ita in priscis Conciliis etiam Nationalibus Galliæ & Hispaniæ fieri consuevit. Quòd si iidem mala futuræ servitutis prævidissent, cogitassentque, nihil profici patientia, nisi ut graviora tanquam ex facili tolerantibus imperentur, cautiùs quædam quàm modestiùs & humiliùs dixissent fecissentque.

ARG. VI. Accedit perpetua praxis ecclesiæ purioris Conciliorum. Etenim Niceno 1. quoad causam Concilii præfuit Eustathius Antiochenus; quoad ordinem Constantinus M. Constantinopolitano 1. cui ne quidem interfuit Romanus Episcopus, præfuit quoad ordinem Imperator; quoad causam Nectarius Constantinopolitanus. Ephesino quoad ordinem Comes Candidianus ab Imperatore missus: quoad causam Cyrillus Alexandrinus. Chalcedonensi quoad ordinem præsedit Martianus primò per se, postea per Judices Consulares: quoad causam ecclesiasticus præses ei non est datus. Leonis quidem Legati ob Orientalium dissensiones primas non tam jure aliquo, quàm arbitrio Imperatoris tenere debuissent, quibus suapte culpa exciderunt. Nihil dicam de particularibus Conciliis, Constantinopolitano II. cui Menas; Sardicensi, cui Hosius; Carthaginensi VI. cui præsedit Aurelius, aliisque infinitis. Consulesis historiam præsidentiæ in veteribus Conciliis, quàm fusè Blondellus de Primatu ad Sect. 64. prosequitur.

RESP REDING: *Concilio Nicæno, teste Athanasio ad vitam solitariam agentes, primus Hosius, Cordubensis Episcopus, utique qua Legatus Papæ, una cum Vito & Vincentio, ejusdem*

Papæ Legatis, subscripsit, adeòque Papæ nomine præsidem egit. Constantinopolitano I. licet non præsederit Damasus, illud tamen eatenus œcumenicum fuit, quatenus à Damaso, in iis, quæ ad hæreseos condemnationem spectant, confirmatum fuit, Photio in libello de 7. Synodis, & Gregorio Epist. lib.VI. 26. testibus. In Ephesino Cyrillus præsedit ut Legatus Papæ, Cœlestino, Evagrio, Photio, Prospero, Nicephoro testibus. Chalcedonensi præfuerunt Leonis legati, ut ex Conciliis ad Leonem epistola, qua dicitur, eum sicut caput membris præfuisse; tum ex eo, quòd in omnibus actionibus primi nominantur, sedent, subscribunt; evincitur. In Constantinopolitano II. Eutychius Patriarcha Const. Epistola ad Vigilium data agnovit, jus præsidendi Romano deberi. Sardicensi Hosius, qua Legatus Papæ, primus subscripsit. Ib. p.108.109. Resp 1. Meras historiæ antiquæ tenebras adversarius offundere conatur. Concilio equidem Nicæno I. Hosius Cordubensis inter Ecclesiasticos præfuit solus, Concilii totius libera electione, & Imperatoris, qui ordini præfuit, voluntate; non Romani Pontificis delegatione, de qua nihil apud priscos. Vitus verò, seu Victor, & Vincentius legati fuerunt Romani Episcopi Silvestri, & Julii, uti vocant, Chorepiscopi; neque illi actionibus Concilii, ut Hosius, sed *parti suburbicanæ*, uti Rufinus vertit, id est, Patriarchatus Romani Ecclesiis præfuerunt. Non obscurè id tradit Theodoretus *Hist. Eccl. lib.I. 7.* dicens: Ὁ δὲ τῆς Ῥώμης διὰ γῆρας ἀπελείφθη βαθύ. δύο μέν τοι πρεσβυτέρους ἀπέστειλε, συνθέσθαι τοῖς πραττομένοις παρεγγυήσας: *Romæ verò* Episcopus *propter senectutem provectam abfuit: sed mandavit duos Presbyteros, cùm dedisset mandata, ut assentirentur iis, quæ fierent.* Non igitur tres ille, sed duos, Vitum & Vincentium, delegavit, non ut actionibus Synodalibus illi præessent, & in consessu regnarent, sed ut nomine suo suffragarentur. Subscripserunt igitur etiam tres hi, Hosius, Vitus, Vincentius, primi; sed ratione differente; ille tanquam Præses actionum Synodalium, hi tanquam legati primæ sedis Episcopi. Nam Synodis universè plures unquam præfuisse, quæ authoritas tradidit, quæ ratio probat? Neq; aliud vel Photius vel Cedrenus à Redingio citati asserunt. Uterq; legatos Romani Pontificis, Silvestri & Julii, Vitum & Vincentium tradit non solos, & toti Synodicæ actioni, sed conjunctè cum aliis Episcopis Patriarchalibus; adeóq; non toti actioni omnium, sed Patriarchatus sui Ecclesiarum actioni præfuisse. Bellarminus igitur, & ex eo Redingius, universalem & particularem præsidentiam, probè distinguendam utramque, confundit. Illa totius Concilii erat, hæc solius Patriarchæ. 2. Quòd Concilium Constantinopolitanum I. Oecumenicum fuerit ob confirmationem Papæ Damasi absentis, putidum est Redingii mendacium. Assensu suo & communi suffragio, ceu Patriarcha Occidentis, probavit & recepit fidem in Constantinopolitano expositam: non confirmatione robur ei ullum summa authoritate, ut caput & princeps, addidit. neque hoc Photius docuit. 3. Ephesino Cyrillus Patriarcha de communi sententia Synodi, atque Imperatoris commendatione ex delegato per consessum totum officio, præfuit. Hæc universalis ejus præsidentia erat. Sed & particulari tum Patriarchatus sui Alexandrini, ex officio ordinario; tum Romani, ex officio fraterno, & Cœlestini, velut Coëpiscopi, extraordinaria delegatione, defunctus est. Manifestè id arguunt verba Evagrii *lib.I.cap.4.* ubi sic ille ad verbum: *Μετὰ πολλὴν χρόνου τριβὴν ἀθροίζονται, Κυρίλλου τοῦ θεσπεσίου διέποντος καὶ τὸν Κελεστίνου τόπον, τὴν ἐπισκοπὴν (ὡς εἴρηται) τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πρυτανεύοντος. Post multum tempus consumptum conveniunt, Divino illo viro obeunte etiam Cœlestini locum, qui (ut dictum est) Episcopatum Romæ veteris administrabat.* Cyrillus igitur, Evagrio indice, tum suo ipsius nomine interfuit, tum Cœlestini locum obivit, non ut Concilio nomine illius præsideret, sed potiùs ut suffragium commune cismarinorum Episcoporum, qui pauculi intererant,

colli-

Digitized by Google

colligeret, proferrétque Romani Epiſcopi & Romanæ Synodi nomine, tanquam ſi illi adfuiſſent coram. Hoc enim ſuffragium judiciúmque ante Cœleſtinus expoſuerat literis ad Neſtorium datis, uti eodem & præcedente capite Evagrius narravit. Neque aliud ex Proſpero, Photio, Liberato, Juſtiniano eliceree ſt. 4 Chalcedonenſi Concilio Leo Papa, quia Patriarchæ reliqui, Dioſcorus Alexandrinus, Anatolius Conſtantinopolitanus, Maximus Antiochenus, & Juvenalis Hieroſolymitanus, ille ob conſenſum cum Eutyche, hi ob mutuas rixas, minùs idonei erant, præſes optatus, ob litem tamen Anatalio & Dioſcoro intempeſtivè nimis & imprudenter motam, datus non eſt. Proin Judices ordini ſervando ab Imperatore Martiano dati non inſtiterunt, ut Præſes ullus eccleſiaſticus Concilio daretur, ſed ipſi, tanquam Præſides ordinis, poſtulata acceperunt, retulerunt ad Concilium, ordinem à ſingulis in quærendo, cognoſcendo, judicandóque ſervari curaverunt, atque ita gravioribus factionibus, ordinem curando, cognitionem verò judicia & definitiones conſeſſui Eccleſiaſticorum permittendo, januam præcluſerunt. Cùm igitur Concilii ad Leonem epiſtola, *act.3.* relata dicitur, Leonem *ſicut caput membris præfuiſſe in his, qui ejus ordinem tenebant*, ita accipiendum eſſe, quòd præceſſerit ordine, & primus ac princeps fuerit ſententiæ, res ipſa docet. Nam ordini Imperatores præſidebant, actioni Chriſtus, Leo in actione primas tenebat, ac propterea etiam *caput* dicitur reſpectu ordinis, ut primæ Sedis Epiſcopus. Atque ſic etiam ratio conſtat, cur Leonis Legati *primi ſederint, primi locuti ſint, primi ſubſcripſerint*, quia ſcilicet Præſes univerſalis erat nullus, & de cœtero Patriarcharum ordo tenebatur. Quanquam vel hoc ipſum docet, Leonem Concilii Præſidem non fuiſſe; cùm Præſes quidem primus ſedeat, primus ſubſcribat, ſed non primus loquatur, ſeu ſententiam dicat. Qui primus ſententiam dicit, is princeps ſententiæ, non præſes conſeſſus eſt. 5. Quoad Concilium Conſtantinopolitanum II. nemo unus teſtis eſt, ei Vigilium Papam præſediſſe. Eutychius, eo non *προεστῶτος præſidente*, ſed *προκαθεζομένου priore aſſidente*, uti etiam diſertè Nicephorus *lib.XIII.27.* habet, de tribus capitulis quæri deſideravit. Neque ſanè de præſidentia, ſed de præſentia ſola Vigilii, primæ ſedis Epiſcopi, tota actione prima & ſecunda tractatum videas. Nullatenus *Principem etiam Epiſcoporum* omnium ejus Concilii fuiſſe Papam, ait Zonaras, ſed Redingius, qui Zonaram nunquam legit, fingit. Is enim agens de Patriarchis omnibus eo ordine, quo ſuis Diœceſanis præerant, ita ſcribit: *ὧν ἐξῆρχε, in quibus primas tenuit Vigilius Papa Romæ, & is, cujus jam facta eſt mentio, Eutychius, & Apollinaris Alexandrinus &c.* quæ poſteriora inſignis impoſtor Bellarminus, (ne de Redingio expilatore dicam) conjungenda dividens, reticuit. Pari vel inſcitia, vel fingendi libidine, Sardicenſi Concilio Julium Papam per Hoſium, ceu legatum, præſediſſe adverſarius ex ſubſcriptione, quæ ita habet: *Oſius ab Hiſpania, Julius Romæ per Archidurum & Philoxenum Presbyteros &c.* colligit. cùm tamen clariſſimè Julius ejúſque legati, ceu poſteriores ab Hoſio Cordubenſi, ceu priore, adeóque Concilii præſide, diſtinguantur.

ARG. VII. Fatetur Cuſanus *de Concord. Cathol. III.16.* in primis octo Conciliis ſemper Imperatorem & Judices ejus cum Senatu habuiſſe primatum & officium præſidentiæ. Conſentit etiam Petrus Suavis Polanus *Hiſt. Concil. Trident. pag.*118. 119. ubi non obſcurè damnat Papæ in hoc jure arrogando temeritatem. Et quondam Cardinales, teſte Guicciar-

dino lib. 9. confessi sunt: *Posse Concilium coire, in quo non præsideat Papa, sed fasces submittat, & sua villicationis rationem reddat.*

RESP. REDING: 1. *Cardinales quidam, schisma molientes, velut in Concilio Pisano, in ejusmodi voces eruperunt.* 2. *A Suave Polano protervè dicta Pallavicinus efficaciter refutat.* Ib. pag 109.110. Resp.1. In voces ejusmodi Cardinales, vi veritatis compulsi, eruperunt, cùm in eo etiam essent, ut Papæ tyrannidem coërcerent, eúmque ad reddendam villicationis suæ rationem vocarent. Sed vicerat, justo Dei judicio, improbitas, quia nondum ruinæ Papalis tempus aderat. 2. Quæ Pallavicinus Suavi opposuit, ex Purpuratis suis Turrecremata & Bellarmino emendicata, singula jam discussimus, dicturi in loco plura. Interim præsidendi munus non omnino Pallavicinus, uti pro licentia sua non semel Papæ causam prodere suevit, Imperatoribus ereptum voluit, ita scribens: *Alia* (olim) *præsidendi ratio habebatur Romano Pontifici, alia Imperatori. Illa interior, & tanquam capitis, membra moderantis; hæc exterior, & tanquam coronæ frontem exornantis.* Quanquam enim Pontifex vetera Concilia moderatus non est, nedum interiùs ut caput; accipimus tamen pro confesso, quòd Imperatoribus præsidentiam *exteriorem*, quæ ordinis est, & quidem ceu *coronæ* capiti impositæ, ne eorum ministerium, servitutem, exequendi munus, quorum corona, (imperii, dominationis solius index) symbolum non est, somnies, Purpuratus ille asseruit.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Pastor ovibus, & Pater filiis suis præsidere debet. Atqui Papa est Pastor & Pater universalis ecclesiæ, quia ei in persona Petri dictum est: Pasce oves meas; & Concilia eum vocant Patrem.* Resp.1. Etiam summus Magistratus sano sensu est pastor & pater Ecclesiæ. 2. Petrus Pastor & Pater non fuit universalis ecclesiæ, utpote qui majorem reliquis Apostolis jurisdictionem non obtinuit. Pascendi verò munus ipsi delatum non fuit personale, sed commune omnium Apostolorum. Compellatus quidem solus est, sed singularem ob causam. 3. Neque Papa est successor Petri. 4. Concilia sæpe Patrem vocant R. Pontificem, ordinis prærogativa primum, figurato, humili & honorifico loquendi modo, quomodo summo etiam Regi animus inesse potest humilimus, integra dignitate, & auctoritate officii.

EXCIP. REDING: *Pastoralis muneris indefinitam, omnes Christi oves & agnos complexam authoritatem & solvendi ligandique universalem potestatem soli Petro Christus commisit; Apostolis reliquis nonnisi per modum legationis, quæ ad successores non transfertur, quippe ab industria personæ pendens. Illa igitur ad successores transiens in Papa residet. ut non ex humilitate, sed juris Divini debito Romanum Pontificem Patris universalis titulo decoraverint, & Episcopi filios ejus se agnoverint.* Ib. pag.110.111. Resp.1. De officio pascendi, & potestate ligandi ac solvendi, Petro concesso, infra viderimus. Certè nuspiam Petro dictum est: *Pasce omnes oves meas, omnes agnos meos.* Nec herilis potestas clavium ei, nedum soli, data est. Fuitque S. Petrus æquè legatus, ac reliqui Apostoli omnes. Omnibus enim dictum est: *Ecce ego mitto,* lego *vos,* Matth.X.16. Luc.X.3. *Sicut me misit Pater, ita & ego vos,* Joh.XX.21. ubi S.Petrum exceptum nuspiam videmus. Sirempse

Digitized by Google

lex omnium est. Ipsa vox Apostoli, qualis S. Petrus quoque fuit, *legatum* sonat. 2. An verò ipse quoque Christus non fuit Ἀπόστολος *Apostolus* confessionis nostræ à Deo *legatus*, Joh. XX. 21. Hebr. III. 1? An de potestate ejus quicquam hoc delibat? An quia legatus Dei Patris Christus fuit, id prohibet quicquam, quò minùs in vicarium ejus, uti pertenditis, Petrum, & hujus successorem Papam, ejus potestas vicaria derivetur? En, victa tua, Redingi, cœdia. 3. Nihil tamen hæc omnia ad Papam. Aliter catuli olent, alitérque leones.

OBIECT. II. *In Concilio Hierosolymitano præsedit Petrus, quippe qui primus surrexit, locutus est, quæstionem definivit, sequentibus ejus sententiam reliquis. Ergo jure præsidet Papa successor Petri.* Resp. 1. Jura Petri usurpat Papa sine lege, sicut olim quidam ædilitatem sine suffragiis. 2. Nec si Petrus semel præsedit, fecit hoc jure ordinario & perpetuo. 3. Præsedisse Petrum non liquet. Non locutus est primus, quia præcessit πολλὴ συζήτησις. Sententiam suam protulit ante Paulum, Barnabam, Jacobum, quod præsidis non est. Decretum factum non in verba Petri, sed potiùs Jacobi, uti patet ex v. 20. & 29. Hunc proinde præsidem hujus Concilii faciunt Dionysius Carthusianus & Abulensis.

EXCIP. REDINO: 1. *In definitione primus Petrus locutus est, & in ejus sententiam reliqui Apostoli iverunt. Prima autem loquendi partes præsidi debentur.* 2. *A S. Jacobo, juxta Dionysium Carthusianum, non determinatio sententiæ, sed determinationis definitiva prolatio, quæ ad executorem, non præsidem spectat, facta est.* Ib. pag. 111. 112. Resp. 1. Qui primus loquitur, princeps decreti seu sententiæ est, (uti etiam hic Petrum Hieronymus appellat) non præses consessus, qui ultimus semper loquitur, censet, & decretum ex plurium suffragiis enuntiat. Nisi Redingius aliam Apostolici, aliam aliorum omnium consessuum formam esse, probaverit. 2. A S. Jacobo æquè ac à S. Petro determinatio quæstionis facta est, cùm singuli suffragia determinantia, definientia protulerint, hoc tamen cum discrimine, quòd Jacobus, ceu præses consessus, quæstionem ex definitivis aliorum, suóque etiam, suffragiis adjecta insuper probatione efficacissima ex Amos. IX. 11. conclusit. Statim enim post ejus sententiam, v. 22. decretum à Jacobo conclusum Antiochiensibus transmittendum Apostoli, Presbyteri & tota ecclesia statuunt. 3. Siccine S. Jacobum non diffinitorem, sed executorem fuisse sententiæ? Putidum hoc Redingii commentum est. Disertè enim sic S. Jacobus v. 19. loquitur: Διὸ ἐγὼ κρίνω. *Propterea ego judico*, quomodo S. Petrum locutum esse non constat. Iccirco Dionysius Carthusianus disertè observat, Jacobum, ceu Hierosolymitanum Episcopum ex Pontificali ordinaria, loci scilicet, dignitate definitivam, seu determinationem Petri & reliquorum, protulisse. quod præsidis est. Nam ut præconem sententiam S. Petri ipsum duntaxat promulgâsse, non communem suámque etiam protulisse, nemo sanus dixerit.

OBIECT. III. *Concilio Hierosolymitano non præfuit Imperator aliquis vel Rex. Non igitur præses politicus est necessarius.* Resp. Magistratus Christianus summus tum temporis nullus fuit. Proinde ipsa ecclesia fuit custos ordinis.

Digitized

EXCIP. REDING: 1. *Si ecclesia fuit custos ordinis, potestate igitur coactiva, quam ad rationem ordinis supra requisivisti, destituta non fuit. Imò eam habuit ex potestate clavium. 2. Si etiam Magistratus infidelis, qualis Concilii illius tempore fuit, non habuit potestatem ordinis, adeóque coërcitivam in ecclesia, neque fidelis habere potest, quia ejus limites à natura definitos fides non mutat.* Ib. p. 112. 113. Resp. 1. Ordinis in ecclesia ratio potestatem coërcitivam tum requirit, cùm summam potestatem in fide consentientem illa habet. Ea non consentiente, ordo non propria jurisdictione, quæ sola cogere potest, sed mutuo consensu, & voluntaria obligatione sic custoditur, ut faciliùs etiam turbari possit. 2. Neque infidelis etiam seu discors Magistratus destituitur potestate seu jurisdictione exteriore respectu ecclesiæ subjectæ. qua tamen liberè utitur vel abstinet, prout res ferunt. Vel nostri temporis experientia loquitur. Ea tamen uti Magistratui fideli incumbit, quia ultra limites à natura corrupta fixos, ad hoc etiam verbum Dei, quo Ecclesiæ nutritius constituitur, & ecclesiæ salutem curare tenetur, obligat.

OBIECT. IV. *In Conciliis judicium fit de fide. Atqui hoc non pertinet ad Iudices seculares.* Resp. 1. Etiam judices seculares ab ecclesia designati, & vocati judicare possunt de fide. 2. Politicus præses requiritur non tam ad judicium fidei, quàm ad custodiam ordinis.

EXCIP. REDING: 1. *Valentinianum fidei disceptationem à se rejecisse, supra fassus es. 2. Vocatio non alia hîc locum habere potest, quàm vicariæ authoritatis Christi.* Ib. pag. 113. Resp. 1. Quo jure Valentinianus rejecerit, non dixi. Neque etiam ab ecclesia, ut disceptaret causam, delegatus est. Imperatoria verò, qua pollebat, potestas ad exertitium ordinis & jurisdictionis à Deo ei demandatæ in ipsa etiam ecclesia eam obligavit, à qua neutiquam abstinuit. 2. Imperatoris ad gubernationem ordinis in ecclesia vocatio immediata à Deo est, quia omnis potestas à Deo, non ab homine ullo, ordinata est, Rom XIII. 1. 2. Vicaria verò Christi in ecclesia authoritas visibilis nulla cùm sit, Christo Spiritu, verbo & gratia sua ei semper conjunctissimo, nihil ea ad vocationem conferre potest.

OBIECT. V. *Octo Conciliis generalibus præsedit Papa per se vel per Legatos. Ita Niceno præsedit per Hosium Episcopum Cordubensem, & Vitum ac Vincentium Presbyteros: Ephesino per Cyrillum: Chalcedonensi per Paschasinum & Licentium Episcopos: Constantinopolitano per Petrum & Georgium Presbyteros: Niceno II. per Petrum Archipresbyterum & Petrum Abbatem Basæ: Constantinopolitano IV. per Donatum & Stephanum: Constantinopolitano I. non interfuit Papa, sed in eo Damasus tamen habitus pro capite ecclesiæ. In Constantinopolitano II. Eutychius, qui præsedit, Vigilio Papæ præsidentiam obtulit.* Resp. 1. Sicubi præsedit Papa, non factum id necessitate juris perpetui, sed libera Concilii electione. 2. Cùm Constantinopolitano I. & II. non præsedisse Papam actu fateantur ipsimet, potest igitur legitimum Concilium esse sine actuali præsidentia Papæ. 3. Niceno I. non Hosius sed Eustathius præfuit: Ephesino Cyrillus: Niceno II. Tarasius Constantinopolitanus. Constantionpolitano IV. præfuit sanè Papa, sed per electionem communem Synodi, ob singularem causam.

EXCIP.

EXCIP. REDING: 1. *Ex præcedentibus falsitates hujus responsionis constant.* 2. *Ulteriùs etiam id ex actis Concilii Carthaginensis Pallavicinus adversus Suavem Polanum firmavit.* Ib. pag. 113. 114. Resp. 1. Imò responsionis nostræ veritas, & Pontificii argumenti futilitas atque *ἔνδεια* ex ipsa historiarum luce ita clarè supra à nobis demonstrata est, ut timendum mihi non sit, ne vel hiscere Redingius cum ratione ampliùs possit. 2. De actis Carthaginensis Concilii in loco, ubi Pallavicini adversus Suavem argutias diluere instituero. Hic enim cum Redingio, non cum Pallavicino, cujus exuviis ubique se inops ipse tegit, confligo.

QUÆSTIO V.

An Papa Romanus sit caput & œcumenicus pastor Ecclesiæ, quam nomine & vice Christi cum imperio moderari & gubernare debeat?

AFfirmat Bulla, in qua Paulus Papa se asserit vocatum *ad moderandam & gubernandam naviculam Petri*, nec non se *Dei omnipotentis Patris & Filii ac Spiritus Sancti, ac beatorum ejus Apostolorum Petri & Pauli auctoritate in his terris defungi* jactat. Hinc etiam Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates &c. *vi jurisjurandi Papæ & sanctæ sedi præstiti*, obedientiam sibi debere contendit. Omitto hic reliqua *θεσπίσματα* innumera, quæ Papæ vindicant Canonistæ, aliique gnathones. Nos eum talem esse negamus. Etenim

ARG. I. Eum esse caput ecclesiæ & oecumenicum pastorem, nec clarè in Verbo Dei est revelatum, nec per alia testimonia infallibilia Christianis manifestatum. De Christo Ecclesiæ capite habemus sententiam clarissimam: *Certissimè agnoscat omnis domus Israël, quòd Dominum & Christum Deus fecerit eum ipsum Jesum, quem vos crucifixistis*, Act. II. 36. *Hic filius meus perdilectus est, hunc audite*, Matth. XVII. 5. *Ego sum bonus Pastor, oves meæ audiunt vocem meam*, Joh. X. 10. Hæc obligant ecclesiam ad obediendum Christo. Ubi similis sententia de Romano Pontifice? Non allegant nisi remota quædam, incerta & obscura principia, ex quibus conclusio deduci nequit nisi per infinitas ambages, & consequentiarum trochleas, notitiam rerum variarum, inprimis historiarum, quam sibi ne centesima quidem pars hominum comparare potest, nedum ut comparet. Hæccine clara verbi Dei sententia? Neque alia media vel testimonia

infallibilia sunt,quibus Papæ,ut capiti ecclesiæ obediendum esse constet. Traditio res incerta est & fallax. Miracula eum non facere, ipsi fatentur. Ecclesia nunquam eum universali consensu caput & dominum elegit, quippe quæ se peculium esse Christi,non hominum, novit.

RESP. REDING: 1. *Si universalis Papæ in Ecclesia authoritas per ambages, & consequentiarum trochleas, ex principiis obscuris probatur, probatur sanè, atque iccirco credenda est.* 2. *Sicut Christum Deus constituit Pastorem: ita Petrum, Joh. XXI. 15. 17. Sicut audiri Christum jussit: ita etiam Ecclesiam, Matth. XVIII. 17. communicata ei in foro Cœli ligandi & solvendi potestate, quæ capitalis in ecclesia authoritatis in successores derivandæ prærogativa Petro, jure delegationis Apostolis competebat.* 3. *Ecclesiæ Romanæ etiam cùm vera fuit, Episcopos imperium in alias ecclesias appetivisse, Calvinus ait. Si Orthodoxi fuerunt, jure appetierunt. Jure igitur iis competebat.* 4. *Primatum hunc agnoverunt Concilia vetera & S. Patres.* Tract. Procem. pag. 114--118 Resp. 1. Bellè, σοφῶς omnia, mi Redingi. Ubi certa clara, necessaria principia requiruntur, ibi incerta, obscura, ex quibus conclusio nisi per infinitas ambages & consequentiarum trochleas deduci non queat, nihil efficiunt. Non igitur quod per ejusmodi principia consequentias probare aliquis conatur, id verè probâsse dici potest. Addo nunc, principia illa falsa etiam esse, & obtorto collo rapi non ad faciendam veram vero dogmati fidem, sed ad incrustandam iniquam tyrannidem, quam cupido dominandi, affectibus omnibus flagrantior, in ecclesiam invexit. 2. Pascendi munus, ligandi & solvendi potestatem Petro, non Papæ Anti-petro, & quidem procul omni dominandi studio, Apostolis omnibus à Christo interdicto, concessam, aliáque ejusmodi in peregrinum sensum detorta, cùm toties in desperatæ causæ tuæ subsidium advocas, meminisse certè debueras,

Et citharœdum
Rideri, qui chorda semper oberrat eadem.

Inferiùs tamen, ne me vadimonium deserere velle dicas, ea de re, ut & de Conciliorum ac Patrum sensu, uberiùs dicturi, principiorum illorum, quorum munimento omnis Papatus insistit, incertitudinem, obscuritatem, falsitatem ampliùs propalabimus. 3. Maturè Ecclesiæ Romanæ, Orthodoxæ adhuc, Episcopos, neque tamen in universum omnes. (nam plurimorum etiam *gloria fuit non purpura, non divitiæ, non equus albus, non fastus, non dominatus; sed, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, Domine*; uti scitè Heymburgensis ille ante ducentos annos scripsit) dominationem appetivisse, res ipsa loquitur. Neque tamen ad παμβασιλείαν Papalem, supremam & effrœnem in temporalibus & spiritualibus dominandi potestatem, & cum eadem conjunctam veræ fidei oppugnationem, Orthodoxum quenquam aspirasse, largimur. Qui verò Orthodoxi adhuc humanitus aliquid hic passi sunt, ii plerique saltem τὰ πρωτεῖα ambiverunt, quòd existimâssent, id Ecclesiæ futurum vehementer utile, ut quò majore essent apud omnes veneratione, hoc eorum monitiones, reprehensiones, censuræ ecclesiasticæ, ad continendum in officio populum, fideíque incrementum, plus ponderis haberent. Sed cum discipulis Christi nesciverunt eatenus, cujus spiritus filii essent, Luc. IX. 52--55. Ingenita enim cuivis & insatiabilis habendi cupido & ambitionis acerimus stimulus potiùs, quàm aliud quicquam ejusmodi elationem eis persuasit. Ipsi Apostoli, ὀρθοδοξότατοι, Johannes & Jacobus, tonitruum filii, carnali studio abrepti de primatu quondam decertarunt. quorum Orthodoxia in laude maxima, contentio verò invitio fuit. Par Episcoporum Romanorum Orthodoxorum hic ratio fuit.

Digitized by Google

ARG. II. Caput Ecclesiæ est solus Christus. Etenim is est ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος, Col. I. 8. & II. 19. ubi cum articulo ὁρίζεται definitè notatur is, qui est caput ecclesiæ. Tum in Christo solo reperiuntur proprietates capitis, quales sunt, conjungi cum Ecclesia ἀχωρίστως καὶ ἀδιαιρέτως, diligere ecclesiam & συμπαθῆσαι, pro ea fieri sacrificium, repræsentare corpus, ἐπιχορηγεῖν suppeditare ei omnem vim & facultatem vivificam, nec non augmentum, ut crescat & educetur Ecclesia εἰς πᾶν πλήρωμα τοῦ Θεοῦ, esse lucem corporis ecclesiæ, & unicum Doctorem. Hæc capitis ecclesiæ hieroglyhica soli Christo tribuuntur Ephes. I. 22. 23. II. 21. 23. 1. Cor. VIII. 6. 1. Tim. II. 8. 1. Cor. XV. 45. 47. Joh. I. 4. 46. Matth. XXIII. 8. 10. &c. Est itaque nomen hoc *capitis* inter nomina διαφορώτερα, competens soli Christo.

RESP. REDING: 1. *An ergo Concilia Sacra & Patres Orthodoxi, Pontificem caput ecclesiæ vocantes, blasphemarunt?* 2. *Christus ecclesiæ caput est principaliter & absolutè: Papa relatè ad Christum, ministerialiter animarum salutem operans.* Ib. pag. 118. 119. Resp. 1. Caput intellexi in pleno, non in diminuto sensu ita dictum. Nam caput in pleno sensu est propriè illud, quod & ordine, & dignitate, & imperio & influxu cœteris membris præest: in diminuto verò illud, quod primum est, adeóque, sine potestate, influxu & dominatione ulla, ordine aliis præit; quia scilicet caput non tantùm dominatur membris, sed etiam prima pars est animalis, & quæ in pronis ad terram animantibus præcedit. Unde & *caput libri* pro fronte libri, & prima ejus parte; & *legionis caput* pro prima legionis cohorte dici suevit. Priores sive primores officiorum Theodosianus codex Leg. XI. *in capite constitutos* esse ait. Decem militum primus sub una papilione tendentium, *caput contubernii* appellabatur. Sic *capita Senatus, Scholæ*, primi Senatores, rectores. Græcis quoque κεφαλὴ, & Hebræis ראש etiam *primus* dictus à quo ראשית *initium* ac *principium*, & ראשון *primus, prior*, quasi *capitalis*, vel in *capite* constitutus. Si quæ igitur Concilia vetera, si qui S Patres vel Ecclesiam Romanam *caput ecclesiarum omnium*, vel Romanæ Ecclesiæ Episcopum cœterorum omnium *caput* hoc sensu tum, cùm & Ecclesia Romana & ejus Episcopi Orthodoxiæ laude adhuc claruerunt, appellitarunt, nullius equidem blasphemiæ rei peragi possunt. Fuit enim Eccesia Romana ordine prima, fuerunt ejus Episcopi ordine primi, non jure equidem Divino, sed ecclesiastico & politico, ob urbis Imperatoriæ dignitatem & primatum. Ubi eadem Ecclesia ejúsque Episcopi prorsus tum in regimine, tum in fide degenerarunt, tum verò illud Esajæ cap. IX. 15. נביא מורה שקר הוא הזנב *Propheta mendacii doctor, ipse* est *cauda*, impleri cœpit, atque impletur quotidie. 2. Illa Redingii de binis capitibus responsio speciosior equidem est illa Bonifacii VIII. qui *cap. Unam sanctam, Extravag. de majorit. & obed.* dicere non erubuit, *Christum, & vicarium Christi Petrum, & Petri successorem Papam, unum tantùm omnes esse caput ecclesiæ.* Uter verum dixit, Redingius Abbas, duo capita constituens ecclesiæ, an Bonifacius Papa, unum asserens? Veruntamen duo illa capita, licet *imperialis* & *ministerialis* nec non *absoluti* & *relati* discrimine fucata, ex duplicis officii varietate cum suis statuens, non tam capitis officia dividit, quàm planè discerpit, & Papam imperiale potiùs & absolutum, quàm ministeriale & relativum caput constituit.

Digitized by Google

ſtituit. Ecquæ enim capiti principali & miniſteriali officia deputare illi ſolent? *Capitis imperialis* officium (ita Stapletonus *Princip. doctr. lib. VI. 16.*) eſt, à ſe tanquam fonte vitam in cœteras corporis partes diffundere: *miniſterialis*, corporis externa munia imperio & poteſtate ſua dirigere & adminiſtrare. Atqui imperio & poteſtate ſive interna, ſive externa corporis munera dirigere, præcipua ſeu principalis eſt capitis functio, illo unico digna capite, quod vitæ, ſenſus & motus poteſtatem omnem ſpiritu ſuo corpori impertitur. Cúmque hoc imperium exercere ſit prærogativa Regia, & Regis Regum propria, qui eam totam, vel partem ejus cuiquam ſubditorum, qui *εἰς ἔργον διακονίας ad opus miniſterii* conſtituti ſunt, (Epheſ. IV. 12.) tribuit, læſæ Majeſtatis Chriſti reum ſe reddit. Et ſanè *caput* eſſe, non impropriè duntaxat, & ratione ordinis cujuſdam, ſed ratione poteſtatis, imperii, influxus in inferiora; atque ſimul *miniſtrum* eſſe, planè *ἀσύστατα* ſunt. Neque Papam ſuum aliter Eccleſiæ ſuæ caput Pontificii conſtituere, quàm infinitam, meram & reapſe directam in ſpiritualibus & temporalibus poteſtatem ei arrogando, cúmque Regem Regum, & Dominum Dominantium faciendo, potuerunt.

ARG. III. Oecumenicus Papatus conjunctus cum ejuſmodi unius hominis imperio, mutat & evertit libertatem filiorum Dei, quæ illis in N. T. propria eſſe debet. Nam in V. T. quidem eccleſia Judaica ſubjecta fuit ejuſmodi legislatoribus & dominis, uti colligitur ex Geneſ. XLIX. 10. Jerem. XXXI. 31. &c. Deut. XVII. 9. 12. &c. At in N. T. ſublata ſervitute ſucceſſit libertas eccleſiæ, ſecundum quam eccleſia jam eſt ſolius *Dei vivi*, 1. Tim. III. 15. agnoſcens ſolum Chriſtum Regem, Dominum & Doctorem Eſaj. XXXIII. 22. Matth. XXIII. 8. 9. 10. Qui igitur Papæ tribuunt *ἐξουσιαστικὸν, αὐθεντικὸν, ἀρχοντικὸν, μοναρχικὸν*, quæ ipſiſſima verba ſunt L. Allatii Græculi *de Conſenſ. Eccl. Orient. & Occ. l. 1. c.* 5. abnegant regnum Chriſti, libertatem filiorum Dei tollunt, & priſtinam ſervitutem poſtliminio introducunt.

RESP. REDING: 1. *Atqui non obſtante Evangelica libertate S. Paulus Rom. XIII. 1. 2. fideles Magiſtratui ſubjicit, & Chriſtus Petro poteſtatem clavium, ſub qua etiam legislativa continetur, mandavit. 2. Neque etiam Chriſtus venit, ut ſolveret legem & prophetas, licentiámque quidvis agendi induceret.* Ib. pag. 119. Reſp. Nec Magiſtratus politici imperium, quod Evangelium non abolevit, quidquam Evangelicæ libertati derogat, cùm fidei & conſcientiæ dominari jure non poſſit, ac proin eatenus ſervos hominum non faciat: nec clavium poteſtas miniſterialis poteſtatem legislativam requirit, cùm Cœlum aperiendum claudendúmque ſit juxta leges non hominis ullius, ſed ſolius Chriſti domini. 2. Chriſtus quoque libertatem aſſerens, & fidem conſcientiámque ab imperio & dominatione hominum liberans, nec legem & prophetas ſolvit, utpote libertatis N. T. prænuntios: nec licentiam agendi quidvis munivit, ſed vera libertate, quæ uni ſolíque ipſi fidem cultúmque omnem obſtringit, eccleſiam ſuam beavit.

ARG. IV. Si Papatus oecumenicus inſtitutus eſt à Chriſto, oportet contineatur in hierarchia eccleſiaſtica, quæ fuit Apoſtolorum tempore. Atqui Paulus hierarchiam ſui temporis commemorans Epheſ. IV. 11. 12. oecumenici ejuſmodi Papatus nullo apice meminit. RESP.

Digitized by

RESP. REDING: 1. *Cùm Apostolos primore loco S. Paulus posuit, Apostolicam dignitatem perpetuò in ecclesia mansuram innuit. Solus autem S. Petrus Apostolatum in successores derivaturus erat, quia super ipso ecclesia fundata est; non item reliqui Apostoli, quia Apostolicæ dignitatis plenitudo iis per modum legationis duntaxat collata est.* 2. *Ibidem v.11-14. Apostolos Ecclesiæ dedisse Christus dicitur, ne fluctuemus in fide, puerorum instar. Ergo infallibilitatem in decidendis fidei dogmatis iisdem, Petro inprimis, & successoribus perpetim in ecclesia mansuris contulit.* Ib. p. 119. Resp. 1. Lynceus es, Redingi, qui Oecumenicum Papatum ibi vidisti, ubi nemo veterum vidit, nemo recentiorum, ὀξυδερκὴς quamvis, videre potest. Etenim si Papatum Oecumenicum Paulus comprehendit, in summo utiq; gradu comprehendit. Atqui hoc non, quia Oecumenicus, & caput Ecclesiæ consortem neminem admittit. Summus autem gradus apud Paulum, qui *Apostolorum*, non Apostoli cujuspiam principis est, consortes admisit. Oecumenicus igitur, seu caput ecclesiæ in eo comprehendi nequit. Somnium porro, non res est, quòd Petrus fuerit ordinarius, successorem sortiturus: Apostoli reliqui delegati tantùm, successoribus destituti. Id enim & cum S. Scriptura, quæ semel & una missione omnes missos ex æquo asserit, ut vel omnes ordinarios, vel omnes delegatos fuisse necessum sit; & cum erudita antiquitate omni pugnat. Solus nobis Bellarminus, & ex eo Redingius, in hac mundi senecta arcanum isthoc reseravit, ceu alter Pythagoras sibi nudè asserenti fidem haberi contendens. 2. Ne verò in fide, puerorum instar, fluctuandum nobis esset, humanum infallibile caput constitui opus neutiquam fuit. Statim enim v. 15. subjicit Apostolus, nos ἀληθεύοντας ἐν ἀγάπῃ *veritati studentes in charitate, crescere* εἰς αὐτὸν *in ipsum, Christum,* τὴν κεφαλὴν *caput illud, ex quo totum corpus conformetur.* En, nemo Apostolorum, Pastorum nemo, quibus v. 12. solum ἔργον διακονίας *opus ministerii* tribuitur, sed Christus solus corporis sui, Ecclesiæ, caput inducitur. Is solus Spiritu suo infallibili Ecclesiæ conjunctissimus, mediante Apostolorum doctrina scripta, à Pastoribus & doctoribus ad illam solam alligatis, adeóque & fallibilibus & falsis, cùm ab ea recedunt; prædicanda, ne puerorum more in fide fluctuemus, efficit. 3. Quin tantùm abest, ut Apostolus hoc loco caput aliquod visibile insinuet, ut potiùs cum unitate Ecclesiæ diversitatem & varietatem donorum ac ministrorum consistere posse atque debere, ex professo doceat.

ARG. V. Potestas ecclesiastica nuspiam ἀμέσως tributa est uni homini, qualis Papa est: sed ecclesiæ, vel certè pluribus. Hinc Christus contumacem peccatorem non jubet deferri apud unum, sed apud *Ecclesiam*, Matth. XVIII. 17. Tum Apostoli omnes ἀμέσως potestatem suam acceperunt à Christo, non solus Petrus, & reliqui à Petro. Christus enim omnes misit, sicut ipse missus est à Patre, Joh. XX. 21. 22. Quin & omnes Episcopos, non unum aliquem, regendæ ecclesiæ præfecit Paulus, Act. XX. 28. Præterea claves Regni Cælorum non uni alicui concessæ sunt, sed toti ecclesiæ in persona Petri, Matth. XVI. 19. XVIII. 18. Joh. XX. 23. Quid quòd sublato Pontifice maneret ecclesia, atque adeò etiam potestas Ecclesiæ? Apparet in Interpontificiis, schismatibus, hæresibus, apostasia Paparum: quin & in Orientalibus ecclesiis, quæ non subjectæ Pontifici, potestatem tamen tum ordinis, tum jurisdictionis retinent. Denique in

Digitized by Google

Concilio Tridentino ipſo idem ſenſerunt Epiſcopi Hiſpani, Galli, & magna pars Italorum. Hinc Lainezio Jeſuitarum Generali contendenti, poteſtatem jurisdictionis totam integrámque immediatè Papæ, non Eccleſiæ tributam eſſe, palam reſtitit Epiſcopus Pariſienſis, aſſerens, eam doctrinam prioribus ſeculis inauditam eſſe, ante annos 50. à Cajetano demum inventam, ut pileum Cardinalitium mereretur: à Theologis Sorbonenſibus eo ipſo tempore ignominiosè notatam, utpote quæ ex Regno Cœleſti faciat non Regnum, verùm tyrannidem temporalem, & ſpoliet eccleſiam titulo Sponſæ Chriſti. Quin & Fr. Victoria, Alphonſus à Caſtro, & ante eos Facultas Theologica Pariſienſis A. Chr. 1429. in cauſa Fratris Johannis Saraceni, aliique defendunt: *Tam Apoſtolos quàm cæteros Epiſcopos immeditatè à Chriſto Juriſdictionem accepiſſe & accipere:* quos eo nomine pulſat Bellarminus. Et eodem aurigatur nupera definitio ſupremæ Curiæ Pariſienſis.

RESP. REDING: 1. *Quomodo eccleſiaſtica poteſtas non eſt tributa uni homini, & tamen tributa eſt Apoſtolis non ſimul ſumptis, ſed ſigillatim? Annon hæc contradictio manifeſta eſt? 2. Diverſa textuum citatorum ratio eſt. Matth. XVIII. 17. non Apoſtolos ſigillatim ſumptos, ſed Eccleſiam in Concilio per ipſos repræſentatam plenitudinem poteſtatis à Chriſto accepiſſe; Joh. XX. 23. ſingulos Apoſtolos poteſtatem extraordinariam per modum legationis accepiſſe; Matth. XVI. 19. ſoli Petro, ceu figuram gerenti totius eccleſiæ, (uti S. Auguſtinus Epiſt. 164. interpretatur, hoc eſt, ut tota eccleſia repræſentativè in eo ceu Principe ſuo, ſit;) cum ordine ad eccleſiam ſuper petra ad finem uſque mundi fundandam, clavium poteſtatem indefinitam promiſſam eſſe, quæ Joh. XXI. 17. eidem collata ſoli eſt; Act. XX. 28. à Paulo Epiſcopis non poteſtatis Apoſtolicæ plenitudinem, ſed Epiſcopalis jurisdictionis partem traditam eſſe, innuitur. 3. Sublato Papa maneret eccleſia, quoad ſubſtantiam & quoad hierarchici ordinis proprietatem in habitu, non tamen in actu, ex defectu capitis. 4. Eccleſiæ Orientales ſchiſmaticæ retinent poteſtatem ordinis, ſed non jurisdictionis univerſalis, verùm particularis ab ipſo Papa promanantis. 5. Quæ de Pariſienſi Epiſcopo in Cajetanum invecto dicuntur, Pallavicinus refellit. Nec Sorbona aliud contendit, quàm quòd Pontifex poteſtate & infallibilitate immediatè à Chriſto ſibi tributa, niſi interveniente Concilio, uti non poſſit. Proin diſſenſus ille non circa ſubſtantiam Oecumenici Papatus, ſed circa modum & uſum ejus verſatur. 6. Si univerſi Apoſtoli & Epiſcopi à Chriſto immediatè poteſtatem acceperunt, quod Pariſienſi Facultati tribuis; etiam S. Petrus immediatè ſuam accepit. Sed Apoſtoli poteſtatem ſuam per modum legationis: Epiſcopi limitatam: Petrus indefinitam clavium poteſtatem in ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum accepiſſent.* Id. p. 119-122. Reſp. 1. Quamvis poteſtatem eccleſiaſticam Apoſtolis ſigillatim collatam eſſe, diſertè non aſſerui, id tamen verum eſt eo ſenſu, quòd quamcunque Apoſtoli ſinguli acceperunt, eam non à Petro vel alio Apoſtolo, ſed immediatè à Chriſto acceperunt. Quia tamen non ita ſinguli univerſam acceperunt, ut tota conſtiterit in uno, excluſis reliquis, ſine ulla contradictionis ſpecie dixi, eccleſiaſticam poteſtatem nuſpiam *ἀμέσως* tributam eſſe uni homini, qualis Papa eſt, ſed Eccleſiæ, vel certè pluribus: & ſimul tributam eſſe Apoſtolis, ſive ſigillatim, ſive conjunctim acceptis. An qui pluribus ſigillatim aliquid tribuit, non tribuit pluribus? Na-

amus

amas nimiùm, Redingi, lectori tuo fumos vendere. 2. Dissimiles ut esse locos allegatos, probes, hanc unam rationem dissimilitudinis affers, quòd ecclesiastica potestas Apostolis ceu delegatis, Petro ceu figuram gerenti ecclesiæ, cum ordine ad perpetuum ecclesiæ statum, adeóque Ecclesiam repræsentanti collata sit. Hanc verò dissimilitudinis rationem, nodum quæsiturus in scirpo, ut malæ causæ prætextum haberes, finxisti, non probasti. Nec αὐτὸς ἔφα es, ut non probanti fidem habere teneamur. Quamcunque potestatem acceperunt Apostoli, ex æquo omnes, ceu delegati Christi acceperunt, & quicquid ad successores derivari potuit, ex æquo omnes derivarunt. Solvendi & ligandi, remittendi & retinendi peccata potestas, clavium symbolo significata eadem & æqua Apostolorum omnium fuit. Et in Petro Ecclesiam, adeóque etiam Apostolos claves accepisse non tantùm Cœli, uti Alphonsus à Castro *adversus hæreses lib. XII.* & Roffensis *ad artic. Luth.* 27. nugantur, sed etiam Regni Cœlorum, pia antiquitas, ignara discriminis ullius, uti ex Paciano *ad Sympron.* Hieronymo *lib. I. adv. Jovin.* Origene *tract.* 1. *in Matth.* Basilio *Constit. Monast.* 22. Augustino *in Johan. tract.* 50. *&* 124. aliis liquet, agnovit. Neque S. Augustino dicenti, S. Petrum, cùm claves accepit, *figuram* seu *personam gessisse ecclesiæ*, in mentem venit, eum accepisse claves, ceu Principem ecclesiæ, atque ecclesiam repræsentasse; ut sic in Petro claves datæ dicantur Ecclesiæ, sicut Regno datum dicitur, quod datur Regi. Nam quæ sic dantur Regno, quia dantur Regi, iis solis Rex utitur fruitur, non etiam ipsum Regnum. At his clavibus contendit Augustinus ecclesiam uti frui, etiam seorsim à persona Petri. S. Petrus igitur figuram, personam ecclesiæ gerendo, eandem repræsentavit *sociali* modo, non ut princeps, sed ut socius eorum, quos repræsentabat, ita ut societatis ejusdem jure, beneficii ejusdem particeps esset. Addo, S. Petrum assertione Redingii tantùm non infra reliquorum Apostolorum dignitatem deprimi. Si enim reliqui Apostoli potestatem extraordinariam per modum legationis acceperunt, illi extraordinarii fuerint, S. Petrus ordinarius Christi Apostolus. Atqui ministerium extraordinarium majora habet dona, quàm ordinarium. Et si ille ordinarius fuit, quid opus reliquis extraordinariis? Si ordinarius propterea, quia in ejus locum alii succedere debuerunt, atque omnis in eo Petri prærogativa ea constitit, ea ut frueretur, priùs mori debuit; nec vivus adhuc quacunque re excelluit. 3. Constat id populo esse principem, quod mens est corpori. Si igitur Papa ceu Princeps ecclesiæ potestatem plenitudinis omnem solus habet, eo mortuo, hæretico &c. ecclesia corpus mortuum, mente sua destitutum erit. Quomodo igitur substantia ecclesiæ manet? Et si potestas penes ecclesiam nulla est, unde in electum Papam denuo potestas nuper amissa migrat? 4. Ecclesiæ Orientales ab Occidentali separatæ si potestatem ordinis retinent, retinent igitur etiam jurisdictionis, quia potestates eæ, si abstractè intelligantur, reapse idem sunt, & concretè ratione tantùm differunt. Jurisdictio quippe limitatur ad subditos, ut pascat quisque gregem suum, non alienum, per potestatem ordinis, qua omnibus partibus ministerii Pastoralis uti licet. Utraque verò, qua Orientales Ecclesiæ, quatenus fundamentum fidei retinentes vera Christi ecclesia esse non desinunt, utuntur, potestas ita scilicet à Papa manat, ut nec eam à Papa unquam desideraverint, nec eam Papa iis, utpote à solo Christo immediatè pendentem, dare potuerit; neque à Christo iis datam, utut etiam voluerit, & excommunicationum suarum fulminibus intonuerit, eripere unquam possit. 5. De Pallavicini ratiocinationibus alibi videndum. Neque tam leve, Sorbonæ inter & Monarchicorum in Papatu de radice ecclesiasticæ potestatis discrimen, uti quidem Redingius fingit, sed maximum, non utique circa rei modum, sed substan-

Digitized by Google

tiam ipsam intercedere, fusè alibi, *Dissert. Sel. Tomi I. Dissert.* comprobavimus, Concilio interveniente ita opus esse, ut non tantùm consiliarii vel columnæ cujusdam, uti adversarius comminiscitur, vice adjuvet, sed potestatem, si opus fuerit, in ipsum etiam Papam, quem etiam in rebus juris & facti fallibilem, saltem extra Concilium, profitentur, exerceat, eo scilicet modo, quo in Constantiensi factum, Parisienses apertè sciscunt. Neque leve adeò sententiarum divortium est, quod tantos motus non semel dedit, & nuper etiam, cùm Cleri Gallicani definitiones (quas Redingius initio Tomi III. Palæmonem forte se Papam suum & Clerum Gallicanum inter gesturus, interpretandas pro supercilio suo sumpsit) emanassent, moderno Papæ Innocentio XI. uberes lachrymas extorsisse fertur. 6. S. Petrum à Christo potestatem immediatè accepisse, fatemur, sed sociam, non vel principalem, vel universam. Differentiam verò potestatis, à S. Petro, Apostolis & Episcopis acceptæ, prout eam Redingius pro ingenio suo critico confidenter statuit, Facultas Theologica Parisiensis ignoravit penitus. Nunquam aliàs vel Bellarminus ei insultasset, vel cum iis Hieromonarchici alii Andabatarum more conflixissent.

ARG. VI. Nemo unus sufficit regendæ Ecclesiæ universali. Ad plantandam ecclesiam necessarii fuerunt duodecim Apostoli. Quomodo igitur unus non Apostolus, ecclesiæ jam plantatæ gubernandæ, & novis plantandis par erit? Ne in civilibus quidem παμβασιλεία possibilis est. Quantò minùs ecclesiæ, cui opposita est tota rerum universitas; quæque per vicarios administrari nequit, unus ejusmodi παμβασιλεὺς sufficiet?

RESP. REDING: *Papa Ecclesiam totam regere potest per subordinatos Rectores Episcopos, per diœceses distributos. Aliàs ecclesia dispersa in varias sectas scinderetur, exemplo Ministerii Calvinistici, quod ob sectarum varietatem Babylonem potiùs quàm Ecclesiam repræsentat.* Ib. pag. 122. 123. Resp. 1. Posse quenquam, quod sui muneris est, per alios in ecclesia gerere, nuspiam Scriptura tradit. Est enim Episcopatus S. Paulo 1. Tim. III. 1. ἔργον *opus*; veteribus verò λειτουργία *opus publicum*. Tum primis ecclesiæ Seculis moris nunquam fuit, Ecclesias ab uno per alios subditos regi. Quin Chorepiscopos, quos hodie Episcoporum vicarios dicunt, antiquitas eandem ob rationem damnavit. Denique si per subordinatos Diœcesanos Papa Ecclesiam universalem regeret, subordinati illi non suo, sed alieno jure, ceu legati alterius, ab eodem jus suum omne mutuantes, adeóque precario jure ecclesias suas regerent, quomodo Rex subjectas provincias per ministros regit. Atqui Pastores & Episcopi quivis ecclesias suas regunt suo jure, non potestate precaria ab ullo homine accepta: dicuntúrque adeò & sunt Episcopi, Pastores, non ullius Episcopi & Pastoris vicarii. *Unus* nempe, juxta πολυθρύλλητον illud Cypriani, *Episcopatus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* quale quid de Regum ministris subordinatis dici non posset. Atque argumentum hoc in ipso Concilio Tridentino etiam Episcopi Galli & Hispani, atque eorum nomine Belcarius, Metensis Episcopus, uti ipse Pallavicinus tuus *Hist. Concil. Trid. lib XIX. 6.* narrat, strenuè urserunt. 2. Quàm verò malè cesserit illa unius hominis in universam Ecclesiam Christi præsumptio, vel ipse Papa tuus horrendo exemplo esse potest. Ex quo enim Phaëtontis instar huncce currum Solis justitiæ conscendit, universum Orientem fastu & avaritia sua perdidit, atque in ecclesias Occidentales teterrimarum hæresium suarum semina intulit. 3. Quæ de sectis Calvinistici

ftici Ministerii, & Babylone scribis, tuis verbis in Vos perbellè quadrare, probabo. Universalem enim Pastorem requiri doces, *ne Ecclesia dispergatur* in varias sectas. Annon simili consilio Babylonis veteris architecti, nomen sibi in mundo paraturi, insanam illam turrim moliti sunt, ut scilicet *terra maneret unius labii, & ne dispergerentur in universam terram,* Genes. XI. 1. 4. Sicut autem veteres illi Babylonii divisi nihilominus & dispersi sunt per totum orbem: ita novæ Babyloni vestræ, quam graphicè Apocalypsis describit, accidit. Quanta enim post attentatam stupendam illam Papatus tyrannici turrim, in Oriente & Occidente confusio, divisio, dispersio insecuta est? Hodiéque Babylonis vestræ architectos utcunque, Samsonis vulpium adinstar, caudis colligati sint, ad propugnandum commune illud carnale Regnum, capitibus tamen innumerarum religionum, sectarum, immane quantum divisos distractósque videas!

ARG. VII. Caput ecclesiæ Oecumenicus Pontifex haud dubiè talis esse debet, ut Spiritus Sancti dona habeat in copiosiori mensura, quàm reliqui: non erret in fide: sit διδακτικός, prudens, perspicax, exemplar gregis & ὑπογραμμός ecclesiæ, qualis Christus. Atqui nulla datur in terris cathedra, cui hæ dotes veluti perpetuo munere alligatæ sint. Sanè Papam R. errare posse in fide, ante Bellarminum & Pighium nemini non persuasum fuit. Cùmque repellere possit bonam conscientiam, Deum abnegare, in hæresin incidere, uti fatentur Gratiani Decretum, Albertus, Thomas, Alexander de Ales, Bonaventura, Petrus de Tarentasia, Innocentius V. Richardus de Altavilla, Augustinus de Anchona, Petrus de Palude, singuli à Turrecremata citati, aliíque innumeri, quidnî in fide errare possit? Imò errâsse docent exempla Eleutherii, Liberii, Felicis, Anastasii, Honorii, omniúmque posteriorum Pontificum. Posse eundem peccare, imò crimina patrare, in Historiis testatissimum est.

Resp. Reding: 1. *Si quæ hæreses, errores, peccata in Pontificum personas caderent, ea in ipsam Cathedram Romanæ Ecclesiæ Apostolicam neutiquam redundarent. Neque Papa loquens ex cathedra, sive ex officio suo pastorali erga universalem ecclesiam, decretum fidei vel bonis moribus contrarium condere potest; tum quia Christus rogavit pro Petro, ceu Principe Apostolorum, ne deficiat ejus fides, & ut conversus fratres confirmaret; quod privilegium in successores transire debuit; eandem infallibilitatem Lucio I. Epistola ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ; nec non Felice I. Epistola ad Benignum agnoscentibus: tum quia super Petro Ecclesia ita ædificata est, ut clavium potestatem is acceperit, cum Petra fidei, usque ad finem Seculi duratura, connexam.* Ib. p. 123. Resp. 1. Pontifices Romanos in hæresin labi posse, imò & lapsos esse non semel, licet reclamantibus Jesuitis, infallibilitatem ejus in jure & facto propugnantibus, negare cùm non possis, (nimis enim manifesta sunt non tantùm posteriorum, inde à Bonifacio III. sed priorum etiam, Liberii inprimis Arianorum, & Honorii Monotheletarum castra sequentis, exempla) ad distinctionem Papæ & Cathedræ, privati & publici è Cathedra pronuntiantis doctoris, confugis, & in ea haud secus, quàm in Makkedæ spelunca sua olim Amorrhæi, te abscondere conaris. Olim tamen Nilum, Gersonem, Almainum, Alphonsum à Castro, quin & ipsum

Digitized by Google

Papam Adrianum VI. (ex cathedra, an extra eam, ita pronunciaverit, tu noveris) pronuntiâsse, Pontificem etiam ut Pontificem errare posse, Bellarminus *de Rom. Pont. l. IV.* 11. fatetur. 2. Nihil verò prorsus novitia tua inter personam & cathedram, Papam privatum & publicum doctorem distinctio causam tuam juvat, tum quia privatim errans etiam ut Papa errat, cùm ut Papa privatim etiam docere debeat: tum quia olim etiam Moses habens cathedram in populo Dei erectam, in ea sedens, ex ea judicans, infallibilis non fuit, quippe non sanctificans Deum in tali actu, quem maximè publicè, & quasi cum authoritate cathedræ peragere debuerat: tum quia sublata cathedra Mosis in N. T. quippe in Regno solius Dei, non alia cathedra est nisi Dei & Christi, si à cathedra *irrisorum*, Psal. I. 1 *& nequitiæ, quæ fingit ærumnam supra statutum, cum Deo insociabilis*, Psal. XCIV. 20. discesseris: tum quia ipsi vos, quid sit ex cathedra, ceu publicum doctorem loqui, definire hactenus non potuistis: atque non aliò tandem res redit, quàm ut cathedra illa, seu potestas definiendi infallibilis sit scrinium pectoris Papæ, adeóque Papa ut privus doctor: tum quia ex eodem ore dulce & amarum, calidum & frigidum manare non potest: tum quia sic Papa non gaudebit prærogativa Apostolica, cùm Apostoli ne quidem privatim docentes falli potuerint: tum quia disjunctio illa Papæ ut Orthodoxi, & ut hæretici vana est, cùm nonnisi in cerebro pingi possit: tum denique, quia Pontifices multi ex cathedra sua, ceu publici doctores, hæreses pronuntiarunt, docuerunt. Nihil dicam de posterioribus Pontificibus, Gregorio VII. Bonifacio VIII. Innocentio III. aliis, quorum bullæ, eæ inprimis, quibus Concilia Lateranensia, Florentinum, Tridentinum hæresibus vel assertis vel confirmatis scatent. Ipse certè Honorius quondam errorem suum per decretales suas ad Sergium epistolas, quas in publica Patriarchæ Constantinopolitani bibliotheca asservatum, & à Sergio aliis Patriarchis Orientalibus communicatum iri sciverat, publicè, apertè, obstinatè professus est. quod si ex cathedra non fecit, quid publicus doctor ex cathedra facere potest? 3. Christus, inquis, pro Petro oravit. Pro Petri Persona, an Cathedra? Edissere. Pro Pontifice Romano quolibet? Proba. Intercessio Christi, ne deficeret fides Petri, effecit, non ut vel cathedra illi propria cederet, vel Papa quivis ei se intrudens errare non posset, & jure regnum suum tyrannicum gerere posse videretur; sed ne ruiturus propediem corrueret, à gravissimo lapsu intercessionis Christi efficacia resurrecturus. Non aliud ibi Christus Petro promisit, quàm constantiam in vera fide interiori, quæ licet hic Petro speciatim in memoriam revocetur, omnibus tamen fidelibus communis est. Oravítque Christus etiam pro Apostolis reliquis, imò omnibus per sermonem eorum in se credituris, Joh. XVII. 20. Neque tamen illis omnibus vel cathedram talem despondit, vel infallibilitatem impetravit. 4. Felix & Lucius Pontifices & in propria causa testes à te allegantur, & ne quidem verè testes, cùm primorum Pontificum Epistolas illas suppositities esse omnes jam paulò emunctiorum narium Papistæ agnoscant. Cœtera non tam quæstionem probant, quàm pro more mendicant.

ARG. VIII. Scriptura eum, qui se venditat Caput ecclesiæ, Oecumenicum Pastorem, vicarium Christi, cum subjectione ecclesiæ, sub ænigmatum involucris, puta *Bestiæ, Meretricis, Babylonis, Pseudo-Prophetæ & Antichristi* nobis depingit. Prophetias eam in rem, & earundem implementum demonstravimus in explicatione Cantici Mosis. Papa igitur se jactans caput ecclesiæ

ecclesiæ & Oecumenicum Pontificem, evitare non potest, quin pro eo, qui sub his ænigmatibus proponitur, haberi debeat.

RESP. REDING: *Sub illis ænigmatum involucris Antichristi Spiritus jam tum in Simone Mago operans figuratur. Ille bonorum operum necessitatem & arbitrii libertatem, Sacerdotum cœlibatum, potestatem miracula faciendi, mortuorum resurrectionem, planè uti vos hodie, oppugnavit. Imò cùm mysterium iniquitatis jam primis ecclesiæ Seculis operatum fuerit in hæreticis, atque cum iisdem communia plura Calvinus habuerit, Calvini tuùmque adeò spiritum in Antichristo primitus operante recognosce.* Ib. pag. 124--126. Resp. 1. Cùm ad rem ipsam respondere nihil potueris, neque, utcunque lacertos tuos omnes commoveas, excusare possis, quò minùs, qui se juxta Christum Ecclesiæ caput, Oecumenicum Pontificem jactat, & supremam sibi in terris potestatem arrogat, sub involucris Antichristi, Babylonis M. Bestiæ posterioris, Pseudo-prophetæ depingatur; ne mutus esses, plaustra convitiorum adversus Calvinum (cujus & aliorum nostrorum quoad hæresium cum veteribus communionem objectam, uti innocentiam in vernaculo scripto, Te ad ἰχθυοβόλον redacto, pridem asserui; ita dicta, si quæ erronea ei excidissent, præstare ego nullo jure teneor) jaculanda putasti. Vel uno documento tuum calumniandi cacoethes liquidissimè probo. *Simon Magus resurrectionem mortuorum negavit. Calvinus juxta Farellum Epist. 78. hujus carnis resurrectionem similiter pro re incredibili habuit.* Atqui resurrectionem carnis, & *hujus* carnis resurrectionem solidissimè Calvinus *Instit. III.* 25. demonstrat. Salva res est, cùm ad calumniandi necessitatem, Redingi, devolveris. Purga priùs, si potes, objectum crimen; & cum ratione certa, non calumniarum strepitu & furore, demonstra, *Antichristum* non esse, qui se super omnia effert: *Babylonem* non esse, quæ ex ecclesiastico in civilem statum converso, Romæ imperitans multis populis, in regna totius terræ potestatem sibi, spiritualium, seu *mysterii*, cujus titulum in fronte præfert, prætextu, vendicat: *Bestiam* non esse, quæ priori Bestiæ imaginem faciens, repræsentare se Ecclesiam pertendit, & non adorantes imaginem occidit: *Pseudoprophetam* non esse, qui infallibilis Propheta haberi cùm velit, hæresium quædam veluti pandora est. Atqui talia ei, qui juxta Christum caput Ecclesiæ, Propheta infallibilis, Ecclesia repræsentativa haberi & adorari vult competunt. Commentationes dein Interpretum vestrorum in Apocalypsin, de Babylone M. inprimis Alcasaris, Riberæ, à Lapide, evolve & invicem compara. Palpitabit tibi, sat scio, cor vel invito, ubi deprehensis continuis eorum conflictationibus, & rationibus penitus conturbatis, subodorari, non alibi, quàm in Hierarchia, seu clero Ecclesiæ Romanæ dominante, impleri Oracula, incipies. Heic Rhodus, Redingi, heic saltus!

ARG. IX. Neque defuerunt omni tempore, qui Papæ potestatem in ecclesiam rapienti & usurpanti masculè se opponerent. Id probatum Viris doctissimis, Mornæo Plessiaco in Mysterio Iniquitatis, Salmasio, Blondello, Chamiero, M. Anthonio de Dominis, Molinæo, Crocio, Hottingero, aliis. Facit etiam huc Pauli Servitæ narratio valde ἀξιομνημόνευτος de origine & incremento potestatis Papalis, quam ille totam derivat tum ab exaltatione Episcoporum, tum ab exemptionibus Monasteriorum & Abbatum à potestate Episcoporum. quam *lib. 2. Histor. de Concil. Trident.* videre est.

RESP.

RESP. REDING: *Qui se opposuerunt Romano Pontificatui, non alii unquam fuerunt, quàm heretici & schismatici. Hæreses enim & schismata non aliunde, Cypriano Epist. 55. ad Cornel. Papam, judice, obortæ sunt, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur. quem Sacerdotem eadem epistola ait esse Rom. Pontificem, Petri cathedram obtinentem, & Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta sit.* Ibid. pag. 126. Resp. 1. Hæreticus ergo fuerit ante omnes Gregorius M. & ipse Papa, qui titulum *Universalis* seu Oecumenici *Patriarchæ* non in Constantinopolitano tantùm, sed in quovis alio (nam argumenta ejus generalia sunt, neque unquam Romanum excipit; quin ejus exemplo titulum illum repudiantis Johannem premit, & soli capiti Christo eum cohærere, apertè dicit) affirmat esse *superbum, pomposum, profanum*; (Regist. I. lib. IV. epist. 32-36.) *temerarium, perversum, abominabilem*; (Epist. 38.) *impium* (Epist. 39.) *superstitiosum* (lib. VI. ep. 24.) *nomen singularitatis, arrogantiæ, blasphemiæ*, (lib. IV. epist. 32. 38.) Neque id nudè affirmat, sed rationibus plurimis validissimisque confirmat, qualia sunt, *quòd sic cæterorum Episcoporum nomini derogetur; pax ecclesiæ superbo nomine turbetur; gratia communiter omnibus effusæ contradicatur; sub uno capite Christo omnes nonnisi membra ecclesiæ sint; ad imitationem hoc pertineat Diaboli, qui omnibus præesse, subesse nemini voluerit; in elatione sua tali Antichristum præcurrat; nemini fas sit appellari Rabbi; fratrum omnium corda ad scandalum provocentur; nec Episcopi Romani*, (iis quidem à Chalcedonensibus oblatum eum titulum statuit, sed præter fidem Concilii, adeò ut Baronius ipse librarii fraudem suspectaverit) *nec Sanctorum quisquam eo titulo usus fuerit.* Hæc ϑελωκῆα certè ῥήματα si reprehendere tu sustinueris, renues igitur ipsemet Papæ (talis enim Gregorius fuit) obtemperare, atque sic, te ipso judice, hæreticus eris. 2. Cypriano *Ecclesia* illa, in qua præcipit *obtemperandum Sacerdoti Dei, uni Episcopo & judici Christi vice*, particularis est cujusque urbis ecclesia, non universalis. Hæc enim dixit injuria commotus Novatianorum, qui Carthagine novum ei Episcopum opposuerunt; quemadmodum socii eorum Romæ Cornelio. De omnibus igitur Catholicis Episcopis, singulis in suis sibi commissis provinciis, atque se ipso etiam, hoc intellexit, uti universæ orationis filum, ipsæque circumstantiæ arguunt. Eadem verba, quæ hic ad Cornelium Papam de se ipso scripsit, alibi *Epist. 69.* ad Florentium, qui Papa non fuit, scripsit. Hunc verò Sacerdotem unum in ecclesia, judicem vice Christi, solum esse Cornelium Papam, ubi eadem Epistola Cyprianus dixit? Finxisti tu pro more. *Petri cathedram* insignivit eam Ecclesiam, in qua sedisse eum putavit; quam *Ecclesiam principalem* vocat, quia, uti Rigaltius ipse explicat, *in urbe principali constituta* erat. Inde *unitatem Sacerdotum exortam* addit, in Occidente scilicet, & quia ordine prima antiquitus existimata est. Aliâs verbum Dei primò ex Sione exiit.

ARG. X. Facere non possum, quin quæ mens fuerit plerorumque Patrum ipsius Concilii Tridentini de Oecumenico Papatu, paucis aperiam. Sanè negari non potest, omnes eos, qui in Concilio definiri postulârunt *Episcopatum juris Divini esse, vel Concilium supra Papam esse*, authoritatem Papalem impugnâsse. Et priores quidem ex judicio non tantùm Lainezii, Jesuitæ asserentis: *Si statuatur, Episcopos Jure Divino esse institutos, Pontificem non fore amplius caput ecclesiæ, & vicarium Christi*: verùm etiam Episcopi Segoviensis, palam

Digitized by Google

palam jactantis, *unam voculam* Iuris Divini *Papa fore causam ruinæ.* Posteriores ex manifesta ratione, quia si Concilium est supremus judex controversiarum, & superius Papa, poterit Papa judicari à Concilio, auferri ab Ecclesia, ac proinde non erit caput & Pastor Oecumenicus ecclesiæ. Jam, *Episcopatum esse Juris Divini,* in Concilio vox fuit pene omnium Episcoporum, exceptis paucis Italis, qui linguam conductam pretio, seu quod ajunt, bovem in lingua tenuerunt. Et vicerant illi facilè, nisi Legati miris artibus quæstionem illam declinâssent, & à judicio Concilii summovissent. Vnde concludere licet, Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ nequidem ex sententia ipsius Concilii Tridentini, sed paucorum tantùm Episcoporum & Legatorum Pontificis, qui causæ suæ diffisi non sustinuerunt quæstionem hanc definiendam Concilio subjicere, omnibus ferè, qui definitionem ejus petierunt, rejectis, & ad subsellia plorantium amandatis. Tum & Concilium esse supra Papam, pertendit Cæsar, pertendit in Concilio Cardinalis Lotharingus de sententia totius ecclesiæ Gallicanæ, qui etiam ferebatur palam dixisse: *se illam sententiam de superioritate Concilii æquè veram & indubitatam credere, atque illud; Verbum caro factum est:* pertenderunt denique Episcopi Lucensis, Imolensis, Conimbricensis, Segoviensis, ac plerique alii saniores.

RESP. REDING: *1. Si Patres Concilii Tridentini plerique in disceptando & proponend° opiniones tales foverunt, non iccirco Concilio ipsi tribui possunt, quia Concilii sententia est non id, quod disceptatur & proponitur, sed id, quod ab iis, qui in nomine Christi congregati sunt, definitur. 2. Segoviensis, juxta Pallavicinum, statuit, Pontificis potestatem firmari, si Episcoporum jurisdictio diceretur esse Divini juris. Quomodo igitur jactavit, unam voculam juris Divini Papæ fore causam ruinæ? 3. Lainezius quoque arguit, Pontificatum Petri collapsurum, si cunctis Apostolis universalis ecclesiæ pastorale officium esset collatum. Nihilominus jurisdictionem Apostolorum tum extraordinariam à Christo immediatè, tum ordinariam in Episcopos translatam, à Deo ipsis mediatè collatam esse, pronuntiavit, adeóque contrariam potiùs consequentiam formavit. 4. Theologi Galli in Concilio hoc unum pertendebant, ne sententia statuens, Concilium esse supra Papam, tacitè damnaretur, non, ut illa manu teneretur. Neque Lotharingus, sed Ferrerius, à Nicolao à Ponto, Venetorum Legato in suspicionem Calvinismi adductus, asseruit, sibi tam certam esse superioritatem Concilii, quàm illud, Caro factum est.* Ib. pag. 126-129. Resp. 1. Episcoporum Concilii plerorumque sententiam Concilii sententiam fuisse non dixi ego, sed falsò tu mihi impegisti. At *Romanum Pontificem esse Ecclesiæ caput ne quidem ex sententia Concilii Tridentini, sed paucorum duntaxat in eo Episcoporum, & Legatorum Papæ,* id verò legitimè conclusi inde, quia plerique in eo pertenderant, Episcopos immediatè esse à Christo institutos. quod cum Oecumenico Papatu unius è diametro pugnat, & pugnare nonnulli in Concilio fassi sunt; institutionem illam immediatam, jam ante etiam sub Crescentio conclusam, licet ob repentinam Concilii dimissionem non publicatam, haud dubiè definituri secundùm plura suffragia, nisi Legati, ruinæ Papæ haud immeritò inde metuen-

Digitized by Google

tes, subdolis artibus suis, quas Thuanus etiam *Histor. Concil. Trid. pag.* 27.28. recenset, id omne sufflaminassent. 2. Ex mente Perezii Segoviensis Episcopi, infracta Episcoporum potestate, Papæ quoque potestatem infringi, ipse quoque S. Polanus *Lib. VII. p.m.* 550. non dissimulavit. Neque sanè aliter res habet. Si quid enim unquam Papa juris legitimi habuit, ceu Episcopus à Christo institutus habuit. Si igitur Episcoporum institutio juris Divini non est, nec ejus institutio juris Divini esse potuit. Manet interim inconcussum, quod idem Segoviensis asseruit meritò, *unicam vocem juris Divini Papæ fore causam ruinæ*, quia definitione hac Papatum Oecumenicum ruere, & Papam ad Episcoporum subsellia, curiámque parium relegari, necessum foret. *Decernant modo*, ita etiam Granatensis Archiepiscopus argutabatur, *authoritatem Episcopalem à Christo institutam esse, ex eo mox consecuturum, nec diminui posse. Ita restitutum iri Episcopis, quod iis à Christo donatum, aliena ambitione & avaritia usurpatum, aut per propriam socordiam amissum est.* Sicut igitur non diminuta Episcopali potestate neutiquam Papalis crescere potuisset: ita restituta illa, hæc decrescere necessariò debuisset. 3. Lainezium in Concilio non dixisse ea, quæ retuli, ex ejus oratione à Pallavicino narrata neutiquam liquet tum quia ex sententia ab eo fusè propugnata necessariò id sequitur, *non fore scilicet Papam caput ecclesiæ, nisi jurisdictionis potestas ei immediatè à Christo data, & ab eodem peculiaribus Episcopis collata sit*: tum quia Pallavicinus ipse *lib. XVIII.* 15:1. fatetur, Lainezium *temporis avarum, scripto restrinxisse, quod dicto largiùs fuderat.* Annon ergo dicto fundere potuit Lainezius, quod in scripto ejus Pallavicinus non reperit? Inprimis cum ex sententia ejus necessariò id, quod ei Suavis tribuit, consequatur. Cœterùm Lainezius Sophistica distinctione inter *jus Divinum* & *ordinationem Divinam*, asserens scilicet, illa *juris Divini* esse, quæ & in genere, & in specie à Deo sunt, *ordinationis* verò *Divinæ*, quæ in genere à Deo sunt, in specie ab hominibus constituuntur; ac posterioris generis esse Episcoporum institutionem, præstigiis potiùs Patribus illusit, quàm solidi quicquam dixit. Eodem enim res redibat, Episcopos nempe quà Pastores esse à Deo, quà majores Pastores à Papa. 4. Concilium esse supra Papam, hactenus in Concilio Tridentino Episcopi Galli, aliique plures adeò strenuè asseruerunt, ut non commiserint, ut quidquam doctrinæ ei adversum vel decerneretur palam, vel obliquè insinuaretur. Cùm igitur sententiam illam magna pars Concilii fortiter asseruerit, atque ea cum Oecumenico Papatu ἀσύγκλωστος sit, rite utique conclusi, magnam Concilii partem Papatum Oecumenicum non agnovisse, imò tum palam etiam, tum per cuniculos oppugnasse. Eadem quinetiam dixisse Lotharingum, qui Polypo mutabiliorem se in Concilio gessit, & Ferrerium, Gallum utrumque, nihil vetat. Saltem eandem sententiam propugnasse utrumque, ne ipse quidem Pallavicinus inficias ire potuit. Quibus denique partibus addictus Ferrerius fuerit, parum refert, dum constet, eum mandatis sibi partibus probè defunctum esse. Atqui mandatas has ei partes fuisse, eccui, constantem Ecclesiæ Gallicanæ, novissima etiam Cleri Gallicani definitione, & Regis sanctione corroboratam de Concilii supra Papam ὑπεροχῇ sententiam reputanti, atque ea etiam, quæ Thuanus *Hist. C. T. pag.* 28. narrat, ad animum sibi revocanti, dubium esse potest?

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Qui successit Petro, is caput est ecclesiæ & oecumenicus Pontifex. Petrum enim talem etiam fuisse, argumento est, tum quòd super ipso ædificata est ecclesia, Matth. XVI. 18. tum quia is accepit claves regni Cælorum, Matth. XVI. 19. tum denique quia*

quia Petro trina compellatione injunctum est munus pascendi, & quidem tum ἀρνία agnos, hoc est, Judæos & Gentiles, tum πρόβατα oves, hoc est, Apostolos, Joh. XXI. 15. 16. Atqui Pontifex Romanus successit Petro, quia Episcopus est ejusdem sedis, quam Petrus fundavit, in qua diu resedit, & vitam denique clausit. Resp. 1. Qui successit in locum Petri, non perinde succeßit in ejus jura; tum quia non quicquid succedit alteri, simile est ei: tum quia nec reliquorum Apostolorum successores æquo cum iis utuntur jure: tum quia privilegia personalia, quæ oriuntur vel ex singulari gratia Dei, vel ex virtutibus eminentibus, in successores non transfunduntur: tum quia in jura Apostolatus non potest succedi: tum denique quia fieri potest, ut succedens in locum Petri, deficiat tamen ab ejus fide. 2. Neque etiam Petrus fuit caput ecclesiæ & Oecumenicus Pontifex. Talem Romanenses dum faciunt, non Christi vel Petri gloriam, sed suam utilitatem & gloriam mundi venantur, dum Petro dominatum quærunt post ipsius mortem, quem nunquam in vita optavit aut speravit. Ille enim, vestigiis Christi insistens, fugisset si quis eum Regem, qualis Papa est, facere voluisset. Petrum nos quidem multùm suspicimus, & Deum in donis maximis Sanctissimo Viro collatis laudamus. Sed universæ Ecclesiæ caput ac dominum fuisse, dicere sine Christi injuria non possumus. Ne quidem major fuit Paulo, uti patet tum ex 2. Cor. XI. 5. XII. 11. Gal. II. 6. 9. 11. tum ex eo, quòd veteres in fundatione Ecclesiæ R. Paulum æquant Petro, & in sigillis plumbeis & cereis Romanensium Pragmaticarum, Paulus ad dextram, Petrus ad sinistram collocatur, uti Thomas Aquinas *in Epist. ad Gal.* scribit. Quin & Christus Apostolos omnes cum æquali potestate misit, Joh. XXI. 2. Neque Petrus exercuit ullum actum Papatus Oecumenici, sive imperando Apostolis, sive eos mittendo, sive leges condendo, sive controversias dijudicando, sive casus quosdam reservando. Conferantur dictatus Gregoriani cum omni vita & institutis Petri. 3. Matth. XVI. 18. per Petram non intelligitur persona Petri, tum quia Petra distinguitur à Petro & persona & genere, & ut denominans ac denominatum: tum quia ex eo tempore, quo Christus loquutus est, eo visibiliter præsente, Petrus non fuit Petra seu fundamentum Ecclesiæ, id quod lapsu suo probavit: tum denique, quia ex usu Scripturæ צור *πέτρα*, *rupes* est Christus, quatenus is salvandos fert potenti verbo æternæ sponsionis. Neque si Petrus eo nomine intelligeretur, sequeretur, Papam fuisse Oecumenicum Pontificem. Petrus nempe Apostolorum coryphæus Petra nuncupari potest, quatenus tum vivens fuit lapis insignis spiritualis ædificii Ecclesiæ, & in opere Christi συνεργὸς, tum mortuus doctrinam reliquit, quæ fuit & est hodiéque, eritque in æternum

 ecclesiæ

Digitized by Google

ecclesiæ Petra & fundamentum firmissimum 4. Clavium & solvendi ac ligandi potestas non tam dominium & imperium, quàm ministerium, & quidem omnibus Apostolis commune, ut colligitur ex Matth. XVIII. 18. Joh. XX. 23. significat. Ligatio nempe & solutio, remissio & retentio peccatorum, in qua potestas clavium consistit, versatur tum in generali præconio Evangelii, tum in speciali applicatione sententiæ generalis ad hujus vel illius peccatoris conscientiam, tum denique in absolutione & retentione pœnæ canonicæ Ecclesiæ debitæ. Quid hoc ad Papatum Oecumenicum? Promissio quidem ipsa, hoc est, actus promittendi fuit peculiaris: res verò ipsa promissa communis Apostolorum, quos repræsentavit confitendo Christum. 5. Neque quod pascere jubetur agnos & oves, argumentum est Papatus Oecumenici, quia ipse Petrus jussit pascere, non *ἀναγκαστῶς cogendo*, quod faciunt, qui imperio utuntur, sed *ἑκουσίως*, ita ut pastor fiat typus gregis, 1. Pet. V. 2. 3. Tenuis ancilla & vile mancipium pascere potest filium Regis, in quem jus non habet imperii. Quin pascendi munus ut plurimùm notat ministerium pascendi oves alienas, quarum ne lanam quidem diripere ausit Pastor, nisi gratiam faciente domino. Imò vox Pastoris, quoties etiam Regibus tribuitur, ut in illo Agamemnonis, non tam imperantem notat, quàm *κηδεμόνα curatorem*, uti observant Grammatici. Si verò oves, quas jussus pascere Petrus, notant Apostolos, ubi igitur Apostolos pavit Petrus? Vbi jura Papatus Oecumenici in eos exercuit? Accedit, quòd pascendi munus non soli Petro injunctum est, sed reliquis etiam tum Apostolis, tum Episcopis omnibus Matth. XXVIII. 19. Eph. IV. 11. Act. XX. 28. Neque quòd Joh. XXI. 15. 16. solus Petrus jubetur pascere oves, singularis privilegii causa dictum est, sed ut trina compellatione restitueretur in dignitatem Apostolatus, à qua excidisse per trinam abnegationem videri poterat. 6. Denique neque illud probari potest, Pontificem R. esse successorem Petri. Bellarminus contendit, constare id ex historiis seu facto. Id si verum est, Pontificem esse caput ecclesiæ, constabit certitudine non catholica fidei, sed morali & fallibili, atque adeò principium Romanæ Religionis nitetur non Divina fide, sed humana opinione. Idque Valerianus M. Capucinus concedere coactus est, nequicquam propterea à Jesuitis pulsatus. Quòd si ex historiis ea successio probari debet, unde constabit plebejis, historiarum ignaris? Petrum Romæ Episcopum, & per 25. annos quidem, fuisse, notoriè falsum esse, probârunt nostri. Sed fuerit Romæ Episcopus, successerit ei Papa: Successio erit merè *localis, personalis, cathedralis,* quæ nullum hîc momentum habet, *non doctrinalis.* Notum illud S. Nazianzeni: τὸ ὁμόγνωμον καὶ ὁμόθρονον.

EXCIP.

Digitized by Google

EXCIP. REDING: 1. *Papa Petro ſucceſſit in officio Divinitus inſtituto cum ordine ad perpetuum eccleſiæ ſtatum. Ergo ei in jure etiam ſucceſſit. 2. Petrum verò Eccleſiæ caput fuiſſe liquet, tum quia Paſtoralis officii in omnes Chriſti fideles cura ei commiſſa fuit unà cum indefinita clavium authoritate & ligandi ſolvendique poteſtate: tum quia Patres Græci & Latini id ipſum agnoſcunt. Neque loca citata Petri authoritatem minuunt. Paulus quidem 2.Cor.XI.5. XII.11. non fuit inferior aliis Apoſtolis, non quoad poteſtatem, ſed quoad prædicationem Evangelii & dona Spiritus. Petro Gal.II.7. committitur circumciſio, ſine ulla poteſtatis erga gentes reſtrictione, & ex pacto mutuo, quia authoritas, quam Apoſtoli per modum legationis obtinebant, par erat in omnibus. Ibidem v.4. Petrus Jacobo poſtponitur, quia ibi non agebatur de primatu. Alibi primus recenſetur, etiam ante Andræam, quem nec ætate, nec vocatione, ſed Apoſtolica ſcilicet dignitate præcedebat. Sed & v.11. Paulus Petro in faciem reſtitit, quia condemnandus erat, ut exemplum poſteris præberet Petrus, ne dedignentur etiam à poſterioribus corrigi. uti S. Auguſtinus Epiſt.19. explicat. Denique in fundatione Eccleſiæ Romanæ veteres Petro Paulum æquarunt, non quòd par eſſet utriusque authoritas, ſed quia uterque prædicatione & martyrio Eccleſiam illam fundavit. Imò S.Petrus, ipſis Patribus authoribus, in Judæ locum elegit Matthiam; in Concilio Hieroſolymitano propoſuit, ſententiam protulit, cui acquieverunt omnes; Hieroſolymam prærogativa ſedis Epiſcopalis, Chryſoſtomo teſte, dotavit, & negotia totius orbis, eodem auctore, ordinavit. qui Oecumenici Papatus actus ſunt. 3. Matth.XVI.18. per Petram Petri perſonam Patres intelligunt, non obſtante ejus lapſu, quia promiſſio erat de futuro, poſt reſurrectionem Chriſti implenda. Uterque ſanè & Chriſtus & Petrus Petra, fundamentum Eccleſiæ appellari poſſunt, ille primarium, abſolutum; hic vicarium, ſecundarium. 4. Clavium poteſtas miniſterialis in Petro fuit, conjuncta tamen cum poteſtate coërcente, & in foro conſcientiæ obligante; æquè ac miniſterialis illa Magiſtratus Rom.XIII.1. &c. Cúmque prædicatio Evangelii, & ejus ad conſcientiam peccatoris applicatio, nec non abſolutio à pæna Canonica non ſit ipſa peccatorum remiſſio & retentio, patet, in ea clavium poteſtatem non conſiſtere, ſed potiùs in ſententia judiciali, coërcitiva etiam, peccatum verè vel remittente vel retinente. 5. Paſcendi officium Petro injunctum non erat quidem imperium dominativum, quod ad propriam dominantis utilitatem, honorem ac reſpectum collimat; ejuſmodi tamen, cui annexa erat clavium poteſtas indefinita cum ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum. Cúmque promiſſionem Chriſti Matth.XVI.18. 19. impleri opus fuerit poſt reſurrectionem; non igitur trina illa compellatio Petri Joh.XXI.15.16. oppoſita eſt trinæ abnegationi ejusdem, reſtituendi ſcilicet in Apoſtolicam dignitatem; ſed immiſſio potiùs in poteſtatis promiſſæ poſſeſſionem. 6. Papam eſſe ſucceſſorem Petri Conciliorum & Patrum authoritate Bellarminus convicit. Neque iccirco tamen Papatus Oecumenicus ſola fide humana nititur, quia ſucceſſio hæc ſub prudentialis credibilitatis argumento per ipſa Concilia & Patres approbata in ipſum Dei verbum, quæ Petro poteſtas clavium data eſt, cum ordine ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum, reducitur. Succeſſionem Papæ in locum Petri niti DEI verbo, ſed non rationem ſucceſſionis, qua Romanus Papa potiùs, quàm alius ſuccedit, Valerianus putavit. Sufficit autem, ut in aliis, ita hic etiam, ut Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ prudentiale illud credibilitatis argumentum authoritativè pateat. ut plebejis conſtet, non requiritur. Denique Petrum fuiſſe Romæ, manifeſtum eſt, quia ante Paulum Evangelium à Petro Romæ illatum eſſe, Papias, homo exigui licet judicii, idoneus tamen in re, quæ*

judicium magnum non requirit, teſtis, apud Euſebium Hiſtor. lib.II.15. tradidit, aſſerens ſcilicet, Petrum priorem Epiſtolam Babylone, hoc eſt, Romæ ſcripſiſſe. Licet autem Paulus tertio poſt converſionem ſuam anno Petrum Hieroſolymis viſerit, potuit tamen Petrus quinto à paſſione Chriſti anno Antiochiam ingredi, atque inde huc illuc proficiſci; anno ſeptimo Epiſcopatus Antiocheni Hieroſolymam reverti, ab Herode in vincula conjici, liberatus ſecundo Claudii anno Romam venire, ibique ſedem figere; Roma, poſt ſeptem annos, ejectis à Claudio Judæis, Hieroſolymam reverti, & vitam ibi finire. Sive autem 25. annos Romæ exegerit; ſive pauciores, nihil refert, dummodo ibi mortuus ſedem vacantem reliquerit, & munus Oecumenicum in poſteros tranſmiſerit. Ib. pag 129-135. Reſp. Nequicquam verò, Redingi, contra veritatis torrentem brachia tua dirigis. Quam magno difficilique labore texuiſti aranearum telam, Deo & veritate propitia, retexam diſſipabóque facili negotio; tametſi præter inſtituti rationem paulò prolixiùs inhærendum fuerit argumento huic, in quo totius Papatus arx & robur conſiſtit. Age igitur, legam accuratè tua veſtigia. 1. Qui ſuccedit in alterius locum, in ejuſdem jura non ſemper eum ſuccedere, idoneis rationibus probavi, quas non attigiſti tu, contentus dicere, Papam ſucceſſiſſe Petro, quia ejus officium in eccleſia perpetuum eſſe debuerit. Supponis autem falſiſſima, Petrum ſcilicet fuiſſe Papam, quales veſtri ſunt, Reges Regum, domini dominantium: ejuſmodi ſtatum in eccleſia perpetuum eſſe debere, cùm non tam ad Eccleſiam, quàm Babylonem pertineat: in Petro fuiſſe ὑπεροχὴν, qualis non fuerit in reliquis Apoſtolis: ei ſoli, non reliquis Apoſtolis ſuccedi, & quidem ab iis, qui à fide ejus degenerarunt pridem, potuiſſe: denique poteſtatem clavium, & munus paſcendi perpetuum in eccleſia ſtatum ſine Papatu Oecumenico habere non potuiſſe. Hæc ſcilicet λαμβανόμενα, non διδόμενα, tu non pretio auſers, ſed vi rapis. 2. Clavium poteſtatem Oecumenicam in perſona Petri eccleſiæ datam eſſe, & Petro datam eſſe ſociali, non principali jure, ſupra evicimus. Eundem Chriſtus juſſit paſcere oves, non tamen omnes & ſingulas, ſed partem earum Divinitus ei deſtinatam obvenientémque; nec inæquali, ſed æquali cum cœteris Apoſtolis jure & miniſterio, non principali & Papali authoritate ulla. Quis verò Patrum primis Seculis Petrum *Oecumenicum Pontificem inſignivit?* Id nominis monſtrum paulatim inceſſit, poſtquam quatuor, Romanus, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, qui primò Epiſcopi dicti ſunt, deinde Patriarchæ, Metropolitani dici, æquo jure; mox Patriarchæ Metropolitanis ſuperiores haberi; tandem extra aliorum ſortem poſiti inter ſe, Romanus inprimis & Conſtantinopolitanus, digladiari, atque hic primus, & poſt hunc Romanus ſuperbum titulum illum rapturire, cœperunt. Quis Patrum Petrum inter Apoſtolos ſolum Eccleſiæ *caput*, quoad principalem poteſtatem, fuiſſe, & in ea ſoli illi ſuccedi, aſſeruit? Quæcunque verò S. Patres, ſeu Græci, ſeu Latini, S. Petro πλεονεκτήματα vindicant, vel ad primatum vocationis, ordinis, operis, zeli & gratiæ ei à Chriſto indultæ referuntur, procul Papali Suprematu, quem, prout hodie is uſurpatur & defenditur, ipſi pro ſua pietate, humilitate & probitate, non deſpuiſſent tantùm ſed ad orcum relegaſſent: vel impropriè, metonymicè ſcilicet, puta per metonymiam ſive ſubjecti, intellecta ejus fide, confeſſione & doctrina, ceu Eccleſiæ *petra* & *fundamento* unico; ſive effecti, per uſitatam metalepſin, quia in fundanda Eccleſia ſua S. Petro, ceu primo organo & architecto, Deo uti placuit; explicanda ſunt. exceptis forte dictis nonnullis ipſorum quorundam Pontificum Romanorum, altius quiddam ſonantibus. veluti Leonis, & præcedentium ſubſequentiúmque quorundam, qui, ſicut Hortenſius quondam eloquentiam ſuam, Petrum *ipſi in ipſum Cœlum tollere voluerunt, ut cum eo ſimul ipſi aſcenderent.*

Quæ-

Quæcunque autem S. Patrum de Petri prærogativis mens fuerit, tutiùs utique Scripturæ quàm eorum dictis innitimur. ex qua, ipsis etiam veteribus, nominatim Cypriano *de Simpl. Præl.* agnoscentibus, omnes Apostolos *pari consortio honoris, & potestatis & infallibilitatis fuisse præditos*, planè constat. Proin S Paulus 2. Cor. XI. 5. XII. 11. se quoquam Apostolo inferiorem negans, non de solo prædicandi munere, sed de Apostolica universa authoritate, de qua ei lis mota erat, & qua depressa Pseudapostoli prædicationem simul ejus deprimere voluerunt, loquitur, protestatus disertè, se *ἐδὲν ὑστερηκέναι nulla re* (adeóque etiam non potestate) *inferiorem* esse τῶν ὑπὲρ λίαν Ἀποστόλων *Summis Apostolis*, adeóque etiam Petro. *Summos* verò quomodo, amota authoritate & potestate, appellare potuit? Quæ causa est, quòd Gal. II 6. testatur idem, nihil se præstantiores esse *δοκοῦσι, qui in existimatione sunt*; quos v. 9. *στύλους columnas* vocat, ut vel inde constet, non prædicationis duntaxat, sed etiam potestatis comparationem institui: quòd v. 7. &c. cum Jacobo, Petro, Johanne, tanquam æqualibus, ita contraxit, ut ipsi præputii, Petro & Johanni circumcisionis cura unà cum omni Apostolatus jure, cederet; quale quid Papa dictator, officiorum & provinciarum omnium diribitor ipse, non tam dextram societatis jungere, quàm ad pudenda pedum oscula adigere suetus; nunquam certè committeret: quódque non dubitavit idem v. 11. Petro *in os resistere, quia condemnandus erat.* ubi S. Petrus correptionis patiens documentum dedit posteris, posse etiam *priores* à *posterioribus* (talis erat S. Paulus, diu post Petrum vocatus) reprehendi & judicari, uti S. Augustinus *loco cit.* monuit; non, posse superiorem, principem, ab *inferiore*, subdito judicari; qualis comparatio nec Augustino, nec aliis Patribus in mentem venit. Imò verò S. Paulus consultò reprehensionem illam Petri commemorat, ut se Petro authoritate & potestate æqualem fuisse, contra Pseudapostolos probaret. Vel Paulus Petrum reprehendens officium suum violavit, vel ei authoritate fuit æqualis, non subditus, inferior. Primum asserere, Hieronymo *Proœm. in Epist. ad Gal.* teste, blasphema fuit Porphyrii vox. Verum igitur posterius. Neque de nihilo est, quòd ib. v. 9. Petrus Jacobo postponitur. Nunquam ita contigisset, si Apostolorum Papa fuisset. Verum est, alibi omnibus præponi, quia primus vocatus est. nam ante Andræam etiam, quicquid Redingius reclamet, vocatus est. Licet enim Joh. I. 40. Andreas, ceu discipulus scilicet, non Apostolus, Christum secutus dicatur, priùs quàm à Petro cognosceretur, quin & Petrum ad Christum adduxerit; Christus tamen Joh. I. 42. Petrum allocutus est: *Tu vocaberis Cepha*, priusquam de Apostolatu Andreæ quicquam innuisset. Denique si Paulus æquè ac Petrus Ecclesiam Romanam fundavit; par debet esse authoritas utriusque. Quis enim fundatione Ecclesiæ illustrior est actus authoritatis? Neque contemnendum illud, quòd dextram Paulo pia antiquitas cessit. Cur igitur Petrus nunc caput, Papa, dominus, Paulus minister ejus proclamatur? Actus verò, quos S. Petro tribuit Redingius, veluti quòd elegit Matthiam, in Concilio Hierosolymitano proposuit, definivit, communes utique is cum reliquis Apostolis habuit, adeóque Oecumenicum Papatum minimè illi arguunt, nisi forte quilibet præses ordinis, coryphæus operis, Collegii sacrati ἀρχηγὸς (qualem Petrum fuisse, ad summum inde sequitur) Oecumenicus Papa est. Quin Concilii Hierosolymitani decretum his verbis conceptum est: *Visum est Spiritui S. & nobis*; non, Petro soli. ut authoritatis & potestatis æqualitatem æqui cognoscant omnes. S. Petrum Hierosolymitanæ Sedi Jacobum præfecisse Episcopum, non dixit *l. cit.* Chrysostomus. Lege, si potes, Græca. Non à Petro Jacobum, sed à Christo Petrum ordinatum fuisse, scribit. Neque uspiam, Petrum ducis instar res ecclesiasticas totius orbis curasse, idem Chrysostomus dixit:

sed

Digitized by Google

sed *homil.22. in Act. cap.9.* hoc unum affirmat, in gravioribus negotiis semper illum *πρῶτον primum* occurrisse. Hic scilicet primatus erat operis, industriæ, non potestatis. En, Redingi, qua fide Patres nobis ostentes! Cœterùm Papatus Oecumenici moderni, Majestatis Pontificiæ actus ἐξαίρετοι & characteres γνήσιοι quinam sint, non ignoras; nempe, adorari instar Numinis, pedum oscula à summis Monarchis excipere, Scripturæ Divinitatem suo arbitrio subjicere, fidem non probatam ex Dei verbo, non exploratam à fidelibus, conscientiis dictare, & invitis vi obtrudere; Concilia à suo nutu suspendere; contra leges Divinas dispensare; spiritualium prætextu Regnum merè terrenum in Imperatores, Reges, Principes mundi erigere, atque illud maximo cum splendore in mundo proferre. Hos similésque Oecumenici Papatus vestri genuinos actus Petrum exercuisse, tu proba. Et probaveris tum, cùm Petrum fuisse Neronem constiterit. 3. Quo sensu Patres nonnulli Petrum appellaverint petram, ex iis, quæ supra diximus, percipies facilè. Interim nec paucos, nec infimos Matth. XVI.18. Petræ nomine Christum intellexisse, liquidò probarunt nostri. Disertè S. Augustinus *de verbis Dom. Serm.13.* Petram Christum esse, non nudè asserit, sed probat. cui propterea lapsus humani dicam Stapletonus *Princip. doctr. lib.VI.3.* impingere ausus est. Et qui Petrum intellexerunt, rationem nominis hanc reddidere, quòd confessione, doctrina, præconio suo fundamentum ecclesiæ posuerit, non ulla tamen jurisdictione vel potestate Papali, sed solo ministerio à Christo ipsi, quin & reliquis æquè Apostolis mandato. Etsi igitur S. Patres verbis differant, re ipsa tamen consentiunt omnes, fundamentum, quod S. Petri & aliorum Apostolorum ministerio positum est in Ecclesia, esse solum Christum, & doctrinam de Christo, cujus unius merito & potestate Ecclesiæ domus sustinetur; nec Petrum petram dici, nisi *παρωνύμως*, quatenus ejus fides, confessio & doctrina vera Ecclesiæ petra, unicúmque fundamentum est. Quo sensu etiam Origenes *tract.1. in Matth.* petram esse quemvis fidelem Christi discipulum, monet. Et sanè Petrum non respectu personæ suæ, sed fidei, confessi Christi, fundamenti positi *petram* dici potuisse, lapsus ejus insecutus manifestè demonstrat. Licet enim super Petram Ecclesiam se ædificaturum in futuro Christus promiserit, ille tamen, quem Christus *Petram* appellavit, jam tum petra erat. Dicit enim Christus: *Tu es Petrus*, & ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, *super hac ipsa petra*, adeóque jam existente, non futura demum, in futurum ecclesiam ædificabo. Fundamenti porro *primarii* & *secundarii*, nec non *absoluti* & *vicarii* distinctio vestro sensu accepta hostiliter cum Dei verbo pugnat, quod 1.Cor.III.10. θεμέλιον ἄλλον *fundamentum aliud, præter id, quod positum est*, Christum poni posse, strictè negat. Est autem certè *fundamentum secundarium, vicarium, participatum* tuum *fundamentum* non tantùm ἕτερον *alterum* (quod ipsum etiam poni nefas erat, quia nullum aliud ponendum erat παρὰ *præter* id, quod positum est ab Apostolis) sed etiam ἄλλο, *aliud*, quippe numero diversum, & quidem peregrinum, propriæ domus, propriæ Ecclesiæ, ab Ecclesia Christi diversissimæ fundamentum, neutiquam ejusmodi, quale est *Lapis* ille *in Sione fundatus, probatus, angularis, fundatissimè fundatus*. Neque quisquam Ecclesiæ fundamentum qualecunque propriè esse potest, nisi per meritum sanguinis, super quo ceu fundamento unico Ecclesia ædificari potuit. S. Petrus autem sanguine suo ecclesiæ salutem & vitam non promeruit. Superædificatos quidem nos esse *super fundamentum* Apostolorum & Prophetarum, Ephes.II.20. & Apostolorum nomina inscripta esse *duodecim fundamentis* ecclesiæ, Apoc. XXI.14. Scriptura eadem testatur. Neque tamen unius *fundamenti vicarii, secundarii*, Petri scilicet, sed *fundamenti Apostolorum*, & *duodecim fundamentorum* mentio est;

neque

neque planè eo ſenſu, quaſi ullus Apoſtolorum fuerit propriè fundamentum eccleſiæ qualecunque, ſed quia fuerunt architecti ejusdem fundamenti, duodecies à duodecim Apoſtolis, ceu architectis ὑπηρετικοῖς, & *συνεργοῖς Θεοῦ cooperariis Dei* teſtificando & demonſtrando Rom. XVI.26. poſiti. Ita Aretas in Apoc. XXI.14. Apoſtolorum nomina duodecim fundamentis urbis inſcripta dicit, *ὡς τῆς κτ̀ Χριστὸν πίστεως τὴν ὑπόθεσιν αὐτοῖς καταβαλόμενοι, quia fidem in Chriſtum fundamentum ſubſtraverunt.* Hoc tamen ſenſu locus Matth. XVI.18. de S. Petro intelligi nequit, quia non ipſe, ſed Chriſtus, ceu princeps architectus ſuper petra illa Eccleſiam ædificaturus dicitur. Neque etiam architectus fundamentum jaciens *petra* vel *fundamentum* ipſum, niſi planè ἀκυρολόγως dici poteſt. 4. Clavium poteſtas à domino data œconomis numquid conjunctam plenitudinem poteſtatis habet? Scilicet, ſi dominus poteſtate ſe ipſe abdicavit ultro, & œconomo dominium ceſſit. At Petro, datis clavibus, neutiquam ceſſit dominium Chriſtus. Non igitur ei vel eccleſiæ plenitudinem poteſtatis, dominium ullum contulit, ſed merum diſpenſationis miniſterium; neque ejuſmodi, quale Rom. XIII.1.2. etiam Magiſtratui, ceu poteſtati eminenti mandavit. Hoc enim ejuſmodi miniſterium eſt, ut conjunctam habeat *κυριότητα, ἀρχὴν, ἐξουσίαν, μάχαιραν, dominationem, principatum, poteſtatem, gladium,* delegata ſcilicet hæc & participata omnia, Prov. II.14. 2 Petr II.10. Jud 8. Rom. XIII. 1-5. quibus Eccleſiæ miniſtris ſeverè à Chriſto interdictum eſt, Matth. XX 25. Luc. XXII. 25. 1. Pet. V.3. Diſpar igitur planè ratio eſt. Dic Redingi, dedit Chriſtus Petro claves, ut domino, an ut miniſtro, œconomo? Si prius, dominium ipſe una cum jure clavium exuit, quod Sanctus ille & verax Apoc. III.7. negat. Si poſterius, cur vos claves Petri in coronam tricipitem, ſceptra, gladios commutâſtis; & cùm claves eſſe debeant miniſtræ crucis Chriſti, cur veſtrum εἴδωλον claves Petri dextra, crucem Chriſti ſiniſtra gerit? cur claves non Regni Cœlorum duntaxat, ſed etiam terræ ſibi arrogat? Et adminiſtrat ubique, non ut ſervus, œconomus, ſed ut herus, Rex Regum, & Dominus dominantium, qui principali ſua, non aliena voluntate fores aperit clauditque? Adminſtrat enim verbo, ut miniſter, ſed interpretatione tua, ut dominus talis, qualis eſt Magiſtratus civilis, qui multa committit, præſcribit, vetat, ordinat, quæ ut committat, præſcribat, vetet, ordinet, nullibi diſertis verbis à Domino ſupremo ei injunctum eſt. Hac ſimilitudine planè te, ſorex, tuo indicio prodidiſti, innuens, Papam in uſu clavium ab expreſſa voluntate Chriſti non pendere. Par ratio ſolutionis & ligationis, remiſſionis & retentionis peccatorum Petro, Apoſtolis, totique eccleſiæ commiſſæ. Petrus, Apoſtoli, Miniſtri Chriſti omnes ſolvunt, ligant, remittunt retinéntque peccata, volente, ordinante, præſcribente conditionem omnem ſententiámque Domino, an non? Si poſterius, Dei poteſtatem involant, qui ſolus voluntate ac ſententia propria, & placita conditione peccata remittit & retinet. Si prius, non aliter utique omni eo officio defunguntur, quàm quatenus voluntatem, ſententiam, conditionem placitam ex præſcripto domini, prævia vocatione legitima, præconiant, promulgant. Remiſſio igitur & retentio tota eſt miniſterialis, ſine poteſtate principali, judiciali propria ulla. Caput rei eſt, quod quicquid S. Petro promiſſum datúmque eſt, aliis quoque Apoſtolis, quin eccleſiæ univerſæ promiſſum, datum eſt. uti ſupra probavimus. 5. An ita paſcendo eccleſiam dominetur Papa, ut dominium ad utilitatem eccleſiæ referat, res loquitur. Non tondet ille oves, non deglubit in uſum & gratiam Chriſti, ſed totas; quantæ ſunt, utilitatibus ſuis mactat. Non ita S. Petrus, qui cùm vetuerit *dominari clero*, adeóque paſcere *ἀναγκαστῶς coactè*, cogendo, dominando, non ita paſcere vel juſſus eſt ipſe, vel paſcere voluit.

Vel pavit ille oves, ut dominus earum, vel ut domini minister. Si prius, oves suas, ecclesiam suam abdicavit Dominus. Atqui disertè ille oves à Petro pascendas vocavit *suas*, non Petri oves. Si posterius, non pavit dominando, sed ministrando, adeò ut aliunde ovibus de lacte aut solido cibo prospexerit, utque ne lanæ quidem earum portionem minimam sibi retinere potuerit. Quid verò ministerium isthoc pascendi ad Papatum Oecumenicum? Quò non adigit desperatio causæ, quando ad probationem rei rapitur, quod cum eadem capitaliter pugnat? Cujuslibet sanè Pastoris est pascere gregem suum. Si igitur *pascendi* vocabulum plenitudinem potestatis supremo capiti peculiarem significat, quilibet Pastor gregis sui supremum caput erit. Et quid tandem Papæ reliquum erit? Neque efficere potes, quin mandatum pascendi ter Petro injunctum infirmitatis potiùs adminiculum, quàm dignitatis indicium habeatur. Ter enim Christum, cujus peculiarem amorem profitebatur, abnegaverat. Ter eum Christus de amore interrogat, *ut trina responsione trinam abnegationem Christi compenset*, uti S. Augustinus *tract.123. in Joh.* loquitur. Ter jubet pascere agnos & oves, ut eum consoletur, pristinum Apostolatus honorem restituat, curam excitet & acuat. uti disertè etiam Cyrillus *lib.XII. in Joh. cap.64.* commonuit. Denique sicut pavit Petrus: ita etiam Apostoli, in ordine ad perpetuum ecclesiæ statum æqualiter omnes, quia pascendi munus ordinarium, commune, perpetuum esse debuit. 6. Sed quicquid tandem Petro concessit Christus, nihil hoc ad Papam, si officio fungi velit, magis, quàm ad alios: multò minùs ad Papam Anti-Petrum. Socrates *Histor. Eccl.III.18.* Maximum Philosophum Juliano apostatæ persuasisse, Alexandri M. animam successione quadam in ipsum immigrâsse, narrat. Pari insania S. Petri animam in Papis vestris successionis quodam jure habitare fingitis, vel certè eos S. Petri hæredes ex asse facitis. Nos verò postulamus tabulas in bona & debita forma, documenta S. literarum. Ecclesia enim non humanis opinionibus, sed Divinis consiliis regitur. Si rationi indulgere liceret, S. Johannes potiùs, quàm Linus Petro succedere debuisset, quia superstes erat Apostolus. Quis ergo S. Johanni postea successit? Fatetur omnino Bellarminus, Romanum Pontificem ut talem Petro succedere, forte non esse de jure Divino. Nec tu, Redingi, per prudentiale credibilitatis argumentum tuum ad jus Divinum ullatenus reducere potes, quod fide merè humana constat, imò fide humana certa non constat; & si maximè certissima constaret, in verbum tamen Dei, quod S. Petri Monarchiam nuspiam tradidit, reduci nullo modo posset. Prudentia non dictat, ut quicquam Divinitus non revelatum pro Divinitus revelato, quale esse oportet, quicquid sive juris Divini, sive de fide est; habeatur. *Non fuit de jure Divino*, inquit Bellarminus, *ut Paulus haberet penulam. Est tamen hoc ipsum de fide, Paulum habuisse.* Imò verò penula Pauli longè certior est successione Papæ in Petri Monarchiam, quia penula in S. Scriptura habetur, de Monarchia verò Petri, vel successione in eam Papæ, altum inibi silentium. Si ratio, cur hic vel ille in Petri locum succedat, verbo Dei non nititur, quam Valeriani vestri sententiam fuisse ais, nec ipsa Paparum vestrorum successio eo nititur. Successio sine ratione ejus, legitima an illegitima sit, dijudicari nequit. Nuspiam scriptum reperimus, vel in Monarchia quapiam succedendum esse Petro, vel ab hoc illóve succedendum esse. Utrumque tenebris Scriptura æquè damnavit. Fides verò carbonaria, sicut alibi in plebejis damnatur meritò, quia justus sua fide, cognitione vivere, justificari debet: ita hic maximè, ubi fidei nil certi, ne dicam, falsa omnia subsunt. Accedit, quòd S. Petrum Romæ fuisse, atque Episcopatum ibi fundasse, merè etiam humana, quin & incerta fide constat. Traditio hæc est Papiæ, Hieropolitanæ Ecclesiæ Episcopi. Cui si in aliis, ma-

joris etiam momenti ob ingenium & morem viri incerta pro certis venditare sueti, & traditionum rumusculos leves captanti, ipsi adversarii fidem derogare audent, cur hic, ubi incerta traditione æquè ac in aliis decipi potuit, substringere eam tenemur? Ab eodem Papia acceperunt Patres, Babylonem, cujus S. Petrus 1. Ep. V. 13. meminit, Romam esse. Sed causam non dicunt illi, cur Babylon illa mysticam, non veram, Seleuciensem scilicet illam, de qua Bochartus *Geogr. S. lib. I. 8.* ubi etiam Judæi multi, & Synagogæ Æchmalotarcham suum habentes olim erant, notet. Quorsum enim in plana epistola ea hæc nominis permutatio adhibeatur? Et fuisse Petrum in Asia, dubitari nequit. Etiam Methodius, antiquus Episcopus & historicus, à Mariano Scoto *Chron. lib. II.* citatus, Petrum in Babylonia Evangelium prædicasse, retulit. Quin nuper etiam Petrus de Marca, Parisiensis Archiepiscopus *de Concord. Imp. & Sacerd. parte II. lib. VI.* 1. Babylonem nihil minùs quàm Romam hic notare, fassus est. Fide igitur Divina, an Petrus Romæ fuerit, res scilicet tanti momenti, ut sine ea Oecumenici Papatus, principii & fundamenti Papalis unici, moles universa corruere debeat, neutiquam constat. Imò conjecturas non contemnendas S. Scripturæ suppeditant, quòd vel Romæ non fuerit, vel ibi saltem diu non, nedum ut Episcopus ordinarius, substiterit cujusmodi sunt, quòd Romæ eum fuisse, ut Episcopum ibi ageret, nuspiam disertè illud scriptum est, (scribi autem res tanta, in qua Ecclesiasticæ Monarchiæ cardo vertitur, debuisset:) quod Lucas, longè minora pertexens, iter Petrinum momentosum adeò, sive ejus finem, sive longitudinem, sive res in eo gestas, sive comitatum & Majestatem à veteribus memoratam spectes, ne ibi quidem, ubi occasio id flagitasset, veluti Act. VIII. IX. 31. 32. XI. 19. 20. &c. alibi, ubi ejus miracula pertexit; ne uno quidem apice attigit: quòd S. Paulus Romanos fideles cap. XVI. salutans, Petrum non nominavit; & ex tota epistola illa confici potest, Petrum ante scriptam eam (scripta autem est satis serò, paulò ante priorem ejus captivitatem Romanam) nec Romam salutasse, nec ibi Evangelium prædicasse, nec ecclesiam eam fundasse: quòd Gal. II. 7. 8 9. S. Petrus provinciam prædicandi Judæis sortitus legitur, cùm Judæi dispersi fuerint non tam per Occidentem, quàm per Orientem, & sub Claudio Cæsare vel pauci, vel nulli Romæ Judæi fuerint, quorum in gratiam, tanta Judæorum Orientalium relicta messe, vix S. Petrus Orientem deseruisset, nunquam scilicet eò, nisi cogente Claudii edicto, rediturus: quòd in Paulinis omnibus reliquis Epostolis Roma datis altum ubique de Petro, ceu Romæ degente, silentium est: quòd Clemens Romanus scilicet Episcopus idem, Epistola priore ad Corinthios, à Patricio Junio edita, de Apostolo utroque, Petro & Paulo, verba faciens, profectionis Petri in Occidentem, Romanique Episcopatus ab eo fundati non meminit; at S. Paulum, post Petrum sublatum, laboribus omnium maximum, *ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ad fines Occidentis* Romam delatum, totius orbis doctorem, *μέγα ὑπόδειγμα* memorat: quòd Romæ non fuerit vel sub Tiberio, vel sub Cajo, fatentibus cunctis, si à fastis Siculis & Arabibus nonnullis discesseris; vel sub Claudio, uti quidem veteres tradidere, cùm anno Claudii IV. qui Herodis Agrippæ ultimus fuit, Hierosolymæ adhuc eum fuisse, ex Act. XII. constet, & fateri ipse H. Valesius *Not. ad Euseb. lib. II. 16.* coactus fuerit; & anno XIV. à conversione Pauli, qui in Claudii annum nonum, juxta Baronium; juxta alios verò in ejusdem ultimum incidit, Hierosolymis in Concilio eum præsentem fuisse, ex Gal. II. 1. 2. &c. inde aliquandiu Antiochiæ eum commoratum esse, ex Gal. II. 11. 12. constet; vel sub Nerone, quia præterquam quòd sic pauci supererunt anni Episcopatus ejus. Romæ non fuit, cùm ad eos Paulus Neronis anno II. vel III. epistolam scripsit; nec cùm Neronis anno sexto Romam pedem intulit; nec cùm Roma ali-

Digitized by Google

quot epiſtolas expediit. Quòd verò Redingius meus, neſcio quàm peritus temporum, Petrum edicto Claudii pulſum Roma Hieroſolymas iviſſe, & poſt mortem Claudii Romam rediiſſe, excipit, inanis ariolatio eſt, quæ idoneo teſte prorſus deſtituitur. Potuit ita fieri. Sed unde factum probas? Reclamant rationes allatæ. Solus, niſi fallor, Metaphraſtes *d.29. Jan.* Petrum Roma Carthaginem profectum memorat. cui fidem ipſe Baronius demit. Sed ſunto hæc, quæ attulimus hactenus, (ejuſmodi tamen, ut ſi æquè prægnantia pro Petri Epiſcopatu Romano Adverſarii allegare poſſent, ipſi ultro nobis ſilentium indicturi fuiſſemus;) ſunto, inquam, cuncta conjecturæ, non demonſtrationes. Adierit Petrus Romam, Eccleſiam eam præſentia, prædicatione, martyrio ſuo confirmaverit, ne videamur temerè vellicare conſenſum veterum. Adierit idem Alexandriam, Antiochiam, Babylonem, urbes alias, & priùs quidem, quàm Romanos ſalutâſſe eum adverſarii velint. Neque adiit, ceu functurus Epiſcopatu urbis, tum quia ſic Apoſtolatus ſui gradum reliquiſſet, & ad unius urbis Epiſcopatum longè inferiorem deſcendiſſet: tum quia pacta conventa inter ipſum & S Paulum junctis dextris firmata, etiam poſt tempus illud, quo Romam profectus putatur, ut videlicet ille Judæis, hic gentibus Evangelium prædicaret, violâſſet notoriè, principaliter non Judæis, ſed gentibus, ex quibus Romana eccleſia *κυρίως* conſtabat, prædicans. Fundarit is Romanam Eccleſiam. Fundavit etiam Paulus; & ante utriuſque Apoſtoli adventum Chriſtus profeſſores nominis ſui ibi habuiſſe, ex Rom. I. 8. noſcitur. Fundarit idem Antiochenam, pluréſque alias. Dicta fuerit Eccleſia Romana *Cathedra Petri.* Cypriani jam ætate Corinthus, Philippus, Theſſalonica, Epheſus, jam ante Tertulliano *de Præſcript. cap. 36.* dictæ pariter ſunt *Eccleſiæ Apoſtolicæ, Cathedræ Apoſtolorum.* Et *Cathedras Apoſtolorum* dictas fuiſſe *Principales Eccleſias*, ab ipſis ſcilicet Apoſtolis conſtitutas. Rigaltius ad eundem locum fatetur. Clauſerit Petrus diem ſupremum Romæ. Atqui etiam Hieroſolymis Chriſtus & Jacobus uterque clauſit. Unde intulerunt pridem contra Latinos Græci, Nilus Theſſalonicenſis, Barlaamus, Macarius Ancyranus, alii, *Hieroſolymitanum* fore *τοσούτῳ μείζονα τῆς Ῥώμης, ὅσον καὶ ὁ Χριστὸς τοῦ Πέτρου, tantò majorem Romana, quantò major Chriſtus Petro fuit.* Denique ex facto Neronis, perſecutorum, quid colligas Divini juris pro Antiſtite Romano? Ex Romanæ urbis, Babylonem, Hieroſolymam Prophetas trucidantem æmulatæ, impietate, qua ſpecie Eccleſiæ Romanæ tum collectæ jura, monarchiam, dominatum arceſſes? Ex data, non conceſſa qualicunque, ob aſſervatos principis Apoſtolorum cineres, (poſſunt autem ibi eſſe S. Petri cineres, ubi mortuus tamen non eſt, niſi dicas, Stephanum Protomartyra Romæ & Arelatæ paſſum, quia Romæ ejus corpus, Arelatæ caput eſſe fertur. quomodo etiam innocentum bimulorum ab Herode cæſorum corpora per univerſum ferè Pontificiæ cœcitatis orbem baſiantur) prærogativa, qua probabilitate rationis poteſtatem Monarchicam & Pontificiam in Apoſtolicas omnes, & univerſalem eccleſiam extundes? Quin victas tandem, Redingi, das manus, & agnoſcis mecum ingenuè, quàm verè

Omnia ſint Papæ tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu, quæ valuere, ruant.

OBJECT. II. *Eccleſiam externam à viſibili capite regi neceſſum eſt, quia eſt ovile, & corpus viſibile, proinde Paſtore & capite viſibili prædita etiam ſit neceſſum eſt, Joh. X. 10. Rom. XII. 4. 5. Atqui in Eccleſia dignior & eminentior Romano Pontifice nemo eſt. Is igitur eſt caput Eccleſiæ.* Reſp. 1. Eccleſiæ veræ ſufficit unum caput Dominus Jeſus, qui gratia & potentia ſua eam gubernat. Viſibili verò capite

Digitized by Google

capite opus non est, sed acquiescendum ordini externo κυβερνήσεως à Christo instituto, qui talis est, ut æquo jure utantur cives ecclesiæ; cæterùm ἡγεμονία sit penes ordinem pastorum & presbyterorum per ecclesiæ suffragia designatorum. Ecclesia sanè unum ovile est, cujus pastor Christus est, ut ipse declaravit. Est etiam corpus visibile, Rom. XII. 4. 5. Neque tamen requiritur caput visibile unum. Apostolus enim non agit de differentia munerum ecclesiasticorum, sed quorumcunque charismatum, quæ etiam in idiotas cadere possunt. Extra hunc scopum dicentis extensa similitudo nihil efficit. 2. Si tamen necessarium foret caput visibile unum, non perpetuo jure tale esset Papa, sed foret penes Ecclesiam caput sibi deligere optimum & religiosissimum, qualis Papa minimè est.

EXCIP. REDING: 1. *Nullus inter homines ordo est sine gubernatione. Talis autem est gubernatio, quale corpus. Cùm igitur Ecclesiæ corpus sit visibile, talis etiam gubernatio esse debet. Neque ulli quàm Petro cum potestate clavium, & ordine ad perpetuum ecclesiæ statum, adeóque jure successionis, commissa legitur.* 2. *Tu corpus ecclesiæ visibile concedis. Contra Calvinus, Musculus &c. ecclesiam invisibilem statuunt.* Ib. p. 135--137.

Resp. 1. Dic Redingi, Christus, quem caput esse ecclesiæ primarium supra concessisti, caput Ecclesiæ est invisibile, an visibile? Si invisibile, potest ergo corporis visibilis caput esse invisibile. Si visibile, habet igitur Ecclesia, corpus visibile, analogum sibi caput visibile. Quid igitur ultra pro Petro, quid pro Papa tuo contendis? 2. Est sanè ecclesia, quoad formam externam, corpus visibile, constans hominibus in unum cœtum coëuntibus, verbum audientibus, signa videntibus. Habet eadem caput natura sua visibile, ad dextram Dei Patris considens; olim in carne visum ab Apostolis, denuo videndum ab omnibus in consummatione Seculi. Digressum illud ex terra in Cœlum nec successorem, nec visibile in terris caput aliud Ecclesiæ reliquit. Non *successorem*, quia mortuus non est, sed vivens sedet ad dexteram Dei, velut in throno suo, Ephes. I. 20. Hebr. X. atque perpetuum habet Sacerdotium, semper vivens, ut interpellet pro nobis, Hebr. VII. 24. 25. Non *vicarium*, visibile caput aliud, quia ipsum regnare oportet, usque quò omnes inimicos pedibus suis subjecerit, 1. Cor. XV. 25. Non igitur in throno suo sedet otiosus, sed Ecclesiam inter medios hostes gubernat, Psal. CX. 2. Spiritu scilicet & verbo suo, sicut ipse prædixit, Joh. XIV. 26. 27. *Quum autem venerit Paracletus ille, quem mittam vobis, Spiritus ille veritatis, qui procedit à patre, ille testabitur de me. Sed & vos testabimini, quia ab initio mecum estis.* En testem Christi primarium, unicum, Spiritum S. quem Tertullianus *de Præscript.* Christi *vicarium* vocat: inferiores verò testes & ministros plures; Apostolos scilicet, Prophetas, Evangelistas, Pastores, Doctores, ad perfectionem Sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi, 1. Cor. XII. 8. Eph. IV. 11. 12. Nullius ibi vicarii, Monarchæ visibilis nullius mentio est. Neque magis Deus generali quodam visibili vicario & inspectore, per quem dona sua spiritualia distribuat, indiget, quàm agricola generali & vicario visibili indiget, per quem benedictionem corporalem dispenset. 3. Licet verò præsentiæ visibili capitis hæreatis non secus, quàm Israëlitæ olim Deos, qui sibi visibili forma præirent, postulabant: vestrum tamen illud caput αὐτοκέφαλον non ubique visibile est. Romæ enim in Capitolio suo sedens, nec

Madriti,nec Neapoli,nec Ulyssipone videtur. Ac licet etiam Redingius Papam suum videre gestiat,forte tamen videbit nunquam saltem ita,uti videre gesti*. An Christus corpore suo absens,ex throno suo, in quo aspectabilis & gloriosus regnat, Spiritu & verbo suo minùs Ecclesiam suam efficaciter gubernat, quàm Papa corpore similiter absens, ex Capitolio bullari & bulgari spiritu suo ecclesias absentes regere putatur? 4. Quæ de visibilitate ecclesiæ affers, vel *reproducis* potiùs,quia scilicet ad reliqua mea respondere non potuisti, & *ἀπροσδιόνυσα* sunt, & à me alibi etiam discussa. Hoc potiùs age, & omissa hypera, pedem ne insequere. Si tamen extra oleas ita vagari lubet, meditandum illud Chrysostomi *homil.10. de Ephes.* Ἐκκλησία οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν,ἀλλ' ἢ διὰ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν οἰκοδομηθεῖσα οἰκία: *Ecclesia nihil aliud est, quàm domus per nostras animas ædificata*, tibi offero.

OBIECT. III. *Ecclesia Papam semper pro capite habuit,quia dubias quæstiones omni tempore ejus arbitrio & definitioni submisit. Ita Polycarpus venit ad Anicetum in quæstione de Paschate. Irenæus Romam missus à Martyribus Lugdunensibus in quæstionibus fidei. Patres Concilii Carthaginensis rogant R.P. ut statutis suis de Cælestino, Apostolicæ sedis authoritatem accommodet. Augustinus libros suos Bonifacii examini subjecit.* Resp.1. Si quando ecclesia Episcopum Romanum consuluit, non consuluit ut Papam œcumenicum, cujus arbitrio sit standum. Ita Polycarpus ab Aniceti consilio discessit: Cyprianus se Stephani definitioni opposuit. 2. Neque etiam solum Episcopum R. consuluit, uti liquet exemplo Ambrosii, qui epistola 2. *Post Ægyptiorum supputationes & Alexandrinæ Ecclesiæ definitionem, Episcopi quoque Ecclesiæ R. sententiam expectari scribit.* 3. Neque etiam semper itum ad Romanam sedem, uti patet exemplo B. Johannis damnantis Cerinthum; Polycarpi quæstionem de iterando Baptismo Hæreticorum in Concilio Africano, non vocato Romano, definientis; Arii sine authoritate Episcopi R. refutati, convicti, damnati. Ecclesias Orientales convenire in doctrina cum Romana pertendit Allatius Græculus. Neque tamen illæ Papæ in quæstionibus dubiis quidquam deferunt. Unde obiter liquet, veram ecclesiam censeri posse, quæ Papæ nihil defert, imò eum palam aspernatur.

EXCIP. REDING: 1. *Polycarpus à decreto Aniceti, postquam illud definitivè latum est, non discessit. Iter enim Romam suscepit, quòd Papæ authoritatem agnosceret. 2. Cyprianus non definitioni Stephani, sed Basilidi, Stephano sub & obreptentis restitutioni se opposuit. 3. Ad Irenæi, Concilii Carthaginensis & Augustini exempla nihil respondes. Accedit, quòd S. Ambrosius rogatis aliarum Ecclesiarum sententiis, demum Romanæ Ecclesiæ sententiam definitivam & authoritativam expectavit. 4. Si S. Johannes authoritate Apostolica delegata Cerinthum damnavit: multò magis Papa id potuit, Petri cathedra potitus. 5. Episcoporum & Conciliorum Provincialium decreta non obligarunt Ecclesiam universam, nisi accedente authoritate Papæ, vel Concilii cum Papa.* Ib. pag. 137. 138. Resp.1. Ex Irenæi ad Victorem epistola, quam Eusebius *Histor. Eccl. lib.V.* 24. recenset, constat satis, Polycarpum Romam ad Anicetum ivisse; non quòd ceu judici suo se submittere constituerit, sed quòd περὶ ἄλλων τινῶν μικρὰ σχόντες πρὸς ἀλλήλους, *inter illos de aliis quibusdam*

Digitized by Google

Iudaicam rebus modica esset controversia. Adivit igitur ut partem, non ut judicem, inprimis cùm testetur idem, *Anicetum Polycarpo persuadere non potuisse, ut Pascha celebraret Dominica.* Suasit proin Anicetus; non vel judicavit, vel persuasit. Interim salvo dissensu invicem communicarunt. Ubi igitur Aniceti decretum Papale definitivum? Ubi Polycarpi obedientia definitioni Aniceti præstita? 2. Cyprianus *Epist.68.* Stephanum excusat, *quòd ei negligenter obreptum sit* à Basilide. Sic scilicet supremus judex, Papa, ab inferiore, judicando *negligentiæ* insimulari solet. Et quod plus est, notante Rigaltio, Clerici Legionenses & Asturicenses una cum plebe ad Cyprianum à Stephano Romano appellarunt; & pro iis in epistola illa Cyprianus pro clero illo contra Basilidem ut fraudulentum, Stephanum Papam ut deceptum propria negligentia, pronuntiavit. Quanquam, ubi Cyprianum Stephani definitioni se opposuisse scripsi, ad definitionem Stephani in quæstione de rebaptizandis hæreticis, digitum intendi. Historia ex Augustino *contra Donatistas lib.V.25.* notissima est. 3. Irenæum ad Papam, ceu judicem summum & solum missum esse: Carthaginenses Papæ ceu judicis supremi authoritatem implorasse: Augustinum libros suos examini Bonifacii, ceu supremi in ecclesia dictatoris subjecisse, proba. Atqui consuli suevisse Papam, nec ut Oecumenicum, nec solum, nec semper, responderam. quod diluendo argumento sufficit. Quàm misera verò ratiocinatio tua: *Ambrosius Ecclesiæ Romanæ sententiam postremam expectavit: Ergo authoritativam, definitivam,* hoc est, Papalem? 5. Nec S. Johannes & Papa paria faciunt: nec Papa supremus & Oecumenicus judex est, si inscio illo judicare alii possunt. 5. Episcoporum, Conciliorum particularium definitionibus totam ecclesiam nunquam obligatam esse, largior. Sed par Episcopi Romani conditio est. uti vel sola de Paschate definitio ostendit.

OBIECT. IV. *In Conciliis Nicano, Chalcedonensi, Sardicensi, sancitum est, ut in controversiis fidei appelletur R. Papa, tanquam supremus in his terris Judex. Et ad eum appellatum esse, exemplis innumeris probari potest.* Resp. 1. Facta, exempla, canones hominum, non jus divinum adducuntur. 2. Concilii Nicæni canon, quem citant, in Concilio non invenitur, sed à Zosimo ex Concilio Sardicensi sub nomine Nicæni obtrusus est. Si Concilium Nicænum tale jus Romano concedit, cur igitur canone 5. permittit appellationes ab Episcopo ad Concilium? Cur canone 6. in ordinem redigit Romanum? 3. Sic in Chalcedonensi non reperitur canon, quem citant. Imò canon 9. contrarium statuit. 4. Sardicensis Concilii canon 4. & 7. jus appellandi ad Papam sancit, fateor. Sed Oecumenicum non fuit, quippe ignoratum ab Afris, Numidis, Carthaginensibus, Mauris. Et appellationes ejusmodi sanxit pro eo tempore, non in perpetuum, *provisionaliter*, sicut disertè loquuntur Patres, quia ecclesiæ Orientales suspicione partium non vacabant. 5. Quod exempla attinet appellationum, factæ eæ sunt vel ab æmulis *circumcursantibus*, uti vocat Cyprianus, & desperatis, vel à bonis. Malorum ab aliis jam damnatorum exempla non moramur, Boni verò ad Papam appellâ-

appellârunt, non ut judicem supremum, sed quòd subsidium in amica communionis ejusdem societate quærerent.

EXCIP. REDING: 1. *An ex Concilio Sardicensi Canon ille Niceno intrusus sit, parum refert, quia etiam Sardicense Oecumenicum fuit, convocatum quippe, teste Sulpitio, ex toto terrarum orbe. unde generale etiam Socrates vocat. Proin nullibi separatim à Concilio Niceno ponitur. sed post illud secundo loco Constantinopolitanum numeratur. Licet verò Niceni Canone V. appellationem ad Concilium permisissent, appellatio tamen pro ultima instantia ad Papam pertinet, uti ex Epistolis Cleti, Sixti I. Gelasii, Leonis, & exemplis etiam pluribus liquet. Canon verò VI. ejusdem Concilii disertè asserit, Romanum esse successorem Petri, adeóque in universam Ecclesiam potestatem, unà cum jurisdictione diœcesana respectu urbis, & Patriarchali, respectu Occidentis, ei asserit. 2. In Concilii Chalcedonensis act.16. recensetur & approbatur Canon VI. Concilii Niceni, in quo jus illud appellandi fundatur. Canone verò ejusdem Concilii IX. quo ad Primatem Diœceseos appellatio conceditur, per Primatem illum Romanum intelligi, Nicolaus I. Epist. ad Michaël. Imp. declarat, quod cum voce Græca ἔξαρχυ convenit. 3. Episcopis iniquè oppressis semper fuit jus ad Romanam sedem appellandi, non ex amica communionis societate, sed ex Apostolici primatus authoritate. Quanquam vos etiam amicam communionis societatem sustulistis.* Ib. pag.138--141. Resp.1. Bene, quod fraudem, quam Zosimus Concilio Niceno, Sardicensem Canonem supponendo, fraudus est, negare non audes. Concilium verò Sardicense Oecumenicum fuisse, temerè affirmas. Constantius quidem, Constantini filius, universale convocaverat, Socrate, Theodoreto, Sozomeno testibus. Sed eventus non respondit, Occidentalibus solis Concilium celebrantibus. Orientalibus verò vel emanentibus, vel reversis, ob Athanasium non ejectum; & seorsim Philippopoli convenientibus; uti idem Socrates, statim narravit. Unde *Occidentalium Concilium* ab antiquis Patribus sæpe audit. Convenerunt in eo Episcopi circiter centum septuaginta, uti Athanasius ipse, pars Concilii, & cujus gratia celebratum est, *Tom.I. ad solitar.* testatus est, majori fide eatenus dignus, quàm Socrates, numerum amplificans. Notatu quoque dignum, quòd Sardicensis ille Canon non permittit, ut quivis Episcopus, qui deponitur, ad Romanum appellet, sed tantùm, qui à finitimis Episcopis deponitur, nulla mentione habita Metropolitani vel Patriarchæ. Et quicquid etiam Synodus illa indulserit, Orientales tamen id ratum neutiquam habuerunt: neque præjudicare potuit Niceno Canoni quinto jam sancito, quo disertè decretum est, ut omnes ecclesiasticæ causæ à Provinciæ Synodo determinentur, in qua motæ sunt. Post illud decretum à Generali Concilio constitutum, ridiculum fuisset, Provincialem Synodum decernere, ut à Provinciæ Synodo ad Episcopum Romanum appelletur, atque ille causam finiret. Quæ de appellatione pro ultima instantia ad Papam pertinente, ex Cleto, Sixto, Gelasio, aliis, quorum nonnulli hypobolimæi, omnes in propria causa testes sunt, Redingius mussat, titivillitio non emerim. Ratio enim Niceni Canonis hæc est, quòd *æquum pariter justúmque sit, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus:* utque *illic agatur causa, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint.* quam ob causam etiam ante Nicænum Concilium ita statutum esse, Cyprianus *Epist.*55. *ad Cornelium* testatur. Quæ causa cum appellationis illo universali ad Papam jure, in quacunque instantia ita pugnat, ut jam ante Cyprianus Episcopos, quorum domi cogni-

ta ab Episcopis Africanis causa fuit, inde Romam confugientes, eadem ad Concilium epistola, acriter reprehenderit, domúmque revocaverit. Præterquam quòd nec in hoc, nec in aliis Canonibus Concilii hujus ultima instantia Papæ reservatur. De Canone verò VI. inferiùs. 2. Vix sine risu legi potest ingeniosa Redingii dicam, an Turriani & Binii, in Canonem IX. & XVII. Concilii Chalcedonensis commentatio, qua ἔξαρχον τῆς Διοικήσεως seu *Primatem Diœceseos*, cui ultimum judicium defertur, Romanum Episcopum innui pertendunt, eò quòd ἔξαρχος propriè non Primatem, sed Principem significet, solus autem Romanus princeps sit. Quò partium studia miseros perducunt! Justinianus Imperator *Novell.* 123. *cap.*22. Alexius Aristenus, Zonaras, ἔξαρχον διοικήσεως Patriarcham quemvis: Dionysius Exiguus *Primatem Diœceseos*, qui primam & præcipuam Diœceseos sedem obtinet, interpretantur. cujusmodi Exarchi octo in hoc ipso Concilio numerantur. Et Papam suum dici vel *Primatem*, vel *Principem Diœceseos* ægrè ferent cordatiores Papistæ, quibus Papa non Diœceseos, sed omnium Christiani orbis Diœceseon Princeps habetur. 3. Cœtera quæstionem petunt. Amicam verò communionis societatem secum iniri à nobis, ne Papa quidem ipse velit, cui non amici, sed vasalli vel Summi Imperatores satisfaciunt: nedum nos optare, rebus sic stantibus, possumus. Εὐχῆς μᾶλλον, ἢ ἐλπίδος ὄντων.

OBIECT. V. *Concilia Generalia confirmationem decretorum suorum petierunt à Pontifice Romano, Nicænum à Silvestro, Constantinopolitanum à Damaso, Ephesinum à Cœlestino, Chalcedonense à Leone. Ergo pro capite ecclesiæ eum habuerunt.* Resp. 1. Olim Concilia confirmata sunt non à Papa, sed ab Imperatoribus, quorum literis etiam decreta Conciliaria ecclesiis sunt insinuata. 2. Edant Pontificii ex omni antiquitate unicam bullam confirmatoriam, qualis fuit Pij IV. pro confirmatione Concilii Tridentini, & victas manus dabimus. 3. Confirmârunt igitur Episcopi R. sicut & omnes Episcopi reliqui decreta Conciliaria per assensum simplicem, non edicto ejusmodi bullato.

EXCIP. REDING: *Imò verò Conciliorum confirmatio non penes Imperatores, utpote qui à Concilio requisiti exequi tantùm poterant, sed penes solum Episcopum Romanum semper fuit, uti liquet, ex Conciliis Chalcedonensi, quod in Relat. ad Leonem Papam act.*16. *Leonem rogavit, ut judicium suum decretis suis honoret, ceu caput & summitas sua: Constantinopolitano VI. cujus Præses Menas act.*4. *testatur, se Apostolicæ Sedi obedire, & ab ea damnatos damnare; Constantinopolitano I. à Papa Damaso, Photio teste, quoad sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii confirmato: Ephesino, in quo Papa Successor Petri, Apostolorum caput & præses extollitur: Nicæno, cujus Canone* 39. *idem caput & princeps omnium Patriarcharum statuitur, quódque Silvester Papa solenniter confirmavit.* Ibid. p.141.142. Resp.1. Concilia olim confirmari sueverunt partim edicto, partim assensu. *Edicto* soli Imperatores Concilia ita confirmarunt, ut eorum definitione in externo foro eatenus vim legis sortita fuerint. De Nicæno liquet ex Theodoreto *Histor. Eccl. lib. II.* 4. ubi Athanasius Constanti Patris Constantini, Nicænum κεκυρωκότος νόμῳ *lege*, seu edicto confirmantis, exemplum ad animum revocat. Unde Concilii ejusdem decreta à Constantino ad Ecclesias perscripta sunt. Concilium Constantinopolitanum I. sic ad Theodosium scribit: *Rogamus tuam Clementiam,* δεόμεθα τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι συ-

νέδω τὴν ψῆφον, ut ſcripto tuæ pietatis ratificet Synodi decretum, quo, ſicut convocationis literis eccleſiam honoraſti, ſic etiam τῶ δεξιῶν ὑποσφραγίσῃς τὸ τέλος, decretorum finem ſigillo tuo munias. Evagrius quoque *lib.III.8.* narrat, à Felice Romano Epiſcopo miſſos ad Zenonem Imperatorem Vitalium & Miſinum Epiſcopos, *ἐφ' ᾧ τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον κρατῦναι, ut Synodum Chalcedonenſem confirmaret.* Seſſione VI. ejusdem Concilii Imperator pollicetur, daturum ſe operam, ut quæcunque piè ac decenter conſtituta eſſent, perpetim rata manerent. Habetúrque in Concilii ejus parte III. edictum Marciani: *Sacro noſtræ Serenitatis* edicto venerandam Synodum *βεβαιώσαντες confirmantes,* admonuimus *univerſos, ut de religione diſputare deſinerent.* Synodus Trullenſis ad Juſtinianum: *Tuam Clementiam rogamus &c. ἵνα τῶ δεξιῶν δι' εὐσεβῶν κεραιῶν ἐπισφραγίσῃς τὸ τέλος, ut decretorum finem per ſacros apices confirmes.* In ſexto itidem Conſtantinopolitano Flavius Conſtantinus ſcribit ad omnes Occidentales: *Nos, quæ ab eis definita ſunt, corroborare atque firmare cupientes, præſens pium edictum edidimus.* Extat etiam Διάταξις Juſtiniani, qua acta ſub Mena contra Petrum & Zooram confirmantur; ubi inter alia: *Quod in ſententia ſanctiſſimorum Epiſcoporum continetur, κύριον δὲ τιθέμεθα, καὶ τοῖς θείοις καὶ βασιλικοῖς ἡμῶν αὐτῶν νόμοις ἐπικυροῦμεν, ὡς ἂν εἰ παρὰ τῆς βασιλείας αὐτῆς προελθὸν ἐτύγχανε, firmius reddimus, & Divinis ac Imperialibus legibus noſtris corroboramus, ac ſi ab Imperio noſtro proveniſſet.* Quid his omnibus diſertius, quid efficacius? Quibus ſi ſimilia pro Epiſcopo Romano, & quidem ſolo afferre poſſetis, quantum vos & exultaretis, & inſultaretis nobis? Peponem pro corde habeat, qui hæc omnia de poteſtate facti, non juris, hoc eſt, per modum executionis, ut Redingius noſter vult, non juriſdictionis, intelligenda eſſe ſtatuat. Confirmatio enim Conciliorum, quæ fit per modum legis & edicti, cujus vi obſervantia decretorum injungitur, non utique per modum executionis, ſed juriſdictionis peragitur. Aliud certè uſitatiſſimæ illæ veterum in Synodicis & Imperialibus actis voces βεβαιοῦν, ἐπιψηφίζεσθαι, ἐπισφραγίζεσθαι, κρατύνειν, κρατυνεῖν, ἐπικυροῦν τὰ πεπραγμένα, ſonant. Confirmandi illud jus & probandi decreta & improbandi eadem jus integrum habuit. Hinc Synodorum decreta quædam etiam improbata, rejecta, ampliata, inprimis à Carolo Calvo & Carolo M. reperias. Neque enim Summa poteſtas aut cœcum obſequium præſtare Synodo, aut dogma falſum & noxium tueri, aut pati, ut opprimatur veritas, cogitur. Quinimò omnis juriſdictio, quæ vim legis decretis impertitur, non aliunde, quàm à Summa poteſtate civili oritur. Quod quia viderunt Pontifices veſtri poſteriores, ideo etiam has confirmandi per edictum partes, quæ Imperatoris olim erant, ceu novi ſcilicet & myſtici Imperatores, ſibi tandem ſumpſerunt. uti ex bullis earum pro confirmatione Conciliorum, Tridentini inprimis à Pio IV. conceſſa, liquet. Quoad confirmationem verò illam, quæ fit *aſſenſu*, procul omni poteſtate & juriſdictione, largimur ultro, eam Epiſcopo etiam Romano competiiſſe; ſed non ſoli. Omnes quippe Epiſcopi aſſenſu Concilia firmare ſueverunt, uti ex Euſebio *de vita Conſtantini Lib.II.1.8.* Sozomeno *l. II.15.IV.1.10.15.IV.1.10.* Socrate *lib.IV.11.* Nicephoro *l. XI.* 40. quin & ipſis Conciliorum actibus conſtat. Quod igitur reliquis Epiſcopis æquè ac Romano competiit, proprium & eximium in Romano jus nullum effecit. Alias ſi is Pontificis Suprematus ſit, cujus conſenſum & ſuffragium Concilia petierunt: qualis, obſecro, Imperatoris ſuprematus fuerit, quem obteſtabantur ut decreta rata facerent confirmaréntque? Et quid ſi Patres Concilii conſentirent omnes, unus verò Papa diſſentiret, atque decreta confirmare renueret? Synodine tum, an Papæ judicio ſtandum? Prius ipſe Andradius, Synodi Tridentinæ columna & ſtabilimentum *Def. C. T. lib.I.* una cum Alphonſo à Ca-

stro *de hær.punit.lib.I.cap.6.*& Cardinale Turrecremata *de Pont.& Concil.authoritate Resp.* 67. asserit meritò. 2. Quæcunque igitur hic Redingius adduxit, vel confirmationem per consensum arguunt, vel confirmationem ne quidem attingunt. Quemadmodum Chalcedonense Leo confirmaverit, testis ipse est, cùm *Epist.57. ad Martianum* sic scribit: *Constitutionibus Synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ & hæreticorum damnatione placuerunt, libens adjeci sententiam meam.* En merum consensum, ἐξαίρετον nihil! Concilium Constantinopolitanum allegatum non universale illud, quintum est, sed particulare. Cúmque ejus exemplaria Græca non prostent, quo sensu se *obedire* sed; Apostolicæ profiteatur, dicere non habeo. Posset hoc ad Synodi modestiam potiùs, quàm authoritatem Romani referri. Ipsa Concilii illius historia Oecumenico Papatui præscribit, utpote quod ab Imperatore convocatum fuit, ut judicaret de facto Agapeti Anthymum Constantinopolitanum deponentis. Concilii verò Nicæni Canonem 39. suppostitium, ab Episcopo Romano una cum aliis obtrusum, pro genuino venditare ipsi Papistæ, quibus pudor aliquis reliquus est, pridem desierunt. Sed id Redingius nil pensi habet. Qui pari etiam impudentia Silvestri ad Concilium Nicænum rescriptum opponit. Talem scilicet Rescriptum illud fidem meretur, qualem Nicæni Concilii ad eundem epistola, qua confirmationem flagitat; quam ab imperito Monacho fortè (nam Fratres Colonienses eam Crabbio suppeditarunt, incertum unde illi prompserint) non satis artis fingendi callente, confictam esse, multa arguunt, inprimis quòd unus ex Patribus, qui epistolam scripsere, Macarius, *Episcopus Constantinopolitanus* vocatur, cùm tamen Constantinopolis nomine illo pluribus etiam post epistolam illam datam annis, nondum venerit, sed Byzantii potiùs: neque Macarius eo tempore, sed Alexander, Byzantinus Episcopus fuerit. Alia νόθειας argumenta mitto. Siliquis hisce si tu delectaris, at nos inassuetos iis pascere equidem nunquam poteris. 3. Quid verò multis? Conciliorum Oecumenicorum Canonibus ipsis, utpote quibus propriè decreta & sententiæ eorum constant, Oecumenicus Papatus vester fortissimè configitur. Etenim Nicæni *Canon VI.* Romanum ad curiam parium redigit. Constantinopolitanum *Can.III.* Sedis Constantinopolitanæ Episcopo πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ρώμης Ἐπίσκοπον *privilegia honoris post* (non infra) *Episcopum Romanum* decernit. Chalcedonese *Can.XXVIII.* declarat, quòd Episcopo Romano Patres *ob urbem imperantem* jure privilegia tribuerint; & τὰ ἴσα πρεσβεῖα *jura æqualia* sine respectu ad Romanam Ecclesiam Constantinopolitano vindicat. His ferientibus sententiis Concilia illa, quicquid ab iis Romanæ Sedi indultum fingitis, infringunt.

OBIECT. VI. *Is Oecumenicus Episcopus est, qui reliquos toto orbe Episcopos instituit & confirmavit. Hoc autem fecit Papa R. Ita Maximum Antiochenum confirmavit Leo. Idem instituit Anatolium Constantinopolitanum. Exempla ejusmodi sunt plurima.* Resp.1. Institutio Episcoporum & pastorum competit Ecclesiæ, quæ jus habet clavium, non uni homini. Neque hic attendendum, quid quisque sibi promittat. Aliâs nunquam cessabunt calumniæ facti. Etiam alii Episcopi extra provincias suas ordinârunt, ut Athanasius & Lucifer. 2. Concilii Nicæni canon. 4. nullam prærogativam concedit Romano, nisi quâ is Metropolitanus est. 3. Confirmationem verò quod attinet, non solus Romanus extra ditionem confirmare potuit, sed etiam alii Episcopi. Ita Cornelius ab Episcopis Africanis est confirmatus, ut Cyprianus ep.45.

Digitized by Google

testatur. 4. In exemplis allatis Romanus consensit, non solus instituit, vel confirmavit.

EXCIP. REDING: 1. *Concilii Nicæni Canon IV. Episcoporum confirmationem Metropolitano tribuit; sed Metropolitanus à Papa confirmandus erat. Unde Leo Maximum Antiochenum Metropolitanum confirmavit; nec non Anatolium Constantinopolitanum; testatus ita epistola 54. ad Martianum, quòd Anatolius sui favoris assensu Episcopatum tantæ urbis obtinuerit. Gregorius quoque passim in epistolis suis, pallium, Archiepiscopatus insigne, mittere se scribit. Quin Romani Pontifices, veluti Leo idem, Gregorius Episcopos in partibus extra Diœcesin Romanam sitis instituerunt & confirmarunt. 2. Si qui alii Episcopi extra ditiones suas ordinarunt, fecerunt id potestate delegata Papæ. 3. Cornelii verò confirmatio ab Episcopis Africanis facta, nullam ei authoritatem contulit, cùm, teste eodem Cypriano, Dei judicio locum Petri occupaverit; sed authoritatem ejus in Cathedra Petri jam occupatam, consensione, in obsequium scilicet ejus, firmavit.* Ib. p. 142.

Resp. 1. Concilii Nicæni Canon IV. expressior est, quàm ut ita eludi se patiatur. Jubet ille *Episcopum ab omnibus, qui sunt in Provincia,* καθίστασθαι *constitui. Si autem hoc sit difficile, tres in eundem locum congregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scriptisque assentientibus,* χειροτονίαν ποιεῖσθαι *ordinationem facere;* τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ; *eorum autem, quæ fiunt, confirmationem in unaquaque Provincia à Metropolitano fieri*; jubet idem. Agit Canon non tam de electione Episcopi, quæ antiquitus penes ecclesiam fuit; sed de constitutione & inthronizatione, uti vox καθίστασθαι docet. Nulla Episcopi Romani ibi mentio, adeò ut ejus vel præsentia vel authoritas desiderata neutiquam fuerit. Quinimò τὸ κῦρος τῶν γινομένων *confirmatio eorum, quæ facta sunt*, Metropolitano soli, sine ulla Romani mentione, attribuitur. Sed fortè Metropolitanorum ipsorum constitutio, ordinatio vel confirmatio à Romano pendebat. Ita quidem Redingius vellet. Verùm præterquam quòd in Canone hoc altum de eodem silentium est, etiam ex Aurelianensis Concilii III. Canone III. eorum & electio & consecratio ita definitur, ut de Romano altum iterum silentium sit. Ordinari quippe illi Canone eo jubentur *à Metropolitanis omnibus, si fieri potest, præsentibus comprovincialibus, ita ut ipsi Metropolitano ordinandi privilegium maneat, quem ordinationis consuetudo requirit: ipse tamen Metropolitanus à comprovincialibus Episcopis cum consensu cleri vel civium eligat.* Itane fit hodie, Redingi? Quid autem fecerit Leo, quid alii fecerint, nihil refert. Nos enim jus factorum, non exempla quærimus. Neque tamen exempla citata probant quicquam. Etenim Maximus Antiochenus, & Juvenalis Hierosolymitanus Patriarchæ de finibus Diœceseos suæ inter se transegerant. Re ad Concilium delata, suffragiis singulorum transactio probata est. Non plus Romanus, quàm quivis alius de consessu fecit. Sed & Leo de *favoris sui erga Anatolium assensu*; postquam scilicet is ejurato Nestorianismo Orthodoxæ fidei subscripsit, loquitur. De institutione vel confirmatione ne verbum quidem. Gregorius pallium, more recepto, misit Episcopis, suæ scilicet, non alienæ Diœcesis, Metropolitani jure. Si quos autem vel Leo vel Gregorius extra Diœcesin suam Episcopos instituit vel confirmavit, factum id vel nullo jure, vel rogatu ecclesiarum dissitarum, ob præsentia incommoda, missis quinetiam vocationis & authoritatis symbolis. Semel Agapetus excurrit Constantinopolin usque, atque ibi deposito Antimo Menem ordinavit. Id verò jactavit, quasi magnum, & inde à S. Petri temporibus insolitum quid suis temporibus accidisset

dissset, Baronio ad A.536. teste. 2. Athanasium, Luciferum, alios extra diœcesin ordinasse quandoque potestate delegata, fatemur. Sed non Romani. Ipsi quoque Romani extra diœcesin suam nonnisi delegata potestate jure ordinare potuerunt. 3. Non vel plebem, vel Episcopos alios, Africanos etiam, sed solum Christum Cornelio Pontifici authoritatem & potestatem contulisse, ultro largimur. Atque ita res habet in electione Ecclesiæ Ministri cujusvis, in qua ecclesia suffragiis & consecratione personam designat, deputat, atque deputatæ ita personæ Christus in verbo potestatem largitur, officiúmque injungit. Ita Cornelius Papa à plebe electus, atque ab Episcopis etiam peregrinis Africanis confirmatus, potestatem omnem à solo Christo, sicut & alii omnes Ecclesiæ Ministri, accepit. Inde tamen clarissimè constat, non solum Romanum Episcopos extra diœcesin aliquando confirmasse, sed Africanos extra diœcesin suam Romanum: quod τὸ ζητούμενον erat.

OBIECT. VII. *Concilii Nicæni canon 6. sancit, Episcopum Alexandrinum debere gubernare suas provincias, quia Episcopus Romanus ita consuevit, hoc est, ante omnem definitionem Conciliorum consuevit hoc permittere Alexandrino. Constantinopolitanum Concilium fatetur, teste Theodoreto Histor. Eccl.V.9. Romanam ecclesiam caput esse, se membra. Chalcedonense vocat Leonem universalis ecclesiæ pastorem.* Resp. 1. Canon Nicænus, qui cæteroquin Papistis est sudes in oculis, nequissima interpretatione corrumpitur, quasi ἡ συνήθεια Romani esset *causa*, non *par exemplum* indulgentiæ factæ Episcopo Alexandrino, cùm tamen apertissimè consuetudo compararetur consuetudini. Verbis enim illis: *Mos antiquus perdurat in Ægypto*, ista sunt ἐκ παραλλήλου posita: *Eadem est Romæ consuetudo*. Hinc veteres interpretes omnes, Balsamon, Zonaras, Ruffinus, consuetudinem comparant cum consuetudine, non causam cum indulgentia. Ultimus etiam fines nominat Romani, nimirum *suburbicarias ecclesias*, hoc est, vicinas Romæ, Urbico Præfecto subjectas, quales fuerunt illæ, quarum Episcopi Romano solenni quoque die in ecclesia Lateranensi adsistebant: quásque leges Gratiani Piceno & Thuscia definiunt. 2. Epistola Constantinopolitani Concilii scripta est non ad ecclesiam vel Episcopum Romanum, sed ad Ecclesiarum Cismarinarum Synodum, quæ Romæ habebatur. Membra se vocant ecclesiæ, nempe universalis, non Papæ capitis. 3. Chalcedonensis Romanum vocat *ecclesiæ universalis Pontificem*, imò quod plus est, καθολικοὶ καὶ οἰκουμενικοὶ dicti sunt, quia nimirum humano instituto summum consilium pertinens ad ordinem ecclesiarum in toto orbe, ad Patriarchas delatum erat.

Excip. Reding: 1. *Concilii Nicæni Canon supponens Pontificis jurisdictionem universalem in Ecclesiam universam, agit de jurisdictione ejus Patriarchali respectu Occidentis. Hinc Concilium Chalcedonense act. XVI. Canonem illum referens, Ecclesiæ Romanæ primatum agnoscit: & Nicænum Can. 39. eundem caput & principem omnium Patriarcharum appellat.* 2. *Constantinopolitani in epistola ad Synodum Romanam ita se fatentur*

membra universalis ecclesiæ, ut vocati à Damaso Romam, eò delegatos miserint, certo argumento subjectionis. 3. *Episcopi Catholici, seu Oecumenici propter fidem Catholicam, seu Oecumenicam dici potuerunt.* *At Ecclesiæ universalis Pontifex cùm dicitur Romanus, Pontificatus universalem ecclesiam complexus ei tribuitur.* Ib.p.142.143. Resp.1. Si Canon VI. Nicænus Papalem potestatem supponit, quomodo ex eo argumentum pro Papatu arcessere Bellarminus potuit? Pessimè hic tibi cum Bellarmino, oraculo tuo, quem turpiter deseris, convenit. Sed unde probas, supponere? Nam & Canon XXXIX. posterior, imò nothus est: & Chalcedonense Concilium æquè recentius, neque Papalem potestatem agnoscit, sed potiùs Can. XXVIII. Romano & Constantinopolitano *ἴσα πρεσβεῖα jura æqualia* decernit. Quam quidem adæquationem adeò ægrè Lucentius Romani Episcopi vicarius tulit, ut contra eam protestari ausus sit. quam protestationem Sebastiæ Episcopus Johannes communi Episcoporum & totius Concilii, & Judices Martiani Imp. nomine rejecerunt. Illa porro verba: *Ecclesia Romana semper habuit primatum*, Nicæno Canone in Chalcedonensis Concilii *act.XVI.* (non *decima*, uti Redingius) præmissa, non Nicænorum Patrum fuerunt; sed glossema potiùs & *παρέμβλημα* cujuscunque authoris, in exemplo Romano Canoni præfixum, & à Paschasino Lilybetano Episcopo, vices illic agente Romani Episcopi, propositum. Quapropter etiam Constantinus Imperialis Consistorii Secretarius ex codice, quem Aëtius, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Archidiaconus, ex Patriarchio in Concilio palam exhibuit, Canonem sine ista accessione legit, uti ibidem videre est; prout etiam nec in Canonibus Græcis, & eorundem versionibus variis, veluti Arabica Josephi Ægyptii, Alexandrina, Melchitarum, Maronitica, Dionysii Exigui (qui hunc quidem titulum Canoni præmittit, *de primatu ecclesiæ Romanæ, vel aliarum civitatum Episcopis*; ex qua inscriptione Paschasinum prima illa Canonis verba, effinxisse, Doctiss. Beveregius suspicatur) Isidori Mercatoris, Rufini. quas idem Beveregius repræsentat; nec in decreto Gratiani *Dist.65. c. mos antiquus*; & Gregorii XIII. recognitione, legitur. Sermo porro ille, quem in Concilio eodem judices habuerunt, à Bellarmino, & sequace ejus Redingio, planè mutilus refertur, omissis sequentibus, quæ ita habent: *Oportere autem sanctissimum Archiepiscopum Regiæ Constantinopolis novæ, eisdem frui primatibus honoris, & ipsum dignum esse, & potestatem habere ordinandi Metropolitas.* En adæquatos utriusque Romæ Episcopos in solidum! 2. Constantinopolitani non ad Damasum, vel Ecclesiam Romanam solam, sed ad Ecclesiarum cismarinarum Synodum, quæ Romæ habebatur, ita scripserunt. An igitur singulos illos, ad quos in ea Synodo coactos scripserunt pro capitibus suis habuerunt? Atqui ad Damasum & reliquos, nullo discrimine, *ἀδελφοὺς καὶ συλλειτουργοὺς fratres & Comministros* vocant. Neq; caput suum quenquam, nedum Damasum solum appellant. Sic enim loquuntur: *Postquam vos Romanam cogentes Dei voluntate Synodum, τὴν ἀδελφικὴν περὶ ἡμᾶς ἀγάπην συνδεικνύμενοι, καὶ ἡμᾶς ὡς οἰκεῖα μέλη συγκαλέσαντες, ostendentes fraternam charitatem nos tanquam propria membra, per literas piissimi Imperatoris accersivistis, ne sine nobis regnaretis, sed haberetis nos Regni socios, optavimus universi desiderio & utilitati gratificari. Se membra οἰκεῖα propria* vocant, non Damasi, ut capitis; sed Christi ut capitis, & ecclesiæ ut corporis. Neque enim qui alterius membrum est, alterum pro capite suo agnoscit. *Sumus enim multi unum corpus in Christo, singuli autem membra invicem*, Rom.XII.5. Neque se obstrictos profitentur ad parendum Damaso, ceu Papæ; sed testantur, se optare *χαρίσασθαι gratificari* desideriis, & vocationi per literas non Damasi, sed *piissimi Imperatoris.* Tum ablegant ad Synodum fratres & Collegas Episcopos, Cyriacum, Eusebium & Priscia-

num,

Digitized by Google

num, *exorantes* illos, *ut proficiſcendi* Romam *laborem* προθύμως *libenter ſubire* vellent. Nullum uſpiam obſequium toti Synodo, nullum Damaſo teſtantur, ſed vocationi per Imperatorem factæ propter Eccleſiæ neceſſitatem ita gratificantur, ut mittant à ſe exoratos, & lubentes. Imò ſe velle cum Synodo Romana συμβασιλεύειν *una regnare*, ſub Chriſto ſcilicet capite, hoc eſt, frui bonis à Chriſto partis, teſtantur: quin & Eccleſiam non Romanam, ſed Hieroſolymitanam in eadem Epiſtola μητέρα πασῶν ἐκκλησιῶν *matrem omnium eccleſiarum* vocant. En qua fide, Græca an Latina, ſublæſta certè, homines hi ſcripta veterum, etiam Conciliaria, tractant! 3. Imò Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus æquè ac Romanus, nullo planè diſcrimine, *Oecumenici Patriarchæ* dicti ſunt, nominatim à Juſtiniano *l. 7. C. de Summa Trinitate, & l. certiſſimè C. de Epiſcop. audientia,* & *Novella* 3.5.7.16.42.79. Leone *Conſtit.* 2. Concilio Conſtantinopolitano II. *act.* 1. quin & à Papa ipſo Adriano *Concilii Nic. II. act.* 2. Oecumenici autem hi omnes dicuntur non tantùm *propter fidem Catholicam ſeu Oecumenicam* (uti ridiculè Redingius. quis enim fidelem quemvis ſicut *Catholicum*, ita etiam *Oecumenicum* dixit?) ſed quia in quatuor veluti οἰκουμένης *habitabilis orbis* diſtributi hi Patriarchæ ordine Archiepiſcopis Primatibúſque authoritate limitata præerant. Quo ſenſu etiam *Summi Pontifices* iidem Patriarchæ in ipſa adhuc Synodo Nicæna II. *act.* 6. dicti ſunt.

OBIECT. VIII. *Patres omni ævo tum Græci tum Latini Romanum Epiſcopum pro capite eccleſiæ habuerunt. Ignatius in Epiſt. ad Romanos* Religionem Romæ præſidere *ait. Irenæus lib. III. 3. ait, omnem eccleſiam convenire ad Romanam* propter potentiorem principalitatem. *Eandem vocat* maximam ab omnibus cognitam & antiquiſſimam. *Cyprianus Epiſt. 45. eam vocat* radicem & matricem eccleſiæ catholicæ. *Ambroſius lib. III. de ſacram. cap.* 1. eccleſiæ Romanæ typum & formam in omnibus ſequendam *dicit. Hieronymus in Epiſtola ad Damaſum:* A paſtore præſidium peto. Cum ſucceſſore Piſcatoris loquor. Nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudinis tuæ, id eſt, cathedræ Petri comunione conſocior. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Qui extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. *Similia habent reliqui.* Reſp. 1. Verum eſt, olim eccleſiam R. magna in veneratione fuiſſe, tum propter antiquitatem ejus, tum propter depoſitum nobiliſſimæ Epiſtolæ Paulinæ, tum propter urbis nomen & totius Occidentis ad illam reſpectum, tum denique propter conſtantiam fidei & deteſtationem hæreſium. Quæ ipſæ etiam cauſæ ſunt, paulatim adjuvantes erectionem cathedræ authenticæ & dominantis fidei. Verùm cùm hodierna à fide veteris deſciverit, digna ampliùs non eſt antiquorum Patrum elogiis, ſed potiùs eſt vini generoſiſſimi acetum peſſimum, uti eam ſcitè nuncupavit Joſephus Scaliger. Si æquo magnificentiùs quidam locuti ſunt de Romano Epiſcopo, eos probare non poſſumus, quia nec verbi Divini authoritate, nec ratione nituntur. Notum eſt, quàm proclive & bonis etiam familiare vitium ſit adulatio. 2. Teſtimonia allata quamvis ſplendida ſunt,

Papatum

Digitized by Google

Papatum tamen œcumenicum non ſtabiliunt. Ignatii mens eſt, eccleſiam Romanam reliquis prælucere doctrinæ, morum, ordinis exemplo. Irenæi verba διὰ τὴν ἱκανωτέραν ἀρχὴν notant *principium dignius*, non potentiorem principalitatem, uti malè interpres. Hoc vult, principium eſſe dignius, quod Apoſtoli in eccleſia poſuerunt, quàm quod alii. Cùm igitur etiam Romana ab Apoſtolis ſit conſtituta, ipſius quoque principium principio aliarum multarum eſſe *ἱκανώτερον*, & ipſam quoq; digniorem, quamdiu ei principio inhæreat. Hanc laudem Romæ quondam integræ, illibatæ virgini, non invidemus. Cyprianus non eccleſiam Romanam vocat *radicem & matricem* catholicæ, *ſed eccleſiæ catholicæ radicem & matricem* dixit pro ipſa eccleſia catholica, quæ radix eſt & mater omnium fidelium. Sed & Romana eccleſiæ radix & matrix dici potuit, non reſpectu aliarum eccleſiarum, ſed reſpectu Novatianæ ſchiſmaticæ, de qua illic agit, quæque erat παραφυὰς καὶ παραβλάστημα, fruticatio ei adnata. Ambroſius vocat *typum*, non caput. Utinam verò hodiéque talis ſit! Hieronymus Damaſum vocat paſtorem, non ſuum vel reliquarum eccleſiarum paſtorem. Succeſſorem vocat eum Petri, prout pii Epiſcopi omnes ſunt Apoſtolorum. Per *cathedram Petri* intelligit veritatem & auctoritatem doctrinæ Petro & aliis Apoſtolis communis. De cathedra loquitur, non de homine, de communi, non individuo. Innuit, ſe ſequi velle unicum Chriſtum, conſociari cathedræ Petri; partes, quæ tum fervebant, non ſequi, ſed factionibus abſtinere ſe velle.

EXCIP. REDINO: 1. *Eccleſiæ Romanæ veneratio tum in antiquitate ejus, utpote per clavium Regni Cælorum, & Paſtoralis erga univerſam Eccleſiam officii Petro à Chriſto commiſſi ſucceſſionem propagatæ; tum in fidei ejuſdem conſtantia fundatur; Cypriano Epiſt.8. Hieronymo lib.III. contra Rufinum, aliiſque teſtibus. Tempus oſtende, quo à vera fide Romana Eccleſia defecerit. Et numquid in fidei dogmate Orthodoxos Patres adulatores nuncupare audes? 2. Ignatius Romanam eccleſiam dixit præſidere. quod dignitatem capitis ſonat. Unde primi Pontifices, quos Orthodoxos agnoſcitis, ſibi titulum capitis univerſalis eccleſiæ impoſuerunt. Irenæus ad eccleſiam Romanam omnes venire propter principium dignius, uti tu explicas, ait, quia per ſucceſſionem Epiſcoporum in ea conſervata ſit traditio. Cyprianus lib.I. epiſt.3. Eccleſiam Romanam disertè vocat Cathedram Petri, & eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt. Ergo ea radix & matrix eſt eccleſiæ Catholicæ. Ambroſius in 1.Tim. cap.III. domus Dei, eccleſiæ rectorem Damaſum inſignivit. Hieronymus l. cit. ab eodem Damaſo, ceu ovis à Paſtore, præſidium petit; aitque, ſe Beatitudini ſuæ, id eſt, Cathedræ Petri conſociari. Ergo in Damaſo Cathedram Petri agnovit.* Ib. pag.143. 148. Reſp.1. De clavium poteſtate abundè ſupra. Fidei etiam conſtantia Eccleſiam Romanam ſe venerabilem prioribus Seculis reddidiſſe, denuo agnoſco. Hoc ſibi vult Cyprianus, hoc Hieronymus allegati. Suo tempore talem fuiſſe Eccleſiam Romanam, ut ad eam perfidia acceſſum habere non potuerit, Cyprianus

rectè

Digitized by

rectè dixit. At semper talem fore, nec dixit, nec prædixit. Pietas, Zelus, devotio, humilitas, vigilantia obstacula esse perfidiæ possunt. Iis languescentibus, vel cessantibus, facilè perfidia oppositos aggeres perrumpit. Atque perrupit, proh dolor! nimiùm, tum maximè, cùm tyrannica dominandi libido, à Gregorio M. utcunque repressa adhuc, in successoribus ejus frœnum planè momordit. Quanquam nec ante Romani Episcopi singuli omnésque à labe quavis immunes se præstiterunt. Cardinalis vester Lotharingus in Responsione Possiaca observavit, *ex quindecim* (nos addimus, *sedecim*,) *Seculis primum verè esse aureum: reliqua, quò longiùs abscederent, eò nequiora & deteriora esse.* Atque id Papatus vestri historia abundè demonstrat, ex qua, quid inter Florem & Florem, veterem ac novam Romam intersit, clarissimè liquet. Quòd verò Hieronymus *loc. cit.* Romanam *fidem*, *Apostolica voce laudatam*, *authoritate Pauli* (en, non Petri, non clavium potestate Petro commissa) *munitam mutari non posse* scribit, cum grano salis accipiendum esse, Rigaltius ad eum locum notavit. Neque enim quia à Paulo fides præsens Ecclesiæ Romanæ laudata est, nunquam mutari eam posse, sequitur. Nam etiam Ephesinæ Ecclesiæ opera, laborem, patientiam Christus ipse Apoc.II.3.4. laudavit impensè. Et mutata tamen est. Bonis etiam adulationis vitium familiare esse, si mecum non agnoscis, vix bonus es. Excute sinum tuum, & explora opus tuum, qualem te erga Cybones aliósque gesseris, geráſque adhuc, tantò deterior, quòd potentibus in mundo adulari soles, & verè fideles plus quàm Vatiniano odio persequeris. 2. Ubi Ignatius Romæ præsidere dignitatem capitis dixit? An quivis præses caput Papale est? Primos Pontifices veros ita statuisse nego. Si qui statuerunt, fictitii illi fuerunt, à nescio quo Isidoro, cognomento Mercatore, non ante Caroli M. ætatem in orchestram producti. Mitte tandem Decretalium illarum Papalium lumbricum, quem ingenui Papistæ omnes jam vilipendere incipiunt. Irenæum Ecclesiæ Romanæ laudes decantantem laudamus ipsi. Sed eo sensu eas decantare, quo dixi, negare, vel saltem rationibus impugnare non potuisti. Nam quòd in Ecclesia ea *semper ab his*, *qui sunt undique*, *conservatam esse eam, quæ ab Apostolis est, traditionem*, subjicit, non eum utique sensum habet, quasi in sola ea ceu capite, matre, fonte veræ fidei traditio sit conservata, (nam Ephesinam & Smyrnensem ejusdem traditionis testes ibidem Irenæus inducit) sed quòd omnes fideles undique Romam confluentes facilè observare potuerint traditionem fidei Apostolicam in ea conservatam esse. At conservatum ibidem esse magisterium fidei, & Papatum Oecumenicum, non dixit. Cypriani de *Ecclesiæ Catholicæ radice & matre* sententiam à me ostensam, malè impugnas ex alio ejusdem loco, ubi nihil *de radice & matre*, Romana scilicet ecclesia. Sic veritatem fugis. Interim quo sensu *Cathedram Petri* & *ecclesiam principalem* Romanam dixerit, supra ex Rigaltio expedivimus. Vera Cathedra Petri est doctrina à Petro prædicata, non cariosum lignum, falsò ab impostoribus, ad illaqueandos vana superstitione animos, suppositum. Pari versutia Ambrosii locum eludis. Atqui ille *in 1.Tim.III.* Damasum *rectorem domus Dei* vocat, hoc est, unum è rectoribus; sicut Cicero Consul Romanus, hoc est, alter è Consulibus dictus. Ita S. Paulus Coloss.I.24.25. corporis Christi, Ecclesiæ Diaconum se vocat; id est, ex Diaconis unum. Hieronymus *Ep. ad Damasum*, se *ovem* profitetur, unam ex ovibus Christi, Pastoris unici; nec si ovis Damasi fuisset, Romæ scilicet baptizatus, & clero nulli adscriptus, Pastorem illum Ecclesiæ universalem fuisse consequeretur. Quàm igitur frigidè responsiones meas ad testimonia Patrum vobis citata, exceperis, abundè jam liquet. Temulenti adinstar, qui vertiginoso agitatur capite, aliam affectantem viam, ad aliam titubanter statim devolvi te vidimus. Tam bellè, tam solidè respondes.

Digitized by Google

CONCILII TRIDENTINI SESSIO PRIMA

SUB PAULO III. PONT. MAX.

Celebrata die 13. mensis Decembr. Anno Domini 1545.

Decretum de inchoando Concilio.

PLacétne vobis, ad laudem & gloriam Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad incrementum & exaltationem fidei & religionis Christianæ, ad extirpationem hæresium, ad pacem & unionem Ecclesiæ, ad Reformationem Cleri & populi Christiani, ad depreßionem & extinctionem hostium Christiani nominis, decernere & declarare, sacrum Tridentinum & generale Concilium incipere, & inceptum esse? Responderunt: PLACET.

Indictio futuræ Sessionis.

Et cùm proxima sit celebritas Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, & subsequantur aliæ festivitates labentis & incipientis anni; placétne vobis primam futuram sessionem habendam esse die Jovis post Epiphaniam, quæ erit septima mensis Januar. Ann. Dom. 1546? Responderunt: PLACET.

HISTORIA SESSIONIS I.

COncilium Tridenti apertum est 13. Decembris Anno 1545. Aderant præter Legatos Montanum, Marcellum Cervinum, Reginaldum Polum, 2. Cardinales alii, 4. Archiepiscopi, 33. Episcopi, 37. Doctores Theologi. Romæ eo die Pontifex Paulus III. Jubilæum evulgavit, ut pro tam gravi causa ad Deum preces funderentur. Ipse ordo apertio-

apertionis ejusmodi fuit. Legati comitati Episcopis, nec non Theologis, clero, populo supplicationem solennem ab Ecclesia S. S. Trinitatis ad primarium oppidi Templum habuerunt. Eò cùm perventum esset, Cardinalis Montanus, princeps Legatus, rem divinam fecit Missâ Spiritus S. Episcopus verò Bitontinus orationem habuit, cujus summam recitat P. Suave lib. II. pag. 115. Eâ finitâ Legati admonitionem satis prolixam ad Patres de scripto recitârunt, cujus summa extat apud eundem authorem pag. 114. Tota verò habetur in Tomis Conciliorum. His peractis tria lecta sunt diplomata, unum de Concilii indictione, datum superiori anno, alterum de Legatorum designatione, tertium de Concilii apertura. Tum Alphonsus Zirolla, Cæsarei oratoris absentis Secretarius, Cæsaris mandatum, quod ipse attulerat Orator, & Legatis exhibuerat, denuo ursit, & responsum postulavit, quod ei decretum est. Posthæc omnes genubus pronis supplices orârunt. Deinde publicam precationem conceperunt: *Adsumus Domine &c. Sancte Spiritus &c.* Decantatis dein Litaniis Diaconus legit Evangelium, *si peccaverit in te frater tuus &c.* Mox hymno, *Veni Creator Spiritus*, decantato, & considentibus omnibus, Montanus decretum pronuntiavit interrogantis formâ, *Placétne?* Omnibus sententiam probantibus, decreta est indictio Sessionis II. in diem 7. Januarii Anni sequentis. Jussus hæc tabellio publicus in acta redigere. Postremò cantatus hymnus, *Te Deum laudamus &c.* Atque sic patres Episcoporum insignibus depositis, resumptóque habitu vulgari, & prægestata cruce Legatos ad sua deduxere. Hi ritus in omnibus Consessibus reliquis adhibiti sunt.

NOTÆ

Ad Decretum & Historiam Sessionis I.

PRimò tum ex historia, ac inprimis oratione Legatorum habita ad Patres Concilii, tum ex decreto Sessionis hujus eruendus est totius Concilii scopus φαινόμενος, triparitus nempe, *hæresium extirpatio, cleri & populi Christiani Reformatio, & hostium Christiani nominis depressio ac extinctio.* Quoad primam, *hæresis* stilo Pontificio est doctrina, quæ verbo Dei munita se opponit placitis Papę. *Hujus enim,* ita blasphema sonat vox Episcopi Bitontini in oratione præmissa inchoationi Concilii, *lux venit in mundum, & homines tenebras magis quàm lucem dilexerunt.* Igitur *hæresium extinctio* eo sermonis genere nihil aliud erat, quàm doctrinæ Evangelicorum condemnatio, nullo doctrinæ ipsius prævio examine. Etenim si doctrina Protestantium denuo subjiceretur examini, *Pontificem, qui per os Leonis X. pridem eam condemnaverat, Concilio subjici, ut & eo sit in-*

 ferior,

ferior, & Sedis Apostolicæ authoritas controvertatur, arguit & ratiocinatus est Clemens VII. & ipse Papa. Cùm ergo à Leone X. prædamnata fuerit doctrina Evangelica, ut hæresis, hoc est, doctrina repugnans placitis Papæ, cui bono Concilium adhuc indictum fuit à Pontifice Paulo III? Respondet Scipio Henricus Censur. Theolog. Sect. IV. art. 1. pag. 181. *Pontificem per se & sua sponte concessisse Concilium, qua ex re ejus eluceat pietas ac benignitas, qui post damnationem nobis præbuerit revisionem per Concilium, ut & ipsi possemus audiri, & quæ damnata vel damnanda fuerint, clariùs distinctiúsque explicari.* Sic igitur Concilium Tridentinum nihil aliud fuerit, quàm *declaratio præcedentis damnationis, & expositio causarum, ob quas doctrinæ nostræ capita anathemate sint notata.* Hoc autem quid aliud est, quàm larva & fucata Concilii species? Veri enim Concilii ea ratio esse debet, ut & sedeant judices, & causa disceptetur ambigua, quam utraque pars litigantium rationum momentis agat, & conflictum eum, qui se gerunt judices, ritè cognoscant atque definiant. Quomodo Nicænum Concilium primò ea, quæ priùs in Alexandrino acta erant, suspendit, tum Arianis suî defendendi gratiam fecit, ita ut disceptando Alexander & Arius personam actoris atque rei induerent. Sed Pontifices videlicet alia omnia animo agitârunt. Nam Franciscus Cheregatus Episcopus Fabrianensis, in Conventu Noribergensi ex mandato Adriani VI. hoc inter alia ursit: *Quòd si quis dicat, Lutherum inauditâ causâ damnatum, eóque ante audiendum quàm puniatur: respondendum, esse quidem æquum, ut audiatur* in rebus facti, *an concionatus sit, an hoc vel illud scripserit, necne? At* in rebus fidei, *ac materia Sacramentorum id non esse consentaneum, quòd dogmata Conciliorum generalium & ecclesiæ authoritate semel approbata nunquam sint revocanda in dubium.* Egregia scilicet partitio & methodus, quam Tridentini Patres religiosè secuti sunt, cùm ex libris Evangelicorum, quid statuerent, quæ capita doctrinæ controversa facerent, collegerunt, & non tam exacta ad Lydium Scripturæ lapidem, quàm diris modis exagitata, adeóque ἀδοκιμάστως condemnârunt. Et quid quæso illa distinctione vanius? Res enim *facti*, dummodo absit calumnia, sunt in propatulo, eásque cordati in dubium haud revocant. At in quæstionibus *juris*, qua conscientia sola authoritate ecclesiæ, vel, ut explicatiùs dicam, sola infallibilitate Pontificis, niti potuerunt Majores nostri, quam ipsi inter τὰ πρῶτα ψεύδη, & maximè controversa capita non sine justissima ratione retulerunt? Non igitur controvertendum fuerat de rebus *facti*, sed de rebus *fidei*, quæ Evangelicos inter & Papicolas in quæstionem venerant. Quid quòd Apostolus Paulus, qui habuit promissionem Spiritus S. & succinctus erat miraculorum dono, ne quid dicam de ὑπερβολῇ ἀποκαλύψεων, 2. Cor. XII. 7. tamen citra ἀψευδίας suæ præjudicium Beroënsibus, ut in veritatem doctrinæ suæ inquirerent, gratiam fecit?

Quòd

Quòd ipse Christus doctrinæ suæ ex verbo Dei justam censuram subire, uti Joh. V. 39. 46. videre est, non detrectat? Quòd denique præcedentium Conciliorum definitiones, uti supra comprobavimus, non sunt judiciales, & omni exceptione majores? Quæ cùm ita habeant, facilè apparet, quæ fuerit insidiosa crypsis Concilii, quod sub prætextu primarii finis, nimirum *extinctionis hæresium*, doctrinam Pontificum posteriorum, ac inprimis Leonis X. decretis prædamnatam, ac proinde in dubium, uti Adrianus VI. per legatum suggessit, nunquam amplius revocandam, simpliciter stabilire intendit. An hoc non erat Christiano orbi illudere, & fucatum Concilium promittere, indicere, & tanto cum strepitu pompáque celebrare? Altera Concilii causa allegatur *cleri & populi Christiani reformatio.* Eam necessariam esse agnovit eo tempore Adrianus VI. cujus superiùs confessionem allegavimus. Agnovit universus ferè orbis Christianus, flagitans, uti vox omnium erat, *reformationem in capite & membris.* Agnoverunt Legati, qui in oratione ad Patres Concilii habita minimè dissimulârunt, clerum & pastores non corruptos modò, sed etiam corruptores esse, cui proinde applicant verba Dei Ezech. XXII. *Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea. Inter sacrum & profanum non habuerunt distantiam. Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, ad perdendas animas, & avara sectanda lucra.* Agnoverunt deniq; Cardinales & Prælati, qui A. 1538. jussu Pauli III. consilium consignârunt *de emendanda ecclesia,* quâ horrenda ecclesiæ Romanæ ulcera in apricum produxerunt. In eo enim fatentur, prædecessores Pauli *coacervâsse sibi magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quod facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id, quod liberet.* Inde effectum esse, ut doceretur passim, *Pontificem esse dominum beneficiorum omnium, in quem non posset cadere simonia, ita ut voluntas ejus, qualiscunque ea fuerit, sit regula, quâ ejus actiones dirigantur.* Ex quo fonte eruperint *tot abusus, & gravissimi morbi, quibus nunc ecclesia ad desperationem usque salutis laboret.* Deinceps narrant varios abusus, quales sint *ordinatio clericorum imperitissimorum & pessimorum; Collatio beneficiorum ecclesiasticorum, maximè Curatorum & Episcoporum, in quibus usus invaluerit, ut provideatur personis, quibus conferuntur beneficia, non autem gregi Christi & ecclesiæ; Beneficiorum ecclesiasticorum multiplex alienatio; Absentia Episcoporum & Curatorum à suis ecclesiis, quæ proinde non tam veris Episcopis, quàm mercenariis commissæ fuerint; Exemptio malorum hominum, præsertim clericorum à Jurisdictione ordinarii; Ordinum religiosorum nefaria corruptio; Præpostera in Gymnasiis institutio, in quibus ut & Templis palam impietas doceatur;* aliique ejusmodi, quos fusè recitant, plurimi. Queruntur etiam, *in Urbe Romana meretrices & matronas incedere per urbem, & mulo vehi, quas de media die affectentur nobiles familiares Cardinalium, clericique.* Patet ex his,

 quàm

Digitized by Google

quàm vana sit gloriatio Pontificiorum de puritate & sanctitate ecclesiæ suæ circa ea tempora, quibus facta est nostra separatio. Patet etiam, nostram ab ecclesia Romana separationem & justam & necessariam fuisse. Cùm enim reformatione sibi opus fuisse fateatur synodus, horrendósque abusus ipsi purpurati non dissimulaverint, ipsi autem nec reformationi seriò studuerint, uti procedente tractatione palam faciemus; nec nostros publica peccata reprehendentes audiverint, sed expulerint, penes Pontificios culpam residere schismatis manifestè hinc colligitur. Tertia denique Concilii causa statuitur, *hostium Christiani nominis depressio & extinctio.* Putares fortè, Musulmannos seu Turcas hic indigitari, qui circa ea tempora Christiano orbi excidium minitabantur. Sed Protestantes æquè ac Turcas hic innui, res ipsa testatum dedit, quando fœdus Pontificem inter & Cæsarem, de quo supra mentionem fecimus, ictum est. Tunc enim liquidò apparuit, haud aliter cum Protestantibus agi, quàm cum nominis Christiani hostibus. Cujus rei suspicionem etiam Protestantibus haud immeritò moverat oratio Monachi Franciscani, habita ad Carolum Imperatorem, fratrem Ferdinandum, & Legatum Farnesium, in qua post multa acriter in Protestantes declamata subjecit: *Tempus est, Potentissime Cæsar, ut tandem officium tuum facias. Nimis diu cessatum est. Jam pridem oportuit, rem esse confectam. Exere vires tuas, ut pestiferum illud genus hominum è medio tollas, cùm nefas sit, eos diutiùs intueri solem, qui omnia polluunt atque confundunt. Neque verò dicas te facturum. Jam enim, jam, inquam, fieri debet, nec interponi moram ullam oportet.* Vide Sleidanum lib. XVI. pag. 488. Suavem Pol. lib. II. pag. 106. Quicquid autem sit, sive Turcam, sive Protestantes, sive utrosque simul intellexerit synodus, quæ verò ratio fuit, ut in Concilio ecclesiastico, in quo non aderant cum potestate suffragiorum nisi infulati, de mundana pace & oppressione hostium ageretur? Nempe indicio hoc est, animis Patrum magis adlubuisse Turcarum & Protestantium cædes, quàm demonstrationem veritatis. Sed hæc de causis Concilii dicta sufficiant. *Secundò* animadversionem meretur, quòd cœtum paucorum Episcoporum, qui primæ huic Sessioni aderant, *generalis Concilii* nomine insignire decretum audet. Siccine verò unus & alter Cardinalis, 4. Archiepiscopi, 33. Episcopi Itali & Hispani omnes, faciunt *generale Concilium?* Quid verò 4. Archiepiscopos nomino? Cùm tamen pro certo constet, duos, Olaum M. Sueciæ, & Robertum Venantium Armachaniæ Archiepiscopos dictos, nonnisi titulo tenus tales fuisse, quos ante Concilii hujus initium miseros & rerum omnium inopes, titulis his ementitis vestitos Paulus III. conduxit, & in scenam protrusit? Larvati ergo hi sine Archiepiscopatu, sine ecclesia, sine censu Archiepiscopi fuerunt, quibus Concilium superbivit. *Tertiò* denique oratio Episcopi Bitontini plena

arro-

Digitized by Google

arrogantiæ, impietatis, imprudentiæ haud immeritò perstringitur à Suave Polano lib. II. pag. 116. Illud tamen non sine omine Episcopo illi excidit, quòd Tridentinum Concilium cum Trojano equo, fallacissima machina, ad insidias videlicet Trojanorúmque perniciem comparata, contendere non dubitavit. Ita enim de Concilio Tridentino æquè ac Trojano equo valuit illud à Poëta decantatum:

Certè aliquis latet error; equo ne credite, Teucri.

SESSIO II.

Celebrata die 7. Januarii 1546.

De modo vivendi, & aliis in Concilio servandis.

SAcrosancta Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, in ea præsidentibus eisdem tribus Apostolicæ sedis Legatis, agnoscens cum B. Jacobo Apostolo, quòd omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, qui iis, qui postulant à se sapientiam, dat omnibus affluenter, & non improperat eis, & simul sciens, quòd initium sapientiæ est timor Domini: statuit & decrevit, omnes & singulos Christi fideles, in civitate Tridentina congregatos, exhortandos esse, prout exhortatur, ut se à malis & peccatis hactenus commissis emendare, ac de cætero in timore Domini ambulare & desideria carnis non perficere, orationibus instare, sæpius confiteri, Eucharistiæ Sacramentum sumere, Ecclesias frequentare, præcepta denique Dominica, quantum quisque poterit adimplere, nec non quotidie pro pace Principum Christianorum, & unitate Ecclesiæ privatim orare velint. Episcopos verò & quoscunque in ordine sacerdotali constitutos, œcumenicum Concilium in ea civitate concelebrantes, ut assiduè in Dei laudibus incumbere, hostias, laudes, & preces offerre, sacrificium missæ quolibet saltem die Dominico, in quo Deus lucem condidit, & à mortuis resurrexit, ac Spiritum Sanctum in discipulos infudit, peragere satagant, facientes, sicut idem Spiritus Sanctus per Apostolum præcipit, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro sanctissimo Domino nostro Papa, pro Imperatore, pro Regibus & cæteris, qui in sublimitate constituti sunt, & pro omnibus hominibus, ut quietam & tranquillam vitam agamus, pace fruamur, fidei incrementum videamus. Præterea hortatur, ut jejunent saltem singulis sextis feriis in memoriam passionis Domini, & eleemosynas pauperibus erogent: in ecclesia autem cathedrali singulis quintis feriis celebretur Missa de Spiritu Sancto, cum litaniis, & aliis orationibus ad hoc institutis: in aliis verò ecclesiis eadem die dicantur ad minus litaniæ, & ora-

Digitized by Google

& orationes, tempore autem, quo sacra peraguntur, collocutiones, & confabulationes non fiant, sed ore & animo celebranti assistatur. Et quoniam oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suæ bene præpositos; hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem, moderationémque ciborum; deinde cùm in eo loco sæpe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum scripturarum lectio admisceatur: familiares verò suos unusquisque instruat, & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi, & voluptatum amatores, vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur, & in vestitu & cultu, & omnibus actibus honestatem præ se ferant, sicut decet ministros ministrorum Dei. Adhæc cùm hujus sacrosancti Concilii præcipua cura, solicitudo, & intentio sit, ut propulsatis hæresium tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram, Catholicæ veritatis lux, Jesu Christo, qui vera lux est, annuente, candor puritásque refulgeat, & ea, quæ reformatione egent, reformentur: ipsa Synodus hortatur omnes catholicos hic congregatos, congregandos, atque eos præsertim, qui sacrarum literarum peritiam habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsis cogitent, quibus potissimùm viis, & modis, ipsius Synodi intentio dirigi, & optatum effectum sortiri possit, quò maturiùs & consultiùs damnari damnanda & probanda probari queant, ut per totum orbem omnes uno ore, & eadem fidei confessione glorificent Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi. In sententiis verò dicendis, juxta Toletani Concilii statutum, in loco benedictionis considentibus Domini sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbare, nullis etiam falsis vanisve, aut obstinatis disceptationibus contendere: sed quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur. Insuper ipsa sacra Synodus statuit, ac decrevit, quòd si fortè contigerit aliquos debito in loco non sedere, & sententiam etiam sub verbo, Placet, proferre, congregationibus interesse, & alios quoscunque actus facere, Concilio durante, nulli propterea præjudicium generetur, nullúmque novum jus acquiratur.

HISTORIA SESSIONIS II.

POst Sessionem I. Congregationes generales Tridenti habitæ sunt duæ. Et prior quidem die 18. Decembr. Anno 1545. In ea proposita est vitæ Concilii tempore transigendæ formula, ut nimirum sobriè vivant Episcopi, & famulos in officio contineant. Posterior congregatio habita est die 5. Januarii 1546. In ea Cardinalis Montanus diploma Pontificium, de Episcopis decimarum solutione eximendis, legendum curat. Episcopis Hispanis nonnullis parùm placuit ea Pontificis beneficentia, quòd ea semel admissa viderentur agnoscere, Pontifici fas esse, ecclesiis tributa ad voluntatem imponere, neque penes Concilium esse, vel ea prohibere, vel eos, qui injuriis gravabantur, oneribus liberare. Præsules alii beneficentiam

eam

Digitized by Google

eam extendi petierunt non ad Antiſtites ſolos,ſed ad eorum etiam familiares, omnéſque, qui Concilio intereſſent:Ordinum verò Monachalium præpoſiti, etiam ad ſuos. Catalonius Trivultius Epiſcopus Placentinus in itinere à viarum inſeſſoribus ſpoliatus, petiit à Concilio decretum fieri contra eos, qui Epiſcopis, aliiſque ad Concilium tendentibus moleſtiam exhiberent. Hæc omnia poſtulata Legati Pontificii, à Concilii congregatione rejecta ad Pontificem detulerunt,rati,intereſſe Pontificis,ne Concilium ejuſmodi rebus ſe immiſceret, adeóque in Eccleſiaſticæ hierarchiæ arcana invaderet. Propoſuit etiam Cardinalis Montanus,cùm in Concilio hoc plurima tractanda ſint,expedire,ut juxta exemplum Concilii Lateranenſis argumenta dividantur,& ſingulis diſcutiendis peculiares congregationes aſſignentur;formandis etiam decretis in congregatione generali mox proponendis, nonnulli ſeligantur.Poſtea controverſia oborta eſt de titulo ſynodi decretis præfigendo. Legati quippe Pontificis titulum fecerunt:*Sacroſancta Synodus*. Epiſcopi Galli, & plerique reliqui eos ſecuti,contendebant juxta exemplum Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis addendum eſſe: *Eccleſiam univerſalem repraſentans*. Sed Legati acerrimè repugnârunt, ne hæc formula Concilium eſſe ſupra Papam,argueret.Sed & Johannes Salazar Hiſpanus Lancianenſis Epiſcopus, pertendens juxta primorum Conciliorum exemplum, etiam Præſidum nominationem in tituloomittendam eſſe, à Legatis non parùm eâ ſententiâ commotis rejectus eſt.

Hiſce congregationibus duabus ſucceſſit ipſa Seſſio II. die 7.Januarii Anno 1546. Præſules omnes in domum Principis Legati convenientes, prævia cruce Legatos deduxerunt in templum, comitante eos, & locum Seſſionis tuente trecentorum armatorum,ab iis ex agro Tridentino conductorum cohorte. Interfuerunt præter Legatum & Cardinalem Tridentinum Archiepiſcopi 4. Epiſcopi 28. Abbates Caſſinenſes 3. & Generales ordinum 4.Theologi 20. Orator Regis Romanorum,Procurator Cardinalis Auguſtani,& Nobiles 10.à Cardinale Tridentino ſelecti. Miſſam celebravit *Johannes Fonſeca,* Epiſcopus Caſtrimarinus. Concionem verò habuit Coriolanus Martianus, S.Marci Epiſcopus. Ea abſoluta Patres Pontificalibus ornati reliqua, ut in prima Seſſione, proſecuti ſunt. Poſthæc Epiſcopus Caſtrimarinus legit Bullam de non admittendis ad vota ferenda aliorum Epiſcoporum Procuratoribus. Tandem lectum eſt decretum *de modo vivendi in Concilio.* Ad quod reſponſum eſt per verbum PLACET ab omnibus, exceptis Gallis, additamentum illud ad titulum, *Univerſalem Eccleſiam repraſentans,*depoſcentibus.

Digitized by Google

NOTÆ

Ad Historiam & Decretum Sessionis II.

PRincipiò præpostera & à veterum Conciliorum praxi aliena fuit distinctio Congregationum à Sessionibus ipsis. In veterum nempe Conciliorum Sessionibus materia proponebatur, & singulorum vota atque suffragia colligebantur. Posteàque non sola Sessionum decreta, verùm etiam colloquia, discussiones, disputationes, aliáque, quæ fiebant & dicebantur, sub nomine Actorum Concilii vulgabantur. Contra Tridenti Sessiones tantùm non dicis causa habitæ sunt, hoc duntaxat fine, ut in iis promulgaretur sententia seu decretum jam antea in congregatione formatum, non ut in iis fieret deliberatio & disceptatio sententiarum. Ac postea vulgata sunt sola illa decreta in Sessionibus promulgata, non colloquia, discussiones, disputationes, aliáque ejusmodi. Adeóque proprius actus Concilii, si accuratè expendamus, fuit potiùs *Congregatio generalis*, quàm Sessio, quippe quæ posterior rem actam agens, nihil nisi putam puram cerimoniam addebat. Crypsis autem hujus methodi erat hæc, ne vera Concilii acta, in quibus maximus Theologorum dissensus, aliáque ejusmodi pudenda plurima comparuissent, vulgare antiquo more necessum haberent. Atque hæc non minima Concilii hujus fraus etiam à P. Suave Polano notata est Hist. Concil. Trident. lib. II. p. m. 119. 120. Ridiculus est Scipio Henricus, qui respondens Suavi, ait p. 174. non necessum fuisse, ut acta illa in medium afferrentur, & typis vulgarentur, *eò quòd nec ad essentiam Concilii, nec ad antiquitatis cognitionem facerent, imò & hæreticorum calumniis ansam præberent.* Etenim 1. non deflectendum fuerat à praxi primitivæ ecclesiæ. Ipsius synodi Hierosolymitanæ non solùm decretum, sed reliqua etiam acta & colloquia ac suffragia Apostolica publicam in lucem edita sunt, uti ex Act. XV. colligitur. 2. Æquè interfuit futuræ posteritatis cognoscere ea, quæ in Concilio acta sunt, an congruant cum simplicitate Apostolica necne, atque olim S. Patres judicârunt posteritatis seræ interesse, ut cognosceret ea, quæ in Conciliis acta sunt. 3. Quid tum postea, si acta Concilii ad antiquitatis cognitionem nihil facerent? Non enim de antiquitate, sed de veritate fidei quæstio fuit. 4. Cur verò ob hæreticorum, quas timebant, calumnias, omiserunt rem necessariam? Annon hæreticorum calumnias etiam timere debuerunt Apostoli & S. Patres? Eo tamen non obstante, vulgârunt acta fidelissimè. 5. Vera causa suppressorum Concilii actorum est, quòd mala fuerunt, adeóque, ipsorummet conscientia judice, indigna, quæ lucem aspicerent. *Omnis, qui mala facit,* inquit Christus,

odit

Digitized by Google

odit lucem, & non venit ad lucem, ne opera ipsius redarguantur, Joh. III. 20. *Secundò* quòd tam ſtrenuè velificati ſunt Pontifici Legati ejus, omnia Epiſcoporum poſtulata à Concilio ad Pontificem rejicientes, argumentum eſt ſuppreſſæ ſtatim initiò libertatis & authoritatis Concilii, & quòd Pontifex ejúſque ſatellites nihil magis curæ habuerint, quàm ut invito etiam Concilio, authoritas & potentia Papalis ſarta tecta maneret. *Tertiò* eundem Pontificis & Legatorum typhum arguit, quòd pati noluerint,ut ſynodus diceretur repræſentare eccleſiam univerſalem,quaſi videlicet ſolus Papa eſſet *eccleſia repræſentativa*, & Concilium univerſum unius hominis eſſet mancipium & ſervum pecus. Cùm reliqui Epiſcopi hîc in alia omnia ſe ire manifeſtè teſtati ſint,cur Legati ſtatim à principio eam quæſtionem,*an Papa ſit ſupra Concilium necne*, decidi non curârunt? Nempe infirmitas cauſæ,juris impiè arrogati & uſurpati conſcientia,& recordatio eorum,quæ in Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi definita ſunt,adeóque verbo dicam,timor ruinæ Papalis eos retardavit. Fruſta hîc ſudat Scipio Henricus, qui Cenſuræ ſuæ pag.165.geminam fingit tergiverſationis Legatorum cauſam,alienam ab ea, quam veriſſimè reddiderat P. Suave Polanus. Noluiſſe nempe eos pati, ut ad titulum Concilii adderentur verba,*Eccleſiam univerſalem repræſentans;tum quia inſcriptio hæc fuerit ſatis recens, & ſeculo tantùm elapſo in uſu poſita: tum quia Conſtantienſis ſynodus tunc primùm hac inſcriptione uſa ſit, quando cœpit judicare adverſus Johannem 24. Pontificem, & non ante Seſſionem quartam, ut oſtenderet, quo jure judicet Papam, nempe quia catholicam eccleſiam repræſentaret. Id autem neceſſe non fuiſſe in Tridentino.* Et paulò ante agnoſcit,etiam Conſtantienſe Concilium repræſentâſſe eccleſiam,ſed ſine capite, adeóque juſtè illum titulum uſurpâſſe. Neque inde legitimè inferri poſſe,quòd Concilium ſit ſupra Papam,ſed tantùm quòd Conſtantienſe fuerit ſupra dubios illos & incertos Pontifices. Sed κενοφωνία hæc inania ſunt. Etenim 1.aliud in animo fuiſſe Legatis conſtat ex eo,quòd eum titulum addi petierint Epiſcopi Galli. Atqui quæ fuerit ſitque hodiéque ſententia eccleſiæ Gallicanæ de Concilio eccleſiam repræſentante, ſatis ſuperque notum eſt. Sentiebant nempe, Concilium eſſe ſupra Papam. Id enim in ipſo Concilio ſuſtinuit Cardinalis Lotharingus de ſententia totius eccleſiæ Gallicanæ. Timuerunt igitur Legati hanc cauſam,non fictitias illas. 2.Etſi inſcriptio illa fuerit recens, tamen neceſſaria fuit ad retundendum intolerabilem faſtum Papæ, qui ad ſummum jam pervenerat. 3. Mirum quòd Concilii Conſtantienſis titulo patrocinetur hic homo, cùm Franciſcus Sylvius diſertè annotet, *decretum illud nec ab ullo Pontifice fuiſſe probatum, nec ab obedientiis aliorum, qui ſe gerebant pro Pontificibus, receptum.* 4. Aliam longè

Digitized by Google

fuiſſe mentem Concilii Conſtantienſis hunc titulum præferentis, multis argumentis probari poſſet. Sola illa verba, Concilio tum huic, tum *cuicunque alteri* obedire debere quemlibet, cujuscunque vel ſtatus vel dignitatis, *etſi Papalis exiſtat*, arguunt, Concilium illud repræſentativum eccleſiæ catholicæ, ſibi vindicâſſe poteſtatem in Papam, non dubium duntaxat & incertum, ſed eum etiam, qui *Papalis exiſtat*, adeóque verum Papam. 5. Quòd ſynodus Conſtantienſis demum ſeſſione IV. hunc titulum uſurpare cæpit, cauſa eſt non illa, quam temerè confingit Scipio, ſed hæc potiùs, quòd tum demum ſynodus illa Papæ indignationem non ampliùs metuens, definire ſuſtinuit, Concilium catholicam eccleſiam militantem repræſentare, & poteſtatem immediatè à Chriſto habere. In prioribus ſeſſionibus nihil decretum eſt, neque ullum omnino titulum prætulit ſynodus, ſed Johannes 24. tantùm juravit, ſe Papatu ceſſurum. Sed pergamus. *Quartò* igitur in ipſo decreto de *modo vivendi* apparent quædam ſuperſtitionis & idololatriæ veſtigia. Talia ſunt ſacrificium Miſſæ ſingulis Dominicis peragendum, jejunium ſextæ feriæ, diſcrimen dierum & ciborum, Miſſa de Spiritu S. aliæque litaniæ & orationes ad hoc inſtitutæ, de quibus in loco uberiùs agetur. De cætero quæſtiones dogmaticæ peculiares hîc occurrunt nullæ.

SESSIO III.

Celebrata die 4. Menſis Februarii 1546.

Decretum de ſymbolo fidei.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hæc ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, in ea præſidentibus eisdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, magnitudinem rerum tractandarum conſiderans, præſertim earum, quæ duobus illis capitibus, de extirpandis hæreſibus & moribus reformandis, continentur, quorum cauſa præcipuè eſt congregata, agnoſcens autem cum Apoſtolo, non eſſe ſibi colluctationem adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus ſpirituales nequitias in cæleſtibus, cum eodem omnes & ſingulos inprimis hortatur, ut confirmentur in Domino, & in potentia virtutis ejus, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſint omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, atque galeam ſpei ſalutis accipiant, cum gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Itaque ut hæc pia ejus ſolicitudo, principium, & progreſſum ſuum per Dei gratiam habeat, ante omnia ſtatuit & decernit, præmittendam eſſe confeſſionem fidei, Patrum exempla in hoc ſecuta, qui ſacratioribus

stratioribus Conciliis hoc scutum contra omnes hæreses, in principio suarum actionum, apponere consuevere, quo solo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnaverunt, & fideles confirmârunt. Quare symbolum fidei, quo sancta ecclesia Romana utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessariò conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum, contra quod portæ inferni nunquam prævalebunt, totidem verbis, quibus in omnibus ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit, quod quidem ejusmodi est. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est, & resurrexit tertiâ die, secundùm Scripturas: & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filióque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen.

HISTORIA SESSIONIS III.

Post sessionem II. Congregatio generalis habita est die 13. Januarii Anno 1546. In ea conqueruntur Legati acerbè de iis, qui nupero die consessus titulo decreti se opposuerunt, & suppleri eum verbis, *ecclesiam catholicam repræsentans*, postulaverunt. Unde recruduit illa de Concilii titulo controversia. Multis ultrò citróque à Cardinale Pacieco, Episcopo Feltrensi, Divi Marci Episcopo, aliisque dictis, hoc modo statutum, ut proximo consessu, quemadmodum superiore, non alius quàm simplex titulus adhiberetur. Ea re peracta, instantibus Præsulibus quibusdam, ut in rem præsentem iretur, Legati de tribus capitibus Pontificis diplomate comprehensis, cogitandum proposuerunt, hæresium nimirum extirpatione, disciplinæ emendatione, & pacis publicæ stabilimento, quo modo in eorum tractationem ingrediendum, quæ via tenenda, & quemadmodum procedendum? In proxima congregatione de ordine & via, qua tria illa capita tractanda sint, itum est in partes. Quatuor autem in universum fuerunt sententiæ discrepantes. *Prima* Cæsareanorum, incipiendum esse à Reformatione. Ea enim quamdiu protollatur, vitam ecclesiasticorum esse inemenda-

Digitized by Google

emendabilem. *Secunda* paucorum, à fidei capitibus sumendum initium, deinde ad Reformationem morum procedendum esse, quia fides sit vitæ Christianæ basis ac fundamentum. *Tertia* aliorum, duo hæc capita fidei & reformationis non esse disjungenda. Nullum enim esse dogma fidei, quod non abusus aliquis consequatur : nec abusum ullum , quin secum trahat sinistram dogmatis alicujus interpretationem. *Quarta* Gallorum, de pace stabilienda primò ac præcipuè tractandum esse. Legati omnium opinionibus auditis, decisionem protrahunt in sequentem congregationem. Interea invitis Legatis statutum, ut sine alia indictione singulis hebdomadis bis congregationes habeantur, diebus Lunæ & Veneris. Legati finita congregatione orant Pontificem, ut quid suæ de hac re voluntatis sit, significet maturè, atque Romæ ratio ineatur ad ea, quæ proponuntur, confestim & sine mora respondendi, & velut de manu in manum, quid peragendum habeant, certiores faciendi, etiam quæ eventura videbuntur, cogitatione, quantum fieri potest, antecapienda; ut denique prospiceretur Episcopis inopibus, qui spe ac pollicitationibus Papæ ac Cardinalis Farnesii illecti , Tridentum concesserint. Verùm nihil respondit Legatis Pontifex, eò quòd ejus cogitationes non tam in Concilio, quàm in bello, ad quod superiore anno Cæsarem Farnesius concitaverat, defixæ essent. In sequente congregatione denuo de ordine tractandorum capitum disceptatum. Cæsareanis Episcopis, aliisque contendentibus, ut à reformatione fieret initium, & potente quodam præsule expetente, ut patres ipsius synodi ante omnia reformarentur, obstiterunt Legati vehementissimè, & in eam denique sententiam itum, *articulos religionis, & caput reformationis pari passu tractandos esse.* De sigillo Concilii etiam quæsitum, aliis proponentibus, ut literæ synodi nomine exaratæ sigillo synodo peculiari obsignarentur, cujus unum latus Spiritum S. in forma columbæ repræsentaret, alterum synodi nomen insculptum haberet, aliis alias formas commemorantibus. Verùm legati , quibus aliter Roma imperatum erat, abnuunt, & sigillo legati principis utuntur. Postea disceptatum, an in proximo consessu pronunciandum sit decretum de fidei & reformationis capitibus, uno eodémque tempore pertractandis, & in seligendis, tractandis & examinandis duobus illis capitibus, quâ viâ sit procedendum ? Opinionibus Patrum admodum dissidentibus, statutum tandem à Legatis, *ut decretum cum titulo simplice formaretur, & in hoc commemoraretur , de religione & reformatione agendum verbis adeò generalibus , ut ad omnem occasionem possit accommodari: Symbolum etiam Nicænum esse recitandum, ut si qua circa doctrinam de S. S. Trinitatis & incarnationis mysterio in verbis hæreticorum à Catholica veritate est diversitas, antiquissima synodi authoritate damnetur.* Hoc decretum in congregatione Calen-

dis

dis Februarii propositum, & à majori parte approbatum est, reclamantibus aliis, ac post cætum dimissum liberè dictitantibus, *hunc esse laborum in negotio totos viginti annos positorum fructum, quòd ad audiendum* Credo, *dum recitatum, convenerint.*

Demum Sessio III. successit die 4. Februarii 1646. eadem qua antehac solennitate. Missam peregit Petrus Tragliavia Archiepiscopus Panormitanus. Concionem habuit Ambrosius Catharinus Senensis, Monachus Dominicanus. Decretum prælegit Archiepiscopus Turitanus. Interrogati responderunt omnes, *Placet,* paucis conditiones & clausulas addi cupientibus. Id quod Legatis mirificè displicuit, qui pati non poterant, ut in Sessionibus contradiceretur, vel ad particularia descenderetur, veriti, ne ubi de rebus magni momenti agendum esset, eadem licentia obtineret.

NOTÆ
Ad Historiam & Decretum Sessionis III.

PRimò in Sessionis hujus historia non pauca vestigia sunt libertatis Concilii à Pontificiis Legatis imminutæ. Redarguunt eos, qui præcedente Sessione de titulo decreti verba facere ausi sunt, quasi videlicet in publico consessu ne mutire quidem patribus fas fuisset. Cùm de ordine tractandorum capitum liberæ opiniones in Synodo audirentur, Legati, ne quid statueretur Pontificiæ authoritati noxium, conventum dissolvunt, & literis ad Pontificem datis, ab ipso definitionem expectant. Cùm Pontifex responsionem distulisset, ipsi soli de eo, quod quæsitum erat, decretum ambiguum formant, & patribus postea obtrudunt. Quin & sigillum Concilii, cujus unum latus Spiritum S. in forma columbæ repræsentaret, alterum synodi nomen insculptum haberet, rejiciunt, ac sigillum principis legati præferunt, manifesto indicio, Concilium hoc impressum habuisse χάραγμα, seu characterem solius Papæ, non Spiritus Sancti & veræ ecclesiæ. *Secundò* suspectum meritò est, quòd legati ad Cæsareanorum Episcoporum aliorúmque postulata, ut à reformatione morum fieret initium, adeò abhorruerunt. Timebant nempe Curiæ Romanæ, & ne idem contingeret Papæ, quod antehac aliis in Conciliis illis, quibus reformatio attentata. *Tertiò* recitant Patres symbolum ecclesiæ Romanæ. Nempe cùm ob opinionum varietatem & defectum responsi Pontificis, quod Româ expectabatur, Legati hærerent in salebra, ignari quid inciperent, quidve in synodo proponerent, ut tempus tereretur, decretum conficiunt dilatorium, in quo, ne nihil actum videretur, decernunt recitandum

esse

Digitized by Google

esse Symbolum. Quæ fuit mera Concilii ludificatio. Rationes Episcopi Bitontini contra decretum illud videsis apud Historicum libr. II. p. 128. *Quartò* ait decretum, symbolum ecclesiæ R. esse *scutum contra omnes hæreses, eo solo aliquando infideles ad fidem tractos, hæreticos expugnatos, & fideles confirmatos esse.* Id si verum est, uti verum esse non dubitamus, nos ab hæreseos crimine liberati sumus. Nihil enim symbolo eo continetur, quod non bonâ fide credamus. Ipsi contra Pontificii ex eo Symbolo multarum hæresium convinci possunt. Scutum ergo nobis erit contra ipsosmet. *Quintò* symbolum illud ecclesiæ Romanæ in Concilio venditatum fuit pro symbolo Nicæno. Et Augustinus Barbosa in Remissionibus Concil. Trident. ait, symbolum illud *concordare cum Concilio Nicæno, & Constantinopolitano VI.* Quin & decretum id innuit, in quo ajunt patres, *se Symbolum fidei totidem verbis, quibus in omnibus ecclesiis legitur, exprimere voluisse.* Jam symbolum Nicænum non agnoscit verba de Spiritu S. *qui ex patre filióque procedit.* Nihil habet aliud, quàm εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *in Spiritum S.* Constantinopolitanum quidem, editum Anno Christi 381. habet verba illa, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, *qui ex patre processit.* Verum quidem est, Spiritum S. procedere à Deo Patre & Filio. Cæterùm ita non habet symbolum Nicænum, adeóque Romani addiderunt communi olim Symbolo. Qui autem addit, fit falsus testis formulæ catholicæ, vel certè se facit νομοθέτην, & determinationibus suis alios non consentientes obstringit. Noverant Tridentini, majores suos hoc sive fastu, sive ambitione schisma Orientales inter & Occidentales ecclesias induxisse. Vel igitur pro veteri Symbolo venditari non debuit, vel verba τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, quæ Orthodoxum sensum recipere apta nata sunt, retinenda erant, ne, quod olim meritò de Latinis questus est Photius Epistol. Encycl. Lib. VIII. τὸ ἱερὸν καὶ ἅγιον σύμβολον, ὃ πᾶσι τοῖς συνοδικοῖς καὶ οἰκουμενικοῖς ψηφίσμασιν ἄμαχον ἔχει τὴν ἰσχὺν, νόθοις λογισμοῖς, καὶ παρεγγράπτοις λόγοις καὶ θράσους ὑπερβολῇ κιβδηλεύειν, *sacrum symbolum, quod synodicis & œcumenicis suffragiis omni exceptione majus est, suppositititiis ac non scriptis verbis, & immani fastu adulterare* deprehenderentur.

SESSIO IV.

SESSIO IV.

Celebrata die 8. Menſis Aprilis 1546.

Decretum de canonicis Scripturis.

SAcroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea tribus Apoſtolicæ Sedis legatis, hoc ſibi perpetuò ante oculos proponens, ut ſublatis erroribus, puritas ipſa Evangelii in Eccleſia conſervetur, quod promiſſum ante per Prophetas in Scripturis ſanctis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Dei Filius, proprio ore primùm promulgavit, deinde per ſuos Apoſtolos, tanquam fontem omnis, & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicari juſſit, perſpiciénsque, hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus ipſius, quæ Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt, Orthodoxorum patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quàm novi Teſtamenti, cùm utriuſque unus Deus ſit auctor, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu ſancto dictatas, & continua ſucceſſione in eccleſia catholica conſervatas, pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, & veneratur. Sacrorum verò librorum indicem huic decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa ſynodo ſuſcipiuntur. Sunt verò infra ſcripti, Teſtamenti veteris, quinque Moyſis, id eſt, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus & ſecundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Heſter, Job, Pſalterium Davidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſajas, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſea, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus & ſecundus. Teſtamenti Novi, quatuor Evangelia, ſecundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Johannem: Actus Apoſtolorum à Luca Evangeliſta conſcripti: quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apoſtoli duæ, Johannis Apoſtoli tres, Jacobi Apoſtoli una, Judæ Apoſtoli una, & Apocalypſis Johannis Apoſtoli. Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in eccleſia catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit. Omnes itaque intelligant, quo ordine,

dine, & via ipsa synodus, post jactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimùm testimoniis, ac præsidiis in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in ecclesia moribus, sit usura.

Decretum de editione & usu sacrorum Librorum.

INsuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.

Præterea ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiam si hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contra venerint, per ordinarios declarentur, & pœnis à jure statutis puniantur.

Sed & impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui jam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quicquid libet, sine licentia superiorum ecclesiasticorum, ipsos sacræ Scripturæ libros, & super illis annotationes, & expositiones quorumlibet indifferenter, sæpe tacito, sæpe etiam ementito prælo, & quod gravius est, sine nomine authoris imprimunt, alibi etiam impressos libros hujusmodi temerè venales habent, decernit & statuit, ut posthac sacra Scriptura, potissimùm verò hæc ipsa vetus & vulgata editio quàm emendatissimè imprimatur, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primùm examinati probatique fuerint ab ordinario, sub pœna anathematis & pecuniæ, in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si regulares fuerint, ultra examinationem & probationem hujusmodi, licentiam quoque à suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi ante examinati probatique fuerint, eisdem pœnis subjaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa verò hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi authenticè appareat; idque totum, hoc est, & probatio & examen gratis fiat, ut probanda probentur & reprobentur improbanda. Posthac temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur, & torquentur

Digitized by Google

tur verba & sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & Diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat & præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemtum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc & similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines temeratores & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis per Episcopos coërceantur.

Indictio futuræ Sessionis.

Item hæc sacrosancta synodus statuit & decernit, proximam futuram Sessionem tenendam, & celebrandam esse Feria Quinta, post sacratissimum festum proximum Pentecostes.

HISTORIA SESSIONIS IV.

POst Sessionem III. Legati Pontificem per literas, quid in ea gestum sit, edocent, simúlque, ut ordinem in posterum rerum agendarum absque cunctatione præscribat, postulant. Et suum quidem de eo consilium esse significant, ut de sacra Scriptura tractatio instituatur, iis maximè in capitibus, quæ Lutherani controvertunt, & ut abusus in ecclesiam ea in re invecti excutiantur. Pontifex legatis rescribit, ut juxta id, quod ipsi proposuerant, in agendo progrederentur, id studiosè caventes, ne aut in materia fidei novis difficultatibus januam aperirent, aut rem aliquam inter catholicos controversam definirent: in materia verò reformationis pedetentim procederent. Legati facultatem à Pontifice nacti in congregatione habita die 22. Februarii proponunt, ad controversias, quæ cum Lutheranis de Scriptura intercedunt, progrediendum esse. Articuli de sancta Scriptura controversi è Lutheri libris extracti, & Theologis, ut ab iis ventilarentur, exhibiti sunt quatuor, de traditionibus, de canone Scripturæ, de perspicuitate ejusdem. De duobus prioribus articulis Theologi, qui triginta præter propter aderant, Monachi ferè omnes, in quatuor congregationibus tractârunt. De prima convenit ferè inter omnes, fidem Christianam partim S. Scriptura, partim traditione contineri. Lunellus contenderat, de ecclesia priùs quàm Scriptura agendum, quia ea sit firmamentum nobilius, & ab ipsa Scriptura dependeat. Verùm rejectus est ab aliis, eò quòd hac ratione ecclesiæ auctoritas in dubium vocaretur, quæ pro jam determinata haberi debeat. Anthonius Marinarus Carmelita negabat duo articulorum genera esse distinguenda, quorum alii scripto evulgari, alii sola voce communicari jussi sint, asserens, non minùs periculosum esse materiam hanc tractare,

 quàm

Digitized by Google

quàm inter Scyllam & Charybdim navigare. Sed Cardinalis Polus eam Marinari sententiam asperioribus verbis excipiens, digniorem esse dixit colloquio Germaniæ, quàm ecclesiæ colloquio universali. Circa formam catalogi librorum canonicorum quatuor fuere opiniones. *Prima*, duplicem seriem fieri oportere, ita ut in una soli collocentur, qui sine controversia semper pro canonicis habiti essent, in altera ii, qui aliquando rejecti, aut de quibus dubitatum esset: *Secunda*, triplicem potiùs seriem conficiendam, 1. eorum, qui semper pro canonicis habiti. 2. eorum, qui olim controversi, usu ecclesiæ canonicam authoritatem obtinuissent. 3. eorum, de quibus nihil certi definitum: *Tertia*, nullam omnino juxta exemplum Concilii Carthaginensis III. distinctionem adhibendam: *Quarta*, libros omnes, prout habent in Bibliis Latinis, pro Divinis & canonicis habendos. In congregatione sequente prævaluit opinio eorum, qui in eodem omnes catalogo, quippe qui eadem essent authoritate, ponendos statuerunt. Interea ad synodum accessit Paulus Vergerius Justinopolitanus Episcopus, cui quòd ab Annibale Grisonio Inquisitore in suspicionem hæreseos adductus esset, consessus in Concilio negatus est, donec se Pontifici purgâsset. Verùm ille paulò post Italiam simul atque religionem Pontificiam deseruit. De Latina sacræ Scripturæ versione altercatio multa fuit inter paucos, qui Latinè optimè, Græcè mediocriter scirent, & alios, qui nulla omnino Linguarum cognitione imbuti erant. Et Aloysius Cataneus quidem laudavit prolixè Cajetani de S. Textus veritate, & versionis Latinæ incertitudine judicium. At Theologorum pars major vulgatam versionem authenticam haberi voluit, quippe quæ Spiritus S. instinctu conscripta fuerit. Contrà Isidorus Clarius Brixianus disputavit, nullam omnino versionem originali æquiparandam esse. Utramque sententiam conciliare conatus est Andreas Vegas. Conclusum, ut vulgata versio habeatur pro authentica. De sensu Scripturæ alii Cajetani sententiam probârunt, novum Scripturæ sensum, quando cum Scriptura concordat, rejiciendum non esse, utcunque torrens Doctorum ad alium sensum confluat; alii contra arguerunt, populari hac licentia maximam in ecclesiam perturbationem invehi. Richardus de Mans Franciscanus Monachus asserere non dubitavit, fidei dogmata non ex Scriptura, sed ex scriptis Scholasticorum addiscenda. Neque deerant opiniones mediæ; una, novas expositiones non vetandas, quæ à vulgato seculi sensu non abeunt: altera, interpretationes permittendas, quæ cum norma fidei & morum non pugnant. Tandem ab omnibus pene itum in sententiam Cardinalis Pacieci, ut obtineat sensus Scripturæ, quem patres & ecclesia tenent. Abusus etiam circa Scripturam notati sunt, qui in decreto apparent. Gliscebat denique

Digitized by Google

que gravis controversia inter Fratres regulares & Præsules, de legendi, prædicandique munere, utrisque eam potestatem sibi vendicantibus. Verùm eam controversiam Præsides Legati ad alium consessum rejecerunt. Tandem Sessio IV. habita est die 8. Aprilis, cantante Missam Archiepiscopo Turriano in Sardinia, & concionante Generali ordinis servorum, à quo decretum prælectum est.

NOTÆ

Ad Historiam & Decretum Sessionis IV.

PRimò imminutæ pro more libertatis Concilii vestigia quædam deprehendimus. Nam Anthonium Marinarum liberè de traditionibus disserentem Cardinalis Polus graviter increpavit, tanquam digniorem Germaniæ, quàm ecclesiæ universalis colloquio. Paulum Vergerium adductum in suspicionem consensus cum Protestantibus, à consessu Concilii arcuerunt, donec se Pontifici purgâsset. Quod arguit ipsos nonnisi Papæ mancipia, & de quorum consensu jam certi esse potuerunt, in Concilio tolerari voluisse. Accedit, quòd Legati formam rerum agendarum à Pontifice petierunt, & ex solius Papæ præscripto gesserunt omnia. *Secundò* in rescripto suo Papa cavet Legatis, *ne rem aliquam inter catholicos controversam definirent.* Patet hinc, quo fine institutum fuerit hoc Concilium, non ut cœlestis veritas, & vera ecclesiæ concordia sanciretur, sed ut Protestantes tantùm condemnentur & pœnis adjudicentur. Patet etiam, qualis unitas sit à Pontificiis crebrò jactata, apud quos Cadmæi fratres impune, & pace Pontificis, digladiari possunt. *Tertiò* Vincentii Lunelli sententiam, ut de ecclesia nobiliore firmamento priùs agatur, quàm de Scriptura, explosere Patres eo argumento, *quòd ecclesiæ authoritas jam sit determinata, adeóque in dubium revocari minimè debeat.* Verbum Dei passi sunt revocari in dubium, at non ecclesiæ suæ, nempe Pontificiæ authoritatem. Quid cum iis agerent nostri, qui de ecclesiæ suæ corruptione & defectione à doctrina Christi accusati, suam tamen ecclesiam ipsi Dei verbo prætulerunt, & ejus authoritatem, tanquam principium ἀναπόδεικτον supposuerunt? *Quartò* Sessioni huic intererant Cardinales 5. Episcopi 48. è quibus vix ullus præcellentis doctrinæ laude insignis erat, aulici potiùs, nobiles & Leguleji, quàm Theologi, præterea civitatum adeò minutarum Episcopi, ut si quisque populum cui præerat, referret, vix omnes millesimam orbis Christiani partem repræsentaturi fuerint. Ex Germania verò ne unus quidem aderat Episcopus, unúsve

Theologus. Quid tamen ille Episcoporum manipulus? Præcipua religionis capita de traditionibus, de libris canonicis, de editione authentica, de sensu Scripturæ authentico levi brachio definire, & toti orbi Christiano legem dicere audet. Hoc cùm meritò ex mente Germanorum reprehendisset Suave Polanus, gravem tamen dicam is patitur à Censore suo Scipione Henrico pag. 191. 192. Respondere ibidem conatur huic accusationi, *quòd parvus hic numerus non obfuerit, eò quòd Concilium à Papa, qui caput sit, ecclesiæ indictum & apertum, hæreticorum autem fraudibus atque artificiis impeditum fuerit.* Verùm si Papæ authoritatem sufficere judicârunt, cur non postulata solius ejus definitione, levi hoc compendio defuncti sunt? Qui verò hæretici, & quibus artificiis impediverunt, ut ad synodum non maturè confluerent Episcopi Hispani, Galli, Germani, aliarúmque gentium? Papæ artificia, quibus indictionem Concilii protelare, indictum jam omnibus modis sufflaminare, & cum aperto bello commutare adnixus est, notiora sunt, quàm ut recenseri debeant. *Sed civitatum,* inquit, *amplitudine non perficitur Episcoporum jus, nec Concilii authoritas secundum se vel augetur vel minuitur.* Sed, quæro ego, annon Conciliaria decreta obligant eos, qui repræsentantur in Concilio? Quomodo autem repræsentari potuerunt integræ nationes, quarum ne unus quidem Episcopus repræsentans adfuit? Si plerique Episcopi, cùm hoc decretum formaretur, fuerunt Italici, Concilium igitur fuerit Italicum, non universalis ecclesiæ, uti venditatum erat. *Mentitur*, ita stomachari pergit Censor, *Historicus dicendo, Patres ipsos non fuisse Theologos. Cùm enim per singulas Sessiones Conciones in eis habuerint, certè aliqui ex eis Theologi erant.* En præclarum argumentum! Dixerat Historicus, inter Præsules *perpaucos fuisse Theologos, eósque eruditione infra vulgus Theologorum.* Objicit Censor, aliquos fuisse Theologos, quia per singulas Sessiones (quatuor autem hactenus in universum habitæ erant) Conciones ab eis habitæ. Neque hoc negavit Historicus, sed tantùm asseruit, eos eruditione fuisse infra vulgus Theologorum. Ergóne aliquam paucis Theologis, tam eruditis, ut in consessibus concionari potuerint, universæ ecclesiæ Christianæ leges dicere integrum fuit? *Quintò* in ipso decreto οὐδὲν ὑγιὲς, nisi quòd tum fibula imponitur partim impressoribus librorum, ne quidquam imprimant sine censura & approbatione superiorum, partim authoribus librorum, ne quidquam edant suppresso nomine, tum cavetur, ne dicta aut sententiæ S. Scripturæ impiè detorqueantur ad vana, scurrilia, adulationes, superstitiones, sortes, &c. Quæ duo posteriora decreta utroque pollice probamus. Nam & censuram librorum desideramus ipsi, etsi non ubique obtineri possit; & nomen authoris sine gravi causa omittendum haud esse censemus. Deinde etiam profanum & impium Scripturarum

pturarum abusum ex animo damnamus & detestamur. Cujus tamen, si qui alii, Pontificii rei sunt in hunc usque diem, ut gravem admodum sententiam in semetipsos dixerint. De cætero quæstiones Theologicæ hic occurrunt sequentes.

QUÆSTIO I.

An veritas & disciplina Evangelii contineatur tum verbo Dei scripto, tum traditionibus ex ore Christi ab Apostolis acceptis, & ab Apostolis Spiritu S. dictante per manus traditis, pari cum verbo scripto pietatis affectu & reverentia suscipiendis?

AFfirmat fere totidem verbis decretum de canonicis Scripturis. Ubi non tam *modum tradendi idem verbum Dei*, quàm *res traditas* sub nomine *traditionis* verbo Dei scripto opponi, apparet tum ex decreto ipso, in quo Scripturæ opponuntur *traditionibus sine scripto*, quibus verbis, non sine barbarie sermonis, notantur dogmata non scripta: tum ex interpretatione Andradii, qui ipse Concilio interfuit. Is enim testatur, innui verbis *traditionum sine scripto* illas etiam traditiones, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt. Et quæcunque credit, tenet & servat Romana ecclesia, quæ in Scripturis non habentur, illa hisce traditionibus annumeranda docet. Cæterùm controversia non est de traditione ejusmodi vel *historica*, ritus, disciplinam vel consuetudines ecclesiasticas indicante: vel *exegetica*, explicante, quo sensu Scripturæ obscuriora loca à majoribus plerumque fuerint accepta, qualem traditionem, cùm nihil aliud sit quàm *explicita scriptura*, seu sensus fundamentalis veritatis scriptæ traditus, ultro amplectimur: sed de traditione ejusmodi *didactica*, quæ complicat hominum commenta cum textu indubitato ad supplendum illius defectum in articulis quibusdam necessariis. Ejusmodi igitur traditiones extravagantes & ambulatorias dari, negamus sequentibus argumentis.

ARG. I. Verbum scriptum vetat sibi quidquam addi vel detrahi, Deut. IV. 2. XII. 32. Jos. I. 7. 1. Cor. IV. 6. Gal. I. 8. Apocal. XXII. 17. Atqui traditio

Digitized by Google

tio ejusmodi quælibet verbo scripto addit in diversis, detrahit in contrariis.

RESP. REDING: *1. Traditiones Divinæ & Apostolicæ verbo Dei nunquam contrariantur. 2. Patres, præter verbum Dei scriptum, etiam non scriptum seu traditum agnoscunt. 3. Deut. IV. 12. vetantur Israëlitæ addere ad verbum, quod Moses locutus fuerat, non quod scripserat. Etsi verò Deut. XXXI. 24. dicatur, Mosen finem fecisse scribendi verba legis; tamen mox cap. XXXII. 7. interrogare iidem jubentur Patrem. 4. 1. Cor. IV. 6. id tantum vetatur, ne supra, quàm scriptum est, unus præ altero infletur. 5. Gal. I. 8. anathemati subjicitur, quisquis aliter, quàm Paulus, evangelizaverit. Traditiones verò non evangelizant aliter. 6. Apocal. XXII. 18. vetamur addere prophetiæ Apocalypseos, non S. Scripturæ toti. Tu ergo diminuisti & addidisti ad verba prophetiæ illius. Væ tibi, ni pœnitentiam agas!* Tract. II. pag. 188-190. Resp. 1. Traditio, seu dogma non scriptum, vel cum Scriptura consentit, & ex eadem consequitur; vel ab ea diversa est, vel eidem contrariatur. Si primum, à Scriptura non differt, ut opposita sub eodem genere, verbo Dei, species, (ita enim vos differre pertenditis) sed in scriptæ literæ *δυνάμει* virtute & *potestate*, quam in significanda illa habet, continetur. Tales esse traditiones vestras ubi comprobaveris, pax hac quidem in re coalescet facilè. Si secundum, annon diversa addunt? Si tertium, annon contraria detrahunt? Insuper cùm Divina & Apostolica, quatenus ad fidem & salutem faciunt, scripta sint omnia, nec extra Scripturam revelatio ulla contineatur, vestras traditiones nec Divinas, nec Apostolicas, sed apostaticas esse, consequitur. 2. Ad Patres nimis præcipitanter, Scripturæ diffisus, devolveris. De earum sententia infra viderimus. 3. Deut. IV. 12. verbum, cui addere & detrahere vetamur, & pronuntiatum & scriptum, utrumque quoad substantiam idem, intelligitur. Totam enim verbi pronuntiati substantiam Deus Mosen perscribere jussit, & perscripsit Moses, ceu fidelis in tota domo Dei servus, constitutus publicus Dei ac ecclesiæ actuarius, Deut. XXXI. XXXII. Hebr. III. 2. Quicquid verò vel Prophetæ scribendo, vel Patres docendo, narrando addiderunt, unius ejusdémque quoad substantiam verbi interpretatio fuit. 4. S. Paulus 1. Cor. IV. 6. disertè prohibet φρονεῖν *sapere* ὑπὲρ ὃ γέγραπται *supra id quod scriptum est*, addita ratione, *ne unus præ alio infletur contra alterum*; id quod Pontificiis, sapere supra id, quod scriptum est, volentibus contingit. Prætextu enim traditionum suarum fidei aliorum dominantur, & contra alios inflantur. Decepit autem te, Redingi Græcæ Linguæ ignarum, vulgata versio, quæ verbum φρονεῖν *sapere*, omittendo, sensum pervertit. 5. Gal. I. 8. anathemati subjicitur quisquis evangelizaverit παρ' ὃ *præter id*, quod evangelizavit Paulus. Ubi usus est voce παρὰ *præter*, quæ latiùs patet, & tum contraria, dum diversa excludit. Servanda autem est generalis & propria significatio, non arctanda temerè, ac in fraudem ipsius Scripturæ. Quicquid igitur Evangelio S. Pauli scripto (nam quia & perfectè prædicavit, & perfectè scripsit, quoad substantiam fidei, utique quæ prædicavit, eadem scripsit, ut doctrinæ suæ monimentum publicum perfectúmque speculum relinqueret, 2. Cor. I. 13. Nisi dicat Redingius, Scripturam non esse Evangelium, sed partem Evangelii, quomodo nunquam constare poterit, quis evangelizet præter Pauli evangelium, & anathema ideo mereatur) additur, illud est παρὰ *præter* ejus Evangelium. *Præter evangelium* est ἄλλο *aliud evangelium*. Ita præter Deum quid colere est Deum abnegare. Augustinus igitur etiam illud ὑπὲρ explicavit, *præterquam quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepistis*. 6. Denique Apoc. XXII. 18. vetamur addere non soli prophetiæ Johannis, sed universæ etiam

Scripturæ

Scripturæ, tum *analogicè*, quia verbi Dei, quod naturæ spiritualis est, una est eadémque ratio in toto & partibus ejus singulis: tum *propriè* & simpliciter, quia S. Johannes, qui postremus scripsit omnium Apostolorum, libris suppositiriis ante obitum à Canone seclusis, libro Apocalypseos Canonem Scripturæ clausit, & hoc ipso sigillo totam veluti Scripturam, non librum illum solum, in Spiritu Dei obsignavit. Non igitur mihi & Apocalypsi & toti Scripturæ addere quicquam reformidanti; sed tibi Redingi, tuique similibus πλημμελῶς, quisquilias vestras, & impia plurima, traditionum nomine fucata, utrique superaddentibus, terribiles illæ plagæ addentibus & detrahentibus intentatæ, toto pectore diu noctúque expavescendæ sunt.

ARG. II. Verbum scriptum est sufficiens instrumentum institutionis in rebus fidei & morum, tum quia in genere Scriptura sibimet sufficientiæ suæ locupletissimus est testis, 2. Tim. III. 16. 17. Rom. II. 20. 2. Tim. III. 8. Rom. VI. 17. tum quia perfectioni V. T. fideliter attestati sunt Christus & Apostoli, Joh. V. 38. 39. 46. Luc. XVI. 29. Act. XX. 27. cum XXVI. 22. tum quia in specie Mosis, Prophetarum & Apostolorum perfectio & sufficientia ἀνὰ μέρος argumentis invictis demonstrari potest: tum quia Scriptura continet legem, fœdus Dei & Evangelium, ad quæ tria referri potest, quicquid salutariter sciri debet: tum denique quia verbo Dei nihil addi potest vel diversum vel contrarium. Non *diversum*, quia articuli fidei sunt copulativi, ita ut in fœcunditate & virtute unius principii contineantur omnes. Non *contrarium*, quia aliâs Spiritus Dei foret ita & non, & αὐτοκατάκριτος Spiritus.

RESP. REDING: 1. *Verum Dei verbum est vivum illud in cordibus fidelium, mediante sola traditione, sui propagativum, Apostolis principaliter commissum. Scriptura autem ejus merum instrumentum est, non principaliter, sed secundariò, certis occasionibus ab Apostolis ita exarata, ut ea Ecclesia carere potuerit; absque traditione manca mutiláque tota, & in mortuis membranis consistens.* 2. *S. Paulus 2. Tim. III. 16. 17. Scripturam perfectum reddere docet, at non sine verbo tradito, utpote quo solo fides, qua ipsæ S. literæ ut Divinæ recipiuntur, nititur. Ita Christus Joh. V. 39. præcipiendo Scripturæ scrutationem, implicitè mandavit fidem verbi traditi, quo solo certitudo Scripturæ scrutandæ constat, & genuinus ejusdem sensus eruitur.* 3. *Act. XX. 27. Paulus dicitur omne consilium Dei annuntiasse, ore scilicet, non scripsisse; & Act. XXVI. 22. negat se extra Mosen & Prophetas quicquam dixisse, non in universum, sed in quibusdam duntaxat fidei articulis, de quibus ibi loquitur. Et Mosen & Prophetas ad mysterium non futurum, sed jam præteritum, non utique Scriptura, sed traditione viva duce, applicavit.* 4. *Verbum traditum scripto non est contrarium, sed in eo virtualiter continetur, ut verè dicatur, articulos fidei esse copulativos, & in fœcunditate unius principii omnes contineri, quatenus omnium sive scriptorum, sive non scriptorum fidei articulorum est unum formale motivum, prima revelans veritas, ita ut qui uni articulo fide Theologica assentitur, omnibus assentiatur.* Ib. pag 190-196. Resp. 1. Vix aliud Redingius, quàm suum adversus S. Scripturam rancorem & odium, ne dicam, conceptas blasphemias hic prodit. Scilicet traditio ei sola verum fidei principium, vivum in cordibus fidelium verbum: Scriptura mutum aliquod instrumentum,

mentum, mortua membrana, ab Apostolis non principali studio, sed per accidens exarata, est. An hoc est traditiones & verbum scriptum *pari pietatis affectu & reverentia* recipere, quod ipsi Tridentini Patres jusserunt? Ecquæ verò odii, rancoris, blasphemiæ tuæ causa? Eadem scilicet tibi est, quæ hæreticis veteribus Gnosticis fuit, qui, Irenæo *lib. III. 2.* teste, ex Scripturis reprehensi in Scripturarum ipsarum accusationem converti sueverunt, *quasi*, inquit, *non rectè habeant, neque sint ex authoritate. Et quia variæ sint dicta, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem.* Audin' tu Gnosticos, Redingi? Imò verò audin' tu te, tuos Papistas, qui totidem ferè verbis, iisdem argumentis Scripturas impugnant. Vivum porro in cordibus fidelium verbum, *sui*, uti loqueris, *propagativum*, quodnam quæso tibi est? Non aliud opinor, quàm in scrinio Papæ reconditum, Romani Apollinis oraculum, per mandata & decreta dominantis Papæ sese proferens, quod Scripturis opponendum vobis fuit, ne ex iis errores vestros palam damnantibus detrimentum pateremini. *Ecclesia*, ita Caranza vester *Controv. 2.* scribit, *aliquando visa est facere contra Scripturas, & aliquando præter Scripturas. Ergo ipsa est regula eorum, quæ traduntur in Scripturis. Ergo credimus Ecclesiæ contra formam Scripturarum.* Traditiones ejusmodi Driedo *lib. IV. fol. 283.* recenset venerationem & invocationem S. Martyrum, solenne jejunium, à carnibus & cœteris abstinentiam, suffragia vivorum pro defunctis, voluntaria in castitate Deóque devota virginitate vota, purgatorium, Sacramenta confirmationis, confessionis, sacri ordinis, unctionis, corpus Christi sub specie panis & vini, Missæ sacrificium, cœteráque officia ecclesiastica, cœlibatum Sacerdotum. *Si in his*, inquit ille, *traditionem contemnamus, non erit nobis ullum scutum, quo doctrinam fidei, quæ nunc est, defendere valeamus.* Dixit ingenuè Driedo, quod res est, & traditionum defensarum crypsin detexit. Verbum Dei haud dubiè illud solum est, quod vivum est, & ut tale vera fide in cordibus credentium recipitur. Atqui illud non est oraculum Papæ, sed illud ipsum solúmq; verbum, quod Scripturis comprehensum, est *semen immortale*, 1. Petr. I. 23. *fæcundissimum*, Matth. XIII. 23. *verbum Dei vivum, efficax, penetrantius quovis ancipiti gladio Spiritus S.* Ephes. VI. 17. *potentia Dei ad salutem omni credenti*, Rom. I. 17. *brachium Jehovæ*, Esaj. LIII. 1. Si aliud verbum supponas, erit illud planè ἄδηλον, obscurum, impenetrabile, carens lapide lydio & regula, ad quam ejus veritas & certitudo exigi possit. verbo dicam, Enthusiasticum, ad Atheismum recta via seducens. Fidei universæ regula & amussis Scriptura, seu verbum, revelatio Scripturis contenta est. quæ ipsa Divinitatem suam insita vi, à Spiritu S. in cordibus credentium testata, non ullo verbo alio extra se vivo (unde enim de verbi talis αὐθεντίᾳ liquebit? An ex alio itidem verbo, per progressum in infinitum?) probat & manifestat. Ecclesiæ interim veræ & Catholicæ testimonium ministeriale & isagogicum neutiquam contemnimus. Sumus agricultura Dei, 1. Cor. III. 9. Sicut autem agricultura ita agricolæ laborem requirit, ut inprimis seminis efficaciam & incrementum Dei postulet: ita ad conversionem & institutionem nostram tria illa ordinariè concurrunt, verbi Dei scripti vivum & immortale semen, Ministri Ecclesiæ agricolæ, & Spiritus S. incrementum omne impertinetis gratia. 2. Ruunt igitur eadem ratione quæcunque ex principio tuo rancido testimoniis Scripturæ 2. Tim. III. 16. 17. Joh. V. 39. aliísque à me allegatis, & à te ita negligenter tractatis, ut si Bellarminus ipse reviviscere, crambem tuam nauseaturus sit, opposuisti. Præterquam quòd stolidum etiam est, ex traditionibus de Scriptura concludere traditiones extra Scripturam; de quibus solis hic quæstio est; quódque etiam traditio de Scriptura sensata potiùs, testimonialis & experimentalis,

Digitized by Google

mentalis, quàm revelata, authentica & auctoritativa ita est, ut verbum Dei ab ea dependeat. 3. S.Paulus equidem Act.XX.27. omne consilium Dei Ephesiis *ἀνήγγειλε annuntiavit*, ore utique. Cùm verò verbi ore annuntiati, & calamo scripti, substantia una sit, & Apostoli Evangelium, *quod tunc præconiaverunt, postea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderint, fundamentum & columnam fidei nostræ futuram*, uti disertè Irenæus *lib.III.1.* loquitur; omne etiam consilium Dei eundem scripsisse consequitur. Cúmque etiam futurorum seu prædictorum, & præteritorum ceu impletorum substantia eadem sit, idem S. Paulus impleta prædicans, quæ implenda Moses & Prophetæ prædixerant, nihil utique (Act.XXVI.22.) extra Mosen & Prophetas locutus est; *οὐδὲν nihil* eorum, quæ futura Prophetæ prænuntiaverant; adeóque non certa tantùm capita, qualia mox v.23. vel exempli gratia, vel tanquam præcipua, non omnia, recitat. Rationem enim totius suæ prædicationis, ad quam illa de Mose & Prophetis referenda sunt, reddidit. 4. Verbum traditum dum ais in scripto *virtualiter* & *implicitè* contineri, atque ita quidem, uti mox, *Sc.III.* explicas, *ut nulla detur Traditio Divina, quæ vel non sit formaliter expressa per Sacram Scripturam; vel per modum principii sive conclusionis reduci possit in aliquem S. literarum textum*; multum certè nobis largiri videris. Si enim Traditio virtualiter & implicitè in verbo scripto continetur, & eo quidem, quo jam declarasti, modo, non aliud utique quàm Scriptura erit. Quicquid enim in Scriptura implicatur, & virtualiter existit, scriptum censetur, cùm Scriptura non in verborum foliis & superficie, sed in sensus medulla; non in litera, sed literæ ad significandum *δυνάμει potestate, virtute*, valore; perinde ut voces ceu *λόγοι εὔσημοι*, non *ἄδηλοι*, non in sono externo, sed in *δυνάμει φωνῆς potestate*, virtute vocis (1.Cor.XIV.11.) consistat; atque insuper id, quod ex scripto, ceu præmissa, infertur & concluditur, à scripto, uti etiam definitio à definito, nonnisi, *λόγῳ ratione* differat. Verùm tum laborandum tibi maximopere erit, qua ratione traditiones vestras, illas maximè, quarum Driedo supra meminit, Pharisaicas potiùs quàm Divinas vel Apostolicas, ceu *συμπεράσματα*, illationes & conclusiones ex Scripturis, elicias. quod tum demum præstiteris, cùm orcum ex Cœlo, tenebras ex clara luce, ex albo nigrum, & ex contrario contrarium derivaveris. Denique articuli fidei copulativi sunt non eo duntaxat, quem indicâsti, sensu; sed ratione inprimis principii & fundamenti fidei unici, quod ita latum est, ut in sinu suo, quicquid ad salutem credendum est, complectatur. qua de re fusiùs alibi.

ARG. III. Verbum, quo Evangelii veritas continetur, ita certum esse debet, ut *πληροφορίαν* seu certitudinem fidei gignere possit. Tale non est verbum traditum, tum quia nec in se habet notas certitudinis, quas omnes agnoscere possint, nec in authentica aliqua norma: tum quia nullum habemus fidum ejus custodem, quomodo Scripturæ fidus custos est litera, pro qua Deus vigilaturum se recepit: tum quia recipit varietatem & contrarietatem: tum quia corruptioni obnoxium est, uti vel sola historia primorum temporum ante scriptam legem id evidenter ostendit: tum denique, quia Bellarminus fatetur, eorum quæ Apostoli tradiderunt, alia quidem ab iis tradita esse omnibus, alia solis Prælatis, Episcopis, Presbyteris, quæ lata porta est ad obtrudendum omne genus men-

ed by Google

daciorum ſub titulo traditionum, ita ut nulla omnino de earum ſinceritate certitudo haberi poſſit.

RESP. REDING: 1. *Cùm ſub traditione receptæ ſint S. literæ, eandem traditio, ceu præſuppoſitum primum principium, quam Scriptura ipſa certitudinem habeat oportet.* 2. *Non ſcripti duntaxat, ſed traditi etiam verbi fidus cuſtos Deus eſt.* 3. *Neque magis traditio, quam Scriptura corruptioni obnoxia eſt, uti apparet ex Neotericorum Bibliis, tanta inter ſe varietate pugnantibus, ut integris etiam S. Scripturæ libris à ſe invicem diſſent.* 4. *Si ante legem verbum traditum corruptioni obnoxium fuit, quomodo ſtare tum certitudo fidei potuit, quando verbo ſcripto nixa non eſt?* Ibid pag. 196. Reſp. 1. S. literæ *αὐτόπιςοι primariò* non ob traditionem authenticam ullius hominis vel eccleſiæ, ſed ob ſolum ſplendorem & efficaciam Divinitatis, à Spiritu Dei cordibus credentium intimatum, Eccleſia eidem ex officio miniſtrante, pro Divinis receptæ ſunt. Et quibuſcunque hic eccleſia tradens partibus defungatur, earum certitudo & veritas omnis ex verbo Dei ſcripto, non aliunde pendet. 2. Pro verbo ſcripto vigilâſſe Deum ſemper, tum ex promiſſione Eſaj. LIX. 21. Matth. V. 18. tum ex eventu liquet. Pervenit enim ad nos à tot retro Seculis Scriptura, nequicquam adverſus eam Sathana & Antichriſto machinantibus continuè. De traditionibus nil tale dici poteſt. Origo earum vel incerta, vel apertè falſa eſt. Cùm aliquot ſecula percurreris, quaſi cùm leporis veſtigia canes ſagiunt, tandem in nubes diſſipantur, vel condunt ſe in turbam, uti rumoribus temerè ac ſine authore certo publicatis contingit. Et fruſtra hactenus Traditionarii in comminiſcendis diſcernendarum traditionum regulis ſe macerarunt, quia ab iis prodítæ & univerſæ non ſatis fidei Chriſtianæ, quam undique tutam eſſe oportet, cavent; & ſingulæ aliquid ſuum habent, redolens traditionum vanitatem, id eſt, humani cerebri *ἀλώσιαν*, quod de iis ſolidiſſimè Celeb. Chamierus *de Canone lib. VIII. cap. 14.* probatum dedit. 3 Dilutum nimis eſt, quod de Neotericorum Bibliis muſſas. An enim ſi verbi Divini Interpretes hallucinantur, & in diverſum abeunt id ipſi verbo Dei, quod in fontibus integrum illibatúmque conſervatum ad nos pervenit, imputandum eſt? Alia traditionum ratio eſt, quæ certum conſervationis ſuæ inſtrumentum nullum habent. 4. Traditiones ante legem variè quidem extra veram ſcilicet eccleſiam interpolatæ & adulteratæ ſunt, ut vel ſolam eam ob rationem Sapientiæ Dei viſum fuerit, verbum ſuum ſcripto, fido memoriæ cuſtodi, tradere. Conſervavit tamen Deus verbum ſuum in vera eccleſia uſque ad legem, per continua ſcilicet oracula & inſpirationes, imò etiam, cùm paulatim ab iis homines dilaberentur, innovavit. Sicut igitur tum, ne in eccleſia traditio corrumperetur, neceſſaria fuit extraordinaria inſpiratio; ita poſt eadem vel infrequente, vel planè ceſſante, Scripturæ ceu medio ordinario, traditio omnis commiſſa fuit.

ARG. IV. In V. T. nullus traditionibus fuit locus, quia Chriſtus Judæos à Phariſæis deuterotis, quos tamen agnoſcit ſedere in cathedra Moſis, ubique revocat ad Moſen & Prophetas, adeóque canonem ſcriptum & eorum *κατήχησιν ἐκ τοῦ νόμου* arguit inſufficientiæ. Si autem in V. T. non fuit locus traditionibus non ſcriptis, neque in Novo iis locum eſſe poſſe disertè fatentur Becanus, Cornelius à Lapide, *& quidam alii*, inquit Bellarminus, *Catholici*, hoc eſt, Papiſtæ.

RESP.

RESP. REDING: *Pharisæi nec Scripturam, nec genuinum ejusdem sensum sine verbo Dei non scripto, per traditionem majorum propagato, certitudine fidei recipere potuerunt.* Ib. pag. 197. Resp. Bellè sic Pharisæis traditionariis patrocinaris, quia eorundem veneno imbutus es. Potuisses eodem argumento eorum causam contra Christum, eos propter traditiones pulsantem, agere. Sed memento, aliud esse traditionem de Scriptura, aliud traditiones seu articulos fidei præter vel contra Scripturam, de quibus hic omnis disceptatio est. Cœtera superiùs dilui. Neque Redingius respondere directè potuit.

ARG. V. Verbum traditum necessarium fuit, vel propter sublimitatem mysteriorum, quæ scribi non potuerunt, vel propter aliam aliquam causam. Atqui non propter *sublimitatem mysteriorum*, tum quia in verbo tradito nulla mysteria ostendi possunt, quibus non majora scripta sint: tum quia Apostolorum successores eas scripto mandârunt, uti statuunt adversarii: tum denique quia in falsis duntaxat religionibus hoc sancitum est, quarum mysteria nec scribere nec propalare fas erat, sed tantùm tradere. Neque *propter aliam causam*, quia ostendi nulla potest. Hoc argumento in Concilio pugnavit Anthonius Marinarus.

RESP. REDING: 1. *Apostolorum successores non plerosque Apostolos, vel ipsum Christum, mysteria Dei scripto mandasse, fateris. An igitur Christus & Apostoli, mysteria ore, non scripto tradentes, falsæ religionis rei etiam fuerunt? 2. Vos quoque traditiones plures defenditis nusquam scriptas.* Ib. p. 197. 198. Resp. 1. Quicquid Christus & Apostoli ore tradiderunt, pertinens ad salutem & necessariam instructionem nostram, id omne Scriptores à Christo delecti, adeóque θεοπνεύστως, tabulis consignarunt. Neque etiam illi extra Mosen & Prophetas, adeóque Scripturas, docuerunt quicquam. Apostolorum verò successores mysteria ab Apostolis non scripta, scripto mandasse, non ex mea, sed *adversariorum* sententia, disertè scripsi. Tu mihi ceu fatenti, ea tribuens, falsum testimonium apertè dicis. 2. Quæ de traditionibus nostris ἀγράφοις nugaris, responsionem nullam merentur. Traditiones ἀγράφους, seu articulos fidei in Scripturis non traditos, simpliciter damnamus omnes.

ARG. VI. Concilium generaliter definit, *traditiones sine scripto* recipiendas esse. At quæ sint illæ traditiones, ubi reperiantur, quomodo veræ à falsis discerni queant, quísve earum sit numerus, non definit. Cujus quidem fallacis & dolosæ generalitatis crypsis haud alia esse potest, quàm ut liceat prætensa traditione defendere, quicquid scriptum non est.

RESP. REDING: *Synodus satis habuit definire, fidei Catholicæ fundamentum non Scripturam tantùm, sed etiam traditionem; & Apostolicos ritus per manus traditos recipi ab ecclesia, nec in iis alterandum. Quæ autem singulæ hæ traditiones sint, deinceps statuendum erat, prout rerum tractationes in congregationibus habendis exigebant.* Ib. pag. 198. Resp. Quid definire Synodus satis habuerit, constat. Nec de eo quærebatur; sed cur, quæ traditiones eæ sint, quæ discernendarum earum notæ, quis numerus, non æquè definiverit, causam dicere oportuit. Nam deinceps tale quid statutum non est; nec, quæ

Digitized by Google

dogmata pro ſcriptis, quæ pro traditis habenda ſint, uſpiam declaratum eſt. Manet, quam dixi, doloſæ generalitatis cryptis.

ARG. VII. Concinunt Patres, apud quos ratum fuit, nullum dogma eſſe, quod in canone ſcripto teſtimonium non habeat. Tertullianus contra Hermogenem: *Adoro Scripturæ plenitudinem. Scriptum eſſe doceat Hermogenes, aut timeat illud væ adjicientibus.* Athanaſius in Synopſi paucis & nervosè Scripturas vocat τῆς πίστεως ἀκροθίνια, ἄγκυραν καὶ ἔρεισμα, *fidei primitias, anchoram & fulcrum.* Baſilius M. in libro de confeſſione fidei: Φανερὰ ἔκπτωσις τῆς πίστεως, καὶ ὑπερηφανίας κατηγορία, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων. *Manifeſtum eſt infidelitatis & arrogantiæ crimen, vel rejicere aliquid quod ſcriptum eſt, vel addere aliquid quod non ſcriptum eſt.* Hieronymus in Matth. 23. *Quod de ſcripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Auguſtinus de Doctr. Chriſt. II. 9. *In his, quæ apertè poſita ſunt in ſcripturis, inveniuntur ea omnia, quæ continent fidem moréſque vivendi.*

RESP. REDING: *1. Tertullianus de uno tantùm dogmate, creatione mundi ex nihilo, loquitur. Illud verò apertè in Scriptura continetur. 2. Athanaſius Scripturam fidei anchoram & fulcrum vocat; ſed ejuſdem applicatio, de qua tota quæſtio eſt, ſine traditione fieri nequit. 3. Baſilius Scripturæ vetat aliquid addi, nempe contrarium. 4. Hieronymus de particulari ſententia eorum, qui ſtatuebant, Zachariam, inter templum & altare mactatum, fuiſſe patrem Johannis Baptiſtæ, loquitur. A particulari verò univerſale malè infertur. 5. Auguſtinus de iis dogmatibus, quæ ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria ſunt, loquitur. Alibi Epiſt. 118. ad Jan. traditiones disertè aſſerit.* Ib. pag. 198. 199. Reſp. I. Ita pueriliter, Redingi, nugaris, ut vix reſponſionem nugæ tuæ vel poſtulent, vel mereantur. Licet loco citato Tertullianus de uno duntaxat dogmate agat, generali tamen argumento à *plenitudine*, ſeu perfectione (quid enim plenitudo niſi rei omnia continentis perfectio eſt?) Scripturæ, quod accommodari omnibus aliis doctrinæ partibus queat, petito utitur. Quid magis ridiculum fuiſſet, quàm *plenitudinem* nominare, unius duntaxat membri aut particulæ ratione habita? An plenus homo eſt, cui crura integra ſunt, at deſunt poſt magnam in prœlio ſtragem brachia, & forte caput? 2. Athanaſius ſimpliciter Scripturam *fidei primitias, anchoram & fulcrum appellavit.* Tu per traditionem, hoc eſt, oraculum Papæ tui, eam applicandam ſciſcis. Sed ubi ſimiliter ſciſcit Athanaſius? Tuum figmentum non eſt Athanaſii ſententia. Et quis unquam ſpeciem per oppoſitam ſpeciem applicari dixit? Juxta Tridentinos verò tuos verbo Dei, tanquam generi ſcilicet, Scriptura & traditio tanquam ſpecies oppoſitæ, uti disertè etiam Walenburgii explicant, ſubjacent. *Orat. 6. contra gentes*, idem Athanaſius apophthegma habet aureis characteribus deſcribendum, quod ſic ſonat: Αὐτάρκεις μὲν γάρ εἰσιν αἱ ἁγίαι καὶ θεόπνευστοι γραφαὶ πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἀπαγγελίαν. *Sufficiunt Sanctæ Divinitúſque inſpiratæ Scripturæ ad veritatis annunciationem.* Eſt autem αὐτάρκες id, quod per ſe, non per aliud, puta traditionem, vel eccleſiam ſufficit. 3. Baſilium de additamentis duntaxat contrariis loqui, proba. Non enim prætor es, cui edicenti aſſurgendum ſit. Simpliciter ille perfidiæ & arrogantiæ deputat ἐπεισάγειν τι τῶν μὴ γεγραμμένων, *addere aliquid, quod non ſcriptum eſt.* At qui diverſum quid addit, etiam addit, quod ſcriptum non eſt. 4. Sed

& Hiero-

& Hieronymus apertè thesin applicat hypothesi, & sententiam de Zacharia generali ea ratione infringit, quòd *quicquid de Scripturis authoritatem non habet, rejiciendum sit.* Alias imbellis planè foret ejus ratio. 5. Gratias tibi Redingi, quòd S. Augustinum de dogmatibus ad salutem necessariis loqui, fateris. Hoc nobis sufficit. Scripturæ enim perfectionem non alia in re magis collocamus. De loco altero Augustini infra.

ARG. VIII. Origo hujus de traditionibus erroris clarè ostendi potest. Veteres, nominatim Irenæus & Tertullianus, hæreticis Scripturas torquentibus opposuerunt præscriptionem & traditionem, hoc est, catholicum Scripturæ sensum in quæstionibus præcipuè fundamentalibus fidei. Quam patrum mentem explicat ipse Cassander *de officio viri pii* p. m. 782. Deinde sedes Episcopalis Romana, quæ clariora habuit traditionis monimenta, exaltata est. Factum hinc, ut primaria religionis capita tractarentur negligentiùs, ut dicta quædam ambigua exciderent patribus, utque definitio Concilii aut supremæ cathedræ haberetur pro principio fidei, ejúsque determinationes, etsi Scripturis non probarentur, haberentur pro dogmatibus fidei, & traditionibus Apostolicis. His gradibus perventum in Concilio hoc nostro ad canonizationem traditionum, eo in sensu, quem nunquam vera ecclesia tenuit, imò quem in hæreticis damnavit.

RESP. REDING. *Bene, quòd traditione Catholicum Scripturæ sensum, penes Ecclesiam Romanam residentem, & hæreticis olim oppositum, contineri fateris.* Ib p. 199. Resp. Nihil tamen hic tibi seritur vel metitur. Quid enim Irenæo sit *traditio*, quid Tertulliano *præscriptio*, tu quidem ignoras, & vocum illarum sensum novitium nequicquam veteribus, ab eodem abhorrentibus, impingis. Noveris autem pro certo, veteribus traditionem nihil aliud quàm scriptorum non extra, præter vel contra Scripturas traditorum dogmatum, fundamenti inprimis in ecclesia Catholica continuationem esse. Id verò ex Irenæo *lib. III. 2. 3. 4. &c.* manifestè liquet, tum quia is traditionem opposuit hæreticis sui temporis, errantibus in capitibus dogmatum scriptorum de Deo, Christo, creatione & similibus: tum quia omnem horum hæreticorum impietatem prolixè refutavit ex Scripturis, & quidem tribus libris integris, cùm tamen ne unum quidem sigillatim ac nominatim ex traditione examinaverit: tum denique quia, cap. 2. 3. &c. de barbaris sine Scriptura ex sola traditione Evangelium discentibus loquens, & eorum fidei articulos exponens, non alios nominat, quàm quos Catholici omnes ex Scripturis haustos credunt. Nihil planè Irenæus eam in rem dixit, quod non ambabus ulnis amplectamur.

ARG. IX. Denique vel ipse Bellarminus *de verbo D. lib. III. 11.* fatetur, omnia scripta esse ab Apostolis, quæ sunt simpliciter omnibus necessaria. Quin & ipse Gregorius XIII. *Epist. Prælim. ad Philipp. Hisp. Regem*, Bibliis Regiis Ariæ Montani, ita scribit: *Quod ad Theologiam attinet, quæ est summa Philosophia, hisce libris* (Bibliis) OMNIA *nostræ religionis & Divinitatis MYSTERIA explicantur.*

RESP.

RESP. REDING. *Esto. Supposuit tamen Bellarminus verbum non scriptum, quo legitimus & salutaris Scripturæ sensus acquiritur, & liber canonicus ab apocrypho discernitur.* Ib.pag.199. Resp. Supposuit igitur id, quod cum dicto ejus pugnat. An enim Scripturæ sensus in necessariis exigit aliud verbum non scriptum, quo ille eruatur? Imò quo dogmata non scripta (neque enim sensus Scripturæ, utpote ab ea inseparabilis, est dogma non scriptum) revelentur? Annon sic progressus dabitur in infinitum? Nam & verbum illud non scriptum requiret aliud verbum, quo ei fides concilietur & sensus adoptetur; atque hoc iterum aliud in infinitum. Sic scilicet religionem Christianam universam ludibrio exponi, imò extingui penitus oportuit!

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Paulus distinguit verbum Dei in scriptum & non scriptum, jubens retinere παραδόσεις, sive per sermonem sive per epistolam, 2.Thess.II.15.* Resp. Traditiones vocat Paulus duplicem modum tradendi doctrinam eandem, non diversam, præsentibus per *sermonem*, absentibus per *epistolam*; non dogmata fidei non scripta. Etenim ipsam epistolam seu Scripturam complectitur sub genere *παραδόσεων traditionum.* Tum illud *εἴτε εἴτε, sive sive,* Paulus manifestè refert non ad *παραδόσεις*, sed ad verbum *ἐμάθετε didicistis*, adeóque illud disjunctivum est non *traditionum*, sed modorum discendi. Præterea Paulus commendans has traditiones, fideles munire vult contra seductionem, ne credant mendacio. Atqui traditione in adversariorum sensu laudata apertam januam seductioni aperuisset. Accedit, quòd hac ratione obligâsset nos ad credendum aliquid, quod nec sermone, nec scripto didicimus quippe sermone Pauli nec tum omnes frui potuerunt, nec nos possumus. Denique idem Paulus cap.III. 14. omnem obedientiam revocat ad epistolam.

EXCIPIT. REDING: 1. *Malè ex eo, quòd S. Paulus loc. cit. meminit verbi per epistolam, arguis, omnem obedientiam ab eodem ad epistolam revocari.* 2. *Anne verbum viva voce traditum ejusmodi est, quod nec scripto didicimus? An nascentis Ecclesiæ tempore omnes fideles frui poterunt Pauli Epistolis, ut sermone opus non fuerit?* 3. *Modus tradendi per Scripturam æquè ac per vivæ vocis oracula deceptioni obnoxius est. Sed utrumque Spiritus S. conservavit.* 4. *Si Paulus non diversa dogmata, sed diversos tradendi modos commendavit, sequetur, universa dogmata epistolis ejus ad Thessalonicenses comprehendi.* 5. *Particulæ disjunctivæ sive enuntiantur de traditionibus, hoc est, dogmatis traditis, non modis tradendi.* Ibid.p.199.200. Resp.1. Mutas dictorum ordinem, detorques, sophisticaris cuncta pro more & ingenio tuo. Ex eo, quòd S.Paulus jubet retinere traditiones etiam per epistolam, collegi, etiam Scripturam ei traditionis nomine venire; non, obedientiam omnem eum ad epistolam revocâsse. Finxisti spectrum, quod faciliùs debellares. 2. Verbum viva voce traditum omnino idem est, quod etiam scripto didicimus. Non igitur commendavit S.Paulus traditiones, hoc est, dogmata nunquam scripta, nunquam scribenda. Nec epistolis Pauli ecclesiæ nascentis initio apud omnes opus fuit. Opus tamen fuit, ut quæ primò præconiarunt Apostoli, postea scriberentur. Et scripta revera sunt, quæcunque ad salutem scitu necessaria erant.

3. Modum

3. Modum ſcribendi æquè ac ore tradendi modum deceptioni obnoxium eſſe, neſcio quomodo dixeris. Litera enim ſcripta manet. Sermo audientium vitio mutatur, corrumpitur facilè. Neque ita traditionem Spiritus S. conſervavit, ut Scripturam. Illa enim abſque Scriptura & extra eam ad nos incorrupta & germana non pervenit. Hæc integra & illibata pervenit. 4. Neque iccirco omnia dogmata S. Pauli ad Theſſalonicenſes epiſtolis comprehendi debuiſſe, ſequitur. Sufficit quædam in Epiſtolis iis; reliqua, quæ ore prædicavit, ab eodem Paulo, vel aliis alibi ſcripto conſignata eſſe. Evangelium totum idémque, non ἄλλο *aliud* (Gal.I.6.7.) primò fuit nondum ſcriptum; deinde ſcriptum tamen. Neque latiùs præconium totum, quàm Scriptura tota patet. 5. Traditiones, hoc eſt, traditam S. Pauli doctrinam univerſam retinere Theſſalonicenſes jubentur. Eas verò didiciſſe dicuntur εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς *ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam*, hoc eſt, & per ſermonem, & per epiſtolam, vel alterutro ſaltem modo; non alias nunquam ſcriptas, nunquam ſcribendas per ſermonem, alias per epiſtolam. An enim quæ per epiſtolam didicerunt, non etiam per ſermonem didicerunt, vel diſcere potuerunt? Manifeſtè igitur non res traditæ, ſed tradendi modi diſpeſcuntur disjunguntúrque. Ita planè Theodoretus verba S. Pauli παραφράζει: *Habetote χαρακτῆρα διδασκαλίας regulam doctrinæ, ſermones, quos vobis tradidimus, οὓς quos & præſentes vobis prædicavimus, & abſentes ſcripſimus.* Et Chryſoſtomus *homil.29. Operis imperf. in Matthæum* diſertiſſimè: *Ex quo hæreſis impia, quæ eſt exercitus Antichriſti, obtinebit in Eccleſia, nulla probatio poteſt eſſe veræ Chriſtianitatis, neque refugium Chriſtianorum poteſt eſſe aliud, volentium cognoſcere veritatem fidei, niſi Scripturæ Divinæ.* Hoc tu, Redingi, vineis & pluteis tuis admotis omnibus oppugnans, prodis te, quòd ſis in exercitu Antichriſti, & deliteſcere tamen in eodem velis.

OBIECT. II. *Paulus 1.Cor.XI.2. laudat Corinthios, quòd ſicut illis tradidit, traditiones conſervent. Et v.34. quæ non ſcripta ſunt, ea ſe coram diſpoſiturum promittit.* Reſp.1. Traditiones vocat Paulus omnem doctrinam ſuam, quam ſive ſcripto ſive oretenus docuit. Eadem quæ ἀπὸ στόματος *tradidit*, etiam *tradidit* διὰ μέλανος. Et oralis doctrinæ ejus canon & regula nunc eſt in Scripturis. 2. Promittit Paulus ſe diſpoſiturum nonnulla coram. Sed διάταξις illa non eſt articulorum fidei neceſſariorum, cùm de articulis fidei Paulus non agat, & διάταξις non ad dogma, ſed ad ordinem pertineat. Pertinet igitur ad εὔσχημον & τάξιν in externo ordine, quæ ſi ex ſcriniis Corinthiorum κατ' εἶδος nobis expromſerint adverſarii, gratias magnas habebimus.

Excip. Reding: 1. *Saltem inde ſequitur, Apoſtolum ante ſcriptam epiſtolam illam aliquid ore docuiſſe. Omnia autem, quæ ore docuit, ſcriptis poſtea commendata fuiſſe, probari nequit. 2. Quæ v.34. ordinaturum ſe promiſit, licet ad ordinem vel ritum Eccleſiæ ſpectent, ex revelatione tamen Divina pendebant, adeóque articuli fidei erant, nuſpiam ſcripti.* Ib. pag.200. 201. Reſp.1. Quid ni Apoſtolus prius docuerit ore aliquid, quàm ad Corinthios ſcripſerit? Sed quod ita ore docuit, & docere ex Scripturis potuit, & poſtea etiam id vel ipſe vel alii ſcribere potuerunt. Ea ipſa enim, quæ disertè eo capite ſcripſit, priùs viva voce tradita ſunt. Quomodo etiam quæ Petrus ore ad Judæos

prædicavit, postea Lucas in actibus scripsit; & Paulus, quæ priùs Thessalonicensibus ore tradidit, ad eosdem postea scripsit, ipsomet teste 2. Thess. II. 5. *Annon meministis, me, cùm adhuc essem apud vos, dixisse vobis?* Imò quæ ore prædicarunt ad salutem necessaria, eadem scripsisse eosdem, ipsa Scripturæ perfectio arguit. 2. Imperitissimus omnium es, qui singula Divinitus revelata ad articulos fidei referas. An ergo historica, prædictiones casuum in ecclesia, ritus revelati omnes articuli fidei sunt? Et denuo abs te contendo, ut quæ Apostolus ordinaturum se recepit, si scripta nuspiam sunt, ex traditione nobis pandas. Aqua tibi hærebit semper; atque vel inde, si mens tibi læva non est, argumenti tui vanitatem agnosces.

OBIECT. III. *Dogmata quædam fidei non ex Scripturis, sed ex traditione probari debent. Talia sunt articulus de processione Spiritus S. à Filio, Pædobaptismo, irreiterabilitate baptismi, observatione Dominicæ, immortalitate animæ &c.* Resp. Hæc omnia, & si quæ alia dogmata ad salutem scitu necessaria, in Scripturis habentur, si non κατὰ τὸ ῥητὸν, *expressè* vel *axiomaticè*, at certè κατὰ διάνοιαν quoad *sensum & dianoëticè*. Quod neminem latet, nisi volentem, nec non eos, qui amant φιλονεικεῖν, καὶ ἀνθίστασθαι τῇ ἀληθείᾳ.

EXCIP. REDING: *Cùm sensus illorum dogmatum formaliter in Scripturis non sit expressus, per vivam fidem expressus est in cordibus fidelium, atque ita propagatus.* Ib. p. 201. Resp. Etiam expressè scripta per vivam fidem in cordibus fidelium exprimuntur; neque iccirco traditione non scripta constant. Et quæ per evidentem consequentiam ex Scriptura inferuntur, in Scripturæ penetralibus continebantur ante. Quomodo enim ex Scriptura inferri potest, quod in ea non existit? Quid igitur hoc omne ad traditionem non scriptorum dogmatum?

OBIECT. IV. *Scripturam esse verbum Dei, non ex Scriptura, sed ex universali traditione probatur.* Resp. 1. Quæstio nostra non est de principiis, sed de principiatis: an videlicet positâ, quam habemus, Scripturâ, opus sit traditionibus non scriptis, ad supplendum ejus defectum? 2. Neque fides de divinitate Scripturarum est traditio non scripta, sed pendet ex authoritate revelantis Dei, qui verbo suo, quod est vivum & efficax, indidit hanc potentiam, ut suam divinitatem ad omnem conscientiam irrefragabiliter demonstrare possit.

EXCIP. REDING: 1. *Fides de Divinitate Scripturæ pendens ex authoritate Dei revelantis est articulus fidei non scriptus, quia ex nullo textu Scripturæ probatur.* 2. *Neque ex ullo Scripturæ textu probari potest, Deum Scripturæ potentiam, Divinitatem suam ad omnem conscientiam demonstrandi, indidisse. Aliàs cur Lutherus Epistolas nonnullas Divinas esse negavit, quas divinas esse Tigurini agnoscunt?* Ib. p. 201. Resp. 1. Prodis planè desperatam causam tuam turpiter, ubique & semper extra oleas vagando. Non enim hic traditionem de Scriptura, sed traditionem dogmatum extra Scripturam disceptari, nôsti, vel nôsse debuisti. Sed parum id pensi habes, dummodo tibi, quod loquaris, non desit. Quàm rectè loquaris, nihil curas; verborum scilicet magna mole, non rerum momentis mecum decernere

Digitized by Google

statuisti, ut simplicibus glaucoma objiceres Siccine verò etiam Scripturæ Divinitas ex nullo Scripturæ textu probatur? Estne, Redingi, Divinitas Scripturæ toti, singulisque ejus textibus insita, necne? Si insitam negas, nil ab Atheo differs. Si affirmas, quomodo Divinitas Scripturæ ex nullo ejus textu probatur, quæ toti Scripturæ tam insita, tam nativa est, quàm Soli lux, igni calor, aquæ humiditas? 2. Si Scriptura potentiam non habet. Divinitatem suam demonstrandi ad omnem conscientiam, quomodo igitur se potuit demonstrare Ecclesiæ, quam de eadem unicè testari contenditis? Nemo de re sibi non manifestata, demonstrata testari potest. Quicquid Divinum est, tam Divinitatem suam demonstrat, manifestat, quàm ipse Deus. Nisi forte Divinitatem aliquam mortuam, exanimem blasphemè excogitare lubet. Neque hic textu opus est, cùm eo ipso, quòd Divina Scriptura tota agnoscitur, potentia talis ei necessariò tribuenda sit. Quanquam nec Scripturæ textus disertissimi desunt. Ex multis paucos, si dignabere, lege, veluti Deut. XXXII. 47. Esaj. LIII. 1. Matth. XIII. 23. Joh. V. 39 Rom. I. 17. 2. Cor. IV. 2. Ephes. VI. 17. 1. Tim. I. 15. nec non 2. Epist. III. 14. Hebr. IV. 12. Cicero singulos Euripidis versus singula vocat oracula. Idem Aristotelem aureum orationis flumen fundere testatur. Tu verò S. literas, non tam aculeis, quàm fulminibus adversus omnem impietatem instructissimas, nullam habere vim, potentiam nullam criminaris. Nempe tibi tuique similibus Scriptura est tecta, odor mortis ad mortem. Id verò non obstat, quò minùs sincera Dei Sapientia à Spiritu Dei per Scripturam in cordibus electorum insinuata, in iis fidem, amorem veritatis, charitatem, spem operetur. 3. Lutherus è Papatu recens de Epistolis quibusdam dubitavit, (neque enim Spiritus Dei omnibus fidelibus & eadem mensura datur) cùm vos totam Scripturam intolerandum in modum blasphemetis. Re tamen maturiùs expensa dubitare desiit. Sicut autem Sol non ideo potentiam sui manifestandi amittit, quia cœcutientes nonnulli ejus lucem diffusissimam intueri non possunt: ita nec Scriptura, quæ verissima lux & pedum lucerna est, potentiam manifestandi, & Divinitatem suam demonstrandi omnibus, amittit, quia ad eam oculos nonnulli claudunt, vel scotomate percussi alii eam inconnivis oculis intueri nequeunt. quod justo Dei judicio vobis hactenus contigit.

OBIECT. V. *Per traditionem continuatam habemus canonem scriptum. Traditio enim causa est, quòd epistola Pauli ad Ephesios, non item ea, quæ circumfertur ad Laodicenses, pro canonica habetur.* Resp. 1. Traditio sumitur vel *activè* pro actione tradentis, vel *passivè* pro doctrina & quidem ore tantùm tradita. De hac, non illa quæstio est. Canonem autem scriptum ad nos pervenisse *traditione*, nempe *activè* accepta, nulli negamus. Traditio talis non est dogma diversum à scripto canone, sed fidelitas Ecclesiæ, quæ est depositoria & custos canonis. Sic traditio codicis juris non est dogma vel lex in codice non scripta. 2. Quòd epistolam Pauli ad Ephesios, non item eam, quæ circumfertur ad Laodicenses, pro canonica habemus, ἀφορμὴ seu occasio est traditio ecclesiæ: vera & solida causa, explorata ejus divinitas.

EXCIP. REDING. *Canonem scriptum esse Divinitus inspiratum, est dogma fidei, quod per solam traditionem activè acceptam fidelitate ecclesiæ propagatam, ad nos derivatum est; & à scripto canone, tanquam principium à principiato, distinguitur.* Ib. p. 201. 202. Resp. Cœco Scripturæ odio occœcatus quid scribas, nescis. Etenim Scripturam esse canoni-

Digitized by Google

cam & Divinitus inspiratam, est fidei principium, non dogma, nedum dogma non scriptum in fidei illo principio. Tam enim Divinitas Scripturæ, quàm lux Soli, calor igni ingenita est. Licet igitur ecclesia Scripturam custodiat, vindicet, tradat, nec Divinitas tamen, vel ejusdem irradiatio & fulgor magis ab Ecclesia est, quàm lucis fulgor à φωσφόρῳ *lucifero*, lampada gestante & tradente.

OBIECT. VI. *Sensus cripturæ spertinet ad fidem. At is habetur non ex Scriptura, cùm ejus litera sit ambigua, & ex intentione Spiritus S. varios habeat sensus, qui à sola Ecclesia evolvi possunt: sed ex traditione ecclesiastica.* Resp. 1. Quid ergo relinquitur Scripturæ? Litera, apex pro arbitrio flexilis & mutabilis. At nobis Scriptura est in dogmate, in sensu, per quem Scriptura est id quod est. 2. Nec traditio *exegetica* sensus, quæ in Scriptura fundatur, arguit traditionem *didacticam* dogmatis non scripti. 3. Literæ ambiguitatem tollit intentio dicentis, analogia fidei, spiritualis rerum διάκρισις, aliáque subsidia. 4. Unicus etiam est ex consilio Spiritus S. Scripturæ sensus *historicus* & *grammaticus*, sicut unus spiritus est: sed unici illius sensus varia est utilitas & accommodatio, quæ ejus fœcunditatem & divitias, non ambiguitatem arguit.

EXCEP. REDING: 1. *Si litera & apex Scripturæ pro arbitrio flexilis est, quomodo supra literam fidum Scripturæ custodem dixisti? Illa tamen literæ & sensus custodia est à Divina providentia, hujúsque certitudo à traditione Ecclesiæ. 2. Sensui Scripturæ evolvendo inserviunt linguæ & artes liberales, quæ ad certitudinem fidei ingenerandam dirigi debent superiori & infallibili regula, verbo Dei, tradito utique, non scripto. 3. Quin & verbum Scriptum fide recipiendum est. Fides autem, utpote verbo scripto prior, nonnisi ex verbo tradito gigni potest. In S. Scriptura enim est materiale, puta characteres & signa veritatis sub ipsis latentis; & formale, veritas sub signis illis contenta, quæ verbo Dei non scripto tradita, & in mentibus fidelium propagata, & propaganda, licet characteribus, ceu vasis & instrumentis ejus consignata nunquam fuisset. 4. Et Scriptura & Patres testes sunt obscuritatis Scripturæ. Quomodo verò obscura est, si intentio dicentis, aliáque ejusmodi ambiguitatem tollunt? Neque ulla fidei analogia omnibus ex æquo patens ostendi potest, cùm nullam Dei verbum habeat evidentiam Dei attestantis, & lateat in speculo ænigmatico. Et numquid non hæretici quoque veteres diacrisin illam spiritualem etiam jactarunt? 5. Si unus est Scripturæ sensus, cur verba illa Psal. II. 7. Ego hodie genui te; Paulus Act. XIII. 33 explicat de Christi resurrectione, quæ Matth. XIX. 28. dicitur regeneratio: Augustinus verò Exposit. in eundem Psal. de æterna Christi regeneratione, nativitate temporali & incarnatione.* Ib. p. 201. 203. Resp. 1. Nugas denuo tuas audacissimas, proterve & jurate Scripturæ hostis, non solidi quicquam reponis. Etenim 1. non Scripturæ, sed verbi Divini fidum custodem dixi literam, eámque non mortuam, sed significantem, adeóque cum sensu conjunctam. Jamque etiam non Scripturam duntaxat & fidem universam, sed Providentiam etiam Dei traditioni tuæ subjicere audes? Scilicet nec Deus erit, nec prospectabit de Cœlo, nisi Papa tuus tradiderit! 2. Linguæ & artes ancillantur verbo scripto, quia eorum opera verba intelliguntur, res illustrantur, sine respectu ad traditionem ceu infallibilem regulam. Nam בָּרָא v. g. significat *creavit*, sive id ecclesia tua,

Papa

Digitized by Google

Papa tuus tradat, sive non tradat. Et in verbis: *Herodes est vulpes*, tacente traditione, tropum esse nôrunt omnes. Ubi enim traditio linguarum & artium in Scriptura explicanda usum definivit, determinavit, dijudicavit? Regula longè certior est tum ipsa Scriptura, & in ea dicentis scopus, dictorum series, analogia fidei; tum sanæ rationis & orationis, qua linguæ & artes diriguntur, sobrius usus. 3. Fidem verbo scripto, post Scripturam scilicet exaratam, priorem esse, adeóque ex verbo tradito, & ante Scripturam cognito, gigni, temerè pariter ac impiè asseris; ac ne probare quidem ulla ratione conaris. Est equidem fides ex auditu, auditus ex præconio, sed præconio scilicet Evangelii, nec Evangelii cujusvis, sed illius, quod scriptum est. Omnis enim revelatio post obsignatum canonem in Scriptura, non alibi uspiam, occurrit. Neque Evangelium, ex quo prædicato, ceu immortali semine, fides nascitur, in Scriptura non contineri, tam impudens es, ut negare ausis. Quomodo enim aliâs Scriptura ad salutem sapientem, quomodo perfectum, & ad omne opus bonum consummatum reddere potest? Et si formale, hoc est veritas Evangelii, sub materiali, hoc est, signis & characteribus Scripturæ, uti fateris, adeóque nucleus sub cortice continetur, annon igitur, vel te, mendaciorum tuorum immemore, judice totum Dei verbum in Scriptura continetur? Quæ aliâs portentosa foret insania, ex Scripturæ *materiali*, hoc est, characteribus & signis, nec non *formali*, hoc est, verbo sub iis contento, duplex verbum, scriptum & traditum cudere? Ita in qualibet Scriptura duplex erit verbum, *Scriptum*, hoc est, characteres, signa; & *traditum*, hoc est, veritas seu res characteribus illis comprehensa; & quidem, uti Tridentini tui sciscunt, (à quibus tu tamen revera descìscis) *pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendum* utrumque; hoc est, te ita decernente, & characteres ac signa, & res sub iis contenta. Ita cùm te sapientem putes, planè *ἐμωράνθης stultus factus es.* 4. Si Evangelium tibi obscurum, occultatum est, ex pereuntium, quorum Deus hujus Seculi mentes occœcavit, numero te esse, ipse tibi S. Paulus 2 Cor. IV. 3. testabitur. Revera manifestatione veritatis se ad omnem conscientiam commendat, uti ibidem v. 2. dicitur: adeóque est lucerna splendens in occulto loco, 2. Pet. I. 19. Sed claritas ea est *ἐν τῷ πρός τι*, & spirituales oculos, veram & vivam fidem, nec non subordinata media requirit. Neque ei obstat, quòd hic per speculum & in ænigmate videmus. Hoc enim non de iis, quæ revelata ad necessariam fidem & salutem sunt, sed de iis, quæ visioni reservantur, intelligi, manifestum est. Et quicquid jactaverint olim hæretici, sibi spiritualem *διάκρισιν* arrogantes, id omne nihil iis, qui verè & legitimè judicant, derogat. Neque enim si improbus rabula legem detorquet, uti vos Divinam soletis, id probo justóque judici præjudicat quicquam. 5. Verborum Dei Patris de filio, *Hodie genui Te*, Psal. II. 7. unus idémque sensus est, Filium Dei ab æterno ex substantia Dei Patris genitum, *ἴδιον proprium* & naturalem Dei Filium esse. Cùm verò id maximè in ejus vocatione ad Sacerdotium, & resurrectione ex mortuis innotuerit, ideo etiam tum impleta hæc esse, Scriptura testatur. non quasi tum genitus sit, sed quia ab æterno eum à Deo Patre genitum, adeóque verum ejus filium esse, ea ratione *ὁρισθέντα definitum*, demonstratum, manifestatum potenter est. Quid interim tibi *æterna* Filii *regeneratio* velit, nescio. Verba certè meram hæresin sapiunt.

OBIECT. VII. *Hæretici redargui possunt non ex Scriptura, quia eam ipsi etiam jactant, sed ex sola traditione ecclesiastica.* Resp. 1. Hæretici Scripturam, quam pervertunt & detorquent rabularum instar, jactant quidem, sed ex ea sensum suum non demonstrant. 2. Traditione *exegetica* sensus in Scriptu-

ra fundati rectè hæretici confutantur. Verùm ea non arguit traditionem *didacticam* novi dogmatis non scripti.

EXCIP. REDING: 1. *Propterea hæretici, rabularum instar, Scripturam torquent, quia traditionem Scriptura priorem non recipiunt.* 2. *Exegeticam sensus in S. Scriptura fundati traditionem fidei regulam esse, ex qua hæretici rectè confutentur, proba in Scriptura ipsa contineri. Veritas ea non ex Scriptura, sed ex traditione arcessenda est.* Ib. pag. 203. 204. Resp. 1. An ergo Judæi deuterotæ, & Pontificii paria facientes, Scripturam non torquent, quia utrique traditionis Scriptura prioris scutum prætendere solent? Scilicet verbum Dei Scripturâ traditum torqueri facilè, at ore pronuntiatum, quod auditores varios habet, & citò evanescit, nisi in cor fidele inciderit, torqueri non potest? 2. Exegetica sensus in Scriptura fundati traditio, non aliud est, quàm Scriptura ipsa, ex Scriptura scilicet explicata. Si Redingium audimus, ea ex traditione non scripta arcessi debet, & dogma non scriptum est. Nugatur pro more.

OBIECT. VIII. *Ex sola Scriptura sufficienter determinari non potest, qui sint articuli omnibus & singulis necessarii. Ergo ad id opus est ecclesiastica traditione.* Resp. 1. Si ecclesiastica traditio eos determinat, utique non vagatur extra Scripturam, sed eos in ipsis scripturis indicat. Quid hoc ad traditionem dogmatis non scripti? 2. Scriptura quidem quæ *necessaria* sunt, non apertè *necessaria* vocat. Docet tamen, quænam sit certa credendi ac agendi regula, quódnam fundamentum illud, ad quod omnia velut centrum suum referenda. Docet etiam, quæ vera prudentia & sapientia nostra, quæ vita & benedictio, quod fœdus & testamentum salvificum Dei, quod mysterium pietatis sit. Hæc sufficiunt abundé.

EXCIP. REDING: 1. *Veritas, qua apertè enuntiatur, qui articuli omnibus & singulis necessarii sint, est de fide. At illa non est scripta. Ergo dogma non scriptum.* 2. *Tibi fidei regula est propriæ conscientiæ instinctus. Ubi hoc scriptum est?* 3. *Fundamentum fidei, si potes, edissere.* Ib. p. 204. Resp. 1. Quomodo verò tu ex traditione extra Scripturam vagante veritatem eam docebis? Experire, ut videamus. Scriptura in regula & fundamento fidei implicitè necessaria omnia ostendit; & notas tradit, ex quibus necessaria explicitè cognosci possunt, ut alibi fusiùs ostendi. 2. Propriam conscientiam fidei regulam esse, nuspiam dixi. Sola revelatio Scripturis contenta fidei regula est. Illam verò se commendare omni conscientiæ, neque adeò alieno sensu, veluti Papæ, Cardinalium &c. sed proprio recipi cum πληροφορίᾳ ad salutem, S. Paulus Rom. XIV. 5. 2. Cor. IV. 2. testatur. Neque adeò propriæ conscientiæ persuasio verbo Dei, sed carbonariæ fidei vestræ opponitur. 3. Fundamentum ergo fidei nunquam tu, Redingi, in Scripturis legisti? Nunquam loco disertissimo Esaj. XXVIII. 16. 1 Cor. III. 11. Ephes. II. 20. ne innumera alia significem, evolvisti? Cujusmodi igitur est, quod traditio tua non scripta propinat, fundamentum fidei? Næ prodis quidvis asserendi libidinem, & inscitiam Christiano homine indignam!

OBIECT. IX. *Ea dogmata, quæ διαῤῥήδην non continentur in Scriptura, sed per consequentiam solam ex ea deducuntur, non ex Scriptura utique, sed sola traditione ecclesia-*

stica

Digitized by

stica cognoscuntur. Nam dogma per consequentiam ex Scriptura eductum, non est ipsa Scriptura, quia in omni Syllogistica consequentia id, quod concluditur, est ἕτερον τι τῶν κειμένων, diversum quid à positis. Accedit, quòd in tali consequentia semper una præmissa est Scriptura, altera rationis, quæ proinde ante traditionem ecclesiæ pro revelata haberi non potest. Resp. 1. Dogma ex Scriptura per consequentiam elicitum est ipsa Scriptura, teste Christo Matth. XXII. 29. ubi Judæos ignorantes dogma resurrectionis per consequentiam eruendum, arguit tanquam ignorantes Scripturas. 2. Conclusio licèt aliud sit à positis, continetur tamen in virtute & valore positorum, sicut definitio continetur in potestate & virtute definiti. Neque aliud hîc discrimen, quàm quòd intellectus humanus tardior non statim apprehendit, quod in valore verbi scripti continetur. Unde quod noster intellectus distinguit ut *diversum*, divinus intellectus apprehendit ut *idem*. 3. Conclusio ejusmodi quamvis sequatur ex una præmissa rationis, tamen eam ante ecclesiasticam traditionem fides apprehendere potest, quippe quæ ejusmodi λογισμὸν & ζήτησιν non excludit. Imò præmissa rationis in ejusmodi syllogismo nihil est aliud, quàm evolutio & declaratio termini scripti, ac proinde in tali deductione conclusionis totalis causa est Scriptura.

EXCIP. REDING: *Conclusio non tantùm, quatenus virtualiter & implicitè in præmissis continetur, sed etiam quatenus explicitè ponitur, est de fide. Neque tamen ut talis scripta est, sed principio traditionis ex ore Christi vel Apostolorum dimanantis, vel Conciliaris Ecclesiæ definitionis nititur.* Ib. pag. 204. 205. Resp. Perfunctoriè satis respondes; accuratiùs, etsi non solidiùs, Walenburgii, cœteríque Methodistæ vestri. Neque scio, an gregales tui concessuri sint, vel Tridentini etiam statuerint, traditiones, quas Romana Ecclesia venditat, nil aliud esse quàm conclusiones explicatas, in verbo scripto, ceu præmissa, implicitè & virtualiter comprehensas. Quomodo sic verbum scriptum & traditum sub eodem genere oppositæ species censebuntur? Quòd si conclusiones ex Scripturis legitimè deductæ, adeóque sic explicatæ, traditionum nomine vestire vobis libet, lis jam non de re, sed de solo nomine erit. Sed vestrarum tum partium erit, non jactare tantùm, sed solidè demonstrare, traditiones vestras dogmaticas, de quibus contendimus, & quas Scripturis contrariari pertendimus, ex verbo scripto per legitimam consequentiam deductis esse, & in ejusdem verbi scripti potestate, virtute & valore contineri. Hic rhodus, hic salta.

OBIECT. X. *Pro traditionibus intercedunt Patres. Basilius de Spiritu S. cap. 27. dogmatibus scriptis & Apostolica traditione propagatis vim eandem tribuit. Chrysostomus in 2. Thessal. II. multa sine literis tradita esse docet, eadem cum Scripturis fide digna. Augustinus de Baptismo contra Donat. IV. 24. quod universa tenet ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè credi asserit. Et traditionem ac præscriptionem passim urgent veteres.* Resp. Intelligi ab iis modò tradendi modum, modò traditionem vel *historicam,*

tized by Googl

historicam, vel *ritualem* liberam, vel *exegeticam*, de qua non controvertimus; non *didacticam* dogmatis in Scriptura non fundati, uti patet ex circumstantiis, quæ in locis citatis adhibentur. Unde Hieronymus in Haggæum cap. 1. *Quæ absque authoritate & testimonio Scripturæ, quasi traditione Apostolica, sponte repetunt & confingunt, percutit gladius Dei.*

EXCIP. REDING: 1. *Suntne traditiones, quas tu historicas vocas, humanæ, an Divinæ? Si humanæ, cur Patres dogmata eadem cum Scripturis fide digna, appellant? Si Divinæ, cùm exegeticis eas contradistinguas, didacticæ erunt.* 2. *Basilius l. cit. disertè scribit, dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, partim ex conscripta doctrina, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata, nos recepisse. Mox cap. 29. plurimas ejusmodi traditiones recenset, & qualescunque eæ sint, certè dogmata, qualia Divinitus inspirari debent, S. Pater appellat.* 3. *Chrysostomus quoque planè ex sententia Tridentini decreti l. cit. ait, Apostolos multa sine literis tradidisse, eadémque fide tam scripta, quàm non scripta digna esse.* 4. *S. Augustinus l. cit. de parvulorum baptismo, fidei utique articulo, loquens scribit, quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum, rectissimè credi. Alibi lib. V. contra Donat. cap. 23. agens de non rebaptizandis hæreticis, ait, multa universam tenere ecclesiam, & ab hoc ab Apostolis præcepta bene credi, quanquam scripta non reperiantur.* 5. *Hieronymus l. cit. loquitur de traditionibus non universis, sed de iis, quæ confictæ & sponte repertæ, tamen adinstar traditionum Apostolicarum jactantur.* Ib. pag. 205. 206. Resp. 1. Historicas & rituales liberas traditiones, à S. Patribus quandoque commendatas, dico esse humanas, quia Divinitus revelatæ nonnisi in Scripturis reperiuntur. 2. S. Basilii verba *de Spiritu S. cap. 27.* sic habent: Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως, διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα. ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς εὐσέβειαν. *Quæ in Ecclesia conservantur dogmata & prædicationes, has quidem* (videlicet prædicationes) *ex scripta doctrina habemus: illa verò* (dogmata) *ex Apostolorum traditione in mysterio disseminata suscepimus.* Τὰ κηρύγματα *prædicationes* ei sunt capita & articuli religionis Christianæ, quæ *dogmatum* nomine hodie veniunt: τὰ δόγματα *dogmata* ceremoniæ, instituta, & ritus, quorum non omnibus ratio constat, stylo scripturæ Act. XVI. 4. Ephes. II. 15. Col. II. 14. Si articulos fidei *dogmatum* nomine insignivisset ille, absurdissimè utique scripsisset, illa ex Apostolorum traditione, non ex doctrina scripta nos recepisse. An enim nulli fidei articuli, imò annon omnes scripti sunt? Imò statim Basilius dogmata sua vocat τὰ ἄγραφα τῶν ἐθῶν *consuetudines non scriptas*, quas τῷ Εὐαγγελίῳ καὶ κηρύγματι *Evangelio & prædicationi* opponit. Quin & in enumerandis dogmatum exemplis nulla sunt, nisi quæ ad ritus pertinent. In eorum enim genere ponit conversionem ad Orientem, signum crucis, invocationis in Eucharistia formulam, benedictionem aquæ baptismi & olei, trinam immersionem, genuflexionum, stationem, & similia. Frustra ibi purgatorium, missam, merita, cultum imaginum, invocationem Sanctorum, & similia requiras. 3. Chrysostomus Ecclesiam multa sine literis instituisse, rectè scribit, intelligens scilicet non articulos fidei, sed ritus & ceremonias, ad ordinem & decorum ecclesiæ pertinentes. quas tamen eandem fidem mereri, quam illi merentur, minùs rectè dixit. nisi forte id de generali servandi ordinis & decori præcepto 1. Cor. XIV. 40. intellexit. 4. Augustinus locis citatis

tatis nec de doctrina, seu articulis fidei, nec de Sacramentorum doctrina καθ' ὅλα & secundùm essentiam; sed de eorundem ἀγωγῇ, exemplis, & circumstantiis quibusdam loquitur. Neque enim dogma ipsum de non rebaptizandis hæreticis, ex traditione, sed ex Scriptura *lib. I. de Bapt. contra Donat. cap. 7.* manifestè arcessit, inquiens: *Ne videar humanis argumentis* (authoritatem ipsam ecclesiæ Catholicæ inter humana argumenta referens) *id agere, &c. ex Evangelio profero certa documenta.* Post *lib. II. 6. Adferamus,* inquit, *Divinam stateram ex Scripturis &c.* Et *lib. V. cap. 23.* disertè: *Scripturarum S. testimoniis non solùm ostenditur, sed planè ostenditur multos Pseudo-christianos, quamvis non habeant eandem charitatem cum sanctis, baptismum tamen communem habere cum Sanctis.* Quid quòd S. Augustinus ad Apostolicas traditiones, eo, quo dixi, sensu, refert ea, *quæ & universa tenet ecclesia, & semper inde ab Apostolorum temporibus tenuit?* Vestræ autem traditiones pleræque utraque illa conditione, nonnullæ altera destitutæ sunt. 5. Hieronymus in verbis à me citatis agit quidem contra illos, qui traditionum Apostolicarum prætextu aliquid confingunt, ut & vos soletis fictas traditiones Apostolis acceptas referre. Sed vis tamen totius testimonii ejus in verbis *absque authoritate & testimonio Scripturarum,* quæ vim habent argumenti, consistit. Hoc enim sibi vult, hæreticorum esse, aliquid invenire extra Scripturas, & quæcunque proferuntur, ex Scripturis confirmanda esse. Aliàs inepta foret locutio: *quæ hæretici absque authoritate & testimonio Scripturæ sponte repetunt atque confingunt,* rejicienda sunt. Quasi verò aut aliquid hæretici sponte confingere dici possint ex authoritate & testimonio Scripturarum: aut aliquid illi omnino confingere queant non rejiciendum. Quæ præterea Patrum pro traditionibus testimonia *pag. 189. &c.* collegisti, vel potiùs ex Bellarmino clepsisti, à Doctiss. Junio *Animadvers. ad Bellarm. Controv. I. lib. IV. 7.* solidè discussa, denuo ad incudem revocare nihil attinet.

QUÆSTIO II.

An præter libros canonicos V. T. utrinque receptos, ad canonem etiam pertineant libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, duo Machabeorum, Baruchi, additamenta ad Estherem & Danielem?

AFfirmat decretum de canonicis Scripturis. Nos negamus sequentibus argumentis.

ARG. I. Libri canonici sunt divinitus inspirati, & sub V. T. scripti à Prophetis, Rom. XVI. 26. 2. Pet. I. 19. Tales non sunt hi, quippe scripti post Malachiam, qui Canonem Vet. T. clausit & obsi-

 gnavit,

Digitized by Google

gnavit, Mal. IV. 4. Unde poſt Malachiam Prophetam nullum fuiſſe, fatentur Genebrardus & Sixtus Senenſis.

RESP. REDING: 1. *Si ſoli libri Prophetici V. T. canonici ſunt, legales, hiſtorici, morales canonici quoque non erunt. In ſenſu verò latiori etiam Machabæorum libros Egeſippus Propheticos vocavit. 2. Malachias legem Moſis commendans, numquid propterea canonem V. T. clauſit? Atqui etiam poſt à Machabæis inſtitutum eſt feſtum Encæniorum, ab ipſo Chriſto Joh. X. 22. celebratum: & Paulus Hebr. XI. 35. diſtentos quoſdam memorans, ad martyrium ſeptem Machabæorum digitum intendit.* Ib. p. 206. 207. Reſp. 1. Propheticus liber eſt, vel qui prophetias, ſeu vaticinia rerum futurarum majori ſui parte complectitur: vel qui nihil non Divinitus inſpiratum comprehendit: vel qui aliquid à Spiritu Dei inſpiratum continet. Primo ſenſu *prophetici* ſunt, qui κατ' ἐξοχὴν Prophetæ nuncupantur: ſecundo ſenſu reliqui V. T. libri, quos pro canonicis agnoſcimus, omnes: tertio, qui aliquid Divinitus revelatum continent. Atque tertio hoc ſenſu Propheticos dixerit Egeſippus libros Machabæorum: dicamus & nos. An propterea canonici ſunt? Scilicet, ſi canonici ſunt libri omnes fidelium, qui in rebus fidei Divinitus aliquid cognoſcunt. Prophetas igitur in hac quæſtione eos nuncupamus, quorum in Eccleſia authoritas in univerſum indubitata & θεόπνευστος eſt, quales controverſi non ſunt. 2. Malachias cap. IV. 4. 5. legis Moſaicæ obſervantiam, ejúſque commendationem ſeriam cum promiſſione Eliæ, ſeu Johannis Baptiſtæ connectens, manifeſtè V. T. canonem clauſit. Atque id ipſum quoque S. Theodoretus agnovit, in argumento ejus Prophetiæ ſcribens, *Moſen primum Divina reſponſa nobis perſcripta reliquiſſe, Malachiam poſt omnes* (adeóque poſtremum) *Divina oracula ſcriptis mandaſſe.* 3. Feſtum Encæniorum nec Divinitus inſtitutum, nec ab authore θεοπνεύστῳ deſcriptum, nec à Chriſto, ceu Divinitus inſtitutum, celebratum eſt. Johannes enim cap. X. 22. Encœniorum equidem, ceu circumſtantiæ temporis, quo Chriſtus cum Judæis de perſona ſua ſermocinatus eſt; non ceu vel inſtituti Divinitus, vel à Chriſto celebrati, meminit. Et ſi Machabæorum liber propterea, quia Martyrium ſeptem fratrum, à S. Paulo etiam inſinuatum, memorat, canonicus eſt: quot Martyrologia, quot authores à S. Scriptoribus citati canonici erunt? Quid argumentis Redingianis futilius?

ARG. II. Libri canonici V. T. eccleſiæ Judaicæ traditi ſunt, Rom. III. 2. At libri hi traditi ei non ſunt, tum quia nec veteres, nec recentiores Judæi in catalogo ſuo eos recenſent: tum quia canon V. T. confectus eſt ab Ezra, cujus tempore Apocryphi non extiterunt: tum quia veteres, Hieronymus in prologo Galeato, Epiphanius in hæreſi Epicuræorum, Iſidorus, quin & ipſe Sixtus Senenſis, canonem Judaicum recitantes, librorum Apocryphorum non meminerunt: tum quia Hebraicè non ſunt ſcripti: tum denique quia nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis ſunt agniti.

RESP. REDING: 1. *Ita Judæis credita ſunt oracula Dei, ut tamen plurima ipſi, ceu latentia ſub velamine quodam, non agnoverint, verùm Eccleſia demum Chriſtiana eruerit. Proin Catalogus Eſræ, de quo non ex Scripturæ teſtimonio, ſed traditione Rabbinica, ab Eccleſia probata, conſtat; definitionibus Eccleſiæ non obſtat. Neque enim eo definitum eſt, ne alii poſthac libri in Canonem recipiantur. Quid enim, ſi poſt confectum illum Catalogum repertus*

Digitized by Google

repertus fuiſſet liber aliquis antea perditus, veluti liber bellorum Domini, &c. an in canonem ille recipi propterea non potuiſſet? 2. *Neque proin obſtat, quòd veteres nonnulli, Hieronymus, Epiphanius, Iſidorus, Judaicum canonem recitantes librorum controverſorum non meminerunt. Neque enim à Chriſtianis in canonem recipi poſſe, iccirco negarunt; ſed ſententiam ſuam Eccleſiæ judicio ſubmiſerunt; quæ etiam fidei articulos quoſdam ſub Divinæ revelationis modio per aliquot Secula latitantes ſuper candelabro poſuit.* 3. *Imò verò libri controverſi Hebraicè ſcripti ſunt omnes; Sapientiæ liber à Solomone; Eccleſiaſticus à Jeſu filio Sirach Hieroſolymitano, Hieronymo Præfat. in Proverb. teſte: Tobias & Judith ex Chaldæo Latinè ab Hieronymo facti: Machabæorum primus ab Hieronymo Hebraicè lectus.* 4. *Oſtende pariter ex S. Scriptura, Moſis, Prophetarum, Regum, aliósque libros à Chriſto & Apoſtolis pro canonicis agnitos eſſe. Ex ſola id traditione conſtat, quam infallibiliter decernere ſola Eccleſia poteſt. ſicut etiam in Tridentino Concilio decrevit.* Ib. p. 207--210. Reſp. 1. Quomodo Judæis, non utique infidelibus, ſed fidelibus, apud quos ſolos veram Eccleſiam ſuam Deus conſervavit ad Chriſtum uſque, credita à Deo oracula S. Paulus dixit, quæ illi nunquam receperunt, pro Divinis & Canonicis nunquam agnoverunt? At libros controverſos nunquam illos recepiſſe, nunquam pro Canonicis agnoviſſe, adeò certum eſt, ut ipſimet in dubium revocare non audeatis. Neque quod traditum illis eſt, ita ſub velamine latere potuit, ut demum Chriſtiana Eccleſia erueret, quia traditio apud fideles & receptionem, & uſum continuum arguit. Alias fruſtra Deus tradidiſſet. Canonem porro collectum & conſtitutum eſſe à viris piis, ſeu Concilio magno Antiſtitum Eccleſiæ, quod אנשי כנסת הגדולה *viros Synagogæ Magnæ*, nec non בית הדין *domum judicii* (Redingius pro eruditione ſua Hebraica *Bethain* & *Reneſeth* vocat) moderante Eſra, Scriptore etiam *Θεοπνεύστῳ*, Patres vetuſti, Irenæus *lib. III. 25.* Tertullianus *lib. de habitu mul.* Clemens Alexandrinus *lib. 1 Strom.* Chryſoſtomus *homil. 8. ad Hebr.* Hilarius & Theodoretus *Præfat. in Pſalmos*, aliique, propitia haud dubiè Judæorum fidelium inde ab Eſra traditione, de qua fusè Celeb. Buxtorfius pater *Comment. Maſoreth-cap.* 11. retulerunt. quæ traditio hiſtorica de canone nihil traditioni Pontificiæ de dogmatibus fidei & morum extra canonem patrocinatur. Neque etiam, ſi libros quoſdam perditos poſtliminio reſtitui contigiſſet, Canoni ab Eſra collecto aſſui illi meruiſſent, quia ita perditi canonici nunquam fuerunt. 2. Nunquam veterum quiſquam aſſeruit, fas eſſe Eccleſiæ Chriſtianæ libros ante Chriſtum ſcriptos, à fideli Eccleſia Judaica inde à ſcriptionis initio in canonicorum cenſu nunquam habitos, authoritate Canonica donare. Et Canonica authoritate propriè dicta donare ſuſtinuit veterum nemo. Soli Tridentini Paterculi, vel potiùs eorum idolum Paulus III. nefas attentavit, & humanis ſcriptis Divinam authoritatem arrogare, homo nauci, nullus dubitavit. Neque etiam unquam vel fidei articulus, ad ſalutem cognitu neceſſarius, vel liber Canonicus ullus ita ſub modio delituit, quin ſemper in candelabro verbi Dei Scripti eminuerit, micueritque, & à fidelibus etiam agnitus fuerit. Nulla enim extra Scripturam authentica articulorum fidei definitio uſpiam extat. 3. De originali apocryphorum idiomate ſic pro certo habe. Græcè Scripti ſunt libri integri; Sapientia, (cujus author fuit Solomon non verus, ſed perſonatus, forte Philo Judæus, uti apud Hieronymum nonnulli cenſent) Baruch & Machabæorum poſterior; tum, quod eſt abſurdiſſimum, partes Eſther & Danielis. Sapientiam Hieronymus *Prologo in libros Solomonis* teſtatur, apud Hebræos nuſquam eſſe, & ſtylum redolere Græcam eloquentiam: Baruch verò *Præfat. in Jerem.* apud Hebræos nec legi, nec haberi. De Machabæorum ſecundo in Prologo Galeato: *Græcus eſt, quod ex ipſa quoque phraſi probari poteſt.* Librum

Esther ab editione vulgata corruptum plurimis additionibus, idem asserit: erat autem editio illa Græca. De additamentis Danielis idem: *Apud Hebræos nec Susannæ habes historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis Draconisque fabulas.* Sed & Tobiam & Judith non Hebraicè, sed Chaldaicè Scriptos, & à se translatos testis, idem est. Et tamen pridem textus ille Chaldaicus, quod Canonicorum librorum originali textui, quem Deus ad astruendam ex eodem fidem sua providentia conservat, non accidit, periit. Ecclesiasticum & primum Machabæorum se Hebraicè vidisse, non tamen transtulisse, idem testatur. Proinde id duntaxat, quod Græcè scriptum erat, habemus. En plerosque scriptos Græcè, nonnullos Chaldaicè, Hebraicè paucos, eósque amissos. Canonicum autem Veteris Testamenti textum, populo Judaico fideli traditum, populi ejusdem lingua vernacula scribi, atque illibatum integrúmque in Ecclesia Dei perdurare oportuit. 4. Siccine verò Christum & Apostolos Mosis & Prophetarum libros pro Canonicis agnovisse, non ex ipsa Scriptura, sed ex sola traditione constare? Qui ergo libri sunt *Mosis, Prophetarum, Psalmorum,* qui à Christo testes de se, & impleti implendíque Luc. XXIV. 44. inducuntur? Aliine, quàm ii, quos Deus populo fideli Judaico tradidit, quósque ille pro Canonicis & merè Divinis agnovit? Et quam mihi, Redingi, traditionem monstrabis, ex qua, Christum & Apostolos libros controversos in Canonicorum censu habuisse, constet? Nisi forte traditio talis est vox & decretum Tridentinorum aliquot Patrum, vel potiùs Papæ Pauli III. definientis id, quod nec Christus, nec Apostoli, nec vetus saniórque Ecclesia unquam docuit, definivítque.

ARG. III. Neque ecclesia Christiana vetus sive Græca sive Latina pro canonicis eos unquam habuit, quin potiùs sub apocryphorum nomine eos depressit. Judaicum canonem, cujus pars nulla sunt hi apocryphi, laudant Clemens, Melito Sardicensis, Athanasius, Hieronymus, ipsum Concilium Laodicenum.

RESP. REDING: 1. *Ita Clemens, Athanasius, aliique Patres Canonem Judaicum laudarunt, ut controversos ex Canone non excluserint. Quinimò pro iis, ceu Canonicis, aperta testimonia iidem tulerunt.* 2. *Neque Patrum pro singulis libris controversis diserta testimonia desunt.* Ib. pag. 210--215. Resp. 1. Clemens, Athanasius, Hieronymus, ipsúmque Laodicenum Concilium, Canonem librorum κατ᾽ ἐξοχὴν Canonicorum recensentes, non Judaicum Canonem, sed libros Canonicos utriusque fœderis Christianis legendos se recensere testantur. Si præter eos, quos Judæi fideles pro verè Canonicis habuerunt, alios à Judæis non agnitos Canonicos illi censuissent, utique Canonem à Christianis legendum recensentes, illos neutiquam omisissent. Ita Clemens Rom. *Constit. lib. II. 57.* lectorem, Christianum scilicet, *ex loco edito legere* jubet *libros Mosis, Jesu Nave, Judicum & Regum, Paralipomenon, Esdram, Job & Solomonem, sexdecim Prophetas. Peractis verò,* inquit *binis lectionibus de binis libris alius quispiam Davidis Psalmos canat, populus verò initia versuum, quæ dicuntur acrosticha, succinat.* Si vel Judæi fideles ante Christum, vel Christus ipse, vel Apostoli, vel Apostolici viri controversos vel admisissent, vel adoptassent, numquam eos Clemens reticuisset. Athanasius in Synopsi, πᾶσα, inquit, γραφὴ ἡμῶν χριστιανῶν θεόπνευστός ἐστι. οὐκ ἀόριστα δὲ, ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα καὶ κεκανονισμένα ἔχει τὰ βιβλία. *Universa Scriptura nostra Christianorum Divinitus est inspirata: neque infinita, sed determinata, & in Canonem redacta habet volumina.* Deinceps

Veteris

Veteris & Novi Teſtamenti libros ſimiliter atque nos, enumerat. Eundem planè Catalogum Hieronymus Epiſtola ad Paulinum recenſens, ſcribit, *illa* (quæ & nos ſingula, nec plura, nec pauciora amplectimur) eſſe *Novi ac Veteris Teſtamenti volumina, quæ ſecundùm Majorum traditionem per ipſum Spiritum S. inſpirata creduntur, & Eccleſiæ Chriſti tradita.* Sed & Laodicenum Concilium *Can.*59.60. negans *oportere libros, qui ſunt extra Canonem, legere, niſi ſolos libros Canonicos Veteris & Novi Teſtamenti,* ſtatim Canonicos eoſdem, quos & nos agnoſcimus, juxta Dionyſii Exigui verſionem, nec plures nec pauciores, enumerat. Quid verò multis? Controverſos non pauci non tantùm non inter Canonicos numerant, ſed ex eorum cenſu diſertis verbis excludunt. Origenes apud Euſebium *lib.VI.*25. poſt Canonicorum enumerationem: ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ Μακκαβαϊκά. *Extra hos ſunt Machabæi.* nullo loco vel nominatis, vel ſignificatis reliquis. Athanaſius in Synopſi: Ἐκτὸς δὲ τούτων εἰσὶ πάλιν ἕτερα βιβλία τῆς παλαιᾶς διαθήκης οὐ κανονιζόμενα μὲν, ἀναγινωσκόμενα δὲ μόνον τοῖς κατηχουμένοις ταῦτα. *Extra hos* (Canonicos V. T. ἀνεξαιρέτους) *ſunt iterum alia volumina V. T. quæ in Canonem quidem non referuntur, à catechumenis tamen leguntur.* Tum nominat Sapientiam Solomonis, Sapientiam Jeſu, filii Sirach, Eſther, Judith, Tobiam: Machabæos verò nullo loco, perinde ac ſi ne noviſſet quidem. Neque aliter Euſebius ipſe *Chronico ad annum* 1. *Seleuci*; Epiphanius libello *de ponderibus & menſuris*, Hieronymus *Prologo Galeato*, aliique à nobis alibi citati. 2. Patrum teſtimonia, quæ pro ſe Redingius pompoſè jactat, neutiquam cauſæ noſtræ obeſſe, imò determinationem controverſorum in Canonem receptorum noviſſimam eſſe, decimo ſexto demum Seculo à Tridentinis paucis cuſam, & antiquitati univerſæ prorſus incognitam, ſcriptis vernaculis, Othoni Jeſuitæ oppoſitis, fusè juxta ac ἀποδεικτικῶς probatum cùm dederim, heic operam ludere non libet. Unum dicam, nutare prorſus argumentationem Redingii, arceſſitam ex iis veterum teſtimoniis, quibus hic vel ille liber controverſus vel nudè, vel *Scripturæ* etiam titulo; vel ceu *ſacer*, *Canonicus*, *Propheticus*, *Divinus* citatur. Ii ipſi enim, qui eos à Canone fidei diſertis verbis removent, hoc ſubinde modo eos citant. Nec qui liber ita citatur, propterea Eccleſiæ ceu inſpiratus per omnia à Spiritu S. in Canonem perpetuum fidei & morum traditus agnoſcitur. Aliud nempe eſt *Scriptura, liber ſacer*, aliud Scriptura, liber ſacer κατ' ἐξοχὴν talis, immediatè per omnia à Spiritu S. inſpiratus. Aliud liber *Canonicus* quoad Canonem lectionis, aliud quoad fidem & mores: aliud *Propheticus* ob narrata in eodem vaticinia nonnulla, aliud ob indubitatam authoritatem & Divinam inſpirationem in omnibus: aliud *Divina*, in nonnullis, aliud in omnibus. Hoc, non illud librum propriè Canonicum, de quo nos controvertimus, arguit. Sacros autem, Divinos, Canonicos, propheticos eo, quo diximus, ſenſu, nuncupant oppoſitè ad apertè prophanos. quo ſenſu ejuſmodi titulos ſubinde etiam veteres ſcriptis Patrum, Pontificum & Conciliorum, attribuerunt. Hæc alibi fuſiùs diſcuſſimus.

ARG. IV. Libi canonici inſita habent divinitatis ſuæ argumenta & ſignacula. At libri hi controverſi non habent, quippe qui ſuſpecta multa habent, mendacia, fabulas, frivola, ἀσύστατα, impia, magica. Ex multis conferantur Sapient. VIII. 19. 20. Eccleſiaſt. XLVI. 20. Tob. V. 7. 8. VI. 8. Judith. IX. 2. 2. Machab. XIV. 42. XV. 39. cum II. 24. Eſdr. VI. 49. Quæ pauca, cujus metalli ſint reliqua, demonſtrant.

Digitized by Google

RESP. REDING: 1. *Horrenda temeritas, libros Eccleſiæ judicio probatos, tanquam Canonicos, talem in modum proſcindere!* 2. *Quid verò impium Sapient.VIII.19.20. ubi Solomon in ſua vel Chriſti perſona propheticè loquens, ait, ſe ſortitum eſſe animam bonam, cùmque eſſet magis bonus, veniſſe ad corpus incoinquinatum? Quid Eccleſ.XLVI.23? Quid Tob.V? Quid Tob.VI.5. ubi fumo cordis ex piſce extracti Divinitus inditur myſtica ſignificatio & virtus dæmonis expultrix? Quid Judith.IX.2. ubi conformiter cum Geneſ.XXXIV. 17. Juditha Deum orat vindicem, qui etiam Simeoni gladium vindicem dederit? Locum 2.Machab.XIV. 2. Sixtus Senenſis expedivit. Librum Eſdræ ipſa Tigurina Biblia inter Canonicos numerant. Et tu ei impia impingere non dubitas.* Ib. pag.214. Reſp.1. Eccleſiæ Tridentinæ, vel Conciliabuli noviſſimi paucorum Epiſcoporum Italorum, eorúmque imperitiſſimorum, contra fas omne & conſenſum veterum, judicio probatos libros ibi impietatis, fabularum, mendaciorum &c. arguere, ubi ea manifeſtè extant, nulla equidem temeritas eſt. Tibi erroribus imbuto, incocto ita videtur: non bonis, doctis, cordatis, ſcapham ſcapham, & ligonem ligonem appellare ſuetis. 2.Sap.VIII.19.20. nec Solomon, nec Chriſtus, ſed Judæus quiſpiam Pythagoricus apertè μετεμψύχωσιν Pythagoræ tuetur. Eccleſiaſt.XLVI. 23. author libri ejus, deceptus ſpecie verborum, quæ 1.Sam. XXVIII.15.16. extant, necromantiæ velificatur. Tobiæ V.7–18. & VII.2. perſonatus ille Angelus mentitur, ſe eſſe Azariam, Ananiæ M. filium, ex filiis Iſraël, ex tribu Nephtali, & civitate Nineves. Neque impietate magica medicina iſta à Medico eo commendata, qua incenſa jecore piſcis dæmonium fugari cap.VI.8. &c. ſuaſit, caret. Nam vel Divinitus inditam fumo illi ſignificationem myſticam, vel virtutem ſupernaturalem dæmonii averruncam eidem inhæſiſſe, fruſtra Redingius aſſerit. Alia longè pellendorum dæmonum media Chriſtus Matth.XVII.21. inſinuat. Judithæ cap.IX. 2.12.-18. coll. cum cap.VIII.8. Judith & inducitur & laudatur non obſcurè approbans facinus Simeonis & Levi, à Spiritu S. Geneſ.XLIX.5.6.7. exſertè damnatum; quin & ipſa Deum, ut facinoris damnati authorem, alloquitur. Taceo ejuſdem lenocinium minimè pium, mendacio, perjurio ac profanatione nominis Divini cumulatum, capitibus IX.X.XI. Sed & 2.Mach. XIV.42. minimè pium eſt, quòd laudatur Razias ſe ipſum interficiens. qua cauſa motus S.Auguſtinus *de Civit. D. lib.XVIII.36.* eundem librum ex Catalogo Canonicorum expunxit. Quartum Eſdræ nunquam Canonicos inter Tigurina Biblia retulerunt. Retulit tamen non obſcurè Genebrardus, à Bellarmino propterea increpitus.

ARG. V. Chriſtus totum V.T. diſtribuit in Legem, Prophetas & Pſalmos, Luc.XXIV.44. Cùm verò è Prophetarum claſſe apocryphi iſti excludantur, inter legalia & Pſalmos multò minùs locum invenient.

RESP. REDING: 1. *Pari ratione univerſos libros hiſtoricos, utpote nec ſub lege, nec ſub Prophetis, nec ſub Pſalmis comprehenſos expunxeris.* 2. *Neque Chriſtus ibi V.T. diviſionem inſinuat, ſed, quibus in libris de ſe ſcriptum ſit, nudè commemorat.* Ib. p.214. Reſp.1. Hiſtorici quo ſenſu ſub Propheticis contineantur, alibi diximus. Scripti nempe ab iis ſunt, qui Prophetiæ dono pollebant, licet ad prophetandum ita, uti Prophetæ κατ' ἐξοχὴν dicti, vocati non fuerint. 2. An ergo in libris hiſtoricis nihil de Chriſto ſcriptum ais? An nihil in iis *δέον πληρωθῆναι quod deceat impleri*, continetur? Atqui Chriſtus ſimpliciter *πάντα omnia*, quæ impleri decet, memorat; eáque ad *legem, Prophetas & Pſalmos*, diſtinctione omnium V. T. librorum apud Hebræos recepta, reducit.

ARG. VI.

Digitized by Google

ARG. VI. Concilio Tridentino non fuit fas annumerare canonicis, quos eccleſia pro canonicis nunquam habuit. Vel enim hoc fuit authoritatis illius Concilii, vel fidelitatis. Non prius, quia non majori authoritate pollebat quàm vetus. Non poſterius,quia Eccleſia Tridenti collecta non fuit fidelior Eccleſia veteri. Neque eccleſia poſteriorum temporum pejor & corruptior,teſtis fieri potuit canonicæ librorum authoritatis, quorum teſtis fieri non potuit eccleſia prior & purior, & documentis argumentiſque abundantior.

Resp. Reding: 1. *Imò libri illi antiquitus pro Canonicis habiti ſunt.* 2. *Pro libris hiſce controverſis, tanquam Divinis, Orthodoxi Patres ex traditione ab Apoſtolis accepta jugiter teſtimonia tulerunt. Illa tamen traditio ſub modio latebat, donec per authoritativam Conciliorum Nicani, Carthaginenſis, Florentini, Tridentini definitionem ſupra Eccleſiæ candelabrum poneretur.* Ib. pag. 214. 215. Reſp. 1. Quomodo antiquitas Conciliis Oecumenicis prior pro Canonicis libros eos habuit,quorum Divinitatem ſub modio tum latuiſſe,ſciſcis? 2. Quid verò hic traditionem Apoſtolicam memoras, & quidem ſimul ſub modio ad Concilia uſque latentem, ſimul ab Orthodoxis Patribus jugiter teſtatam? Næ flas ſimul ſorbéſque. Mirum ſanè, Apoſtolos ſub N. T. alium Canonem V. T. tradidiſſe, quàm fuit unquam illi Eccleſiæ traditus; & tradidiſſe id,cujus in ſcriptis eorum nec vola nec veſtigium extat, quódque traditum ab iis eſſe, nemo etiam S. Patrum prodidit. Quòd ſi talis traditio in Eccleſia recepta fuiſſet, ut Apoſtolica, tot Patres in exponendo V. T. Canone Hebræos,traditioni huic adverſantes,ſecuti non eſſent. quod tamen feciſſe eos,Bellarminus ipſe ultro fatetur. 3. Nec Nicænum, nec Carthaginenſe,nec Florentinum Concilium traditionem illam ſub modio latentem,ſupra candelabrum Eccleſiæ ſtatuerunt. Solis Tridentinis Paterculis in fœce illa mundi tam beatis eſſe contigit,ut *per authoritativam definitionem*, ſic enim loqueris, quod antehac nec erat,nec ſub modio latebat,candelabro imponeretur,majorem ſic & fidelitatem & authoritatem,quàm quæ Chriſti, Apoſtolorum, totiúſque præcedentis Eccleſiæ fuit,ſibi arrogantibus, non ſine inauditæ temeritatis crimine. quæ argumenti vis fuerat.

ARG. VII. In ipſo Concilio divortium fuit de iis libris quatuor ſententiarum,uti videre eſt apud Hiſtoricum lib. II. Aloyſius Catanæus contenderat,duplicem librorum ſeriem fieri oportere,ita ut in una collocentur ſoli ſine controverſia canonici, in altera reliqui, citans pro ſe Auguſtinum,Gregorium,Hieronymum,Cajetanum.Hic ſanè cum ſuis in Concilio aſſeclis noſter fuit. Qui triplicem fieri ſeriem expetierunt,non minùs noſtrarum partium fuerunt. Qui catalogum librorum ſimpliciter poni ſine ulteriore mentione cupierunt,noſtri etiam fuerunt.

Resp. Reding: 1. *Ita Suavis tuus finxit. Aliter Pallavicinus, à Bertrando nimirum & Seripando diviſionem propoſitam, ſed à nemine laudatam eſſe.* 2. *Poſito, partitiones ejuſmodi in congregatione propoſitas eſſe, quid hoc ad rem? Omnes Theologi illi parati erant ſententiam ſuam Concilii definitioni ſubjicere.* Ib. pag. 215. Reſp. 1. Suavis meus ita affirmat.

Pallavi-

Pallavicinus tuus nec negat, nec affirmanti dicam mendacii ullam impingit; imò narratione sua Suavis narrationem confirmat. Narrat enim, *Histor. C. T. lib. VI. II: 4.* Bertranum ac Seripandum, Præsidem Concilii utrumque, proposuisse: *An expediret sacros libros in duas classes partiri; alteram eorum, quæ ad promovendam populi pietatem pertinent, & propterea ab Ecclesia recepti sint tanquam boni, cujusmodi sint Proverbiorum & Sapientiæ libri, nondum ab Ecclesia probati tanquam Canonici; alteram eorum, quibus fidei dogmata innituntur.* Addit, Seripandum per libellum eruditissimum ea gratia scriptum promovisse sententiam, qua divisio suadebatur: sed *sua specie Patres non allexisse, nec laudatorem invenisse.* Cæterùm proponente ita, quin & promovente divisionem Seripando, quis dubitet sententiarum illa divortia, quæ Suavis memorat, Theologos distrahere potuisse? Neque obstat, quòd aliter animatos fuisse Patres, Pallavicinus innuit. Illi enim plerique omnes rerum rudes, molestiam talia exactiùs trutinandi subterfugientes, nodos à Theologis fixos secare quàm solvere maluerunt. 2. Theologorum porro erat rem sibi compertam una cum aliis definire, non indoctorum Episcoporum lubricæ definitioni subjicere.

ARG. VIII. Denique non desunt inter Pontificios, nominatim Montanus, Sixtus Senensis, & alii, qui decretum hoc Concilii controversum faciant, negéntque eo sensu accipiendum, quò vulgò accipitur.

RESP. REDING: *Montanus in Tridentina Synodo novum librorum illorum examen instituendum esse, apertè negavit. Sixtus Senensis verò disputat quidem, an appendix libri Esther decreto Tridentino contineatur. Sed judicium tamen suum Ecclesiæ judicio subjecit.* Ib. pag. 215. Resp. Prudenter satis Montanus, ratus haud dubiè, non cudendum esse novum Canonem, sed inhærendum veteri, ab universa fidelium Judæorum & Christianorum ecclesia approbato. Sixtus verò Senensis *Biblioth. S. lib. I.* simpliciter negat, Canonem Tridentinum intelligendum esse *de laceris quibusdam appendicibus, & pannosis additamentis, à quovis incognito authore temerè appositis, & utcunque insutis.* inter quæ Esteræ additamenta disertè refert, nullo judicii ad ecclesiam relati apice.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Libri hi controversi ante Christum in canonem recepti sunt. Tobias & Ecclesiasticus in Synodo Hierosolymitana coacta tum, cùm vertenda esset S. Scriptura in Græcum, tempore Eleazaris A.M. 3860. Cæteri A.M. 3950. in alia Synodo Hierosolymitana, coacta ad probandos Pharisæos sub Hircano.* Resp. Genebrardus, Grezerus, Bailius, Serarius, aliique similes bonæ famæ decoctores, quos ipsi Papistæ candidiores refutant, hoc temerè finxerunt. Si Synodi hæ quidquam tale statuerunt, cur utroque posteriores Philo & Josephus numerum librorum 22. retinuerunt? Cur veteres, quorum testimonia sunt in Thalmude, rejecerunt? 2. Ne dicam, Synodis illis post finitum Prophetiæ donum integrum non fuisse, authores non Prophetas recipere in Canonem.

EXCIP. REDING: 1. *Cave, ne bonæ famæ decoctorem tu audias.* 2. *Testimonium negativum Josephi & Philonis ne teruntium valet. Neque illi adversus posteriorem Catalogum quid-*

quidquam ſtatuunt, ſed ab eo tantùm abſtrahunt. Et Joſephus lib.I. contra Apionem non negat, controverſos libros fide dignos eſſe, ſed tantùm, ſimili cum reliquis viginti duobus fide dignos eſſe. 3. Egregium verò Thalmudis impii teſtimonium. Et tamen Rabbini in utroque Thalmude plures Eccleſiaſtici gnomas citant. 4. Finito prophetiæ ſtrictè ſumptæ dono, libros controverſos S. Patres Propheticos vocarunt. Nempe etiam poſt Urim & Thummim, vel certè Bathkol, id eſt, filius vocis, viguerunt. per quæ oracula Judæi, qui libri Divini eſſent, percontari potuerunt. Ib. p.215.216. Reſp.1. Cavendum mihi non fuit, ne bonæ famæ decoctorem audirem. Audivi enim poſt multos alios decoctorem, ſed non decoctor. 2. Teſtimonium negativum validè arguit, ubi teſtimonium dicendum fuerat. At Joſepho inſtituenti Canonem librorum Divinorum recenſere, teſtimonium pro controverſis dicendum omnino fuerat, ſiquidem in Divinorum cenſu eos habuiſſet. Neque illi à poſteriore Catalogo abſtrahere potuiſſent, quia ſic non verum perfectúmque populi Judaici Canonem recenſuiſſent, ſed peſſima fide eundem mutilaſſent: quin imò apertè mentiti eſſent. Negat enim Joſephus *lib.I. contra Ap.* eſſe apud Hebræos *μυριάδας τῶν βιβλίων infinitos libros* Canonicos, & aſſerit, apud eos eſſe *δύο μόνα εἴκοσι βιβλία τὰ δικαίως πεπιστευμένα solos duos & viginti libros, quorum juſtè fides admittitur*; cóſque ordine ita numerat, ut ab iiſdem excludat reliquos poſt Artaxerxen ſcriptos, adeóque controverſos etiam. An igitur de controverſis Redingius dixerit, eorum *fidem non juſtè admitti*, quod de iis Joſephus dixit? Imò ſubjicit idem: *τοσούτου αἰῶνος ἤδη παρῳχηκότος οὔτε προσθεῖναί τις οὐδὲν, οὔτε ἀφελεῖν αὐτῶν, οὔτε μεταθεῖναι τετόλμηκε. Tanto Seculo jam præterito neque adjicere quicquam aliquis* (viginti duobus) *nec auferre, nec transferre præſumpſit.* Non igitur etiam Synodus illa Hieroſolymitana gemina præſumpſit. Et quomodo propriè & *κατ' ἐξοχὴν* Divini, Canonici ſunt controverſi, de quibus, utpote poſt Artaxerxen ſcriptis, idem Joſephus: *πίστεως οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν, prioribus* (viginti duobus) *ſimili fide digni non fuerunt.* An quod Divinum, Canonicum, propheticum propriè eſt, ſimilem cum reliquis Divinis, Canonicis, propheticis propriè dictis fidem non meretur? Quò te, Redingi, ineptiæ tuæ abripiunt? 3. Thalmudis judicio equidem nulli ſtamus. Si tamen Synodi Hieroſolymitanæ Canonem Eſdræ auxiſſent, ratio dici nequit, cur eoſdem Magiſtri vetuſtiſſimi obelo confixuri fuerint. Et quot Canonicos habebimus, ſi ſinguli in Thalmude citati Canonicorum Catalogo inſerendi ſunt? 4. Quo ſenſu *Propheticos* nonnullos veteres dixerint, ſupra explicavimus. Quæ verò de *Urim & Thummim*, nec non בת קול *Bath Kol*, ſeu *Filia* (non *filio*. בת enim fœmininum eſſe, diſcere ex Grammatica poteras) *vocis* ſcribis, levitatem potiùs quàm ſoliditatem ullam produnt. *Potuerunt*, inquis, *Judæi poſt ceſſans prophetiæ donum, per ea oracula percontari libros Canonicos.* Sed quis Hebræorum, quis Chriſtianorum veterum teſtis eſt, percontatos eſſe? Quis, oracula ejuſmodi requiſita reſpondiſſe, Canonicos eſſe, quos nos apocryphos ſtatuimus? Quinimò Hebræorum veterum plerorumque conſtans aſſertio eſt, Urim & Thummim ſub Templo ſecundo vel prorſus non fuiſſe, ſaltem quoad uſum & reſponſa Divina ex illis elicita, quæ anima eorum fuerunt; vel certè ad breve duntaxat tempus duraſſe, quandiu ſcilicet Viri Prophetici, extraordinario Spiritus S. afflatu acti ſuperſtites in Eccleſia fuerunt. In Codice Sota *fol.*48. *col.* 2. ſic legere eſt: משחרב בית המקדש ראשון בטלו ערי מגרש ופסקו אורים ותומים ופסק מלך מבית דוד *Ex quo vaſtata eſt domus Sanctuarii prioris, ceſſarunt civitates refugii, Urim & Thummim, & Rex de domo Davidis.* In Medraſch Schir Haſchirim *ad Cantic.VIII.8. f.*38. *col.*2. quinque Templo ſecundo defuiſſe dicitur, puta *Ignem Cæleſtem, Oleum unctionis, Arcam, Spiritum S. Urim & Thummim.* De Bath-

Kol lubrica ſatis ſunt, quæ habent Hebræi. quorum diſcordes ſententias Celeb. Buxtorfius *Lexic. Thalmud. pag.* 320. *&c.* aliique referunt. Rei dubiæ multis modis tanti momenti cauſa ſuperſtrui nequit.

OBIECT. II. *In N.Teſt. citantur quidam ex iis libris. Ergo ſunt canonici.* Reſp. 1. Etiam Aratus, Menander, Epimenides, minimè canonici, citantur. 2. Aliud eſt citare, aliud ſimilia adducere. Dixit Chriſtus ad Paulum Actor. IX. 5. *Durum eſt adverſum ſtimulum calcitrare.* Idem Terentius habet in Phorm. Act. I. Sc. 1. An ideo Chriſtus citavit ex Terentio? 3. Quæ allegantur ab adverſariis, tanquam citata ex apocryphis, eadem in aliis canonicis habentur, ex quibus proin potiùs quàm ex apocryphis Apoſtoli citaverint.

EXCIP. REDING: 1. *Qui teſtimonio uti vult vel ad hominem, vel quod alicujus ſit ponderis, authoritatem habere debet apud eum, qui convincendus eſt. Sic igitur etiam v.g. teſtimonium de Martyrio fratrum ex Machabæorum hiſtoria à S. Paulo Hebr. XI. 35. citatum apud eoſdem Hebræos authoritate ſua pollere debuit. Quod ibi magis locum habet, ubi citantur teſtimonia ad probandam rem lumen naturale excedentem. veluti Matth. XIII. 4. XXVII. 43. Rom. XII. 34.* videre eſt. 2. *Quinimò S. Patres libros controverſos ut Divinos, legales, Propheticos citant.* Ib. pag. 216. 217. Reſp. 1. Pari ratione Propheta ille Cretenſis, & Græcorum ſcriptores atque Poëtæ à ſacris ſcriptoribus citati Canonica authoritate pollebunt. ad quod nihil tu reſpondes. Neque quævis authoritas Canonica authoritas eſt; neque ex re teſtata de teſtis authoritate ſemper judicandum. *Licet*, ita ſapienter S. Auguſtinus *quæſt. in Num.* 20. monet, *Divinæ authoritati unde voluerit, quod verum invenerit, teſtimonium ſumere: ſed non omnia, quæ ibi ſcripta ſunt, accipienda confirmat.* Sed & diſpar ratio eſt eorum, quæ lumen naturale excedentia ex authore quopiam citantur, & apud eundem authorem, ſaltem quoad teſtimonii ſenſum, primò & originaliter teſtata ſunt. Nil tale ex libris controverſis à Scriptoribus Canonicis citatum reperias. Nam narratio quidem de Martyrio fratrum fidei articulus naturale lumen excedens non eſt: & quæ de Chriſto Dei filio, nec non conſilio Dei imperſcrutabili citata ajunt, ante ſcriptos eos libros in verè Canonicis libris teſtimonium clariſſimum habent. Accedit, quòd iis locis, quibus controverſos citari aſſerunt, Apoſtoli nullo ſigno ſe citare aliquid indicant, quod aliàs ſæpius faciunt, ſed ſimpliciter ſua verba uno contextu continuant: quódque, ſi maximè citaſſent Apoſtoli, facilè evinci poſſit, ex Canonicis potiùs quam controverſis citata eſſe, uti loca Matth. XXVII. 43. cum Pſal. XXII. 9. Rom. XI. 34. cum Eſaj. XL. 34. Jac. I. 10. IV. 14. 1. Petr. I. 24. cum Eſaj. XL. 6. nec non Hebr. XI. 5. cùm Geneſ. V. 24. contendenti liquet. Neque etiam vox illa *ἐτυμπανίσθησαν diſtenti ſunt* Hebr. XI. 35. in Machabæorum libro uſpiam occurrit. 2. Quid verò Patres nobis obducis, ubi de ſcriptoribus Canonicis ſermo eſt? Et tamen Patres ſicut controverſos, ita alios frequenter citant, quos ipſi vos pro Canonicis non habetis; quin & iidem libros hos magnificè citant, quos alibi extra Canonicorum cenſum referunt. quod fuſiùs alibi ediſſeruimus.

OBIECT. III. *Vetus eccleſia Chriſtiana pro canonicis habuit, nominatim Canon* 47. *Synodi Carthaginenſis III. confirmata in ſexto Concilio Generali; Innocentius I. Gelaſius, Auguſtinus, qui libros hos diſertè Divinos & canonicos nuncupârunt; Florentinum*

num Concilium &c. Reſp. 1. Patres Carthaginenſes non habuiſſe ſuum catalogum continuata traditione ab Apoſtolis, patet vel inde, quòd in Concilii Laodiceni antiquioris catalogo libri hi controverſi non extant. 2. Canon allegatus eſt παρείσακτος, quia Bonifacii Papæ meminit, qui eo tempore Papa nondum fuit. Unde Surius Carthuſianus canonem hunc non Synodo Carthaginenſi tertiæ,ſed ſeptimæ vindicat. 3. Sed & canon ille, aliíque Patres nonnulli libros illos controverſos ponunt in canone,non propriè,verùm æquivocè ſic dicto,non fidei,ſed lectionis eccleſiaſticæ, qui ex uſu & inſtituto eccleſiæ præter libros irrefragabiliter divinos admiſit etiam non divinos,humanâ authoritate,propter nonnullam eorum utilitatem, & quia Judæi Helleniſtæ, quamvis renitentibus Hebraizantibus,qui Hieroſolymis reſidebant,nonnihil iis detulerant,conſecratos. Argumento eſt, quòd Hieronymi canonem, à quo apocryphi excluſi ſunt,ſequentibus temporibus,quoties accuratè locuti ſunt, admiſerunt Gregorius Romanus,transſcriptores & promulgatores Bibliorum omnium per Occidentales Eccleſias,quibus præfixus Prologus Galeatus, Gloſſæ Ordinariæ & Decreta, Damaſcenus, Hilarius Arelatenſis, Maſſilienſes, Radulphus, Lyranus, Sarisberienſis, Abulenſis, Cardinalis Ximenius,aliíque plurimi. Eandem diſtinctionem in Concilio urſit Aloyſius Catanæus. 4. Florentinum Concilium ἐν ὑστέρῳ ἀριθμῷ habemus. Quamvis parum etiam illud adverſariis faveat. Nihil enim de eo invenitur in actis editis à Crabbio, Surio, Nicolino, Joverio. Et poſt illud Anthonius Florentinus Archiepiſcopus,qui Concilio interfuit, apocrypha pertinere ad canonem negavit. Fuit igitur non Concilii conſtitutio, ſed Papæ Eugenii IV. peculiaris poſt finitum Concilium ad Armenos inſtitutio.

Excip. Reding: 1. *Synodus Laodicenſis illos duntaxat libros, de quibus nulla in Eccleſia dubitatio fuit, in Canonem retulit. Carthaginenſis dubios, re penitiùs diſcuſſa, iiſdem addidit. Nec propterea Canon ille ſpurius eſt, quia Bonifacii meminit, utpote in quo plurium Synodorum Carthaginenſium Canones coagmentantur.* 2. *Qui Hieronymi Canonem referunt, non iccirco eundem probant. Aliud enim eſt referre Canonem ante Concilium Carthaginenſe ſcriptum: aliud eundem probare. Et plures forte etiam Carthaginenſem Canonem ignorarunt.* 3. *Florentini de Canonicis libris decreti autographum in ipſa Tridentina Synodo exhibitum eſt; oſtenſíque, Synodum eam duraſſe ad A. 1442. uſque.* Ib. p. 217. 218. Reſp. 1. Ergone de authoritate controverſorum inde ab eorum origine ad Carthaginenſe Concilium uſque à fidelibus ipſis, quin & tot Concilii Laodiceni Patribus ſanctiſſimis, dubitatum? Unde igitur Carthaginenſes authoritatis indubiæ documenta mutuati ſunt? Nam Apoſtolicæ traditionis eouſque latentis nec vola nec veſtigium uſpiam apparet. Neque etiam eam quæſtionem in Concilio hoc ventilatam, & dubitationem diſcuſſam idoneis argumentis liquet. Si tamen ventilata eſt, cur majus pondus definitio habet in

hoc Canone, quàm quod habet in Canone XXVI. ubi primæ Sedis Epiſcopus *princeps Sacerdotum* appellari vetatur. Ob quam ſolam cauſam Baronius *ad A.692.* Synodum eam à Spiritu S. congregatam eſſe, fortiter negat. Ne dicam, Concilii hujus authoritate, ſiquidem in eo de Canone propriè dicto ſermo eſſet, æquè probari, tum tertium & quartum Eſdræ Canonicos eſſe, quia *Eſdræ* nomine,non diſtinctis libris, quatuor Eſdræ libri eo tempore intelligebantur; tum Machabæos Canonicos non eſſe,quia in nullo Græco codice vel impreſſo, vel manuſcripto (Originalis verò Latina editio periit) recenſentur. Et ſatis de νοθείᾳ Canonis illius conſtat,ſi in eo plurium Conciliorum Canones coagmentantur. Nam vos non quodvis Carthaginenſe, ſed tertium in cauſæ ſubſidium advocatis. Cur verò ſilentio, Redingi, præteris id, in quo rei arx ſita eſt, nimirum Carthaginenſes Canonem *Lectionis* Eccleſiaſticæ,non *fidei* definiviſſe? Scilicet hic tibi aqua hæſit. Sanè etiam Ariſtenus vetus interpres Canonis obſervavit, libros à Carthaginenſibus in Canonem receptos τοῖς ψευδεπιγράφοις τῶν ἀσεβῶν βιβλίοις *falsò ſcriptis impiorum libris* opponi. 2. Hieronymus ipſe non tantùm Canonem ſuum retulit,ſed probavit etiam. Nam in epiſtola ad Paulinum, poſt recenſitos eos libros, ſubjicit: *Oro te,frater chariſſime, inter hæc vivere, iſta meditari; NIHIL ALIUD nôſſe, NIHIL quærere,nonne tibi videtur jam in terris regni Cæleſtis habitaculum?* Præfatione in libros Solomonis idem teſtatur,libros,quos Apocryphos nos vocamus, legi ab eccleſia, ſed non recipi inter Canonicos. Et valere eoſdem ad dogmatum eccleſiaſticorum confirmationem, negat. Eodem modo, quotquot Canonem ab Hieronymo narratum probatúmque receperunt, quin & Bibliis ſuis pro galea præfixerunt,animatos fuiſſe,in vernaculo ſcripto abundè probatum dedi. 3. Quo porro jure Eugenii Papæ Inſtructionem,quam & ipſam, quatenus Jacobitas ſpectat, & Catalogum librorum Canonicorum recenſet, ſpuriam, & fraude Caranzæ in Tridentini Concilii gratiam ſuppoſitam eſſe, eodem ſcripto vernaculo *pag.247.* irrefragabiliter demonſtravi, pro Concilii Tridentini decreto vendites, videris ipſe. Neque ego Bullam Eugenii in Concilio Tridentino à Cardinalibus Montano & S. Crucis productam eſſe,ignoraveram. Sed ab Epiſcopis Clodenſi & Caſtelli-Maris eandem νοθείας validiſſimis argumentis poſtulatam eſſe, æquè mihi conſtat. Ita ex meris fraudibus Papatus veſter conſutus eſt.

OBIECT. IV. *Libri apocryphi continuant eccleſiæ hiſtoriam,quæ aliâs inde à captivitate maneret interrupta. Ergo à Canone excludendi non ſunt.* Reſp. 1. Libri Tobiæ & Judith,nec non fragmenta de Suſanna, Bel & Dracone multis non immeritò videntur *dramatici* potiùs, quàm *hiſtorici*,quia apud temporum iſtorum ſcriptores, præſertim Joſephum, earum, quæ in iis narrantur,rerum nulla fit mentio. 2. Machabæorum libri aliquid conferunt, ſed quod ex aliis hiſtoricis planiùs haberi poteſt. Non dicam, primum eorum librum,qui Hieronymo *Paſtor* vocatur,ἀπὸ παστάδος, ſeu παστάδος ab *atrio* ita dictum, quia de tyrannide Ptolomæi Philopatoris inſignem hiſtoriam, longè præferendam ſecundi Machabæorum compendiis, inchoat, vulgò omitti. 3. Neque etiam libri continuantes hiſtoriam ſacram,hoc nomine pro canonicis habendi. Aliâs etiam Euſebius, aliique hiſtoriam N. Teſt. continuantes, in cenſum canonicorum vocari deberent.

EXCIP.

EXCIP. REDING: 1. *Siccine Joſephi, Judæi notorii ac perfidi deceptoris, de hiſtoria Tobiæ, Judithæ, &c. ſilentium tot S. Patrum, Conciliorum authoritati, & Eccleſiæ traditioni prævalere, Calviniſticus ille ſpiritus decernit?* 2. *Ac præterea nulla authoritate nixus tertium Machabæorum librum ſecundo præfert?* Ib. pag.218. Reſp.1. Non ego Joſephi, poſt ſcriptores ſacros omnium de hiſtoria Judaica ſcriptorum diligentiſſimi, & φιλαληθεστάτου, quem Sozomenus *Hiſtor. Eccl. lib. I. cap.* 1. ἀξιόχρεον μάρτυρα τῆς περὶ Θεοῦ ἀληθείας *teſtem de vero Dei verbo locupletiſſimum* appellat, non aliam ob cauſam Redingii ſimiliúmque odio flagrantis, quàm quia fabulis & mendaciis ſuis faventem non reperiunt; in re hiſtoriam Judaicam, non fidei articulum concernente, ſilentium S. Patrum, Conciliorum, Eccleſiæ Chriſtianæ authoritati, ſed Tridentinæ cum S. Patrum, Conciliorum, & Eccleſiæ fidelis Judaicæ & Chriſtianæ ſenſu è diametro pugnanti definitioni oppoſui. Saltem veritatem hiſtoricam eorum, quæ in fragmentis Eſtheris & Danielis narrantur, non primus ego in dubium revocavi, ſed pridem Julius Africanus apud Euſebium *Hiſtor. Eccl. VI.* 31. nec non Hieronymus in *Præfat. ad Daniel.* ubi *fabulas* appellat; & nuper etiam Sixtus Senenſis veſter, uti ſupra vidimus. 2. Hiſtoria tertii Machabæorum & antiquior eſt hiſtoria primi & ſecundi; & purior longè hiſtoria ſecundi, qui totus notoriis erroribus ſcatet. uti in loco comprobavi. Cœtera, in quibus reſponſionis meæ robur conſiſtit, alatus prætervolaſti.

QUÆSTIO III.

An vulgata verſio Latina in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro authentica haberi debeat, ita ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat?

AFfirmat decretum de editione & uſu Sacrorum Librorum. Addit declaratio Cardinalium ad commendationem illius decreti: *Etiam dicendum eſt, quòd ne vel periodus, vel una clauſula, vel dictio aut ſyllaba, jotáve unum repugnat in veteri vulgata Lingua Latina editione.* Nos, etſi vulgatam editionem ſuo in pretio habemus, tamen authenticam eſſe negamus. Etenim

ARG. I. Editio authentica proficiſci debet ab authore Θεοπνεύστῳ, quia nemo purus homo adornare poteſt ejuſmodi editionem, quæ ne uno quidem apice deflectat à mente Spiritus Sancti, adeóque ſit verè authentica. Atqui vulgata editio ab authore Θεοπνεύστῳ non eſt profecta. Sive enim ejus authores ſtatuantur ſancti homines naſcentis & purioris Eccleſiæ, ſive Hieronymus ſolus, ſive anonymus quidam, qui à nonnullis

in ipso etiam Concilio Hieronymianam & veterem Italam in unam conflâsse putatur, sive Sixtus IV. sive Clemens VIII. qui veterem usitatam in ecclesia multis modis inflexerunt: nemo ex illis Θεόπνευστος fuit. Quin ipse Hieronymus negavit, ullum interpretem Spiritu Sancto afflante locutum esse.

RESP. REDING: *1. Si nullus Scripturæ interpres θεόπνευστος est, quæ erit Reformationis vestræ, quæ Bibliorum Tigurinorum authoritas? 2. Licet privatus nemo θεόπνευστος sit, Ecclesiæ tamen universæ Spiritus S. assistit, cujus proin approbatio eam infallibilem reddit.* Id. Tract. II. pag 219. Resp. 1. Cùm reformationis nostræ norma & amussis unica fuerit infallibile Dei verbum, atque illud ipsum etiam quoad materiæ substantiam in Tigurinis Bibliorum editionibus reperiatur, utrorúmque authoritas quæ sit, abundè liquet. Major utique est authoritas secundùm verbum Dei reformantium, quàm contra verbum Dei deformantium. 2. Neque Ecclesiæ, quam (veram scilicet, & quandiu talem) assistens Spiritus Dei in vera fide & pietate ita conservat, & confirmat, ut tamen in pluribus etiam aberrare, quandiu hic militat, possit; approbatio efficit, ut versionis author ante approbationem merè humanus, post eam vel ipse, vel ejus versio quoad rem & verba θεόπνευστος reddatur. Neque humanum opus Divino Canoni planè respondere Divina perfectione potest; neque Ecclesia Divinum judicium perfectione Divina ex eodem Canone Divino fecit unquam, vel facere etiam potuit. Multò minùs Tridentina, nec vera Ecclesia, nec approbans versionem præsentem, sed demum inposterum recognoscendam, mutandámque, & quomodo recogniturі mutaturíque sint novi Critici, prorsus ignaram. Certè etiam ipsorum Pontificum, Sixti V. & Clementis VIII. approbationes secutæ prorsus contrariæ fuerunt. Innumeras enim vulgatæ versionis lectiones Sixtus approbavit abolevítque.

ARG. II. Authenticum est, quod manat ab authoribus ipsis. Ita instrumentum authenticum est, finitore Paulo, Ulpiano, aliísque ICtis, *originale*, quod ab authoribus modo incorrupto ad nos pervenit. Atqui vulgata editio Scripturæ ab authoribus ipsis Scripturæ non manavit, sed potiùs editio Hebraica Veteris, & Græca Novi Testamenti, quæ utraque ad nos incorrupta pervenit.

RESP. REDING: *Vulgata versio authentica est non quidem quoad characteres externos, qui ab hominibus θεοπνεύστοις non processerunt; sed quoad sensum à Spiritu S. inspiratum, & in Ecclesia Dei incorruptè conservatum. Alias nec vestra Biblia, quorum characteres non ii ipsi sunt, quibus amanuenses Dei Scripturam consignarunt, vera Biblia erunt: neque usquam in mundo vera Biblia reperientur.* Ib. pag. 119. Resp. 1. Sive *authenticum* est illud, quòd Originale, seu totidem literis in eodem idiomate vel ab authoribus ipsis, vel ab amanuensibus consignatum, incorruptum ad nos pervenit; sive, quo sensu etiam Jurisconsultus Julianus *tract. de fide*, authenticum definit, quod supremam in judicio & *αὐτόπιστον* authoritatem habet, ita ut à nemine ullo prætextu, erroris puta vel mutationis, rejici, aut in quæstionem jure vocari possit; neutro sensu vulgata vestra authentica dici potest. Non priori, quia in diverso idiomate, diversísque adeò quoad speciem vocibus, characteribus & signis consignata est. Non posteriori, tum quia non est *αὐτόπιστος*, sed fidem

ſidem omnem ſibi aliunde, à fontibus ſcilicet, Hebraico veteris, & Græco Novi Teſtamenti idiomate, in quo utrumque ab authoribus primitus conceptum eſt, conciliat: tum quia innumeris mendis laborans, exquiſitam ex fontibus emendationem poſtulat. 2. Senſum Divinitus inſpiratum, & in verſione ea confirmatum vel ad fundamentum articulóſque fidei in ea comprehenſos, vel ad ſingulos apices refers. Si prius, nulla verſio tam mala eſt, quin eo ſenſu authentica dici poſſit. Atqui Tridentini authenticam declarant haud dubiè oppoſitè ad verſiones reliquas omnes. Si poſterius, an tu ſuſtinebis, probam, incorruptam, & Divinitus inſpiratam eſſe vulgatam quoad apices omnes ſingulóſque? Næ aſſeverantem te doctiſſimi quique in Papatu, etiam Pallavicinus ille tuus *Hiſt. Conc. Trid. lib.VI.17.* audaciæ & Monachalis inſcitiæ damnabunt. 3. Nos verò Biblia, ſeu verſiones noſtras nunquam pro authenticis venditavimus, quamvis pleræque, imò omnes vulgata veſtra multis paraſangis præſtent: neque ipſos etiam fontes authenticos pronuntiamus, quaſi primum & Germanum autographum continerent, (hoc enim delirium non noſtris, ſed veſtris quibuſdam, nominatim Fino Adriano Ferrarienſi *Flagell. Jud. lib. IX.2.* impingere habes) verùm quia apographa licet, αὐτόπιστα tamen, & incorrupta, aliunde ſibi fidem non conciliant, quin potiùs lapis Lydius ſunt, ad quem verſiones omnes Orientales Occidentaléſque exigendæ ſunt.

ARG. III. Editio in probationibus fidei & morum authentica, oportet ſit ſincera, incorrupta, & omnium optima. Talis non eſt editio vulgata. Deflectit enim à fontibus innumeris locis. Idque de Sixtina concedit Clemens VIII. qui eam interpolavit, expunctis ſententiis & vocibus, nec non reſtitutis paſſim lectionibus à Sixtina lectione diverſis, contrariis, contradicentibus, uti ad oculum demonſtravit Thomas Jameſius in bello Papali. Neque Clementina, quam poſt Sixtinam authenticam eſſe juſſit Clemens VIII. quáque hodiéque utuntur, eſt ἀναμάρτητος: tum quia ipſa Præfatio Clementina fatetur, *quædam in ea, quæ mutanda videbantur, conſultò immutata relicta eſſe*: tum quia illam ſphalmatis ſcatere demonſtrârunt noſtri, nominatim doctiſſimus Amama in *Cenſura vulgatæ*, ubi loca plurima vulgatæ verſionis caſtigavit, & caſtigata à Merſenni Monachi exceptionibus vindicavit. Neque etiam vulgata verſio eſt omnium, quæ extant, optima, tum quia jam olim ita judicârunt inter Papiſtas Eraſmus, Valla, Cajetanus, viri doctiſſimi: tum quia id hodiéque innuunt interpretes Papiſtæ, Janſenius, Salmero, Bonfrerius, Maſius, de Muis, aliíque, qui ſubinde eam negligunt, & ad fontes provocant: tum denique, quia cum fontibus magis conveniunt verſiones virorum doctiſſimorum, Ariæ Montani, Vatabli, Tigurina ipſis Hiſpanis laudata, Stephani, Tremelii, Deodati, aliorum.

Resp. Reding: 1. *Etſi in plura particularia vulgatæ editionis exemplaria irrepſerunt diſſonæ quædam ſententiæ, id tamen vulgatæ authenticæ à Spiritu S. conſervatæ nil præjudicat. Clemens VIII. in Præfatione diſertè teſtatur, ad incudem ſe revocaſſe Sixtinam ob menda, quæ præli vitio in eam irrepſerunt, adeóque materialia potiùs & literaria, quàm*

formalia

formalia Spiritûs S. ſenſum legitimum concernentia. Nullum quippe vulgatæ ſphalma ſenſui Divinitus inſpirato adverſans oſtendi poteſt. 2. Cùm unus textus varios ſenſus continere poſſit, Hebræa Græcáque editio ad unum, vulgata ad alium ſenſum reſpicere potuit; neque inde depravatio vel contrarietas, ſed diſparata duntaxat diverſitas, Spiritus S. intentioni non repugnans, argui poteſt. Ib. pag. 219. 220. Reſp. 1. Diſſonas ſententias in particularia exemplaria irrepſiſſe, cujus vitio ſtatuis? Librariorum, an interpretis? Si prius, imperitiam tuam denuo prodis. Ad doctos igitur in Papatu te ablego, Vegam, Sixtum Senenſem, Andradium, Lindanum, Canum, qui, ipſo Azorio *Inſtit. Moral. lib. VIII.* 3. teſte, faſſi ſunt, *aliquos eſſe in vulgata errores, non ſolùm vitio ſcriptorum, ſed etiam ipſius Interpretis incuria vel ignorantia.* Lyræ, Burgenſi, Iſidoro Clario, Steucho, Driedoni, Hier. ab Oleaſtro, Cajetano, Benedicto; imò noviſſimè Pallavicino tuo, & Richardo Simoni eadem mens fuit. Si poſterius, quomodo diſſonæ, addo etiam, falſæ Interpretis ſententiæ authentiæ Vulgatæ non præjudicant? An quod diſſonum, falſum, corruptum eſt, authenticum eſſe poteſt? An id *nullo prætextu*, uti Tridentini tui ſciſcunt, adeóque etiam non melioris in fontibus lectionis, rejici poteſt. 2. Nil equidem diſſimulo, Clementem VIII. in Bulla mirè ſategiſſe, ne per recognitionem ſuam Sixti infallibilitas periclitetur. Licet enim is præter innumeras alias, etiam ultra bis mille lectiones à Sixto authoritate Apoſtolica adverſus Hebræam & Græcam veritatem confirmatas, eadem authoritate refinxerit, & ad fontes reformaverit, uti fusè laudatus à me Jameſius probavit; non alia tamen menda, quàm quæ typographi vitio irrepſerunt, ſuſtuliſſe videri voluit. Scilicet tot ſphalmatum chiliades prœli vitio in eam editionem irrepſerunt, quam Sixtus, antequam prœlo mandaretur, à capite ad calcem perlegerat, quam recens impreſſam denuo perlegerat, ut omnia fideliter recognita in lucem prodirent, quæ & de ſe Sixtus in Bulla, & de eodem Roccha teſtatus eſt. Conferantur Sixtina & Clementina in locis 1. Sam. XXIV. 8. XXV. 6. 2. Sam. VI. 12. VIII. 8. XIX. 10. Prov. XXIV. v. ult. Hab. I. 3. Matth. XXIV. 41. Act XIV. 6. aliiſque innumeris. Et Sixto in animo fuiſſe, eadem menda poſthac tollere, quæ Clemens ſuſtulit, quo indicio conſtat? Quinimò Sixtus viginti ſex menda, ceu à typographis provenientia, in exemplaribus impreſſis partim calamo, partim recuſis novis vocabulis, iiſque voci mendosè excuſæ, ſuperimpoſitis & agglutinatis, ſuſtulit. Inter ea erat locus Judith I. 2. ubi vocis jam excuſæ *in latitudinem*, loco, vocem *altitudinem*, chartulæ minutæ iiſdem characteribus impreſſam ſubſtituit & agglutinavit. Et tamen Clemens in ſuam editionem vocem *latitudinem*, à Sixto deletam revocavit. Et ſi præter hæc 26 errata tantus inſuper mendorum typographicorum numerus Sixto occurriſſet, proculdubio editionem totam ille ſuppreſſerat. Atqui non ſuppreſſit ille, ſed ſub anathemate *de certa ſcientia & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine* denuntiavit, ut HANC IPSAM *ſine ulla dubitatione veram, legitimam, authenticam & indubitatam* adeóque *eandem, quam Tridentini authenticam declararunt*, amplectantur. En, Redingi, non ego fraudis ullius reus ſum, ſed Papa tuus Clemens mentitus apertè eſt, ne infallibilitas Papalis in diſcrimen veniat. Quòd verò pronuntiare non vereris, *nullum vulgatæ ſphalma ſenſui Divinitus inſpirato adverſans oſtendi poſſe*, & audacia & imperitia tua Monachali dignum eſt. Si Græcè & Hebraicè doctus eſſes, ipſe in rem præſentem te ducerem. Nunc verò te ad doctos illos veſtræ communionis Theologos, ſupra citatos, ablego. 3. Illud quoque audax & calidum commentum eſt, diſſonas à fontibus in Vulgata lectiones diverſos eſſe ſenſus, ab eodem Spiritu S. intentos. Poſſem tibi lectiones vulgatæ cum fontibus ἀσυςάτα innumeras, ſi capax eſſes, obducere. Et plu-

rex ejusdem textus sensus disparatos Divinitus intentos esse, supponis ridiculè, non probas.

ARG. IV. Quæ editio nondum extitit, eam authenticam declarare Concilium non potuit. Hoc enim est fœtum baptizare in utero, quod nefas duxit meritò ipse Thomas Aquinas. Atqui editio vulgata, qualis hodie exstat, tempore Concilii nondum exstitit, quippe quæ ex decreto Concilii demum edenda & adornanda fuit quàm emendatissima. quod factum est post Concilium Tridentinum annis quadraginta sex, quo tempore editio Clementina prodiit.

RESP. REDING: *Synodus authenticam pronuntiavit versionem longo Seculorum usu probatam, adeòque præexistentem; & emendandam, non quoad substantiam, sed quoad menda accessoria.* Ibid. p. 220. Resp. Authenticam igitur definivit eam, non qualis Synodi tempore extitit, (extitit enim innumeris mendis laborans, adeóque corruptissima, qualis authentica esse non potuit) sed qualis extitit & diutissimè ante Synodum, priusquam falsarum lectionum labem contraxisset: & post Synodum, quando recognita fuerit. recognita autem perfectè nunquam est, uti Clementina præfatio arguit. Qualis verò fuerit Vulgata ante corruptionem; & qualis plenè recognita futura fuerit, cùm ignoraverit Synodus, id igitur authenticum pronuntiavit, quod quale sit, ignoravit. Et numquid non innumera illa menda afflixerunt substantiam ipsam Vulgatæ, in dictionibus, vocibus & verbis determinatum quid significantibus, consistentem? Menda accessoria substantiam utique genuinæ lectionis affecerant, non aliud.

ARG. V. Causæ hujus decreti in Concilio allegatæ non fuerunt satis honestæ. Diffidebant Patres doctrinæ suæ, si ad scripta Prophetarum & Apostolorum originalia exigeretur. Metuebant suæ barbariei. Grave nimis ducebant linguas originales ediscì. Grammaticos judices fore rerum Theologicarum, aliáque ejusmodi timebant, si fontes ipsi authentici declararentur; teste Historico *lib. II. pag.* 132. Apparet igitur à prudentia carnali profectum esse hoc judicium.

RESP. REDING: *Ubi ergo gentium existunt Prophetarum & Apostolorum originalia, ut Patrum Concilii doctrina ad ea, ceu fontes exigeretur; vel à quibus Patres per tot Secula deflexerint?* Ib. pag. 220. 221. Resp. In apographis exemplorum originalium. quæ quoad dictiones universas Hebraicas & Græcas cum his consentanea, ad nos integra & illibata pervenerunt. absque quibus esset, nulla Biblia *αὐτόπιστα*, adeóque & ratione rerum, & ratione vocum, & ratione idiomatum authentica ecclesiæ suppeterent.

ARG. VI. Decretum hoc Hebræo Veteris, & Græco Novi Testamenti codici ruinam molitur. Hinc Mariana *de Vulg. pag.* 99. conqueritur, post promulgationem Concilii Tridentini *Græca & Hebræa uno impetu concidisse.* Et liquet idem ex institutione publica Pontificiorum, inprimis Jesuitarum, Græci & Hebraici idiomatis infimam, vel potiùs nullam rationem

 haberi.

Digitized by Google

haberi. Unde etiam hoc evenit, quòd eccleſia ſic defraudetur neceſſario præſidio ad converſionem Judæorum, in verbo Dei promiſſam.

Resp. Reding: *Tu ipſe ſupra faſſus es, Pontificios Theologos ad fontes provocare. Quin & Græcæ Hebraicæque editiones una cum Vulgata verſione apud noſtros multifariam imprimuntur. Non igitur Tridentinum Concilium Hebræo Veteris, & Græco Novi Teſtamenti Codici, ſed veſtris tantùm verſionibus ruinam moliebatur.* Ib. pag. 221. Reſp. Fuerunt, ſúntque nonnulli apud vos, Hebraizantes dicti, exiguo certè numero, qui originalium linguarum peritia præditi, & Tridentinum decretum, ne conatibus ſuis illud obſtet, in peregrinum ſenſum torquentes, non contemnendam operam navarunt, & Vulgati etiam interpretis errores liberiùs paulò perſtrinxerunt. Cœterùm quam gratiam ex iis nonnulli à Zelotis aliis, Arcadicis pecoribus, in Hiſpania maximè, ubi Inquiſitio, Phalaridis ille taurus, obtinet, retulerint, Mariana *pro edit. vulg. cap.* 1. his verbis indicat: *Viri eruditionis opinione præſtantes è vinculis cauſam cogebantur dicere, haud levi ſalutis & exiſtimationis diſcrimine.* Imò repertos eſſe in Hiſpania, qui Complutenſem editionem, in qua Vulgata Hebræam inter & Græcam collocatur, Domino Jeſu medio inter latrones pendenti, comparare auſi fuerint, Simon veſter *Crit. V. T. lib. II. 14.* narrat. Et quid tum poſtea, ſi maximè Hebræi & Græci Codices apud Vos nonnunquam, rarò licet eduntur? Veſter Le Jay Scripturam originalem cum pleriſq; verſionibus Orientalibus edidit. In Præfatione tamen Vulgatam pro fonte venditat his verbis: *Pro certo & indubitato nobis eſſe debet, vulgatam editionem, quæ communi Eccleſiæ Catholicæ lingua circumfertur, verum eſſe ac genuinum Scripturæ fontem.* En ſtragem verorum fontium! Et quid quæſo juvant Codices Hebræi & Græci editi, ubi lectores cultoréſque originalis veritatis Phœnice & albo corvo rariores ſunt; (tuam, Redingi, conſcientiam appello, annon in Benedictinorum ampliſſimo ordine veſtro, ex tot Monachorum pinguium myriadibus conſtante, qui Græcè vel Hebraicè intelligant, nedum originalibus iis linguis ſubactum ingenium habeant, ſint rari nantes in gurgite vaſto; ſint

Rara avis in terris, nigróque ſimilima cycno?)

& non Hebræi & Græci Codices, ſed Vulgata verſio authentica habetur? Neque enim ſimul Hebræi Græcíque Codices, ſimul Vulgata verſio, diſcordes in plurimis, authentici eſſe poſſunt. Frigeátque originalium linguarum & Codicum ſtudium oportet, ubi illa de verſionis alicujus authentia hæreſis regnat.

ARG. VII. In ipſo Concilio pro fontium veritate, & vulgatæ verſionis incertitudine ſolidè diſſeruerunt tum Aloyſius Cataneus, urgens admodum judicium Cajetani, dicere ſoliti: *Intelligere tantùm verſionem Latinam, non eſſe intelligere verbum Dei, ſed vocem interpretis erroribus obnoxiam:* tum Iſidorus Clarius Brixianus, Abbas Benedictinus, clarè aſſeverans, *nullam tranſlationem cum ſacri contextus lingua originali æquiparandam:* tum Andreas Vega, cujus ea de re orationem fusè recitat Hiſtoricus.

Resp. Reding: *Theologi à te citati verſionem Vulgatam conſiderarunt reſpectu ad privatum ſuum authorem, non ad ejuſdem uſum continuum, & approbationem Eccleſiæ, habito.* Ib. p. 221. Reſp. Scilicet eadem verſio ante uſum & approbationem eccleſiæ poteſt eſſe incerta, in quibuſdam erronea, fontibus neutiquam æquiparanda: at intervenien-

Digitized by Google

te ea ſecus omnia habebunt; & eccleſia ſola approbantis voluntatis teſtificatione ex incerto certum, ex fallibili & erroneo infallibile & authenticum efficiet. Quinimò authores citati de Vulgata verſione, qualis tum poſt tot Seculorum uſum in eccleſia extitit, clariſſimè diſſeruerunt.

ARG. VIII. Pudet hujus decreti nobiles Papiſtas, Andradium, Vegam, reliquóſque, qui Hebraizantium nomine veniunt, qui proinde alienum ei ſenſum affingunt, quaſi videlicet authenticam declaraverit Concilium, *quatenus, cùm nullum contineat errorem in dogmatibus fidei vel morum, fidem in judiciis facere, & certam atque publicam authoritatem habere poteſt.* Verùm hanc *detorſionem eſſe decreti Synodici,* meritò clamat Dominicus Bannes, & ex ipſis tum verbis, tum hiſtoria Concilii, in quo Vega eandem ſententiam tenens rejectus eſt, facilè colligitur. In Hiſpania olim circa interpretationem hujus Decreti adeò turbatum, & implacabilibus odiis certatum eſt, ut, teſte Mariana de Vulg. Verſ. Cap. I. *à contumeliis ventum ſit ad ipſa tribunalia, & viri docti coacti ſint è vinculis cauſam dicere, non levi cum diſcrimine ſalutis.* Quin Dom. Bannes concluſit: *In re tam gravi exſpectandam eſſe eccleſiæ Catholicæ cenſuram.*

RESP. REDING: *Imò verò nobiliorum illorum Papiſtarum ſententia decreti Conciliaris ſententiam planè exprimit. Bannes verò loc. cit. duas circa ſenſum decreti Tridentini ſententias referens, proprio judicio ſuperſedens, hoc ſolum concludit, in re tam gravi eccleſiæ Catholicæ cenſuram expectandam eſſe. Nec Vegam in Concilio improbatum eſſe, liquet.* Ib. p. 221. 222. Reſp. I. Non hic, quæ diſſidentium circa decreti Tridentini ſenſum, ſententia potior ſit, quæritur; ſed variantium duntaxat & fluctuantium Theologorum veſtrorum diſcordia notatur. quam tu negare non auſis, convictus verbis Marianæ à me laudatis. Diſſenſum eundem etiam Pallavicinus tuus, & poſt eum Richardus Simon *Crit. V. T. l. II.* 14. nulli diſſimularunt. 2. Eum eſſe decreti ſenſum, quem Viri docti à me citati perhibuerunt, quibus tu etiam tibi ipſi ſupra aſſerenti, ſphalma nullum in verſione ea reperiri, diſcors, calculum addere videri vis; falſiſſimum eſſe, ex veſtris Pineda, Villalpandus, Ludovicus de Tena, Valentia, Hartus, Sacroboſco, Azorius, Ribera, permulti alii aſſeverant, pronuntiantes alta voce, verſionem hanc ita authenticam declaratam eſſe, ut ab ea ad Hebræam Græcámque editionem provocare nefas ſit. Quin Pineda *tract. de rebus Solomon. lib. IV.* 7. allegat declarationem Cardinalium in Congregatione d. 17. Jan. A. 1576. habita factam his verbis, *nihil poſſe aſſeverari, quod repugnet vulgatæ editioni Latinæ, etiam quod eſſet ſola periodus, ſola clauſula, vel membrum, ſive vox, vel dictio ſola, aut ſyllaba jotave unum.* Eorum porro, qui fontes Vulgatæ præferunt, explicationem eſſe decreti Tridentini detorſionem, ita ex mente Theologorum Dom. Bannes *loc. cit.* refert, ut non obſcurè in eandem ſententiam inclinet; licet concludat, *Catholicæ Eccleſiæ cenſuram expectandam eſſe.* Sic videlicet, ut Judæi Eliam expectant. 3. Vegæ ſententiam in Synodo rejectam eſſe, ipſa Concilii definitio clariſſimè probat. Etenim ille mediam viam calcandam aſſeruerat, vulgatam eſſe authenticam, *quia in ea nullus ſit fidei aut morum error, non quòd ſinguli apices aut verborum enuntiationes ita ſint infallibiles, ut vetemur ad Hebræos & Græcos fontes provocare, atque inde ſitim explere.* Synodus contra definivit, ita authenticam eſſe, ut nemini eam rejicere liceat *quovis*

prætextu, adeóque etiam non prætextu erroris in iis, in quibus fidei & morum cardo non vertitur.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Editio longo tot seculorum usu probata, est authentica. Talis est vulgata, cujus libri partim ex vulgata & antiquissima editione Latina, quam Hieronymus Vulgatam, Augustinus Italam, Gregorius Veterem appellant; partim ex S. Hieronymi translatione adsciti fuere. Hinc inde à mille annis celeberrimi quique Ecclesiæ doctores ea sola usi sunt.* Est argumentum Concilii & Bullæ Sixtinæ. Resp. 1. Longus usus cum evidenti ratione conjunctus, versioni authoritatem præstare potest, at non authenticam, & talem quidem, ut nullo prætextu ab ea discedere fas sit. Talis enim authoritas non à longo usu, sed à Divina inspiratione pendet. 2. Quantus quantus fuit vulgatæ usus, is certè obtinuit in sola Ecclesia Latina, non Græca & Orientali. 3. Nec constat liquidò, an hodierna vulgata sit partim vetus Itala, partim Hieronymiana, quia post Gregorii tempora utraque confusa, & multis casibus variata fuit, ut probari posset ex innumeris locis, quæ aliter apud Hieronymum, aliter in vulgata leguntur. 4. Vulgata cœpit esse in usu tempore Gregorii, adeóque sexto demum seculo. Ante id tempus fuit in usu vetus Itala, cujus author incertus. Si igitur priorum & puriorum seculorum usus veteri Italæ authenticam authoritatem non præstitit, cur vulgatæ eam præstabit usus sequentium & impuriorum seculorum.

EXCIP. REDING: 1. *Fateris, vulgatam in usu fuisse tempore jam Gregorii. Obtinuit igitur per mille annos. Et Gregorius suo tempore eam vocat veterem. Ergo jam ante quoad substantiam saltem probata fuit. Neque enim Hieronymus in substantia diversam à Vulgata fecit. 2. Authoritas Vulgatæ nititur Divina promissione, cujus vi certi sumus, literam fidum esse Scripturæ custodem. Proin à mille annis usu Ecclesiæ in tot etiam Oecumenicis per Orientales quoque Patres frequentatis Conciliis comprobata versio, Divinæ promissionis certitudine suffulta, authentica est.* Id. pag. 222. 223. Resp. Temulenti instar, quicquid in buccam venit, effutis. Ubi Vulgatam, qualis Concilii tempore erat, & nunc est, Gregorii tempore in usu fuisse, fassus sum? An, quam Gregorius veterem vocat, eadem fuit cum vulgata hodierna? Annon eam & Hieronymus, & paulatim ecclesia, vulgatam mixtam substituens, improbavit? An Divina promissio præcipuè ad vulgatæ, vel cujuscunque alterius versionis; non fontium potiùs, ceu normæ versionum omnium; & si ad Vulgatæ, annon etiam ad veteris Italæ, quam tamen abolitam esse constat, conservationem pertinet? An litera est Scripturæ, hoc est, Scriptura Scripturæ fidus custos? In quo denique Oecumenico Concilio per Orientales etiam Patres frequentato Vulgata versio comprobata est? Pessimè te, quidvis pro lubitu fingendo, de Ecclesia Romana mereri, quotquot in communione vestra verè docti sunt, planè agnoscent.

OBIECT. II.

OBIECT. II. *Hebræa Vet. & Græca N. Teſt. editio non eſt authentica, tum quia Judæi illam depravârunt, uti arguunt vel ſola puncta vocalia, Maſoretharum incruſtatura, nec non* תקון סופרים *correctio ſcribarum, diſtinctio* ꝫ *Keri & Chetib, Chaſir & Jother; tum quia hodiernus codex infinitis ferè in locis diſcrepat à codicibus antiquiſſimis LXX. interpretum, Samaritano, Chaldæo &c. tum denique, quia id arguit varietas lectionum Codicis N. Teſt.* Reſp. 1. Si corrupti ſunt fontes, non idcirco vulgata eſt authentica, tum quia in ea etiam multiplex apparet corruptio; tum quia in rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis quantum in vulgata, tantundem in fontibus eſt reperire. 2. Corruptos non eſſe fontes indicio eſt, tum quòd ſic nulla daretur editio Θεόπνευςος: tum quòd in nulla verſione reperimus eam interpretum peritiam, diligentiam, fidem & authoritatem, quæ nos poſſit πεῦν *certiorare ad fidem*: tum quòd in omnibus partibus verbi Dei amandamur ad ἱερὰ γράμματα *ſacras literas*, γραφὰς, הכתוב τὸ γεγραμμένον, *quod ſcriptum eſt*, tanquam ad divinum remedium, per quod erudiamur ad ſalutem: tum quòd credibile non ſit, Deum volentem promiſſioni ſuæ ſatisfacere, vigilâſſe circa verſiones, quæ αὐθεντίαν non habent, & incurioſum fuiſſe circa ἱερὰ γράμματα: tum quòd Petrus docet 2. Petr. I. 19. habere nos λόγον προφητικὸν βεβαιότερον *ſermonem Propheticum firmiſſimum*: tum quòd de carmine Moſis Deut. XXXI. 19. 20. promiſſum eſt, fore ut teſtetur ultimis diebus contra Judæos, adeóque per oblivionem non tollatur ab ore illorum, quod ἀναλόγως dicendum etiam de reliquis: tum denique quòd promiſit Deus, fore, ut ſemper in mundo ſit מלה דבר ῥῆμα, *verbum ſuum*, Eſaj. LIX. 21. Jerem. XXXI. 33. 2. Sam. XXIII. 2. Omitto plurima. 3. Judæi infenſiſſimi Chriſtianorum hoſtes, iidem tamen incomparabiles ſunt amici fontium, capſarii, depoſitarii. Quod vel inde conſtat, quia nec Chriſtus, nec Eccleſia primitiva de eorum fraude conqueſta eſt, & Prophetiæ de Chriſto in codice Hebræo clariſſimæ, quin etiam in ipſis Thargumim Chaldaicis apertæ & explicatæ integræ extant. 4. Puncta vocalia conſonis coæva eſſe demonſtrârunt viri doctiſſimi, ac inter eos præcipuè ὁ πάνυ Buxtorfius noſter. Si tamen introducta *à Viris Synagogæ magnæ*, & textui addita à Maſorethis *Tiberienſibus* eſſent, textum ipſum non corrupiſſent, ſed adverſus corruptionem muniviſſent. 5. Fac denique, à Maſorethis ea introducta eſſe, utique illi ſecuti eſſent ἀνάγνωσιν ſeu *lectionem*, quæ à priſcis ætatibus obtinuit in Synagogis Act. XIII. 15. XV. 21. adeóque eſſent vicaria illius ἀναγνώσεως πατροπαραδότου. 6. *Tikun Sopherim*, ſeu emendatio Scribarum, uti vocant, non Scripturam emendavit, ſed lectionem antiquiorum Magiſtrorum præſumptam. Alii ad Ezram & viros Synagogæ magnæ referunt.

Digitized by Google

ferunt. Ad Thalmudica commenta rejiciunt alii. Videſis doctiſſimum Glaſſium *Philol. S. pag.* 29. 30. *&c.* 7. Keri & Chetib, quæ 448. numerantur, non corrumpunt textum, ſed varias lectiones variorum oſtendunt exemplarium, per quas novatorum corruptio excludatur. Sic etiam *Chaſir & Jother* non corrumpunt textum, ſed Grammaticales oſtendunt *defectus & redundantias.* 8. Diverſæ veterum interpretum lectiones non arguunt corruptionem hodierni textus, ſed vel ipſarum illarum verſionum corruptionem, & mutationes varias, vel interpretum errores, vel eorundem inſtitutum, ad *ſenſum* potiùs, quàm *verba* intentum. 9. Denique nec variæ lectiones N. Teſt. corruptionem inferunt, ſed veram potiùs, antiquiſſimam & genuinam lectionem demonſtrant. Nam in iis, quæ certa & indubitata ſunt, continetur canon, ad id ex varietatibus illis eligendum, quod optimum eſt & ſinceriſſimum.

EXCIP. LEDING: *1. Scriptura authentiam habens non quærenda eſt ſub materialibus illis characteribus à Judæis cuſtoditis, ſed ſub illis literis, quas ſuo uſu comprobat Eccleſia Chriſtiana, cujuscunque ſint idiomatis, ſiquidem Deus verbum ſuum non ulli idiomati, ſed providentiæ ſuæ, & curæ Eccleſiæ alligavit. 2. Deus Deut. XXXII. 19. 20. Judæis comminatus eſt, quòd faciem ſuam ab iis abſcondere velit. Iſtine ergo Scripturæ fideles cuſtodes ſunt? 3. Si in nulla verſione tutò acquieſcere fides noſtra poteſt, an igitur evacuabitur fides omnium, qui linguæ Hebraicæ peritiam nullam habent? Et quomodo ſic verſio Tigurina certiorabit fidem?* Ib. pag. 223. 224. Reſp. Ad præcipua nihil reſpondere potuiſti. In cœteris reſponſio tua titubat. Etenim 1. Scriptura authentica in illis literis, illóque idiomate eſt, in quibus Prophetæ & Apoſtoli primitus ſcripſerunt, non in quibus Eccleſia, particularis inprimis, qualis Tridentina eſt, illam approbavit. An enim quia Vulgatam authenticam Tridentini declararunt, icciro Hebræa & Græca originalis Scriptura authentiam amiſit? Vetant ita credere ſaniores Pontificii omnes. Quòd ſi Deus verbum ſuum nulli idiomati, nullis *γραφαῖς Scripturis*, ſeu ſcriptis literis alligaſſet, careret Eccleſia infallibili regula & cynoſura, ad quam verſiones omnes exigendæ ſunt. Et pro tali Scriptura ita Dei providentia & Eccleſiæ cura invigilarunt hactenus, ut in mundo integra perſeveraverit, cùm verſionem aliæ penitus interierint, aliæ multiplicem labem contraxerint, & diverſa fata ſubiverint; aliæ meliores licet præſtantioréſque diras inſectationes paſſæ ſint, patiantúrque adhuc. 2. Faciem ſuam ita Deus à Judæis abſcondit, juxta comminationem, ut tamen induratio iis contigerit *ἀπὸ μέρους ex parte*, ad certum videlicet tempus, *donec plenitudo gentium intraverit.* Tum enim *totus Iſraël ſalvabitur*, Rom. XI. 25. 26. Et eo ipſo tempore, quo faciem ab iis Deus abſcondit, nec Scriptura originali eos defraudavit: & in conſervanda incredibili fide, ſtudio & induſtria ii deſudarunt, capſarii, depoſitarii Chriſtianorum, uti meritò à S. Patribus appellantur, fruituri aliquando ſuis laboribus, cùm denuo faciem ſuam Deus ad eos converterit. 3. In nulla verſione reperire nos eam fidem, peritiam, authoritatem, quæ nos poſſit *πιςοῦν certiorare ad fidem*, ſcripſi, quoad dictiones ſcilicet ſingulas, & eo ſenſu, quòd fidei certitudo non ullius hominis labore & induſtria, ſed verbo eo, quòd *αὐτοπίςως primariò* ineſt fontibus; & *ἀξιοπίςως ſecundariò* etiam verſionibus humana induſtria adornatis, quatenus illæ cum fontibus conformatæ ſunt; nitatur.

Digitized by Google

tur. In Bibliis igitur nostris verbum Dei contineri, *πιστούμεθα certioramur ad fidem*, non quatenus in iis sunt verba humanorum Interpretum, & dictiones singulæ spectantur; sed quatenus continent illud verbum, quod in fontibus & quoad rem, & quoad dictiones *αὐτόπιστοι*, expressum in iis ita est, ut cùm fontibus in præcipuis saltem, & ad salutem cognitu necessariis, conveniat. Tolle verò fontes hos *αὐτοπίστους*; & ruent versiones universæ, prototypo & regula, ad quam exigi eas oportet, destitutæ; ac cum iis etiam *πληροφορία* fidei certa persuasio omnis interibit.

OBIECT. III. *Hebræi & Græci suos habuerunt textus authenticos. Quid ni ergo etiam haberent Latini?* Resp. 1. Dispar ratio est. Hebræi enim & Græci gavisi sunt ipsis *Fontibus* & *Originalibus*. At Latini non nisi *translatione*, quæ authentica esse non potest. 2. Potius inde concluseris, cùm Latinum idioma hodie nuspiam ampliùs receptum sit, vulgatam Latinam antiquandam, & singulis nationibus peculiari idiomate gaudentibus singulas versiones authenticas procurandas esse.

EXCIP. REDING: 1. *Quomodo originalibus gavisi sunt Hebræi & Græci, cùm interierint pridem? 2. Ea est S. Scriptura authentica, de qua certos nos reddit Ecclesia. At de vulgata certos nos reddidit ejus usus longissimus, & Concilii confirmatio.* Ib. pag. 224. Resp. 1. Quo sensu Hebræa & Græca editio originalis sit, supra diximus. 2. Authentiam nec usus, nec approbatio particularis Ecclesiæ, qualis Tridentina fuit, sed quoad materiam & formam internam verbum Dei *αὐθέντικον*; quoad formam externam dictiones eæ, quibus authores seu Scriptores Divini à Spiritu Dei afflati, verbum comprehenderunt, faciunt.

OBIECT. IV. *Generalia Concilia celebrari non possent, si una editio authentica, quam omnes intelligere possint, non extaret. Paucissimi enim linguas originales intelligunt.* Resp. 1. Danda igitur ex præcepto Apostolico 1. Thess. V. 19. 20. opera Doctoribus & Episcopis, ne originalia ignorent. 2. Inde hoc demum concluditur, quòd textus communis esse debeat in Lingua Synodicis intellecta, non quòd versio extare debeat ita authentica, ut ab illa ad fontes nulla provocatio detur.

EXCIP. REDING: *Apostoli præcepto fieri satis potest, etiamsi Hebræa & Græca ignorentur. Spiritus enim author Scripturæ, & Prophetia, seu authentica ejusdem interpretatio est penes ecclesiam, cujus est editionem authenticam determinare. illa verò vulgatam determinavit.* Ib. pag. 224. 225. Resp. An ita Ecclesia Vulgatam authenticam definivit, ut originalium authentiam de ponte præcipitaverit, regulámque adeò de versionibus quibusvis judicandi è medio sustulerit? Negant vestri, quibus aliquid adhuc circa cor salit: negat inprimis vitula tua, Cardinalis Pallavicinus, asserens *Histor. lib. VI.* 17. Concilium decreto eo nec textui Hebræo, nec Græcæ Interpretationi τῶν LXX. nec aliis etiam versionibus præjudicare voluisse. Et quicquid vobis videatur, ignorantia linguarum originalium, qua nimis crassa vos Monachi laboratis, *Spiritum*, hoc est, charismata spiritus sufflaminat, & *prophetiam*, hoc est, interpretationem verbi Dei multùm multúmque impedit. Obscuri enim textus ex fontibus expediendi sunt. Si ad Ecclesiam hîc recurreris, dic sodes,

dea,ubi Ecclesia obscurorum textuum interpretationem ita authenticam, ut ad fontes nemini ampliùs eundum sit, consignatam reliquit? Manifestum nimis est,quod supra dixi. fontibus vos stragem moliri.

OBIECT. V. *Translatio aliqua ut Classica,conformitatis gratia,Scholis est præcipienda. Atqui non alia aptior esse potest quàm vulgata.* Resp. 1. Translatio *classica* non idcirco *authentica* est,ut ab ea ad fontes appellare non liceat. 2. Aptiores dari,quàm vulgatam,superiùs ostendimus. 3. Neque spernimus vulgatam ut *commendatam*,sed rejicimus ut *imperatam*, & examini originalium non subjectam.

EXCIP. REDING: *Tu ipse editionem aliquam, originalem nempe, agnoscis imperatam, & ulteriori examini non subjectam. Et tamen eam esse authenticam, certa fide non constat. Oportet igitur venire ad aliud principium, Ecclesiam,cujus est determinare genuinam & authenticam Scripturam, à qua provocatio nulla detur.* Ib. p. 225. Resp. Pergis ita φλυαρεῖν. Vera Ecclesia sibi neutiquam arrogat potestatem definiendi genuinam & authenticam editionem; sed definitam à Deo reverenter amplectitur. Deus autem authenticam definivit non eam,quam Ecclesia hæc vel illa sine ratione talem pronuntiat; sed eam, quæ originaria est,hoc est,quæ continet easdem voces dictionésque omnes,quas Scriptores θεόπνευστοι amanuenses Dei, in suo quique idiomate,dictante Dei Spiritu, calamo consignarunt, & posteritati reliquerunt, quas Dei Providentia intemeratas conservavit, & ad finem usque mundi conservabit.

OBIECT. VI. *Variæ versiones turbant unitatem & pacem ecclesiæ, uti docent hæreticorum translationes variæ.* Resp. 1. Concludi hinc ad extremum potest, unam extare translationem oportere, sed non authenticam & originalibus non subjectam. 2. Nec varietas translationum originalibus subjectarum turbat pacem, sed textum elucidat. Plus enim vident oculi, quàm oculus.

EXCIP. REDING: *Ex varietate versionum nunquam lux veritatis ea certitudine, quæ requiritur, illucescere potest. unde necessum ecclesiæ unitatem turbari.* Ib. pag. 225. 226. Resp. Potest haud dubiè per gratiam Dei, si variæ versiones cum fontibus ipsis, & regulis hermeneuticis comparentur. absque quo est, fluctuare miserè eos oportet,qui versioni, quæ ad Lydium lapidum nullum explorari potest, ubique fidere necessum habent. quæ vestra pudenda servitus & fluctuatio est.

QUÆSTIO IV.

QUÆSTIO IV.

An Christiani in rebus fidei & morum non alium sensum amplecti debeant, quàm quem tenet Romana ecclesia, & unanimis consensus Patrum?

AFfirmat Synodus, in decreto *de usu librorum S.* ubi *per Sanctam matrem ecclesiam* intelligit particularem Romanam, quam penes esse jus supremum interpretandi Scripturas, ita ut ab ea nulla sit appellatio, pertendunt. Quamvis autem hic quatuor soleant erigere tribunalia *Ecclesiæ, Conciliorum, Patrum,* & *Papæ*; tamen subductis ritè calculis solus restat *Papa,* seu privatus & enthusiasticus Papæ Spiritus, qui Scripturam admittit quidem ut *regulam,* nempe partialem, sed ad nutum ipsius applicandam & *regulandam.* Nos igitur in hoc sensu negamus quæstionem, & per-lia, nempe tendimus contra, unumquemque fidelem verum & genuinum Scripturæ sensum ex ipsis Scripturis, contracta cum iis, ut loquitur Augustinus, familiaritate, & à clarè positis procedendo ad obscuriora, eruere debere, nec in eo cujusquam, vel hominis vel hominum cœtus dictaturam sequi. Rationes nobis sunt.

ARG. I. Fideles singuli tenentur legere Scripturam, scrutari & intelligere. Ergo iidem eas interpretari tenentur. Nam qui intelligit, sensum verborum assequitur, adeóque interpretatur.

RESP. REDINGO: 1. *Obligatio legendi & intelligendi Scripturae nulla esse potuit tempore Christi, & initio Evangelii, quia tum Scriptura Evangelica nulla extitit.* 2. *Fideles singuli legere & intelligere Scripturas tenentur vel in fundamentalibus tantùm, vel in omnibus. Si prius, edissere, qui sint articuli fundamentales. Si posterius, cur fundamentales à non fundamentalibus distinguitis?* Tract II. pag. 226. Resp. O paleas tuas, quas ventus quilibet dispulerit! Hoccine respondere est? 1. Si Christi tempore nulla extitit Scriptura Evangelica, an iccirco non extiterunt Moses & Prophetæ de Christo testantes? An iccirco extituræ Evangelicæ Scripturæ nunquam fuerunt, nec prædicatum viva voce verbum Scripturæ mandandum fuit, ut lectionis & intelligentiæ objectum deinceps non aliud, quàm Scriptura existeret? 2. Legenda insuper, intelligenda est tota Scriptura, quæ in nullo apice frustra exarata est, sed ut legatur, intelligatur. Tuum verò de articulorum fundamentalium & non fundamentalium discrimine cothurnum, quem cuilibet pedi aptare velles, solidarum rationum inops, *Diss. Sel. Tom. II. Diss. VIII.* fusè destruximus.

ARG. II. Singulis fidelibus Scripturæ mandant diſcretionis & applicationis judicium, Eſaj. L VI. 1. Mich. VI. 8. Matth. XXIII. 23. Luc. XII. 57. 1.Cor.XI.13. & XIV. 29. Phil.I.9.10. 1.Theſſal.V.21. 1.Joh. IV. 1. Judicium autem fieri debere non ſecundum Pythagoricum *αὐτὸς ἔφα* Papæ, ſed ſecundum Scripturas, patet, quia probandi ſunt ſpiritus propter Pſeudo-prophetas & Antichriſtum, 1.Joh.I V.1.2.3. Omnia igitur extra Scripturas habenda ſuſpecta.

RESP. REDING: *Utique ſingulis fidelibus judicium diſcretionis & applicationis competit. ſed fundatur illud ſuper Scripturis non ex proprio cujusque ſenſu, ſed ex Eccleſiæ vel Conciliorum ſententia expoſitis intellectiſque. Fideles enim ordinariè non habent evidentiam Dei atteſtantis, quia verbum Dei ſub obſcuræ revelationis ſpeculo ænigmatico latet.* Ib. pag. 227. 228. Reſp. Imò tu potiùs, homo obſcuriſſime, ſub ſpeculo ænigmatico Chryſippæarum ſpeculationum tuarum latitare velles. Sed latitare non potes. Scripturas quiſque fidelis ex ſola Scriptura, non ex proprio ſenſu præter & extra Scripturam, & demonſtrationem ex ea, vagante: non ex Eccleſiæ, nedum ex Papæ, in cujus ſcrinium Eccleſia veſtra Tridentina reſolvitur, ſententia, ex Scripturis ad conſcientiam non manifeſtata, utpote quæ humana & fallibilis tota eſt; intelligere & exponere debet. Et Spiritus Dei ſicut toti eccleſiæ, ita ſingulis fidelibus atteſtatur, Rom. VIII.16. 1.Cor.II.10. *Nos omnes*, ita Tibi obloquentem S. Paulum 2.Cor.III.18. audi, *revelata facie gloriam Domini κατοπτριζόμενοι velut in ſpeculo intuemur.* Non igitur verbum Dei, quatenus illud Scripturis manifeſtatum eſt omnibus & ſingulis, non ſoli Eccleſiæ, non ſoli Papæ & Cardinalibus, qui revelationem eam, quo loco habeant, nimis notum toti mundo eſt; *ſub obſcuræ revelationis ſpeculo ænigmatico* latet; ſed lucerna eſt; ſpeculum eſt, in quo Deum, ejúſque gratiam & gloriam intueri piis omnibus licet. in *ænigmate* quidem (1.Cor.XIII.12.) hoc eſt, ſubobſcuriùs in hac vita; in altera verò *πρόσωπον πρὸς πρόσωπον facie ad faciem.* Qualemcumque enim in hac vita cognitionem de Deo habemus, & undecunque illa oriatur, ſive *ἀμέσως* à Scriptura, ſive *ἐμμέσως* ab eccleſia, ſemper illa in hac vita eſt eritque *in ænigmate.* Proin meram tu inſcitiam prodis, cùm Scripturam, priuſquam ab eccleſia exponitur, *ſub obſcuræ revelationis ſpeculo ænigmatico latere* dictitas, &, cùm ab eccleſia expoſita eſt, exire ſpeculo ænigmatico innuis.

ARG. III. Promittitur intelligentia Scripturæ abſque authentica doctorum humanorum interpretatione, Eſaj.LIV.13. Jerem.XXXI.34. 1.Joh. II.27. per ſolas Scripturas, ſeu analogiam fidei, Rom.XII. 6. quam ſecuti ſunt jam olim *Levitæ,* Nehem. VIII. 9. *Beroënſes,* Act. XVII. 11. vetuſtiſſimi Eccleſiæ *Patres,* Athanaſius, Theodoretus, alii.

RESP. REDING: 1. *Promiſſio Divina, quòd futuri ſimus à Deo edocti, frater fratrem non ſit docturus, unctio Dei nos ſit doctura omnia, ita intelligenda eſt, quòd Deus Spiritu ſuo nos edocturus ſit; ſed non ſine doctrina externa Eccleſiæ, Paſtorum & Doctorum ejus, eum in finem à Chriſto datorum, ne puerorum inſtar fluctuemus, & quolibet vento doctrinæ circumferamur.* 2. *Prophetia illa juxta analogiam fidei, Rom. XII. 6. eſt chariſma non æqualiter omnibus, ſed quibusdam, Eccleſiæ Patribus, datum. Standum ergo eſt unanimi ſen-*

ſententia

Digitized by Google

ſentia Patrum. Ib.pag.228.229. Reſp.1. Ita eſt. Deus promittit inſtitutionem infallibilem, Divinam, per Spiritum ſuum, idem ſcilicet verbum, quod Chriſtus Filius Dei in fine dierum locutus eſt, & per Apoſtolos ſcripto conſignari curavit, cordibus fidelibus omnium, non quorundam duntaxat, inſcripturum. Neque hic Paſtorum, doctorum, Patrum operam & inſtitutionem ſubordinatam excludimus; ſed eam potiùs admittimus ea lege, ut ſit merè miniſterialis, Scripturæ, & demonſtrationi ex eadem alligata, denique examini fidelium quorumvis, inſtitutionem publicam ad amuſſim Scripturæ, adeóque privatim etiam legendæ intelligendæque, exigentium, ſubjecta. Infallibili enim & authenticæ extra demonſtrationem ex Scripturis inſtitutioni externæ poſt Apoſtolorum tempora in Eccleſia locus nullus eſt; eíque dicta à me citata refragantur validè. Neque gratia illa, qua homo quivis interiùs à Spiritu S. ad credendum & amandum movetur, eſt cœcum quidpiam, ſed cum intelligentia in quolibet fideli conjunctum. *Sic docet Deus,* uti S. Auguſtinus *contra Pelag. lib.I.13.* ſcribit, *eos, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agunt, ſcire, & quod ſciunt agere.* 2. Prophetiam, ſive donum aliquid ceu revelatum à Deo in verbo indubitabili enuntiandi, adeóque etiam Scripturam ex Scriptura exponendi, non æqualiter datum eſſe omnibus, largimur. Diverſa enim menſura Spiritus S. dona ſua elargitur. At certo ordini, puta Paſtoribus & doctoribus duntaxat illud alligari tribuíque, egregiè falſum eſt. Ipſe enim Apoſtolus v.6.7. diſtinguit *χαρίσματα dona,* inter quæ prophetiam refert, à *διακονίᾳ miniſterio;* & miniſteria diſtribuit in varios ordines, non autem chariſmata. Idque inde etiam apparet, quòd ipſis perſonis in eodem conſtitutis miniſterii gradu hæc ipſa chariſmata variè diſtribuuntur. Non enim omnes Miniſtri, Paſtores, doctores æquè aut linguas interpretantur, aut prophetant.

ARG. IV. Non tantùm Chriſtus amandat ad Scripturas, non viſibilem & infallibilem alium interpretem, Joh.V.39. Matth.XXII.29. Luc.X.26. ſed etiam Apoſtoli nulla habita proprii privilegii aut Papalis infallibilitatis ratione, non alium interpretem, quàm Scripturam appellant, Act. XV.6.7.&c. 2.Tim.III.17. 2.Pet.19.20. Neque etiam primitiva Eccleſia ad ejuſmodi infallibilem interpretem unquam provocavit, quin potius Papas ſe invicem lancinantes, & majorum decreta ac decretalia reſcindentes, reprehendit, & in Conciliis condemnavit.

Resp. Reding: I. *Chriſtus ad Scripturas amandans, eaſdem viſibiliter præſens interpretatus eſt infallibiliter; ex ſignis viſibilibus & teſtimonio Patris operibus firmato interpretationi ſuæ evidentiam prudentialis credibilitatis concilians.* 2. *Act.XV.6.7. &c. in diſquiſitione illa ita Scripturæ allatæ ſunt, ut Petrus tamen ſurgens ex iis, quæ Deus in N. T. probavit, ſignis, deciderit ſententiam, atque in ejus ſententiam iverint reliqui. Interpretati igitur ſunt Apoſtoli ex infallibilitatis & authoritatis Apoſtolicæ privilegio.* 3. *Eccleſiam primitivam Papas reprehendiſſe & condemnaſſe, cerebri Calviniſtici commentum eſt.* Ib. pag.229.230. Reſp.I. Ex Joh.V.34-39. manifeſtiſſimum eſt, Chriſtum rejecto omni teſtimonio humano, tanquam infallibili nempe & authentico, ab operibus ſuis de miſſione ſua teſtificantibus; ab ipſo Dei Patris de ſe teſtimonio, ad Scripturas demum v 39. provocaſſe. Si id fecit is, qui infallibilis doctor, & tum etiam corpore ſuo præſens erat, quantò magis, Chriſto non ampliùs corpore ſuo præſente, nec infallibili voce ſua extra Scri-

Digitized by Google

pturas univerſas coram docente, rejecta humana, quam pro infallibili & authentica Papa & Epiſcopi venditant, interpretatione omni, ad Scripturæ regulam fideles quivis inſtitutionem hominum univerſam, ſuámque etiam fidem adſtringent, exigentur: Neque Chriſtus eo loco ſuæ Scripturarum interpretationi ex ſignis & teſtimonio Patris *evidentiam credibilitatis prudentialis*, uti *prudentialis* ille myſta errori ſuo *credibilitatis evidentiam* aſtruere ſatagit, conciliavit; ſed de ſe judicandum eſſe, non ex humana authoritate, & teſtificatione ulla, ſed ex operibus ſuis, teſtimonio Dei Patris, denique Scripturarum, (quas non ipſe eo loco interpretatur, ſed ſcrutari ſimpliciter mandat) aſſeruit. 2. Apoſtoli quidem infallibilitatis privilegium habuerunt. Eo cùm deſtituantur ordinarii Eccleſiæ Miniſtri, ac multò magis Papa & Epiſcopi Pontificii, qui curam de interpretanda Scriptura jam pridem poſteriore loco amandarunt, ad demonſtrationem veri Scripturæ ſenſus ex ſolis Scripturis obligantur. Et tamen ipſos Apoſtolos infallibilitatis dote præditos, Scripturas, universámque fidem ex Scripturis probaſſe, cùm omnes eorum Scripturæ, tum Hieroſolymitanæ inprimis Synodi hiſtoria manifeſtè probat. Nam ita quidem v.7.-13. S. Petrus, Paulus & Barnabas ex Spiritu Dei in gentes etiam illapſo, nec non ſignis inter gentes patratis, & communi ratione conſequendæ ſalutis (quæ ſingula non ex proprio motu, ſed prædictionum ipſius Scripturæ eventu arceſſiverunt illi) diſcipulis circumciſionem non eſſe imponendam arguunt, ut v.13.14. &c. Jacobus id ipſum planiùs apertiúsque ex Scripturis comprobet. Si tanta poteſtate, tótque prærogativis præditi Apoſtoli, non proprio tamen motu quicquam locuti ſunt, vel edixerunt, ſed ex Scripturis ſententiam ſensúmque omnem demonſtrandum duxerunt: an Papæ & Epiſcopis nulla ejusmodi Apoſtolica dote inſignibus competere poteſtatem ſua, prætorum inſtar, ἀναποδείκτως & ἀδιακρίτως obtrudendi, fideléſque à jure illorum ad Scripturæ normam exigendarum deturbandi, putamus? Faceſſant illi procul! Solus nobis Deus in Scripturis voluntatem ſuam pandens *judex*, ſolus *Legiſlator*, ſolus *Rex* eſt, Eſaj. XXXIII.22. 3. Papas ab Eccleſia primitiva & Conciliis ex Scripturis reprehenſos damnatóſque tibi Eleutherium, Liberium, Anaſtaſium, Honorium, Adrianum, Gregorium VII. Johannem XXII. Eugenium IV. ſiſto.

ARG. V. Interpretatio Scripturarum eſt donum Dei, liberè à Spiritu S. collatum ad ædificationem eccleſiæ, Rom. XII.6.7.8. Tyrannidem igitur exercuit Synodus, & Spiritum S. in ordinem redigere molita eſt, interpretationem Scripturæ reſtringens ad cœtum particularem, imò hominem unum, Papam, & vetans talentum à Deo conceſſum in mercimonium ſpirituale erogari. Monuerunt hoc & urſerunt ipſi in Concilio Theologi quidam, pro ſe allegantes Cajetanum, quorum argumenta prægnantia apud Hiſtoricum *lib. II. pag.* 138. extant.

RESP. REDING: 1. *Prophetiæ donum, juxta Paulum Epheſ. IV. 12. 13. datum eſt Paſtoribus & doctoribus, ne vento omnis doctrinæ circumferamur. Satis igitur per Paſtorum & doctorum donum iſthoc proviſum eſt reliquis dono illo carentibus. Cúmque S. Patres dono illo abundaſſe fateamini, qua fronte Tridentinum Concilium, vetans, ne quis audeat S. Scripturam contra unanimem S. Patrum conſenſum interpretari, tyrannidis inſimulas? 2. Poſſunt præter Papam & Epiſcopos etiam Theologi Scripturam interpretari, dummodo*

regulas

Digitized by Google

regulas Divinitus ordinatas ſervent. Abundè igitur libertatis Eccleſia habet. Ib. p. 231. Reſp. 1. Aliud eſſe donum prophetiæ, aliud Paſtorum & doctorum miniſterium; atque illud latiùs patere, quàm hoc, ſupra firmavimus: Neque proviſum omnino eſt Eccleſiæ, ſi Paſtoribus & doctoribus duntaxat prophetare, Scripturam interpretari liceat, reliqui verò omnes, ceu bruta *ἄλογα*, ad cœca obſequia hominum, qui natura mendaces ſunt, nati ab interpretationis jure omni arceantur, & Paſtorum ſuorum interpretamenta ex Scripturis explorare, vera adoptare, falſa rejicere prohibeantur. Defraudabuntur enim ſic neceſſario veros Paſtores à falſis diſcernendi ſubſidio, & à ſuavi afflatu Spiritus S. ſpirantis quò vult, per meram utique tyrannidem, ſummovebuntur. Et quid mihi S. Patrum unanimem conſenſum occinis? An tu, nedum plebejus quiſque, Patres illos conſentientes oculis tuis uſurpaſti, auribus percepiſti, animo trutinaſti? An vel unum evolviſti? Annon & ipſi, homines utique & fallibiles ſinguli, probandi explorandíque ſunt? Ad quam verò, niſi verbi ſcripti, extra quod nullum aliud in mundo occurrit, regulam indeclinabilem? Tyrannidis proin manifeſtæ rei ſunt Tridentini, qui ad Patrum conſenſum, quem ne milleſimus quidem inveſtigare queat, ita fideles obſtringere conantur, ut diſcretionis & explorationis eorundem ſubſidia è medio tollant. Hoc agunt, ut à Scripturæ brevi & Regia via, quam ſe infeſtam habere nôrunt, ad immenſa devia, & Oceanum vaſtiſſimum impenetrabilémque ſeducant, quò erroribus ſuis indormire, & ſacram dominâtionem ſecuriùs proferre queant. 2. Inter regulas Theologis præſcriptas eſt ſenſus Eccleſiæ Romanæ, in Conciliis, Tridentino inprimis, expreſſus. Ab eo deflectere vel ad dextram, vel ad ſiniſtram nefas. Adſtringuntur præterea ad verſionem, à qua ad fontem intuta iis provocatio eſt. Plebejos verò Scripturam legere vel intelligere piaculare vobis habetur. Annon ſic Spiritus S. donis commeatus omnis intercluditur, & libertati fidelium clades præſentiſſima infertur?

ARG. VI. Secus fides noſtra reſolvitur in homines ſuâ naturâ mendaces, & caducum adeóque in parietem inclinat. A quo dehortatur Spiritus Dei Eſaj. II. 22. *Deſiſtite ab homine, in cujus naribus ſpiritus eſt,* במה נחשב הוא *quid reputationis eſt ipſe?*

Resp. Reding: 1. *Si Scripturæ interpretatio privato cuique ſpiritui permittatur, an tum fides non reſolvetur in homines natura ſua mendaces? Secus apud nos fit, ubi fides nititur Eccleſiæ columna, quæ tutiſſima eſt.* 2. *Verborum Eſaj. II. 22. ſenſus eſt: Deſiſtite ab homine, (puta Chriſto vexando & occidendo,) quia ſpiritus in naribus ejus eſt, &c. Quid hoc ad rem?* Ib. pag. 231. 232. Reſp. Spiritus privatus, qualem ubique nobis objicis, eſt Spiritus Eccleſiæ veſtræ, hoc eſt, Papæ, cui, licet oracula ſua ex indubitabili verbo non demonſtranti, obſequimini. Spiritus autem Scripturæ, & demonſtrationi ex eadem alligatus, communis eſt omnium fidelium, & privatus cujuſque, qui non aliena eáque humana ſententia niti, ſed *ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορεῖσθαι in propria mente certus eſſe*, Rom. XIV. 5. non alienæ libidini mancipari debet. 2. Ineptè Eſaj. II. 22. אנוש *homo* ille, *in cujus naribus ſpiritus eſt*, tibi Chriſtus eſt. de quo ibi nullus ſermo. Imò verò Chriſtus, homo ſecundus, factus eſt *in ſpiritum vivificantem*, 1. Cor. XV. 45. Accuſantur illi, qui deſeruerunt Jehovam, & adhæreſcunt homini, in quo eſt reciprocatio Spiritus per nares, quo deficiente nihil ſunt, Pſal CXVI. 4. Sed quicquid de ſenſu loci fiat, fidem Divinam in hominem reſolvi poſſe, ipſimet *αὐτοκατάκριτοι* negatis.

ARG. VII. Pontifices fallibiles ſunt,tum quia nuſpiam iis promiſſa infallibilitas; tum quia erráſſe eos,docent exempla Liberii, Eleutherii, Anaſtaſii, Honorii, ac inprimis poſteriorum,qui juxta oraculum Pauli 1.Tim. IV.1.à fide deſciverunt, & ejus naufragium fecerunt.

RESP. REDING: 1. *Papa, qua privatus doctor, errare poteſt; non qua munus Paſtoralis à Chriſto promiſſæ & collatæ poteſtatis erga univerſam eccleſiam exercet. 2. Locus 2.Tim. IV.2. noviſſimis temporibus diſceſſuros quosdam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, ſpiritui veſtro privato, qui erroris ſpiritus eſt, præprimis quadrat.* Ib.pag.232. Reſp.1. Papa docens ea,quæ ex Scripturis non demonſtrat, ſemper privatus doctor eſt. Diſtinctionis verò privatum inter & publicum doctorem monſtrum ſupra etiam debellavimus. 2. Qui ſint illi,qui noviſſimis diebus à fide deflexuri, ſpiritibus erroris attendent, tam clarè Apoſtolus docet,ut, niſi ſcotomate percuſſi,id pridem viſuri omnes fueritis. Nam v.3. perſpicuos eorum characteres pandit, quòd ſcilicet prohibituri ſint matrimonium,& abſtenturi à cibis quibusdam, quos Deus condidit, &c. Annon vos matrimonium integro ordini prohibetis? Annon jejunandum eſſe in delectu ciborum,hoc eſt,abſtinendum à certis cibis,quos Deus condidit, pertenditis? En, lepus es, & pulpamentum quæris!

ARG. VIII. Si infallibilis ejuſmodi interpres eſt Eccleſia ſeu potiùs Papa,cur Chriſtus tam neceſſarii interpretis nuſpiam meminit? Cur Paulus in exactiſſima Epiſtola Romanam eccleſiam de tanto privilegio non admonuit? Cur Petrus in Catholicis ſuis Epiſtolis hoc ſibi privilegium ad ſucceſſores propagandum non arrogavit,non exercuit? Cur Pontifices commiſſum illud ſibi,uti jactant,talentum defodiunt,qui per tot ſecula diſſentientibus de textu Chriſtianis,infallibilem aliquam Scripturæ explanationem non exhibuerunt,& Pontificios,nominatim Thomiſtas & Scotiſtas,Jeſuitas & Dominicanos, de rebus graviſſimis diſſentientes,non compoſuerunt? Cur Scripturæ nodos & ἄπορα non expediunt,myſteria non explanant,eccleſiam à tanta mole commentariorum & moleſtiarum non liberant?

RESP. REDING: 1. *Chriſtus juſſit audire Eccleſiam. Petrus infallibilem interpretem in epiſtolis ſuis egit. Paulus Interpretis Petri non meminit, quia incertum erat,an Petrus ſedem ſuam aliò translaturus eſſet, aliúmque ſcopum habuit. 2. Diſſentiunt Theologi non in dogmaticis doctrinis, ab eccleſia definitis; ſed in remotioribus quibusdam conſequentiis, quæ aliquando probabiliter deducuntur. qui diſſenſus in eccleſia utilis eſt.* Ib. pag.232. Reſp.1. Quæ eccleſia, & quomodo audienda ſit, infra diſcutimus. Bene, quòd in epiſtolis ſuis infallibilem interpretem Petrum egiſſe,agnoſcis. Ibi igitur,non in fictitio ſucceſſore, non in traditionum ſupplementis, quorum nulla in epiſtolis ejus mentio eſt,infallibilem ejus doctrinam quærite. Alioquin quid ſcribere, & non potiùs ſucceſſorum ſuorum vicariæ infallibilitati relinquere omnia, attinebat? Paulo alium ſcopum fuiſſe, ad Romanos ſcribenti, certum eſt. Juſtitiam enim ex Cœlo revelatam in Evangelio, eo etiam,quod ille in tota epiſtola deſcribit; non in Pontificum decretis, Eccleſiæ Romanæ ultimorum temporum ſenſu contineri, ſcribere ei conſtitutum fuit. Et cur Petri, quem

quem ſcriptæ Epiſtolæ tempore Romæ egiſſe, & Pontificem ac vice Chriſtum egiſſe muſteæ hypotheſes veſtræ ferunt, nullo apice meminit? Cur curam Romanæ Eccleſiæ præſenti ſuo Pontifici non reliquit? 2. Diſſentire vos in plurimis, & quidem circa textuum Scripturæ intelligentiam, negare non potes. Vel ſola Theologiæ tuæ Scholaſticæ rapſodia antilogiarum infinitum chaos complectitur. Addo ego, magna contentione odiſque implacabilibus; & de rebus magni momenti, ipſóque etiam fidei veſtræ principio, Papæ videlicet ſupra Concilium eminentia, inter vos diſputari, neque perſuaſurum te Pontifici ipſi, ut diſſenſum talem utilem eſſe, credat. Cur ergo Palæmonem non agit ille fallere & falli neſcius interpres? Cur Alexander VII. nuper contendentes Jeſuitas cum Sorboniſtis de *aliquali neceſſitate amoris Divini*, definitiva in re tanti momenti ſententia ſua dirimere renuit? Imò cur in obſcuris, remotis, perplexis, profundis, de quibus inter vos diſſenſum perpetuum æſtuare ais, non ſuccurrit Romanus Apollo? Annon enim talia potiùs Hermetem quempiam & Oedipum divinatorem requirunt, quàm didactica clara, proxima, plana, obvia, quæ quivis ſine Interpretis externi opera, ex ſolius verbi revelati tenore dijudicare poteſt? Denique ubi Papa veſter in didacticis etiam ſingulos Scripturæ textus interpretatus eſt, & à mole moleſtiarum tantarum commentationúmque Eccleſiam liberavit? En interpretem jactatis Scripturæ infallibilem, qui Scripturam non interpretatur, ſed vel negligit, vel, ne viſibili Monarchiæ ſuæ, quam in mundo malis artibus quæſivit, malis retinet, damnum aliquod afferat, torquet.

ARG. IX. Denique luce meridiana magis pellucet fraus & impoſtura Concilii. Non ignoraverat, Evangelicam doctrinam inniti claris Scripturis. Quid ergo? Ut ab earum præſidio nos depellat, interpretationem earum authenticam eccleſiæ Pontificiæ ſeu Papæ vendicat, & necquicquam Scripturæ tribunal appellantes & ſolicitantes, multùm plorare jubet. Faceſſite ergo Eccleſiæ Græcæ, Æthiopicæ, Orientales! Faceſſite Evangelicæ Europææ! Non alia via ſanctæ matri eccleſiæ, hoc eſt, Pontificiorum cœtui particulari, ſeu Papæ reconciliari licèt, quàm ſi ſpiritui Papæ Scripturas pro lubitu, ſuo arbitrio & Marte torquenti, ſacramento religiosè dicatis!

Resp. Reding: *1. Concilium eum ſenſum complecti juſſit, quem ſemper tenuit Eccleſia, ea ſcilicet, cujus doctrinam primorum Eccleſiæ Seculorum Patres, quos veſtri rejicere non audent, tradiderunt. Tu verò illam Eccleſiam, ad cujus ſenſum Tridentini fideles aſtringunt, Pontificiam eſſe ais. Annon igitur tacitè agnoſcis, Eccleſiam Pontificiam eſſe eam Eccleſiam, in qua vera & Orthodoxa antiquorum Patrum doctrina viget? 2. Eccleſiis Græcis, Æthiopicis, Evangelicis &c. non patere ad Eccleſiam regreſſum, unde tibi conſtat? An Spiritum eum habes, quem Zvinglius, albúſne, vel, æthiopis inſtar, ater eſſet, ex quo nonniſi Græca prodiret fides; neſciebat?* Ib. p. 233. 234. Reſp 1. O te ſuave, o te lepidum caput! Quis non acumen tuum miretur? Tridentini tui fideles in rebus fidei & morum, ad ſenſum eccleſiæ Romanæ, ad unanimem conſenſum Patrum alligarunt. Eccleſiam Romanam corruptam, adeóque Pontificiam, qualis Concilii tempore erat, Eccleſiæ Romanæ, veteris ſcilicet, & unanimis Patrum conſenſus in eadem conſervati prætextu & fuco depinxerunt. Ego larvam detraxi, & Papam, præſentem ſcilicet, ſpecioſis illis nominibus

Digitized by Google

nibus prætextibúsque fucatum intelligi, innui. Ergo fassus sum in ecclesia Pontificia vigere unanimem consensum Patrum purioris ecclesiæ! Planè sic fassus sum, uti is, qui meretrici fucos & ornamenta, quibus virginem se mentitur, detrahit eandem intemeratam esse virginem, vel castam matronam, ea ratione fatetur. Quò te Papalis spiritus tui vertigo rapit? 2. Quandiu verò Papa hanc tyrannidem exercet, cum Sancta illa Matre Ecclesia Pontificia reconciliari, qui Spiritui Papæ se subjicere nolunt, non posse, nec alia ratione posse, quàm si impuro illi spiritui succumbant, res ipsa certè clamat. Neque adcò id vel mihi Zwinglii mei in Cœlo triumphans spiritus; vel tibi spiritus ille non albus, sed nigricans planè, qui Pontifices vestros Silvestrum II. Johannem XIX. Benedictum VIII. & IX. Gregorium VI. & VII. Clementem V. Paulum II. Alexandrum VI. Sixtum V. si vestris historicis fides est, agitavit, & ad nefaria impulit, dictare necessum habuit.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *In V. Test. Ecclesia habuit supremum interpretem & judicem Sacerdotem, Deut. XVII. 8. 2. Chron. XIX. 11. Talem etiam esse in N. Test. Ecclesiam ostendit Christus Matth. XVIII. 18. Sed & Christus Petro & in ejus persona successoribus jus hoc, αὐθεντικῶς Scripturam interpretandi, detulit, Matth. XVI. 18. 19.* Resp. 1. Sacerdotes V. Test. nihil judicabant ex proprio motu, & potiùs de quæstionibus politicis & ceremonialibus, quàm fidei & morum. 2. Christus Matth. XVIII. 17. jubet audire ecclesiam, non vel Papam, vel in ἀποφάσει, seu dictione sententiæ de rebus fidei authentica, sed in ἐλέγχῳ, seu correptione fraterna. 3. Neque Joh. XVI. 13. ecclesiæ magis, quàm cuilibet fideli Deus absolutam promittit infallibilitatem. 4. Sed & Matth. XVI. 18. non Petrus declaratur petra, sed Christus: neque si Petrus fuisset petra, vel ipse jus summum habuisset interpretandi, vel successores, qui nec eandem cum Petro doctrinam, nec eandem cathedram fidei habent. De his omnibus superiùs prolixè actum.

EXCIP. REDING: *1. Nec Pontifices R. ex proprio motu judicant, sed vel ex vivo Dei verbo in Ecclesia propagato Scripturæ sensum exponunt: vel ex Scriptura ipsa per consequentiam eruunt. 2. Cur summo Ecclesiæ Christianæ Pontifici jus infallibiliter interpretandi Scripturam negatur, quod Pontifici V. T. competebat? 3. Christus ita Matth. XVIII. 17. jussit audire Ecclesiam, ut promiserit, se in medio futurum eorum, qui in nomine ejus congregantur & ecclesiam repræsentant. Et ex authoritate clavium non audientes ecclesiam Ethnicos & publicanos declarat. 4. Sed & Joh. XVI. 13. promisit Christus, quòd Spiritu suo ducturus sit in omnem veritatem. Annon, qui in omnem veritatem ducitur, infallibilis est? An verò tales singuli fideles sunt? Et si singuli fideles, cur non potiùs Ecclesia? 5. Patres plures Matth. XVI. 18. per Petram Petrum intellexisse, vestri fatentur: & Augustinus illa Petro, ut figuram Ecclesiæ gerenti, dicta esse, agnoscit. Ex ipsa igitur successionis natura Papa Petra illa erit, & Ecclesiæ figuram geret, quà Pastor ecclesiæ, adeóque infallibilis.* Ib. p. 234. Resp. 1. Nimiùm tu Papæ tui potestatem restringis, quem articulos fidei condere, ex plenitudine potestatis leges sancire extra Scripturas quidvis dictare, denique jus novum facere, alibi asseritis. Cúmque in rebus fidei & morum nihil viva voce ad nos propagatum sit, quin Scripturis com-

Digitized by Google

comprehenſum idem ſit; & quod ex Scriptura conſequitur, ipſa Scriptura ſit, non igitur ſic vel Papa vel Eccleſia, ſed ipſa Scriptura authenticus ſui interpres erit; ut extra eam infallibili interprete nemine opus ſit, neque aliud requiratur, quàm ut ſenſus in Scriptura explicetur ope Spiritus S. veráque fide à fideli quovis recipiatur. 2. Summus Eccleſiæ Chriſtianæ Pontifex ſolus Chriſtus eſt. Miniſtri verò ejus novas revelationes non ſcriptas, uti quondam typici Pontifices, Divinitus nullas ampliùs excipiunt. Neque enim lege in medio omnium poſita ampliùs *frater fratrem* per novas revelationes, uti olim factum, docet. 3. Chriſtus congregatis in nomine ejus duobus vel tribus, non ſoli eccleſiæ, non ſolis ejus præpoſitis, alios repræſentantibus, uti tu fingis, addens verbis Chriſti, præſentiam ſuam promiſit. An duo vel tres illi propterea infallibiles Scripturæ interpretes, fideíque dictatores evadunt? Næ in talium medio Chriſtus nunquam eſt. Neque clavium authoritas ὑπουργικὴ clavigeros vel infallibiles, vel Scripturæ interpretes authenticos reddit, quia ex præſcripto Dei & ſententia Scripturæ ex ipſa Scriptura demonſtrata, non ex imperio ullo aperiunt claudúntque. 4. Promiſit Chriſtus Joh. XVI. 13. per Spiritum ſuum ductum in omnem veritatem, ſed πρώτως Apoſtolis, δευτέρως fidelibus reliquis, iíſque omnibus, non ſolis Eccleſiæ præpoſitis. πᾶσαν ἀλήθειαν *omnem veritatem* intelligit, non *infinitè* utique omnem, qualis Dei eſt ſed *finitè*, neceſſariam ſcilicet ad ſalutem, ratione inprimis fundamenti, in quo omnis ſalutaris veritas continetur, & quod qui habent, omnia ſciunt, 1. Joh. II. 21. neque tamen extra Scripturas, infallibilis revelationis Divinæ τεκμήριον unicum, quidquam. Qui igitur in omnem veritatem à Spiritu Dei ducitur, is infallibilis eſt, quatenus à Spiritu Dei ſe patitur duci, & verbum, quod affert, Dei verbum eſt. ut infallibilitas illa propriè non ſit hominis, quaſi ſermoni & legibus ejus neceſſum ſit parere reliquos ἀδοκιμάστως *ſine examine*; ſed Dei ſolius & verbi ejus, quod credit & loquitur. Hoc utique & toti Eccleſiæ, & ſingulis fidelibus convenit. 5. De Petra & Petro ſuperiùs diximus abundè. Unum addo. Si Petrus, quâ petra, figuram geſſit Eccleſiæ, uti rectè Auguſtinus, quicquid igitur Petro datum eſt, non utique Papæ ſoli, ſed toti Eccleſiæ, ac inprimis Miniſtris ejus fidelibus univerſis datum eſt æquo jure. Aliàs Petrus figuram non Eccleſiæ, ſed Papæ geſſiſſet.

OBIECT. II. *Malach. II. 7. dicuntur labia ſacerdotis cuſtodire ſcientiam, ita ut lex requirenda fuerit ex ore ejus, æquè ac ab Angelo Domini. Ergo ſenſus Scripturæ venandus eſt ab eccleſia & ejus præfectis.* Reſp. 1. Non arguit hoc privilegium infallibilitatis, ſed officium, quod erat in bona conſcientia id, quod ad legis myſteria intelligenda pertinebat, non proprio motu, ſed cum demonſtratione ex Scripturis loqui. Hoc autem officium illi neglexerunt, uti ſtatim ſequitur v. 8. *Vos autem receſſiſtis de via, & offendiculo fuiſtis multis in lege.* 2. Annon Chriſtus ipſe culpat eos, qui ſederunt in cathedra Moſis, quòd *clavim cognitionis abſconderint*, atque adeò labia eorum ſcientiam non cuſtodiverint, Luc. XI. 52. & arguit *fermentum* eorum, Matth. XVI. 6. & catecheſin eorum publicam accuſat, Matth. V. 20. &c.?

Excip. Reding: 1. *Si officium Sacerdotis fuit, ut labia ejus ſcientiam cuſtodiant, Scripturæ igitur interpretatio ad ſolos eos pertinuit; & jam ante is certitudinem de Scripturis, adeóque infallibilitatem quoad ſenſum à Spiritu S. dictatum habuit. Par ratio N. T.*

Digitized by Google

Sacerdotum, quia à veteri quoad ſubſtantiam dogmatum non differt. 2. *Interim Sacerdotes etiam, ut privati homines, labi potuerunt, at non ut ſedentes in cathedra Moſis, teſte Chriſto, Matth. XXIII. 2.* Ib. pag. 235. Reſp. 1. Omnino aliquid Sacerdotibus V. T. circa cuſtodiam legis incumbebat, quod non promiſcuè omnibus. Placuit quidem Deo populum erudire per legem ſcriptam, ita ut cujusvis eſſet eam & legere & intelligere. Quia tamen multa in lege ænigmata & myſteria, tum verbis *πολυμερῶς* ſubindicata, tum figuris *πολυτρόπως* depicta, hiſtorica verò evidentia adhuc deſtituta, continebantur: iccirco ſola quidem Scriptura Canon intelligentiæ fuit omnibus; *ſcientiam* eximiam tamen, ſive *clavim cognitionis* Deus Seniorum & Sacerdotum depoſitum eſſe voluit. Præfecit igitur eos populo tanquam מלאכי יהוה צבאות *Angelos Jehovæ Zebaoth*, ut vice Dei loquerentur aliquid ad populum, quod omnibus non eſſet ſtatim & æquè clarè patefactum, ſed per illos patefieri debuit. Sic etiam per *κατήχησιν* Seniorum & Sacerdotum, ſedentium in Cathedra Moſis, populum ſuum inſtitui Deus voluit. Authoritate igitur pollebant illi decreta pædagogica faciendi, & סיג התורה *ſepem legis* ſtruendi, qua populus incautior longiùs à tranſgreſſione legis arceretur. In N. T. aliter res habet. Licet enim in ſubſtantia fidei & morum utriuſque Teſtamenti Eccleſia conveniat; Eccleſiæ tamen regimen non parùm differt. Secus igitur quàm in V. T. nemini jam dictum eſt, quod non ſit dictum omnibus. Nulla uſpiam ſedes, cathedra nulla eſt, apud quam ſit clavis cognitionis ad *κατήχησιν* depoſitum. Clavis cognitionis in hiſtoria vitæ, mortis & exaltationis Chriſti, itémque in verbo Evangelii publicata eſt. Ac ſola jam *σύγκρισις πνευματικῶν* *comparatio ſpiritualium* ſufficit. Neque myſterium obſcuritatis obſcurum iis eſt, qui, claris Scripturæ ſententiis contenti, illas ad concupiſcentias non detorquent, & non ſcripta non ſuperaddunt. Neque legibus & pædagogia in rebus externis opus eſt, in quibus omnibus Eccleſia libertatem habet. 2. Quàm inepta verò ratiocinatio eſt, Sacerdotes Scripturæ interpretes propterea infallibiles fuiſſe, quia de Scripturis certitudinem ante habuerunt? Sic quotquot de Scripturæ Divinitate certi ſunt, infallibiles erunt; ipſéque Diabolus, qui de ea dubitare non poteſt, infallibilis Papa erit, vel eligi poterit. 3. Sacerdotum privatorum & publicorum doctorum diſtinctio talis eſt, qualis Papæ privati & publici doctoris, ſuperiùs efficaciſſimè à nobis eliſa. Præſumſerunt quidem jam olim etiam Judæi quidam, Sacerdotes videlicet ac Sapientes, hoc eſt, Seniores & Prophetas non poſſe aberrare à lege, & deſtitui verbo Dei, ſaltem ut à Collegio aut Concilio illorum falſa doctrina aut injuſta ſententia prodiret. Quæ eorum præſumptio Jerem. VIII. 8. XVIII. 18. Joh. VII. 48. 49. apertè & notatur & reprehenditur. Conſervavit ſanè Deus in cathedra Moſis doctrinam ſanam, in fundamentalibus ſaltem. Ita Chriſtus Phariſæos (non Sadducæos apertè impios) declarat ſedere in cathedra Moſis, licet eorum hypocriſin & falſa dogmata paſſim acerimè perſtrinxerit.

OBIECT. III. *Paulus 1. Tim. III. 15. Eccleſiam Dei viventis vocat στῦλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας columnam & fundamentum veritatis. Ergo verus Scripturæ ſenſus ab ipſa ſola repetendus eſt.* Reſp. 1. Columna & firmamentum quibuſdam viris doctis dici videtur non eccleſia, ſed pietatis myſterium, de quo in ſequentibus. Et particula *καὶ* in verſus ſequentis initio poſita, poſtulare id videtur. 2. Interim agnoſcimus, etiam eccleſiam veram dici poſſe tum *στῦλον* ſeu *columnam veritatis*, quatenus λόγον ζωῆς ἐπέχει *ſermonem vitæ habet*

habet ſuper ſe, hoc eſt, præfert, attollit, velut vexillum quoddam oſtentat, & per eum ut luminare in mundo lucet, Phil. II. 16. & quatenus eſt ιγ res ſtabilis & firma, מוסד מוסד *res bene etiam atque etiam in veritate fundata*, Pſal. VIII. 3. Eſaj. XXVIII. 16. quomodo quilibet juſtus vocatur יסוד עולם *fundamentum ſeculi*, Prov. X. 25. & τῇ πίστει τεθεμελιωμένος καὶ ἑδραῖος *in fide fundatus & firmus*, Coloſſ. I. 23. tum ἑδραίωμα ſeu *firmamentum*, non quòd veritatem faciat firmam & eam ſtare faciat, ſed partim *activè*, quatenus miniſtrat Deo ad veritatem in mundo notificandam & manifeſtandam, proponendo Scripturam, ejus divinitatem ex ipſamet demonſtrando, fundamentum ſalutis ex ea prædicando; partim *paſſivè*, quatenus in veritate fundata, per eandem ἑδραιοῦται *firmatur*, ut ita ſit idem quaſi ἑδραιούμενον ὑπὸ τῆς ἀληθείας, *quod per veritatem ſtabilitur.* Et talis eſt eccleſia vera, non quælibet; certè non Pontificia, quippe quæ aliud verbum tanquam legem Dei tradit, aliud fundamentum ponit, ſe facit dominam & authorem veritatis, & priùs cognitam Scriptura, veritate, Deo & Chriſto. 3. Atque adeò etiam eccleſia vera eſt *columna & ſtabilimentum veritatis* non αὐθεντικῶς, quaſi authoritatem de ſe ei conferat, & veritatem loqui poſſit ſine demonſtratione ex Scripturis, ſed λειτουργικῶς ſeu ὀργανικῶς, quia ejus officium eſt, in veritate ex verbo Dei agnita fundari & firmari, Scripturam velut vexillum & luminare attollere, ex ea, non proprio motu, ſermonem vitæ prædicare, celebrare, vindicare, ad poſteros tranſmittere. Atque id officium eſt non eccleſiæ duntaxat, ſed ſingulorum etiam fidelium.

Excip. Reding: 1. *Veritas verbi Divini immediatè eſt à Deo, à quo ſolo ejus fundamentum & firmamentum eſt. Sed judicium diſcretionis infallibile, quo veritas verbi Divini, ejúſque ſenſus applicatur & oſtenditur, eſt penes Eccleſiam, quia columna & firmamentum veritatis nonniſi per donum iſthoc infallibilitatis eſſe poteſt. Ipſe enim fateris, eccleſiam eſſe columnam veritatis, quatenus ſermonem vitæ habet ſuper ſe. Non haberet autem ſermonem vitæ ſuper ſe, adeóque columna eſſe deſineret, perirétque, ſi in verbi interpretatione aberraret.* 2. *Infallibilitas illa eccleſiæ non eſt authentica eo ſenſu, quaſi ex ſe ipſa ſubſiſteret, & veritati Divinæ authoritatem conferret; eſt tamen talis reſpectu noſtri, idque ob Dei juxta promiſſionem ei aſſiſtentis directionem.* 3. *Neque Eccleſia Romana ſe facit dominam & authorem veritatis, cùm ancillam ſe gerat, & fundamentum ſit tantùm prudentialis ſupernaturalis credibilitatis.* Ib. pag. 235.--239. Reſp. 1. Judicium, quo & verbi Divini, & ſenſus ejus veritas apprehenditur, diſcernitur & applicatur, eſt penes fideles in univerſum omnes, eccleſiam totam, peculiari etiam ratione penes Paſtores & doctores, ob miniſterii publici varias partes iiſdem à Chriſto injunctas. In Paſtoribus autem & doctoribus illud reſidere *infallibiliter*, in reliquo fidelium grege *fallibiliter*, tuum eſt probare, non edicere. Nugaris autem validè, cùm eccleſiam, & quoſvis in eccleſia *Sermonem vitæ habere ſuper ſe*, atque eo modo *columnam* eſſe poſſe negas, ſi infallibilitas iis negetur. Quaſi ſcilicet qui Sermonem vitæ, Scripturam infallibilem, ſuper ſe habet, ſeu ſuſtinet eo modo, quo pertica aquilam ſeu vexillum; luminare lumen, columna legem

 ſibi

Digitized by Google

ſibi inciſam, hoc eſt, Eccleſia, quæ Scripturam in manu ſua habet præfert, oſtentat, manifeſtat, tuetur, & ſecundum varia dona variè membris ejus collata, ſingulis fidelibus in id ſecundum donum ſuum incumbentibus, explicat, applicátque; atque ita *ὡς φωςὴρ ἐν κόσμῳ, λόγον ζωῆς ἐπέχων, φαίνει, ſicut luminare in mundo, lumen vitæ ſupra ſe habens, lucet*, Phil. II. 16. 17. infallibilis ſic reddatur. Et quomodo ſic eccleſia veſtra reddatur infallibilis, quæ præfert & jactat verbum *ἄδηλον*, præcepta hominum, *ἀπαράδοτα*, præter Apoſtolicas illas, quæ in omnium ore ſunt, & mediante Scriptura ad omnes pervenerunt, adeóque non veritatis, ſed mendacii columna eſt? Neque etiam Eccleſia vera, quæ quandiu talis, fundamentum fidei & veritatis retinet, columna eſſe deſinit, perítque adeò, ſicubi in Scripturæ interpretatione aberrat, adeóque in omnibus infallibilis non eſt. Non enim iccirco non ſuſtinet, non habet in manu ſua, ceu columna, Scripturam, in qua verbum Dei infallibile, quo illa vel ne labatur, vel ut lapſa reſurgat, certè ne collabatur unquam, cuſtoditur potenter, comprehenſum eſt. Fallibilis ipſa, infallibilitatis normam perpetuam in verbo Dei habet. 2. Cùm Scriptura ipſa & Divinitatem & ſenſum genuinum non tantùm in ſe habeat, quod & tu fateris, ſed etiam, auxiliante Spiritu Dei, qui in omnem veritate ducit, fideliúmque oculos & corda, illuminante gratia ſua, ita aperit, ut videant ultro mirabilia legis, manifeſtet fidelibus, ſine alio verbo authentico quovis; utique nulla authentia verbi vel in ſe, vel reſpectu noſtri, niſi in Dei verbo exiſtit: & quæ eccleſia ſibi authenticum aliquod verbum reſpectu noſtri, quo ſcilicet vel Divinitatem verbi, vel ejuſdem ſenſum evolvat, & reſpectu noſtri, manifeſtet, vendicat, illa & Scripturam vera ſua Divinitate, (Divinum enim non eſt, quod Divinitatem ſuam exerere nequit, ſicut nec Sol eſt, quod ſplendorem lucémque non diffundit;) potentia & efficacia veritatem ſuam ubique manifeſtandi, ſpoliat, & novum in Eccleſia verbum, novam legem, *ἄδηλον* & *ἀναπόδεικτον*, quæ character ſeu ſignatura Beſtiæ in Scriptura audit, introducit. 3. Meritò igitur Eccleſiam Tridentinam accuſavi, quòd authenticum ejuſmodi verbum, quo Scripturam infallibiliter Eccleſia Romana interpretetur, ſibi arrogans, aliud fundamentum ponat, & ſe ipſam *dominam & authorem veritatis, Scriptura, veritate, Deo & Chriſto priùs cognitam*, faciat. Nec dictum veriſſimè muto. Quomodo enim id inficiari poteſt, cùm de Scripturæ Divinitate, ſenſu, veritate, Deo & Chriſto quidquam cuiquam innoteſcere, niſi per verbum aliquod & teſtimonium authenticum Eccleſiæ ſuæ, cujus tamen Divinitatem & authentiam nec demonſtrat, nec demonſtrare ad conſcientiam poteſt, ſine fine & modo jactet, veróſque fideles verbo illi, utpote incerto, obſcuro, indemonſtrabili, ſe ſubjicere detrectantes, ſeverè condemnet & anathematizet? Nam quòd Eccleſiam ſuam fundamentum eſſe non ipſius Divinitatis & veritatis, ſed tantùm *prudentialis ſupernaturalis credibilitatis*, ille *prudentialis credibilitatis* Theologus regerit, non tam imbelles nos ſumus, ut terminorum illorum monſtra quicquam nos terreant. Novimus enim, Scripturam quoad Divinitatem & ſenſum ſuum eſſe & *ἀξιόπιστον fide dignam*, & *αὐτόπιστον ex ſe*, non aliunde, *fide dignam*, hoc eſt, *ſupernaturalem credibilitatem*, uti barbarus ille loqui amat, habere, licet Papæ & Cardinalium ejus *prudentiale* ſupercilium non interveniat. Nihil enim verbum Dei prudentia Papæ, non ſapientis, niſi id quod carnis eſt, hoc eſt, ad Regni ſui, quod Chriſto in mundo *μετὰ πολλῆς φαντασίας* oppoſuit, ſtabilimentum facit, indiget. Divitiæ autem gratiæ Chriſti, non Papæ, in fidelibus abundant *ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει in omni ſapientia & prudentia*, (Epheſ. I. 7. 8.) cujus non minima pars eſt, Deum in verbo ſuo loquentem, ſolum *ἀψευδῆ mentiri neſcium*, non quenquam alium peregrinum, audire, neque adeò verbi Divinitatem & ſenſum, potentem ſe commendare

Digitized by Google

mendare ad omnem conſcientiam hominum, (2.Cor.IV.2.) à dicto, verbo, teſtimonio hominis cujuſcunque, nedum illorum, qui verbum Dei cauponantur, ſuſpendere.

OBIECT. IV. *Petrus 2.Epiſt.I.20. negat, Prophetias Scripturæ eſſe* ἰδίας ἐπιλύσεως *propriæ explicationis ſeu expoſitionis. Non igitur quilibet fidelis eam exponere, ſed ſola eccleſia poteſt.* Reſp. 1. Si ſola eccleſia, non idcirco Pontificia particularis, quæ eccleſiæ veræ & nomen & rem jam pridem decoxit. 2. Ἰδία ἐπίλυσις *propria diſſolutio* Petro non notat privatam propriámque cujuslibet Chriſtiani, Scripturam ex Scripturis per infallibilem demonſtrationem interpretantis, induſtriam, ſed potiùs privatum ſenſum, quem ſibi fingit quilibet pro arbitrio, & Scripturæ impingit; qualis eſt interpretatio Papæ ἀναπόδεικτος & proprio motu facta. Opponitur enim θελήματι ἀνθρώπου *voluntati hominis*, non Spiritus S. in Scriptura loquentis.

Excip. Reding: 1. *Unde tibi conſtare poteſt, Spiritum S. huic non verò illi diſſentienti, Scripturam etiam ſcrutanti licet, infallibilem ex Scripturis demonſtrationem inſpirare? Si ad diſcretionis donum confugias, illud nec par eſt in omnibus Chriſtianis, & certis regulis prudentialibus dirigi debet.* 2. *Cùm in interpretatione Scripturæ privato ſpiritui cuivis tantum tribuas, quantum Eccleſiæ, mirum non eſt, in tot ſectas vos diſcindi. Accidit enim id inde, quia infallibilitatem demonſtrationis Eccleſiæ, ejúsque capiti in cathedra ſedenti competere negatis.* Ib. pag. 236. Reſp. 1. Si nemini Scripturam ſcrutanti conſtare poteſt de certitudine ſenſus ejusdem, de univerſa fide Chriſtiana actum erit, neque religio aliud erit quàm politicus aſtus, uti *Machiavellus* veſter, Pontificiam inprimis religionem penſitans, aſſeruit. Verùm ab eodem manat certitudo ſenſus, à quo & ipſum Dei verbum, & donum fidei & πληροφορίας manat, Deo ſcilicet per Spiritum & verbum noſtro ſpiritui atteſtante. Donum diſcretionis ita tecum agnoſco par non eſſe Chriſtianis omnibus, ut tamen negem, vel infallibilem eam præpoſitis veſtris convenire, vel in univerſum illud, qualecunque etiam, certo ordini hominum, Paſtorum & doctorum, alligatum eſſe: ita dirigendum eſſe regulis interpretationis, quas tu *prudentiales* vocas, tecum ſentio, ut inter eas locum habere Eccleſiæ, vel Papæ potiùs per verbum aliquod ἄδηλον interpretantis infallibilitatem, pernegem. Tu proba. Amas ubique τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. 2. Papæ! Quia Papæ in Cathedra ſedenti non aſſurgimus, idcirco in tot ſectas diſcindimur! Atqui vera Eccleſia æquè à ſectis, atque Pontificia innumeris ſectis diſtracta, totúmque orbem in ſectas diſtrahens, à vera eccleſia ſeparata eſt. Neque inde ſectæ originem habent, quia Papæ fidei dominanti non obediunt homines; verùm inde potiùs, quia homines multi Papali ingenio & fermento infecti, Scripturas torquent, ſibíque ſenſus non efferentibus ex Scriptura, ſed in eam inferentibus, ſaltem ex Scriptura more Papali nihil demonſtrantibus, infallibilitatem arrogant. ſecus quàm & S. Paulus hortatus eſt 1.Cor.XI.13. ὑμεῖς αὐτοὶ κρίνατε. *Vos ipſi judicate*; & Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech.*4. his verbis olim proteſtatus eſt: Μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτά σοι λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν. *Nec mihi ipſi credito hoc dicenti, niſi accepta priùs demonſtratione ex Scripturis.*

OBIECT. V. *Interpretatio Scripturarum per Scripturas, semotis efficacioribus mediis, fallax est & incerta, tum quia illa plerunque fit ex affectu & præjudicata sententia conferentium: tum quia eadem dictio & phrasis non ubique sonat idem: tum quia multa loca sunt ἅπαξ λεγόμενα, quæ proinde cum aliis similibus conferri non possunt: tum denique, quia omnes hæretici conferendo Scripturas diligentissimè, errârunt tamen, & in errorem miserunt alios.* Resp. 1. Cùm Scriptura ipsa sit infallibilis & certissima, quî fallax & incerta esse potest interpretatio per Scripturam? An certior est spiritus Papæ ἀδοκίμαστος, quàm spiritus Scripturæ? 2. Imputantur Scripturæ defectus non sui, & committitur fallacia causæ. Quid enim ad Scripturam, si quis ex affectu & præjudicata sententia loca conferat, vel in conferendis, ut hæretici solent, aberret? In quolibet disputationis genere sunt captiones creberimæ, quas tamen demonstrationes ipsæ luere non debent. 3. Aliud est agere de *vocabulorum* usu, aliud de *re* ipsa. Nam etsi ejusdem vocabuli varius usus esse possit, tamen ejusdem usus varii possunt etiam esse loci inter se conferendi. Ita quamvis occurrant vocabula ἅπαξ λεγόμενα, tamen sensus eorum idem pluribus in locis occurrere potest. 4. Quin imò analogia fidei est universalis, & ubique sic dominatur, ut sine ea explicari nullus locus possit.

EXCIP. REDINI: 1. *Cùm sensus vocum à Spiritu S. intentus ænigmatico revelationis Divinæ obscuræ involucro sit obvolutus, certitudo ejus non ex naturali vocum significatione, sed ex judicio discretionis, quod non fallaci vocum sensu, peritia Grammaticæ, linguarum, artium, sed solius Ecclesiæ infallibilitate nititur, pendet. 2. Hinc adeò Christus dedit Ecclesiæ Pastores & doctores, qui ex sensu Ecclesiæ mysteria fidei exponendo, in fidelibus prudentialis credibilitatis fundamentum extruunt, super quo uno judicium discretionis fundetur.* Ib pag 236.237. Resp. 1. Unde verò ipsa Ecclesia sensum Scripturæ, quem ænigmatico obscuræ revelationis involucro obvolutum quereris, infallibiliter eruit? Vel enim standum est Ecclesiæ seu Papæ nudo dicto, vel sensum infallibilem demonstrare illa debet. Si prius, fides efficietur merè humana, & in Pythagoricum illud αὐτὸς ἔφα resolvetur. At vox ex Cœlo audita ab hominum omnium dictis abstractos ad dictum solius Christi obligat, clamans sonorè: *Hunc audite*, non cœtum aliquem hominum, non Papam. Si posterius, in demonstrando Scripturæ genuino sensu qua regula prudentiali Ecclesia, ne in demonstratione fallatur, utitur? An analogiam fidei, nexum loci, vocum indolem, originalium inprimis genium, & similia respicit? Si ais, cur eadem regula fallax est apud singulos, quæ efficax est apud universos? Si negas, qua ergo tandem ratione Scripturæ sensum infallibilem infallibiliter demonstrat? Scilicet ad enthusiasticum Papæ spiritum magno passu omnia contendunt. 2. Apostolos Ecclesiæ Christus dedit infallibiles: ordinarios Pastores & doctores non item. Singulos enim fallibiles statuitis. Singuli verò fallibiles collecti infallibiles esse nequeunt, sicut singuli famelici, in unum collecti propterea famelici esse non desinunt. Et si ex sensu Ecclesiæ Pastores verbum Dei exponunt, oportet ante Pastorum expositionem Ecclesia sensum suum explanaverit. Ubi

verò

verò extra Paſtores & gregem Eccleſia eſt? Ubi & quibus mediis ſenſum Scripturæ explicat? Hæc nobis, Redingi, magne Apollo, ediſſere.

OBIECT. VI. *Sic privatus cujusque fidelis Spiritus erit ſupremus Scripturæ interpres. Quod quid aliud eſt, quàm enthuſiaſmis latam portam aperire?* Reſp. 1. Nos verò ſpiritum Scripturæ, eundem nempe, quo illa compoſita eſt, facimus ſupremum interpretem Scripturæ, quia ſenſum ex Scriptura ipſa demonſtrari volumus. Pontificii contra ſpiritum *privatum* & *enthuſiaſticum* Papæ, quippe qui ab omnibus explorari, & juxta eam regulam, quæ omnibus tradita eſt, ſe ſpiritum lucis omni conſcientiæ probare non poteſt. 2. Neque *ſpiritus* fidei, qui ſingulis fidelibus datur, & judicio tum *externo* Scripturæ, tum *interno* Spiritus Sancti nititur, eſt *privatus*, ſed *publicus* & communis toti Eccleſiæ fidelium, adeóque quoad manifeſtationem veritatis & donum fidei is ipſe, quem habuerunt ſancti homines, per quos Deus locutus eſt. Eſt enim Spiritus Dei, qui in Chriſto & toto ejus corpore ac ſingulis ejus membris agit, etſi diverſâ menſurâ, 1. Cor. II. 12. Eph. I. 13. Sic revera *Deus & Spiritus unus eſt*, Gal. III. 20. 28. 1. Joh. II. 27. qui eodem modo fidem operatur in omnibus.

Excip. Reding: 1. *Judicium illud, quo fidei analogia & Pſeudo-propheticus Spiritus diſcernitur, conformandum utique eſt Eccleſiæ, quam fateris Scripturæ cuſtodem, quam Chriſtus præcepit audiendam, quam gratiæ ſuæ aſſiſtentia firmat. 2. Confundis prudentiam & fidem. Neceſſaria equidem eſt in Scripturæ ſenſu eruendo fides; ſed via eidem aperiri debet per prudentiam infuſam, ſeu diſcretionis judicium, fundandum ſuper regulis ſeu principiis prudentialibus, quibus Eccleſiæ & ſucceſſori Petri, Chriſtus infallibilitatem promiſit.* Ib. pag 236. 237. Reſp. 1. Nulla re magis Orthodoxam de Scripturæ interpretatione ſententiam, quàm privati ſpiritus, ceu ſeminarii omnium hæreſium, improperio gravare ſoles. Hic verò ubi coccyſmum illum veſtrum diſcuſſi, non audes propiùs congredi, & miſſa reſponſione mea, quia quod ei opponeres, non habuiſti, putidam illam crambem recoquis, & quæſtionem petere ſatis habes. Eccleſiam quidem veram, ejus inprimis Paſtores in Scripturæ eruendo genuino ſenſu miniſtram operam præbere, largimur: at infallibilitatis privilegio munitam authenticè & infallibiliter ubique Scripturam interpretari, non nudè affirmare, ſed probare debueras. Aliud eſt Scripturam, ceu depoſitum cuſtodire; aliud ſingulos ejus ſenſus authenticè explanare. Aliud audire eccleſiam ex verbo Dei docentem, monentem, corripientem: aliud eandem ceu fidei magiſtram, ſine manifeſtatione veritatis, ſuſpicere. 2. Fides equidem ſine ſpirituali φρονήσει *prudentia* non eſt. Sed prudentia eadem circa intelligentiam ſalutarem verbi Divini ita cautos reddit, ne pro dicto Dei placitum hominum, pro lege Divina humanum imperium; pro ſenſu verbi Divini fœdam ejuſdem στρέβλωσιν, ſaltem ſenſum non demonſtratum, ſed pro animi libidine dictatum & conſcientiis deſpoticè obtruſum amplectamur. Eccleſiæ igitur, hoc eſt, Papæ ſolius in interpretanda Scriptura infallibilitatem principium & fundamentum eſſe prudentiale cur non probas denique? Ejuſmodi ſcilicet principium *prudentiale* eſt, quale erat Serpentis antiqui, animalium omnium terræ *prudentiſſimi*, ſermo

Digitized by Google

mo ad Evam, quo à vero Dei verbo ad alia omnia seduci se passa est. Πανουργία, veteratoria calliditas, non φρόνησις πνευματικὴ spiritualis prudentia est.

OBIECT. VII. *Si quisque fidelis sensum Scripturæ ex Scriptura elicere potest: frustra igitur erunt Synodi particulares & universales.* Resp. 1. Non sunt frustra, quia in rebus gravibus & dissidiis ecclesiæ, multi in nomine Christi congregati meliùs & certiùs assequuntur mentem Spiritus Sancti in Scriptura loquentis. Plus enim vident oculi quàm oculus. 2. Interim eorum judicium non esse per se definitivum & αὐθεντικὸν, sed ministeriale & ὑπεύθυνον, quod pudorem afferat dissentiendi, non firmitatem credendi, supra probavimus.

EXCIP. REDING: *Supra asserebas, Spiritum S. per infallibilem ex Scripturis demonstrationem eodem modo in omnibus fidelibus esse. Quomodo ergo multi in nomine Christi congregati meliùs certiúsque Spiritus S. mentem assequentur? Quomodo etiam fidelibus in Synodis suis coëuntibus non aliam authoritatem asseris, quàm quæ pudorem afferat dissentiendi, non firmitatem credendi?* Ib. p. 238. Resp. Hoccine respondere, an futiliter nugari est? Quid ἰδίας ἐπιλύσεως *propria dissolutio* Scripturæ non sit, *Resp. ad arg. IV.* exposui. At quemvis fidelem per infallibilem demonstrationem Scripturam ex Scriptura semper & ubique interpretari, atque etiam sine externis mediis, inter quæ etiam Ecclesiæ ministerium est, interpretari, nuspiam dixi. Funiculum igitur ex arena nectis: nihil verò respondes.

OBIECT. VIII. *Si quisque fidelis sensum Scripturæ tenere potest, quem se ex Scripturis indagâsse putat, nullus in ecclesia controversiarum finis expectandus est.* Resp. 1. Nec sperari debet in ecclesia militante controversiarum finis. Semper enim manebit fixum illud Salvatoris, necessum esse, ut veniant scandala, Matth. XVIII. 7. & Pauli 1. Cor. XI. 19. oportere esse hæreses, ut οἱ δόκιμοι manifesti fiant. 2. Interim quisque conferre debet, quantum potest ad extinguendum commune incendium. Ita ejusdem ecclesiæ lites domesticas componet Nationalis aut Provincialis Synodus: diversarum & non subordinatarum Concilium Oecumenicum, ad typum Apostolici Act. XV. efformatum, in quo sola, qui mos erat veteris ecclesiæ, Scriptura, ut cœlestis regula in medio posita, judicis partes agat.

EXCIP. REDING: *Ecclesiam & hæresin extra ecclesiam confundis. Extra ecclesiam ubi hæresis est, etiam sectæ sunt, non intra ecclesiam. Aliàs nec fides, nec Ecclesia una esset. Ut verò una sit, oportet Divinitus ordinatum medium aliquod sit, quo per finalem controversiarum decisionem veritas isthæc conservetur. quale medium ibi non est, ubi judicium discretionis, quo Scriptura ad fidem applicanda est, in privatum cujusque spiritum refunditur.* Ib. pag. 238. 239. Resp. Non in veræ Christi Ecclesiæ visceribus, sed extra eam hæreses & sectas esse, ab eadem scilicet abscissas, non ita nos stupidi sumus, ut ignoremus. Neque de hoc quæstio est; sed, an hæreses semper præcaveri, & quidem per infallibilitatis Ecclesiæ tributæ privilegium ita præcaveri, vel ortæ opprimi possint, ut sectis & hæresibus

ſibus ex ipſius Eccleſiæ ſinu progredientibus,atque ſe vel ſponte,vel vi facta ſeparantibus, locus nullus ſit. Hoc verò negamus. Annon enim ex veſtra etiam Eccleſia, quam pro vera venditatis ſolam, exiviſſe hæreticos, qua nominis calumnia Evangelicos Orientales & Occidentales proſcindere ſoletis, querimini? An id prohibere jactata illa vicaria Eccleſiæ veſtræ infallibilitas potuit? Imò an prohibere potuit, ne in Eccleſiæ veſtræ intimis viſceribus orirentur ſimul atque perennarent innumeræ de fidei dogmatibus lites, quin & formatæ ſectæ, quales ſunt Dominicanorum, Franciſcanorum; Jeſuitarum, Janſenitarum; Monarchicorum, Hierarchicorum; Præſcientiſtarum, Prædeterminantium, &c. formandæque innumeræ, ſi Papæ conſultum videretur novaculam & cauteria ſua adhibere. Interim qua ratione vera Eccleſia conſervandæ unitati invigilare poſſit, ea etiam diximus, quæ tu nullo apice tangis. Contradicere enim nulla ratione potuiſti.

SESSIO V.

Celebrata die 17. Menſis Junii 1546.

Decretum de peccato originali.

UT fides noſtra Catholica, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, purgatis erroribus, in ſua ſinceritate integra & illibata permaneat; & ne populus Chriſtianus omni vento doctrinæ circumferatur; cùm Serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hoſtis, inter plurima mala, quibus Eccleſia Dei his noſtris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, ejúſque remedio non ſolùm nova, ſed etiam vetera diſſidia excitaverit: Sacroſancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, jam ad revocandos errantes, & nutantes confirmandos accedere volens, ſacrarum Scripturarum & ſanctorum Patrum, ac probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ judicium, & conſenſum ſecuta, hæc de ipſo peccato originali ſtatuit, fatetur, ac declarat.

1. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet transgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat amiſiſſe, incurriſſéque per offenſam prævaricationis hujuſmodi iram, & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt, Diaboli, totúmque Adam per illam prævaricationem offenſum, ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe; anathema ſit.*

2. *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini, aſſerit nocuiſſe; & acceptam à Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam, eum perdidiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corpo-*

ris tantùm in omne genus transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit, cùm contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt.

3. *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest, unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio & redemptio, aut negat ipsum Christi Jesu meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ ritè collatum, tam adultis quàm parvulis applicari; anathema sit: quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Unde illa vox: Ecce agnus Dei! ecce qui tollit peccata mundi! Et illa: Quicunque baptizati estis, Christum induistis.*

4. *Si quis parvulos ab uteris matrum baptizandos negat; etiamsi fuerint à Baptizatis parentibus orti; aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id quod dixit Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt: nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubicunque diffusa semper intellexit: propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus; quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet. Quinimò, qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in*

renatis

Google

renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.

Ejusdem Quintæ Sessionis decretum de reformatione.

Cap. 1.

CONstitutionibus summorum Pontificum & Conciliorum probatorum inhærens sancta Synodus, & illis adjiciens, statuit, ut Episcopi, & alii locorum ordinarii compellant eos, qui in Ecclesiis habent præbendam, seu præstimonium, seu stipendium lectoribus sacræ Theologiæ deputatum, ad ipsius sacræ Scripturæ expositionem, si idonei ipsi sint, per se ipsos, alioqui per idoneum substitutum, qui ab ipsis Episcopis vel ordinariis eligatur, etiam per substractionem fructuum, ac deinceps hujusmodi præbendæ vel stipendia iis conferantur, qui id munus præstare per se possint: & aliter facta provisio nullius momenti sit.

Si hujusmodi emolumenta non sint deputata in ecclesiis Metropolitanis, & aliis insignium oppidorum, præbenda primò vacatura ipso facto ad hunc usum perpetuò deputata intelligatur. Ubi verò præbenda aut non sit, aut parum sufficiens sit, Episcopus tunc simplicis beneficii fructus applicet, vel alia ratione stipendium ita provideat de Capituli consilio, ut hæc sacræ Scripturæ lectio habeatur: ita tamen ut aliæ quæcunque lectiones antea institutæ non prætermittantur.

Quæ autem Ecclesiæ tenues habent proventus, quæque Clero ac populo tam sunt exiguæ, ut Theologiæ lectionem tolerare commodè non possint, habeant saltem magistrum, qui Grammaticam pauperes gratis doceat, ut deinceps ad studia sacra transire sit facile: & huic magistro dum docendi munus exercuerit, Episcopus unde vivat beneficium aut salarium assignabit.

In Monasteriis etiam Monachorum (ubi id commodè possit fieri) eadem sacræ Scripturæ lectio assignetur, compellántque ad eam rem Episcopi, Abbates, si fuerint ipsi negligentes. Hanc etiam lectionem Scripturæ sacræ habeant conventus aliorum regularium, quam Capitula ipsorum dignioribus Magistris commendabunt. In Gymnasiis publicis, in quibus instituta non est, erigatur: & si jam instituta negligitur, restituatur. Et statuit sancta Synodus, neminem ad hanc sacræ Scripturæ interpretationem publicè vel privatim profitendam admittendum, qui non fuerit ab Episcopo loci examinatus, & in moribus atque doctrina approbatus: quod tamen de lectoribus in claustris monachorum non intelligatur: Tam verò publicè in scholis docentes sacram Scripturam, quàm auditores

 eorum,

eorum, privilegiis omnibus de perceptione beneficiorum in absentia à jure concessis plenè gaudeant.

Caput 2.

Statuit sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & alios Ecclesiarum prælatos teneri per seipsos ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium, si impediti legitimè non sint, (hoc enim præcipuum Episcoporum munus est) quòd si ipsi legitimo detineantur impedimento, viros idoneos ad id exercendum assumant juxta formam generalis Concilii, & qui hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni.

Archipresbyteri quoque & omnes curam habentes animarum per se vel per alios (si ipsi non possint) idoneos, diebus saltem dominicis & festis solennibus, plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis, pro sua & earum capacitate: doceant ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuncient cum brevitate & facilitate sermonis, vitia, quæ declinare, virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Quod si facere negligant, (licet se exemptos, aut Ecclesias exemptas, aut annexas monasteriis habere causentur) Episcopus in cujus diœcesi sint, eos moneat, & post trium mensium spatium, si muneri suo etiam tunc defuerint, cogat eos per censuras, aut alia ratione, quæ Episcopo expediens videatur, donec ipsi resipiscant. Quòd si sint Ecclesiæ parochiales monasteriis subjectæ, extra totam Episcopi diœcesin, & prælati in prædictis negligentes fuerint, Metropolitanis, in quorum provinciis sunt, compellantur, neque executionem impediat exemptio aut appellatio, &c.

Regulares verò cujuscunque ordinis, nisi à superioribus de vita & moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.

In Ecclesiis verò, quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint. Ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.

Si verò (quod absit) prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in monasterio sui vel alterius ordinis, prædicet,) Episcopus ei prædicationem interdicat. Quòd si hæreses prædicaverit, contra eum secundùm juris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi prædicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet. Quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, procedat. Curent autem Episcopi, ne quis prædicator, vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, ne justam de eis conquerendi occasionem habeat.

Caveant præterea Episcopi, ne aliquem vel eorum, qui, cùm sint nomine regulares, extra claustra tamen & obedientiam religionum suarum vivunt, vel presbyterorum secularium, nisi ipsis noti sint, & moribus atque doctrina probati, etiam privilegiorum quorumlibet prætextu, in sua civitate, vel diœcesi prædicare permittant: donec ab ipsis Episcopis super

super ea re dicta sedes Apostolica consulatur: à qua privilegia hujusmodi, nisi tacita veritate, & expresso mendacio, ab indignis extorqueri verisimile non est.

Quaestores verò eleemosynarii, qui etiam quaestuarii vulgò dicuntur, cujuscunque conditionis existant, nullo modo nec per se, nec per alium praedicare praesumant, & contra facientes, ab Episcopis & Ordinariis locorum, privilegiis quibuscunque non obstantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

HISTORIA SESSIONIS V.

POstquam Sessionis IV. decreta ad Pontificem missa sunt, Legatos is monuit, tum ne ullum deinceps decretum promulgetur, nisi Romae priùs approbatum: tum ne de capitibus non controversis tempus posthac consumant: tum denique, ne unquam, quacunque de causa, ad disputationem de authoritate Papae veniatur. Legati se ad jussa ejus patranda promptissimos esse respondent. Interim idem Papa per literas per Hieronymum Francum Nuntium missas, & Episcopis Curiensi, ac Sedunensi, nec non Abbati Sancti Galli aliisque inscriptas, Helvetios, utpote *sibi prae caeteris charos, sedis Apostolicae filios peculiares, & libertatis ecclesiasticae propugnatores*, monet, ut nullâ morâ interpositâ etiam ipsi Tridentum se conferant. Sed & Electorem Coloniensem Pontifex, eò quòd in Bullam Leonis X. adversus Lutherum scriptam incurrisset, Episcopatu & sacrorum communione interdicit, populúmque ditioni ejus subditum à juramento fidelitatis, quo ei tenebatur, absolvit. Cúmque Caesarem, ut sententiam hanc exsequeretur, rogaret, ille tamen brutum hoc fulmen susque déque habens, loco pristino Electorem habuit. Prima porro congregatione de lectionibus Sacrae Scripturae & verbi divini praedicatione, agi voluerunt Episcopi Hispani aliique: Legatis Pontificiis urgentibus, ut de peccato originali potiùs tractatio susciperetur. Qua de controversia consultus Papa respondit tandem, ut cum dogmatibus Reformatio conjungeretur. Secunda in Congregatione placuit patribus distinguere genera particularia congregationum, ita ut unum constet partim Theologis simul & Canonistis, ubi de Reformatione agendum; hac lege, ut praesint Legati, & liberum sit adesse etiam Episcopis: alterum verò solis Praelatis, qui capita sive doctrinae sive Reformationis redigerent in ordinem, quò in generali Congregatione ea proponi ordine, & ex iis decreta formari possint. Juxta hunc ordinem in tertia Congregatione actum de praelectionibus & praedicationibus. Ibi certamen ortum Episcopos inter & Fratres regulares. Et E-

Digitized by Google

piſcopi quidem,Hiſpani potiſſimùm querebantur, quòd indultu Papæ fratres ſibi tum concionandi, tum in Academiis prælegendi poteſtatem conciliaverint, & Epiſcopis, ad quos ſolos munus illud ex divino inſtituto pertineat, ſic ademerint, ut ne reliquiæ quidem iis ſuperſint. Antiquitus Monachos inſtitutos eſſe plangendis hominum noxis: qua ſevera denuntiatione eis vetitum fuerit docere & concionari. At nunc eos Epiſcoporum legibus ſolutos, ut ſuo vel conventûs ſui bono Eleemoſynas eliciant, ſalute animorum poſthabitâ,hoc unum ſpectare, quomodo delectando, aſſentando & hominum affectibus obſecundando, rem ſuam auctiorem faciant. Contra fratrum Regularium Generales jus ſuum prædicandi non minùs fortiter aſſerebant, obtendentes Papæ privilegium ſibi ideo conceſſum, quia Epiſcopi & Curiones adeò officium ſuum neglexerint, ut compluribus ſeculis neque templa ad populum concionibus,neque ſcholæ doctrinâ Theologicâ perſonarent. Lis adeò efferbuit, ut ne in ſequenti quidem congregatione ſopiri potuerit. Acceſſit controverſia,an ſuffragiorum ſummaria tantùm in congregationibus eſſent recitanda? Id cùm pertenderent Legati, Bracius Martellus Epiſcopus Feſulanus acriter ſe oppoſuit, oſtenditque, in congregatione generali omnium ſuffragia & ſuffragiorum rationes produci oportere. Sed Legati ejus oratione commoti,eum ut & Epiſcopum Oſcenſem Romæ irreverentiæ,& ſeditionis inſimulant, & ſimul ad Pontificem ſcribunt de controverſia Epiſcopos inter & fratres Regulares oborta. De duobus Epiſcopis reſpondit Pontifex, ſe in tempore opportuna remedia daturum. De controverſia verò Epiſcopos inter & Regulares miſſi Romæ in conſilium Cardinales,obſervârunt ſtatim,Epiſcoporum deſideria eò pertingere, *ut in ſua quiſque diœceſi Papæ ſibi partes ſumeret.* Sublato enim privilegio & immunitate Pontificia, cunctiſque pendentibus ab Epiſcopis, nemine autem à Pontifice, idoneas cauſas proficiſcendi Romam mox defuturas. Antiquiſſimis temporibus Pontifices Romanos primatui à Chriſto ſibi conceſſo conſervando, *palladii loco & principalis arcani* habuiſſe, *Epiſcopos Archiepiſcoporum, Abbates Epiſcoporum juriſdictione eximere, ut certas ita habeant perſonas ſibi ipſis defendendis obligatas.* Atque ita hactenus à Monachis magis, quàm ipſis Epiſcopis Papalem poteſtatem ſtrenuè defenſam eſſe. Qui igitur privilegia Fratrum aboleri cupiant, eos *Pontificatum directè oppugnare, non ordines Monachorum.* Reſpondet igitur ea de re Legatis Pontifex, *ut ordinum Regularium ſtatum tueantur, & Epiſcopis perſuadeant, temperamentum rebus adhibendum eſſe.* Id reſponſum cùm Româ Tridentum perveniſſet, variè affecti ſunt Patres. Pertendebant nonnulli, quoad prælectiones veterem conſuetudinem inſtaurandam eſſe, *cùm Monaſteria & Canonicorum cœ-*

tus

Digitized by Google

tus nihil aliud fuerint olim, quàm Collegia & Scholæ. Cujus rei in pleriſque Eccleſiis cathedralibus extare reliquias, quippe in quibus in Scholaſticum, qui caput eſt Lectorum, dignitas cum præbenda conferatur. Itaque & in Cathedrales Eccleſias & in Monaſteria introducendum veterem illum ſacrarum prælectionum uſum, Epiſcopis demandata poteſtate exequendi. Obſtabat tamen Legatis, quòd Pontificia ſic privilegia, Monachos eximentia à poteſtate Epiſcoporum attingerentur. Itaque Sebaſtianus Pighius auditor Rotæ bellum temperamentum invenit, *ut ea quidem provincia Epiſcopis traderetur, ſed à Pontifice delegatis.* Idque admodum probabant Legati, qui eadem via alias etiam difficultates conciliârunt. Theologiam Scholaſticam, utpote quæ in rebus naturalibus & Philoſophicis, quàm in divinis lubentiùs verſetur, ex prælectionibus publicis eliminari petierunt Canoniſtæ. Sed voti compotes redditi non ſunt. Quoad conciones Legati Epiſcopos pleroſque inprimis Italos, ne privilegia Pontificia Fratribus conceſſa detrimentum pati ſinerent, induxerunt. Ventum deinde ad dogmata fidei, & de peccato originali conſcripti ſunt articuli novem, de quibus variis in congregationibus actum à Theologis, quorum conflictum in explicanda natura peccati originalis & ejuſdem ad poſteros tranſmiſſione, de concupiſcentia regenitorum, de conceptione B. Virginis in peccato, de pœna parvulorum abſque baptiſmo decedentium, inferiùs exhibebimus. Antiſtites verò conficiendo decreto deſtinati, factâ Theologorum relatione, decreta tum *Fidei* tum *Reformationis* condunt. Dubium de conceptione B. Virginis Mariæ relatum ad Papam, qui *quæſtionem hanc indeciſam relinquendam eſſe* reſpondit. Interea Cæſar clam apparatum bellicum facit adverſus Proteſtantes, & Pontificis promiſſa auxilia ſolicitat. Tandem die Junii 15. ſeſſio habita, & promulgatum in ea decretum tum *Fidei*, conſtans anathematis quinque: tum *Reformationis*, conſtans duabus partibus, quarum prior erat *de prælectionibus*, poſterior *de prædicationibus*. De prælectionibus ſancitum, *tum ut qui ſtipendium obtinent lectorum S. Theologiæ, Scripturam per ſe, aut per alios idoneos exponant: ubi verò in Eccleſiis Cathedralibus nobilioribus hujuſmodi ſtipendium deeſt, quacunque ratione conſtituatur:* tum *ut in Eccleſiis tenuioribus alatur Ludimagiſter, qui Grammaticam gratis doceat:* tum denique, *ut in Monaſteriis, conventibus, aliorum Regularium Gymnaſiis item publicis lectio Scripturæ ſedulò urgeatur; ubi collapſa, reſtituatur; ubi neglecta, introducatur, ita tamen ut ipſi lectores ante examinentur & approbentur ab Epiſcopis, ſicque beneficiis, privilegiiſque conceſſis fruantur.* De Concionibus verò ſeu prædicationibus ſancitum, tum *ut Archiepiſcopi, Epiſcopi, niſi legitimè impediantur, ipſi prædicent Evangelium, ſin verò impediantur, per alios idoneos exequantur: Archipresbyteri verò, Plebani, Parochiales diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolennibus doceant,*

idque

Digitized by Google

idque sub pœna negligentiæ pro Episcopi arbitrio irroganda : tum, *ne ulli ad prædicandum admittantur, nisi à superioribus suis examinati & approbati fuerint, licentiam quoque impetraverint, ne errores aut eos docentes tolerentur, neque etiam quæstoribus Eleemosynariis prædicare licitum sit.*

NOTÆ
Ad Historiam & Decretum Sessionis V.

PRimò libertatis Concilii violatæ non unum in hac Sessione argumentum denuo apparet. Pontifex per literas prohibet quicquam promulgare ampliùs, nisi priùs Romæ communicatum & approbatum. Idem Legatis injungit, caveant, ne unquam quacunque de causa ad disputationem de authoritate Papæ veniatur. Episcopum Fesulanum & Oscensem ob sermonis libertatem Romæ Legati deferunt, & Synodo moveri expetunt. Editioni vulgatæ emendandæ, qui antea à Concilio selecti fuerant, jubentur à Papa opus jam inceptum abrumpere. Cùm controversia de jure prælegendi & concionandi Episcopos inter & Monachos, nec non de immaculata conceptione B. Virginis Dominicos inter & Franciscanos gliscеret, Pontifex à Legatis consultus, quid decernendum sit, præscribit. Hæc arguunt, Concilium Pontifici soli obnoxium. *Secundò* Pontificiæ authoritati stabiliendæ contra fas & jus omnes machinæ admotæ sunt. Hinc nempe vetat Pontifex, ne in disputationem de authoritate Papæ veniatur. Quasi videlicet principium id esset ἀναπόδεικτον. Et in controversia Episcopos inter & Monachos, ne privilegia Papæ concessa Monachis, quibus illi immediatè Papæ mancipantur, & à potestate Episcoporum eximuntur, ullo modo attingantur, studiosissimè cautum ubique est. Romæ etiam Cardinales *palladium & principale arcanum Papæ* produnt, ut nimirum Episcopi Archiepiscoporum, & Abbates Episcoporum jurisdictione eximantur, quò sic solus Papa regnaret. *Tertiò* Pontifex Electorem Coloniensem Episcopatu & sacrorum communione ob religionem, vix dum Concilio cœpto, interdicens, bullas contra Electorem Saxoniæ, & Landgravium Hassiæ disseminans, nec non Cæsari auxilia ad exterminandos hæreticos promittens, ostendit se vi potiùs, quàm jure maluisse grassari, & bellum Concilio, à quo sibi timebat, antehabuisse. *Quartò* memorabilis est controversia Episcopos inter & fratres regulares, de jure concionandi & prælegendi. Illa enim, quis status fuerit ecclesiæ, & quæ vulnera ante Reformationem, prodit. Episcopi accusabant Regulares, quòd concionandi munus

Digitized by Google

munus invaſerint eo fine, ut ſuo & conventûs ſui bono eleemoſynas eliciant, utque eas conſequerentur, hoc unum eos ſpectare, quomodo delectando, aſſentando, & hominum affectibus obſequendo, rem ſuam auctiorem faciant. Viciſſim Regularium Generales Epiſcoporum in concionando negligentiam graviſſimè accuſant, & compluribus ſeculis neque Templa ad populum concionibus, neque Scholas doctrinâ Theologiæ perſonuiſſe queruntur. Qualis quæſo fuit eccleſiæ facies, cùm, juxta querelam Regularium, paſtoribus gregem ſuum *compluribus Seculis* deſerentibus, juxta oppoſitam querelam Epiſcoporum, Monachi mercenarii ſe intruſerunt, qui nihil fecerunt reliqui delectando, aſſentando, dum rem ſuam auctiorem facerent? *Quintò* Concilii & Papæ in definienda Dominicanos inter & Franciſcanos de immaculata conceptione B. Virginis controverſia, timiditas & ignavia notari meritò debet. Quæ enim æquitas fuit, qualibet occaſione detonare in Evangelicos; at controverſias inter Monachos graviſſimis contendentium ſtudiis & odiis agitatas, indeciſas relinquere? Quæ hîc unitas eccleſiæ Pontificiæ, de qua tam ſtolidè gloriari ſolent? Pertinet huc querela Marci Vignerii Senogalienſis Epiſcopi, F. Hieronymi Auguſtinianorum Generalis, & Andreæ Vegæ Theologi Franciſcani, in Concilio anxiè mota, *quòd iniquum ſit Lutheranorum de peccato originali opinionem damnare, neque tamen quid Catholici ſentiant, explanare.* Nempe de eſſentia peccati originalis, aliiſque diſcordantes in Concilio Theologorum opiniones ne quidem attingere Patres voluerunt, qui promptiſſimos tamen ſe geſſerunt in damnandis ubique Evangelicis. Ita videlicet integrum erat ipſis, dummodo Papæ ſe ſubjicerent, inter ſe mutuò qualibet de re diſſentire. At noſtris Pontificiam authoritatem aſpernantibus, intuta fuerunt omnia. *Sextò* notam etiam meretur, quòd tam perfunctoriè omnia tractârint Patres. Primò articulos controverſos diſcutiendos reliquerunt Theologis, quibus fas non erat aliquid decernere. Deinde ſummaria duntaxat opinionum, quas Theologi & Canoniſtæ in diverſis præcedentibus congregationibus protuliſſent, Legati in generali congregatione recitari juſſerunt, nequicquam repugnante Bracio Martello Epiſcopo Feſulano, & in contrarium demonſtrante, neceſſarium eſſe, ut congregatio generalis, omnium ſuffragia, & omnium ſuffragiorum rationes omnes intelligat, non autem collectanea & ſummulas duntaxat audiat. Ex ſummariis iis Patres, quorum pauci Theologiæ aliqua cognitione prædití erant, plerique verò conſulti juris, vel ad modum aulæ diſciplinis leviter tincti, decreta pro lubitu, non expenſis ſententiarum argumentis formabant. Ita in diſtinctis congregationibus alii, Theologi nempe deliberabant, & momenta rationum expendebant: alii

Aa puta

Digitized by Google

puta Epiſcopi, & quibus ſuffragandi jus competebat,ex ſummariis non expenſis decreta formabant. Quàm quæſo hoc pudendum & generali Concilio indignum fuit? *Septimò* decreta fidei quod attinet,alia Pelagianos, alia Anabaptiſtas,Proteſtantes alia feriunt. Pelagianos feriunt canones tres priores; in quibus lubentes Concilio calculum noſtrum addimus. Tantùm notamus ejus *περιεργίαν*, quod præferebat, ſe ad hæreſin novam extirpandam cojiſſe. Quid igitur attinebat de hæreſi Pelagiana ex ſupervacuo agere,mille retro annis damnata? Canon quartus haud invitis nobis Anabaptiſtas pulſat. Quæ nos concernunt,in duplici ſunt differentia. Alia enim per calumniam nobis impinguntur: alia pro veris defendimus. Calumnia eſt, Zwinglianos, quos vocant, negare, corruptionem hæreditariam eſſe verè peccatum,& aſſerere,infantes nihil habere ex Adamo peccati. Eſto,Zwinglius hoc ſtatuerit. An quiſquam Evangelicorum ſecutus eſt? Sed merum fuit Concilii de Zwinglio ſomnium. Summus enim vir nunquam peccatum originale negavit. Vocavit quidem *morbum, defectum,vitium naturæ,concupiſcentiam pravam.* Non aliter peccatum originale vocavit Lombardus, & ipſe Auguſtinus, quorum neuter peccatum originale, niſi fallor, negatum ivit. Cùm verò inficiatus eſt, originalem hunc morbum eſſe peccatum,per peccatum *actuale peccatum* intellexit. In declaratione ad Urbanum Regium non tantùm *morbum* vocat,ſed & *culpam per ſe damnabilem.* In Commentario ad caput quintum Epiſt.ad Rom.in hæc verba infit: *Adam uno peccato nos omnes condemnat.* Quo uno aphoriſmo omnem calumniæ *πρόφασιν* fortiter profligat. Videſis etiam Zwinglii apologiam apud doctiſſimum G. J. Voſſium *Theſ. Theol. pag.*581. De reliquis agemus in controverſiis. *Octavò*,Reformationis decreta ſpeciem quidem Reformationis habent,verùm emendationem cleri attulerunt omnino nullam.Nam in utroque genere antiquum obtinet,Epiſcopis non majorem,quàm antea, concionandi,populúmque erudiendi ſolicitudinem gerentibus, & varios Monachos, alióſque ejuſmodi, qui perfunctoriè aliquando feſtivis diebus concionentur, conducentibus. Præterea indulgentia illa, qua permiſſum eſt Epiſcopis concionandi munus per vicarios exequi, verbo Dei conſentanea non eſt. Nam Paulus Epheſ.IV. 11.12. Paſtores & Doctores divinitus eſſe datos ait,ut ædificationem corporis Chriſti miniſterio ſuo promoveant. Idem in Epiſtolis ad Timotheum & Titum docendi partes ipſiſmet Epiſcopis præſcribit. Quin etiam hujuſmodi opera vicaria ferè mercenaria eſſe ſolet. Quæ verò impedimenta ſunt, quæ Epiſcopos prohibent, quo minùs concionentur? Nempe dominium temporale, cura aulæ, venationes,ludi,belli apparatus,& verbo dicam,*αἱ τοῦ βίου πραγματεῖαι negotia*

hujus

hujus ſeculi, quibus Timotheum ſuum implicari vetuit graviter Paulus 2.Timoth. II. 3.4.5. *Nonò* in decreto Reformationis de prælectionibus & concionibus,id potiſſimùm conſideramus,quòd Scholaſticorum & Canoniſtarum abuſus graviſſimos emendare Patres neglexerint. Non ignoraverant enim,Canoniſtas Pontifici divinas proprietates tribuere,Deum vocantes, infallibilitatem ei adſcribentes, idem tribunal utrique concedentes, atque ipſo Chriſto clementiorem aſſerentes. Sed & Scholaſticos, eorùmque Theologiam in Concilio inſectati ſunt Canoniſtæ,eliminari eam expetentes, *quòd in Philoſophicis & naturalibus, quàm divinis lubentiùs verſetur.* In propatulo erat,eos doctrinæ Chriſtianæ fundamentum,Scripturâ neglectâ, in Ariſtotelis Philoſophia ponere. Cur ergo eorum,ut & concionatorum plerorumque,alia omnia quàm Chriſtum prædicantium, περιεργίαν & impietatem Concilium non damnavit? Scipio Henricus Cenſur. pag.194. ſuperbè & ferociter reſpondet : *Hæreticorum petitionibus aſſentiendum non fuiſſe.* Quid igitur Concilio opus erat,ſi rationes noſtrorum,quos hæreticos nequiter appellat, expendi non debuerunt ? Quid quòd de Scholaſticis ipſi in Concilio Canoniſtæ querelam moverunt ? Impiè aſſerit idem, Chriſti epitheta convenire etiam Papæ ejus vicario. Expreſſa eſt hæc in Chriſtum blaſphemia, quam ipſe, Judex mundi,vindicabit ſuo tempore. Nunc ad quæſtiones hujus Seſſionis Theologicas accedamus.

QUÆSTIO I.

Qua in re ſita ſit peccati originalis eſſentia?

EA de quæſtione cùm inter Theologos certatum eſſet in Synodo, nihil definire auſa eſt, ſed teſte Andradio, qui Concilio ipſe interfuit,*illud reliquit ſub libertate opinandi.* Atque adeò in eccleſia Pontificia, quid ſit peccatum originale, mira ſupinitate definitum hactenus non eſt. In ipſo Concilio variatum eſt ſententiis,uti videre eſt apud Hiſtoricum *lib.II.d.*30. De Scholaſticis ſic pronunciat: *Sancti doctores ſub obſcuritate hic locuti ſunt,atque Scholaſtici doctores varia ſenſerunt.* Thomiſtæ cum Auguſtino ejus formalitatem aſſerunt eſſe *concupiſcentiam*: Scotiſtæ verò cum Anshelmo *originalis juſtitiæ carentiam.* Quos Cardinalis Sarnanus conciliare fruſtra conatus eſt. In Concilio Ambroſius Catharinus, ſecutus Pighium, peccatum originale nihil eſſe aliud, quàm peccatum Adami imputatum poſteris aſſeruit. Ei ſe oppoſuit Dominicus à Soto. Communior & receptior hodie apud Pontificios ſententia eſt, quam proponit & tuetur Bel-

larminus *lib.V. de amiss. gratiæ & statu peccati, cap.17.* quòd nimirum peccatum originale sit *carentia doni divini supernaturalis, per actum peccati Adami effecta.* Sic nempe sentiunt, peccatum originale nihil aliud esse, quàm carentiam justitiæ originalis, tanquam doni & freni aurei supernaturalis, naturæ hominis in creatione superadditi. Itaque freno eo per peccatum sublato, naturalia mansisse integra & hominem sibi esse relictum, atque in eum statum redactum, in quo erat ante lapsum in puris naturalibus. Unde nonnulli peccatum originale definiunt *sensualitatem destitutam justitiæ originalis freno.* Nos sanè peccatum originale privationem quidem vocamus originalis justitiæ, sed non nudam, verùm talem, quæ in intellectu ignorantiam & propensionem ad falsas cogitationes de Deo, ad errores & dubitationes de Dei verbo; in voluntate aversionem & propensionem ad securitatem carnalem & diffidentiam; in appetitu rebellionem, in omnibus illis mortem spiritualem in bono, & vitam vivacissimam in malo ponat. Neque verentur nostri, ut naturam peccati hujus expressiùs designent, illud opposité ad sententiam adversariorum vocare *qualitatem positivam,* nempe *qualitatem* non propriè, sed metaphoricè, quia more qualitatis veluti subjectum afficiat: *positivam* verò non *physicè,* quasi esset qualitas naturalis creata, rei sive subjecto ex creatione conveniens, sed tum *Logicè,* quia aliquid affirmat de subjecto; tum *Ethicè,* quia est qualitas mala bonæ contraria. Qualitatem igitur positivam cùm vocamus, hoc volumus, non esse illud privationem omnis actionis expertem, aut quæ vires agendi nullas relinquat, qualis est cæcitas; verùm operosam, negociosam, furacem, quæ vires quidem tollat agendi bene, cæterùm affectas quasi veneficio suo facultates ad malè agendum inclinet & detorqueat. Quale est vitium oculorum, à quo dicuntur arquati: quo fit, non quidem, ut planè non videant, sed ut sincerè non videant, aliterque corpora contueantur, quàm sunt. Fucum facit Bellarminus, qui in peccato originali agnoscere se ait *habitualem aversionem & obliquitatem voluntatis.* Non enim intelligit per peccatum novam qualitatem in homine contractam, sed dempta supernaturali justitia easdem qualitates, eosdem habitus remansisse, quales habuerit homo in puris naturalibus, innuit. Argumentis ad nostram sententiam inducimur sequentibus.

ARG. I. Scriptura, quoties peccatum originale insinuat, non meram privationem, sed aliquid quodammodo positivum inculcat: tale nimirum vitium, quo *caro concupiscit adversus Spiritum,* id est, per quod homo ad malum pronus & divinæ legi contrarius fit, ut Rom. VI. 12. VII. 17.20.21. 23. Gal. V. 17. Ephes. IV. 18. Hebr. XII. 1. quibus in locis describitur tanquam fervida & quasi furens ad pessima quæque patranda proclivitas.

RESP.

Respondere Redingius *Tract.III. St.2. pag.271.* nihil potuit. Tantùm tres quæstiunculas discutit, in quarum nulla argumentum nostrum attingit. Frustra Manichæismum nobis impingit, cùm Manichæi entia realia & naturalia à Deo bono non producta dari deliraverint; nos verò peccatum originale ejusmodi ens esse pernegemus. Illi potiùs Manichæis deteriores sunt, qui concupiscientiæ mortem & languorem, qui peccati exsors esse nequit, homini primo à Deo, & quidem Bono optimóque concreatum, pertendunt. Inscitiam etiam suam Philosophicam ille Metaphysicorum ocellus prodit, scribens, inter Ens (reale scilicet, nam de hoc disertè agit) & non ens medium non dari. quod pædagogorum ferulam meretur Si verò per *non Ens*, non nihil, sed non ens reale intellexit, ipsemet jam argumentum mihi oppositum solvit. Tale enim *non Ens* reale peccatum originis est. Ubi porro peccati ejusdem naturam in concupiscentia sola consistere dixi? Quòd Augustinus in locis à Bellarmino citatis, *id esse in homine vitium concupiscentiæ, quod in animantibus rationis expertibus natura est*, docet, non efficit, concupiscentiam in homine non esse qualitatem corruptam, sed sensitivum duntaxat appetitum. Quomodo Augustino concupiscentia corrupta non est qualitas, quam *vitii* nomine ipsemet insignivit; quámque *lib. I. de nupt. & concup. cap.20.* disertè *affectionem quandam malæ qualitatis insignit?* Alibi *de Civit. D. lib.XIV.2.3.* agnoscit idem, vitium concupiscentiæ in superioribus etiam animæ facultatibus hærere. Confert quidem hominem per peccatum corruptum cum brutis quoad concupiscentiam, hoc est, pronum ad libidinem & reliqua peccata impetum. non quòd cum Manichæis & Pontificiis existimaverit, appetitum hominis sensitivum in puris naturalibus fuisse à Deo talem, hoc est, cum prono illo ad peccandum impetu conditum; sed quia quod in brutis nec legi, nec fœderi Dei subjectis, natura est, id in homine vitium est. Nam ante lapsum appetitus sensitivus hominis non tantùm superaddito justitiæ dono exteriùs repressus est; sed etiam integriùs rectus & integer, atque ad Deum conversus totus creatus à Deo est. Non enim bruti, sed hominis appetitum Deus condidit.

ARG. II. Eadem Scriptura in intellectu ponit ignorantiam, Rom.I.21. Ephes.IV.18. in voluntate & appetitu corruptionem summam, quippe cui passim tribuit non tantùm aversionem à bono, sed etiam malitiam, fraudulentiam, inimicitiam adversus Deum: non tantùm volendi & exequendi impotentiam, sed etiam efficaciam volendi id, quod malum est.

Resp. Reding: 1. *Ignorantia, cujus Rom.I.2. Ephes.IV.18. mentio est, non originalis sed ex peccatis actualibus, neglectu naturalis luminis, quo debitum cultum Deus inspiravit; nec non luxuria carnis exorta est. Est quidem ignorantia effectus peccati originalis, sed non proprius ei in quarto modo, quia etiam in statu puræ naturæ, si subsistisset ille, locum habuisset. Unde peccato originali jam remisso, in infantibus tamen manet. 2. Neque corruptio summa voluntatis & appetitus post regenerationem & baptismum est formaliter aversio à bono, & inimicitia adversus Deum. 3. Cùm S.Paulus Rom.II.14. testetur, gentes, quæ legem non habent, naturâ ea, quæ legis sunt, facere, atque iidem peccato originali haud dubiè infecti fuerint, liquet igitur, peccatum originale essentialiter impotentiam volendi ac exequendi bonum, una cum efficacia volendi malum non importare.* Ib. pag.271.-273. Resp.1. Si S.Augustinus reviviscerct, denuo sibi cum hæreseos Pelagianæ, cujus basin esse peccati originalis abnegationem, & gratiæ Christi depressionem, to-

ties ille monuit, monſtro confligendum eſſe putaret. Ain tu, Redingi, ignorantiam, culpabilem ſcilicet, de qua ſola quæſtio eſt, ad peccatum originale non pertinere, ab eo ſeparabilem eſſe, & in ſtatu naturæ puræ (verè puram, non Scholaſticorum impuram intelligo) locum obtinuiſſe? Annon originale peccatum afficit animam hominis peccatoris totam, ſingulásque ejus facultates, à prima origine ſua corruptas? Intellectum autem à prima origine quid aliud, quàm ignorantia veri Dei & ſalutis propriæ corrupit? Unde *non eſt* (naturæ ſcilicet corruptæ vitio) *qui intelligat*, Rom. III. 10. Et *figmentum cogitationum* hominis *omne tantùm malum eſt omni die*, adeóque etiam primo conceptionis, primo nativitatis, Geneſ. VI. 6. VIII. 21. Cúmque imago Dei etiam in ἐπιγνώσει *cognitione* conſtiterit, Coloſſ. III. 10. privatio imaginis Dei per peccatum non potuit non privationem *cognitionis*, adeóque ignorantiam originalem poſt ſe trahere. Quin S. Paulus Rom. I. 21. Epheſ. IV. 18. non à peccato actuali ullo ἀσύνετον καρδίαν *cor non intelligens*, adeóque ignorantiæ tenebris implicitum, & ἄγνοιαν *ignorantiam*, ſed potiùs ab hoc ignorantiæ obtenebrationíſque incrementum, aliáque peccata manifeſtè derivat. Cur enim Rom. I. 21. obtenebratum ait gentilium cor? Quia in iis fuit *cor non intelligens*. Cur Epheſ. IV. 18. eoſdem obtenebratos intelligentia ſua pronuntiat? Quia in iis erat ἄγνοια *ignorantia*. Qualem ſi homini integro tu vendicare auſus fueris, Deum peccati & tenebrarum authorem fautorémque eadem ratione feceris. Et peccato remiſſo manere eandem in infantibus & adultis, nec exui ante noviſſima, licet debilitatam infractámque indies per Spiritum S. regenerantem, nihil certè impedit. 2. An ergo corruptio ſumma voluntatis in regenitis etiam locum habet? In irregenitis verò eadem non poteſt non peccati originalis pars conſtitui. Dic Redingi, ſi ad peccatum originale nec ignorantia nec voluntatis corruptio pertinet, quid ei ultra relinquitur? Senſitivus enim appetitus ſine intellectu & voluntate peccante vitioſus eſſe nequit. Non enim principaliter corpus, ſed anima peccat, ejuſdémque peccantis organon corpus eſt. Tua igitur ratiocinatio prorſus peccatum originale non in regenitis duntaxat, ſed etiam in irregenitis tollit, & fermentum tuum Pelagianum prodit. 3. Fecerunt gentes naturâ ea, quæ ſunt legis. Neque tamen vel de omnibus gentilibus id Apoſtolus pronuntiavit: vel ita natura id fecerunt, ut naturæ gratia & auxilium Dei, naturalem corruptionem quodammodo יוסר *coërcens* (Pſal. XCIV. 10.) adeóque gentes in diſciplina & ſocietate, externáque honeſtate continens, comes non fuerit: vel fecerunt τὰ τοῦ νόμου *ea, quæ legis ſunt*, ſive omnia, ſive eo modo, quo lex, cuncta ad Dei veri amorem & gloriam referens, præcipit, ſinceréque adeò & fideliter. Verbo dicam. Honeſtati & diſciplinæ externæ ſtuduerunt: non quicquam à lege præceptum ex animi legiſlatoris ſententia fecerunt. Nihil igitur Pelagianis S. Paulus hic vel ſerit, vel metit.

ARG. III. Si peccatum originale eſt nuda ejuſmodi doni ſupernaturalis carentia, utique non erit peccatum propriè dictum, nec mala qualitas, ſed ipſa natura hominis, qualis erat ante lapſum. Atque ſic Deus, qui naturam hominis condidit, mali author ipſe, horrendum dictu! ſtatuitur. Quaſi videlicet neſcio quos appetitus indiderit homini rebelles inſtar equi ſternacis, licèt aliquantiſper injecto veluti fræno cohibitos: quo deinceps amiſſo ſua ſibi indole cauſa ſint depravationis, quæ naſcentibus ineſt. Et ſanè peccatum originale non obſcurè adverſarii tollunt. Privatio

Digitized by Google

vatio enim juſtitiæ pœna potiùs quàm peccatum eſt,cùm dono quopiam carere, peccatum non ſit. Igitur dempta ſupernaturali juſtitia, homo de cœtero purum naturæ ſtatum retinet,vel nihil in eo peccaminoſum relinquitur, atque ſic peccatum originale nullum erit : vel ſi quid in eo peccaminoſum eſt,Deo puræ naturæ conditori,authorique acceptum referendum fuerit. quod blaſphemum utique eſt. Hinc adeò Bellarminus *de amiſſ grat.IV.* 10. dicit,peccatum originale quovis veniali, quod æquivocè peccatum eſt,minus eſſe. Cúmque idem doceat,ad culpam non ſufficere,ut aliquid ſit voluntarium voluntate habituali,niſi ab actu voluntario procedat,cùm illud,quod habituali voluntate voluntarium eſt, ſit naturale,annon revera peccatum originale tollit ?

RESP. REDING : 1. *Quis noſtrûm naturam hominis in privatione doni ſupernaturalis conſtituit? Quomodo igitur peccatum originale, ſi in doni hujus privatione conſiſteret, ipſa hominis natura erit? 2. Si peccati ejusdem eſſentia in carentia doni illius conſiſtit, potiùs ſequetur, Deum non eſſe ejus authorem, quia Deus poſitiva, non privativa condidit. 3. Appetitus rebellis peccatum originale ut cauſam ſupponit. Hujus verò cauſa non Deus, ſed homo eſt, cùm & privatio ſit, & quicquid à Deo eſt, ſit ens ſubſiſtens ; & à Deo odio habeatur. 4. In appetitu ſenſitivo confundis naturam ejus & rebellionem. Natura in genere entis bona eſt ; in genere moris itidem, quandiu doni ſupernaturalis beneficio ſubeſt dominio rationis. ſic tamen, ut per naturalem ſympathiam concupiſcentia ejus voluntatem ad objecta ſenſibilia inclinare poſſit. Rebellio verò ejusdem, quatenus conſideratur ut cauſa peccati, conſiſtit in carentia juſtitiæ originalis, tanquam peccati originarii effectu : quatenus rationem habet formalis peccati, id obtinet ex libertate voluntatis non reſiſtentis, ſed conſentientis.* Ib pag. 273. 274. Reſp. 1. Nugaris ſolenniter. Argumentum meum erat ἀπαγωγὴ, quo ad abſurdum veſtra ſententia deducebatur. Tu mihi impingis, quaſi abſurda illa vos profiteri ſcripſiſſem. Iterum dico, nugaris ſolenniter. Interim ex veſtra de peccato originali ſententia manifeſtè abſurda illa conſequuntur. Si enim nihil aliud peccatum originale eſt, quàm carentia ſupernaturalis juſtitiæ, quid aliud, inquam, quàm ſtatus ille puræ, quàm fingitis, naturæ, adeóque non peccatum propriè dictum ? Non aliter quippe puræ naturæ ſtatum, quàm ſeorſim à dono ſupernaturali, adeóque eo per ſe carentem, concipitis explicatíſque. Neque enim naturæ debitum iſthoc donum, vel juſtitiam ei naturalem fuiſſe, largimur. Et ſi Deus etiam non interveniente peccato donum iſthoc, utpote indebitum, ſubtraxiſſet, annon tum in natura pura fuiſſet carentia juſtitiæ ? An igitur etiam peccatum ? Si ais, à Deo peccatum arceſſis. Si negas, non igitur juſtitiæ carentia, qualis in natura pura concipitur, formalis ratio peccati, nedum originalis, eſſe poteſt. Cúmque per peccatum donum illud homo amiſerit actu, quid aliud jam ex veſtra ſententia eſt peccatum originale, quàm ſtatus puræ naturæ, hoc eſt, pura natura ſupernaturali dono juſtitiæ privata ? Inprimis, cùm à peccati originalis formali ratione ignorantiam & voluntatis corruptionem, converſionémque ad malum ſeparare tu auſus fueris. 2. Deus certè non entis & privationis moralis author eſſe non poteſt. Ex veſtra tamen ſententia authorem eſſe, quod blaſphemum eſt, conſequitur, quia eſt author ejus naturæ, quam per ſe carentem ſupernaturali juſtitia, veſtra de peccati originalis eſſentia aſ-

ſertione,

Digitized by Google

qui ex materiæ labe orituros, compescendos, pertendatis; utique per naturam ipsam, quam puram vocatis, bonum non fuisse eundem, cùm omnis bonitas moralis à justitia originali fluere debuerit, statuitis. An igitur per naturam puram malus fuit? Affirmare nemo nisi Manichæismi veneno imbutus sustinuerit. Per naturam igitur puram seu pura naturalia, primum hominem nec bonum nec malum fuisse, disertè asseritis. Neque ego vobis imposui, sed tu lectori pro more illudis, impiæ sententiæ pudore suffusus. 3. Naturalia quoad essentiam & potentias naturales hominis integra mansisse, ita docetis, ut simul integra quoad rectitudinem moralem intellectus & voluntatis mansisse, adeóque peccatum originale, ob carentiam justitiæ, solam appetitus sensitivi integritatem organicam, uti ipse tu loqueris, afflixisse, sciscatis. Atqui juxta vos eadem appetitus sensitivi in statu integritatis conditio, fuit cohibenda ideo à frœno supernaturalis doni, ne in nervum erumpat. Annon igitur dempto eo, quod supernaturale homini facitis, naturæ integræ & lapsæ parem conditionem statuitis? Atque id Scholastici vestri palam asserunt, dum naturam integram homini *nudo*, lapsam *spoliato* comparant. uti fusiùs ex authoribus vestris Jansenius, vestrum illud de puræ naturæ statu portentosum commentum masculè profligans, *de statu puræ naturæ lib. I. II. &c.* nos edocuit.

ARG. V. Ipsa quoque ratio astipulatur. Etenim nemo avertit se à bono quopiam, nisi ductus cupiditate ac desiderio alterius apparentis boni, quod cum priori non consistit. Quod ergo in actibus veritatem habet, idem & in vitio habituali in prima nativitate contracto intelligendum est conformiter. Ideo enim nascimur aversi ab incommutabili bono, quia nascimur curvi & inclinati ad dona commutabilia. Quo utroque modo tum aversionis, tum conversionis Augustinus definivit peccatum in genere *aversionem à bono præstantiori, & conversionem indebitam ad minus bonum.* Illud autem minus bonum est revera malum morale, quatenus ad id homo convertitur, aversus à Deo.

Resp. Reding: *Conversionem ad bonum sensibile, fuisse primum peccatum, adeóque peccatum originale formaliter consistere in concupiscentia carnis, falsum est. Quin potiùs illa ex affectata per superbiam similitudine orta est; per quam ita à Deo aversus est, ut Deus vicissim eum aversetur & odio habeat, adeòque gratia sanctificante, justitia nimirum originali privet.* Ib. pag. 275. 276. Resp. Non mecum, sed cum larvis luctaris. Non conversionem ad bonum sensibile fuisse primum peccatum, vel concupiscentiam carnis esse originale peccatum, dixi; sed aversionem à bono cum conversione ad malum esse conjunctissimam, adeóque non dari carentiam justitiæ sine conversione ad injustitiam, argui. Tu, aliis curis intentior, mentem argumenti mei non perspexisti.

ARG. VI. Si peccatum originale nihil est aliud, quàm ipsa natura, qualis erat ante lapsum, cur igitur parvulos decedentes absque baptismo excludunt regno Cœlorum ob peccatum originale?

Resp. Reding: 1. *Originale peccatum nihil aliud esse, quàm ipsam naturam, & quidem, qualis ante lapsum erat, à sententia nostra alienissimum est. 2. Cùm originale peccatum formaliter privationem gratiæ sanctificantis importet, ea destituti parvuli, ante baptismum*

ptiſmum decedentes Filii Dei, (utpote Spiritu S. ſanctificante deſtituti, & imagini filii per pretioſa Dei dona non conformes) adeóque hæredes Dei, eſſe non poſſunt. Ib. p. 276. Reſp. 1. Amas, Redingi, ἀμφιβολογεῖν. Naturam nominas, & naturam puram, pretioſa juſtitiæ ſupernaturalis veſte exornatam, intelligis. Ego de natura pura, & omni eo, quod naturale homini fuiſſe, extra juſtitiæ, quam non naturalem, ſed aſcititiam facitis, acceſſionem, loquor. Quod acceſſorium naturæ eſt, illo per ſe natura caret. Juſtitia ſupernaturalis juxta vos naturæ hominis integri acceſſoria erat. Ergo ea per ſe carebat. Sed & natura lapſa juxta Vos pura remanſit, neque aliter ab integra diſcrepat, quàm quòd aſcititiam juſtitiam veſtem perdidit. Denuo igitur anquiro: Cur infantes non baptizatos æternis pœnis mancipetis, ob ſolam juſtitiæ originalis carentiam, natura ipſa de cœtero, extra indebitæ, uti ſtatuitis, ei juſtitiæ conceptum, manent tali, qualis erat ante lapſum? An natura hominis, qualis creata pura eſt, extra ſupernaturalis doni æſtimationem, æternam damnationem commeruit? Solve iſthoc ænigma, quacunque vitula potes. 2. Infantes fidelium non baptizati, ſi Dei Filii non ſunt, an igitur, quia aquæ baptiſmo ſine culpa ſua, Deo fata eorum accelerante, privantur, ſunt filii Diaboli? Inter ſemen quippe mulieris, Dei Filios; & ſemen Serpentis medium nullum datur. Atqui ad eoſdem etiam non baptizatos pertinere Regnum Cœlorum, ipſemet Salvator Matth. XIX. 14. aſſerit.

ARG. VII. Cùmque Baptiſmum vocent adverſarii regenerationem & novam nativitatem, quòd in eo aboleatur peccatum originale, quomodo quæſo regeneratio & nova nativitas locum habere poteſt, ubi nulla mala qualitas deletur, nec ejus, qui baptizatur, ulla fit immutatio? Hæc ἀσύςατα eſſe quis non videt?

RESP. REDING: 1. *Vi Baptiſmi homini baptizato gratia ſanctificans infunditur. Fit igitur in eo immutatio.* 2. *Generationis proprium eſt procedere in ſimilitudinem naturæ. At Baptiſmus peccatum originale delet, quatenus confert gratiam ſanctificantem, quæ eſt participata naturæ Divinæ ſimilitudo. Vi baptiſmi igitur gratiam conferentis homo regeneratur, & in ſtatu filiorum collocatur.* Ib. pag. 276. 277. Reſp. 1. Non reſpondes ad rem. Regeneratio ſine abolitione & mortificatione veteris hominis, adeóque etiam qualitatis in eodem malæ fieri non poteſt. Quomodo verò vi Baptiſmi in regeneratione qualitas mala aboletur, quam nullam eſſe in peccato originali docetis? Quomodo eatenus fit mutatio naturæ regeniti, cùm natura ejus pura juxta vos utrobique eadem ſit, neque ei accedat aliud, quàm frœnum aliquod naturæ extrinſecum, & naturæ puræ rebellionem coërcens? 2. Si ſpiritualem hominis naturam non afficit regeneratio, ſed ei duntaxat frœnum illud naturæ puræ hominis ſuperadditum reſtituit; regenerationem hanc plenam ſolidámque eſſe nemo ſanus judicabit. In regeneratione enim eſt mortificatio veteris hominis, & vivificatio novi. Juxta veſtram verò hypotheſin nihil in homine regenerando eſt, quod mortificari poſſit.

ARG. VIII. Bellarminus, aliique peccatum originale vocant *habitualem averſionem & obliquitatem* voluntatis. Cùm igitur habitus juxta ipſos Sophiſtas ſit ſpecies qualitatis, quæ cauſa eſt, quòd adverſus nos inſurgunt, eo quòd qualitatis notionem ei applicamus?

RESP.

Digitized by Google

Resp. Reding: *Habitualem averſionem & obliquitatem noſtri appellant, non quòd ad qualitatis ſpeciem, quæ habitus vocatur, reduci eam oporteat; ſed tum quia privativa eſt, non actualis tantùm, ſed habitualis etiam rectitudinis: tum quia habitualiter voluntaria eſt, quandiu per gratiam Baptiſmi non retractatur & condonatur.* Ib. pag. 277. Reſp. Parùm orthodoxum in re ipſa Bellarminum eſſe, non ignoraveram. Verba tamen ejuſmodi ille protulit, qualia à noſtris prolata flagellare crudeliter ſoletis. Quare veſtris *habitualem averſionem* & *obliquitatem* peccatum originis appellare fas eſt: nobis autem *qualitatem*, non utique propriè dictam (nam nec nos realitatem ullam hic agnoſcimus) ſed metaphoricè, quia more qualitatis ſubjectum afficit, neque tantùm à bono avertit, ſed ad malum etiam convertit, inſignire nefas eſt? Quis verò privationem meram habitus, vel peccatum voluntarium quandiu condonatum non eſt, idcirco *habituale* & *obliquum* aliquid dixit? Vobis licet ὀνοματοποιεῖν, & quidvis dicere.

ARG. IX. Quid verò illi, qui cum Auguſtino, Lombardo, aliiſque peccatum originale finiunt concupiſcentiam? Nunquid concupiſcentia eſt nuda ejuſmodi privatio?

ARG. X. Denique ſaniores Scholaſtici agnoſcunt peccatum originale eſſe morbidam qualitatem, quandam inordinatam diſpoſitionem & σύῤῥαξιν provenientem ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua conſiſtebat ratio originalis juſtitiæ. Exemplum afferunt ægritudinis & morborum, in quibus eſt aliquid privativum, quatenus tollitur æqualitas ſanitatis, & aliquid poſitivum, nempe humores inordinatè diſpoſiti. Sic etiam originale peccatum habere privationem originalis juſtitiæ, & cum hac inordinatam diſpoſitionem partium animæ, ac proinde non eſſe puram privationem, ſed quendam habitum corruptum docent. Ita Lombardus, Thomas, Henricus, Driedo, Cajetanus, Gregorius Ariminenſis. Thomæ verba 1.2.q.82.art.1. ſic ſonant: *Sicut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas temperamenti & ſanitas; & aliquid poſitivum ut ipſos humores inordinatè diſpoſitos: ita peccatum originis non eſt pura privatio, ſed corruptus quidam habitus.* Videſis eandem in rem plura apud Janſenium *de ſtatu naturæ lapſæ lib.1.cap.18.*

Resp. Reding: *Auguſtinus peccatum originale vocavit concupiſcentiam non formaliter, ſed effectivè. 2. Theologorum noſtrorum diſſenſus inde eſt, quòd diverſimode peccatum hoc conſiderant; alii cauſaliter, dicentes, peccatum hoc eſſe ipſum peccatum Adami imputatum, quà moraliter poſteris imputatum: alii effectivè, ſtatuentes, peccatum illud conſiſtere in habitu hominem ad bonum commutabile inclinante: alii integraliter, collocantes illud in gratiæ ſanctificantis & unà juſtitiæ originalis privatione omnimoda: alii materialiter & objectivè, ponentes illud in reatu pœnæ: alii denique formaliter, ajentes, conſiſtere illud in privatione juſtitiæ originalis quoad primarium, gratiæ nimirum ſanctificantis effectum, conſideratæ, ac poſteris Adami, ſi non peccaſſet ille, ex pacto debitæ. quæ ſola poſtrema ſententia culpæ originalis quidditatem & eſſentiam attingit. 3. Interim iidem*

Digitized by Google

Theologi noſtri, qui peccatum originale ſtatuunt in concupiſcentia, ſeu habitu ad bonum commutabile inclinante, poſitivam qualitatem, quæ non ſit in linea Entis à Deo producti, nullam agnoſcunt. Vos autem poſitivam qualitatem omni eſſentialitate deſtitutam, non à Deo, ſed à Diabolo productam defenditis. Ib. pag. 277.-280. Reſp. 1. Peccatum originale ex mente Auguſtini non aliud eſſe quàm concupiſcentiam, & eidem etiam, ex mente ejusdem, iniquitatem, mortem animæ, immunditiam, averſionem ineſſe, Janſenius *de ſtatu naturæ lapſæ lib. I. cap. 1. 2. &c.* contra recentiores Scholaſticos, Auguſtini veſtigia deſerentes, clariſſimè demonſtravit. Ejus argumenta nunquam tu diſlues, utcunque ſophiſmatum tuorum nervos intenderis. Nos inter corruptionem naturæ & concupiſcentiam, ut inter totum & partem diſtinguimus; atque illam peccati originalis totum, hanc partem eſſe aſſerimus. 2. Theologorum veſtrorum circa eſſentiam peccati originalis graviſſimum diſſenſum diſtinctionum tuarum fuco fruſtra elevare conaris. Diſſidentes enim partes non eo, quo tu contendis, ſenſu, puta vel cauſali, vel effectivo, vel integrali, vel materiali & objectivo, ſed formali & quidditativo (ignoſce Latium, terminorum monſtris una cum Redingio, Latino Præſule, inſanienti) peccatum originale conſiderant omnes. Neque diſſenſum de re tanti momenti Tridentini Patres ſuſtulerunt. adeò ut hodiéque de eſſentia peccati originalis, articulo nec dum à Pontificiis definito, adeóque ad fidem Pontificiam non pertinente, Cadmæi fratres dimicent. Redingio in putido ſuo corollario argutè ſcilicet regerente, de *eſſentia* tantùm ejus *Metaphyſica* diſceptari. quaſi ſcilicet cujuſque rei ratio formalis & quidditas aliud ſit quàm eſſentia rei, cujus tractatio in genere ad Metaphyſicos pertinet. Ita aniliter ille delirat. Eos porro Theologos, quos ego citavi, peccati originalis eſſentiam, non effectum, in morbida & poſitiva quidem animæ qualitate, prava deſideria perpetuò excitante, collocare, Bellarminus *de amiſſ. gratiæ & ſtatu peccati lib. V. cap.* 15. neutiquam diſſimulat. Sic enim ſtatum quæſtionis inter Pontificios controverſiæ format: *Solùm quæſtio manet de hoc vitio, ſitne poſitiva qualitas, annon; & utrum hoc ſit (N.B.) propriè & formaliter originale peccatum? Illi* (Lombardus, Driedo &c.) *affirmant utrumque. Nos utrumque negamus.* Deinceps Lombardi & ſequacium ſententiam ratiunculis quibusdam, quales etiam adverſus nos intorquetis, refellere conatur. 3. Differentiam ſententiæ Theologorum illorum à noſtra peſſima fide tu explicas. Quis enim noſtrùm peccatum originale poſitivam eſſe qualitatem in genere Entis à Deo producti, ſtatuit? Quis Theologorum veſtrorum, qui in peccato originali poſitivam qualitatem tuentur, non ab eodem, uti & nos ſolemus, eſſentialitatem omnem ita removit, ut tamen peccatum illud à Deo eſſe negaverit? Annon ergo hactenus paria facimus? In eo tantùm à noſtris Theologos citatos differre, *quòd illi*, ſecus ac nos, *agnoſcunt ſuperadditam qualitatem*, (hoc eſt, fomitem, qualitatem corporis, peccato contractam, quo ceu *ἐμποδίῳ* quodam externo vires per ſe integræ in actionibus ſuis impediantur; cùm nos *ἀνυποταξίαν* & *ἀταξίαν* omnibus facultatibus intimè inhærentem agnoſcamus,) *& concupiſcentiam poſt Baptiſmum ex ſua natura propriè peccatum eſſe negent*; Bellarminus candidior longè Redingio, *loc. cit.* fatetur.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Si peccatum originale eſt poſitiva qualitas, haberet cauſam etiam poſitivam. Atqui non habet; quia nec Deus, nec Diabolus, nec homo eſt talis cauſa.* Reſp. Habet cauſam poſitivam, non *Phyſicè*, ſed *Logicè & Ethicè*, non *efficientem*, ſed *deficientem*,

desitientem, quæ exprimitur Joh. VIII.44. Jac.I.14.15. Diabolus nimirum vulnerans,& homo sua voluntate peccans. Nempe homo sese peccando corrupit,& qualitatem illam contraxit,quemadmodum cùm quis se obtorquendo rectitudinem amittit,& pravitatem contrahit.

EXCIP. REDING: 1. *Si causa positiva spectat ad lineam Entis,erit verum Ens reale. Sin, nihil erit.* 2. *Causa desitiens numquid in suo effectu entitatem attingit? Si negas, privationem ergo vel negationem attinget. Si affirmas,cùm formalitas causæ, quæ deficienti respondens,in Deum reduci nequeat,in Diabolum reducetur. quæ Manichæorum hæresis est.* Ib. pag. 280. Resp. 1. Nescivisti, quid scriberes. Quidnî causa peccati, voluntas hominis, & Diabolus sint in linea Entis,entiáque realia? Hoc sufficit. Neque enim vos id negare ausitis. In causando verò est positiva non physicè,sed Logicè & Ethicè, eo sensu, quo clarè explicavimus. Bellarminus, cujus vitula feliciùs hic etiam aravisses, hoc solum movet, *Adamum voluntate sua per actum peccandi efficere in se potuisse dispositionem aliquam ad similem actum, sed non qualitatem perpetuò hærentem, & ad omne malum inclinantem.* Sed verò peccatum originale non est habitus per frequentes actus acquisitus, verùm mors spiritualis & corruptio totius naturæ,ob peccatum præcedens, justúmque Dei,morti spirituali peccati ob transgressionem legis totum genus humanum subjicientis, judicium. Pelagii quidem olim peccatum originale oppugnantis axioma fuit, *unum actum non efficere habitum.* Verùm uno peccati actu naturam & Angelorum & hominum vitiatam ac depravatam esse, de Angelis ex Joh. VIII.44. Jud.v.6. de hominibus, Genes.II.17. III. & V.1.2.3. Rom. V.12. abundè liquet. 2. Causa *deficiens*, (ita S. Augustinus *de Civ. D.XII.7.* & ex eodem Thomas & Lombardus peccati causam nominant) vel,si mavis, efficiens, sed in efficiendo degenerans, in effectu suo attingit privationem utique, sed non nudam, qualem vos statuitis, verùm actuosam & efficacem; quæ non tollit ipsum subjectum, sed corrumpit: non extinguit interna actionum principia, sed ea depravat & distorquet.

OBIECT. II. *Si peccatum originale est qualitas positiva, Deus ejus author est. Is enim author est omnis entis positivi.* Resp. Entis positivi *propriè & physicè* ita dicti Deus author est. At tale non esse peccatum originale, superiùs animadvertimus. Est enim positiva qualitas tum *Logicè*, quia de subjecto affirmat non tantùm aversionem à bono, sed etiam conversionem ad malum: tum *Ethicè*, quia justitiæ originali contrariatur. Ita temperantia, superbia, injustitia sunt & vocantur habitus morales efficaces & agentes, adeóque suo sensu entia positiva, cùm omnis habitus sit Ens positivum. Neque tamen eorum author Deus est.

EXCIP. REDING: 1. *Si conversio ad malum, ob quam de subjecto affirmatam Logicè positivam qualitatem vocas, aliquid realitatis de subjecto affirmat, Deus author ejus statuetur; si realitatis nihil, quid affirmabit?* 2. *Ens positivum omne à Deo est. Peccatum autem,seu habitum, esse Ens positivum asseris. Quomodo igitur non est à Deo. Et si à Deo non est, quomodo Manichaismum effugies? Tuo te, sorex, indicio prodis.* Ib. pag. 280-281. Resp. 1. Solamen misero, socios habuisse malorum. Socii hic sunt Lombardus,

 Thomas

Thomas, Dii tui. Illos blaſphemiarum harum reos æquè ac me peragis. Sed ſalva res eſt. Reſpondeant illi pro ſe, & vindicent nefas à cliente ſuo impactum; ego pro me. Quod de ſubjecto peccatum originale affirmat, non eſt equidem realitas, ſeu res quæpiam naturalis vel ſupernaturalis, à Deo creabilis, vel creata: eſt tamen non negatio mera, non nuda privatio vel carentia duntaxat, ſed privatio conjuncta cum habitu, ſed qui non in rectum exit, verùm perverſo objecto ſe applicat, operatur, & corrumpitur. Eſt enim *figmentum cogitationum cordis tantùm malum*, Geneſ. VI. 5. *Lex in membris belligerans adverſus legem mentis, captivans legi peccati, quæ eſt in membris*, Rom. VII. 23 *caro concupiſcens adverſus ſpiritum*, Gal. V. 23. En, affirmat peccatum hoc de ſubjecto figmentum, belligerationem, pugnam, concupiſcentiam adverſus ſpiritum. Hæc res eſt. Tu, ſi potes, aptiori quàm poſitivæ qualitatis vocabulo, rem eam nota. 2. Eſt ergo qualitas, habitus hic malus ens poſitivum, ſed nonniſi logicum, ethicúmque, ut dixi, non entitate vel realitate, ſed ſolo vocabulo tale; quo κατηγορίας τρόπῳ Scriptura utitur, ut ſignificet, naſci nos non juſtitia duntaxat vacuos, ſed injuſtitia plenos. planè ſicut aſpidis ovum non ſalutari duntaxat humore privatum, ſed lethali inſuper veneno imbutum eſt. *Privatio*, ita Cajetanus, *dat negationem in ſubjecto apto nato: corruptio addit poſitivum contrarium, id eſt, affirmativum, fundans illam negationem.*

OBIECT. III. *Si peccatum originale eſſet qualitas poſitiva, non poſſet tranſmitti ad poſteros. Neque enim habitus acquiſiti tranſmittuntur ad prolem.* Reſp. 1. En quomodo ſe ſorex indicio ſuo prodit! Negat Bellarminus peccatum originale eſſe *habitum acquiſitum.* Adeóque juxta eum per peccatum originale nihil naturæ acquiſitum eſt, ſed manet eodem in ſtatu, quo fuiſſet ante lapſum, dempto aureo fræno. 2. Habitus acquiſitos tranſmitti ad poſteros poſſe, experientia docet arthriticorum, epilepticorum, calculoſorum. Ita pica ſeu malacia, quæ prægnantes vexat, embryoni notas indelebiles imprimit. Annon aliquando hominis, cujus mores prava conſuetudo efferavit, proles fera eſt & intractabilis? mendax generat aliquando mendaces?

Excip. Reding: 1. *Quomodo natura humana poſt lapſum manet in eodem ſtatu, ſi frænum aureum juſtitiæ originalis ei ademptum eſt? An quia per mortem corpori demitur anima, id permanet in eodem ſtatu? 2. Qualitates corporei temperamenti tranſire in poſteros poſſunt, ob impreſſionem in ſemen per cauſalitatem phyſicam: non item intentionales & morales habitus, quorum intellectus & voluntas ſubjectum ſunt, cùm ejuſmodi phyſica cauſalitas ad imprimendam ſemini qualitatem quampiam iis deſit.* Ib. p. 281. 282. Reſp. 1. An, Redingi, quod ita extraneum eſt, ut ad naturam rei non pertineat, demptum naturam mutat? An frœno ſublato equi, rectore & pædagogo remoto pueri, ſerto depoſito puellæ, veſte exuta hominis natura mutatur, vel alium in ſtatum transformatur? Dices, mutari hactenus, quòd ſicut ſublato frœno equus ferocire incipit: ita ſublata originali juſtitia homo rebellare Deo incipiat. Verùm non alia inde mutatio, non alius ſtatus, quàm qui per ſecundi actus acceſſionem oriri poteſt, inceſſet. Ipſe verò rebellionis actus primus, quem ut defectum, mortem, & languorem, non à Deo, ſed ex materiæ conditione ortum, Bellarminus, ſi ullus alius, Manichæizans, in homine integro locum habuiſſe,

docet

docet, utrobique idem erit. Quid verò multis? Bellarminus idem *de grat. primi hominis cap.5.* statum hominis post lapsum Adami à statu ejusdem in puris naturalibus differre non aliter, quàm ut homo nudus à spoliato differt, disertè asserit. Similitudo verò à te allata clauda nimis incedit. Corpus enim ad naturam hominis, ceu pars ejus essentialis altera, pertinet. Vos verò originalem justitiam ad primi hominis naturam pertinuisse, negatis. 2. Si habitus morales & intentionales propagari in posteros nequeunt, quo igitur pacto justitia originalis, habitus utique moralis & intentionalis, propagari ad posteros, si Adamus non peccasset, (quod ipsemet fateris) potuit? Caput ea. rem solve.

OBIECT. IV. *Si peccatum originale qualitatem ejusmodi contrariam natura, in qua conditus est homo, induxisset, utique tanto tempore imminuta foret. Qua enim contra naturam sunt, non durant.* Resp. 1. Improbum est, ejusmodi axiomata physica traducere ad doctrinam salutis. 2. Ne in physicis quidem semper valet, id, quod contra naturam est, durabile non esse. Ita contra naturam est, esse strabonem aut varum, quod tamen nec ab arte, nec à natura emendari potest. 3. Peccatum originale non est contra naturam eo modo, quo eam Physici accipiunt. Neque enim peccare est contra formam hominis, nec contra propria & facultates naturales animæ: sed contra naturam officii, aut virtutum, quæ ex mandato Dei homini inesse debuerant. 4. Peccatum instar fermenti totam naturam pervasit. Unde Rom. VII. 21. vocatur *κακὸν παρακείμενον, malum adjacens,* quod non aboletur nisi totali abolitione corporis, & Ezech. XXIV. 6. 11. 12. comparatur cum סיר אשר חלאתה בה *olla, in qua rubigo est* ejusmodi, quæ nonnisi igne comburi & destrui potest.

EXCIP. RADING: 1. *Cùm verum vero non repugnet, axiomata physica ad doctrinam salutis trahi quid vetat?* 2. *Si peccatum Adami efficaciam habuit in nobis producendi qualitatem positivam, Christi meritum etiam efficaciam habuerit justitiam in nobis intrinsecam producendi. Proin justitia hæc in homine regenito oppositam qualitatem ita imminuet, ut alteram sibi similem ex se profundere & propagare non possit. quod fidei repugnat.* Ib. pag. 282. Resp. 1. Cùm verum vero consonet, consequens est, ut quod axioma in physica verum est, in Theologia non sit quoad sensum suum naturalem falsum; non item, ut gratiæ Divinæ & mysteriorum doctrina ad obrussam axiomatum naturæ exigatur. Ita non quia in natura virgo non parit: in mysterii doctrina virginem non parere etiam, necessum est. 2. In cœteris responsionem meam non feris. Ratio verò tua imbellis est. Justitia enim merito Christi parta, & per fidem imputata electis, in hac quidem vita peccati originalis fomitem per mortificationem veteris hominis quotidie atterit: at demum per abolitionem corporis consumit, teste S. Paulo Rom. VII. 24. 2. Cor. IV. 16. Cúmque in eo caro adversus spiritum concupiscens maneat usque ad finem vitæ, regeniti igitur etiam generant sibi similes liberos secundùm carnem, quæ in iis est, non secundùm spiritum regenerationis. Non aliud enim per generationem propagant, quàm quod iis naturale est, & quod à natura habent. Quomodo Adamus lapsus, regenitus licet, genuisse tamen dicitur בדמותו כצלמו *in similitudine sua, secundùm imaginem suam,*

suam, non Dei, Genes. V. 3. Neque major difficultas hic est, quoad habitualem injustitiam, quàm quoad carentiam justitiæ. Regenitos enim justitia non amplius carere, imò gratiæ sanctificantis habitu inhærente præditos esse, ipsi conceditis. Quomodo igitur generant liberos iidem justitia ea carentes?

QUÆSTIO II.

An per Jesu Christi gratiam in Baptismo collatam tollatur peccatum originale, & quoad reatum, & quoad maculam, adeóque totum id, quod veri peccati rationem habet?

AFfirmat Synodus anathemate quinto, ubi per gratiam in baptismo collatam tolli asseritur *totum id, quod veram & propriam peccati rationem* habet. Concupiscentiam quidem & fomitem remanere fatetur, at eam *verè & propriè* peccatum esse, negat. & *peccatum* dici asserit non aliam ab causam, quàm *quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat*. Nos in peccato originali distinguimus *reatum* à *macula*: & in macula *domininium* ab ejus *existentia*. Igitur regeneratione tolli peccati originalis *reatum*, & *maculam* quoad *dominium*, fatemur. Neque enim peccatum originale regenitis imputatur ad damnationem, vel in iis dominatur, ita ut concupiscentiis ejus serviant. At tolli regeneratione vel baptismo peccati originalis maculam quoad *existentiam*, adeóque, quicquid in eo peccati rationem habet, negamus. Etenim

ARG. I. Paulus regenitus, agnoscit tamen in se peccatum inhabitans, sub quo sit venundatus, Rom. VII. 14. 17. De eo supra modum conqueritur. Vocat id non bonum, odio dignum, à lege prohibitum, repugnans legi, crucifigendum, mortificandum, per solum Christum remissibile, καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν *secundum excellentiam peccaminosum*, cap. VII. 7. 13. 15. 18. 23. 24. 25. ne dubitari possit, quin peccatum propriè dictum intellexerit.

RESP. REDING. 1. *S. Paulus Rom. VII.* 14. 17. *concupiscentiam vocat peccatum inhabitans, non formaliter, sed tantùm causaliter & effectivè, quia, uti S. Augustinus Retract. lib. I. 15. loquitur, peccato facta est, & pœna peccati est.* 2. *Cùmque omne peccatum sit voluntarium, eodem Augustino, aliisque testibus, Paulus v. 16. 17. negat, se velle & operari peccatum illud, dicens: Facio quod nolo: Nunc non amplius ego operor illud, sed peccatum in me inhabitans.* 3. *Idem Paulus v. 13. concupiscentiam, Vulgatæ & Tigurinæ versioni*

Digitized by Google

verſioni conformiter, vocat peccatum peccans, hoc eſt, peccatum cauſaliter. Tract.IV.p.283. 284. Reſp. Tu verò non ad argumentum meum, quo ex circumſtantiis textus propriè adeóque formaliter dictum peccatum intelligi, probatum dedi; reſpondes, ſed præjudicia tua, imò ipſum τὸ κρινόμενον recoquis. Atqui 1. Si id *formaliter* adeóque *propriè peccatum* non eſt, quod *pugnat cum lege; operatur mortem; eſt peccatum per excellentiam peccaminoſum; ſervituti nos, ſævi tyranni inſtar, ſubjicit; odiò dignum eſt; non eſt bonum; cogit nos id facere, quod odimus; volenti facere bonum adjacet; repugnat legi mentis; miſerum efficit usque ad mortem;* denique *remittitur per gratiam Jeſu Chriſti*, quæ cap. VII. continua ſerie ei etiam concupiſcentiæ, quæ S. Paulo inerat, tribuuntur; quid igitur peccatum *formaliter & propriè dictum ſit*, ex te, Redingi, cognoſcere deſidero. Ego, ſi quod tale eſt, formaliter & propriè peccatum non eſt, nihil eſſe formaliter & propriè peccatum, reor. Si quid diverſum S. Auguſtinus cenſuiſſet, illud Apoſtolo opponi non mereretur. Quamquam diverſum non cenſuit, ſed, quemadmodum in multis aliis, alicubi expreſsè locutus eſt, alicubi ſubobſcurè mentem ſuam innuit. Ubi cum Pelagianis agit, ad declinandam invidiam & raſuræ objectionem, concupiſcentiam & peccatum originale & in regenitis & in irregenitis propriè peccatum eſſe negat. Alibi & peccatum, & cauſam, & pœnam peccati eſſe, manifeſtè aſſerit. Ita *lib. I. contra duas Pelagianorum epiſtolas cap. 13.* ait, concupiſcentiam vocari peccatum, non tantùm quia ex peccato facta eſt, & peccatum facit, hoc eſt, uti noſter barbarus loquitur, *cauſaliter & effectivè*; ſed etiam, *quia peccandi delectatione movetur, etſi ei vincente delectatione juſtitiæ non conſentiatur.* Quin & *contra Jul. lib. II.* ait, concupiſcentiam *repugnare legi mentis*; eámque *Deum odiſſe, & curando agere, ut conſumatur; addit.* Quin & *Epiſt. 29.* in maximè regenito agnoſcit *vitium, propter quod etiam quantumlibet profecerimus, neceſſarium eſt nobis dicere: Dimitte nobis debita noſtra: cùm jam in Baptiſmo omnia dicta, facta, cogitata dimiſſa ſint.* Denique peccatum hoc afferre reatum mortis æternæ, paſſim affirmat. An verò quod delectatione movetur, legi repugnat, odio Dei dignum eſt, remiſſione ſui, ceu debiti, indiget, reatum æternæ mortis poſt ſe trahit, propriè dictum peccatum non eſt? Et ſi eſt, an S. Auguſtinum ſibi diſcordem eſſe dicendum? Non puto equidem. Verùm peccati vocem non ſemper eodem modo accipit. Sicut enim injuſtitia nunc actum notat injuſtum, atque ita juſtæ actioni opponitur, & preſsè peccatum dicitur; nunc habitum ſignificat, ac virtuti opponitur, preſséque magis vitium appellatur, licet utroque ſenſu verum peccatum ſit: ita peccatum nunc actum ſignificat; unde vocamus peccatum actuale, quod ſtrictè peccatum dicitur; nunc habitum, à quo actus ille originem ducit. unde vocatur peccatum originale, quod laxa notione peccati notionem habet. Cùm igitur S. Auguſtinus ait, concupiſcentiam quidem cauſam & effectum peccati, non verò peccatum eſſe, ſtrictè hanc vocem pro malo morali voluntario & actuali accipit. Cùm verò ait idem, concupiſcentiam non tantùm cauſam & effectum peccati, ſed ipſum etiam peccatum eſſe, laxè ea voce utitur pro quolibet malo morali, etiam involuntario; quale eſt vitium ſive innatum, ſive crebris actibus vitioſis acquiſitum. Quòd verò laxa hac appellatione uti voluit, non idcirco factum, ut aliter atque aliter peccati voce utendo glaucoma oculis lectorum objiceret: ſed quia ex eo, quòd dixerat, concupiſcentiam ab Apoſtolo μετωνυμικῶς peccatum vocari, Julianus cœteríque Pelagiani colligebant, eam eſſe rem bonam. Quare neceſſe habuit Auguſtinus dicere, etiam peccandi pronitatem eſſe malam, nec ſic à ſe peccati effectum dici, uti mors, quæ malum morale non eſt; neque ſic cauſam peccati à ſe nuncupari, uti homo, ſive cordis humani ſubſtantia, quæ ſecundum ſe bo-

Digitized by Google

na eſt,ſed ea ratione,qua vitium morale,ſtrictè loquendo non eſt peccatum, quod tamen ipſum laxè ſit peccatum,quatenus nempe peccati vox omnem bòni alicujus moralis,privationem,malúmque morale,ſive illud ſit vitium morale,ſive actus ex vitio fluens,notat. Hæc genuini S. Auguſtini ſenſus,non tantùm à Celeberimo Voſſio noſtro *Hiſt. Pelag.lib.II.p.3. th.* 2. ſed à Cornelio etiam Janſenio in Auguſtino,ſolidè demonſtrati,ignoratio in errorem Scholaſticos,ac poſt eos,Tridentinos etiam,qui ex Scholaſticis ſapuerunt toti,induxit. Unum addo, concipi non poſſe,quomodo concupiſcentia per modum habitus interni poſſit eſſe cauſa peccati,& non ſimul peccatum. Si interna cauſa moralis,ad bene agendum inclinans,bona eſt, mala erit, cùm ad malè agendum inclinat. 2. Peccatum omne voluntarium cùm eſſe, S.Auguſtinus, aliique aſſerunt, de actuali peccato, non inſita vitioſitate (quanquam & hæc ratione peccati Adami, quin & conjunctæ propriæ voluntatis, licet nondum deliberatò agentis,voluntaria eſt) loquuntur. 3. Peccatum, ſeu corruptio illa, in qua homo naſcitur, *καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν per excellentiam peccans* ſeu *peccaminoſum φαίνεσθαι apparere*, manifeſtari dicitur eo, quòd per *bonum*, legem ſcilicet, *operatur mortem*, nempe *ſeducens, excitans concupiſcentiam, & affectiones peccati ad fructificandum morti*. Quomodo quod per bonam legem excitat malam concupiſcentiam ad fructificandum morti: quod hoc ſtrenuè agit, *ἵνα φανῇ ut appareat* eſſe ſe peccatum, imò *ἵνα γένηται ut fiat*, hoc eſt, ſe præſtet & exhibeat *peccatum* & *peccaminoſum*, & damnabile *in exceſſu* per præceptum, propriè dictum peccatum non eſt? Annon tandem, cohors Romana, intelligis, Spiritum S. præſcium erroris tui, tanta emphaſi peccatum illud circumſcripſiſſe, ne maximum illud graviſſimúmque eſſe, veritatis & pietatis amantes ignorent?

ARG. II. David erat circumciſus & regenitus. Idem tamen cum actu peccâſſet, cauſam peccati repetit à prima conceptione, Pſalm. LI. 5. *In peccato enim formatus ſum, & in iniquitate mater mea concepit me.*

RESP. REDING: *Concupiſcentia, quâ fomes peccati, eſt effectus peccati originalis, non formaliter peccatum originale.* Ib. pag. 285. Reſp. Peccatum illud, in quo conceptus erat David, proprium ejus peccatum, non aliena concupiſcentia fuit. Suum enim peccatum David, non alienum peccatum deplorat. Ab eo verò peccato, ceu malo fomite, David & circumciſus & renatus, actuale ſuum peccatum arceſſit. Quod igitur is à prima conceptione & nativitate habuit, id in eo etiam renato & circumciſo & חטא, עון *peccatum, iniquitas* fuit, & peccati cauſa fuit; adeóque manſit aliquatenus, & veri nominis peccatum fuit. Ad hoc, ſi potes, reſponde: ad has lineas decurre.

ARG. III. Paulus Rom. VI. 12. *Peccatum*, inquit, *ne regnet in mortali corpore veſtro.* Gnarus peccatum penitus non expungi, dum hic vivimus, vetat, ne regnet & ſpiritui præpolleat.

RESP. REDING: *Ex textu eo conſtat, in noſtra poteſtate eſſe, ne regnet peccatum. Non igitur concupiſcentia ante conſenſum peccatum eſt, quia in noſtra poteſtate non eſt.* Ib. pag. 285. Reſp. Fugis inſtar Parthi, tela abjicientis. Quid enim ad argumentum noſtrum tua reſponſio? quæ ipſa tamen adeò abſurda eſt, ut peccatum originale, quod in naſcentis deliberata voluntate & poteſtate non eſt, non tantùm in regenitis, ſed in irregenitis etiam tollat. Macte! Sic itur ad Pelagii caſtra.

ARG. IV.

Digitized by Google

ARG. IV. Poſt baptiſmum & regenerationem fideles peccatis actualibus ſubeſſe, docet Scriptura, quæ aſſerit neminem vivere ſine peccato, Jac.III.2. 1.Joh I.8. Unde verò peccata illa actualia regenitorum fluunt, ſi peccatum originale, quod eſt jugis actualium ſcaturigo, regeneratione & baptiſmo ſublatum eſt? Etenim ſublata cauſa, quæ agit jugi influxu, & propenſione naturali indeſinente, tollitur quoque effectus. Ita ſublato ſole tollitur dies, ſublata anima ſenſus, ſublato igne calor urens.

Resp. Reding: *Peccatum originale in regenitis mediante concupiſcentia peccatorum actualium, & venialium, jugis ſcaturigo eſt, licet quoad formalem peccati rationem penitus ſublatum ſit.* Ib. pag. 285. Reſp. Mitto de venialibus peccatis, ſuapte ſcilicet natura, errorem. Peccatum, quod S. Paulus *inhabitans* vocat, operari & concupiſcentiam omnem, & mortem ipſam, idem Rom. VII. 8. 13. teſtatur. Operatur ut jugis eorum ſcaturigo, ſed venenata utique tota, diffundens venenum ſuum in facultates omnes, potentias & actus. Quales peccati illius fructus ſunt, tale ipſum peccatum eſt. Nam ex fructibus arbor cognoſci debet. non enim à ſpinis uvæ, à tribulis ficus colliguntur, Matth. VII. 16. 21. Si igitur fructus peccati inhabitantis veri nominis peccata ſunt in quovis ſubjecto: multò magis peccatum ipſum inhabitans, ceu arbor corrupta, fons venenatus, corruptionem venenúmque omne in actus diffundens, peccatum veri nominis erit. unde enim omnis actuum malitia, quàm ex naturæ corruptæ, ipſiúſque inhabitantis peccati malitia originem habet? Tolle cauſam, ſcaturiginem, fontem corruptum homogeneum, nulla malitia, corruptio nulla in actus influet. Stat igitur adamante magis fixum, quod protuli, argumentum.

ARG. V. Poſt baptiſmum aliquando mori infantes, docet experientia. Cùm igitur mors ſit ſtipendium peccati, Rom. VI. 13. ſequitur peccatum aliquod in infante baptizato remanſiſſe. Atqui non actuale, quia tale nullum commiſerunt. Ergo originale.

Resp. Reding: *Sublato juſtitiæ originalis dono natura humana ita corruptioni eſt obnoxia, ut mors ſit effectus non quidem poſitivus, ſed negativus peccati originalis, quatenus removet donum, quo mors naturaliter alioquin ſecutura impediebatur. Effectu autem ſemel poſito, ad hunc continuandum non eſt neceſſaria ſemper cauſa, quæ illum produxit. Sic patre mortuo filius ſuperſtes eſſe poteſt. Id hic maximè locum habet, quia mortis cauſa per ſe ipſa natura eſt.* Ib. 285. 286. Reſp. Non potuiſti cum argumento meo niſi Pelagianis telis confligere. Pelagii enim doctrina erat, mortem eſſe comitem & ſequelam naturæ, adeóque ex principiis naturæ ſequi. Ad incruſtandam hæreſin vos additis, licet naturæ ſequela ſit, impediendam tamen fuiſſe per juſtitiæ ſupernaturalis donum: quo ſublato natura vires ſuas exerat. Sed in re ipſa bellè convenitis. Quomodo verò naturæ ſequela eſt, quod ſolius peccati pœnam & ſtipendium eſſe, clarè Scriptura Geneſ. II. 17. III. 19. Rom. V. 12. VI. 23. teſtatur? Tu autem remiſſo infantibus Baptiſmo mortem ex naturæ principiis, non ut pœnam peccati, utpote jam remiſſi, infligi, errore merè Pelagiano, pertendis. Prodis denique tuam Dialecticæ artis inſcitiam, aſſerens, ſublata cauſa poſſe manere effectum; adeóque etiam ſublato peccato originali mortem. Canon enim ille,

quod pueris notum, non de causa emanativa, qualis est causa motem producens, utpote quæ existentia sua causat, sed de activa, quæ per motum causat, intelligitur.

ARG. VI. Quòd si gemellorum alter baptizetur, alter non baptizetur, neuter verò pietatis imbuatur documentis, fieri poterit, ut utérque improbus reddatur, imô baptizatus nequior. Non baptizati improbitatem procedere à peccato originali dicent. A qua verò causa erit nequitia & improbitas baptizati?

RESP. REDING: *Baptizatus nequior evadere potest, quia supernaturalibus gratiæ justificantis viribus in Baptismo collatis sua libertate abutitur, quin & residuam concupiscentiam habet, ad peccandum incitantem.* Ib. pag. 286. Resp. Impiis & reprobis gratiæ justificantis habitum in S. baptismate ex opere operato conferri, & in iisdem esse indifferentiam arbitrii ad bene vel malè iisdem donis utendum, quæ falsissima sunt, frustra supponis. Concupiscentia verò, quam in eodem residuam supponis, tam non sine peccaminosa malitia ad peccandum incitare, quàm non Diabolus sine proprio scelere & malitia quenquam seducere potest.

ARG. VII. Concupiscentiam remanere in baptizatis fatetur Synodus, & Scriptura clarè asserit. Atqui concupiscentiam esse veri nominis peccatum patet, tum quia Apostolus id disertè testatur, Rom VII. 7. tum quia carnalia ista desideria militant adversus animam, 1. Pet. II. 11. & φρόνημα σαρκὸς *legi Dei subjici non potest*, Rom. VIII. 7. tum quia appellatur εὐπερίστατος ἁμαρτία *peccatum circumcingens*, & pondere suo deprimens, Hebr. XII. 1. quod inhæret חלאה סיר *sicut rubigo ollæ*, quæ facilè defricari non potest, Ezech. XXIV. 6. tum quia peccatorum est fœta mater seu scrofa, Jac. I. 15. Ita Augustinus contra Julianum lib. 5. docet, concupiscentiam illam carnis, adversus quam spiritus concupiscit, esse *& peccatum*, quia illi inest inobedientia adversus dominatum mentis, *& pœnam peccati*, quia reddita est meritis inobedientis, *& causam peccati* defectione consentientis, & contagione nocentis. Viderit igitur Synodus sub anathemate decernens, *concupiscentiam etsi in Scripturis peccatum appelletur, tamen propriè peccatum non esse*, annon Scripturam S. anathemate nefariè & veluti θεομάχων percusserit?

RESP. REDING: 1. *Etiam vitulus aureus Deut. IX. 21. vocatur peccatum, licet formaliter tale non fuerit. Ita Rom VII. 7. concupiscentia vocatur peccatum non formaliter, sed objectivè & materialiter, quatenus est objectum legis, cujus transgressio per consensum voluntatis peccatum fit.* 2. *Carnalia desideria 1. Pet. II. 11. adversus animam militare dicuntur, quatenus subsunt voluntatis consensui. Antecedentes sunt motus involuntarii & naturales.* 3. *Ita Rom. VIII. 7. concupiscentia & sapientia carnis, quæ legi non subjicitur, & Hebr. XII. 1. peccatum circumcingens; nec non Ezech. XXIV. 6. rubigo ollæ, ex se nonnisi objectivè, per consensum autem demum formaliter peccaminosa fit.* 4. *S. Augustinus loc. cit. concupiscentiam peccatum vocat, quatenus defectione consentit, adeoque voluntaria*

luntaria est, non simpliciter. Ib. pag. 286 287. *Resp.* 1. Singulæ hæ exceptiones uno eodémque tibicine nituntur, quòd concupiscentia non sit formaliter peccatum, nisi voluntatis consensus accedat. Sed uno ariete singulæ etiam validè concutiuntur. Si enim concupiscentia formaliter peccatum non est, nisi voluntate actu consentiente, etiam in non baptizato formaliter peccatum non erit, nisi voluntatis consensus actualis accesserit. Cùm igitur in infantibus non baptizatis voluntatis actualis consensus nullus sit, ne in iis quidem formaliter peccatum igitur erit. Quale igitur in iis baptismus peccatum abluit, tollit, remittit? Et regeneratio quam labem, quam veteris Adami peccaminosam corruptionem abolet? Extrica pro tuo acumine. 2. Vitulus Deut. IX. 21. vocatur חטאת *peccatum* metonymicè, quia in eo peccatum admissum erat. Nulla verò lege vitulus, uti concupiscentia, prohibitus est. Dispar igitur ratio. 3. Cúmque lex simpliciter concupiscentiam prohibeat, nullo voluntariæ & involuntariæ discrimine, cur tu ficto illo discrimine legem corrumpis, & peccatum propriè esse negas, quod eodem capite decies peccatum appellatur? Annon ita te ἐλεγκτικῶς Apostolo palàm contradicentem, prodis? 4. Augustini quæ mens sit, supra vidimus. Eo ipso loco, ad quem Tridentini digitum intenderunt, nimirum *lib. II. contra 2. epistolas Pelagian. cap.* 13. sic peccata definit: *Peccata autem sunt, quæ secundùm carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur, quæ transacta etiam tenent, si non remittantur.* Manifestum est, hanc peccati non cujusvis, sed actualis duntaxat, definitionem esse. Tale peccatum esse concupiscentiam originalem, utpote involuntariam, hoc est, non voluntate præmovente ejus, cui inest, accersitam, negavit. At loco à nobis citato *peccatum* esse affirmat, *quia illi insit inobedientia adversus dominatum mentis.* qualis ei inobedientia inest semper, habitualis in omnibus, etiam infantibus, actu licet non consentientibus; & habitualis & actualis verò, cum consensu etiam conjuncta, in adultis, regenitis etiam. quamvis diverso in illis & irregenitis modo gradúque. Alias ipse quoque Augustinus *Retract. lib. I.* 13. peccatum illud, quod & pœna peccati est, voluntarium esse, negat. Quanquam concupiscentia quævis, infantum etiam voluntaria rectè dicitur, quatenus videlicet & in voluntate est, & à voluntate humana suscipitur atque arcessitur. Est enim vitium voluntatis, & voluntate Adami est suscepta, quodammodo advecta, & generi humano immissa. Et si sunt peccata omissionis, quomodo voluntati pro peccato non erit, quòd non ita diligit Deum, ut dignus est, & ut oportet? Id tamen habituali concupiscentiæ adest semper.

ARG. VIII. In veteri ecclesia plerique baptismum differebant usque ad senectutem, ut rigorem canonum pœnitentialium, quibus catechumeni obnoxii non erant, evitarent. Magno igitur scelere se alligaverit pleraque pars ecclesiæ veteris, quæ malebat non baptizata vivere cum peccato originali, quàm baptizata sine eo. Usu tamen veniebat, ut baptizati non pauci essent sceleratiores catechumenis. An quisquam eorum unquam sensit, baptismo peccatum originale esse excussum? An credibile est, Episcoporum tantam fuisse væcordiam, ut non increparent tardos, qui datâ operâ peccatum originale retinerent, quod exuere poterant?

RESP. REDING: 1. *Pleramque partem veteris Eccleſiæ fuiſſe non baptizatam, falsò aſſeris, cùm tot millia ab Apoſtolis baptizata ſint.* 2. *Differentes Baptiſmum acriter Epiſcopi veteres objurgarunt, nominatim Clemens Romanus, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus.* 3. *Qui quærere audes, an quiſquam ſenſerit, Baptiſmo originale peccatum excuſſum eſſe? An myſteria fidei ſenſu attrectanda ſunt?* 4. *Cùm Baptiſmus ſit janua Eccleſiæ, non baptizati igitur pars eccleſiæ non fuerunt. Neque non baptizati illi, exceptis Martyribus, fide ſalvifica præditi fuerunt.* Ib. pag. 287. 288. Reſp. Quæ hic temerè effutis, te in antiquitate Eccleſiaſtica nimis hoſpitem produnt. Etenim 1. non de Eccleſia Apoſtolica, ſed de ea, quæ Canonum pœnitentialium rigorem intendit, loquor ego. An ignoras, plurimos in Eccleſia ea fuiſſe, qui Chriſtiani quidem erant profeſſione, ſed ſtudio Baptiſmum differebant, ſimul & baptizari & mori volentes, ne poſt acceptum Baptiſmum rurſus peccarent, loco Hebr. VI. 4. malè intellecto decepti? Quos *κλινικοὺς Clinicos* antiquitas nuncupavit. In eorum numero fuiſſe ipſum Conſtantinum M. extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi baptizatum: ejuſdem filium Conſtantium, qui *ἀποθνήσκων ἠξίου βαπτίζεσθαι moriens* demum *baptizari voluit*, uti de eo Athanaſius *de Synod. Arim. & Seleuciæ*, loquitur: Theodoſium quoque M. veteres conſtanter tradidere. 2. Tantáque eorum multitudo fuit, ut Epiſcopi in conſuetudinem illam paſſivam acriter invehi, quin & in Neocæſarienſi Concilio Can. XII. ne tales in Presbyteratus gradum eveherentur, definire neceſſe habuerint. Nemo tamen eorum, quod ego urſi, eo argumento clinicos pulſavit, quòd Baptiſmo ita peccatum originale excutiatur, ut veri nominis peccatum ampliùs non ſit. Legatur vel ſola oratio Gregorii Nyſſeni, quæ contra Clinicos ſcripta *Tom. II. 215. &c.* extat. 3. Peccatum originale in Te Baptiſmi ope excuſſum, ſi ita Deo placet, ſoláne fide apprehendis? Cedo igitur verbum, cedo revelationem, qua ſola fides nititur. Spirituali ſenſu opus eſt, ut ſentias, intelligas, quas in te vires peccatum vel exerat, vel perdiderit. Si cor tuum te non accuſat, habes fiduciam ad Deum. 1. Joh. III. 21. Teſtem omni exceptione majorem in ſinu geris. 4. Siccine ergo veteres non baptizatos omnes, quandiu tales, adeóque pientiſſimos etiam Imperatores, Conſtantinum M. & Theodoſium M. extra Eccleſiæ Chriſti pomœria, relegas? Utinam verò tu baptizatus tam verè Eccleſiæ Chriſti veræ membrum eſſes, quàm verè piiſſimi illi Imperatores, aliique ſimiles non baptizati Eccleſiæ veræ membra fuerunt! Non carebat quidem illa *ἀναβολῆς dilatio* baptiſmi vitio: ſed ſola hominis Chriſtiani axiomate, & æternæ ſalutis ſpe defraudavit neminem. Certè Ambroſius Valentinianum Juniorem Auguſtum, morte præventum, ne baptiſmo diu dilato ab eodem bearetur, adeò non damnavit, ut in oratione funebri diſertè in hæc verba eruperit: *Vita jam fruitur æterna! Qui habuit Spiritum tuum, S. Pater, quomodo non accepit gratiam tuam?*

ARG. IX. Ipſos Phariſæos Romanenſes, ſuffarcinatos perſuaſione ſuæ juſtitiæ, teſtes appellamus, annon ſentiant in ſe ipſis aculeos ſuperbiæ, quos ipſe Paulus experiebatur, 2. Cor. XII. 7. Quis eorum non lancinatur ſtimulis cupiditatum? Quis eorum non eſt mendax? Quis Deum amat toto corde? Sanè cùm adverſus nos diu traxerint contentionis funem, graviorem tamen diſputationem adverſus ſe ipſos, ſiquidem in ſe deſcenderint, experientur. Neque juvabit, ſi dixerint, ſe agnoſcere *fomitem, vitium,*

Digitized by Google

vitium, cupiditatem, at non *peccatum*. Non refert enim, ſub quo titulo quis pereat, an ſub titulo peccati, an fomitis, an vitii, an concupiſcentiæ.

Resp. Reding: 1. *Aliud eſt peccatum, aliud vitium, teſte Auguſtino lib. II. contra Julianum. Vitia, paſſiones frænandas, cohibendas, ſanandas vocat.* 2. *Ejuſmodi paſſiones Romanenſes nos ſentimus; ſed eas cohibendo, frænando, ſanando, peccatorum rei non ſumus.* Ib. pag. 288. Reſp. 1. Peccatum & vitium à S. Auguſtino diſtingui, ut habitum & actum, ſupra vidimus. Si actus peccatum eſt, habitus & vitium ipſum concupiſcentiæ erit *ἁμαρτία καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς peccatum per excellentiam peccaminoſum.* quomodo nos cum S. Paulo Rom. VII. 13. vocare malumus. Quod refrœnatione, cohibitione, ſanatione indiget, non à Deo, ſed à Diabolo eſt. Deus enim nihil rebelle *frænandum*, impetuoſum *cohibendum*, ægrum *ſanandum* condidit. Tantóque gravius, atque impium magis eſt vitium, quàm peccatum actuale: quantò nequior actu habitus, malus ſcilicet *καθ' ὑπερβολὴν per excellentiam.* 2. Siccine, Romanenſes, ſentitis paſſiones, concupiſcentiæ & mendacii aculeos? Atqui tu ſupra nobis narrabas, peccatum originale non ſentiri, ſed in myſterio fide apprehendi. Jam ergo, Medice ægrotans, cura te ipſum. Si tamen ſtimulos hoſce ſentitis, frœnando, cohibendo, ſanando (quomodo etiam Phariſæi olim ſe ſenſiſſe jactarunt) fateamini ſaltem oportet, in vobis etiam baptizatis ſtimulos & affectus rebellionis, morbóſque eſſe, quorum titulo meritóque, niſi Chriſti ſanguine expientur purificentúrque toti, peribitis haud dubiè. Quæ autem vos ipſi peccata eſſe negatis, quomodo vobis, utpote non agnita, remittentur? En periculoſum, in quo oblæreſcitis cum Phariſæis veteribus, ſtatum!

ARG. X. Pro infantibus, qui ſtatim à baptiſmo moriuntur, eccleſia Pontificia cantat miſſas. Quam igitur ob cauſam? An ob peccata actualia? At nulla admiſerunt? An ob originale? At docent, illud baptiſmo obliteratum eſſe. An ut liberentur è purgatorio? At negant quicquam ineſſe, quod purgatione egeat. Sic igitur, ne periret illis hoc lucellum, ſua ipſorum dogmata convellere maluerunt.

Resp. Reding: *Cantari pro talibus Miſſæ poſſunt non expiandis liberandiſque à quovis peccato vel pœna; ſed, ut gratiæ Deo agantur pro eorundem juſtificatione & glorificatione.* Ib. pag. 288. Reſp. Ita Miſſas cantare pro ipſo Chriſto quotidie fas erit. Nam ipſe quoque *ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι juſtificatus eſt in ſpiritu, & ſublatus in gloriam,* 1. Tim. IV. 16. Quanquam ne hoc quidem foret miſſam cantare pro Chriſto, ſed propter Chriſtum: nec ſacrificium offerri poteſt ad gratias agendum propter eum, qui expiatione nulla indiget.

ARG. XI. Sed & in Concilio non tantúm Antonius Marinarus Carmelita, Auguſtini authoritate fretus, ſententiam noſtram apertè propugnavit, uti ex lib. II. pag. 156. liquet, ſed etiam, quod ulteriùs Pallavicinus *Hiſt. C. T. lib. VII. cap.* 8. 11. prodidit, Sanfelicius Cavenſis Antiſtes, & Bonuccius, Servorum B. Mariæ Præſes, in ipſa per ſe ſola concupiſcentia aliquam rationem peccati, quod tamen poſt Baptiſmum non imputetur, admiſerunt.

RESP. REDING: *In Congregatione Concilii Tridentini hoc ſolum ventilatum eſt, quomodo reatus peccati originalis cum concupiſcentia connexus ab hac ſecundum ſe ſpectata ita diſtinguatur, ut illo ſublato hæc maneat, nec tamen imputetur in peccatum, juxta illa Auguſtini lib. I. de Nupt. cap. 25. concupiſcentiam carnis in baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur. Nihil hoc ad vos. Neque patronum habuiſtis in Concilio Marinarum, uti ex Pallavicino liquet.* Ib. pag. 288. 289. Reſp. Imò verò Marinarus in Concilio disertè propugnavit, concupiſcentiam in baptizatis eſſe ex ſe peccatum, teſte Paulo, *eam etiam in renatis pugnare cum lege Dei*; ſed non imputari. Hoc narranti S. Polano Pallavicinus æmulus, te adhuc candidior, contradicere non eſt auſus. Imò verò idem Pallavicinus ulteriùs etiam prodidit, Sanfelicium Cavenſem Epiſcopum, & Ranuccium, Servorum B. Mariæ Præſidem, in ipſa ex ſe concupiſcentia in Baptizatis remanente, peccati rationem aliquam agnoſcentes. Et cur hæc nihil ad nos? An veſtri, cum S. Auguſtino aſſerentes, in baptizatis concupiſcentiam peccati rationem habere, ſed in peccatum non imputari, non fefellerunt, at idem aſſerentes nos fallimus? Anne etiam peccatum, ſed non imputatum, hoc eſt, peccatum condonatum, peccatum, quia condonatum, eſſe deſinit?

ARG. XII. Denique totum dogma de expunctione peccati originalis per baptiſmum, ad avaritiæ & ſuperbiæ incudem formatum eſt. Id enim dant operam clerici, ut Sacramentorum, quæ ab ipſis conferuntur, extollatur efficacia, & inde miniſterio ſuo lucrum & honos accreſcat.

RESP. REDING: *Pura hæc calumnia eſt.* Ib. pag. 289. Reſp. Res ipſa loquitur. Sacramentorum enim efficaciam præter & contra Dei verbum extollitis.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *In renatis, ſeu iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, nihil eſt dignum odio vel damnatione. At peccatum originale eſt dignum odio vel damnatione. Non igitur remanet.* Reſp. 1. Per eos, qui in Chriſto ſunt, non intelliguntur quilibet baptizati, ſed ii, qui fide ſunt inſiti Chriſto & Spiritu regenerationis innovati. Neque enim ibi agitur de efficacia baptiſmi. 2. In regenitis peccatum originale dignum omnino eſt odio & condemnatione. Proinde etiam in Chriſto condemnatur. Sed perſonas Deus non odit, non per ſe, ſed per gratiam remiſſionis, quia peccatum illud iis non imputatur, ſed in Chriſto Sponſore punitur.

EXCIP. REDING: 1. *Si in perſonis regenitis condignitas odii Divini remanet, quomodo S. Paulus, aliquid odio vel condemnatione dignum in iis remanere negat? 2. Formam aliquam eſſe in ſubjecto, atque ei non tribuere formalem effectum, impoſſibile eſt. Effectus verò formalis requirit, ut forma ſe ipſam, ſuámque eſſentiam ſubjecto communicet. Eſſentia autem peccati ſine condignitate odii non conſiſtit. Hæc igitur ſubjecto tribuenda neceſſariò eſſet. 3. Gratia remiſſionis una cum peccato originali in eodem ſubjecto, ceu contrariæ formæ nequeunt ſubſiſtere. 4. Si Deus peccatum originale in regenitis odit, non igitur per gratiam remiſſionis tollitur actuale Dei odium, vel ejuſdem condignitas. Alias*

regeniti

Digitized by Google

regeniti ſimul amore & odio Dei digni forent. 5. *Cùm Deus in regenitis peccatum noverit, per ſcientiam utique reprobationis, quomodo fieri poteſt, ut peccatum eis non imputetur?* 6. *Saltem imputabilitas peccati ad lineam formalis malitiæ pertinet; quæ ſi tollitur in regenitis, tolletur ſimul formalis peccati malitia: ſi non tollitur, quid gratia remiſſionis præſtat?* Ib. pag 289.290. Reſp. Miſeret me ſanè tui, perversè adeò ingenio tuo ad obſcurandam & opprimendam veritatem abutentis. Singula hæc ſophiſmata tua ſi vim aliquam haberent, non habituale duntaxat, ſed actuale etiam peccatum à regenitis tollerent. Sed vaniſſima omnia ſunt. Etenim 1. aliquid odio vel condemnatione dignum in regenitis remanere, neutiquam Apoſtolus negat, ſed *κατάκριμα condemnationem nullam iis eſſe, qui ſunt in Jeſu Chriſto*, Rom. VIII. 1. aſſerit. Hæc toto cœlo differunt. Eſt in regenitis peccatum, uti vos agnoſcitis, actuale, uti nos addimus, etiam habituale, peccatum prima origine contractum. Aliàs quænam in regenitis foret abſolutionis ſeu remiſſionis continuandæ renovandæque materies? Eſtque illud odio & condemnatione digniſſimum. Sed transfertur condemnatio peccatoris in Sponſorem, Chriſtum, qui *propter tranſgreſſiones noſtras vulneratus, & propter iniquitates noſtras attritus eſt*, Eſaj. LIII. 5. Hinc adeò non nihil odio & condemnatione in regenitis dignum eſt, (nihil aliàs Chriſtus in ſe transtuliſſet, nihil regenitorum loco luiſſet) ſed *οὐδὲν κατάκριμα nulla in iis condemnatio eſt*, utpote in Sponſorem derivata. 2. Peccati formalis effectus eſt reatus, ſeu obligatio ad pœnam. Atque hic effectus formam, ſeu cauſam ſuam, peccatum, odio digniſſimum in regenitis omnino ſupponit. Quia verò obligationi regenitorum peccantium ſatisfacit Chriſtus, quem peccati omnis exſortem *Deus pro nobis peccatum fecit, ut fieremus juſtitia Dei in ipſo*, 2. Cor. V. 21. iccirco non ipſæ perſonæ peccantes, utpote à Chriſto peccatis (non, ne exiſtant, ſed ne imputentur ipſis exiſtentia) & pœnis exſolutæ, odio dignæ ampliùs ſunt, ſed quicquid in iis odio dignum eſt, Chriſtus expiavit. Hæc fidei Chriſtianæ *τὰ κύρια*, abſque quorum ſalutari notitia eſt, miſerimi ſumus omnium, tu, doctor tante, ignoras? Si nôſti, cur ſophiſmatis tuis obſcuras, evertis? 3. Annon verò gratia remiſſionis & peccata actualia, contrariæ, uti tu ſciſcis, formæ in eodem ſubjecto, regenito, ſubſiſtunt? Quidnî igitur etiam gratia remiſſionis & peccatum originale? Gratia remiſſionis & quodvis peccatum, nempe in peccatore vel ſponſore non punitum, ceu contrariæ formæ in eodem ſubjecto, *ἀσύστατα* ſunt. Sed ſalus noſtra conclamata planè foret, ſi gratia remiſſionis cum peccato, non in nobis, ſed in Chriſto punito, conſiſtere non poſſet. 4. Per gratiam remiſſionis tollitur odium à perſona, non à peccato regeniti. Id enim remiſſio efficit, non, ne peccatum in homine exiſtat, ſed ne ei imputetur, juxta Hieropſaltis & S. Pauli verba: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, quorum peccata obtecta ſunt. Beatus vir, cui Dominus peccatum non imputat*, Pſal. XXXII. 1. 2. Rom. IV. 6. 7. 8. Sunt igitur amor & odium in eodem ſubjecto, ſed non *κατ' αὐτὸ ſecundum idem*. 5. An peccata actualia regenitorum Deus non æquè novit per ſcientiam reprobationis? An propterea regenitis imputantur eadem? 6. Imputabilitas peccati ad pœnam ad formalem malitiæ rationem non pertinet. Eſt enim juſtum bonúmque, ut peccatum ad pœnam vel peccatori vel Sponſori imputetur; atque id à Deo judice approbante habet. Quomodo igitur ad formalem malitiæ rationem id pertineret? Et tam non tollitur à regenito imputabilitas peccati, quàm non ipſum peccatum. Sed gratia remiſſionis efficit, ut Chriſto ad pœnam imputatum peccatum, credenti in eundem remittatur, atque adeò ei non imputetur. En, Redingi, quàm pulchrè Sophiſmatum tuorum retia inflaveris!

OBIECT. II. *Baptismus dicitur lavacrum regenerationis, Tit. III. 5. Ergo per eum generationis naturalis sordes, quas inter etiam est peccatum originale, abluuntur.* Resp. Baptismus sano sensu lavacrum est regenerationis. Cæterùm illa non ἀθρόως simul & semel perficitur, sed gradatim, consummatúrque demum in morte, quâ reliquiæ peccati originalis penitus expunguntur. *Si Christus in vobis est,* inquit Paulus, Rom. VIII. 10. *corpus mortuum est* δι' ἁμαρτίαν *propter peccatum,* nimirum deponendum. Nempe Deo visum est, promovere per gradus incrementa regenerationis, & vi flexanima Spiritus Sancti sensim mundare corda, & regnum peccati frangere.

EXCIP. REDING: 1. *Manent in regenitis originalis peccati reliquiæ, mortalitas, concupiscentia, &c. sed formalis ejus malitia non item.* 2. *Sensus verborum S. Pauli Rom. VIII. 10. est, corpus quidem propter peccatum morti subjectum esse, vivificatum tamen iri propter inhabitantem in nobis Spiritum Christi, at vivere interea Spiritum nostrum per justificationem. Sicut autem Spiritus ille justificans & vivificans per peccatum originale sublatus est, succedente spirituali morte: ita sublata spirituali hac morte per eundem Spiritum justificantem peccatum originale cessat.* ib. pag. 290. 291. Resp. 1. Manent reliquiæ peccati, sed homogeneæ illi, ejusdem naturæ. quales sunt reliquiæ fermenti, rubiginis. Manet enim etiam in regenitis quotidie aliquid mortificandum, crucifigendum, renovandum. Illud est peccatum inhabitans: hoc sunt novi regenitorum habitus. 2. Verba S. Pauli Rom. VIII. 10. non intellexisti. Sic enim habent: *Si Christus in vobis est,* τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν. τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην. *corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus autem vita propter justitiam.* Tu pro νεκρὸν *mortuum* obtrudis *morti subjectum:* pro δικαιοσύνην *justitia* vocem *justificatio.* Aliud autem longè est *mortuum,* aliud *morti subjectum.* Illud actum, hoc potentiam significat. Aliud iterum est *justitia,* aliud *justificatio.* Illud qualitas; hoc actio judicis est propter qualitatem absolventis. Tum *mors corporis propter peccatum* præcedit: sequitur *vita spiritus propter justitiam.* unde vitam animæ in Cœlo propter justitiam, tum Christi imputatam, tum inhærentem consummatam intelligi, liquido liquidius est. Quo tandem sensu dicas, spiritum justificantem per peccatum amissum esse, nescio. Equidem Θεὸς ὁ δικαιῶν *Deus* is est, *qui justificat,* Rom. VIII. 33. Non igitur spiritus justificans amissus est. Quinimò Deus δικαιοῖ τὸν ἀσεβῆ *justificat impium,* ib. cap. IV. 5.

OBIECT. III. *Concupiscentia gignit peccatum, quod priusquam consummetur, mortem non inducit, Jac. I. 15. Non igitur ipsa peccatum est. Partus enim cum matre non est confundendus.* Resp. 1. Jacobus loquitur de quorumlibet, adeóque etiam irregenitorum concupiscentia. An igitur ne irregenitorum quidem concupiscentia peccatum est? 2. Quod peccatum gignit, id ipsum peccatum etiam est. Ita partus sequitur ventrem, ejusdemque est cum parente naturæ, & arbor æstimatur ex fructu. 3. Paulus concupiscentiam contradistinguit non peccato cuilibet, sed actuali, consummato, ex opere externo protuberanti. Proinde non dicit Jacobus, concupiscentiam gignere τὴν ἁμαρτίαν ut significet, ; *parit id, quod peccatum dici meretur,*

Google

meretur, quaſi concupiſcentia δελεάζουσα, συλλαβοῦσα, atque adeò concupiſcentia peccandi delectatione mota, & ſic actualis, non ſit peccati nomine appellanda : ſed ἁμαρτίαν, hoc eſt, peccatum aliquod, q. d. nihil poteſt concupiſcentia gignere, niſi peccatum. Neque enim bonum opus gignere poteſt. Quo ipſo peccatum eam eſſe evincitur.

Excip. Reding : 1. *Juxta S. Jacobum non concupiſcentia, ſed peccatum conſummatum mortem gignit. Non igitur formaliter peccatum eſt, utpote quod mors animæ eſt. 2 Annon Luciferi voluntas primò peccatum genuit ? An icciroo ipſa quoque peccatum fuit. Non igitur quicquid peccatum gignit, peccatum eſt. Es tu ipſe ex concupiſcentia prodiiſti. An propterea peccatum es ? 3. Inter regenitos & irregenitos hoc diſcrimen eſt, quòd in illis concupiſcentia eſt peccatum cauſaliter & effectivè, in his etiam concomitanter, remanente formali peccati originalis malitia.* Ib. pag 291. Reſp. 1. Concupiſcentiam non gignere mortem, æquè ac peccatum conſummatum, non dixit S. Jacobus, ſed proceſſum duntaxat ordinarium ad mortem uſque diſtinxit. Ita homo concipitur, naſcitur, adoleſcit, vireſcit, ſeneſcit, moritur. An icciroo, cùm ſuetum hunc ordinem Deo interrumpere placet, non poteſt mori vel conceptus, vel natus, vel adoleſcens, vel vireſcens, & nondum ſeneſcens ? Sic planè ἰδία ἐπιθυμία, *propria concupiſcentia*, ſeu ingenita naturæ pravitas, ἕκαστον *quemque* (ſive regenitum, ſive irregenitum) ineſcat abſtrahitque, poſt concipit, mox parit peccatum, demum peccatum conſummatum gignit mortem. Non icciroo vel concupiſcentia ineſcans & ſeducens ; vel peccatum actuale conceptum, vel genitum, ſtatim morte dignum non eſt. Ita in Adamo mortui etiam ii ſunt, qui non peccarunt in ſimilitudine Adami, Rom. V. 14. adeóque peccatum actuale conſummatum non admiſerunt. Nempe à diſparatis vel contrariis conſequentia non ſtringit, cùm attributa ſunt communia effecta vel accidentia. At τίκτειν θάνατον *gignere mortem* eſt proprium non unius ſpeciei, ſed totius generis peccati, ſive illud originale eſt, ad quod concupiſcentia ineſcans, & συλλαβοῦσα prægnans concipiénsque, ceu corruptio congenita cogitatione mala viviſcens & commota pertinet ; ſive actuale. De toto enim genere dictum eſt : *Stipendia peccati mors*, Rom. VI. 23. Peccato verò conſummato mortis genituram Apoſtolus tribuit, quia proxima mortis, in ordinaria ejus generatione, cauſa eſt : adeóque etiam evidenter & manifeſtè mortem, ipſorum etiam hominum judicio teſtimonióque, meretur. Dic Redingi, peccatum originale, quâ tale, anne mortem gignit ? Si negas, Tridentinis id aſſerentibus contradicis. Si affirmas, non igitur ſolum peccatum conſummatum mortem gignere, ipſe tu fateri cogeris. 2. Luciferi voluntas ex bona in malam mutata defectionem à Deo genuit. Voluntas igitur ejus, non qua naturalis facultas eſt, ſed quâ vitioſa. mala, non equidem ἁμαρτία *peccatum*, actuale ſcilicet, ſed ἁμαρτωλὸς *peccaminoſa* tamen eſt ; hoc eſt, voluntas Luciferi naturalis corruptionem peccaminoſam, fontem & ſcaturiginem malorum omnium comitem nacta eſt. Ego quoque genitus ſum ex concupiſcentia, hoc eſt, voluntate viri naturali bona (nam *honorabile inter omnes eſt conjugium, & cubile impollutum*, Hebr. XIII. 4.) ſed ob adhærentem eidem voluntati naturali bonæ communem labem in peccato conceptus & formatus, Pſal. LI. 6. Ita me Dei verbum, ita gratitudo erga parentem pium optimúmque ſentire, ita loqui jubet. Quid verò de te factum ſit, & quid tu de concupiſcentia genitorum tuorum ſentias, nihil equidem mea ſcire refert. 3. Concupiſcentia *cauſaliter* & *effectivè* talis, hoc eſt, à

 peccato

peccato oriens, & ad peccatum inclinans, veri nominis peccatum est, ubicunque existat. Causa enim & effectus μετέχοντα, ejusdem naturæ participes sunt. Et tamen S. Jacobus nullum in textu hoc inter regenitorum & irregenitorum concupiscentiam discrimen statuit, neque, credo, causales, effectivos, formales conceptus tuos in animo habuit.

OBIECT. IV. *Peccatum subjectivè est in anima. Concupiscentia verò non est in anima, sed in carne, teste Apostolo, Rom. VII. 18. Non igitur peccatum est.* Resp. 1. Peccati subjectum est homo ὁλόκληρος, constans corpore & anima. 2. Caro Apostolo notat totum hominem irregenitum, corpore & anima constantem, nec non carnales affectus, qui tum in animam, tum in corpus cadunt.

EXCIP. REDING: *Totus quidem homo est peccati subjectum denominationis; anima verò peccati formaliter sumpti subjectum informationis immediatum. Cùm igitur concupiscentia non in anima, sed in carne ponatur, non igitur formaliter peccatum est, nisi quatenus ex anima sortitur voluntarii rationem.* Ib. pag. 291. Resp. Sic igitur etiam irregenitorum concupiscentia non erit formaliter peccatum. Dein responsionem meam non infringis. Pertenderam enim, carnem, in qua concupiscentia est, notare hominem vel irregenitum, vel qua parte irregenitus est, anima & corpore constans, carnalésque adeò affectus animæ & corporis. S. Paulus enim Gal. V. 19—21. inter opera carnis plura refert, in animam primò & immediatè cadentia; inter quæ indubiè sunt *hæreses*. Concupiscentia proin sic in carne est, ut primò & immediatè in anima formalem peccati rationem sortiatur.

OBIECT. V. *Omne peccatum præcepto aliquo legis est prohibitum. Concupiscentia præcedens consensum, adeóque non actualis, nullo legis præcepto prohibita est.* Resp. 1. Sic etiam concupiscentia irregenitorum peccatum non erit. 2. Mandatum prohibens concupiscentiam actualem, prohibet etiam originalem. Interdicit enim in effectu conspicuo latentem causam.

EXCIP. REDING: *Mandatum concupiscentiam prohibens supponit facultatem abstinendi à re. At in nostra facultate non est, ne in nobis existat originalis concupiscentia, sed ne ejus motibus consentiamus.* Ib. pag. 292. Resp. Mandata Divina non facultatis & potentiæ humanæ indicium, sed officii & obedientiæ norma sunt. Quis enim dixerit; mandatum Christi, *Surge, prodi Lazare*, Joh. XI. 43. & vocem Divinam, quæ in extremo die sonabit: *Revertimini mortui*, Psal. XC. 3. in mortuis surgendi, prodeundi, revertendi facultatem supponere? Neque etiam mandatum credendi facultatem credendi supponit, quia fides est Dei donum, & Deus in nobis operatur velle & perficere pro suo beneplacito, Phil. I. 29 II. 13. Par ratio omnium Dei mandatorum, quæ peccatori perhibentur, est. *Id* enim, *quod sapit caro*, homo irregenitus, *legi Dei non subjicitur*, οὐδὲ γὰρ δύναται. *Nam ne quidem potest*, Rom. VIII. 7.

OBIECT. VI. *Peccatum propriè dictum est voluntarium. At regenitorum concupiscentia non est voluntaria. Peccatum igitur non est.* Resp. 1. Falsum est peccatum omne oportere esse voluntarium, si voluntarium significet, quod fit

ſit voluntate præmovente. Paulus enim dicit Rom. VII. 19. *Non quod volo, facio bonum, ſed quod non volo, malum.* 2. Concupiſcentia etiam voluntaria dici poteſt, tum quia in voluntate eſt, tum quia à voluntate humana ſuſcipitur & arceſſitur. Eſt enim vitium voluntatis, & voluntate Adami ſuſcepta, & quodammodo generi humano immiſſa. 3. Si peccata omiſſionis peccata ſunt, quomodo voluntati pro peccato non erit, quòd non ita diligit Deum, ut dignus eſt & oportet? Id tamen omni concupiſcentiæ ineſt.

RESP. REDINO: 1. *S. Paulus Rom. VII. 19. non de peccato, ſed de malo loquitur. Concupiſcentiam eſſe malum, at non peccatum, S. Auguſtinus dixit. 2. Concupiſcentia, quæ ita in voluntate eſt, ut ſuſcipiatur per ejus conſenſum, vel per eam procuretur, verè peccatum eſt. Sed ſubjectivè in voluntate non eſt. Et per capitalem Adami voluntatem quodammodo etiam voluntaria dici poteſt. Sed in ea non conſiſtit formaliter peccati ratio, quia illud eſt mors animæ, Adami voluntate demum per privationem ſpiritus vivificantis effecta. 3. Quicquid in amore Dei per concupiſcentiam amittitur, non formaliter concupiſcentia, ſed ejus duntaxat effectus eſt, tum demum formalem peccati rationem induens, cùm voluntarius eſt.* Ib. pag. 292. Reſp. Non parùm me coccyſmorum tuorum tædet. Etenim 1. Malum à peccato diſtinguens S. Auguſtinus, per peccatum actuale malum originale intellexit, uti ſupra vidimus. Atqui κακὸν *malum*, quod ſe πράσσειν *facere*, & quidem inſtigante *inhabitante peccato*, hoc eſt, originali pravitate, Apoſtolus teſtatur; manifeſtè peccatum non *originale*, ſed *actuale* notat. 2. Quid voluntas hominis legi Dei repugnans, & ad omne malum inclinans aliud, quàm concupiſcentia à Deo avertens, & ad omnia alia convertens, eſt? Qua talis igitur extra voluntatem non eſt. Et numquid concupiſcentia Adami nobis imputata, veri nominis peccatum non eſt? Atqui in Adamo nos *peccâſſe*, Apoſtolus Rom. V. 12. exſertè aſſerit. Cur tu, quod peccatum noſtrum eſſe ille arguit, propriè dictum peccatum & mortem animæ eſſe negas? 3. Si peccata omiſſionis formalis peccati & concupiſcentiæ rationem non habent, ne quidem propriè peccata ſunt. Sic igitur per totam vitam omitti amor Dei, ſine peccato propriè dicto poterit. Ita quidem Jeſuitæ veſtri, novi Morales Theologi, ſalutem nunquam in tota vita diligentibus Deum, attritis modò, & Sacramenti ſuſceptionem voventibus, promittunt. Videritis ipſi.

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

An beata Virgo, Dei genitrix, fuerit in peccato originali concepta?

SYnodus contrariis Franciscanorum & Dominicanorum machinationibus exercita, videri voluit rem indecisam relinquere. Proinde decretum Sixti IV. uti valeret vigerétque, diligenter attendendum censuit decretum Papæ in mantica Româ allatum. Cæterùm Gregorius de Valentia scribit: *Multis nominibus ecclesiam Catholicam censeri debere in partem negativam propendere.* Sed & ipsa Sixti IV. constitutio non obscurè patrocinatur immaculatam conceptionem asserentibus. Et declarant ipsi in Synodo Patres, *non esse suam sententiam in decreto de peccato originali beatam & immaculatam virginem comprehendere.* Sed & Alexander VII. omnibus & Conciliis & Pontificibus per aliquot retro secula animosior, fertur nuper pro Franciscanis sententiam pronunciâsse. Mallemus sanè cum Augustino lib. de Nat. & Gratia, *de B. Virgine propter honorem Domini Salvatoris, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, quæstionem habere.* Quia tamen occasio id postulat, & adversariorum tum importunitas, tum μακρολογία, nupera hac definitione ad extremum perducta, id flagitat, paucis de eo agere instituimus. Confitemur quidem ultro & prædicamus Θεοτόκον virginem *Sanctam* & *Beatam*, sed per gratiam, non per naturam. Sed & in virgine eundem Spiritum, qui datur omnibus fidelibus, longè fuisse efficaciorem in extinguendis peccati reliquiis; quomodo in Apostolis eadem efficacia longè major fuit, quàm in vulgo fidelium, piè credimus. At in peccato originali, communi nascentium lege, à qua solus Christus, Deus in secula benedictus, exemptus est, conceptam esse disertè asserimus. Etenim

ARG. I. Scriptura omnes meros homines peccato huic obnoxios facit, Rom. V.12.19. *In quo* (Adamo) *omnes homines peccaverunt.* Hanc universalem sententiam minimè ambiguam, addita exceptione falsam illi reddunt.

RESP. REDING: 1. *S. Paulus loquitur de originalis peccati debito, non ipso peccato originali, per propagationem ex Adamo actu contracto. Potuit igitur etiam B. Maria debito huic obstringi. Sed omnipotentia & bonitate Dei illud dissolutum est.* 2. *Neque universalis S. Pauli sententia quamvis exceptionem excludit. Aliàs etiam Eva in Adamo peccasset, quæ tamen ante Adamum peccavit.* Tract. III. pag. 293. 294. Resp. 1. Quid est Scripturas pervertere, si hoc non est? Etenim non de debito contrahendi peccati, sed de pecca-

to

to actu contracto S. Paulus disertè loquitur. Ait enim: *In quo omnes ἥμαρτον peccarunt*, actu, non potentia. Peccavit igitur etiam B. Maria in Adamo actu, & eadem ratione justitiæ originalis privationem, & injustitiæ habitum contraxit. Posito etiam, de debito contrahendi Apostolum loqui. Ubi Scriptura debitum illud potentia & bonitate Dei in Maria dissolutum testatur? 2. De Eva, frigida argutatio tua est. Apostolus de omnibus ex Adamo naturali lege natis prognatisque loquitur. Non obstante igitur Evæ, ex Adamo non genitæ, peccato, assertio universalis, omnisque adeò exceptionis expers, manet.

ARG. II. B. Virgo Christum vocat suum σωτῆρα *Salvatorem*, Luc. I. 47. Atqui ut sanis non est opus medico, ita nec B. Virgini, peccato non contaminatæ, Salvatore, Matth. IX. 10. Pelagianorum hoc apophthegma fuit, Christum etiam pro justis mortuum esse.

RESP. REDING: 1. *Christus Salvator fuit B. Virginis, medici instar eam præservando à peccato, cujus radix erat in Adamo peccante.* 2. *Sicut non obstante eo, quòd omnes nascimur orginali peccato obnoxii, extra ordinem Jeremias sanctificatus fuit, priusquam ex utero Matris prodiret, Jerem. I. 5. ita non obstante eo, quòd ordinariè Christus liberat à peccato contracto, extra ordinem, ob gratiæ præ delicto Adami abundantiam, perfectionémque meriti, liberat præservando à peccato, ne illud contrahatur.* Ib. pag. 294. 295. Resp. 1. Somnium hoc est novissimum, Scripturis, Patribus adversum, si quod aliud. Etenim Christus *Jesus* seu *Salvator* Angelica voce declaratus est, non quòd *præservet* quenquam sanum, justum à peccato, sed quod σώζει *servet*, salvet, liberet *à peccatis suis*, *Matth. I. 21.* Quorum igitur Salvator est, eos à peccatis jam admissis liberat. Neque sanis hic opus est medico, sed κακῶς ἔχουσι *male habentibus*, *ægrotis*, Matth. IX. 12. Quis verò κακῶς ἔχοντας eos, in quibus plena sanitas est, appellet? Quin Christus non venit vocaturus *justos, sed peccatores ad pœnitentiam*, ib. v. 14. Suntne ergo inter non justos ii, qui præservantur, si qui præservantur? Imò S. Petrus testis, Christum *justum traditum esse pro injustis*, 1. Petr. III. 18. Injusti autem non sola præservatione, sed curatione utique indigent. An, Redingi, Christus traditus, mortuus est etiam pro B. Virgine? Concedit Bellarminus, asserunt S. Patres. Non igitur semper justa, quia Christus pro injustis, pro peccatoribus mortuus est. Christum pro justis etiam mortuum esse, Juliani Pelagiani apophthegma fuit, contra quem S. Augustinus *cap. 1.* graviter detonat. 2. Omnes nascendo demum peccatum originale contrahere, nusquam Scriptura dixit. Dixit, nos esse φύσει τέκνα ὀργῆς *natura filios iræ*, Ephes. II. 3. Est autem natura in homine concepto, etiam priusquam nascatur. Quam igitur tuum de Jeremia in utero sanctificato futile sophisma est? Et tamen Jeremiam in utero sanctificatum esse, Scriptura testatur; B. Virginem extra ordinem à peccato præservatam esse, nusquam testatur.

ARG. III. B. Virgo miseriarum & calamitatum haud exors fuit, uti apparet ex Luc. II. 35. 48. Sed & mortuam esse, fatentur ipsi Pontificii. Atqui *mors est stipendium peccati*, Rom. VI. 23. Quomodo igitur si peccati nullius rea fuit, calamitatibus & morti obnoxia facta est?

RESP.

RESP. REDING: 1. *Annon etiam Christus, justus & innocens licet, miseriis, calamitatibus, ipsique morti obnoxius fuit? 2. Sustinuit hæc Maria, ut per mortem Christo assimilaretur.* Ib. pag.295. Resp.1. Christus adversis mortique obnoxius fuit, quia ceu Sponsor noster *pro nobis peccatum factus est, ut nos fieremus justitia Dei in ipso*, 2.Cor.V.21. Pro peccatoribus igitur ob peccata eorundem sibi imputata mortuus est. An id quoque in B. Virgine locum habuit? Merito Christi contumeliosissimus est, quisquis Ῥωμανολάτρης id asseruerit. 2. Commune omnibus fidelibus est, ut per mortem Christo assimilentur, sed propter peccata eorundem propria, sicut Christus mortuus est propter aliena. Conformitas est, non in morte duntaxat, sed in causa etiam mortis. Moriuntur fideles omnes propter peccata. Ille propter non sua, hi propter sua.

ARG. IV. Sed & remissione peccatorum eam indiguisse arguit Scriptura, quæ omnes fideles pro ea supplicare jubet, Psal. XXXII. 2.5.6. Matth. VI. 12. Baptizatam fuisse tradunt Euthymius & Evodius. Baptismus autem est in remissionem peccatorum.

RESP. REDING: 1. *Oravit etiam B. Virgo peccatorum remissionem, sed non propriæ personæ respectu, verùm respectu eorum, quorum patrocinium suscipiebat. Præterea locutiones S. Scripturæ, quæ de peccatis agunt, quantumvis generales, se ad statum tantùm ordinarium extendunt, non privilegia excludunt. 2. Baptismus est in remissionem peccatorum, quatenus ex meritorum Christi efficacia confert gratiam, qua peccatum remittitur. Hæc autem gratia locum habuit in Maria, quia peccato fuisset obnoxia, nisi Christus eam præservasset. Proin vi baptismatis hujus gratiæ sanctificantis augmentum accepit.* Ib. pag.295.296. Resp.1. Ita B. Virgo militans adhuc oravit pro Ecclesia, & cum Ecclesia, (patrocinium verò Ecclesiæ Christo Salvatori reliquit) ut simul pro se, & remissione suorum peccatorum oraverit. Jussa nempe est cum omnibus Sanctis orare: *Dimitte nobis debita nostra.* Concilium sanè Milevitanum *Can.*8. anathemati subjecit eos, qui statuunt, unicuique Sanctorum dicendum esse, *Dimitte nobis debita nostra*, & non, *Dimitte mihi debita mea, ut hoc pro aliis potiùs, quàm pro se justus dicere intelligatur.* Sed & S. Augustinus *Epist.89.* severè pertendit, unico excepto Christo omnibus Sanctis, quicunque ii fuerint, necessariam esse particulam eam, *Dimitte nobis debita nostra*, non aliena. Fuit igitur hactenus quidem B. Virgo Maria in statu ordinario, neque privilegio exemptionis, quo solus Christus potiebatur, gavisam esse, ullo Scripturæ vel sanioris antiquitatis testimonio liquet. 2. Baptismus non confert, sed obsignat gratiam, & quidem, si à solius Christi Baptismo discesseris, κυρίως remissionis peccatorum propriorum, non præservationis duntaxat. Aliud enim est remittere peccatum, aliud præservare à peccato. Præterea eidem simul augmentum gratiæ sanctificantis obsignatum esse, sed supposita remissione, largimur ultro.

ARG. V. Actualia peccata haud obscurè in ipsa notantur, Matth. XII. 47. 48. Joh. II. 4. Nec dubitant etiam Patres, quin morte Christi fuerit scandalizata, ut cæteri Apostoli.

RESP. REDING: 1. *Matth. XII. 47. 48. Christus instruere voluit, opus Dei propter consanguineos omittendum non esse; & conjunctionem carnalem secum sine spirituali nihil prodesse. 2. Joh. II. 3. 4. nulla ex precibus Mariæ ambitionis signa emicuere. Aliàs Christus*

Digitized by Google

ſius eas non ex audiviſſet. N*on igitur à Chriſto objurgata, ſed potiùs, uti veteres agnoſcunt, honorata fuit.* 3. *Tantum abeſt, ut morte Chriſti ſcandalizata fuerit virgo, ut potiùs, fugientibus Apoſtolis, ipſa apud crucem conſtans & intrepida manſerit.* Ib. pag 295. 297. Reſp. 1. B. Virginem miſſo nuntio, uti Marc. III. 31. habetur, Chriſtum obturbantum, unà cum Apoſtolis peccaſſe, veteres agnoſcunt. Theophylactus in Matth. XII. 47. ait, illam *ἀνθρώπινον humanum quid oſtentare voluiſſe, ὅτι ἐξουσιάζει τοῦ παιδὸς, quòd jus imperandi filio habeat.* Quanquam hodierni Mariolatræ hoc in vitio ponendum negarent. Et in Marc. III. 31. ait, *φιλοδοξίας πάθει τι ἔχει κεκρατῆσθαι ambitionis nonnihil paſſam veniſſe, ut à docendo Chriſtum averteret.* Chryſoſtomus ſeveriùs etiam *κενοδοξίαν inanem gloriam* notat. Non autem, quid docuerit Chriſtus reſpondens, ſed quid fecerit Maria, quæritur. 2. Joh. II. 4. verba illa, *quid mihi tecum mulier*, eſſe *ἐπιπλήττοντος increpantis*, magnus ille Athanaſius *Orat. 4. contra Arian. ἐπιτιμῶντος ἀκαίρως αἰτοῦσαν reprehendentis importunè petentem*, Chryſoſtomus *Homil. 45. in Matth.* Irenæus *repellentis intempeſtivam feſtinationem*, aſſeruere. Sed & Gregorius Nyſſenus *Orat. in 1. Cor. XV. 28.* monet, eam peccaſſe, quòd regere filium præſumeret. Quid verò tum poſtea, quòd non obſtante eo miraculum Chriſtus, malè oratus licèt, fecit? Fecit enim & propter gloriam ſuam, & teſtandæ benevolentiæ erga matrem. In deſerto quoque Iſraëlitis malè poſtulantibus manna, carnes & aquæ conceſſæ ſunt. 3. Scandalizatam fuiſſe Matrem cruce filii, Origenes *homil. 17. in Lucam*, & Theophylactus in eundem locum, apertè & dicunt & probant. Addit Salmero *Tom. III. tract. 43.* Chryſoſtomum, Baſilium, Amphilochium idem aſſeverantes. Hoc mihi ad liberandam fidem ſatis. Neque enim de eo moroſè contendero.

ARG. VI. Sicut Chriſtus, ut conciperetur purus, & ſine peccati originalis labe, concipi debuit non ex libidine viri, ſed à Spiritu S. miraculosè: ita etiam B. Virgo concipi debuiſſet non à parente homine, ſed ab ipſo Spiritu S.

RESP. REDING: *Diverſa utriusque ratio. Chriſtus ab intrinſeco per hypoſtaſin ſuam impeccabilis erat: B. Virgo ab extrinſeca Dei providentia.* Ib. pag. 297 Reſp. Ut intrinſecè Sanctus eſſet Chriſtus totus, extrinſecè Spiritus S. veniebat ſuper B. Virginem. Iccirco *τὸ ἅγιον Sanctum* ex ea genitum erat, & Filius Dei vocabatur, Luc. I. 35. Ut igitur quod generabatur ex Anna, *Sanctum* etiam eſſet, voluntas viri, quæ ob conjunctam eidem labem nonniſi impurum gignere poteſt, abeſſe, & ſimul conceptio ſive Spiritus S. ſive extraordinaria & miraculoſa quævis alia locum ſubire debuit. Quis enim dabit purum ex impuro, & quis ex carne niſi carnem?

ARG. VII. Eadem veteris Eccleſiæ ſententia fuit. Chryſoſtomus non ſemel Mariam incuſat ambitionis, & importunæ temeritatis. Hilarius in Pſal. II. 8. *Litera Gimmel* dicit, eam cum aliis tranſituram per ignem, per quem credidit cum aliis veteribus peccata judicii die expiari debere. Bernhardus diſertè ait epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes: *Non eſt hoc virginem honorare, ſed honori ejus detrahere.* Melchior Canus loc. Theolog. Lib. VII. 1. *Sancti*, inquit, *omnes, qui in ejus rei mentionem incidere, uno ore aſſeverant,*

rant, B.Virginem in peccato originali esse conceptam. Citat autem Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Remigium, Maximum, Bedam, Anshelmum, Bernhardum, Bonaventuram, Thomam, Vincentium, Damascenum, Hugonem de S.Victore, additque, *nullum Sanctorum contravenisse.* Quin & Bandellus trecentos computavit Patres, cui Jesuita Salmero nihil opponere potuit, nisi hunc sarcasmum: *Pauperis est numerare pecus.* Et sanè est hic serò admodum invectus ecclesiæ Papisticæ ad Μαριολατρείαν stabiliendam error, quod non diffitetur Suave Polanus *Hist. Concil.Trid. Lib.II. pag.* 159.160. cujus adscribere verba non pigebit: *Inter privilegia B.Virginis noviter excogitata erat illud, de universali immunitate à peccato originali, quæ opinio in privatorum quorundam animis solummodo resederat, sed in ecclesia ceremoniis, aut doctorum hominum mentibus sedem non fixerat. Circa annum verò* 1236. *Canonici Lugdunenses ausi primùm in officia ecclesiastica ea introducere. D.Bernhardus, qui tum temporis floruerat, pietate & doctrina ante omnes sui Seculi Theologos illustris, & in laudibus B.Virginis eo usque profusus, ut eam vocet alicubi* collum ecclesiæ, *quasi per eam à capite omnis influxus gratiæ dimanet; invehitur tamen acerbè contra Canonicos istos, qui absque ratione, absque exemplo prisci temporis novitatem periculosè invexissent. Sequenti sæculo Doctores Scholastici utriusque ordinis, tam Franciscani quàm Dominicani, scriptis suis opinionem hanc refutârunt ad annum usque* 1300. *quo tempore Johannes Scotus Franciscanus, re in quæstionem vocata, & rationibus diligenter excussis, ad divinam tandem potentiam recursans, ait, Deum potuisse efficere, ut in peccato nunquam fuerit. Doctrinam hujus Theologi secuti plurimùm fratres Franciscani, sed fores ab authore suo patefactas audenter ingressi, absolutè simpliciterque pronunciârunt, quod ille fieri posse dixerat & quasi probabile proposuerat. Dominicani constanter obluctantur auspiciis D. Thomæ.* Vide plura egregia, quæ ibi sequuntur. Usque ad seculum igitur XIV. nemo repertus, qui immaculatam B. Virginis conceptionem assereret. Quanta certamina ex eo tempore exorta sint, quámque pertinax fuerit schisma, historica recensione prodidit Rivetus Apologiæ pro sanctissima Virgine Maria cap. 4. 5.6. &c.

RESP. REDING: 1. *Nihil pro veteris Ecclesiæ doctrina venditari potest, quin vel unanimi Patrum consensione, tanquam dogma fidei receptum, vel à Concilio Oecumenico definitum sit. Talis verò maculata B.Virginis conceptio non est.* 2. *Si quando Patres contra Pelagianos disputantes incidenter dixisse videntur, B.Viginem in peccato conceptam fuisse, id de jure seu lege ordinaria, non attendendo ad speciale gratiæ privilegium, quod non ponderarunt illi; vel de debito etiam contrahendi peccati, non de contracto intelligendum. Et multa illi asseruerunt, quæ secuta Ecclesiæ definitione asserere illis non licuisset.* 3. *Quæ ex S. Polano affers, solidè Pallavicinus diluit.* Id. pag 397- 303. Resp. 1. Solum Christum sine peccato conceptum, & peccati omnis expertem fuisse, unanimis fuit B. Patrum primitivæ

mitivæ purioris Eccleſiæ, ſententia. Ne unus quidem ſeorſim ſentiens oſtendi poteſt. Nec dubitari poteſt, quin, ceu articulum fidei, privilegium hocce Chriſti, utpote ei maximè glorioſum, & tanto ardore à ſe adverſus hæreticos defenſum, propugnaverint. Inde verò maculata conceptio B. Virginis neceſſario conſecutionis nexu fluit. Salmero quoque cum argumento Cani, à conſentiente veterum authoritate petito, confligens, *Tom. XIII. in Epiſt. ad Rom. V. diſp. 51.* imprudens, *dogma illud de conceptione Mariæ ſine peccato, in Eccleſia inſolens fuiſſe,* faſſus eſt; ſubjiciens etiam, *non omnibus omnia Deum dediſſe, ut quælibet ætas ſuis gaudeat veritatibus, quas prior ætas ignoravit.* En immaculatæ conceptionis promachum acerimum! 2. Ita verò de jure, ſeu lege ordinaria, qua præter Chriſtum omnes Mortales reliquos peccato S Patres ſubjecerunt, locuti ſunt, ut privilegio B. Virginem exemptam à lege communi fuiſſe, nemo illorum ſomniaverit. Quin contrarium diſertis verbis aſſeruerunt. Auguſtini enim verba ſunt, *Mariæ carnem de propagatione peccati veniſſe; ejus corpus è concupiſcentia, è propagine mali veniſſe:* Euſebii Emiſſeni, vel Cæſarii Arelatenſis, vel Eucherii Lugdunenſis, *à peccati veteris nexu per ſe non eſſe immunem nec ipſam genitricem redemptoris:* Damaſceni, *Spiritum S. B. Virginem purgaſſe:* Anshelmi, *ſemen de virgine ſumptum eſſe de maſſa peccatrice.* Taceo innumera ſimilia à Vincentio de Bandellis repræſentata; Chryſoſtomi inprimis perquàm emphatica; cujus librorum, ex quibus illa citantur, fidem ſuſpectans, impudentiam pluſquam Monachalem prodis. Nugas quoque tuas de debito contrahendi peccati, non de contracto, mitte tandem. Nam Patribus talia ὐδὲ κατ' ὄναρ in mentem venerunt. 3. Pallavicini contra Suavem πτχολογήματα nos quoque in loco diſcutiemus; & pleraque jam *Diſſert. Sel. Tom. I. Diſſ. VII.* diſcuſſimus.

OBJECTIONES TRIDENTINORUM.

OBJECT. I. *B. Virgo contrivit caput ſerpentis, Geneſ. III. 15. Ergo à peccato omni immunis fuit. Eſt enim conterere caput ſerpentis idem, quod eximi à peccato, & poteſtati Diaboli nullo modo ſubjici.* Reſp. 1. Contritio capitis ſerpentis non mulieri, ſed ſemini mulieris, Chriſto tribuitur. Illud enim הוא maſculinum, non fœmininum eſt. quomodo acceperunt omnes tum Orientales Interpretes, tum Patres Græci & Latini antiquiſſimi. Obſtat etiam, quò minùs הוא fœmininum ſit, tum antecedens maſculinum זרע *ſemen*, tum ſequens verbum maſculinum ישופך & denique in eodem verſu occurrens affixum maſculinum in תשופנו 2. Neque etiam *conterere caput ſerpentis*, ſi B. Virgini tribuatur, arguit, eam ab omni peccato exemptam eſſe, ſed potiùs eam parturiviſſe Chriſtum, qui Diaboli caput contrivit. Ita etiam interpretantur Eucherius, Lucas Burgenſis, Lyranus. Ita fideles in Chriſto capite conterunt caput ſerpentis.

EXCIP. REDING: *1. Fœmininum ipſa Biblia Romana, & omnia pæne Latina habent, una cum Auguſtino, Chryſoſtomo, Ambroſio, Gregorio, Beda, Alcuino &c. Et vera hæc lectio in Hebræo, non quidem textualis, ſed marginalis videtur. Sæpe etiam apud Hebræos* הִא *ponitur pro* הִוא *præſertim cùm emphaſis eſt, & virile aliquid fœmininæ tribuitur. uti*

hoc ipſo capite v. 12. & 20. Nec obſtat maſculinum ישופך *quia in eo eſt uſitata enallage generis. Neque aliter jam olim Joſephus legit, uti ex ejus lib. I. 3. conſtat. Quin & tres illæ lectiones, Ipſum, Ipſe, Ipſa apprime conveniunt. Singulæ enim relationem habent vel ad Chriſtum, vel ad mulierem, puta Mariam, in quo utroque Deus inimicitiam adverſus ſerpentem poſuit, adeòque etiam de eodem victoriam retulit. 2. Fideles caput ſerpentis conterunt interruptè & definitè pro certo tempore: B. Virgo indefinitè & abſolutè, omni tempore à ſerpentis dominatu libera.* Ib. pag. 303. 304. Reſp. 1. Tam ſecurè hic, Redingi hebraizas, quàm ſi eſſes Rabbinorum primus. Age verò, experiamur. Biblia Romana & omnia pœne Latina ita legere pertendis. Si de veſtris, non abnuam. Sed tum non deſunt apud vos rerum peritiores, qui in Bibliis veſtris *Ipſa* corruptè ſcribi pro *Ipſe*, palam aſſerant; nominatim Fr. Georgius Venetus *de mundi fabric. Probl.* 55. Steuchus in *Recognitione*, Canus *Loc. comm. lib II.* 15. Andradius *Def. Synod. Trid. lib. IV.* Lindanus *Panopl. lib. II.* 4. Patres parciùs numerare debueras. Chryſoſtomus enim in Græco habet: *Αὐτός σου τηρήσει τὴν κεφαλήν. Ipſe tenebit caput tuum.* Nec quisquam Græcorum aliter legit. Soli Latini, imò in his nemo antiquiſſimus. Sic Biblia Latina, ſic Patres Latini, ſive ex vitio verſionis, ſive librariorum peccato, uti Canus maluit, decepti. Verè, inquam, decepti. Nam Hebræi Codices conſtanter legunt הוא *Ipſe.* Bellarminus quidem ſe in uno legiſſe היא *Ipſa*, ſcribit. Quo verò illo? Vetuſto, ſincero, integro? Imò verò Antuerpienſi Codice Anni 1572. uti *Guido Fabricius*, verba ſunt Lucæ Brugenſis, *Principis Mirandulani authoritate nixus excudi curavit* הוא *licet errore Typographico poſitum ſit* הות non ſine Dei, homines illos confundentis, digito. Sic cœco Mariolatriæ ſuæ ſtudio in cœleſte chirographum temulento impetu involare audent. *Lectio* הוא *Ipſa in Hebræo Codice marginalis eſt*, inquis. Hoc ex Cornelio Lapide habes, non ex ullo Codice Hebræo. Oſtende, ſi potes, ullum Codicem Hebræum, in quo margo pronomen היא *Ipſa* repræſentet. Poſt Hebræos Codices verſiones Orientales omnes maſculinum exhibent. Targum Onkeloſi, הוא יהי דכיר, *Ipſe* (filius mulieris) *tibi recordabitur.* Samaritanus, הוא *Ipſum* (ſemen mulieris) *conteret tibi caput.* Syrus, הו *Ipſum* (ſemen illius) *conculcabit caput tuum.* Arabs: הי *Hæc* (ſtirps tua) *ſcindet ex te caput.* Septuaginta Græci: *Αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν, Ipſe tenebit caput tuum.* Proin etiam lectionem maſculinam veſtrates, quos ſupra dixi, Georgius, Canus, Andradius, Steuchus, ac inſuper Pagninus, Arias Montanus, Feliſius, Ribera, Pererius, Hartus, Lindanus, Pintus prætulerunt. Ex recentioribus tibi ſiſto Doctiſſ. veſtrum Huetium, Sereniſſ. Galliæ Delphini Juventæ Principalis rectorem, cujus *de Demonſtrat. Evang. Propoſit. VII. 7.* hæc verba ſunt: *Serpentem inſidiatorem his verbis affatur Deus: Inimicitias, &c. Ipſe conteret caput tuum, &c. Vulgata quidem habet, Ipſa. At Hebraicum exemplar, & Septuaginta Senum interpretatio, & Samaritana editio habent Ipſe. Ita & Onkeloſus, & Jacobus Tavvuſius Judæus Perſicus Interpres, & Syrus. Ita Irenæus, Cyprianus & Hieronymus. Nempe ſignificatur Chriſtus.* quod deinceps contra Judæos demonſtrat. *Sed Hu ſæpe ponitur pro Hi, inprimis ubi emphaſis eſt, & fœminæ virile quid tribuitur*, inquis. Eſto. An idcirco etiam hoc loco, ubi ſemini Mulieris Chriſto virile quid maximè tribuitur? Sed nugaris inſuper. Neque enim unquam הוא *Hu* ponitur pro היא vel הוא *Hi.* In locis à te citatis conſtanter legitur הוא *Hi Ipſa.* Inſpice & lege, ſi potes, punctatos Codices.

Pro

Pro litera *Jod* in quædam loca literam *Vau*, non mutato tamen *Chirek*, fœmini generis indice, irrepſiſſe, fatemur. Sed genuinam lectionem τὸ קרי Maſoretharum ubique reſtituit. In verbis ישופך & תשופנו fruſtra enallagen generis urges. Profer mihi vel unicum locum, ubi pronomen Fœmininum היא ſine errore ſcriptum, cum verbo Maſculino jungatur. Et tamen hic Maſculinum הוא conſtanter omnes Hebræi Codices habent. Joſephum tu ſuperiùs *pag.*218. ceu *notorium* ac *perfidum deceptorem* traduxeras. Nunc verò tibi idoneus, contra omnium authenticorum Codicum fidem, teſtis habetur. Agis ubique pro lubitu. Quinimò contra Joſephum ipſum falſum teſtimonium dicis. Is enim *Antiq. lib.I.2.* non aliud ſcribit, quàm *admonuiſſe* Deum Serpentem, κατὰ τῆς κεφαλῆς φέρειν τὰς πληγάς, *caput ejus plagis impetendum eſſe.* A muliere plagis impetendum eſſe, nullo apice meminit. Denique pronominis הוא unica relatio propriè eſſe poteſt, nimirum ad *Semen* mulieris, Chriſtum, ad quem proximè refertur; non ad mulierem. Neque obſtat, quòd inter Mulierem & Serpentem inimicitiam Deus ſtatuit. Nam nec Mulier illa ſola Virgo Maria eſt, ſed Eva, & quoquot ex illa ortum habent, atque per Chriſtum ſalvantur: nec Mulier illa cum Serpente inimicitiam gerens, propterea Serpentis caput conterit primò & propriè. Victoria enim non Mulieri, ſed Semini Mulieris, Chriſto, primò promiſſa eſt. Maria autem non ipſa primò caput Serpentis contrivit, ſed caput Serpentis propria virtute conterentem parturivit. 2. Diſcrimen inter B. Virginem & fideles quoſvis, caput Serpentis virtute capitis Chriſti conterentes, nonnullum ultro agnoſcimus; aſt non illud, quod Redingius turpi petitione principii fingit potiùs, quàm ulla ratione probat.

OBIECT. II. *Matthæi cap.I. ubi deſcribitur genealogia Chriſti, Mariæ tamen parentes non recenſentur, nempe quia omnis peccati expers.* Reſp.1. Etiam Melchiſedecus eſt ἀγενεαλόγητος. An idcirco peccati expers fuit? 2. In ſcripturis γενεαλογία Mariæ narratur. Dicitur enim Eliſabethæ cognata. Oſtenditur filia Davidis, Abrahami. Sed & ipſa illa genealogia apud Matthæum & Lucam eſt genealogia Mariæ, ſiquidem genealogia Chriſti ex Maria non Joſepho geniti, etiam Mariæ matris genealogia cenſeri debet.

Excip. Redino: *Quicquid ſit, Parentes Mariæ non exprimuntur, quod myſterio non caret. Congruenter autem inſinuatur, illam peccati fuiſſe expertem, quia parentes ejus ab Adamo, peccati originalis ſtirpe, non arceſſuntur.* Ib. pag.304. Reſp.1. Nil mihi cum tuis, Redingi, myſteriis. Nam & Melchiſedecum eadem congruentia peccati expertem faciunt, quod privilegium tamen veſtri B. Virgini ſoli vindicant. Neque quia parentes B. Mariæ non recenſentur, iccirco vel ipſa, vel parentes ejus in Adami peccantis lumbis non extiterunt. Argumentum eſt à baculo ad angulum.

OBIECT. III. *Maria ab Angelo ſalutatur κεχαριτωμένη gratiâ plena, Luc. I.28. Ergo non defuit ei hæc gratia, nempe immunitas à peccato.* Reſp. 1. Etſi B. Virgo gratia plena fuit, quia nempe maximo favore Deus eam proſecutus eſt, tamen κεχαριτωμένη notat propriè eam, quæ gratiam nacta, conſecuta eſt. 2. Omnes fideles in Chriſto ſunt κεχαριτωμένοι. Si enim verè

dixit Paulus Ephes. I. 6. Deum χαριτῶσαι *gratos efficere* fideles: utique etiam nos verè dicimus, fideles κεχαριτῶσθαι i.e. εἶναι κεχαριτωμένους, *esse gratia affectos*. An propterea omnes fideles sunt exempti à peccato? 3. Plenam gratia Mariam dixerunt etiam veteres, qui tamen non de immunitate à peccato, sed de incarnatione verbi id interpretati sunt.

EXCIP. REDINO: 1. *Non idem est gratiâ plena, & gratia affecta. Non enim quilibet gratia affecti, gratia quoque pleni sunt.* 2. *Cùm Angelus dixit: Ave gratia plena, jam tum illam gratiæ plenitudinem in ipso verbo Dei æterno contuebatur. Sunt etiam verba illa prolata nomine Patris æterni, unico æternitatis Nunc omnia tempora & momenta continentis. Ergo omni tempore gratia plena fuit, nullique adeò unquam peccato obnoxia.* Ib. pag. 304. 305. Resp. 1. Ita est, uti tu observas. Cùm igitur Angelus κεχαριτωμένην *gratia affectam* dixerit, cur vos, expressuri vocem Angeli *gratia plenam* appellatis? An qui gratia remissionis peccati afficitur, propterea ita gratia plenus est, ut nullo unquam peccato laboraverit? Quis non ineptias hasce riserit? 2. Et quis non reliquos ingenii tui lusus, vel potiùs χαῦνα ἐνύπνια? Quid viderit in æterno Dei verbo Angelus, unde tibi liquet? Verbo dixit *gratia* Dei *affectam*. Et quæ *gratia* illa Dei sit, ipsemet v. 30. 31. abundè declarat, dicens: *Invenisti gratiam apud Deum. Et ecce concipies in utero, pariésque filium.* En non gratiæ cujusvis plenitudinem, sed gratiam θεοτοκίας, quam verbo enuntiavit, ac in æterno Dei verbo haud dubiè contuitus est! Quis tandem mirificum acumen non demiretur, sic argumentantis: *Angelus verba illa nomine æterni Patris, unico æternitatis Nunc, omnia temporis momenta complectentis, protulit. Ergo Maria omni tempore gratia plena, adeóque expers peccati fuit.* Sic quoties Angeli, Prophetæ nomine æterni Patris fidelibus gratiosum quid nuntiarunt, in iisdem cujusvis gratiæ, initii finísque expertis plenitudinem promiserint. Plusquam puerilium ineptiarum vix satis tædere potest.

OBIECT. IV. *Maria vocatur tota pulchra Cant. I. 15. & tota pulchra,* מום אין בך *in qua macula non est Cap. IV. 7. Ergo peccati omnino expers fuit.* Resp. Ante Rupertum nemo verba illa explicavit de B. Virgine, sed de ecclesia & unaquaque fideli anima, omnes tum Latini, tum Græci Patres. An igitur omnes fideles peccati sunt expertes? 2. Ecclesia, B. Virgo Maria, omnésque adeò fideles sunt *toti pulchri & sine macula,* quia maculæ nullæ sive magnæ, sive parvæ iis imputantur, quippe per Christum condonatæ. Confer Ephes. V. 26. 27. 3. Præterea *sine macula* notat ecclesiæ sinceritatem, ἀκεραιότητα, cor integrum, non duplex.

EXCIP. REDINO: 1. *Si de unaquaque fideli anima textum Patres intellexerunt, cur eundem de B. Virgine exponere nefas?* 2. *Cùm nullus fidelium macula omni peccati careat, Ecclesia tota pulchra & macula omnis expers dici nequit, nisi in membro quopiam omnis peccati experte, quale, si à B. Virgine discesseris, nullum est.* 3. *Negatur autem in textu macula cum omnimoda distributione tum maculæ tum temporis. Nullum igitur tempus fuit, quo maculæ omnis non expers fuerit; adeóque nec tempus conceptionis.* Ib. pag. 305. 306. Resp. Rursus præter meros λήρους nihil video. Etenim 1. intelligamus textum de B. Virgine, perinde ut de fidelibus universis. Sicut igitur in his ἀναμαρτησίαν non

Digitized by Google

non arguit: ita nec in hac, ſalvo de cœtero quoad gratiæ in eadem ſpecie gradum diſcrimine. 2. Quomodo verò Eccleſia univerſa ob unicum ejus membrum peccati exſors, maculæ expers omnis, pulchráque tota dici poteſt? Etenim talis eſt vel propter inhærentiam, vel propter imputationem. Non propter *inhærentiam*, quia quod unico membro inhæret, non ilico credentium univerſitati inhæret. Non propter *imputationem*, quia ſolius Chriſti pulchritudo maculæ omnis expers Eccleſiæ imputatur. Ut igitur pulchra tota & expers maculæ Eccleſia ſit, non B. Virgo, ſed ſolus Chriſtus efficere potuit. 3. Si maculæ omnis quovis tempore expers eſt Eccleſia, quomodo igitur Eſaj. LXIV. 5. 6. ſic Deo confiteri aliquando potuit: *Ecce iratus es, quia peccavimus. Facti ſumus ſicut impurus omnes nos.* An ibi diſtributio tua maculæ & temporis omnis negatur? Sufficit ergo, per Chriſti imputatam juſtitiam omni macula illam carere, ac de cœtero ob ſinceritatem, *ἀκεραιότητα*, cordis integritatem, talem dici.

OBIECT. V. *Idem ſenſerunt Patres vetuſti, Origenes, Cyprianus, Athanaſius, Ambroſius, Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Sedulius, Sophronius, Damaſcenus, &c. Auguſtinus diſertè*: Excepta Sancta Virgine, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum; *de natura & gratia.* Reſp. 1. Damaſcenus, aliique ςύγχρονοι, vel μεταγενέςεροι idonei teſtes non ſunt. 2. Baſilii & Chryſoſtomi Liturgiæ, Cypriani tractatus de operibus Chriſti Cardinalibus, Hieronymi Commentarii in Pſalmos, Athanaſii ſermo de Deipara, quibus nituntur adverſarii, genuini minimè ſunt. 3. Auguſtinum, cujus verba allegata ſemper in ore habent, non agere de peccato originali, ſed de actuali, prolixè oſtendit Dominicus de Soto. Imò ne quidem aſſerit S. Pater B. Virginem omnino fuiſſe abſque peccato, ſed tantùm aſſerit, nolle ſe de ea quæſtionem moveri: & quidem non ipſius Mariæ habita ratione, ſed in honorem Chriſti; non quaſi Chriſti honos læderetur, ſed ut deferamus Chriſto, ut de matris ejus peccatis non loquamur. Et tamen Auguſtinus alibi *de perfectione juſtitiæ* diſertè aſſerit, excepto uno mediatore omnes indigere remiſſionis peccatum.

Excip. Reding: 1. *Sunto nonnulli libri citati aliorum authorum. Cùm tamen antiqui ſint, veteris Eccleſiæ ſententiam abundè probant. 2. De Deipara diſertè Auguſtinus dicit, ei plus gratiæ collatum fuiſſe, ad vincendum omni ex parte peccatum. An igitur victrix peccati eſſe potuit, qua parte à peccato victa ipſa fuit? Addit, propter honorem Domini nolle ſe de ejus matre, cùm de peccatis agitur, quæſtionem habere. Annon verò originale æquè atque actuale peccatum cum honore Domini pugnat?* Ib. pag. 306. Reſp. 1. Pſeudepigrapha nulla in numerum venire poſſunt, quia de authoribus & tempore, quo ſcripta ſunt, nihil liquet. 2. Auguſtinum loco citato agere de peccato originali, fortiter, multiſque rationibus ipſe Dominicus de Soto *de Nat. & gratia lib. III. 4.* negavit. *Tractat enim*, ita ille inter alia, *in illa parte ejus libri idem argumentum, quod & in libris*

de

Digitized by Google

de perfectione justitiæ, de Spiritu & litera; scilicet quòd non possit homo vivere sine peccato, contra Cœlestium dicentem: Potest homo non peccare, si vult. Originale autem non est in nostra voluntate. Et paulò post: *In eo, quod dicit vincendum, manifestissimè loquitur de actuali, quoniam originale non vincitur.* Pluribus idem probavit Vincentius de Bandellis *de Concept. B. Virg. Mar. pag. 144. &c.* Addo ego denuo, S. Augustinum nec de originali, nec de actuali peccato B. Virginis eo loco quicquam statuere voluisse. Quomodo igitur qui quæstionem non movet, eandem in alterutram partem decidit? Quomodo enim, de eo quæstionem uno loco non movens, removet, qui alibi, quatuordecim locis, ab eodem Vinc. de Bandellis *pag. 24. 25. &c.* citatis, eandem peccato subjecit? Aliud verò longè est B. Virgini, *quæ concipere ac parere meruit Christum*, gratiam Divinitus collatam esse *ad vincendum omni ex parte peccatum*; aliud, *peccatum non habere.* Hoc de Christo, illud de Maria, peccatum originale, non actuale cujusvis temporis, nec omne (nam peccata etiam admissa fide meriti Christi vincuntur. quomodo S. Johannes 1. Epist. v. 4. *fidem esse νίκην victoriam*, qua mundus, adeóque etiam peccatum vincitur, dixit) ab ea excludens, asseruit. Neque de honore Domini peccatum Matris quicquam decerpere, infra docemus.

OBIECT. VI. *Ob immaculatam conceptionem B. Virginis ecclesia instituit Festum conceptionis.* Resp. 1. Festum illud recentissimum est, cujus origo repetitur ab Anshelmo Cantuariensi. Quanquam alii adhuc recentius faciunt. Baronius sanè in vita Anshelmi hoc Festum ne nominat quidem. 2. Id Festum nec ab omnibus semper receptum est, nec institutum ob immaculatam conceptionem Virginis. Durandus ait, institutum esse, *non quia sit concepta, sed quia mater Domini sit concepta.* 3. Festum id, ut & multa alia, superstitio & idololatria peperit.

EXCIP. REDING: 1. *In aliis quoque, quæ fidei dogmata indubiè continent, sensim lux veritatis illuxit. Ita, nondum definita licet immaculata conceptione, festum ejusdem serò institui potuit. 2. Religiosa festi illius institutio fundatur in conceptionis ipsius instanti, juxta quod concepta fuit cum ordine condignæ ad maternitatem Domini præparationis, quæ peccatum nullum, utpote execrabile, compatitur. 3. Virginem immaculatè conceptam ita hoc festo honoramus, ut totum beneficium illud in Christum Redemptorem reducamus. Idololatriæ igitur illud insimulare, sibilus Serpentis est, cujus caput Deipara contrivit.* Ib. pag. 306. 307. Resp. 1. Mitto alia, de quibus alibi. Festum isthoc tum demum superstitio peperit, cùm Christianitas in præceps abiit, & quibuslibet, ineptissimis etiam Monachis, licentiam quidlibet audacter fingendi præbuit. quando in eum statum orbis devenit, ut cucurbitulas etiam Papistæ adoraturi fuerint, nisi Deus providisset. Sic scilicet veritas antehac sub modio latens in candelabrum enixa est. Et quomodo, ne hodie quidem, ut ajunt, definita immaculata conceptione, in ejusdem honorem festum institui, celebrari potuit? 2. Festi illius fundamentum verum Bernhardus *Epistola ad Lugdunenses Canonicos* notavit, novitatem ejus instituti acriter percellens, *matrem temeritatis, sororem superstitionis, filiam levitatis.* Præparatio porro ad Maternitatem Domini nec immunitatem ab omni peccato requisivit, sed operationem duntaxat Spiritus S. supervenientis, ut quod ex ea nasciturum erat Sanctum, Filius Dei vocari posset: Luc. I. 35. nec

in

Digitized by Google

in conceptionis B. Virginis, sed in annuntiationis potiùs Angelicæ primo instanti facta est. 3. Quomodo in Christum Redemptorem reduci potest beneficium Matris, quam à peccato redemptam negas? Potiùs de honore Christi, qui solus ab omni peccato immunis fuit, fictitius ille Mariæ honos delibat: & festum in ejusdem honorem institutum Dei honorem obscurat. Nefas certè est, hominibus festa religiosa dicari: nefas Angelis, quos esse absque peccato constat. Proin nimium hunc honorem dedecori esse virgini, violare pietatem, apertè etiam Bernhardus dixit, & superstitionem, temeritatem, levitatem festi sonorè perstrinxit, sibilans eo modo, quo & me sibilasse genuina hæc viperarum progenies sibilavit. Nam quòd Bernhardum non aliam ob causam sic festum hoc increpasse, quàm quia institutum fuerit inconsulta Sede Apostolica, idem *pag.298.* mussat, impudenter facit. Is enim in disputando omnino authoritatis Romanæ non meminit; tantùm, absoluta disputatione, consulendam fuisse saltem Ecclesiam Romanam admonet. De cœtero novitatem, temeritatem, superstitionem, levitatem, violatam pietatem ubique impingit.

OBIECT. VII. *Deus potuit B. Virginem à peccato præservare. Ergo verisimiliter præservare voluit.* Resp. De rebus fidei judicandum ex voluntate revelata, non potentia Dei, quæ aliâs rectè à Patribus dicta est asylum hæreticorum.

EXCIP. REDINO: *Supposito exemptionis privilegio, ad Divinam omnipotentiam ita confugimus, ut prærogativam illam dignitati Maternitatis congruam adstruamus.* Ib. pag 307. Resp. Malè posita supponis, omnipotentiam Dei temerè advocas, congruentiam fingis, & ex eadem dogma, reclamante Scriptura, cudis.

OBIECT. VIII. *Ignominia matris redundat in prolem. Si igitur B. Virgo in peccato concepta fuit, eadem ignominia redundabit etiam in Christum.* Resp. 1. Peccatum originis civiliter ne ipsi quidem B. Virgini fuit ignominiosum. Ignominia verò ex lege cœlesti æstimata non redundat in prolem, nisi eadem labe infectam. Ita nec incestus Thamaris, à qua natus Christus, in eum redundavit. 2. Possemus æquè dicere, pertinuisse ad honorem Christi, nasci ex matre immortali. Et cur non etiam ex avo & avia? 3. Imò inde magis elucescit Dei virtus, qui ex muliere obnoxia peccato eduxerit perfectè justum, Divina virtute vincente impedimenta naturæ. 4. Scitè monuit Bernhardus, eandem rationem ab honore Christi petitam, magis evincere exemptionem Abrahami à peccato, cui de Christo, tanquam semine suo futuro, facta promissio, qui credentium pater. Amplius enim esse Christum fide recipere, quàm utero gestare.

EXCIP. REDINO: 1. *Originale peccatum utique B. Virgini adeò ignominiosum fuit, ut dedecuerit Matrem Dei ab eo mox instanti, quo ad Deiparam à Spiritu S. præparata fuit. 2. Sicut Abrahamus ex eo momento, quo ipsi facta fuit promissio de Christo, tanquam semine suo futuro, à peccato liberatus fuit: sic Deipara pro eo instanti, quo in Matrem Dei prælecta cœpit esse habitaculum Spiritus S. immunis à peccato esse debuit.* Ib. pag. 30 · 308.

Resp. 1. Ad pleraque pisce magis mutus es. Cætera nil nisi crambem recoctam olent. Fuit sanè peccatum originale ignominiosum Deiparæ eatenus, quatenus vitium fuit ei inhærens, unde quædam ignominia ad eam redire potuit. Cùm verò illud personale fuerit, Mariæ personam egredi non potuit; atque insuper Christi merito expiatum omne est. Peccatum porro à Christo expiatum impedire, quò minùs Deipara fieret, non potuit. 2. Abrahamus credens promissioni de Christo justificatus est. Attamen & ante justificationem peccati particeps; & post eam non planè ejus exsors fuit. Applica hoc Deiparæ, ac simul, Spiritus S. habitaculum nisi à peccato omni immunem esse non potuisse, proba.

QUÆSTIO IV.

An infantes ante baptismum decedentes, propter peccati originalis reatum, puniantur pœna damni in limbo, non pœna sensus in gehenna?

MAgister sententiarum, eúmque secuti Scholastici, pœnarum æternarum duo genera distinguunt, unum pœnam *damni*, seu cœlestis beatitudinis & visionis Dei privationem; alterum pœnam *sensus*, seu actualem castigationem & cruciatum. Peccato igitur originali deputârunt pœnam damni: actuali verò pœnam sensus. Ante Scholasticos verò Augustinus tenuit, peccato originali non minùs quàm actuali deberi pœnam sensus, seu ignis infernalis, adeóque ei pœnæ etiam infantes ante baptismum decedentes subjacere. Augustinum inter Scholasticos secutus est solus Gregorius Ariminensis, cui inde impositum est nomen *Tormentum infantum*. Hinc orta in Concilio ζυζητήσεις gemina, una inter Augustinianos & Catharinum: inter Franciscanos & Dominicanos altera. Augustiniani propter eam, quæ Augustino debetur, reverentiam, simul ne Gregorius Ariminensis damnaretur, vehementer instabant, ne Augustini sententia, quam cæteroquin falsam agnoscant, in hæreticorum album referretur. Catharinus contra tendebat, ut articulus ille condemnaretur, ad refrænandam audaciam & ignorantiam quorundam Prædicatorum, doctrinam eam magno cum populi scandalo in vulgus disseminantium. Quanquam verò in Concilio Scholasticorum de pœna peccati originalis, & infantum ante baptismum decedentium dogma palam nemo oppugnaverit, tamen non satis conveniebat Theologis, qua in re sita sit pœna peccati originalis & infantum absque baptismo decedentium. Dominicani asserebant,

Digitized by Google

ſerebant, infantes ante baptiſmum & uſum rationis morientes, poſt reſurrectionem in limbo & tenebris, ſubterraneo loco, ſed ſine igni permanſuros. Franciſcani verò locum iis ſuper terram & in luce aſſignabant, nonnullis etiam affirmantibus, Philoſophiæ ſtudio & rerum naturalium cognitioni incubituros, & ſingularem eam voluptatem, qua homines in rebus adinveniendis ingenioſi & ſolertes animum explere amant, percepturos. Catharinus cœteris liberalior aſſerebat, à ſanctis Angelis, beatiſque viſitatum, & conſolationibus ſublevatum iri. Hoc Paterculorum diſſenſu territa pro more ſuo parum generoſo Synodus, de pœna peccati originalis, & infantum ſine baptiſmo decedentium nihil definire ſuſtinuit. Bellarminus verò *de amiſſione* gratiæ lib. VI. cap. 2. 3. aſſerit, *fide Catholica tenendum eſſe, parvulos ſine baptiſmo decedentes abſolutè eſſe damnatos, & non ſolùm cœleſti, ſed etiam naturali beatitudine perpetuò carituros.* Deinde cap. 4. & 5. probare conatur, *parvulos ſine baptiſmo decedentes, non puniendos eſſe pœna ſenſus, ſive ignis ſenſibilis.* Denique cap. 6. & 7. refellere conatur Thomam, Bonaventuram, alióſque illuſtres, uti vocat, Theologos, aſſerentes, *quòd parvuli non baptizati eximantur ab omni dolore tum interno, tum externo.* Ipſe contra ſtatuit, *parvulos ſine baptiſmo decedentes dolorem animi ſubituros, quòd intelligent ſe beatitudine privatos, à conſortio piorum fratrum & parentum alienos, in carcerem inferni detruſos, & in tenebris perpetuis vitam acturos.* Habemus de quæſtione propoſita ſententiam Pontificiorum, & concordiam eorum diſcordem. Nos ante omnia diſtinguimus infantes fidelium & fœderatorum, ab infantibus infidelium. Infantes infidelium Dei judicio permittimus. At infantes fidelium ante baptiſmum decedentes quod attinet, de eorum ſalute ob prærogativam fœderis bene ſperamus, adeóque adverſariorum, qui æternæ damnationi eos promiſcuè ſubjiciunt, pronunciatum non modò ut falſum, ſed etiam ut crudele repudiamus. Quamcunque verò pœnam infidelium infantes ante baptiſmum decedentes, propter reatum peccati originalis, ex imperſcrutabili Dei judicio ſubituri ſunt, eam non *damni* duntaxat, ſed *ſenſus* etiam pœnam, quamvis mitiorem eâ, quam ſuſtinebunt peccatores adulti, juxta effatum Chriſti Luc. XII. 47. 48. futuram, diſertè aſſerimus. Proinde peccati originalis æquè atque actualis pœnam conſiſtere non in carentia duntaxat viſionis Dei, & ἀναλγησίᾳ quadam, ſed in pœna etiam ſenſus & ignis æterni, pronuntiare non veremur. Utrumque igitur nobis diſtinctè probandum fuerit, tum infantes fidelium ante baptiſmum decedentes promiſcuè non damnari, tum pœnam peccato originali debitam non eſſe pœnam duntaxat *damni*, ſed etiam *ſenſus* & cruciatus æterni. Prius liquet ſequentibus argumentis.

Digitized by Google

ARG. I. Ad infantes fidelium pertinet promiſſio gratiæ, Geneſ. XVII. 7. Act. II. 39. & regni Cœlorum, Matth. XIX. 14. 15. Suntque *ſancti ab utero*, Rom. XI. 16. 1. Cor. VII. 14. non utique ſanctitate *politica*, uti Suarez, vel *ceremoniali*, uti Bellarminus, vel *religioſa* ſive futura ſive præſente, uti Vaſquez, ſed *fœderali*, ut ipſe Salmero interpretatur. Non igitur ante baptiſmum decedentes damnantur, utpote quibus peccata, unica cauſa damnationis, remittuntur.

RESP. REDING: 1. *Geneſ. XVII. 7. Semini Abrahami myſtico, fideli ſcilicet, adeòque jam circumciſo, utpote credenti, gratia promittitur. Matth. XIX. 14. 15. parvuli jam circumciſi intelliguntur. Rom. XI. 16. hoc unum innuitur, virtute Divinarum promiſſionum ramos cenſeri habiles gratiæ, non gratiam habere ante Sacramentum. 1. Cor. VII. 14. intelligitur ſanctitas legalis, cujus virtute proles ex matrimonio tali ſuſcepta legitima eſt. 2. Quo verò medio infantibus ante Baptiſmum decedentibus applicari meritum Chriſti ad remiſſionem peccatorum ſtatuis?* Tract. III. p. 309. 310. Reſp. 1. Ita ſemini Abrahami myſtico circumciſo gratiam promitti, ut eadem quilibet incircumciſi morte præventi defraudati fuerint, falsò aſſeris. Proſtant enim exempla in contrarium non pauca. Et quæ prærogativa infantum V. T. ex formula fœderis, eadem, non minor certè, eſt infantum N. T. ex fidelibus parentibus oriundorum. In hæreditatem enim promiſſionis Abrahamo & ſemini ejus factæ ſucceſſiſſe non ſolùm Iſraëlitas veteres, ſed omnes ſive ex Judæis ſive ex gentibus in Chriſtum credentes, Scriptura Epheſ. I. 3. Act. II. 38. 39. Rom. II. 10. 11. 28. III. 22. 29. 30. IV. 23. 24. liquidò teſtatur. Olim circumcidebantur, hodie baptizabantur jam fœderati, Filii DEI. Alias ratio nulla fuiſſet, nulla eſſet, cur non infidelium æquè ac fidelium liberi Sacramento fœderis potirentur. Matth. XIX. 14. 15. promiſſio illa Abrahamo facta fidelium Chriſtianorum infantibus confirmatur, quibus Regnum Cœlorum promittitur, ceu cauſa, cur ad Chriſtum, baptizandi & in fide confirmandi, veniant. Rom. XI. 16. non habilitas ad gratiam, ſed actus ipſe ſanctitatis, quæ minimùm fœderalis eſt, de ramis ex radice prodeuntibus prædicatur. Denique ſi 1. Cor. VII. 14. ſanctitas duntaxat ea liberis fidelium tribueretur, per quam non in ſpuriorum ſed legitimorum cenſum venirent, qua igitur præ infidelium liberis prærogativa illi gauderent? Sola fœderis prærogativa illos diſparat, & Sacramenti etiam capaces reddit. Scilicet fidelium conjugum conſcientiæ non à pollutionis duntaxat fornicariæ, ſed idololatricæ etiam metu liberandæ fuerant. 2. An verò putas, aquæ baptiſmo ſine comite Spiritu Dei merita Chriſti applicari? Si negas, quidnî Spiritu Dei, cujus principalis ubique *ἐνέργεια* eſt, operante pro beneplacito, Chriſti ſanguis purificans infantibus fœderis prærogativa potientibus applicari queat?

ARG. II. A baptiſmo ſalus non dependet, ut à medio præcisè neceſſario, tum quia quidam ſervati ſunt abſque baptiſmo, ut latro cum Chriſto crucifixus, Luc. XXIII. tum quia quidam cum baptiſmo damnati ſunt, ut Simon Magus, Act. VIII. A quo autem ſalus non dependet, ejus privatio non damnat.

Digitized by Google

Resp. Reding: 1. *Latroni ſufficiebat Baptiſmi votum. Simon verò Magus gratiam remiſſionis per peccata mortalia perdidit, neque per pœnitentiam veram cum Deo in gratiam rediit. 2. Veſtra quoque confeſſio cap.20. ſtatuit, baptiſmo electos à Deo recipi, & primò in Eccleſiam inſeri. At extra eccleſiam nemini ſalutem contingere, eadem Confeſſio cap.17. ſciſcit.* Ib. pag.310. Reſp.1. Latroni non votum baptiſmi, forte illi incogniti, ſed *omnipotentis benignitas*, uti S Auguſtinus *de Baptiſmo lib.IV.*24. ſcribit, profuit. Nec Simoni Mago baptizato peccata remiſſa ſunt, uti poſt Donatiſtas apud Auguſtinum *de Bapt. lib.I.*11. Redingius innuit, quia, eodem Auguſtino *cap.*12. judice, ad baptiſmum fictus acceſſit. Quod igitur & ſalvato Chriſtiano defuit, & damnato adfuit, quomodo neceſſarium ſimpliciter ſalutis medium ſtatuitur? 2. Confeſſionem Helveticam vellicas vel laceras potiùs. Nam & *ſignis alligari gratiam*, eadem *cap.*19. negavit: at *ſignis non ita arctè includi Eccleſiam, ut omnes illi extra eccleſiam ſint, qui Sacramentis non participant, neceſſitate inevitabili coacti,* clariſſimè *cap.*17. aſſerit.

ARG. III. Infantes fideles V. T. non circumciſi ante diem octavum, non damnabantur. Patet exemplis ſanctiſſimorum illorum Martyrum maſculorum Hebræorum, qui ante diem octavum extincti ſunt juſſu Pharaonis Ægyptii, Antiochi & Herodis, Exod.I.22.1. Machab.I.51.64. Matth. II.16. An illos omnes damnatos cenſebimus? Sanè non auſus eſt Hugo de Victore, ſervatos docens infantes ante octavum diem non circumciſos, atque id teſtimoniis R. Abenezræ & Solomonis Jarchii confirmans. Imò nec adulti non circumciſi damnabantur ob circumciſionis privationem, uti apparet exemplo eorum, qui in deſerto mortem oppetierunt. Multò minùs igitur damnantur infantes fidelium N. T. ante baptiſmum decedentes, ob defectum baptiſmi. Amplior enim eſt gratia Novi Teſtamenti, quàm fuit Veteris.

Resp. Reding: 1. *In Novo etiam Teſtamento Martyrium & perfecta, ſeu charitate formatæ contritio, baptiſmi defectum ſupplet. Secundùm viam verò ordinariam baptiſmus ſimpliciter ad ſalutem neceſſarius eſt. 2. Etiam ante circumciſionem Deum Sacramento quopiam famulis ſuis opitulatum eſſe, Auguſtinus contra Jul. lib.V.*21. *aſſeruit. Tantam Sacramenti neceſſitatem ille agnovit.* Ib. pag.310.311. Reſp.1. Salva res erit, dummodo martyrio & contritioni, ſalutari ſcilicet, non Phariſaicæ, qualem Pontificii obtrudunt, caſum privationis & neceſſitatis inevitabilis junxeris, & à martyrio ac contritione baptiſmi contemptum removeris. Quinimò Martyres, & quotquot ſine Sacramento ordinario ſalvati unquam ſunt, nonniſi privatio & inevitabilis neceſſitas excuſavit. Propter quod autem unumquodque tale eſt, illud magis tale eſt. 2. Quantam Sacramenti neceſſitatem S. Auguſtinus agnoverit, non refert. Pelagiani certaminis occaſione ad *ἀμετεξίαν τῆς αὐθαλκῆς* deflexit. Neque verò Scriptura tacuiſſet Sacramentum famulorum Dei ante circumciſionem, ſi quod neceſſarium fuiſſet.

ARG. IV. Si ob defectum baptiſmi damnantur ſine baptiſmo decedentes, damnabuntur igitur ob culpam ſimpliciter alienam. Etenim culpâ non propriâ, ſed vel parentum, vel iniquitatis temporum, Sacramento pri-

 vantur.

vantur. Atqui Deus ipse Ezech. XVIII. 20. negat convenire, ut filius iniquitatem sui Patris luat.

RESP. REDING: *Nec infantes infidelium damnantur ex culpa per propriam voluntatem contracta, sed ex peccato originali. An ergo portant iniquitatem patrum? Ezechiel igitur loquitur de regenitis. Irregeniti contra ita luunt peccatum Adami, ut peccatum originale iis sit intrinsecum; adeóque peccatum proprium portent.* Ib. pag. 311. Resp. Peccata parentum personalia & naturalia, quæ tu *capitalia* vocare soles, miserè confundis. Ego non de naturalibus, quale erat Adami, sed de personalibus, qualia sunt parentum, baptismum prolis negligentium, adeóque neglecta ovis, uti veteres loqui amant, reorum loquor. Tale portare filios innocentes, seu parentum peccatis non consentientes, Ezechiel negat. Addo, plerunque privari baptismo infantes fidelium, non tam parentum culpa, quàm inevitabili necessitate, cujus solus Deus, vitæ & necis arbiter, nascentia infantum fata immatura morte abrumpens, author est.

ARG. V. Neque etiam Sacramentis unquam Deus ita alligavit gratiam suam, quin eam sine Sacramento extra ordinem pro liberrima *clementia* sua exerere & dispensare possit. Nos quidem ad media alligati sumus, non Deus. In fame cibis, in morbis medicina uti debemus. Deus autem sine cibis alere corpus, sine medicamentis sanitatem restituere potest. Hac ratione utitur etiam Gerson in sermone de Nat. Virg. Mariæ, quem proinde *doctorem consolatissimum* vocant.

RESP. REDING: *Potentia Dei absoluta secundis causis alligata non est. At tu ipse supra eam asylum hæreticorum vocasti, & ab ea argumentum pro immaculata conceptione Deiparæ promi vetuisti.* Ib. pag. 311. Resp. Ergo per potentiam absolutam Deus salvare potest, quos vult, non accedente Sacramento. uti tu ipse de martyribus & contritis confessus es. Hæc sanè Dei potentia non est asylum hæreticorum, quale est potentia illa, ex qua, nullum voluntatis testimonium habente, dogma idololatricum tu nobis astruere conitebaris. Quid verò, Redingi, sibi vult Scholæ vestræ axioma, quod 4. *Sent. dist.* 4. sic habet: *Deus suam potentiam Sacramentis non alligavit?* An solus tu à Schola diversus abis?

ARG. VI. Christus Marc. 16. dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur.* Et in antithesi solam fidem, non baptismum urget. *Qui verò*, inquit, *non crediderit, damnabitur.* De quo Bernhardus Epist. 77. monet, cautè & vigilanter non repeti baptismum, ut innueretur, solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ea sufficere nihil.

RESP. REDING: *Bernhardus loquitur de sola fide, accedente vel martyrio, vel voto baptismi, ubi deest ejusdem copia. At ejusmodi actus infantes, utpote rationis non participes, elicere nequeunt.* Ib. pag. 311. Resp. Martyres & contritos (quanquam sine salutari contritione martyri esse contingit nemini) baptismi defectum ob privationem ejus solam & immutabilem necessitatem non damnari, supra diximus. Ubicunque igitur est privatio Sacramenti, sine ejusdem contemptu, noxa abest. Atqui in infantibus fidelium, martyrii licet & contritionis actus non elicientibus, (Martyrii tamen coronam

etiam

etiam hos quandoque decerpere, séque ipsos sanguine suo abluere, ipsi doctores vestri sustinent) privatio ejusmodi sola est. Martyres & contritos vera fide destitutos nullos esse, mecum fatebere. Si potest esse sine baptismo martyr & contritus, sine fide esse non potest, quis non disparem utriusque necessitatem vel cœcus agnoverit? Si ad votum baptismi recurrere tibi libet, nec illud fidei æquiparari potest, nec absens à Christo damnationis causa, uti quidem infidelitas, statuitur.

ARG. VII. An igitur gloriosum illum in veteri Ecclesia chorum Martyrum, qui cùm essent adhuc catechumeni, ante baptismum ad supplicia rapti sunt, ob solum baptismi defectum, æternæ damnationi subjiciemus? An Imperatorem Valentinianum non baptizatum, de quo tam præclarè Ambrosius?

RESP. REDING: 1. *Nemo Pontificiorum gloriosum Martyrum non baptizatorum chorum damnavit. Habuerunt enim illi saltem Baptismi votum. Et martyrium vices baptismatis supplet.* 2. *Valentinianum fidei Divinæ charitate formatæ lumine eminuisse ostende, & bene de salute ejus sperabimus. Sin ex naturalis honestatis operibus salvatum statuis, Pelagianus es.* Ib. pag. 311 312. Resp. 1. Bellè equidem. Si tibi Martyrii & contritionis casum excipere, nullibi disertè excipiente Scriptura, licuit; nobis privationis casum in infantibus, propitia Scriptura, excipere non nefas erit. Quanquam martyrium, quale sine charitate & cum peccato mortali obtinere posse, vestri, nominatim Cornelius à Lapide *ad 1. Cor. XIII.* decernunt, baptismum supplere, non ausim ego affirmare. 2. Quid verò de Valentiniano Imperatore hæsitas? Nunquam Ambrosii funebrem legisti, in qua sic ille inter alia: *Sæpe me appellabas absentem, & à me se initiandum sacris mysteriis præferebas. Mora ei adventus mei prolixior videbatur. Jam superabam alpium juga: & ecce, nuntius amarus mihi, & omnibus, de tanti morte Imperatoris. Quem in Evangelio eram generaturus, amisi; sed ille non amisit gratiam, quam poposcit. Vita jam fruitur æterna. Qui habuit Spiritum tuum, Sancte pater, non accepit gratiam tuam? Aut si, quia solenniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet: ergo nec Martyres, si catechumeni fuerint, coronantur. Non enim coronantur, si non initiantur. Quòd si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & absolvit.*

ARG. VIII. Necessitatem Sacramentorum, adeóque etiam baptismi, non esse absolutam, fatentur nobiscum Gerson, Cajetanus, Gabriel Biel, Tilemannus Sigebergensis, Elisius, Georgius Cassander, alii.

RESPONDERE REDINGIUS nihil potuit.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus Joh. III. 5. negat quemquam, qui ex aqua & Spiritu genitus non est, regnum Dei ingressurum. Atqui infantes non baptizati ex aqua vel Spiritu geniti non sunt.* Resp. 1. Si per aquam baptismi Sacramentum intellexit Christus, describetur igitur regula generalis, juxta quam modo ordinario Deus nobiscum agit. Ab hac verò regula generali casus necessitatis

ſitatis excipiendus fuerit. De ordinaria regenerationis via, non extraordinaria hîc agi, agnoſcit etiam Lombardus. 2. Per *aquam* Chriſtus non intellexit baptiſmi Sacramentum, tum quia Nicodemo eo tempore baptiſmum neceſſarium non fuiſſe, largiuntur adverſarii: tum quia loquitur Chriſtus de re, quæ Nicodemo, magno Iſraëlis doctori, nota eſſe debuit, quale quid baptiſmus non erat: tum quia baptiſmus non eſt cauſa regenerationis, ſed communionis regni Dei ſignaculum, & quatenus prædicatur, cum verbo Evangelii medium morale regenerationis; ſed vel ipſum Spiritum, uſitata hendyade, qua de duobus ſubſtantivis alterum adjectivè interpretandum, cujus exempla ſunt Matth. III. v. 11. Act. XIV. 13. Apocal. XX. 10. ut ita denotetur per aquam & ſpiritum *lavacrum ſpirituale*, ſeu *ſpiritus lavans & mundans corda*; vel Chriſti obedientiam, quam utpote cauſam regenerationis unicè Nicodemo ſuadet Chriſtus, quæque, inſtar aquæ, eſt res pura, & purificandi vim habens. de qua aqua vide loca egregia Ezech. XXXVI. 26. Pſal. LI. 9. 1. Joh. V. 6. 8.

EXCIP. REDING: 1. *Baptiſmi neceſſitatem ex eo loco S. Patres, Clemens Romanus, Juſtinus Martyr, Tertullianus, Origenes, Cyrillus aſtruunt. 2. Annon verò infantes fidelium ante baptiſmum ordinariè regenitos eſſe, docetis ipſi? 3. Caſum neceſſitatis ab hac regula ipſius Chriſti qua fronte, ſine S. literarum teſtimonio, excipitis? 4. Nicodemo magno Iſraëlis doctori, cui Scripturas docere non quoad literam duntaxat, ſed imprimis quoad Spiritum Propheticum eidem incluſum incubuit, Prophetia Ezech. XXXVI. 24. de aqua munda, ſeu Baptiſmo, incognita eſſe non debuit. Quia igitur hanc & alias non intellexit, meritò à Chriſto reprehenditur. 5. Si, quod tu aſſeris, Baptiſmus eſt medium morale regenerationis, non igitur regeneratio niſi per hoc medium obtineri poteſt, quia de ratione medii eſt, eſſe executione prius fine, & per modum cauſæ in finis conſecutionem influere. 6. Hendyaden in verbis illis Chriſti nullam veteres agnoſcunt, qui ſimpliciter de Baptiſmo explicant. Nec obedientia Chriſti ab infantibus voluntatis uſu deſtitutis recipi poteſt.* Ib. 312--315. Reſp. 1. Nonnulli à te allegati, veluti Juſtinus Martyr, Martialis, Cyrillus, præſentem locum ne attingunt quidem. Cœteri contra hæreticos veteres quosdam, Baptiſmi quamlibet neceſſitatem abnegantes, diſputant, non abſolutam neceſſitatem urgent. Neque verò tueri unquam te poteris patrocinio veterum nonnullorum Patrum, qui hæc Chriſti verba ita rigidè interpretati ſunt, ut infantes non tinctos, tanquam victimas nil miſerantis orci, inferis tranſcripſerint. Nam iidem ſimilem infantum etiam reſpectu neceſſitatem Euchariſtiæ ex Joh. VI. urgent. Quin & Bernhardus *Epiſt. 77.* nec non Theologi Scholaſtici *in 4. Sent. diſt. 3.* ipſéque adeò Bellarminus *de Baptiſ. cap. 5.* docent, non antè Baptiſmi neceſſitatem cœpiſſe, quàm lex Evangelica de baptiſmo poſt mortem Chriſti promulgata fuiſſet. Chriſtus autem clariſſimè de eo, quod in præſenti illo tempore neceſſarium erat, Nicodemo jam ſeni, & omnibus aliis Regnum Cœlorum intrare volentibus, loquitur. Proin Fulgentium verba illa Chriſti ad neceſſitatem ejus temporis, quo Chriſtus ea locutus eſt, trahentem Bernhardus eadem Epiſtola refutat. Si igitur non ante mortem Chriſti Baptiſmus neceſſarius fuit, & verba Chriſti eodem tempore, quo ea protulit, alligarunt, ſequitur ex Bernhardi & Scholæ doctorum, qui genuini tui Patres ſunt, mente, verbis illis Chriſti abſolutam

tam Baptiſmi neceſſitatem neutiquam probari. Oſtendendum igitur vobis ſubſequens aliquod præceptum Domini, ex quo tanta neceſſitas liquere poſſit. Tantum verò abeſt, ut oſtendi illud poſſit, ut potiùs ex verbis Domini Marc. XVI. 16. Bernhardus idem contrarium concluſerit. En quale tibi in antiquitate præſidium ſit! 2. Infantes fidelium ante baptiſmum ordinariè regenitos fatemur, ſed non modo mediiſque, adultorum reſpectu ordinariis. Pertendo igitur, diſtinctum regenerationis ordinem apud infantes & adultos obtinere. quod tu ipſe negare non auſis. Adulti enim etiam verbo viventis Dei prædicato regenerantur, 1. Pet. I. 23. An eodem ordine infantes? Hinc adeò Lombardus veſter 4. *Sent. diſt.* 4. fateri coactus eſt, dictum illud: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* intelligendum eſſe de illis, *qui poſſunt & contemnunt baptizari, quantum ad viſibile Sacramentum; quamvis abſoluiè, quantum ad regenerationem ſpiritualem.* Et Bonaventura ad eundem locum Lombardi, dicit, intelligi mandatum Domini de eo, *qui facultatem habet, & non impeditur neceſſitate.* 3. Viciſſim quæro, qua fronte à verbis Chriſti Martyrium & contritionem, nec non Baptiſmi in Martyribus & contritis votum excipias? Neque enim Chriſtus de voto aquæ recipiendæ, ſed de re, aqua ipſa locutus eſt. Sicut votum Spiritus ſine ſpiritu ipſo ad ſalutem non ſufficit: ita nec votum aquæ, cujus hic Chriſtus meminit. Utrumque in re habeatur neceſſe eſt. Niſi forte in verbis Chriſti admittere lubet ſenſum disjunctivum, hoc modo: *Niſi quis ex aqua & ſpiritu, vel ſaltem ex ſpiritu renatus fuerit.* Quæ expoſitio ſi vera eſt, poſſunt igitur infantes etiam ſolo Spiritu regenerari, neque iniquiore fronte à me caſus neceſſitatis, quàm à te votum Baptiſmi, aliàque excepta fuerint. Quid quòd infantes Martyres etiam ſine voto Baptiſmi, adeóque nec re, nec voto rei prævio, ſalvari pertenditis? 4. Nicodemo cognitas eſſe debuiſſe prophetias de neceſſitate Baptiſmi abſoluta, falsò dicis. Nullæ enim ejuſmodi prophetiæ uſpiam extant. Locus verò Ezech. XXXVI. 24. ne quidem de Baptiſmo, nedum de abſoluta ejus neceſſitate agit. quod plerique veſtrates nobiſcum agnoſcunt. 5. Medium non morale duntaxat, ſed efficiens ſimpliciter atque influens, adeóque cauſam regenerationis Baptiſmum vos ſtatuitis. Et tamen ſine hoc medio Martyres, contritos baptiſmum voventes regenerari poſſe, ſimul aſſeritis. Tu igitur nodum, quem imprudens nexuiſti, ſolve. Ego verò baptiſmum & *cauſam* eſſe *regenerationis* disertè negavi: &, *quatenus prædicatur, cum verbo Evangelii*, regenerationis *medium morale* eſſe, aſſerui. Locutus igitur ſum & de adultis, & de medio *morali*, quod non rarò rem, cujus medium eſt, ſequitur. uti in ſignis & ſignaculis, quale baptiſmus eſt, liquet. Ita omnes ingenii tui artes in pervertendo ſudant. 5. De Patribus ſupra. Si obedientia Chriſti ab infantibus ob rationis defectum recipi nequit, an iccirco nullæ obedientiæ Chriſti in regeneratione partes ſunt? Næ lymphari, quàm ſobriè ratiocinari ubique mavis.

OBIECT. II. *Circumciſio neceſſaria erat ad ſalutem. Minatur enim Deus Geneſ. XVII. 14. incircumciſum de populis ſuis excidendum. Ergo multò magis neceſſarius eſt ad ſalutem Baptiſmus.* Reſp. Comminatio illa excidii non pertinebat ad infantes ante octavum diem decedentes, & nullâ ſuâ culpâ ſacramento privatos: ſed ad adultos circumciſionem negligentes, uti arguit ſubjecta ratio, *quia fœdus meum violavit.* Hunc ſenſum aſſerimus Hiſtoriæ Patriarcharum Tomo II. Exercit. 7. *de fœdere Abrahamico* Sect. 9. Aliâs ſi ſtatur exemplo circumciſionis, & nec major nec minor eſt neceſſitas bapti-

Digitized by Google

ſmi, quàm fuit olim circumciſionis, confecta res eſt. Nam eam abſolutam non fuiſſe, ſupra probavimus, & fatetur Vaſquez, aliique.

EXCIP. REDING: *Infans octavo die non circumciſus diſertè extra fœdus Dei & communionem populi Geneſ. XVII. 12. 14. relegatur. Abſolutè igitur, non quidem ad ſalutem, ſed ad Moſaici Teſtamenti & fœderis participationem neceſſaria fuit. Baptiſmi verò par eſt ad fœdus Chriſti & bona ejus recipienda neceſſitas.* Ib. p. 315. Reſp. Mitto ἀνυρολογίας tuas, quales ſunt, incircumciſos extra Moſaici Teſtamenti & fœderis (at nec Moſes, nec teſtamentum ejus inſtitutæ circumciſionis initio fuit) communionem fuiſſe: neceſſariam fuiſſe circumciſionem non ad ſalutem, ſed ad communionem fœderis, quaſi ſalus contingere potuerit extra fœdus illud, quo Deus Abrahamo & ſemini ejus in Deum ſe fore promiſit: parem neceſſitatem eſſe circumciſionis & Baptiſmi, cùm illam ad ſalutem neceſſariam ſimpliciter fuiſſe neges, hunc neceſſarium eſſe aſſeras. Hæc Theologo indigna ſunt. Unum repeto, ad quod reſpondere nihil tu potuiſti; comminationem illam pertinere ad adultos, & ad eos, quorum infantum circumciſio à parentibus neglecta eſt, omittentes circumciſionem tum, cùm neceſſitate ejus intellecta procurare poſſent. Hoc arguit & ſubjecta ſtatim ratio, quam ego urſi, & exemplum Gerſonis, quo incircumciſo, non ipſe a Deo petitus eſt, ſed pater circumciſionem negligens, Exod. IV. 24. 25. Diſcere hoc poteras ex Bonfrerio tuo, cujus ad Geneſ. XVII. 14. hæc verba ſunt: *Hæc lex adultos tantummodo tangit, & infantes, cùm jam adoleviſſent, ſi quo caſu circumciſi non fuiſſent; non infantes infantiæ tempore.* En igitur quàm gravi errore tenearе! Neque proin aliud confici poteſt, quàm circumciſionem neglectam propria culpa damnabilem fuiſſe. Idem nos de baptiſmo propria culpa neglecto aſſerimus.

OBIECT. III. *Paulus Epheſ. V. 25. 26. docens eccleſiam purgari lavacro aquæ, & Tit. III. 5. baptiſmum vocans lavacrum regenerationis, teſtatur baptiſmum eſſe medium ad nos juſtificandos & ſervandos. Ergo neceſſarius eſt ad ſalutem.* Reſp. 1. Non plus hinc colligi poteſt, quàm baptiſmum eſſe medium juſtificationis & ſalutis ordinarium. At abſolutam eſſe ejus neceſſitatem, ita ut ſine eo extra ordinem Deus operari non poſſit, inde colligi non poteſt. Ipſi adverſarii baptiſmo aquæ aliquando ſubſtituunt baptiſmum ſanguinis, vel baptiſmi votum, vel fidem & contritionem. Ita Euchariſtia, miracula, perſecutiones pro Evangelio ſunt media ſalutis. An idcirco ſine iis Deus operari non poteſt? 2. Neque *lavacrum regenerationis* neceſſariò notat baptiſmum. Ut enim intelligatur renovatio & mundatio interna per Spiritum S. patitur analogia locorum Eſaj. LV. 1. Jerem. II. 13. Joh. IV. 14. VII. 38.

EXCIP. REDING: *1. Cùm ex Divina revelatione tria ſint regenerationis media, contritio, ſeu fides charitate formata, martyrium & baptiſmus, & poſtremum illud ſolum in infantibus obtineat, utique baptiſmus ordinarium & perpetuum adeòque abſolutè neceſſarium regenerationis eorum medium eſt. 2. Si lavacrum regenerationis eſt renovatio & mundatio interna per Spiritum S. utique hæc ex merito Chriſti contingit. Cùm verò Chriſtus etiam pro infantibus parentum infidelium mortuus ſit, deficiente applicationis medio,*

non

non aliud medium, quo illud fidelium infantibus applicetur, eſt, quàm baptiſmus. Ib.pag. 315.316. Reſp.1. Ubi regenerationis media eſſe vel martyrium, vel contritionem Scriptura docet? Oſtende, ſi potes. Atqui neutrum niſi in regenitos cadit. An enim irregenitus martyr eſſe, an conteri poteſt? Cúmque Scriptura in loco adeò à vobis decantato Joh.III.5. regenerationis media *aquam* & *Spiritum* nominet, cur tu, omiſſo Spiritu S. alia ſubſtituis? Et cur ex baptiſmo, quod regenerationis ſignaculum eſt, ejuſdem medium cauſale conſtituis? 2. Chriſtum pro infidelium infantibus mortuum eſſe, nudè aſſeris, non probas. Impetraſſe eum morte ſua vicaria beneficium iis, qui medio applicationis deſtituuntur omni, abſonum nimis eſt. Fidelium verò medium applicationis ordinarium & perpetuum nunquam deeſt, puta Spiritus. ſignaculum verò ejuſdem, baptiſmus, ordinariè confertur. Intercedente caſu Spiritus S. potens operatio, aquæ ſignaculo deſtituta licet, ſufficere poteſt.

OBIECT. IV. *Baptiſmus eſt unicum remedium adverſus peccatum originale, nec illud aliter elui poteſt. Ergo ad ſalutem ita neceſſarius eſt, ut ſine eo infantes à peccato originali purgari, adeóque ſalvari nequeant.* Reſp. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, & ſupponitur id, quod eſt caput controverſiæ. Nam nec baptiſmo eluitur & aboletur peccatum originale, ſed in eo tantùm offertur & obſignatur remiſſio omnis peccati: nec ſi Baptiſmo aboleretur, inde abſoluta ejus neceſſitas inferri poſſet. Poteſt enim aliis mediis id præſtare Deus ſine baptiſmo. Id nec adverſarii eunt inficias, contendentes, Martyrio quoque ſine baptiſmo omnia peccata deleri.

Excip. Reding: 1. *Baptiſmum eſſe medium juſtificationis, ſeu remiſſionis peccatorum, ipſe tu ſupra confeſſus es. Medium porro omne efficienter in finis conſecutionem influit.* 2. *Si Baptiſmo remiſſio peccatorum obſignatur, utique obſignatio ea Dei meritum Chriſti actu applicantis virtute efficax eſt, adeóque effectu remiſſionis nunquam deſtituitur. Baptiſmo igitur peccatorum remiſſio ordinariè offertur.* Ib. pag. 316. 317. Reſp. 1. Tœdium mihi perpetuæ logomachiæ tuæ creant. Medium juſtificationis baptiſmum nunquam dixi. Dixi *communionis Dei ſignaculum, & quatenus prædicatur, cum verbo Evangelii medium morale regenerationis.* Senſum dicti abundè expoſui. 2. Cùm res quælibet obſignatione ſui prior ſit, etiam remiſſionem peccatorum, quæ baptiſmo obſignatur, baptiſmo priorem eſſe, ſequitur. Quomodo igitur remiſſionem peccatorum baptiſmi effectum vocas? Porro obſignatio illa ita efficax eſt, ut ſine ea Dei ſolius gratia & Spiritus S. virtute remiſſio, intercedente caſu, contingere poſſit.

Lemma Poſterius.

HActenus prius lemma quæſtionis fuit. Sequitur nunc poſterius. Igitur peccato originali non ſolam *damni*, ſed etiam *ſenſus* pœnam deberi, adeóque limbum illum infantum eſſe dogma vaniſſimum, & merum ens rationis, probamus argumentis non minus ſolidis.

ARG. I. Scriptura pœnam sensus à pœna damni nuspiam distinguit. Plus quàm temerarii igitur sunt, qui distinguere ἄπης χαφῶν audent.

RESP. REDING: 1. *V. T. Patres caruerunt beatifica visione, Genes. XXXVII.35. Zach. IX.11. adeóque pœnam damni subiverunt, & tamen inferni sensúsque adeò pœnam non sustinuerunt. Sed & infantibus ante baptismum decedentibus, utpote non justificatis, hæreditas cœlestis non convenit. Neque tamen in inferno torquentur. Luunt igitur pœnam damni sine pœna sensus.* 2. *Eandem distinctionem Concilia, Palæstinum, Augustino Epist. 106. teste, Carthaginense Epist. ad Augustinum 90. & Milevitanum Epist. ad August. 92. confirmarunt.* Tract. III. pag. 317. Resp. 1. Litem lite resolvis. Limbus patrum talis est, qualis limbus infantum, Scholæ commentum uterque. Genes. XXXVII.35. Jacobo שאול est *sepulchrum*: Zachar. IX.11. בור *lacus* seu *fovea* vel lacum captivitatis, vel statum servilis Ecclesiæ notat. Infantes fidelium sanctos esse, jus habentes ad Regnum Cœlorum, etiam ante baptismum, supra probavimus. Et tales non justificati esse nequeunt. Sicut enim circumcisio, ita baptismus est אות ברית *signum fœderis*, Genes. XVII.11. *sigillum justitiæ*, Rom. IV.11. Supponit igitur fœdus & justitiam, eámque in subjecto jam existentem significat & obsignat. 2. Ex veterum sive Conciliorum, sive Patrum sententiis hac de re solidum judicium ferri nequit. Neque enim consentiunt antiqui, ac ne Scholastici quidem, utrum parvuli citra baptismum decedentes certò excludantur Cœlorum Regno: & ut ibi iis non pateat locus, num media sint conditione inter præmium ac supplicium: & si supplicio alicui obnoxii sint, num apud inferos afficiantur pœna damni, an sensus? Quarum discordantes sententias latè Doctiss. Gerhardus Joh. Vossius *Histor. Pelag. lib. II. pag. 3. th. 4.* prosequitur. Concilia à Redingio allegata non baptizatos à vita æterna excludunt. *Negata* autem vita æterna, (ita Augustinus ab ipso Redingio citatus infert) *quid nisi mors æterna remanebit?* En carentiam vitæ, ceu pœnam damni, & mortem æternam, ceu pœnam sensus, in eodem subjecto Augustinus conjungit. Qua in re posteriore si ab Augustino, aliísque nonnullis veteribus, discessionem facere liberum vobis fuit, æquè nobis in priore, utròque adeò à S. Augustino ad Scripturam appellare fas piúmque erit.

ARG. II. Imò pœnam damni & sensûs indivulso nexu & ἀδιασπάστως cohærere, fidem facit, tum quòd Scriptura manifestè conjungit, Esaj. LXVI. 24. Matth. III.12. XXV.41. tum quòd cum beatitudine cohæret inseparabiliter miseriæ carentia & sensus gaudii, Psal. XVI.11. Matth. V.4.6.8. & VIII.11. tum quòd peccatum quodvis non est duntaxat privatio boni & ab eo aversio, sed etiam habitus mali & ad illud conversio; adeóque pari ratione pœna ei debita non damni duntaxat, sed etiam sensus esse debet: tum denique, quòd separationem illam postulat neque quantitas peccati, cùm minima quæque peccata ex se gehennam mereantur: neque ἐπιείκεια Dei, quia Scriptura de ea nuspiam testatur.

RESP. REDING. 1. *Loca à te citata agunt de iis, qui jam Ecclesiæ cives, Sacramento sive circumcisionis, sive baptismi initiati, actualia peccata admiserunt; non de iis, qui non baptizati solius originalis peccati reatui subsunt. De parvulis verò non baptizatis generalis*

ralis

Digitized by Google

ralis eſt ſententia Rom.V.18. unius delicto in omnes venire condemnationem. & Joh.III. 36. Qui non obedit filio, non videbit vitam. ubi nulla pœnæ ſenſus mentio eſt. 2. *Viſio beatifica, ceu forma poſitiva, ex ſe profundit gaudium beatificum, ceu alteram formam poſitivam connexam. Contra carentia vitæ, ceu privatio, non eſt nata ex ſe profundere pœnam ſenſus, quæ poſitiva qualitas eſt.* Ib. pag. 317. 318: Reſp 1. Loca à me citata univerſos homines in *ſemen Dei*, & *prævaricatores*, Eſaj. LXVI. 21. 24. *triticum* & *paleam*, Matth III. 12. *Oves* & *hædos*, illos ad *dextram*, hos ad *ſiniſtram* ſiſtendos, Matth XXV. 33-46 diſpeſcunt. In utro, Redingi, ordine tuos ἀβαπτίστους collocas? Si in priore, ſtabunt coram Jehova, colligentur in horreum, hæreditabunt Regnum à jactis mundi fundamentis præparatum. Si in poſteriore, igni ἀσβέστῳ ardebunt, paleæ inſtar comburentur, ignem æternum Diabolo & Angelis ejus præparatum ſubibunt. Ubi ergo diſtinctio illa tua inter pœnam damni & ſenſus? Ubi tertium illud ferale clauſtrum, limbus? 2. Beatifica viſio connexum beatificum gaudium omnino habet. Nam *ſatietas lætitiarum eſt cum vultu Dei, & amœnitates ſunt in dextera ejus*, Pſal. XVI. 11. Neque ibi forma poſitiva ex ſe alteram profundit; ſed utramque beneplacitum Dei, gratia & promiſſio conjungunt. Par ratio eſt carentiæ viſionis vultus Dei ob peccatum à Chriſto non expiatum, quæ non poteſt non ex juſto Dei judicio connexum habere ſenſum mali. Neque enim ſenſu anima carere poteſt. Senſus autem eſt vel boni vel mali. Boni non eſſe, in confeſſo eſt. Mali igitur neceſſariò eſt. Niſi forte Paradiſum neſcio quem Muhammedanorum iis deputare libet. Nam & Cœlum & infernum metari, ac in ſpatia ſua deſcribere pridem auſi eſtis.

ARG. III. Neque Scriptura uſpiam medium inter infernum damnatorum, qui æterno igni uſtulabit ſontes, & Cœlum beatorum locum declarat; ſed potiùs duarum duntaxat viarum meminit, Matth. VII. 13. 14. & epulis ac gaudiis in regno Cœlorum non aliud opponit, quàm tenebras exteriores, quas comitabitur fletus & ſtridor dentium, Matth. XXII. 13. XXIV. 51. & alibi paſſim.

RESP: REDING: *Matth. VII. ſermo eſt de Eccleſia, in qua filius hominis ſeminat ſemen bonum, inimicus Zizania ſuperſeminat. At infantes non baptizati ſunt extra Eccleſiam.* Ib. pag. 318. 319. Reſp. Mirus ſtupor tuus eſt. Ter caput ſeptimum, expreſſis etiam literis, allegas; & quæ capite XIII in parabola de ſemine habentur, recitas. Quanquam & hæc parabola figmentum veſtrum configit. An infantes non baptizati membra ſint Eccleſiæ, necne, non diſputo. Hoc aſſero, omnes, qui in mundo ſunt homines (nam v. 38. Chriſtus disertè ἀγρὸν *agrum* interpretatur κόσμον *mundum*, non Eccleſiam) vel ad bonum ſemen, Regni filios; vel ad Zizania, filios Mali, pertinere. Neque enim medium in mundi hujus omni palæſtra datur. Ad bonum ſemen infantes baptiſmi exſortes non retuleris, quia filios eſſe Regni, Solis inſtar fulſuros in Regno Patris, negas. Zizania igitur, te judice, erunt. At Zizania igni comburenda Chriſtus affirmat. En ſenſus pœnam, non damni duntaxat!

ARG. IV. Cùm infantes à Chriſto redempti, & æternùm beandi, à neceſſitate tamen mortis temporalis non eximantur: cur eos, quos Chriſtus

Gg 3 non

non redemit, cujúsve personas in cruce non sustinuit, pœnis inferni etiam quoad sensum eximemus?

Resp. Reding: 1. *Christum non redemisse infantes infidelium, vel fidelium non baptizatos, Pelagii hæresis est. Is enim, Christum non esse pro omnibus mortuum, asseruit.* 2. *Vi peccati originalis reatus infernalis ignis non contrahitur. Licet proin Christi meritum iis non applicetur, non iccirco sensus pœnam subeunt.* Ib. pag. 319. Resp. Non feris nervum. Cur mortem temporalem, maledictam utique, luunt, ab æternæ mortis cruciatu immunes? Sed nec cœtera sani quicquam habent. Etenim 1. Christum pro quibusdam duntaxat mortuum esse, ubi Pelagius docuit? Unum apicem, si dicto tuo fidem constare vis, prome. Semipelagianis, non Pelagianis, id tribuit Innocentius X. in quinto contra Jansenium anathematismo. Et tamen Prosper *Epist. d.* Semipelagianis contrarium disertè impingit, *pro universo* nimirum *humano genere mortuum esse Dominum nostrum Jesum Christum, & neminem prorsus à redemptione sanguinis ejus esse exceptum.* Docebunt te rectiora Jansenitæ vestri, non ita in veterum scriptis, sicut tu es, hospites. 2. Peccatum originale quid aliud est, quàm corruptio totius naturæ spiritualis, fons & scaturigo omnium malorum, peccatorum? Minor ergo ejus reatus erit quàm peccatorum actualium? Minor rivuli perturbati, quàm fontis, omnem perturbationem scaturientis, malignitas? Fermentum hoc Pelagianum est, ad extenuandam peccati originalis malitiam susceptum.

ARG. V. Sed & infantes non baptizati in hac vita torquentur pœna etiam sensus, fame, siti, morbis, aliísque infinitis calamitatibus. At omnium eorum, qui à Christo redempti non sunt, quique æterna non perfruentur beatitudine, temporales pœnæ sunt veluti præludia æternarum. Neque majore jure cruciantur in hac vita pœna sensibili, quàm cruciabuntur simili pœna in altera: imprimis cùm peccatum originale in iis, utpote in Christo non remissum, adhuc hæreat.

Resp. Reding: *Calamitates ejusmodi proximè non à peccato originali, sed à causarum secundarum naturali dispositione: remotè verò à Justitiæ originalis carentia oriuntur.* Ib. pag. 319. Resp. Sic ergo remota calamitatum harum causa carentia justitiæ, qua supra peccatum originale definivisti; proxima ipsa natura erit; adeóque & peccatum & natura. Mirus causarum ordo. Atqui proximè à peccato omnia mala pullulare, ex Genes. III. 15-20. discere potes. Cur verò in hac vita torqueri infantes, adeóque pœnam sensus sustinere possunt, in altera non possunt? Hoc expedi.

ARG. VI. Quam mortem meruit Adamus peccando, eandem meretur peccatum originale omnium posterorum seorsim spectatum. Atqui Adamus peccando non solam damni, sed etiam sensus pœnam meruit, adeóque *quicquid est mortis usque ad novissimum*, uti Augustinus loquitur de Civ. D. lib. XIII. 12. Eandem igitur pœnam meretur etiam posterorum peccatum originale. *Non enim aliud ex eis, quàm quod ipsi fuerunt, nascebatur: pro magnitudine quippe oritur illius natura, quam mutavit damnatio in pejus, ut quod pœ-*

naliter

naliter præceſſit in peccantibus hominibus primis, naturaliter ſequeretur in naſcentibus ceteris, uti loquitur idem S. Pater.

RESP. REDING: 1. *An ergo pœna æterna ſenſus in Adami poſteris naturaliter ſequitur? Minimè. Auguſtini mens eſt, miſerias naturales ex naturali poſterorum Adami diſpoſitione fluere. 2. Et quomodo eandem ſibi & poſteris pœnam Adamus meruerit, cùm ejus peccatum fuerit actuale, Divinum dominium poſitivè lædens; originale verò peccatum talem malitiam non importet, ſed in Adamo peccante, tanquam principio ſuo ſupponat; in ſe verò nil niſi gratiæ ſanctificantis privationem, capitali voluntate voluntariam, includat? qualis privatio ſolius beatitudinis privationem ſeu pœnam damni poſt ſe trahit.* Ib. pag. 319. 320 Reſp. 1. Utique naturaliter ſequitur, à natura ſcilicet peccato eo corrupta, & peccatum propagante. Sumus enim φύσει *natura* τέκνα ὀργῆς *filii iræ* Divinæ, Epheſ. II. 3. An ira Dei ſolam gloriæ carentiam poſt ſe trahit? Et non potiùs *horrenda eſt expectatio judicii, & Zelus ignis, conſumens adverſarios* Dei; adeóque φοβερὸν τὸ ἐμπεσεῖν εἰς χεῖρας Θεοῦ ζῶντος, *tremendum* eſt *incidere in manus Dei viventis,* Hebr. X. 27. 31? Iræ Divinæ effectum ipſius Dei verbis, quæ Eſaj XXVII. 4. extant, cognoſce. *Ira*, ſic Jehova loquitur, *non eſt mihi. Quis det mihi ut contra ſpinas, vepres in bellum gradiar? Succendam eas pariter.* Sanè etiam Thomas *filios iræ* interpretatur filios *vindictæ, pœnæ & gehennæ.* Et iram Dei venire ſuper filios contumaces, Paulus Coloſſ. III. 6. declarat. Auguſtino verò Redingii commentum nunquam in mentem venit. Loquitur enim de ea natura poſterorum, *quam damnatio in pejus mutavit.* 2. Peccatum Adami actuale utique fuit. Sed quale fuit, tale poſteris juſto Dei judicio imputatum eſt, Rom. V. 12. 14. Eadem igitur Adami peccantis & poſterorum in eo, ceu capite ſuo, peccantium, ob naturæ communionem pœna fuit Quin imputatio peccati Adamici cauſa eſt inhærentis labis. quam & in carentia juſtitiæ, & in converſione ad injuſtitiam conſiſtere, abundè ſupra evicimus. Non igitur illa ſolius beatitudinis privationem, ſed pœnæ etiam ſenſum neceſſariò importat.

ARG. VII. Annon verò peccati originalis gravitatem abnegant, & infra cujuslibet actualis gravitatem detrudunt, cùm originali ſolam pœnam damni, actuali pœnam tum damni tum ſenſus decernunt? Quæ ratio quæſo movet, ut venenatum illum fontem & ſcaturiginem omnium malorum millies leviori pœnæ, quàm rivulum actualis peccati, obnoxium faciant? Sanè quicquid actualibus peccatis ineſt detorſionis & turpitudinis, illud omne ab originali derivatum eſt, adeóque in eo continebatur, ut effectus in ſua cauſa.

RESP. REDING: 1. *Actualia peccata à voluntate oriuntur. An propterea voluntati eadem malitia, quæ peccato convenit? 2. In peccato originali non eadem eſt delectatio, & inordinata ſui glorificatio, quæ in actuali & perſonali peccato eſt. Proin luctus, triſtitia & tormenta, ſeu pœna ſenſus ei non æquè congruunt.* Ib. p. 320. Reſp. 1. Peccata actualia ſunt à voluntate, non prout primæva, naturalis & incorrupta facultas eſt; ſed prout illa corrupta, diſtortaque ad omne malum inclinat. Mirúmne igitur, eandem ei malitiam ineſſe, quæ actualibus peccatis ineſt? Quomodo, Chriſto ipſo monitore, *ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, convitia,* Matth. XV.

Digitized by Google

Matth XV 19. si in corde, hoc est, fonte, scaturigine sua, ceu lutulenta palude, nunquam fuerunt? Quomodo, quod operabatur peccatum, S. Paulus idem *inhabitanti peccato* Rom VII. 17. tribuit, si operationis malitia in peccato inhabitante non extitit? 2. Delectatio, quæ peccatis actualibus inest, unde nisi à corruptione naturæ originem habet? Etsi igitur, quatenus illa actu se exerit, in pœnæ incrementum exerenti vertit, non tamen speciem pœnæ, sed gradum duntaxat mutat. Pœnam damni esse mortem æternam, & frustrationem saltem beatitudinis, non diffiteris. Si igitur non sit homo omni modo extinctus, minimùm in eo erit pudor, confusio & compunctio æterna. Ubi talis frustratio est, ibi sine dubio tenebræ exteriores, ploratus & stridor dentium sunt. quæ sine sensus pœna esse nequeunt.

ARG. VIII. Dogma hoc haustum est ex olidis lacunis Pelagii, qui infantibus non regenitis per Christum denegans regnum cœlorum, iisdem tamen nescio quam felicitatem naturalem extra Cælum indulsit. Quem Augustinus, quamvis perperam gratiam alligans Sacramento, validissimis argumentis oppugnavit, passim demonstrans, peccatum originale *pœnis non tantùm damni, sed etiam sensus, & quidem æterni ignis* plectendum esse. Cujus sententiam à strophis Scholasticorum luculenter vindicavit Jansenius peculiari *de statu parvulorum* tractatu.

RESP. REDING: 1. *Præsumptio est, Augustinum erroris hic arguere, qui tamen advers. Julian. lib. V. 8. infantes tanta pœna plectendos esse, ut eis non nasci expediret, negat: & in damnatione omnium levissima futuros asserit. Alibi verò Serm. 14. de verbis Apostoli ex Matth. 25. affirmans, ituros eos in ignem æternum, per ignem æternum locum inferni intellexit. 2. Catharini, non Pontificiorum omnium, sententia fuit, quòd beatitudine naturali infantes hi fruituri sint. Innocentius III. contra in cap. Majorem de Baptismo & ejus effectu, pœnam originalis peccati esse carentiam visionis Dei; actualis verò gehennæ cruciatum, definivit.* Ib. pag. 320. 321. Resp. 1. Tuam potiùs impudentiam & quidvis asserendi libidinem incusabunt meritò alii. Etenim ipse Florentius Conrius, Archiepiscopus Tuamensis, jam pridem tractatum doctissimum edidit, quo probatissimum fecit, *parvulos, absque baptismo ex hac vita decedentes pœnis non tantùm damni, sed etiam sensibilibus, & quidem æterni ignis, secundùm S. Augustini doctrinam, plecti.* Cujus argumenta, quibus mentem Augustini ex ipso Augustino ille eruit confirmavitque, nunquam tu infringes. Sed & Salmero id ipsum de Augustino non uno loco fatetur. Locum ex *lib. V. 8. adversus Jul.* integrum repræsentare debueras. Sic autem habet: *Ego autem non dico, parvulos sine Christi baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potiùs expediret, cùm hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impiissimis dixerit.* Non igitur pœnam sensus, sed gradum ejus pœnæ sensus, quem scelestissimi subeunt, iis verbis Augustinus negavit. Frigidum verò planè est, quòd in altero loco Augustini, *ignem æternum* de loco damnatorum, inferno, non de cruciatu infantum in gehenna dici, asseris. Etenim S. Pater eo loco impugnat Pelagianos, qui infantes non baptizatos dicebant salvos fore, sed non in Regno Cœlorum. Hanc ille sententiam ita impugnat, ut doceat, sic opponi Regnum Cœlorum, & ignem æternum, ut nullum detur medium; & necessum omnino esse, qui non sit in Regno, eum esse in igne æterno. Quin & *pœnam ignis æterni* disertè appellat. Et mentem Augustini discipulus

Digitized by Google

lus ejuſdem γνώμη Fulgentius *de fide ad Petrum Diaconum cap.27.* ſic ampliùs exprimit: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, non ſolùm homines ratione jam utentes, verùm etiam parvulos, qui ſive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, ſive cum de matribus nati ſine Sacramento S. Baptiſmatis de hoc Seculo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos, quia etſi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt.* 2. Neque Pelagianorum de beatitudine naturali infantum è Regno Cœlorum excluſorum, unius Catharini eſt. Nam Caronæus Medicus de *Baptiſmo cap.17.* pluribus eam tribuit, & ſic recitat, ut non abſurdam, authore Vignerio. In easdem partes inclinaſſe videtur Cardinalis Contarenus, libro de Prædeſtinatione. Quin Lyranus in quartum Eccleſiaſtis aſſerit eſſe omnium doctorum, qui de morientibus in peccato originali loquuntur. Neque planè abludit ſententia eorum, qui nullam quidem defunctis in ſolo originali peccato naturalem beatitatem verbis aſſignant, ſed nullum tamen etiam dolorem. quod Alvarez, Vasquez, aliíque plures ſuſtinent. Si enim præter carentiam viſionis nihil deerit, naturalis beatitudo abeſſe non poteſt. Denique & tertia ſententia Lombardi, Dominici à Soto, Bellarmini, aliorum, qui carentiam Divinæ viſionis fore infantibus moleſtam ſtatuunt, eatenus etiam cum Pelagianorum hæreſi conſpirat, quòd infantibus non baptizatis locum tertium, à Cœlo & gehenna diſparatum, deputat. Si ab hæreſi hac Tridentinis animus abhorruit, eccur Pelagianorum ſententiam diſertis verbis non jugulavit?

ARG. IX. Neque video etiam, quomodo illud de limbo Infantum & pœnis peccati originalis figmentum conciliari poſſit cum Seſſionis hujus V. anathemate primo, quo aſſeritur, *Adamum per offenſam prævaricationis ſuæ iram & indignationem Dei, atque ideo mortem, & cum morte captivitatem ſub poteſtate Diaboli incurriſſe*, & peccatum illud originale *ex Adamo trahere infantes.* Quæ mors, quæ captivitas ſub poteſtate Diaboli imminet infantibus, qui in limho velut ſenatorio quodam carcere inertes deſident, & juxta Scholaſticos nonnullos felicitate naturali potiuntur?

RESP. REDING: 1. *Originale peccatum non pari paſſu cum peccato actuali Adami militat.* 2. *Sufficit, infantes eos æternæ vitæ privationem, & mortem perpetuam in inferno ſubire. Sic planè Diaboli etiam jugo ſubſunt.* Ib. pag.321. Reſp.1. Ipſum Adami actuale peccatum poſteris imputari, ſupra vidimus. 2. Atqui Adamus, & quicunque in eo, etiam non ad ſimilitudinem ejus, peccarunt, incurrunt mortem, & quicquid mors mali habet; adeóque pœnam etiam ſenſus. quod non diffiteris. Neque adeò clemens Diabolus eſt, ut cruciatu eorum, quos jugo ſuo obſtrictos habet, abſtineat.

ARG. X. Denique ipſimet adverſarii, Cadmæorum inſtar fratrum, de hoc infantum limbo depugnant. Gregorius Ariminenſis, Driedo, Janſenius, alii, Auguſtini ſententiæ mordicus inhærent. Eos inter, qui pœna ignis non multandos infantes illos contendunt, alii pœnam quandam ſenſus etiam agnoſcunt, *triſtitiam nimirum perpetuam & vivacem miſeri ſtatus ſui ſenſum*, uti Bellarminus, Tirinus &c. alii negant, parvulos ullum dolorem

Digitized by Google

percepturos, ut Thomas, Bonaventura, Scotus, Richardus, Durandus, Molina, Becanus; idque, ſive quòd parvuli in judicio non comparituri, neſciant ſe propter peccatum orginale regno Cœlorum excludi, ut placet Durando; ſive quòd compărituri quidem in judicio, amiſſam tamen beatitudinem ſanctorum non ſint agnituri, ut fingit Thomas; ſive quod divinæ voluntati ſe ſint conformaturi, uti Suarezius, Vaſqueſius, Becanus ſomniant: alii denique felicitatem naturalem iis largiuntur, ut Franciſcani quidam in Concilio. Qui quidem Sophiſtarum conflictus incertitudinem & vanitatem dogmatis apertè prodit.

RESP. REDING: 1. *Diſtinguendum inter id, quod in Conciliis definitum eſt, & quod in Schola problematicè diſceptatur. In Concilio Florentino definitum eſt, parvulos ſine baptiſmo decedentes deſcendere in infernum, & ibi diſparibus pœnis puniri. In Tridentino, parvulos ſine baptiſmo ad vitam æternam non pervenire. In hoc omnes conſentiunt. Reliquus diſſenſus problematicus eſt. 2. Mea verò ſententia congruit cum ſententia Doctoris Angelici; nimirum, infantes ejuſmodi in judicio Dei ſiſtendos, judicandos verbis Chriſti Joh. III. 5. ob amiſſam beatitudinem triſtitia nulla afficiendos, quia nôrunt, libertate & voluntate propria beatitudinem amiſſam non eſſe: nullum in inferno dolorem concepturos, quia non ut damnes ibi erunt, nec locum iſtum, ut ſibi nocivum, apprehendent: imò ſuas delectationes recreationésque habebunt, & naturali cognitione ac dilectione lætabuntur: futuros denique impeccabiles. Neque tamen hæc naturalis beatitudo erit, quia hæc in puritate contemplationis, & perfectione dilectionis conſiſtit.* Ib. pag. 321. 322. Reſp. 1. Atqui nec Florentinum Concilium pœnam ſenſus removit, quia pœnarum diſparitas in diſparitate graduum pœnæ damni & ſenſus conſiſtere poteſt: & Tridentinum, Patercolorum diſſenſu territum, ita quidem definivit, vita æterna infantes non potituros, ut tamen pœnam ſenſus in inferno non removerit. Imò *qui non videbit vitam, ſuper eo manet ira Dei in æternum,* Joh III. 36. Non video igitur, quomodo Cadmæi fratres veſtri definitiva Conciliorum ſententia ſtent. Quin & *problematicè*, uti tu excuſas, diſſentientes plerique in Pelagianorum caſtra concedunt. quos nil ceſſans ob metum Eccleſiæ veſtræ definitio juvat. 2. Jam ergo hoc unum ſupererat, ut tu quoque tuæ de problemate iſthoc ſapientiæ participes nos redderes. Laudamus equidem, quòd immitis ſententiæ horrorem nonnihil mitigaveris. De cætero parum ſententia tua à Paradiſo Muhammedanorum deflectit, hoc uno fero diſcrepans, quòd cibi & potus illecebras definire ſuperſediſti: & ab hæreſi Pelagianorum ferè nihil differt. Nam quòd beatitudinem naturalem *puritate contemplationis*, & *perfectione dilectionis* definis, nôſſe certè debueras, utramque non in naturalem, ſed in ſupernaturalem beatitudinem cadere. Nam in cœleſti, non in terreſtri & naturali beatitudine *veniet τὸ τέλειον perfectum,* & *τὸ ἐκ μέρους, quod ex parte eſt abolebitur,* 1. Cor. XIII. 10. Tu verò triſtitiam inſuper & dolorem omnem removes, & delectationem, ac neſcio quæ *θελκτήρια* ſubſtituis. Quaſi ob jacturam Summi boni, extra quod nil niſi malum omne inceſſere poteſt; ſicut amoto Sole triſtis tenebrarum imago undique conſequitur; nec non fœditatem peccati tum in Adamo patrati, tum originalis etiam; tenebras inferni, & iram Numinis ob peccatum punientis, nec triſtandum omnino nec dolendum ſit. Egregias verò gemmas, quibus Theologiam

Digitized by Google

giam tuam Practicam deinceps variegare & illustrare poteris! Imò deliria putidissima omnium!

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Qui nulla ratione se glorificârunt, neque fuerunt in deliciis unquam, ii nullum merentur tormentum & luctum, juxta Apoc. XVIII. 7. At infantes sine baptismo decedentes se non glorificârunt, neque in deliciis fuerunt. Ergo.* Resp. 1. Hinc etiam inferas, infantes illos nulla omnino pœna afficiendos. 2. Locus allegatus est ἀπροσδιόνυσος, quia non agitur in eo de infantibus, sed de meretrice Babylonica: nec de futuræ, sed de præsentis vitæ pœnis. 3. Ad extremum hoc concludi potest, gradus futuros ejusdem speciei pœnarum, ita ut qui se glorificârunt & in deliciis fuerunt, summum tormentorum gradum, reliqui leviorem experturi sint, quod congruit cum Luc. XII. 47. 48.

EXCIP. REDING: *In loco Apocalypseos agitur quidem de Meretrice. Sed attendenda est ratio, quòd se non glorificantes, & non deliciantes torqueri non possint. At infantes se non glorificarunt, nec delicias sibi fecerunt ulla re.* Ib. pag. 322. 323. Resp. Imò vero ratio subjecta causam reddit excidii Babylonis, immani superbia efferatæ; non excidii cujusvis peccatoris. Neque enim planè consequens est, ut, si hic ob superbiam & lasciviam pœna sensus afficitur, alius ob alia peccata eadem sensus pœna affici non possit. Supponis igitur, quod probandum erat, originale peccatum pœnam sensus non mereri. Ad cætera etiam nihil respondere potuisti.

OBIECT. II. *Scriptura Esaj. LXVI. 24. Marc. IX. 44. conjungit ignem cum verme malæ conscientiæ his verbis:* Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. *Constat autem, parvulos nullam passuros pœnam ex morsu vermis, hoc est, ex conscientia mali operis animum pungente. Ergo credibile est etiam, nullam passuros ignis pœnam.* Resp. 1. Si maximè vermis malæ conscientiæ non omnes arrosurus esset, tamen ignis comburet omnes, juxta generalem sententiam Christi Matth. XXV. 41. *Ite in ignem æternum.* 2. Falsum est, peccatum originale, quod Paulus vocat καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν, nullum relinquere conscientiæ vermem & morsum. Si enim ejusmodi morsum efficiunt peccata actualia, quid nî efficiet peccatum omnibus actualibus gravius?

EXCIP. REDING: 1. *Matth. XXV. 41. 42. generalis sententia: Ite in ignem æternum, adversus eos, qui debita erga proximum charitatis, & Christum religionis officia propria voluntate neglexerunt, fertur. Quid hoc ad infantes?* 2. *Vermis ille conscientiæ remorsum, in peccati principium reflectentem importat. Talis remorsus in infantibus nullus est, quia non sunt principium peccati sibi inexistentis.* Ib. pag. 323. Resp. 1. Quid tam certum est, quòd sic non eludere: quid tam clarum, quod non obscurare hic homo pro suo ingenio possit? Nam certè filius hominis, judex futurus omnium, absque ulla exceptione, congregaturus v. 32. πάντα τὰ ἔθνη *omnes gentes*, sub quibus utique etiam infantes comprehen-

 duntur,

duntur; & constituturus ex iis ad sinistram hœdos,(quos inter etiam infantes refertis) in ignem æternum, sine ullo discrimine, relegaturus dicitur. Ubi verò ituros in æternum ignem eos duntaxat, qui officia ea propria voluntate neglexerunt, Christus dixit? Neglexerunt autem etiam infantes, originali peccato infecti, utpote qui neque habuerunt bona opera, neque sine peculiari gratia habituri erant. Docebit Te etiam hic rectiora Maldonatus vester, observans, *Christum hic unam speciem pro toto genere posuisse, sicut in exemplis facere consuevimus. Nec enim,* inquit, *omnibus, qui salvandi sunt, dicturus est; Esurivi enim, &c. Hoc enim exemplo tantùm docere voluit, se neminem temerè aut salvaturum, aut damnaturum esse, sed justissima de causa, eáque publicè & coram omnibus declarata, ut in forensibus sententiis fieri solet. Ergo & fideles & infantes omnes judicabuntur; sed illis, cur salventur aut damnentur, alia reddetur causa.* 2. Vermem veteres, Hieronymus & Procopius *in Esaj.* & Victor Antiochenus in Marcum simpliciter *conscientiam propriorum peccatorum, impuram, sceleratam,* non malorum duntaxat operum, explicant. Sed & remorsus in infantibus, reflectens & super corruptionem naturæ suæ, & super principium peccati in Adamo contracti, ac per generationem impuram propagati, ac nedum expiati, certissimus erit.

OBIECT. III. *Peccatum originis non tollit in homine ordinem naturalem, sed supernaturalem, conversionem videlicet ad Deum, per donum gratiæ supernaturalis. Æquum est igitur, ut pœna peccati orginalis sit privatio doni supernaturalis, qualis est carentia visionis Dei, non inflictio pœnæ sensibilis, quæ naturam ipsam lædit.* Resp. 1. Peccatum originale ut naturæ integræ destructio, sic ordinis naturalis ad Deum turbatio & privatio est, uti suo loco probatur. 2. Consequens & Scripturæ & experientiæ repugnat, cùm pœnæ peccati originalis sint morbi & mors ipsa, per quam quisquis naturam non lædi dixerit, soli meridiano obloquitur.

EXCIP. REDING: 1. *Originale peccatum directè & positivè ordinem naturalem ad Deum non turbat, sed indirectè & negativè tantùm minuit. Quippe non tollit, imò ne quidem minuit intrinsecè naturalem inclinationem ad bonum honestum, quæ naturæ rationali per modum proprietatis naturalis inest; sed tantùm auferendo frænum supernaturalis justitiæ, quo inordinati motus cohibebantur, promptitudinem ad boni honesti prosecutionem inhibet. 2. Proin etiam mors & ærumnæ temporales directè ex eo peccato non fluunt, utpote naturaliter homini ex pugna qualitatum accidentes; sed indirectè duntaxat, quatenus hominem justitia originali privant. Ib. 323. 324.* Resp. 1. Saltem ordinem supernaturalem, conversionem ad Deum, funditus tollit. Hoc autem majus graviúsque peccatum majori etiam graviorique, adeóque sensibili pœna piandum est. Tum ordinem etiam naturalem directè si non tollit, at labefactat multùm. Non tantùm enim à Deo aversus homo est, sed etiam in rebus naturalibus multipliciter perversus. Denique pœnæ à legislatore pendent. Itaque cùm de peccatorum suppliciis in Theologia agitur, non sophismatum aculeis pugnandum, sed Scripturæ authoritate standum. Atqui ea omnibus peccatis, nullo discrimine, pœnam sensus statuit. 2. Mortem & ærumnas temporales directè à peccato manare, supra astruximus.

OBIECT. IV.

Digitized by Google

OBIECT. IV. *In ſoro civili propter carentiam virtutum, habitualémque pravitatem ad vitia nemo puniri ſolet pœna poſitivâ & ſenſibili, ſed ſolùm propter culpam actualem. Ita non puniuntur ad furandum proni, ſed fures. Ergo nec in ſoro divino ob peccatum originale, quod non eſt niſi carentia juſtitiæ & culpa habitualis, quiſquam pœna poſitiva & ſenſibili punitur.* Reſp. 1. Eſt μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, à jure fori ad jus poli, à judicio humano ad judicium divinum. Non ſunt enim eædem cogitationes & viæ Dei & hominum, Eſaj LV. 8. 9. Et judicia Dei ſunt imperſcrutabilia, Rom. XI. 34. quippe in quibus eſſe abyſſum David Pſal. XXXVI. 34. teſtatur. Fori humani objectum eſt homo externus: Divini internus juxta atque externus. 2. Neque etiam peccatum originale eſt tantum carentia juſtitiæ ineſſe debitæ, ſed etiam horribilis deſtructio naturæ, & depravatio omnium animæ & corporis virium. 3. Si valet argumentum, peccatum originale nullam omnino pœnam merebitur. Cur igitur infantes affliguntur morbis, calamitatibus, morte, limbo?

Excip. Reding: *Licet diverſa ſint DEI & hominum judicia, poteſtas tamen judicativa hominum quædam Divinæ poteſtatis participatio eſt, & ad Divini judicii æquitatem reduci debet.* Ib. pag. 324. Reſp. Eſt utique hominum poteſtas judicialis à Deo participata; ſed reſpectu exterioris duntaxat hominis. Interiorem verò in foro Divino & conſcientiæ ſibi gubernandum, adeóque etiam, ſi deflectat, ſingulari modo puniendum reſervavit. Quod igitur apud homines iniquum eſt, apud Deum æquum eſſe poteſt. Ita ſi conſcientiam homo regere velit, iniquum ei erit, quod æquiſſimum Deo eſt. Communicavit enim Deus hominibus poteſtatem, ſed nec omnem, nec in quidvis exercendam. Alioquin eadem ratiocinatione tua, nullum eſſe apud Deum concupiſcentiæ ſupplicium, concludi poſſet.

OBIECT. V. *Sic Deus rigidiùs ageret cum infantibus, quàm damnatis dæmonibus. Quippe dæmones punivit æterno igne ob peccatum, quod ipſi perpetrârunt. At infantes eodem igne puniret ob peccatum, quod ipſi voluntate ſua non patrârunt.* Reſp. 1. Manet nihilominus latiſſimum diſcrimen, tum quia Deus totum genus Diabolorum abjecit, non verò hominum aut infantum: tum quia ad ſummum cruciatus & ignominiæ gradum Diabolos, at infantes hos ad mitiſſimum gradum ex ordine juſtitiæ ſuæ deſtinavit. 2. Quo ſenſu peccatum originale reſpectu infantum voluntarium & proprium ſit, alibi diximus.

Excip. Reding: 1. *Supra peccatum originale omnibus peccatis actualibus gravius eſſe pertenderas. Hic infantibus ob peccatum originale mitiſſimum pœnæ gradum decernis. 2. Effectuum diſcrimen etiam cauſarum diſcrimen arguit. Cùm igitur ob dæmonum peccatum univerſum dæmonum genus abjectum ſit; non item ob peccatum hominis univerſum genus humanum, diſcrimen in eſſentia, non accidentibus peccati utrorumque erit; neque aliud ſanè, quàm quòd dæmones voluntate propria ex pura malitia peccarunt; ſecus autem infantes. Unde ſubſtantialis pœnæ diſparitas ultro conſequitur.* Ib. p. 324. 325. Reſp. 1. Nugari

ubique in deliciis habes. Peccatum originale ubi actuali gravius eſſe pronuntiavi meritò, illud huic oppoſui, non utrumque conjunxi. Licet igitur veriſſimum ſit, originalem culpam actuali graviorem eſſe, utraque tamen conjuncta, uti in adultis ſolet, tàm gravis eſt, ut graviorem etiam pœnam, quàm originalis ſola infantum, utpote in actum non prorumpens, mereatur. 2. Peccatum Diabolicum cum humano comparans, cur deſinis in peccato infantum? Quæ hæc ἀβλεψία eſt? Cæterùm nec effectuum differentia differentes cauſas arguit, cum eadem cauſâ differentes effectus producere poſſit, (uti Deus eadem peccata diverſis modis, ceu ens liberimum, punire poteſt) nec ex eo, quòd hominibus nonnullis Deus pepercit, ſubſtantialis vel peccati vel pœnæ differentia probatur, quia pepercit hominibus quibusdam, & eorundem loco Chriſtum Sponſorem punivit.

SESSIO VI.

Digitized by Google

SESSIO VI.

Decretum de justificatione, Die 13. Januarii 1547.

Cum hoc tempore non sine multarum animarum jactura, & gravi Ecclesiæ unitatis detrimento, falsæ quædam disseminatæ sint de Justificatione opiniones, sacrosancta Synodus exponere intendit veram de ea doctrinam, quam Christus docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia Spiritu S. suggerente, perpetuò retinuit, districtius inhibens, ne audeat quisquam aliter credere aut docere, quàm præsenti decreto statuitur & declaratur.

Cap. 1. De naturæ & legis imbecillitate ad justificandos homines.

Primùm, ad Justificationis doctrinam probè & sincerè intelligendam, oportet ut unusquisque agnoscat & fateatur, omnes homines, perdita in prævaricatione Adæ innocentia factos immundos, & natura filios iræ, usque adeò servos fuisse peccati, & sub potestate diaboli ac mortis, ut non modò gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam literam legis Mosis inde liberari & surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset, viribus licet attenuatum & inclinatum.

Cap. 2. De dispensatione & mysterio adventus Christi.

Quo factum est, ut cœlestis Pater, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, Christum Jesum Filium suum, & ante legem, & legis tempore, multis sanctis Patribus declaratum ac promissum, cùm venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit, ut & Judæos, qui sub lege erant, redimeret, & gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris: non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Cap. 3. Qui per Christum justificantur?

Verùm etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam sicut reverà homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cùm ea propagatione, per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cùm ea renascentia, per meritum passionis ejus, gratia, qua justi fiunt, illis attribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos semper agere

agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.

Cap. 4. Insinuatur descriptio justificationis impii, & modus ejus in statu gratiæ.

Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, Salvatorem nostrum. Quæ quidem translatio, post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.

Cap. 5. De necessitate præparationis ad justificationem in adultis, & unde sit?

Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, quia nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest: neque tamen sine gratia Dei, movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris literis cùm dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus: Converte nos Domine ad te, & convertemur; Dei nos gratiâ præveniri confitemur.

Cap. 6. Modus præparationis.

Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud inprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: & tamen peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illúmque, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Denique proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit. Et, Confide fili, remittuntur

Digitized by Google

mittuntur tibi peccata tua. Et, Timor Domini expellit peccatum. Et, pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus S. Et, euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis, denique, Præparate corda vestra Domino.

Cap. 7. Quid sit justificatio impii, & quæ ejus causæ.

Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Hujus justificationis causæ sunt, finales quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna. Efficiens verò, misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat, signans & ungens promissionis Spiritu sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus, qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit. Instrumentalis item, Sacramentum baptismi, quod Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam justificatio contigit. Demum unica formalis causa est, Justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus; justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito, per Spiritum Sanctum, charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret: unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa, accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur per fidem, spem & charitatem. Nam fides nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam & otiosam esse: & in Jesu Christo, neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante baptismi Sacramentum, ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cùm petunt fidem, vitam æternam præstantem, quam sine spe & charitate fides præstare non potest. Unde & statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Itaque veram, & Christianam justitiam accipientes, eam seu primam stolam, pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam & imma-

Digitized by Google

immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, & habeant vitam æternam.

Cap. 8. Quomodo intelligatur, impium per fidem & gratis justificari.

Cùm verò Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scil. per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jam non non operibus, alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.

Cap. 9. Contra inanem hæreticorum fiduciam.

Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum, nemini tamen fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est, cùm apud hæreticos, & schismaticos possit esse, imò nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui verè justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminémque à peccatis absolvi, ac justificari, nisi eum, qui certò credat se absolutum & justificatum esse, atque hac sola fide, absolutionem & justificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, déque mortis, & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, déque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suámque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

Cap. 10. De acceptæ justificationis incremento.

Sic ergo justificati, & amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus crescunt, atque magis justificantur, sicut scriptum est: qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum: ne verearis usque ad mortem justificari. Et rursus: Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm. Hoc verò justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cùm orat: Da nobis Domine fidei, spei & charitatis augmentum.

Cap. 11.

Digitized by Google

Cap. 11. De obſervatione mandatorum, déque illius neceſſitate & poſſibilitate.

Nemo autem quantumvis juſtificatus, liberum ſe eſſe ab obſervatione mandatorum putare debet, nemo temeraria illa, & à patribus ſub anathemate probibita voce uti, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis. Cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve. Qui enim ſunt Filii Dei, Chriſtum diligunt, qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus: quod utique cum Divino auxilio præſtare poſſunt. Licet enim in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti. Nam juſtorum illa vox eſt, & humilis & verax: Dimitte nobis debita noſtra. Quo fit, ut juſti ipſi eò magis ſe obligatos ad ambulandum in via juſtitiæ ſentire debeant, quò liberati jam à peccato, ſervi autem facti Deo, ſobriè, juſtè & piè viventes, proficere poſſunt per Chriſtum Jeſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus námque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab illis priùs deſeratur. Itaque nemo in ſola fide ſibi blandiri debet, putans fide ſola ſe hæredem eſſe conſtitutum, hæreditatémque conſecuturum, etiamſi Chriſto non compatiatur, ut & conglorificetur. Nam & Chriſtus ipſe, ut inquit Apoſtolus, cùm eſſet Filius Dei, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Propterea Apoſtolus ipſe monet juſtificatos dicens: Neſcitis, quòd ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? ſic currite, ut comprehendatis. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. Item princeps Apoſtolorum Petrus: Satagite, inquit, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Hoc enim facientes, non peccabitis aliquando. Unde conſtat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adverſari, qui dicunt, juſtum in omni bono opere ſaltem venialiter peccare, aut, quod eſt intolerabilius, pœnas æternas mereri, atque etiam eos, qui ſtatuunt in omnibus operibus juſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc, ut inprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam, cùm ſcriptum ſit: Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem: Et de Moſe dicat Apoſtolus, quòd reſpiciebat in remunerationem.

Cap. 12. Prædeſtinationis temerariam præſumptionem cavendam eſſe.

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano Divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeò perſumere debet, ut certò ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero

prædestinatorum: quasi verum esset, quòd justificatus aut ampliùs peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

Cap. 13. De perseverantiæ munere.

Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere, nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmißimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Verum tamen, qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis, in castitate. Formidare enim debent, scientes quòd in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sunt, de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Cap. 14. De lapsis & eorum reparatione.

Qui verò ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cùm excitante Deo, per pœnitentiæ Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres aptè nuncupârunt. Etenim pro his, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus Sacramentum instituit pœnitentiæ, cùm dixit, accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Unde dicendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multò aliam esse à baptismali, eámque continere non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum: verùm etiam eorundem sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem, itémque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia: non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ ut sacræ literæ docent, non tota semper ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contristaverunt, & Templum Dei violare non sunt veriti. De qua pœnitentia scriptum est: Memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Et iterum: quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: & rursus, Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ.

Cap. 15.

Digitized by Google

Cap. 15. Quolibet peccato mortali amitti gratiam, sed non fidem.

Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divinæ legis doctrinam defendendo, quæ à Regno Dei non solùm infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterósque omnes, qui lethalia committunt peccata, à quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt, & pro quibus à gratia Christi separantur.

Cap. 16. De fructu justificationis, hoc est, de merito bonorum operum, déque ipsius meriti ratione.

Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundantes in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Et nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc enim est illa corona justitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositum sibi esse, ajebat Apostolus, à justo Judice sibi reddendam, & non solùm sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus. Cùm enim ille ipse Christus Jesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos, jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent, nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quò minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo facta sunt, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur, cùm Christus Salvator noster dicat: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Itaque neque propria nostra justitia, tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei. Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum.

Neque verò illud omittendum est, quòd licet bonis operibus in sacris literis usque adeò

deò tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum, & Apostolus testetur: Id quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis: absit tamen, ut Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam, & bonitatem, ita severitatem & judicium ante oculos habere debet: neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judicare: quoniam omnis hominum vita, non humano judicio examinanda & judicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo, qui, ut scriptum est, reddet unicuique secundum opera sua.

Post hanc Catholicam de justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmitérque receperit, justificari non poterit, placuit sanctæ Synodo hos canones subjungere, ut omnes sciant, non solùm quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.

CANONES.

1. Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Christum Jesum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.

2. Si quis dixerit, ad hoc solùm Divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo justè vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægrè tamen & difficulter possit, anathema sit.

3. Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.

4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quò ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, nec posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, meréque passivè se habere, anathema sit.

5. Si quis liberum hominis arbitrium, post Adami peccatum, amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Sathana invectum in ecclesiam, anathema sit.

6. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè & per se, adeò ut sit ejus proprium opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.

7. Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quantò vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema sit.

8. Si

Digitized by Google

8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad Dei miſericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit.*

9. *Si quis dixerit, ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe, eum ſuæ voluntatis motu præparari atque diſponi, anathema ſit.*

10. *Si quis dixerit, homines ſine Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit, juſtificari, aut per eam ipſam formaliter juſtos eſſe, anathema ſit.*

11. *Si quis dixerit, hominem juſtificari, vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, quâ juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei, anathema ſit.*

12. *Si quis dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quàm fiduciam divinæ miſericordiæ, peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe, quâ juſtificamur, anathema ſit.*

13. *Si quis dixerit, omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam, neceſſarium eſſe ut credat certò, & abſque ulla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa, anathema ſit.*

14. *Si quis dixerit, hominem à peccatis abſolvi & juſtificari certò credat, aut neminem verè eſſe juſtificatum, niſi qui credit ſe eſſe juſtificatum, & hac ſola fide abſolutionem & juſtificationem perfici, anathema ſit.*

15. *Si quis dixerit, hominem renatum & juſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe ex numero prædeſtinatorum, anathema ſit.*

16. *Si quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certò habiturum abſoluta & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, anathema ſit.*

17. *Si quis juſtificationis gratiam, non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem ſed gratiam non accipere, utpote divinâ poteſtate prædeſtinatos ad malum, anathema ſit.*

18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.*

19. *Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, anathema ſit.*

20. *Si quis hominem juſtificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei aut Eccleſiæ, ſed tantùm ad credendum, quaſi verò Evangelium ſit nuda, & abſoluta promiſſio vitæ æternæ, ſine conditione obſervationis mandatorum, anathema ſit.*

21. Si

Digitized by Google

21. *Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum esse, ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit.*

22. *Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, nec gratiam amittere, atque ideò eum, qui labitur & peccat, nunquam verè fuisse justificatum: aut contra, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine Maria tenet ecclesia, anathema sit.*

24. *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodò & signa esse justificationis adeptæ, non etiam ipsius augendæ causam, anathema sit.*

25. *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideò pœnas æternas mereri, tantùmque ob id non damnari, quia Deus ea opera bona non imputet ad damnationem, anathema sit.*

26. *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare & sperare æternam retributionem à Deo, per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & Divina mandata custodiendo, usque in finem perseveravit, anathema sit.*

27. *Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi & enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.*

28. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.*

29. *Si quis dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine sacramento pœnitentiæ, prout sancta Romana & universalis Ecclesia, à Christo Domino & ejus Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit & docuit, anathema sit.*

30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc seculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit, anathema sit.*

31. *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*

32. *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum, cujus membrum vivum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.*

33. Si

Digitized by Google

33. *Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de Justificatione, à sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloria Dei, vel meritis Jesu Christi Domini nostri derogari, & non potiùs veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Jesu Christi gloriam illustrari, anathema sit.*

Decretum de reformatione in eadem sexta sessione.

Cap. I.

Quia integritas Præsidentium salus est subditorum, monet sancta Synodus omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis quibuscunque quovis nomine ac titulo præfectos, ut attendentes sibi & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. Implere autem se non posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum manibus est requirendus à supremo judice, custodiæ minimè incumbant: cùm certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit. At verò quia nonnulli reperiuntur, qui propriæ salutis immemores, terrena cœlestibus præferentes, in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium solicitudine (ovili derelicto) occupantur, placuit antiquos Canones adversus non residentes promulgatos, innovare, & in hunc modum statuere atque sancire.

Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana seu Cathedrali ecclesia, sibi quocunque titulo, causa, nomine seu jure commissa, quacunque illa dignitate, gradu & præeminentia præfulgeat, (legitimo impedimento, seu justis & rationalibus causis cessantibus) sex mensibus continuis extra suam diœcesin morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ ecclesiæ & pauperibus loci, per superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrat. Quòd si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam, eo ipso amittat. Crescente verò contumacia, (ut severiori sacrorum canonum censuræ subjiciatur) Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum verò absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda, intra tres menses per literas seu nuntium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes (prout cujusque minor aut major contumacia exegerit) suæ supremæ sedis auctoritate animadvertere, & ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

Digitized by Google

Cap. 2.

Epiſcopi inferiores quævis beneficia eccleſiaſtica, perſonalem reſidentiam de jure ſine conſuetudine exigentia, in titulum ſive commendam obtinentes, ab eorum ordinariis (quemadmodum eis pro bono eccleſiarum regimine, & divini cultus augmento, locorum & perſonarum qualitate penſata, expediens videbitur) opportunis juris remediis reſidere cogantur, nullique privilegia ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragentur: Indulgentiis verò & diſpenſationibus temporalibus ex veris & rationalibus cauſis tantùm conceſſis, & coram ordinario loci legitimè probandis in ſuo robore permanſuris. Quibus caſibus nihilo minus officium ſit Epiſcoporum, tanquam in hac parte à ſede Apoſtolica delegatorum providere, & per deputationem idoneorum vicariorum, & congruæ portionis fructuum aſſignationem, curæ animarum nullatenus negligatur: nemini, quo ad hoc, privilegio ſeu exemptione quacunque ſuffragante.

Cap. 3.

Eccleſiarum Prælati, ad corrigendum ſubditorum exceſſus, prudenter & diligenter intendant, ut nemo clericus ſæcularis, vel cujusvis ordinis perſonalis, vel regularis extra monaſterium degens, etiam ſui ordinis privilegii prætextu tutus cenſeatur, quò minùs, ſi deliquerit, ab ordinario loci (tanquam ſuper hoc à ſede Apoſtolica delegato) ſecundum canonicas ſanctiones viſitari, puniri ac corrigi valeat.

Cap. 4.

Capitula Cathedralium & aliarum majorum eccleſiarum, illarúmque perſonæ, nullis exemptionibus, conſuetudinibus, ſententiis, juramentis, concordiis (quæ tantùm ſuos obligent auctores, non etiam ſucceſſores) tueri ſe poſſint, quò minùs à ſuis Epiſcopis & aliis majoribus Prælatis, per ſeipſos ſolos, vel illis, quibus ſibi videbitur adjunctis, juxta canonicas ſanctiones, toties quoties opus fuerit, viſitari, corrigi & emendari, etiam auctoritate Apoſtolica, poſſint & valeant.

Cap. 5.

Nulli Epiſcopo liceat cujusvis privilegii prætextu, Pontificialia in alterius diœceſi exercere, niſi de ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem ordinario ſubjectas tantùm. Si ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificialium, & ſic ordinati, ab executione ordinum, ſint ipſo jure ſuſpenſi.

Digitized by Google

HISTORIA SESSIONIS VI.

POst finitam Tridenti Sessionem V. Cardinalis Tridentinus à Cæsare missus, die 26. Junii Romæ fœdus inter Pontificem & Cæsarem adversus Protestantes pepigit. Papa fœderis illius causam verissimam præ se tulit, vindictam nimirum adversus hæreticos, Concilium adire negligentes. At Cæsar causâ Religionis dissimulatâ, fœderi huic prætextus obduxit merè politicos, quò Protestantes divideret, & paulatim omnes opprimeret. Quæ causa fuit, quòd Protestantes scripto in vulgus edito demonstrârunt, bellum hoc religionis causâ, quicquid obtendat Cæsar, geri, tum quia Granvellanus, aliique Cæsaris Ministri id non dissimulent: tum quia jam ante Elector Coloniensis ob solam religionis causam excommunicationis Pontificiæ notam subierit: tum quia Hispaniæ Proceres Ecclesiastici ingentem vim pecuniæ, aureorum nimirum millia quingenta, ex annuis Monasteriorum proventibus, in hoc bellum minimè collaturi essent, si alia foret quàm religionis causa. Dum hæc Cæsarem inter & Pontificem geruntur, & præter anathemata alia jam arma comparantur, die 18. Junii congregatio habita, in qua Pontificii legati de *Gratia* Dei & *justificatione*, at contra Cæsareani Legati de *Reformatione* potiùs tractandum esse contenderunt. Statutum, ut è Lutheri libris, apologiis, aliisque Evangelicorum scriptis articuli excerperentur, post discutiendi & censuræ subjiciendi. Atque huic rei designati sunt tres Patres, totidémque Theologi, qui scripta colligerent, & articulos ordinarent. In proxima congregatione constituta est materia Reformationis, ubi Cardinalis Montanus acriter conquestus est de Prælatorum & Pastorum à functionibus suis absentia, tanquam præsentissimo malorum ecclesiæ fundo. Hinc nempe in ecclesiam inundâsse hæreses, ignorantiam, luxum in populo, morum item corruptelam & tot vitia in clero. Ecclesiam enim navi non esse absimilem, quæ absente nauclero, cujus est eam gubernare, facilè submergitur. Huic autem morbo curando non aliud expeditius malagma excogitari posse, quàm si Residentia Episcoporum, & assiduitas in officio decernatur & imposterum fideliter custodiatur. Jacobus Cortesius Florentinus, Vasconensis Episcopus, collaudata superiori sententia, addidit, inutilem tamen futuram residentiam propter fratrum & quæstorum exemptiones & privilegia, quibus factum sit, ut Episcopis sive residentibus sive absentibus, illi pro lubitu prædicarent quidlibet. Pervulgatum esse, hæreses in Germania natas esse ex concionibus fratrum Johannis Tezelii, & Martini Lutheri, apud Helvetios F. Samsonis Mediolanensis. Fieri

Digitized by Google

non poſſe, ut Epiſcopus ad vitam honeſtè degendam Clerum adducat, cùm præter generalem Regularium omnium immunitatem ſingula capitula ſuas habeant exemptiones, paucique reperiantur ſacerdotes privati, ab hac armatura non muniti. Concludebat, neceſſariam equidem eſſe reſidentiam, ſed eam futuram inutilem, niſi ſimul de authoritate Epiſcopali reſtituenda in integrum cura ſuſcipiatur, & exemptiones conceſſæ, quæ reſidentiam impediant, tollantur. Secuti eam ſententiam ſunt Epiſcopi plerique, & fratres deſignati, qui in formam redigerent decretum de eo, poſtea examinandum. Interea qui articulis de juſtificatione colligendis deſtinati fuerant, controverterunt, utrum omnes Evangelicæ de juſtificatione doctrinæ articuli, an verò ſelectæ aliquot poſitiones, quatuor nimirum aut ſex articuli principales ex nova ea doctrina ſeligendi, iique ſoli damnandi ſint? Prior ſententia cùm obtinuiſſet, articuli 25. ſelecti, & magna Theologorum de iis diſſidentium contentione, uti in controverſiis ipſis monebimus, diſcuſſi ſunt. Eas Theologorum, quorum præcipui erant Ambroſius Catharinus & Dominicus Soto, altercationes varias non deerant, qui ſuffusâ frigidâ focillarent. Cæſareani quidem, ut eos impellerent ad controverſiam de juſtificatione decernendam; aulæ verò Romanæ ſtudioſi, ut Concilium abrumperent, atque ita reformationem, à qua ſibi valde metuebant, effugerent. Dum hæc Tridenti geruntur, Pontifex diplomate Jubilæo belli Germanici cauſam aperit, hæreſium nimirum extirpationem: Cæſar verò Saxonem & Landgravium Haſſiæ, uti hoſtes publicos, & læſæ Majeſtatis reos proſcribit, diſſimulata tamen conſtanter verâ belli causâ, religionis nimirum Evangelicæ perſecutione, quæ res ipſum etiam Pontificem non parùm offendit. Bellum illud Proteſtantibus ob æmulationem Ducum infauſtum fuit, ita tamen ſapienter omnia moderante Deo, ut ad extremum ipſimet hoſtes diu victores, pacem eccleſiæ indulgere coacti fuerint, quò ita conſtet, religionem non armis, ſed patientiâ & ſincero Evangelii præconio propagari. In congregatione 20. Auguſti habita, factâ & propoſitâ Canonum de juſtificatione formulâ, recruduerunt controverſiæ de certitudine gratiæ, de operibus moralibus infidelium, de merito congrui, de imputatione juſtitiæ, & de diſtinctione gratiæ ac charitatis. Tandem finis impoſitus diſputationibus acerrimis, & definitiones ſeu Canones authore Jacobo Corcirenſi conditi ſunt. Qua in re patres morem geſſerunt conſilio Epiſcopi Senogalenſis, ſuadentis, ut doctrina Pontificia à contraria ſegregaretur, & duo decreta fierent; unum, quo continua oratione ſenſus eccleſiæ exponeretur & firmaretur; alterum, quo damnaretur & anathemate percuteretur doctrina contraria. Cardinalis SanctIcrucius præcipuam navavit operam, ut decreta verbis conciperentur adeò ambiguis, ut utri-

Digitized by Google

utrique parti Theologorum diſſidentium ſatisfieret. Unde evenit ſtatim poſt illam Seſſionem, ut Dominicus Soto Dominicanus, & Andreas Vega Franciſcanus de natura & gratia oppoſitos ſibi mutuò libros ediderint, quorum uterque ad Concilium provocare, & ejus authoritate opiniones ſuas è diametro pugnantes tueri non dubitavit. In materia Reformationis non minor conflictatio fuit de Reſidentia, Dominicanis, præcipuè Bartholomæo Caranza, & Dominico Soto ſtrenuè aſſerentibus, obligationem ad reſidendum eſſe à Divino jure profectam, *tum quia Epiſcopi munus à Chriſto ſit inſtitutum, tanquam miniſterium & opus, adeóque actionem perſonalem requirat, quam abſens præſtare non poſſit, tum quia Chriſtus boni Paſtoris qualitates deſcribens dicat, eum ponere vitam pro grege, ovium nomina cognita habere, & gregi ſuo præire.* Contra Canoniſtæ & Præſules Itali contendebant, obligationem eam pendere à ſola lege eccleſiaſtica, *tum quia in veteri eccleſia nemo non reſidens hoc nomine corripiatur tanquam violator legis Divinæ, ſed tantùm Canonum: tum quia Timotheus Epiſcopus Epheſinus, mandato Pauli multum temporis longinquis profectionibus impenderit, tum quia Petro imperatum ſit, ut paſceret agnos, quod de omnibus accipiendum cùm ſit, ubique tamen terrarum adeſſe nequiverit.* Seorſim ſentiebat etiam Ambroſius Catharinus, Epiſcopatum nimirum à Chriſto inſtitutum unicum eſſe, qui in Papam confertur; reliquorum omnium inſtitutionem deberi Pontifici, qui ſicut quantitatem & numerum ovium paſcendi deſignet, ita modum paſcendi præſcribat. Eſſe igitur Papæ Epiſcopo cuilibet præfigere, per ſe ipſum, an per ſubſtitutum attendere gregi debeat, ſicut ejuſdem ſit multos aut paucos ei paſcendos aſſignare, aut poteſtate paſcendi omnino privare. Sed & Thomas Campegius aliam ingreſſus viam eſt. Dicebat enim, Epiſcopatum, teſte Hieronymo, à Chriſto inſtitutum eſſe, ſed Epiſcopatuum diviſionem poſtmodum ab eccleſia, Chriſtúmque Apoſtolis omnibus paſcendi curam commiſiſſe, ſed eos uni loco non alligâſſe, atque ipſas Apoſtolorum & diſcipulorum ejus actiones ſatis teſtari, aſſignationem hujus partis gregis uni, & illius alteri, inſtitutionem fuiſſe eccleſiaſticam. Decretum tandem 1. *Ut ad Archiepiſcopatus & Epiſcopatus digniſſimi quique promoveantur, atque illi munus ſuum ſumma fide ac integritate obeant, nec ei negocia ſecularia anteferant; ſecus ſi fecerint, in pœnas antiquis canonibus ſtatutas, pro delicti qualitate incurrant.* 2. *Ut inferiores Epiſcopi in eccleſiis ſuis reſideant, nec abſint ab iis ullius indulti obtentu, licet per diſpenſationes temporales abeſſe poſſint.* 3. *Ut eccleſiarum Prælati ſubditorum ſuorum exceſſus corrigant, & ab eorum cenſura nemo ſive clericus ſecularis, ſive alicujus ordinis regularis ſeſe eximat.* 4. *Ut capitula eccleſiarum majorum viſitationi & correctioni Epiſcoporum & Prælatorum ſubſint, nec contra eum ulla exceptiones deinceps valeant.* 5. *Ne ulli Epiſcopo liceat, cujuscunque etiam privilegii obtentu, Pontificia-*

lia in alterius diœceſi exercere, niſi de ordinarii loci licentia, & in perſonas eidem ordinario tantùm ſubjectu. Conſtitutis tum fidei tum Reformationis Decretis, ſucceſſit Seſſio ipſa die 13. Januarii M.D.XLVII. in qua ſacra peragente Andrea Cornaro, & concionem habente Thoma Stella Epiſcopo Salpenſi, utrumque Decretum prælectum fuit.

NOTÆ
Ad Hiſtoriam & Decretum Seſſionis VI.

P*Rimò* hiſtoria hujus Seſſionis liquidò teſtatur, quis Papæ fuerit θυμὸς ἐν στήθεσι, hic nempe, ut Proteſtantes, quos Verbi Divini gladio ſuperari poſſe deſperaverat, armis in ordinem redigeret. Huc ſpectavit fœdus cum Cæſare initum, & bellum apertum in Proteſtantes expeditum, quod religioſum eſſe palam profeſſus erat Papa Paulus III. nequicquam id diſſimulante Cæſare. Ita Antichriſtianum ingenium prodidit, qui Draconis inſtar leges machinatus eſt ſanguine ſcriptas. *Secundò* vix ullum ſive *Fidei* ſive *Reformationis* dogma propoſitum fuit, quin maximam pateretur Theologorum conflictantium contradictionem, cui non aliud remedium adhibuerunt ii, qui formandis Decretis admoti fuerunt, quàm verborum generalitatem talem, quæ cuilibet parti quamvis totis, quod ajunt, caſtris diſſidenti, ſatisfacere poſſet. Unde patet, Pontificiorum in graviſſimis dogmatibus, qualia hac Seſſione ventilata ſunt, conſenſum & unitatem, non in re, ſed in verbis generalibus conſiſtere. Id procedente noſtra controverſiarum circa hanc Seſſionem tractatione manifeſtiùs evadet. *Tertiò* acerrima illa Epiſcoporum de Reſidentia concertatio aperit nobis morbum eccleſiæ Pontificiæ, quem accurata diſſertatione nobis depingit Suave Polanus Lib. II pag. 192. 193. Qui locus eſt lectu digniſſimus. Oſtendit enim, abuſus horrendos & corruptelas obortas ex eo, quòd Epiſcopi non ipſi reſidentes apud gregem ſuum officium fecerint, ſed demandârint ſubſtitutis, cùm ipſi interea negotiis temporalibus impliciti, & voluptatibus dediti, nihil omnino pro Epiſcopis fecerunt, ſed ut loquitur Concilium capitulo I. de Reformatione, *in diverſis curiis vagati, aut in negociorum temporalium ſolicitudine, ovili derelicto, atque ovium ſibi commiſſarum cura neglecta ſe detinuerunt occupatos.* Evenit hinc, ut *ſicut olim in promotionibus eccleſiaſticis, conſiderata eccleſiæ neceſſitate inquirebatur aliquis huic muneri idoneus: ſic poſt ævo, conſiderata perſonæ qualitate, gradus aliquis quæſitus aut dignitas, aut beneficium, quod perſonæ conveniret, atque inde natus mos, opus aliquod aut miniſterium per ſubſtitutum exercendi.* Atque hanc corruptelam ſecuta eſt alia, nempe *ut exiſtimarent, ſe*

non

Digitized by Google

non modò liberos & immunes ab officio miniſtrandi, ſed ne teneri quidem adeſſe ei & opitulari ei,qui vicariam operam præſtabat. Ubi enim induſtria perſonæ non eligebatur ad opus, ſed dignitas & locus perſonæ conveniens, æquum non erat, ut perſona ea vel ad operandum per ſe, vel ad alium operantem juvandum aſtringeretur. Pontifices huic ut malo occurrerent, edicebant, ut præſules & curiones omnes, utcunque alios exercendo muneri ſuo ſubſtituerint, ipſi nihilo minus iis in locis adeſſe tenerentur, id quod *Reſidentiam* vocârunt. Sed ad id obligârunt ſolos Canonicos,cæteros autem clericos Sacerdotiis auctos non item, quos conſuetudini vel abuſui inveterato reliquerunt,ut ſibi magis addictiores eſſent. Hinc nata *pernicioſa & abominanda*, ut vocat Hiſtoricus, diſtinctio *beneficiorum reſidentiæ & non reſidentiæ.* Ad quam diſtinctionem obvelandam Canoniſtæ regulam illam, quâ diſtinctionis ejus vanitas convincitur, *beneficium omne dari propter officium*, ridiculè interpretati ſunt, *officium* nimirum exponentes preces horarias Breviarii, quaſi videlicet annua mille, imò decies mille & ſupra aureorum ſumma hoc ſolo nomine daretur, ut ſumpto in manum libro, paginæ aliquot ſubmiſſa voce, properante lingua legantur, nulla rei, ſed verborum duntaxat enuntiationis ratione habita. Edictum verò illud Pontificium januam duntaxat aperuit diſpenſationibus, per quas abuſus latiùs in orbem inundarent. Quàm verò frigide Concilium huic malo occurrerit,poſtea viderimus. Interea quàm fuerit eccleſiæ ante Reformationem ſtatus deplorandus,ſatis hinc eluceſcit. *Quartò* fidei Decreta in quæſtionibus ipſis ventilabimus. Id tamen non immeritò ſtupebant multi, quod una in ſeſſione tot fidei dogmata levi brachio tractata, à Patribus Concilii definita fuerint. Etenim omnia retro Concilia ſi in unum conferantur, vix tot fidei articulos determinârunt, quot in unica hac ſeſſione conſcripti Patres. Scholaſtico more pleraque concepta.In alienum ſenſum multa Proteſtantium dogmata per ignorantiam Patrum detorta. Sub titulo de juſtificatione præcipui articuli quaſi per ſaturam conjuncti, qui diviſi longè exactiùs ſcrutinium meruerunt. Sed prodiderunt, ſe res fidei ſuſpenſa manu tractare velle, & naturam juſtificationis ſolidè ignorare. Pro more etiam ſolito calumnias miſcent, quas faſtidioſè præteribimus. Confeſſiones noſtræ publicitus proſtant, omnibus obviæ & expoſitæ. *Quintò* Decretum Reformationis totum ludicrum fuit, & ad ſcenam ornandam inſtitutum. Etenim de munere Præſulum, emendatione cleri, juriſdictione eccleſiaſtica, muſſitando quædam ſtatuit, quæ mox iterum evertit. Primo Decreto ſancitum, ut Præſules, *legitimo impedimento ſeu juſtis & rationalibus cauſis ceſſantibus*, ſex menſes continuos extra diœceſin commorantes, jacturam quartæ

quartæ partis annui reditus ſui Epiſcopatus facerent, quæ fabricæ aut pauperibus tribueretur. Cujus decreti vanitas per ſe pateſcit. Cui bono enim Epiſcopus in ſua diœceſi commorabitur, ſi Evangelium non prædicet, & munus ſuum ipſe non exerceat? Id tamen injunctum Epiſcopis non eſt. Deinde pœna ſex menſes abſentibus indicta æquo levior eſt. Maximè cùm ex illius Decreti ſententia eam in pœnam incidere non poſſit, qui integro ſemeſtri non abfuerit, proinde ad eludendam pœnam ſatis ſit, ſi vel unum diem ſemeſtris illius in diœceſi ſua Epiſcopus commoratus fuerit. Adde quòd hoc Decretum legitimæ occupationis exceptionem habet. Unde nulli unquam prætextus ſui excuſandi deeſſe poterunt. Præterea Decreti hujus executio aliis demandata eſt Epiſcopis, quos veriſimile eſt nunquam inquiſituros in peccata ſociorum, quæ & ipſi non rarò in ſe admittunt. Accedit, quòd iidem de non reſidentia jubentur Pontificem certiorem facere. Quod ipſum quoque dicis cauſa ſancitum, cùm Pontifices per diſpenſationes quidvis indulgere ſoleant, uti hac ipſa in re experientia docet. Gravis eſt Canon Hieronymi, allegatus deſt. 36. C. ſi quis vult: *Debent indeſinenter eſſe in tabernaculo Domini Epiſcopi, ut aut à Deo aliquid diſcant, aut populum doceant, legendo ſcripturas Divinas, & ſæpius meditando.* Secundum Reformationis Decretum Epiſcopis poteſtatem dat, à reſidentiæ vinculo ſibi ſubditos Presbyteros aut Epiſcopos *veris & rationalibus de cauſis*, & ad tempus tantùm liberandi. Quo caſu jubentur Epiſcopi vicarios in abſentium locum ſufficere, iiſque honeſtam portionem reditus beneficii reſignare. Atqui priſci Canones ejuſmodi diſpenſationes adeò non probârunt, ut Epiſcopos, alióſque non reſidentes, incluſione in monaſterium, aut excommunicatione plexerint. Qui per tres tantùm ſeptimanas ab Eccleſia aberat, tres integros annos à communicatione ſacra excludebatur. Legibus etiam Juſtiniani, qui annum integrum ab Eccleſia ſua abfuiſſet Principis injuſſu, munere ſuo privabatur. Vide Novell. *6.* cap. 2. & *67.* cap. 3. Similis farinæ ſunt reliqua etiam Decreta, quibus Epiſcopo jus datur viſitandi, corrigendi & emendandi Clericos ſeculares, nec non regulares, & Capitula Cathedralium aliarúmque majorum eccleſiarum, illarúmque perſonas. Hæc enim Decreta ſummæ & architectonicæ poteſtati civili repugnant, penes quam ſolam poteſtas eſt ex jure divino puniendi omnium ſubditorum, adeóque etiam eccleſiaſticorum delicta. Quæ cauſa eſt, quòd ipſi etiam Galliarum Reges contra ea Decreta privilegiis ſuis obſtantia proteſtati fuerint. Et Canonum veterum ſanctionibus Epiſcopi ſententias, quæ ſanguinis pœnam irrogent, ferre prohibentur, uti patet ex Concil. Tolet. 4. cap. 30. &c. Sed his miſſis nunc ad quæſtiones Theologicas veniemus.

QUÆSTIO I.

Digitized by Google

QUÆSTIO I.

An liberum arbitrium à gratia præventum, motum & excitatum, Deo excitanti & vocanti assentiendo ità cooperari possit, ut ad gratiam Justificationis obtinendam se disponat ac præparet?

AFfirmat Synodus Capitulo V. & Canone IV. Gratiam autem prævenientem, moventem & excitantem eam esse docet cap. 5. *cùm Deus tangit cor hominis per Spiritus S. illuminationem.* Eum autim tactum cordis intelligit minimè potentem, vincentem, sed ab arbitrio humano superabilem, quando subjicit, *per liberum arbitrium inspirationem Spiritus S. posse abjici.* Planè sicut Scholastici plerique, teste Jansonio *de Gratia Christi*, Lib. VI. 12. gratiam prævenientem definiunt indeliberatos intellectus & voluntatis motus, quibus potentia voluntatis quasi dormiens excitetur, ut in actum surgat. Talibus enim Divinis motibus asserunt voluntatem molliri & allici, ut iis consentiendo liberè velit, consentiat, atque operetur supernaturaliter bonum. Cooperationem intelligit propriè dictam, *activam* nempe, non *receptivam.* Per gratiam justificationis intelligit *vitæ spiritualis initium*, non *continuatos actus.* Denique dispositionem & præparationem agnoscit *formalem*, uti vocant, quæ gratiam expetit obviantem & prævenientem, se ei applicat, & assentiendo cooperatur, non *sine qua non*, quomodo & nos actus præcedaneos conversionem præcurrentes agnoscimus. Hoc sensu quæstionem planissimè negamus, asserimúsque, nullum omnino in homine irregenito esse liberum arbitrium, quod à gratia tali præventum & excitatum cooperari, & se ad initium conversionis disponere possit. Etenim

ARG. I. Peccatum originis in nondum regenitis plenè regnat & dominatur, hominémque secundum corpus & animam in deterius commutavit, uti fatetur Synodus Sess. V. Can. I. Hoc autem non patitur arbitrii cooperationem ante vitam spiritualem recuperatam, quæ carnis impetum retundat.

Digitized by Google

RESP. REDING: 1. *Duplex honeſtatis linea eſt, una naturalis, ſupernaturalis altera. Peccatum originale ſi quam liberi arbitrii cooperationem, tollit, eam tollit, quæ eſt ad ſupernaturalem, non quæ eſt ad naturalem pietatem & honeſtatem, S. Paulo Rom. II. 14. & S. Auguſtino lib. de Spir. cap. 18. teſtibus. 2. Porro ultra vires moraliter bene intra honeſtatis naturalis lineam operandi neceſſaria eſt gratia, non quidem ſpecialis illa, ſed generalis, adjutorium ſcilicet Dei indebitum naturæ hominis, quod in Chriſtum, qua reſtauratorem naturæ, ejúſque adeò ſpecialem gratiam aliquatenus reducitur, quia niſi per eum nihil beneficii etiam naturalis ad hominem redundat, & quodvis peccatum actuale, mortale inprimis, non tantùm ſupernaturali ad gratiam elevationi, ſed naturali etiam honeſtati ita adverſatur, ut niſi illud per Chriſtum remittatur, Deus efficax ad facienda ea, quæ naturaliter honeſta ſunt, adjutorium impertiri non poſſit. 3. Si peccati originalis dominium non tollit cooperationem arbitrii in ordine ad peccata actualia, non tollet etiam in ordine ad opera bona. S. Paulus enim Rom. II. 15. homini etiam irregenito tribuit cogitationes non accuſantes duntaxat, ſed defendentes etiam. 4. Saltem antecedenter ad vitæ ſpiritualis recuperationem in homine irregenito datur adjutorium gratiæ ad ſupernaturaliter operandum, quia ad juſtificationem actus fidei, ad remiſſionem peccatorum actus ſpei & fiduciæ requiritur. qui actus ab homine eliciti ſunt, cooperante gratiæ adjutorio.* Tract. IV. Sect. II. pag. 368--370. Reſp Planè, Redingi, extra oleas vagaris. Etenim 1. quæſtio noſtra non agit de linea honeſtatis & pietatis naturalis, ſed de libera diſpoſitione hominis ad obtinendam juſtificationis gratiam. Et quam tu ſive honeſtatem, ſive pietatem naturalem vocas, talis eſſe poteſt ſecundùm ſubſtantiam operis externi, non ſecundùm omnia principia, cauſas & circumſtantias; neque à providentia & determinatione Divina independens. Neque aliud ſibi S. Pauli & S. Auguſtini verba volunt. 2. Quicquid verò homo irregenitus ita honeſtè & piè operatur, illud omne gratiæ Divinæ, etiam gentes dirigenti & coërcenti, Pſal. XCIV. 10. non naturæ acceptum referat, oportet. Aliàs figmentum cogitationum cordis ejus רק רע *tantùm malum* eſſe, Spiritus Dei, Geneſ. VI. 6. teſtatur. Atque illa ipſa Dei gratia in ſpecialem Chriſti gratiam eatenus reducitur, quatenus ex ſponſione & merito ejus pro ſolis electis varia etiam longanimitatis Divinæ beneficia ad reprobos redundant. Nam mors Chriſti & victimæ & impendii, diverſo modo, & erga diverſos habere poteſt. Quòd verò peccata actualia mortalia irregenitis per Chriſti gratiam remitti, ut adjutorio Dei locus eſſe poſſit, pertendis, Pelagianam hæreſin planè reſipit. Neque enim ulli irregenito, quâ tali, ullum peccatum remittitur, tum quia ira Dei manet ſuper omnibus, qui Filio Dei per veram fidem non obediunt, Joh III. 36. tum quia impiorum peccata omnia in ipſiſmet puniuntur. Puniri autem in eodem peccata, & remitti, ἀσύστατα ſunt. 3. Diſpar planè ratio eſt arbitrii cooperantis ad bona & mala. Neque enim ſi arbor mala fructus malos ferre poteſt, etiam bonos poteſt: vel qui æthiops nigram pellem habet, albam etiam habere; qui pardus maculas habere, iiſdem carere pro lubitu poteſt. Cogitationes verò defendentes, quas gentibus Rom. II. 15. Scriptura tribuit, neutiquam arguunt, vel opera, quæ defendi poſſunt, à natura potiùs corrupta, quam à generali Dei gratia proficiſci: vel dari in regenito actus liberos ad juſtificationis gratiam diſponentes. 4. Denique actus ſpei & charitatis juſtificatione poſteriores eſſe, Scriptura Rom. V. 1--6. manifeſtè docet. Fides verò neutiquam actus liber eſt ad juſtificationem diſponens; ſed tum donum Dei, Phil. II. 29. tum organon unicum, qua juſtitia Chriſti oblata recipitur, Joh. I. 12.

ARG. II.

ARG. II. Naturam hominis penitus corruptam eſſe, teſtatur etiam & quidem validiùs Scriptura, Joh. III. 6. Epheſ. II. 3. ubi docet, hominem irregenitum nihil eſſe niſi *carnem* & *filium iræ*. Talis autem quomodo cooperari gratiæ, vel ſe ad converſionem ipſam diſponere poteſt?

Resp. Reding: *1. Num anima tua ita corrupta eſt, ut ſubſtantialiter non ſit ſpiritualis, ſed beſtialis? Si manet in te ſpiritus, non igitur homo irregenitus non eſt niſi caro. Et qui filius iræ eſt, homo eſſe ſecundùm ſubſtantiam non deſinit. 2. Deus igitur in hominis irregeniti intellectu & voluntate tale gratiæ adjutorium producere poteſt, ut ſupernaturales fidei ſpei, & pœnitentiæ actus elicere poſſint.* Ib. pag. 370. 371. Reſp. 1. Ludis, & Scripturæ ipſi illudis. Peccatum ita naturam hominis corrupit, ut ſubſtantiam quidem non ſuſtulerit; ſed intellectum tamen & voluntatem, in ſua ſubſtantia manentem licet, à Deo ad Diabolum, à bono ad malum penitus detorſerit, perinde ac ſi, quoad bonum ſpirituale, ne quidem eſſet. Unde paſſim homini mortuo comparatur, & regenerandus, de novo creandus ſtatuitur. Si proin eo ſenſu animam tuam irregenitam adhuc beſtialem potiùs quàm ſpiritualem dixero, nihil equidem à Scripturæ ſtylo abluſero. Nam homo ביקר qui in mundo *honoratus* eſt, ולא יבין & *non intelligit* ea, quæ Spiritus Dei ſunt, quorum in numero tu es, נמשל כבהמות נדמו *ſimilis eſt beſtiis, quæ intereunt*, Pſal. XLIX. 21. Quid verò ſit ex *carne gigni, & carnem eſſe*; quid *ex ſpiritu gigni*, & *ſpiritum eſſe* Joh. III. 6. tu quidem ignoras, qui ſpiritum & carnem non Theologicè, ſed phyſicè duntaxat conſideras. planè præter Spiritus S. mentem, qui carnem & Spiritum ſic opponit, ut ſimul carnem & ſpiritum quempiam eſſe poſſe, neget. Nam ut ſpiritus ſis, nova generatione opus eſſe innuit, diſtincta ab ea, qua homo corpore & anima conſtans gignitur. Caro igitur figuratè hominem irregenitum, ſpiritus regenitum notat. Qui igitur ſic caro eſt, ante regenerationem ex ſpiritu, nil ſpirituale, ſed carnalia omnia ſapit. Et quomodo talis liberè ſe ad gratiam diſponit? 2. Quid Deus in homine irregenito producere poſſit, non quæritur: ſed quid producere velit. Vult autem ſic in eo gratiæ adjutorium producere, ut producendo regeneret, & regenitus demum actus fidei, ſpei & pœnitentiæ eliciat.

ARG. III. Impotentia hominis naturalis & irregeniti per ea emblemata adumbratur, quæ ſatis evincunt, hominem ſe merè paſſivè habere, *ut pueri recens nati omni ope deſtituti*, Ezech. XVI. 4. 5 6. *mortui*, Epheſ. II. 1. 2. 5. Joh. V. 17. Porro qui talis eſt, per nullam gratiam præveniri poteſt ad cooperandum, priuſquam ſpiritualis vita reſtituta fuerit.

Resp. Reding: 1. *In homine tamen ita mortuo remanent vires intellectus & voluntatis, non ex ſe ipſis quidem potentes, ſed virtute Dei elevabiles ad fidei, ſpei & charitatis actus juſtificationi prævios. 2. Aliud tamen eſt gratia Dei ſanctificans, aliud adjuvans. Hæc, non illa in homine irregenito locum habet.* Ib pag. 371 372. Reſp. 1. Quomodo mortuus eſt, in quo ſunt vires per Dei gratiam ad eliciendos fidei, ſpei & charitatis actus? Hæc certè ἀσύστατα ſunt. Qui per gratiam & omnipotentiam Dei vitales actus edit, is vivit utique, non mortuus ampliùs eſt. Neque vivere & regenerari niſi per Dei gratiam & omnipotentiam poteſt. Fruſtra etiam ſpei & charitatis actus juſtificationi præponis, quos poſtponendos eſſe, Apoſtolus Rom. IV. 5. V. 1-6. docet. 2. Gratia efficiens, ut ſequantur

actus fidei, ſpei & charitatis, nec in homine irregenito eſt, & ſanctificans eſt. Ita regenitum adjuvat, ut ſanctificet, ita ſanctificat ut adjuvet. Tu verò regenerationis & ſalutis ordinem planè pervertis.

ARG. IV. Scriptura eadem voluntati noſtræ poſt lapſum omnia detrahit, & gratiæ quicquid obvenit boni, in ſolidum adſcribit, Geneſ. VI. 5. 1.Cor.II.14. Joh.XV.16. Rom.IX.16. 1.Cor.IV.7. Phil.I.29.II.13. quibus locis aſſeritur, omne figmentum hominis tantùm malum eſſe; animalem hominem non percipere ea, quæ ſunt Spiritus Dei; non nos Chriſtum elegiſſe, ſed à Chriſto electos eſſe; non eſſe volentis vel currentis, ſed miſerentis Dei; non nos diſcreviſſe noſmetipſos; non ſolùm *poſſe credere*, ſed ipſum *credere* eſſe donum Dei. Quæ omnia falſa erunt, ſi libero arbitrio cooperamur noſtræ converſioni.

RESP. REDING: *Ita gratiæ Divinæ, quicquid in nobis boni eſt, acceptum nos refferimus, ut verè tamen ſimus ipſi & volentes & liberè cooperantes.* Ib. pag. 373. Reſp. 1. Bene, quòd gratiæ Divinæ bona omnia accepta refers. Sic enim arbitrium liberum ipſemet funditus perimis; ac ſimul primipilis Scholæ veſtræ, inprimis Bieli, Scoto, Occamo, Durando, Valentiæ, aliis, quorum κυρίαι δόξαι ſunt, *poſſe hominem ex puris naturalibus Deum diligere ſuper omnia; poſſe ſolis naturæ viribus omnia præcepta moralia quoad ſubſtantiam ſervare; poſſe bono motu in Deum ex arbitrii libertate elicito primam gratiam ex congruo mereri*; quos proin de libero arbitrio liberiùs quàm par ſit, ſentire, ipſe Bellarminus *de Grat. & lib. Arb. V.* 4. ſcribit, contradicis; vel ſaltem contradicere videri vis. 2. In ſtatu porro peccati nec voluntas, nec vel operatio, vel cooperatio bona ulla eſt, quod loca citata, ad quæ nihil reſpondes, evincunt. Gratia porro ea, qua mota voluntas cooperatur, ipſa regenerans gratia & vitæ ſpiritualis principium eſt. Atque illa, non ut cooperemur regenerationi, efficit, ſed ut regeniti ſub Deo ejúſque gratia operemur. Nam *ſi ex gratia eſt, non ex operibus eſt, quia ſic gratia non ampliùs gratia erit*, Rom. XI. 6.

ARG. V. Converſio peccatoris in ſacris venit nomine *creationis*, Pſal. LI. 8. Ezech. XXXVI. 27. *regenerationis*, Joh. III. 3. ſ. *ſuſcitationis* è mortuis & *vivificationis*, Epheſ. II. 5. 6. *potentis inſitionis*, Rom. XI. 23. 24. Atqui ad creationem, generationem, vivificationem è mortuis, inſitionem, is, qui creatur, generatur, vivificatur, inſertur, cooperari, vel ad eam ſe diſponere æquè non poteſt, atque naturaliter non exiſtens ſuæ creationi vel generationi, mortuus ſuæ vivificationi cooperari, vel ad eam ſe diſponere non poteſt.

RESP. REDING: 1. *Creatio, regeneratio, vivificatio eſt in genere non naturalis exiſtentiæ, ſed ſupernaturalis vitæ, quæ vitam naturalem ſupponit. in qua ipſa eſt principium vitæ ſupernaturalis, quod ad ſupernaturales operationes fidei, charitatis, pœnitentiæ, juſtificationi prævios, elevatur. 2. Alias S. Paulus Epheſ. II.* 10. *fideles vocat facturam Dei, creatos in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Si ambulamus in operibus bonis, iisdem utique cooperamur. Ergo creatio in iis etiam operibus, quibus cooperamur, locum habet.* Ib. pag. 372. Reſp. 1. Creatio nova, regeneratio, vivificatio ſpiritualis

Digitized by Google

tualis utique in homine vitam naturalem ſupponit, ſed ad bonum ſpirituale uſque adeò impotentem, ut ejus poteſtas non ulla ratione activa, ſed merè paſſiva & receptiva ſit, perinde ac cadaveris poteſtas ad ſui vivificationem merè paſſiva eſt. In hoc enim tertio, non in reliquis omnibus ſimilitudo conſiſtit. Nam quòd in naturali vita principium vitæ ſupernaturalis collocas, ſi activum illud intelligis (uti & verba, & theſis tua poſtulant) nimiùm certè abſurdus es. Vel enim irregenitus principium tale ex ſe ipſo, vel ex vi per gratiam accepta habet. Si prius, vicit Pelagius. Si poſterius, vel vis illa per gratiam accepta eſt vitalis, vel non vitalis. Si *vitalis*, vivit igitur irregenitus, priuſquam vivificetur & regeneretur. Per quod enim ante vivificationem ſui cooperatur, id ante ſui vivificationem habet. Si *non vitalis*, quomodo ea ad ſui vivificationem cooperatur? Et vim illam cooperandi non vitalem an per ſuam cooperationem, an ſine ea accipit? Si prius, ergo antequam vim illam acciperet, aliam vim cooperandi habuit. Illam verò aut à ſe habuit, aut aliunde. Si à ſe, non igitur à gratia. Si à gratia, recurrit quæſtio, an per ſuam cooperationem, an ſine ea? Si nonniſi per ſuam cooperationem, vim igitur habet operandi, priùs quàm vivat. At vita prior eſt, cùm ſit principium motus. Si ſine ſua cooperatione, ergo primæ ſuæ vivificationi non cooperatur. Ea quippe cooperandi vim accipit. 2. Non irregeniti, de quorum libero ad bonum arbitrio quæſtio eſt, ſed regeniti ſunt Eph. II. 10. *ποίημα opus Dei*, nova creatione ſeu regeneratione productum, *conditi in Chriſto Jeſu, ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς propter bona opera*, vel *ad bona opera* (non per bona opera, ſeu cooperationem eorum ullam) *quæ præparavit Deus*, (non homo ulla *συνεργίᾳ* ſua) *ut in iis* (nempe jam, facti, conditi, regeniti, non faciendi, condendi, regenerandi) *ambulemus*. His verbis, quibus malè conſultus tu liberum irregenitorum arbitrium ſtabilire niteris, illud ipſum, velut gladio quodam percellitur. Etenim ſi conditi, facti ſumus, ut ambulemus in bonis operibus, & Deus bona opera ſic in nobis præparavit, non igitur regenerationi noſtræ per bona opera liberè patrata cooperamur. Qui naſcitur ut ambulet, non priùs ambulavit, quàm naſceretur.

ARG. VI. Actus liberi arbitrii cooperantis & ſeſe diſponentis ſunt vel naturales vel ſupernaturales. Si naturales, præveniente & movente gratia non indigent, quia ante omnem gratiam illi nobis competunt. Addo, naturales eſſe non poſſe, cùm verſentur circa objectum ſupernaturale, quod natura corrupta hominis attingere non poteſt. Si ſupernaturales, utique jam homo converſus erit, quia actus ſupernaturales manare aliunde non poſſunt, quàm à ſupernaturali principio, quod eſt vita ſpiritualis.

Resp. Reding: 1. *Actus bonos ordinis naturalis non diſponere nos ad juſtificationem, fatemur ultro.* 2. *Interim iidem gratia præveniente & movente indigent, quia ad omne opus bonum ordinis etiam naturalis gratia generalis per Chriſtum conferenda requiritur; quinimo ad excellentiores ordinis naturalis actus morales, qualis eſt dilectio Dei ſuper omnia virtualiter ſaltem appretiativa, tale Dei adjutorium exigitur, ut in ſtatu naturæ corruptæ rationem gratiæ ſpecialis habeat.* 3. *Falſum inſuper eſt, vitam ſpiritualem in juſtificatione ſubſiſtentem eſſe unicum actuum ſupernaturalium principium; tum quia etiam fideles V. T. quibus forma juſtificans, puta juxta vos Chriſti juſtitia imputata, nulla competebat, principium actuum ſupernaturalium habuerunt: tum quia principium actuum ſupernaturalium*

Digitized by Google

ralium eſſe debet intrinſecum, cùm juſtitia Chriſti imputata ſit merè extrinſeca. Intrinſecum porro principium eſt virtus tum habitualis ac permanens, habitus una cum gratia ſanctificante infuſus; tum actualis & tranſiens, gratiæ adjutorium antecedenter ad gratiæ ſanctificantis infuſionem collatum. 4. Æquivocatione illudis, dicens, hominem actum ſupernaturalem elicientem eo ipſo converſum fore. Duplex enim converſio eſt, perfecta & conſummata, formaliter in gratia juſtificante: & inchoata ac diſpoſitiva, in actibus fidei, ſpei, pænitentiæ ad juſtificationem præviis conſiſtens. Converſus eſt actum talem eliciens, poſteriore, non priore modo. Id. pag. 373.-377. Reſp. 1. Actus liberi arbitrii naturales non diſponere ad juſtificationem, licet tu fatearis, repugnantes tamen Scholæ veſtræ doctores ſupra nominatos percelebres habes. quod ipſe conflictus tuus, & rationum, quas diſſentientibus opponis, pondus prodit. Interim hac quidem in re zelum tuum laudo. 2. Gratia præveniens & movens non actus liberi arbitrii naturales ad diſpoſitionem illam provehit, ſed actu regenerat, donata fide juſtificat, infuſis novis habitibus ſanctificat. Ex morte enim ſpirituali ad vitam, qualis ſine regeneratione, juſtificatione, ſanctificatione nulla contingit. promovet, & arbitrium peccato amiſſum reſtituit. Dilectio igitur Dei ſuper omnia homini irregenito tam non competit, quàm non vita ſpiritualis. An enim arbor mala bonos fructus ferre, qui ex Deo natus non eſt, adeóque filius adhuc iræ Dei, & ſerpentis ſemen eſt, Deum diligere, & quidem ſuper omnia poteſt? Naturæ corruptæ & gratiæ ſtatum manifeſtè ſic confundis. 3. Vitam ſpiritualem in ſola juſtificatione nuſpiam ego conſtitui. Sine juſtificatione tamen vita ſpiritualis nulla conſtat, quia nondum juſtificatus, à peccato & damnatione nondum abſolutus, in peccato mortuus eſt. Neque enim ſine Chriſto & ejus juſtitia per fidem imputata, adeóque juſtificationis dono homo ſpiritualiter vivit. Quæ de fidelibus ante Chriſtum objicis, frivola planè ſunt Chriſti enim gratia æquè atque nos ſalvatos eos eſſe, Scriptura Act. XV. 11. Hebr. XIII. 8. teſtificatur. Sicut Abrahamo, ita credentibus omnibus fides ad juſtitiam imputata eſt, Geneſ. XV. 6. Rom. IV. 23. 24. Solutio futura vera fide apprehenſa quoad rem id in Patribus præſtitit, quòd in nobis præterita præſtat. Neque etiam vel juſtitia Chriſti, utpote fide apprehenſa, donata, imputata, extrinſeca nobis cenſeri poteſt: vel intrinſecum vitæ ſpiritualis principium, qualecunque illud ſtatuitur, cuiquam irregenito, citra manifeſtam in terminis contradictionem, tribui poteſt. 4. Denique nec perfecta & conſummata converſio ulla in hac vita contingit, teſte Apoſtolo, 1. Cor. XIII. 9. 10. nec imperfecta ulla & diſpoſitiva vitæ ſpiritualis principium antevertit. Quomodo enim vel in peccato mortuus à Sathana ad Deum ſe convertere: vel gratia movens, præveniens, excitans in morte peccati vel ad momentum relinquere poteſt? Næ, Redingi, chimæras meras loqueris.

ARG. VII. Converſio & regeneratio hominis eſt opus infinitæ virtutis, ſeu omnipotentiæ Divinæ, tum quia eſt nova creatio, 2. Cor. V. 17. tum quia perficitur ea vi & ἐνεργείᾳ, quâ Chriſtus ipſe à mortuis ſuſcitatus eſt, Epheſ. I. 19. 20. Coloſſ. II. 12. 13. Atqui ad opus infinitæ virtutis & omnipotentiæ Divinæ voluntas humana cooperari nullo modo poteſt.

RESP. REDING: 1. *Miraculoſis operibus Dei, quæ infinitæ ſemper potentiæ ſunt, numquid non cooperati ſunt homines, humanitas inprimis Chriſti? 2. S. Paulus Epheſ. I. 17. ait, nos credere ſecundum potentiam virtutis, quam Deus operatus eſt in Chriſto. An ergo in actu* credendi,

Digitized by Google

credendi, qui ex potentia Divinæ virtutis procedit, Deo non cooperamur? 3. Idem S. Paulus Coloſſ. II. 12. ſcribit, nos reſurgere per fidem operationis Dei, qua Chriſtum à mortuis ſuſcitavit. Quomodo ergo operi Divino, quod infinitæ virtutis eſt, non cooperatur homo? Ib. pag 378. Reſp. 1. In patrandis miraculis concurrere potuerunt, poſſuntque homines, ſed nulla *συνεργία* propriè dicta, operatione cauſali, ſed merè ſymbolica. Sunt enim in iis homines, eorúmque verba, facta & geſtus non cauſæ miraculi in effectum influentes; ſed ſymbola, ad quorum præſentiam Deus ſolus miraculum patrat. Neque enim finita virtus ad productionem infiniti effectus concurrere poteſt. 2. Epheſ. I. 19. (non 17.) credere dicimur juxta efficaciam fortiſſimi roboris, quod exeruit Deus in Chriſto, reſuſcitando videlicet ex morte ſpirituali. Hæc reſuſcitatio, infinitæ virtutis opus, non habet ſimul exiſtentem & cooperantem fidem hominis, ſed eam potiùs, ceu effectum, poſt ſe trahit. Credimus jam ſuſcitati; non per fidem ſuſcitationi cooperamur. Loquitur enim Apoſtolus de excellente magnitudine potentiæ Dei erga ſe aliósque, qui jam regeniti, non regenerandi demum, adeóque per fidem cooperantes, credunt: & fidem ipſam ab opere regenerationis, quod cum reſuſcitatione Chriſti ex morte comparat, arceſſit. 3. Neque Coloſſ. II. 12. cooperatio ulla liberi arbitrii cum ſuſcitatione Divina ex mortuis mediante fide innuitur, ſed vera fide ita communionem nos habere cum Chriſto ex morte corporis ſuſcitato, ut cum eodem ex morte ipſi quoque quandoqúe vivificandi ſimus, aſſeritur. Certè Deum nos *νεκρὺς ὄντας cùm mortui eſſemus in peccatis*, una cum Chriſto vivificaſſe, ibidem v. 13. Apoſtolus dicit. Omnis vivificatio Deo in ſolidum accepta fertur, & hominis, utpote in peccato mortui, arbitrio abjudicatur.

ARG. VIII. Abſurda multa comitantur theſin adverſariorum, quæ arte nulla eludi poſſunt. Etenim ſi gratiâ utcunque operante, cooperatur arbitrium, plus tribuetur homini quàm Deo; quia Deus movebit, homo parebit, nemo verò in eo quòd movetur, ſed quòd paret, bonus eſt: omne diſcrimen filiorum Dei & filiorum ſeculi erit à natura non à gratia, quia gratia rectè uti ſeu conſentire eſt arbitrii, quod eſt à natura: non Deus nos, ſed nos Deum eligemus, quia aſſenſus demum noſter efficiet, ut gratia nobis ſit ſalutaris: nemo de ſe demiſsè, de Deo magnificè ſentiet: nemo in ſolum Deum fiduciam collocabit: denique preces & gratiarum actio planè enervabuntur.

Resp. Reding: *1. Imò verò gratia non utcunque in nobis operatur, ſed totum debetur Deo, qui juxta S. Auguſtinum Enchirid. c. 32. hominis voluntatem & præparat ad juvandam, & adjuvat præparatam. 2. Neque conſentire gratiæ in fide & bonis operibus naturæ eſt, ſed gratiæ. Diſcretio igitur filiorum Dei & Seculi inde eſt, quòd alii ad volendum per electionem præparantur, aliis nolentibus per judicium voluntas non præparatur. 3. Quin & æterna electione definita voluntas Dei eſt, ut alii accepta voluntate obediendi, ad fidem convertantur, alii non accepta eadem non convertantur. 4. Cùm quicquid in nobis eſt, fateamur ex vi & cauſalitate Divinæ prædeſtinationis manare, quomodo dici poteſt, non ſatis demiſsè nos de Deo ſentire, vel fiduciam primariam in Deo non collocare. Mera igitur fraude nobis ea tribuis, à quibus abhorremus.* Ib. pag 377—379. Reſp. Non ſic, Redingi, argumentum meum feris, ſed declinas. Neque enim quid de gratia Dei fallacibus

Digitized by Google

ciſbus verbis profiteare, ſed quid ex theſi veſtra de libero arbitrio ad converſionem ſe diſponente fluat, quæritur. Tu conſectaria à me legitimè deducta, oppugnare neutiquam potuiſti. Quid quòd aſſertiones tuæ liberum arbitrium ad converſionem diſponens, adeóque theſin tuam propriam penitus concutiunt? Etenim 1. Si Deus hominis voluntatem præparat adjuvandam, quod rectiſſimè S. Auguſtinus docuit, præparatam igitur, adeóque converſam voluntatem nullum arbitrium, quod adjuvari poſſit, præcedit; neque niſi præparatus à Deo homo, & ex morte peccati reſtitutus, bene operabitur. 2. Si conſenſus voluntatis à præparatione ejuſdem per æternam electionem procedit, nondum præparata igitur, & de novo creata facultatem libertatémque ſe diſponendi habebit nullam. 3. Si ab electione Dei voluntas obediendi pendet, nullatenus ab arbitrio diſponente converſio vel juſtificatio hominis dependet. Facultas quippe obediendi, quam voluntati electio Dei præſtat, ipſamet converſio & vitæ ſpiritualis initium eſt. 4. Si quicquid in nobis eſt, ex vi & cauſalitate Divinæ prædeſtinationis manat, quid natura libero arbitrio ſe diſponens ad regenerationem hominis contribuit? En quàm pulchrè ſegetes tuas vaſtaveris!

ARG. IX. Sententiam orthodoxam olim acriter defendit S. Auguſtinus. Quamvis enim juvenis adhuc *moralem ſuaſionem* agnoverit, ſenior tamen, quod non diffitetur ipſe Bellarminus, conſtanter aſſeruit, gratiam ex nolentibus efficere volentes. Eum ſequutus eſt Thomas Aquinas, cujus veſtigiis inſiſtunt etiam Alvarez, Bannes, Cumel, Riſpolis, & cæteris non copioſior tantùm, ſed etiam punctior Didacus Nugno *in* 3. *Aquin. part. q.* 62. *art.* 1. *q.* 2. Auguſtinum autem & Aquinatem dum fidiculis contendunt Jeſuitæ ſuas in partes torquere, liquidò reponit Nugno, ſe timere, *ne ſe etiam poſt mortem, utcunque in ipſos tam acriter ſit invectus, ſententiæ Jeſuiticæ aſſertorem producerent.* Tam candidè videlicet agunt Lojolitæ in authoribus citandis, ut ſubleſta ipſorum fides incipiat ſuis tandem ſymmyſtis vileſcere. Et Cornelius Janſenius l.c. clarè oſtendit, Scholaſticos modernos diſtinctionibus illis gratiæ prævenientis, excitantis, adjuvantis, operantis & cooperantis, perverſum & longè diverſiſſimum ab eo, quem Auguſtinus tenuit, ſenſum affingere.

RESP. REBING: 1. *Vos cùm Pelagianis in eo bellè convenientes, quòd cum iiſdem aſtruitis, efficaciam Divinæ voluntatis & libertatis indifferentiam ſimul ſtare non poſſe; in contrarium errorem delapſi eſtis. Sicut enim Pelagiani ex eo fundamento gratiam negarunt, & arbitrium aſſeruerunt: ita vos prætextu gratiæ libertatem ſuſtuliſtis. Eccleſia cum S. Auguſtino de corrept. & grat. cap.* 11.12. *media via incedens, ſic agnoſcit duplex adjutorium, alterum dans poſſe & libertatem piè operandi, alterum dans ipſum velle & bene operari; ut tamen libertatem, & invictiſſimam ac inſuperabilem voluntatis creatæ fortitudinem, à gratia Divina procedentem, non tollat.* 2. *Jeſuitarum & Thomiſtarum diſſenſio in mera ſubtilitate Scholaſtica verſatur, circa modum, quo Deus per infallibilem gratiæ efficaciam ex nolentibus volentes facit, an illa gratiæ efficacia à conditionali effectus futuritione, ejúſque præſcientia media ſit independens, necne? Negant Jeſuitæ, affirmant Thomiſtæ, & illis imputant, quòd ex hypotheſi eorum converſio hominis primariò in ejus*

arbitrium

Digitized by Google

arbitrium reducatur. Utrique parati ſunt ſe ſubjicere Eccleſiæ judicio. 3. *Juxta nos gratia præveniens eſt, qua Deus prævenit omnem bonum liberi arbitrii uſum: Excitans, qua peccatorem à bono opere ceſſantem, & ſopore quodam depreſſum à ſomno vel peccati, vel negligentiæ excitat, ita ut per internam illuſtrationem ei oſtendat, quid agere debeat, ut cum dilectione & delectatione faciat: Adjuvans, qua & operando intellectum & voluntatem ad agendum applicat, & cooperando cum illis potentiis ad agendum applicatis actionem producit. Neque aliter Auguſtinus.* Ib. pag. 379—381. Reſp 1. Nulla in re cum Pelagianis conſentimus. Nam & gratiæ, & libertatis, poſt converſionis initium, harmoniam agnoſcimus, diſertè aſſerentes, non magis gratiæ operationem, quàm Dei conſervationem, aut concurſum, vel qualemcunque ejus in nobis operationem cum libertate arbitrii pugnare; nec magis animæ intereſſe, aut libertatem lædere, reproduci cum cogitationibus ſpiritualibus ac cœleſtibus, quàm reproduci cum cogitationibus naturalibus, quorum alterum ordinariæ, alterum extraordinariæ conſervationis & concurſus adeóque gratiæ eſt: & liberum arbitrium ante converſionis initium, in malo vivaciſſimum, in bono ſpirituali mortuum aſſerimus. Vos verò in Pelagianorum & Semipelagianorum caſtra pridem diſceſſionem feciſtis. Pelagiani nempe, ut Eccleſiæ fucum facerent, ultra naturam gratiam agnoverunt, conſiſtentem non in legis duntaxat & externæ doctrinæ auxilio, peccatorum remiſſione quorundam reſpectu, Evangelii doctrina, promiſſis, & exemplo Chriſti; ſed in interna quoque Spiritus S. operatione, & intellectum illuſtrante, & ſtupentem voluntatem excitante. Semipelagiani ſeu Maſſilienſes, Pelagii errores cum doctrina Eccleſiæ miſcere annixi, contra Pelagium naturæ labem ac vulnus, in Adamo acceptum, contra Eccleſiam, Auguſtinum inprimis, amorem gratiámque Dei univerſalem urgebant, partimque à natura, partim à gratia omnes ad ſalutem ſufficienter inſtructos ſtatuebant; gratiam autem aliquando hominis voluntatem prævenire, aliquando ſequi & adjuvare aſſerebant. Pelagianiſmus quidem utcunque in Johanne Erigena, Scoto, & oppugnante Godeſchalco repreſſus fuit; à Scholaſticis verò Semipelagianiſmus, ceu ſpecioſior, adoptatus eſt, quorum illud ſolenne erat, facienti homini, quod in ſe eſt, non deeſſe gratiam, quanquam Deus pro miſericordia ſua etiam immerentibus eam quandoque largiatur, ultróque hominem ſtupentem, & è priſtino veterno nauſeantem excitet, & ad ſe convertat. In Jeſuitis verò & pleriſque modernis Pontificiis etiam Pelagius ipſe revixit, quibus & peccatum originale eſt ſtatus naturæ integræ in puris naturalibus, uti ſupra viſum; & gratia nihil aliud eſt, quàm ſpiritualis quædam qualitas à Deo animæ infuſa, quæ mentem illuminet, atque voluntatem ſtupentem ſuaſu hortatúque ſuo excitet. unde prævenientem eam & excitantem vocant; ita tamen, ut in hominis arbitrio ſit, gratia inſtinctúque eo uti, vel non. à cujus conſenſu omnem ejus vim & efficaciam ſuſpendunt. Ex multis Molinam & Becanum audiamus. Ille *diſput.* 3. *de concordia* ſic diſſerit: *Aſſerimus, auxilia prævenientis & excitantis gratiæ, quæ lege ordinaria viatoribus conferuntur, quòd efficacia & inefficacia ſint, pendere à libero conſenſu & cooperatione arbitrii noſtri cum illis; atque adeò in libera poteſtate noſtra eſſe, vel illa efficacia reddere, vel inefficacia.* Citantur hæc verba & refutantur à Matthæo de Riſpolis *lib. II. quæſt.* 1. *concluſ.* 4. Becanus *de auxiliis parte* 2. *cap.* 3. hanc concluſionem habet: *Si ergo quæratur prima radix, quare hæc gratia ſit efficax, illa inefficax, recurrendum eſt ad liberam cooperationem voluntatis.* Eadem, aliis licet verbis fucata, Vaſquezii, quin & ipſius quoque Bellarmini, ſententia eſt. Ita verò duplex adjutorium, impertiens & potentiam & actum volendi, nonnulli veſtrûm (non omnes, certè non Præ-

ſcientiſtæ) agnoſcunt,ut tamen & arbitrii viventis adhuc in bono ſpirituali,atque ad gratiam juſtificantem ſe diſponentis *συνέργειαν* propugnent, & ejuſmodi gratiæ adjutorium ſtatuant, cui voluntas potentior reſiſtere poſſit, cùm S. Auguſtinus contrà aſſerat,gratiam medicinalem nunquam effectu carere,*eámque efficaciſſimam, potentiſſimam, omnipotentiſſimam, victricem, voluntati humanæ inſuperabiliter, & indeclinabiliter dominantem*, appellet. Quibus igitur nominibus gratiam S.Auguſtinus, iiſdem voluntatem oppoſititus eidem Auguſtinus Redingius inſignit diſertè pag. 80. ubi Deum per gratiam conferre liberrimam, & tamen *invictiſſimam voluntatem, & fortitudinem inſuperabilem* ait. 2. Jeſuitarum, Thomiſtarum & Janſenitarum circa gratiæ & liberi arbitrii efficaciam contentiones acerrimas,& ſententiarum divortia peculiari *de gratia prædeterminante* diatriba diſcuſſimus, oſtendimúſque, non levis, ſed maximi momenti diſſenſum eſſe, graviſſimis animorum motibus ſubinde agitatum. Et tuus ille,quem figis, Redingi, inter Jeſuitas & Thomiſtas,controverſiæ ſtatus ſatis arguit, contentionem eſſe non de umbra ſuberis,vel Scholaſtica ſubtilitate,ſed de capitali dogmate; an ſcilicet in converſione hominis ejuſdem voluntas à Divina gratia,an gratia à voluntate hominis dependeat? hoc eſt, Deo, an homini gloria converſionis debeatur: Deus hominum ſalvet,an homo ſe ipſum? Ipſemet fateris,Thomiſtas Jeſuitis impingere,quòd converſionem hominis nec non aliquam futuritionis conditionatæ formalitatem, antecedenter ad Dei decretum, in ejus arbitrium primariò reducant, adeóque rationem primæ cauſæ in creatæ arbitrium devolvant. Id verò quid aliud eſt,quam vim ſuam facere Deum ſuum, Habac.I.11. & Deo de arce dominandi deturbato, hominem in eandem intrudere? Hæccine Scholaſtica ſubtilitas, an Sathanæ profunditas eſt? Cui Jeſuitarum *Decretum Dei*,uti vocant, *objectivum*, neutiquam mederi, ipſi Thomiſtæ pertendunt meritò. 3. Circa ſenſum diſtinctionum Auguſtini inter gratiam prævenientem, & ſubſequentem; operantem & cooperantem; excitantem & adjuvantem, neutiquam conſentitis. Aliter Thomas Aquinas, aliter Vega,aliter Gregorius Ariminenſis,aliter alii explicant. Eò plerique reditis,ut aſſeratis, gratiam eſſe indeliberatos quoſdam intellectus & voluntatis motus, quibus potentia voluntatis quaſi dormiens excitetur, ut in actum ſurgat; atque ita præveniatur. Talibus motibus voluntatem emolliri,allici,roborari,ut iis conſentiendo liberè velit,conſentiat,atque operetur ſupernaturaliter bonum. Motus illos vocari gratiam *operantem*, quia Deus eam ſine nobis liberè cooperantibus operetur: *excitantem*, quia voluntatem dormientem ad volendum vel agendum excitet: *prævenientem*, quia liberum conſenſum arbitrii præveniat: *cooperantem*,quia voluntatem accendendo ei jam liberè conſentienti cooperetur: *adjuvantem*, quia infirmitatem voluntatis reſpectu ſupernaturalis operis adjuvet: *ſubſequentem*, reſpectu prioris gratiæ, quatenus prævenientem ſequitur. Hunc diſtinctionum illarum ſenſum, à Te quoque, Redingi, inſinuatum, immane quantum à ſenſu S.Auguſtini abludere, Janſenius *de Gratia Chriſti Salvat.* lib.IV.cap.12. &c. non nudè aſſerit,ſed oppoſitis Auguſtini textibus firmiſſimè probat. Sed & verbo Dei validiſſimè eundem repugnare, vel inde conſtat, quòd voluntatem irregenitam non in peccato mortuam (uti paſſim Scriptura) ſed viventem, licet ſtupentem & dormitantem; imò *ſolis naturæ viribus*, uti diſertè Tirinus *Controv.15. n. 10.* loquitur,ad gratiam ſe quodammodo diſponentem; quin & gratiam ipſam nonniſi moraliter ſuadentem,ſupponit.

ARG. X. Denique in ipſo Concilio de aſſenſu, qui à libero arbitrio inſpirationi Divinæ aut gratiæ prævenienti commodatur,non modò Franciſcani

ciſcani à Dominicanis, ſed & hi inter ſe ſententiis variabant, uti narrat Hiſtoricus *Lib.II. pag.*185. Dominicani diſertè negabant, opera vocationem præcedentia eſſe verè præparatoria. Et nullas omnino in converſione eſſe partes liberi arbitrii, aſſeruit Catanæus.

Resp. Reding: 1. *Tu verò Dominicanos negantes, quòd opera vocationem præcedentia ſint verè præparatoria, redarguens, in Semipelagianiſmum incidis.* 2. *Si vel Cataneus, juxta Suavem, vel Gregorius Senenſis, juxta Pallavicinum, in Concilio aſſeruerunt, liberum arbitrium fungi munere cauſæ tantùm recipientis, quid hoc ad univerſum Concilium, quod ſententiam eam, ceu minùs Catholicam, improbavit?* 3. *Quoad ſubſtantiam veritatis Catholicæ & jam definitæ omnes conſentiunt.* Ib. pag. 381. Reſp. 1. Non ego Dominicanos id negantes reprehendi, ſed diſſenſum Theologorum in Concilio retuli. Tu verò oſcitaris turpiter, & ipſe, diſpoſitiones ſeu præparationes liberi arbitrii propugnans, Semipelagianæ hæreſeos reatum, vel tuo indicio, incurris. 2. De aſſenſu, qui gratiæ prævenienti à libero arbitrio commodatur, in Concilio non unus duntaxat & alter Theologus, ſed potentiſſimæ Franciſcanorum & Dominicanorum familiæ conflixerunt. Illorum partes egit Dominicus à Soto; horum Aloiſius Cataneus, hoc inter alia argumento: *Si gratiæ prævenienti efficaci conſentire & diſſentire liberè homo poſſit, futurum ſit, ut electorum à reprobis diſtinctio ab homine, non à Deo pendeat; & electio ab operibus prævisis, non à Dei beneplacito ſuſpendatur, quod Pelagii hæreſin redoleat.* Non pervicit quidem ejus ſententia, ſed nec tamen ejus argumenta refutata eſſe, plures faſſi ſunt. Cæco damnandi Lutheri ſtudio abrepti Patres, in ſequiorem ſententiam manibus pedibúſque iverunt. 3. Satis equidem ambigua eſt Concilii definitio, qua neutra pars diſſentiens ſe feriri, pertendit. Diſſenſum tamen maximi momenti eſſe, neque in Scholaſtica ſubtilitate, ſed in doctrinæ ἀκμῇ verſari, ſupra oſtendimus.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *In ſacris literis, cùm dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, Zach. I. 3. libertatis noſtræ admonemur. Cùm reſpondemus: Converte nos Domine & convertemur, Jerem. XXXI. 18. Dei nos gratia præveniri confitemur.* Sunt verba Concilii cap. 5. Alii citant loca Deut. X. 16. Jerem. III. 3. 4. Ezech. XVIII. 31. quibus jubemur *circumcidere præputium cordis noſtri, novellare novale, facere nobis cor novum.* Reſp. Loca citata docent, non quid viribus noſtris facere poſſimus, ſed quid viribus noſtris facere debeamus. Mandata autem Dei non ſunt norma virium & potentiæ, ſed officii noſtri.

Excip. Reding: 1. *Si mandata Divina non ſunt virium noſtrarum gratiæ adjutorio innixarum norma, Deus igitur impoſſibilia præcipit. quod juſtitiæ ejus repugnare, Auguſtinus de libero arbitr. & grat. cap. 68. monet.* 2. *Pelagianum eſt, dicere, converſionem, innovationem cordis &c. Ita noſtri officii eſſe, ut eam viribus propriis perficere, abſque gratiæ adjutorio tenteamur.* 3. *Jerem. XXXI. 18. ſic precantur Iſraëlitæ: Converte nos, Domine, & convertemur. Non igitur ad converſionem præceptam merè paſſivè nos habemus.* Ib. pag. 381. 382. Reſp. 1. Ante converſionem vires hominis gratiæ prævenientis adjutorio ita inſtrui, ut irregenitus eidem innixus converſioni ſuæ cooperetur, ſupponis, non probas.

Non aliud ſpecialis gratiæ, quàm actu convertentis, & poſt converſionem demum cooperantis, Scripturæ agnoſcunt. Mors enim in peccatis, & gratiæ ſpecialis actu converſionem non operantis, ſed ad eam duntaxat diſponentis, adjutorium, planè *ἀδύνατα* ſunt. Neque ſic abſolutè impoſſibilia Deus præcipit, ſed ea, quæ per vires homini in creatione conceſſas, poſſibilia, vitio hominis impoſſibilia reddita ſunt. Quæ ipſa Deus, qui ob peccatum hominis jure ſuo non excidit, tam juſtè præcipit, quàm Matth. XVIII. 23. Dominus ille ſervum ſuum, bonorum ſuorum decoctorem, ſolvendo minimè parem, ad rationes vocavit, & cum reſpondere non poſſet, carceri mancipavit. 2. Pelagianus tu, liberi arbitrii inſtitor, venenum tuum nequicquam affricare nobis ſtudes. Neque enim probabis unquam, vel Pelagium docuiſſe, hominis officium eſſe propriis viribus, quales in creatione à Deo accepit, Deo obedire; vel ita docenti ab Eccleſia litem motam eſſe. De poteſtate arbitrii hominis peccato corrupti tota contentio fuit. Tu potiùs prius id negans, quod nunquam vera Eccleſia Dei in dubium revocavit Pelagio litas. 3. Iſraëlitarum preces planè jugulum tuum petunt. Non enim ita precantur: *Converte nos*, cooperantibus nobis: *& convertemus nos*, præveniente te; ſed, *Converte nos* (tu ſolus, ſine nobis) *& convertemur* (recipientes converſionem tuam, non eam una tecum perficientes.)

OBIECT. II. *Chriſtus Matth. XI. 21. oſtendit, Tyrios & Sidonios, ſi apud eos edita eſſent miracula, quæ Chriſtus apud Judæos edidit, in ſacco & cinere pœnitentiam acturos fuiſſe. Ergo gratiæ moventi & prævenienti libero ſuo arbitrio cooperari potuerunt.* Reſp. 1. Aliud eſt in ſacco & cinere conceptum dolorem exprimere, aliud converti, regenerari & juſtificari. Illud Tyriis & Sidoniis tribuit Chriſtus: Hoc libero arbitrio Papiſtæ. Ita comminatio Eliæ terrorem incuſſit Achabo, terror humiliavit, humilitas vindictam Dei pro tempore avertit. Cilicium & ſaccus cum jejunio fuit, vera converſio non fuit. Sic apud medicos corporis aliud eſt humores noxios excutere & diſſipare, aliud ſalubriori pharmaco exhaurire & ægrotum ſanare. 2. Ergóne miracula Chriſti fuiſſent gratia ſufficiens, quâ poſitâ cooperante arbitrio, converſio ipſa & juſtificatio ſecura fuiſſet? 3. Locutio Chriſti eſt *hyperbolica*, non *propria*, exaggerans malitiam Judæorum. Perinde ac ſi quis Chriſtianum corripiens, diceret: Si Turca eſſes, mecum egiſſes humaniùs.

EXCIP. REDING: 1. *Si verba Chriſti vera fuerunt, decreti Divini, conditionati licet, efficacia ſubnixa, ſub conditione illa, ſi Chriſtus miracula coram Tyriis & Sidoniis fuiſſet patraturus, præfinivit gratiam, per quam liberum eorum arbitrium efficaciter ad pœnitentiam moveretur. 2. Miracula igitur Chriſti non cauſa ſufficiens, ſed conditio pœnitentiæ Tyriorum fuerunt. 3. Pœnitentiam ad juſtificationem diſpoſitivam libero arbitrio tribuimus, non ſecundùm vires ſuas naturales, ſed quatenus ad id per gratiæ adjutorium elevatur.* Ib. pag. 382. 383. Reſp. 1. Verba Chriſti vera utique fuerunt, ſed in ſenſu ab eodem intento. Non intendit autem ille gratiæ prævenientis cum libero hominis arbitrio, vel ad pœnitentiam, vel ad juſtificationem concurſum declarare, ſed ſermone hyperbolico haud inſueto Judæorum malitiam exaggerare. Decretum verò conditionatum, per quod ſub conditione miraculorum Chriſti Deus gratiam, liberum arbitrium ad

pœni-

Digitized by Google

pœnitentiam efficaciter moventem, prædefiniverit, absurdè asseritur, tum quia Deo tribuit voluntatem effectu carentem, adeóque inefficacem impotentémque, decretum scilicet dandi Tyriis & Sidoniis pœnitentiam, si Christus apud eos miracula præstiterit, cùm tamen nec miracula Christus apud eos patrare, nec Deus pœnitentiam iisdem largiri statuerit: tum quia decretum conditionatum fingit, cujus nulla tamen conditio est, cùm Deus non decreverit conditionem illam, ut apud Tyrios Christus miracula patret: tum quia Christus non ullius gratiæ prædefinitæ liberum arbitrium sub conditione certa efficaciter moventis, sed miraculorum duntaxat suorum meminit, quæ ipsa tamen nihil apud Judæos effecerunt: tum denique, quia gratiæ prædefinitæ & liberi arbitrii conversionem præcedentis concursus asseritur, non probatur. 2. Neque Christus miracula sua ponit conditionem gratiæ ejusmodi Tyriis dandæ, per quam ad pœnitentiam efficaciter illi moverentur, sed pœnitentiam non aliunde, quàm à miraculis suspendit, claro indicio, quòd sermone non proprio, sed hyperbolico usus fuerit. 3. Per Divinum gratiæ adjutorium vires naturales arbitrii eò elevari, ut conversioni, regenerationi & justificationi suæ cooporetur, inane χειροψήφισμα est. Cedo tabulas!

OBIECT. III. *Ad regenerationem requiritur hominis voluntas & actio, quia ea nihil aliud est, quàm mortificatio veteris hominis & vivificatio novi, seu omissio mali & præstatió boni; Ergo regeneratio est opus humanæ voluntatis.* Resp. Regeneratio vel de principio ejus, vel de progressu, continuatione & incremento intelligitur. Primo modo solius Dei opus est. Altero ad eam requiritur etiam humana voluntas, ut instrumentum activum, spontaneum & liberum suarum actionum, quia voluntas regenerata, quas ex se non habebat, ex Spiritu S. accepit bene agendi vires, 2. Cor. III. 5. Ephes. II. 9. tum quia ab eodem Spiritu movetur & excitatur ad bene agendum, Rom. VIII. 14. Psalm. CXLIII. 10.

EXCIP. REDING: 1. *Ipsemet fateris, in ordine ad actiones supernaturales, cujusmodi sunt fidei ac spei actus, regenerationi prævii, requiri agendi vires à Spiritu S. acceptas, cum quibus voluntas humana, ut instrumentum activum, cooperetur. 2. Ad justificationem pœnitentia prærequiritur. Cùm verò juxta vos justitia Christi imputata, seu forma justificans, nequeat esse principium pœnitentiæ effectivum, aliud in homine principium tale superesse debet. 3. Est quidem initium justificationis, consistens in gratia excitante ac movente ad actus regenerationi prævios, solius Dei opus. Supposito tamen gratiæ illius adjutorio voluntas Divinitus ita elevata ad eliciendos liberè actus dispositivos instruitur.* Ib. pag. 383. 384. Resp. 1. Voluntatem hominis, ut instrumentum activum, concurrere ad actus fidei ac spei, regenerationi primæ, de qua tota quæstio est, prævios, ubi, Redingi, fassus sum? Fingis pro lubitu quidvis, cùm respondere ad argumenta mea nihil possis. Alia omnia & fassus sum, & rationibus firmavi. 2. Cùm Deus impium justificet, Rom. IV. 5. quomodo justificationem pœnitentia, non ratione contritionis duntaxat legalis, sed mutationis etiam à malo ad bonum, præcedit? An igitur cum impietate pœnitentia consistit? Neque vel justitia Christi imputata forma justificans à nobis, sed materia potiùs justificationis statuitur: vel illa pœnitentiæ principium activum esse nequit, cùm bona omnia, quæ ad salutem nostram conducunt, à communione cum Christo, ejúsque justi-

Digitized by Google

tia fluant, Joh.XV.4. 1.Cor.I.30. Saltem principium pœnitentiæ effectivum juſtificatione ipſa prius oſtendi nullum poteſt. 3. Juſtificatio nec in initio & progreſſu ſed ἐν ἀτόμῳ conſiſtit, & à gratia Dei in Chriſto (Rom.III.24.25.) ita pendet, ut juſtificantem gratiam ſalutaris gratia nulla, nedum opus humani arbitrii à gratia adjuti ullum præcedat. Primum enim ſalutis noſtræ medium Deus in Chriſto nobis propitius, adeóque Dei gratia, Chriſti Sponſoris & Salvatoris noſtri juſtitiam nobis donans, ſicque nos juſtificans, eſt.

OBIECT. IV. *Spiritus S. non datur niſi renatis, quia promittitur iis, qui jam per annunciationem Evangelii revera regeniti ſunt. Ergo ipſa regeneratio non eſt ejus opus. Effectus enim prior cauſa eſſe non poteſt.* Reſp. Cùm regeneratio à Spiritu S. fiat, Joh.III.5.6. datur utique non ſolis renatis, ſed etiam renaſcituris. Interim datur Spiritus S. etiam renatis, nempe vel ad chariſma aliquod commune citra regenerationem, vel ad incrementum & progreſſum gratiæ regenerantis, vel ad ejusdem confirmationem & obſignationem.

EXCIP. REDING: *Spiritus S. etiam renaſcituris datur, at non ſimpliciter, verùm ſecundum quid, quatenus iis datur aliquod gratiæ donum à regeneratione diſtinctum, in intellectu fides, in voluntate ſpes ac pœnitentia, actus prævii & diſpoſitivi utrique. Alias Spiritus S. in renaſcituris eſſet otioſus, nec operaretur quidquam.* Ib. pag.384.385. Reſp. Sic Redingi, reſpondes, an crambem bis coctam reponis? Renaſcituris datur ſpiritus regenerans, renovans, novum hominem creans; non diſpoſitiones liberi arbitrii à gratia adjuti, quas nullas ex Scripturis probare potes, promovens.

OBIECT. V. *Regeneratio præſupponit in regenerando non ſolùm gratiam, ſed etiam voluntatem hominis, ut principium operationis. Diſſimilis enim ratio eſt generationis naturalis, & regenerationis ſupernaturalis. In illa homo generandus, cùm nondum exiſtat, agere nihil poteſt. In hac homo regenerandus præexiſtit, adeóque cum Spiritu Dei & Evangelio concurrit.* Reſp. Præexiſtit ſanè homo regenerandus, ſed non ut *principium operationis ſuæ*, verùm ut *ſubjectum paſſivum operationis alienæ.* Habet regenerandus virtutem etiam vitalem: cæterùm illa pertinet ad vitam naturalem, non ad ſpiritualem & gratiæ. Neque enim ullum actum ſpiritualem homo habet ante vivificationem & regenerationem ſuam.

EXCIP. REDING: 1. *Annon accedentem ad Deum credere, remiſſionem peccatorum deſiderantem ſperare, juſtificari cupientem pœnitentiam agere oportet? Non igitur voluntas operationis ſuæ principium merè paſſivum eſt. 2. Regenerandus, juxta te, habet virtutem vitalem. At illa ad operandum ſupra naturam elevari poteſt.* Ib. pag.385.386. Reſp. 1. Acceſſus ad Deum, qui per fidem contingit, ut & remiſſio peccatorum, eſt ipſa cum Deo reconciliatio per Chriſtum, adeóque juſtificatio. Spes verò & pœnitentia juſtificationem ſequitur. Rom.V.1.5. Joh.XV.4. Actus igitur fidei, ſpei & pœnitentiæ voluntatem principium activum, non vel regenerationis, vel juſtificationis, ſed illius inceptæ merè paſſivum,

passivum, continuatæ verò quadantenus activum; hujus verò perfectæ, quoad fidem justificationem apprehendentem, post ejus per regenerantem gratiam donationem, organicè activum arguunt. 2. Virtus vitalis hominis ad operandum supra naturam evehi pro Dei beneplacito potest: sed ante regenerationis initium actu, quantum ex voluntate Dei revelata constat, neutiquam evehitur. Non quid Deus possit, sed quid velit, quæritur.

OBIECT. VI. *Si in conversione homo se habet merè passivè, habebit se instar trunci & stipitis.* Resp. Est hic coccysmus veterum Pelagianorum, cui ita respondet Augustinus Lib. II. de pecc. mor. & remiss. cap. 5. *Non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quibus natura rationem & voluntatem non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Sanè etiam Scriptura homini tribuit לב האבן *cor lapideum*, quod trunco aut stipite haud minùs rigidum est, Ezech. XXXVI. 26. Sed fons erroris est, quòd adversarii non distinguunt hominem *naturalem* à *spirituali*. Ante regenerationem & in ejus principio homo ψυχικὸς *naturalis*, in spiritualibus est planè ἀναίσθητος, adeóque lapidi & trunco non dissimilis. Quia tamen *naturalem* suam integritatem non amisit, retenta facultate intelligendi & volendi, qua utitur ad malum vivacissimè, truncus & lapis dici nequit. Est enim in bono quidem stupidus, at in malo sensus acerrimi: in bono mortuus, in malo vivens, vegetus & valentissimus.

EXCIP. REDING: *Augustinus loc. cit. asserit, Deum nos, ut convertamur, adjuvare, neque adjuvare posse eum, nisi qui sponte conatur. Spontaneum porro conatum illum in votis seu precibus nostris, quibus conversionis ac justitiæ opus promovendum sit, collocat.* Ib. pag. 386. Resp. Neque sic responsionem meam attingis, sed aliud agendo declinas. Cæterùm Augustinum iis verbis non de prima, sed de secunda conversione loqui, apertum est. Disputat enim adversus eos, qui dicunt, *accepto semel liberæ voluntatis arbitrio nec orare nos debere, ut Deus nos adjuvet, ne peccemus.* quos ab auribus & mentibus nostris repellendos, sciscit. Liberæ autem voluntatis arbitrium prima conversione accipi, & ante eandem arbitrium servum esse, non liberum, Augustinus pro adamantinæ veritatis dogmate semper habuit. Et argumentum isthoc à Deo adjutore, seu adjuvante nos, petitum, merè Ethnicum, pro Jehova Jovem nobis substituit. Jovem enim Junonémque *à juvando* dictos Cicero interpretatur; & Jupiter quasi juvans pater iis dicitur, de quo fusè Lactantius *de Relig. falsa lib. I. cap.* 11. agit.

OBIECT. VII. *Augustinus de Civ. Dei Lib. VII. 17. 30. & XII. 12. non obscurè in hominis prima conversione aliquid humanis viribus concedit. Et gratiæ prævenientis, adjuvantis, excitantis sæpe meminerunt Veteres.* Resp. Augustinus aliique Patres arbitrii libertatem adversus coactionem solùm asserunt. Id non obstat, quin à prima causa absque omni violentia in rebus ad salutem spectantibus certò determinetur. Alibi enim ipsam bonam voluntatem Augustinus disertè à Deo ejúsque gratuita donatione derivat. 2. *Prævenientem*

Digitized by Google

venientem gratiam appellârunt veteres, partim quæ prævenit bonos motus ſpirituales hominis regeniti, partim quæ in regenitis ipſis liberæ cooperationi voluntatis in continuatione vitæ ſpiritualis præit. At Papiſtis *præveniens* gratia eſt, quæ libero arbitrio præſultat, & unà cum illo concurrit ad effectum converſionis. Ita gratiæ *excitanti* veteres adſcribunt primos in voluntate jam regenerata, non regeneranda motus. At Papiſtis gratia *excitans* eſt, quæ ſtertentes ac dormientes arbitrii vires excitat ad bene agendum, ſi velit.

EXCIP. REDING: 1. *Locus ex Auguſtino ſupra citatus oſtendit ejusdem ſententiam, quod videlicet adjuvet Deus ut convertamur, nec adjuvari poſſit, niſi qui ſponte conatur.* 2. *Idem de Prædeſt. Sanct. cap.2 aſſerit, Paulum regenerandum utique, non regenitum, per gratiam potentiorem ex nolente factum eſſe volentem credere. Primus igitur credendi motus in voluntate Pauli regeneranda, ipſum ad voluntatem credendi excitavit. En gratiam excitantem!* Ib. p.386--388. Reſp.1. Locum illum Auguſtini ſupra excuſſimus. 2. Idem Auguſtinus optimè dixit, Paulum ex nolente factum eſſe volentem credere. Ante converſionem igitur erat nolens, adeóque converſioni ſuæ neutiquam cooperans: poſt converſionem demum factus eſt volens credere, Deíque gratiæ libertate activa per regenerationem reſtituta cooperans. Hoc ipſum nos pertendimus, & hoc vos abnuitis.

QUÆSTIO II.

An gratiæ convertenti, prævenienti & excitanti liberum arbitrium ita diſſentiri & reſiſtere poſſit, ut gratiæ effectus nullus ſequatur?

AFfirmat Synodus Canone IV. Fatemur ſanè gratiæ cuilibet hominem per ſe reſiſtere poſſe. Fatemur etiam, gratiæ communiori, externa ſalutis remedia offerenti ita reſiſtere hominem poſſe, ut ejus effectus in homine non conſequatur. At gratiæ Dei ſpeciali, regeneranti & convertenti ita finaliter reſiſtere poſſe liberum arbitrium hominis, ut ea fine ſuo defraudetur, & effectu omni excidat, negamus. Etenim

ARG. I. Liberum arbitrium hominis in principio converſionis habere ſe merè paſſivè, jam ante comprobavimus. Non poteſt igitur diſſentiri. Diſſenſus enim ſupponit voluntatem liberam, & *εἰς ἑκάτερον* flexibilem.

Reſp.

RESP. REDING : *Conversionis principium est ex fide & pœnitentia. Atqui utriusque illius velle liberum descendit à Patre luminum secundùm propositum Dei, uti Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 6. 7. ostendis.* Tract. IV. Ss. 2. p. 388. Resp. Nemo utique non liber credit : nemo non liber pœnitentiam agit. Vicissim nemo credit, nemo pœnitentiam agit non regenitus, non conversus. Est enim vera fides in Christum, vera pœnitentia regenerantis & convertentis gratiæ primarius præcipuúsque effectus. An enim à Deo aversum, ex Diabolo genitum in Jesum Christum credere, pœnitentiam agere, pronuntiare ausis? Falsissimè igitur fidem & pœnitentiam conversionis principia, qualia in homine activa nulla sunt, statuis. neque id vel ex Scriptura, vel ex Augustino probabis unquam.

ARG. II. Libertas hæc resistendi repugnat æternæ prædestinationis fundamento, & aureæ catenæ Apostoli Rom. VIII. 29. 30. Etenim cùm Deus certo & definito consilio ac decreto certos quosdam homines destinaverit. non tantùm ad gloriam & salutem, sed etiam ad media gloriæ & salutis, regenerationem, vocationem, justificationem, manifestum est, nullum arbitrium gratiæ regeneranti, vocanti, justificanti resistere posse. Aliâs Dei Decretum interverteretur, & aurea illa Apostoli catena luxaretur omnino & dissolveretur.

RESP. REDING : 1. *Agnoscimus, stante Divina motione & decreto efficaci, effectum ejus humana voluntate impediri non posse. Illa enim motio, seu physica prædeterminatio causalitatem Dei in actum secundum operationis creatæ liberæ influentem includit. Potest tamen stante illa motione Dei in voluntate creata subsistere adhuc potentia non operandi; quomodo Canon Tridentinus definivit, liberum arbitrium à Deo motum posse dissentire, si velit; & Thomistæ asserere solent, cum efficaci Dei motione, seu physica prædeterminatione stare simultatem potentiæ ad operandum & non operandum; non potentiam simultatis, vi cujus facere posses, ut actus ex vi motionis Divinæ existens non existeret. 2. Neque tamen libertas seu indifferentia voluntatis cum necessitate & infallibilitate prædestinationis pugnat. Potest enim actus ex vi creati arbitrii contingens, & in tempore mutabilis, ex vi prædestinationis in æternitate esse immutabilis.* Ib. pag. 389. 390. Resp. 1. Si tu, unà cum Thomistis Prædeterminantibus, stante Divina motione & decreto efficaci, ejus effectum voluntate humana impediri non posse, agnoscis: at alia omnia Præscientistæ tui, Jesuitæ & sequaces pertendunt. Quin & tu ipse in eorundem castra statim migras. Si enim stante efficaci motione & decreto Dei voluntas per libertatem suam non operari, quin &, juxta Tridentinum Canonem, dissentire potest, utique juxta hypothesin vestram, qua voluntatem liberam necessariò cooperari gratiæ statuitis, stante Divina motione & decreto, ejusdem effectus libera voluntate hominis non operantis, seu dissentientis, impediri potest. Neque medetur sensus compositi & divisi; nec non simultatis potentiæ, & potentiæ simultatis, sophistica distinctio. Nam & Jesuitæ vix aliud, quàm simultatem potentiæ intelligere possunt. Potentiam enim simultatis, hoc est, simul operandi & non operandi, seu potestatem ad opposita simul habenda vel agenda, cùm contradictionem ea implicet, ab iis admitti non crediderim. Sed quicquid de eo sit, certè simultas potentiæ consistere cum prædeterminatione nequit. Si

Digitized by Google

enim voluntas v. g. Petri determinatur à gratia & decreto Dei, ut credat promiſſionibus Evangelicis, atque ita credat, ut non poſſit non credere, non poſſit non gratiæ conſentire, qua ratione in voluntate manebit adhuc potentia oppoſiti, puta potentia non credendi? Potentia quælibet argui debet ex actibus, qui in ejus notitiam perducere ſolent. Quòd ſi igitur prædeterminatur actus, quod tu non diffiteris, prædeterminabitur etiam potentia, eò quòd obſtante prædeterminatione voluntas non poſſit aliter agere. Et qui tandem cum definitione Tridentina, quòd liberum arbitrium à Dei gratia motum diſſentire poſſit, in gratiam redibis? Si enim diſſentire poteſt, quomodo prædeterminatur? quomodo prædeterminatio dicit cauſalitatem Dei in actum ſecundum operationis influentem? 2. Libertatem vel naturalem, vel ſupernaturalem hominis regeniti cum Dei decreto, & prædeſtinationis infallibilitate non pugnare, ultro concedimus. Extrema enim clarè percipimus, nempe & prædeſtinari actus noſtros, prædeſtinationémque neceſſitatem & immutabilitatem actuum importare: & voluntatem hominis in actibus ſuis natura ſua liberam & mutabilem eſſe. Nam & decreti Divini certitudinem immutabilitatémque ex verbo Dei ab una parte liquidò cognoſcimus, & ab altera parte libertatis noſtræ naturalis in quolibet ſtatu, ſupernaturalis verò etiam in ſtatu regenerationis conſcii nobis ſumus. Quomodo autem hæc ſimul conveniant, & obſcurum ſatis eſt, cùm obſervantibus etiam veſtris, Gregorio Ariminenſi, Marſilio & Cajetano, modus ille, quo creaturæ à Deo dependent, & juxta quem in nobis operatur, infinitus, adeóque nobis, nonniſi קְצוֹת דרכין *oras viarum Dei*, attingentibus (Job. XXVI. 14.) ἀνέφικτος ſit: & ad præſens argumentum nihil omnino facit. Vis enim argumenti mei non in eo conſiſtit, quòd prædeſtinationis immutabilitas, voluntatis inſita libertas & immutabilitas ſimul conſiſtere non poſſint: ſed in eo potiùs, quòd libertas reſiſtendi efficaci motioni Dei (non liberè agendi, prout ſcilicet libertas peccandi, nec non libertas naturalis in quolibet ſtatu, & libertas ſupernaturalis Deo cooperandi in ſtatu gratiæ competit) cum æternæ prædeſtinationis fundamento, & aurea catena, juxta quam prædeſtinati infallibiliter vocantur, vocati per efficacem gratiæ motionem certò juſtificantur & glorificantur, pugnet. Ad has tibi, Redingi, lineas decurrendum, non ad Scholaſticas ſpeculationes tuas exertandum fuerat. Decœtero nihil cogit, ut cum Scotiſtis, Nominalibus & Carmelitis veſtris Gratiam & arbitrium ferruminemus per præſcientiam quandam, decreto prædeſtinationis præcedaneam, quam Jeſuitæ ſcientiæ Mediæ titulo decorarunt. Faciliùs hanc litem cum antiquis Noſtri ſimul & Prædeterminantes veſtri, ſenſus compoſiti & diviſi diſcretione compoſuerunt. Quamvis enim neceſſitas *infallibilitatis* & *dependentiæ* in ſenſu compoſito eventibus omnibus creatis, reſpectu cauſæ primæ, incumbat: nil tamen obſtat, quin ex habitudine ſecundarum inter ſe cauſarum & effectuum hoc neceſſariò, illud liberè & contingenter eveniat; quia Deus ita cauſas ſecundas diſpoſuit, ut ſic agerent, contingenter vel neceſſariò. Voluntas igitur converſi ſalutares effectus neceſſariò producit, & tamen liberè, gratia ipſam liberante & agente; licet in ſenſu diviſo, hoc eſt, ſepoſito hoc ſalutaris gratiæ ductu, ſemper facultatem aliò ſe divertendi retineat. *Mirum*, inquit Nugno, *ſi voluntas peragat liberè, & Deo illam agente eadem liberè non ageret.* Diſcordiæ igitur litant, qui hic concordiam deſiderant.

ARG. III. Deus efficit in nobis fidem eâ vi & potentiâ ſuâ, quâ ſuſcitavit Chriſtum è mortuis, Epheſ. I. 18. 19. Col. II. 12. Quam potentiam infinitam eſſe, fateamur oportet. Atqui infinitæ Dei potentiæ quod arbitrium reſiſtere poteſt?

RESP.

Digitized by Google

RESP. REDINO : *Fatemur esse opus infinitæ Dei potentiæ , neque huic resistere humanam voluntatem posse. Potest tamen creata voluntas per Divinæ gratiæ auxilium accipere virtutem supernaturalem liberè efficiendi actum imperii , captivantis Intellectum in obsequium fidei.* Ib. pag.390. Resp. Si resistere non potest arbitrium efficaci motioni Dei , in conversione fidem homini ingenerantis , quomodo arbitrium Deo ita moventi dissentire posse, Tridentini tui decreverunt ? Cœtera nihil ad rhombum faciunt. Potest creata voluntas accipere virtutem supernaturalem, sed non eandem cooperatione sua efficere. Aliud est virtutem supernaturalem recipere, aliud efficere. Potest voluntas regenita liberè credere ; sed non vel regeneranti resistere vel regeneranti gratiæ cooperari. Neque arma illa militiæ nostræ non carnalia , sed *δυνατὰ Θεῷ potentia Deo*, ad destructionem munitionum , & quibus homo ad obsequium Christi captivatur, (2. Cor. X. 4. 5) ejusmodi sunt, ut vel *συνεργεία* nostra præparentur , vel per liberi arbitrii sive dissensum sive resistentiam, hebetari, obtundi, nedum diffringi possint.

ARG. IV. Generanti, potenter trahenti, creanti, vivificanti nullum arbitrium resistit. Ergo nec regeneranti, recreanti, potenter trahenti, vivificanti gratiæ, qualem esse eam, quâ convertimur, Scriptura Psalm. LI. 8. Joh. III. 3. 5. & v. 44. 45. Ephes. II. 5. alibíque passim ostendit.

RESP. REDINO : *Gratiæ regeneranti & vivificanti nullum equidem arbitrium per se immediatè resistere potest. Gratiæ verò actuali ad fidem & pœnitentiam, ceu præviam dispositionem justificationis , moventi, sufficienti puta, quæ dat in actu primo vires ad supernaturaliter operandum , non efficaci, resistere potest.* Ib. pag. 390 - 393. Resp. 1. Gratiam regenerantem ab actuali quomodo distinguas, videris ipse. Nam & regenerans actualis est , quia & actio Dei est , creationi , generationi, vivificationi non absimilis : & actu dat tum potentiam, tum actum credendi , Phil. I. 29. II. 13. Præterea fidem & pœnitentiam perperam tum præponis regenerationi, tum dispositionem utramque ad justificationem facis. Nulla enim sine regeneratione vera fides, pœnitentia nulla. Utraque vitæ spiritualis recuperatæ actus est. 2. Sed & sufficientem gratiam, puta talem non *κτ̃ n secundum quid* , in genere externorum mediorum , sed *ἁπλῶς absolutè*, salutarem scilicet, ab efficaci , seu actu pollente, præpostere separas. *Sufficit tibi* , inquiebat Christus Paulo 2. Cor. XII. 9. *gratia mea. Potentia enim mea in debilitate perficitur.* Quæ igitur sufficiens gratia est, eadem potentiam, quæ perficitur, adeóque efficax est, conjunctam habet. Et, dic mihi, Redingi, sufficiens gratia, an comitem habet eandem potentiam, quam Deus actu in creatione & vivificatione ex mortuis exerit, nec ne. Si affirmas, utique efficax eadem est , nec ulla arbitrii resistentia impediri potest. Si negas, nec gratia ea sufficiens erit , utpote potentia ea carens ; nec convertens & regenerans gratia, de qua sola quæstio est , eluebit. Et quomodo gratia sufficiens dici potest, quæ vitiosam Deo vocanti resistendi potentiam non tollere , nec voluntatem indeclinabilem ad obedientiam permovere potest ? Annon sic Diabolus , improbus ille , qui est in mundo , fortior erit Deo, qui habitat in filiis Dei. quod S. Johannes 1. Epist. II. 14. IV. 4. negat. Sed & ficulneam distinctionem tuam solidissimis insuper argumentis ex Augustino depromptis Jansenius vester *de gratia Christi Salvatoris lib. III. cap. 1.* confixit, qualia sunt. quòd ex mente Augustini (nos addimus , ipsius verbi Dei) sufficiens gratia , seu sufficiens adjutorium , *præter quod* (ita enim à vobis definiri solet) *nihil aliud ex parte DEI per modum princi-*

pii neceſſarium ſit, ut homo velit aut operetur; quatenus illud ab efficaci diſtinguitur, ſit adjutorium non *quo*, ſed *ſine quo non* fit opus, adeóque voluntatis ſanæ, ſeu primi hominis, non ægrotæ; ſupponens robuſtam ſanámque voluntatem: quòd ſit adjutorium tantùm poſſibilitatis, non voluntatis & actionis, utpote dans homini poſſe, ſi velit, non velle, quod poſſit; adeóque adjutorium Pelagianicum, non Chriſti Salvatoris: quod ſit adjutorium ejuſmodi, quale Maſſilienſes ad credendum neceſſarium eſſe, atque ſic ſufficere ſtatuebant, ut cum eo credere poſſet homo, ſi vellet, qui tamen, ceu hæretici, proſcripti ſint eam ſolam ob cauſam, quòd tale auxilium homini ſufficere putarent: quòd, ſi cum tali adjutorio ſufficienti nunc homo poſſet operari, conſequenter homo poſt lapſum poſſet ſibi ipſi, Deo non ſpecialiter donante bonas actiones ac meritum dare; poſſet per liberum arbitrium, gratia non donante, à lapſu ſurgere, in veritate ſtare, perſeverare, vitam æternam, veluti mercedem humanorum meritorum adipiſci, denique ſe ipſum ab aliis ſuæ voluntatis libertate diſcernere: quòd denique tale adjutorium repugnet precibus, quas vel Deus Eccleſiæ ſuæ tradidit & inſpiravit, vel ipſa ſibi à Spiritu S. erudita formavit, tum quia in univerſis ejus precibus non reperiatur ulla oratio, qua filiis ſuis, vel in filiis petat *poſſe, ſi velint*: tum quia tollat funditus fidelium orationes, quibus precantur ſive pro aliis, ut convertantur, ſive pro ſe ipſis, ut bene vivendo proficiant, cùm ex hypotheſi aſſertorum adjutorii hujus illud ſemper omnibus etiam induratis præſens ſit. Non levia hæc folia ſunt, ſed ſaxa, ſed arbores ſunt, quas nunquam Sophiſticâ tuâ proſternere poteris. Imbelles verò ratiunculas tuas idem mox Janſenius *ibid. cap. 13. &c.* ſolidiſſimè refellit. Et ne Janſenii, quem non ſegniùs, quàm ipſum Calvinum odiſtis, authoritatem (quanquam ejus potiùs argumenta urgeo) deſpicias, noveris etiam, Didacum Alvarez *lib. 8. de auxil. diſp. 71. ſt. 1.* non tantùm eandem diſtinctionem exploſiſſe, ſed etiam ex Paulo Bennio *de efficac. grat. cap. 3. 4. &c.* oſtendiſſe, non ſolùm ipſi Bennio, ſed etiam Oſorio, & Johanni Antonio Delphino, qui Tridentini Concilii pars fuit, eam validè improbari. Hos hiatus, ſi potes, priùs ſana.

ARG. V. Deus hominem convertens & regenerans non ſolùm dat poſſe credere, ſed *operatur velle & perficere in nobis*, Phil. II. 13. dat *credere & pati*, Phil. I. 29. efficit, *ut ambulemus* in præceptis ejus, Ezech. XXXVI. 27. Ergo Dei gratia ita efficaciter operatur, ut tollat & reſiſtentiam omnem & reſiſtibilitatem.

RESP. REDING: 1. *Deum ita in nobis operari velle, ut voluntas non cooperetur activè, cum ipſa volationis eſſentia pugnat. 2. Gratia illa, quæ non tantùm potentiam, ſed etiam actum volendi, credendi impertitur, efficax eſt, non in primo duntaxat, ſed in ſecundo etiam actu; cui reſiſti non poſſe, fatemur. Synodus enim aſſerens, poſſe voluntatem gratiæ excitanti & vocanti diſſentire, ſi velit, de gratia efficaci in actu primo, non ſecundo loquitur.* Ib. pag. 393. Reſp. 1. Quomodo verò Deo operanti in nobis velle bonum, activè voluntas cooperatur? Etenim cooperatio ſupponit voluntatem actu cooperantem. Cooperari autem voluntas nequit, niſi priùs velle bonum Deus operatus fuerit. Poſtquam verò illud gratia ſua convertente Deus operatus eſt, adeóque gratificatus eſt & *velle & perficere*: & *credere* & *pati*: adeóque etiam *ambulare in præceptis Domini*, tum verò voluntatem etiam activè cooperari, nulli dubitamus. Statum igitur peccati & gratiæ ubique confundis. 2. Tuum de duplici gratia, ſufficiente & efficaci κενοφώνιον jam diſcuſſimus.

Addo,

Digitized by Google

Addo, Tridentinos nec inter gratiam sufficientem & efficacem, nec inter actus efficacis gratiæ discrimen ullum statuere. Simpliciter liberum arbitrium à gratia *motum & excitatum* (quod secundum, non primum gratiæ actum manifestè sonat) *dissentire, si velit, posse*, decernunt. Ostendi etiam à te discupio, cujusmodi inter gratiam sufficientem & efficacem in primo actu differentia sit. Ego verò nec illam verè sufficientem, cùm indigeat ulteriore gratia, absque qua nulla salus est; nec hanc efficacem esse, cùm nec conversionem, nec salutem efficiat, statuo.

ARG. VI. Deus fidelibus promittit, fore, ut auferat duritiem, præputium cordis, & cor lapideum, detque cor novum & carneum, Spiritum novum & voluntarium, Deuter. XXX. 6. Ezech. XXXVI. 27. Ipse igitur gratiæ regenerantis potentiâ & efficaciâ aufert resistibilitatem. Et sanè cor novum & spiritus novus pugnat è diametro cum finali & completa potentia resistendi Deo efficaciter vocanti. Ita enim homines haberent cor novum, quod se daturum promittit Deus, & nunquam converterentur, adeoque & converterentur & non converterentur.

RESP. REDINO: *Deus gratiæ suæ efficaciâ ita dat cor novum, ut eatenus impossibile sit, hominem non converti. Hæc tamen impossibilitas non tollit potentiam resistendi gratiæ in actu primo efficaci.* Ib. pag. 393. 394. Resp. Distinctionis tuæ inter gratiam efficacem in primo & secundo actu, absque qua esset, ad solidissimum argumentum meum ne hiscere quidem potuisses, monstrum supra debellavi.

ARG. VII. Scriptura operationem gratiæ convertentis non definit sola suasione morali & inspiratione, cujus eventus situs sit in arbitrio hominis, sed actione tam efficaci, támque potenti, ut nunquam eventus eam destituat, Jerem. XX. 7. Psalm. CXV. 3. Joh. VI. 44. Joh. XII. 32. Ephes. I. 19. Apud Hoseam Cap. XI. 4. vocantur *funiculi humanitatis, & densi funes amoris.*

RESP. REDINO: *Neque nos operationem gratiæ convertentis sola suasione morali definimus, sed præter hanc duplex adjutorium, unum sufficiens, efficax alterum, dans ipsum velle ac operari, neque unquam eventum destituens, agnoscimus, præeunte Augustino, qui passim adjutorium, cum quo aliquid fit, & sine quo aliquid non fit, distinguit.* 2. *Ipsum Concilium Tridentinum Sess. VI. duplex illud adjutorium insinuat. Nam Can. 3. definiens, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejusdem adjutorio credere, sperare, diligere aut pœnitere homines non posse, adjutorium sine quo non fit opus, seu tenens se ex parte actus primi innuit. Ast Can. 4. asserens, liberum arbitrium à Deo motum & excitatum Deo excitanti atque vocanti cooperari, adjutorium cum quo opus fit, seu tenens se ex parte actus secundi, haud obscurè agnoscit, quia liberum arbitrium, prout à Deo movetur & excitatur, Deo excitanti & vocanti dicitur cooperari; unde consequens est, ut consensum, in quo formaliter est cooperatio liberi arbitrii, Deus operetur.* 3. *Sed & S. Augustinus passim docet, gratiæ efficaciam consistere in actione Dei, voluntatis nostræ consensum antecedente, táque tam potente, ut nunquam eventus eam destituat, salva tamen arbitrii nostri libertate.*

 4. *Quin*

Digitized by Google

4. *Quin efficacia gratiæ ex ſe omnino infallibilis non tantùm libertatem non tollit, ſed ejus potiùs radix eſt.* Ib. pag.394.-397. Reſp.1. Certiſſimum cauſæ noſtræ pervincentis indicium eſt, quòd cum argumento noſtro confligere aliter non potes, quàm ſententiam veſtram detorquendo, atque ita inflectendo, ut quàm proximè ad noſtram accedat. Si ſeriò & ſincerè, Redingi, agis, & communem, ab ipſis etiam Tridentinis definitam, uti tu pertendis, ſententiam profers, cur Andabatarum more pugnas, & non potiùs & dextram & herbam nobis porrigis? Sed vereor, ut ingenue agas. Alias non omiſiſſes veſtrorum Theologorum circa efficaciam gratiæ diſſidentes opiniones pandere. Bellarminus ſanè *de grat. & lib. arbitr. lib.I. cap.*12. tres eam in rem Theologorum veſtrorum opiniones recitat, duas extremas, & unam mediam. *Prima* extrema eorum eſt, qui gratiam efficacem conſtituunt in aſſenſu & cooperatione humana, ita ut ab eventu dicatur efficax, quia videlicet ſortitur effectum, & ideo ſortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur. Hanc ſententiam, ceu alienam à mente S. Auguſtini, & fundamentum prædeſtinationis Divinæ evertentem ille rejicit: & meritò rejicit. Sed authores ejus fautoréſque magnos memorare etiam debuerat, puta Ludovicum Molinam, Becanum, (quorum ſupra verba retuli) pluréſque idem, fucatis licet verbis, ſentientes, Suarezium, Vaſquezium, quin & ipſum Bellarminum, qui verbis ab ea alienus, reapſe eandem tuetur. *Secunda* extrema opinio eorum eſt, qui docent gratiam efficacem eſſe actionem Dei phyſicam, quæ determinat voluntatem ad volendum, & eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inſpiratum; habens effectum infallibilem, quia fieri non poteſt, ut Deus phyſicè determinet voluntatem, quin ipſa voluntas determinetur, & velit id, ad quod determinatur. Hanc opinionem parum ab errore Calvini & Lutheranorum diſtare, liberum arbitrium & gratiam ſufficientem deſtruere, Bellarminus monet, ſilentio involvens ejus aſſertores, Thomam ab Aquino, eiúſque aſſeclas, inprimis Alvarezium. *Tertiam* mediam opinionem tribuit idem S. Auguſtino, in eo conſiſtentem, quòd gratia efficax collocanda ſit in interna ſuaſione, quæ per liberum arbitrium reſpui poſſit, & tamen infallibilem effectum habeat, quia Deus eam ſuaſionem adhibeat, quam congruere novit ingenio eorum, quos efficaciter & infallibiliter decrevit, & quam certò novit ab eis non contemnendam. Huic opinioni, in ſuaſione morali interna, ſuaſionis & gratiæ congruitate, & Dei de ſuaſionis & gratiæ congruo effectu in converſione illius, qui vocatur, præſcientia ipſe Bellarminus aſſentitur. Cœterùm licet ſimilia in S. Scriptura, & apud Auguſtinum legere ſit, non tamen illa gratiæ efficacis peripheriam, in S. Scriptura, & ipſo quoque Auguſtino integriùs traditam, abſolvunt. Nam una cum ſuaſione interna morali conjungi debuit realis efficientia Dei, qua novum principium ſpiritualis vitæ cordi hominis efficaciter vocati ingeneratur, & homo ſimul ad hujus vitæ actus exercendos excitatur. Tum gratia Dei ex ſe & intrinſeca ſua natura eſt congrua, & ad efficiendam converſionem efficax, quam Bellarminus à rebus extrinſecus, complexione videlicet, diſpoſitione & circumſtantiis loci, temporis ac modi, quo ſuaſio illa adhibetur, ſuſpendit. Denique Deus converſionis futuræ certam habet ſcientiam, quia eam decrevit, cùm Jeſuitarum ſcientia media nulli fundamento innitatur, adeóque prorſus incerta & fallax ſit. Sed quicquid de hac fiat, intelligis, Redingi, ex opinionum veſtrarum diſcrepantium recenſione, eſſe inter vos non poſtremos, ſed facilè primos pluréſque, (quis enim Jeſuitas & ſequaces in ſecundis conſiſtere dixerit?) qui gratiæ efficaciam in ſuaſione morali conſtituant: atque te, illos ſilentio involventem, fucum facere. Adjutorii verò duplicis diſtinctionem ſupra excuſſimus. Vel non legiſti, vel non intelligis certè Auguſti-

num,

Digitized by Google

num, adjutorium *ſine quo non fit opus, & cum quo fit opus*, diſtinguentem. Neque enim ille utrumque in natura corrupta, de qua ſola nobis quæſtio eſt, agnovit; ſed illud in natura ſana & integra, hoc in corrupta. 2. Concilii porro Tridentini Canones ad ſtatuminandam gratiæ ſufficientis & efficacis quoad ſecundum actum diſtinctionem, obtorto planè callo rapis. Neque enim illud gratiam efficacem quoad actum ſecundum, ſeu velle & operari ipſum, agnoſcit. Licet enim Canone quarto definiverit, *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum cooperari*; non tamen neceſſariò ita cooperari, ut non poſſit non cooperari, definivit. Quin ſtatim anathema illis dicit, qui negant, liberum arbitrium *Deo excitanti & vocanti diſſentire non poſſe*. Cave, ne anathema illud Te, gratiam prædeterminantem aſſerentem, & ſuaſionem moralem Jeſuitarum rejicientem, feriat. Facilè enim Tridentini tui regerent, ſe conſenſum & cooperationem arbitrii cum Deo operante ſtatuiſſe equidem, at liberam, qua ita conſentire, ut etiam diſſentire arbitrium poſſit: neque adeò gratiam excitantem arbitrii cooperationem neceſſariò & ſemper operari. Verbo dicam: Tridentina definitio apertè Jeſuiticæ ſuaſioni, non Thomiſtarum prædeterminationi favet. 3. Auguſtino gratiæ convertentis efficaciam maſculè vindicanti, calculum libentes addimus. Et cum eodem agnoſcimus arbitrium cum eadem gratia conjunctum, ſed ante regenerationem ſervum, adeóque regenerationem non operans, ſed recipiens. *Quis trahitur*, (ſic ille *lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagii ad Bonifac. cap. 19.* ſcribit) *ſi jam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.* Vel ſola hæc S. Patris verba cooperationi arbitrii in primis converſionis motibus jugulum petunt. 4. Radicem libertatis ab efficaci gratia optimè arceſſis. Non igitur arbitrium tum, cùm efficaciter Deus converſionem operatur, ut gratiæ cooperetur, adeſt; ſed converſionem recipit, & receptæ cooperari demum incipit.

ARG. VIII. Abſurda plurima ſequerentur. Si gratia DEI regenerans non eſſet niſi moralis ſuaſio, cui annuere vel renuere voluntas poſſet, non eſſet fortior quàm oratoris ſuada, quæ flectit ſæpe nolentes: Communis eſſet non renatis, quibus daretur, ſed data repudiaretur, cùm ſcriptura eam faciat filiorum Dei propriam, Rom. VIII. 14. Joh. XIV. 17. Decreta Dei poſſent reſcindi, conſilia mutari, intentiones falli: Efficacia meritorum Chriſti, & ſalus electorum à Deo intenta penderet à libero arbitrio: Fruſtra oraremus Deum converſionem, quia oraremus id, quod Deus facere non poteſt niſi everſâ libertate: Homo ſeipſum diſcerneret: Penes liberum arbitrium, non penes Deum eſſet, quòd homines aliqui ſalvantur, quòd eccleſia eſt in mundo, quòd Chriſtus ſponſus uxorem, caput membra, Rex ſubditos habet, & quid non?

Resp. Reding: 1. *Abſurda hæc optimè S. Auguſtinus refutavit.* 2. *Ad hæreſin veſtram evitandam duplex voluntatis Divinæ in ordine ad actus noſtros liberos efficacia diſtingui debet. Alia enim eſt efficacia gratiæ, qua præcisè determinat & movet ad actum voluntatis. Alia, qua efficit tam ſubſtantiam actus liberi, quàm modum libertatis ipſius.*

Illam

Digitized by Google

Illam agnoſcimus , hanc reſpuimus. Ib. pag 397--400. Reſp. 1. Optimè abſurda hæc S. Auguſtinus, uti ſcribis, refutavit, & ante S. Auguſtinum Scriptura damnavit. Tu verò nihil ad rem reſpondes, neque cauſam dicis, cur ex morali ſuaſione abſurda hæc ab Auguſtino refutata, & à Scripturis damnata neceſſariò conſecutionis nexu non fluant. Quin tacendo (ne Ignationos tuos, ignem ciere edoctos, offendas) conſentire videris. 2. Reliqua extra chorum ſaltant, neque argumenti vim attingunt. Interim ſi per ſubſtantiam actus liberi vim eſſentialem libertatis intelligas, non nobiſcum, ſed cum lemuribus coecus luctaris. Nemo enim noſtrûm aſſeruit, ſine libero arbitrio hominem converti. Cùm enim peccatum naturam hominis non ſuſtulerit, aut in truncum converterit, in homine convertendo eſſe facultatem liberi arbitrii ultro concedimus. Aliud eſt liberi arbitrii facultas eſſentialis, aliud ſunt vires arbitrii, ſeu facultas accidentalis reſpectu boni ſpiritualis & ſupernaturalis. Has peccato amiſſas eſſe, non illam, pertendimus. Si has æquè ac illam manſiſſe integras, vel lœſas duntaxat, non perditas dixeris, intercedere non potes, quò minùs optimo jure Pelagianæ hæreſeos dicam tibi impingamus.

ARG. IX. Auguſtinus disertè DEO tribuit *humanorum cordium , quò placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem,* de gratia cap. 14. Addit: *Non eſt dubitandum, humanas voluntates non poſſe efficere, quò minùs faciat ipſe, quod vult.*

RESP. REDING: *Nemo noſtrum omnipotentiſſimam poteſtatem illam in dubium revocat. Vos verò illam è medio tollitis, negantes Deum voluntatem humanam inclinando facere poſſe, ut liberè operetur. Qua in re ab Auguſtino, qui gratiam & liberum arbitrium paſſim pluribus combinat, receditis.* Ib. pag. 400. 401. Reſp. Deum efficere non poſſe, ut voluntas liberè operetur, tantum abeſt, ut à Deo ejúſque gratia poteſtatem liberè operandi unicè arceſſamus. Sed efficere Deum velle, ut voluntas hominis in peccato mortui ſpirituali vivificationi & regenerationi ſuæ liberè cooperetur, adeóque nondum à ſtatu peccati dominantis liberata, vivat juſtitiæ, hoc verò pernegamus. Et pernegavit nobiſcum non uno loco Auguſtinus, qui non gratiam regenerantem cum libero arbitrio regenerationi cooperante, ſed cum liberi arbitrii tum facultate eſſentiali, tum viribus accidentalibus in ſtatu gratiæ conciliavit.

ARG. X. Denique & ipſi adverſarii circa hoc dogma tres in ſectas diviſi ſunt, Jeſuitarum nempe, qui *Præſcientiſtarum* nomine veniunt: Dominicanorum, qui *Prædeterminantes* vocantur, & Janſenitarum. Quorum diſſenſum vehementem aperuimus ſingulari de *Gratia Prædeſtinante* diſſertatione. Favent nobis non obſurè Prædeterminantes & Janſenitæ. Concedit etiam tandem in noſtram ſententiam ipſe Bellarminus de Gratia & Lib. Arb. lib. 12. ubi illud Auguſtini laudat: *Gratia à nullo duro corde reſpuitur, quia ipſa cor emollit.*

RESP. REDING: 1. *Diſſenſus ille in ſubtilitate quadam Scholaſtica verſatur.* 2. *Neque cum Prædeterminantium ſententia veſtra convenit. Vos enim, ſecus ac illi, negatis, cum decreto Dei efficaci arbitrii creati libertatem ſtare.* 3. *Theologi noſtri univerſim in eo conveniunt, quòd gratia efficax à nullo corde duro reſpuatur. Hoc non obſtante, in voluntate iidem agnoſcunt ſimultatem potentiæ, habentis ſub activa indifferentia electivam & domi-*

Digitized by Google

dominativam virtutem, quæ, ſtante jam conſenſu, in create arbitrio ſic illæſa ſubſiſtat, ut dominativa illa vis ita liberè conſentiat, ut diſſentire etiam poſſit. Sic igitur gratiæ efficacia ex cauſalitatis Divinæ virtute inſuperabilis eſt, ut tamen voluntas creata per potentiam ſuam electivam & dominativam liberè eam acceptet, eidem cooperetur & conſentiat. Ib. *p.*401.402. Reſp.1. Diſſenſum eſſe maximi momenti, & ſupra aſſerui, & *Differt. Select. VII. Ss.*7.8. clariſſimè probavi. Paucis multa dixit Mariana *de mort. & immort. lib. III.*8. ubi ſic ille veſtrum circa argumentum iſthoc diſſidium deplorat; *En ſcopulus, ad quem multæ confractæ ſunt naves! En Euripus rapidus, in diverſas & contrarias partes verſo mari, velut monte præcipiti devolutus torrens, fervens rixis & contentionibus. Nusquam majori animo, neque odio partium magis implacabili hiſce annis certatum eſt, usque eò, ut ad ſevera tribunalia ventum ſit, dum utrique adverſariis hæreſis crimen affingunt, quo nihil eſt gravius. Ipſe Romanus Pontifex appellatus jam aliquot annos, ea controverſia diſtrictus, nondum in pace litigantes poſuit, novo decreto promulgato.* Neque aliquot duntaxat annorum veſtra hæc fluctuatio eſt. Ante annos trecentos & quinquaginta Bradwardinus in concluſione operis, quod ſcripſit de Cauſa Dei, adverſus Pelagium, vehementer imploravit Eccleſiam Romanam, ut iſtas quæſtiones determinare dignaretur. *Simon dormit? Exſurge quæſo.* inclamabat ille. Sed adhuc dormit Simon, nec ambigua litium fata dirimit. Tu verò, Redingi, cautè admodum libras gradum, & pendente veſtigio inter Scholæ veſtræ diſſenſiones incedis. Tuis forte, ſed non noſtris, certaminum veſtrorum maximè gnaris, imponere potes. 2. Prædeterminantes nobiſcum paria facere, Bellarminus ipſe *de gratia & libero arbitrio lib. I.* 12. ingenuè fatetur. *Hæc* Prædeterminantium *opinio*, ſic ille, *mihi videtur aut eſſe omnino eadem cum errore Calvini, & Lutheranorum, aut parùm ab illo diſtare.* Saltem in efficacia gratiæ aſſerenda convenimus, quicquid de arbitrio exiſtente quidem, at gratiæ ſe ſubjiciente, fiat. 3. Quicquid etiam fiat de ſimultate potentiæ, hac quidem in quæſtione ſatis nobis eſt, quòd gratiam à nullo corde duro reſpui, cum Bellarmino concedis. Hoc, non aliud *ζητούμενον* noſtrum eſt. Sed an Tecum, Redingi, Præſcientiſtæ faciunt? Imò alia omnia illi ſentiunt; & tu aſſerens, *univerſim veſtros hic conſentire*, ſplendidè mentiris. De cætero ſi ſimultatem potentiæ ſic explicent veſtri, ut agneſcant in libero arbitrio potentiam reſiſtendi gratiæ, quatenus homo ſibi relinquitur; & ſimul potentiam conſentiendi gratiæ, quatenus homo per convertentem & excitantem gratiam jam motus, excitatus, & converſus eſt; non repugnabimus equidem. Neque enim homo motus & excitatus coactè, ſed liberè conſentit, & cauſa ſocia vitalis, ſed gratiæ prævenienti ſubordinata, exiſtit. Tuam verò potentiam non tantùm *electivam*, hoc eſt, eligentem actum conſentiendi potiùs, quàm diſſentiendi gratiæ, ſed etiam (quo ſuperbiſſimo, & Dei providentiæ iniquiſſimo vocabulo uteris) *dominativam*, ad Philoſophorum & Pelagianorum impia caſtra relegamus.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Spiritus S. gratia eſt regenerans & convertens. At huic reſtitiſſe Judæos, teſtatur Scriptura Pſal. LXXVIII.*41. *Eſaj. LXIII.*20. *Prov. I.*23. *Matth. XXIII.*37. *Act. VII.*51. Reſp.1. Agitur hiſce locis de gratia externa, ſeu externis Spiritus S. mediis, & verbo, quibus qui reſiſtit, ipſi Spiritui S. reſiſtere di-

Digitized by Google

ci poteſt,æquè atque is,qui Magiſtratuum edictis reſiſtit,Magiſtratui ipſi reſiſtere dicitur. Hic locorum illorum ſenſus ex Zachariæ VII.12. liquet. 2. Eſto,gratia Spiritus S.etiam interna indigitetur. at non indigitatur ſpecialis,ſed generalis;non regenerans,ſed convincens & coërcens.

EXCIP. REDING: 1. *Ex Proverb.I.23.24. liquet, vocationem, quam reſpuerunt vocati, non in verbis duntaxat, ſed etiam in Spiritus S. interna operatione conſtitiſſe. 2. Quæ verò illa generalis interna Spiritus S. gratia eſt? Si viribus naturæ proportionata eſt, Pelagianorum hæreſin ſapit. Sin, conſequens eſt, gratiæ ſupernaturali hominem poſſe reſiſtere. Et cur ejuſmodi gratiam ſpecialem non vocas?* Ib. p.402.403. Reſp. 1. Prov.I.23.24. ita Sapientia loquitur: תשבו לתוכחתי הנה אביעה רוחי אודיעה דברי: אתכם *Convertimi ad redargutionem meam. Ecce ſcatebræ inſtar effundam vobis Spiritum,* (ſeu) *animum meum: faciam vos ſcire ſermones meos. Quia vocavi & renuiſtis, & rejeciſtis omne conſilium meum &c. Etiam ego in calamitate veſtra ridebo vos.* Manifeſtum eſt, non aliud hic רוח *ſpiritum* ſonare, quàm voluntatem, animum Dei, ſermonibus externis, ſeu præconio Evangelico notificatum. quomodo vox רוח etiam Pſal.LXXVI.13. LXXVII.4.7. Prov.XXIX.11. accipitur. Neque aliter locum Cornelius à Lapide & Mariana interpretantur. Hoc modo exteriùs vocanti Deo, non intus cor efficaciter tangenti, ex morte peccati ſuſcitanti, vocati obſequi renuerunt illi, & renuunt hodiéque plurimi. Extra præconium externum Spiritus S. operationem progreſſam eſſe ad interiora, & quidem ad tractum potentem cordis, ſeu regenerationem totius hominis, nullo apice ibi Scriptura teſtatur. 2. Generalem gratiam Spiritus S. in illuminatione interiori & renovatione qualicunque voluntatis, ſeu coërcitione affectuum conſiſtentem, non à naturæ, ſed à gratiæ viribus pendentem, à ſpeciali & regenerante diſtinctam, Scriptura paſſim, inprimis Matth.XIII.3.4.&c. Hebr.VI.4.5.&c. tradit. Atque illi hominem reſiſtere poſſe, & actu creberimè reſiſtere, ultro fatemur. Specialem verò non inſignimus, quia ad regenerandum, vivificandum, convertendum hominem ſola comparata neutiquam eſt. Eorum certè, quæ ſupra naturam Deus in homine, interiùs etiam, operatur, lata ſatis peripheria eſt.

OBIECT. II. *Chriſtus Matth.XXIII.v.37. oſtendit, ſe Hieroſolymitanos, ceu liberos, voluiſſe congregare, ut gallina pullos ſuos congregat: at illos noluiſſe. Ergo Chriſto congreganti reſiſtere poteſt liberum arbitrium.* Reſp. 1. Agitur de gratia *viſitationis*, non *converſionis*; de voluntate *ſigni* & *præcepti*, non *decreti*. 2. Auguſtinus multis locis, eúmque ſecutus Fulgentius, aliique reſpondent, congregatos omnino fuiſſe, quos Chriſtus congregare voluerit, quamvis *Hieroſolyma*, hoc eſt, qui illic eminebant, Scribæ & Phariſæi, noluerint, & omnibus modis obſtiterint.

EXCIP. REDING: 1. *Chriſtus apertis verbis aſſerit, ſe voluiſſe congregare Hieroſolymitanos, indefinitè omnes. Nemo autem ad Chriſtum niſi per fidem, eámque juſtificantem congregatur. Quid igitur congregandi voluntas aliud eſt, quàm voluntas convertendi? 2. Eſto, fuerit voluntas ea ſigni & præcepti. Quia tamen verba Chriſti ſunt æternæ veritatis, utique etiam ſignum illud veritatem ſuam habere debuit. Conſequenter Deus converſio-*

nem

Digitized by

nem Hieroſolymitanorum realiter voluit, in medio ſaltem præbente vires ad converſionum ſufficientem. quæ ſine gratia actuali converſionis nulla eſt. Ib. pag. 403. Reſp. 1. An verò indefinita propoſitio ſemper univerſali abſolutæ æquipollet? Certè Chriſtus non quoſvis Hieroſolymitanos, ſed eos, qui Prophetas occiderunt & lapidarunt, & converti liberos ſuos noluerunt, alloquitur. adeóque ne quidem Hieroſolymitanos indefinitè. An igitur gratia illa, quam Chriſtus Hieroſolymitanis, qui liberos ſuos congregari noluerunt, obtulit, efficax, convertens, regenerant fuit, nec ne? Si prius, poteſt igitur liberum arbitrium gratiæ efficaci & regeneranti reſiſtere. quod & tu ſupra, Prædeterminantes tuos ſecutus, toties negaſti; & apertis verbis Bellarminus *de gratia & libero arbitr. lib. I. cap. 11.* negat. Si poſterius, nihil ad rem facit, quia de tali gratia quæſtio non loquitur. Non aliud ſanè Deus Hieroſolymitanis illis latronibus obtulit, quàm voluntatem congregandi filios eorum, quos congregari illi noluerunt. Voluntas autem congregandi filios pervicacium, oblata externa verba ipſis pervicacibus, num quid gratia regenerans & convertens ipſorum pervicacium eſt? Numquid arguit, poſita in actu omni actione gratiæ convertentis, in hominis poteſtate eſſe, velitne converſionis gratiam amplecti, an repudiare? Næ inſanis, Redingi, nimiùm. Non latrones illos, Patres & Principes Hieroſolymæ, qui filios ſuos congregari noluerunt, *τέκνα*, *filios* latronum illorum, hoc eſt, Filios Dei, qui erant Hieroſolymis, jus habentes ad urbem ſanctam, & communionem in ea, & ad res ſacras ibi extantes, & ad verbum Teſtamenti ibi à Chriſto & Apoſtolis prædicatum; congregare Chriſtus, donata utique juſtificante etiam fide, voluit. Et quos ita congregare voluit, hos, reluctantibus licet Patribus, uti ex Matth. XXI. 15. 16. XXIII. 13. Luc. XIX. 39. Joh. IV. 13. 7. 25. 26. 32. 45. 51. IX. 24. 28. XI. 47. 48. 53. 57. XII. 10. 11. conſtat; actu congregavit. Hoc pertendit Auguſtinus à me citatus, & à te neglectus. Sic enim *Enchirid. ad Laurent. cap. 97.* ſcribit: *Ubi eſt illa omnipotentia, qua in Cœlo & in terra omnia, quæcunque voluit, fecit, ſi colligere filios Hieruſalem voluit, & non fecit? An potiùs & illa quidem filios ſuos ab ipſo noluit colligi, ſed ea quoque nolente filios ejus collegit, quos voluit? Quia in Cœlo & in terra non quædam voluit & fecit, quædam verò voluit & non fecit, ſed omnia, quæcunque voluit, fecit.* Quæ verba Thomas Aquinas catenæ in Matthæum inſeruit. Idem Auguſtinus *Epiſt. 106.* ſic eandem in rem ſcribit: *Ipſe vocavit non ſolùm ex Judæis, verùm etiam ex gentibus, quoniam & illius Hieruſalem filios, quæ interfecit Prophetas, & lapidavit miſſos ad ſe, quamvis ipſa nolente, collegit ipſe, quos voluit; & ante incarnationem ſuam ſicut ipſos Prophetas, & poſtea quam verbum caro factum eſt, ſicut Apoſtolos & hominum millia, qui & pretia rerum ſuarum ante pedes Apoſtolorum poſuerunt. Omnes quippe illi filii ſunt Hieroſolymæ nolentis, ut colligerentur, qui tamen, illa nolente, collecti ſunt.* Neque aliter Fulgentius *de remiſſ. peccat. lib. II. cap. 2.* Ad hæc nihil reſpondere potuiſti. 2. Voluntas ſigni utique conjunctam æternam veritatem habet. Reſpondet autem ſigno, hoc eſt, verbo exteriùs à Chriſto prolato ejuſdem voluntas, ſeu conceptus animi interior. qui reſpectu *filiorum* fuit voluntas & propoſitum actu eos congregandi, ipſáque congregatio actualis. reſpectu *Patrum* verò ſeu *Principium latronum* voluntas eoſdem malitiæ ſuæ convincendi, *αὐτοκατακρίτους* conſtituendi.

OBIECT. III. *Etiam illis, qui non convertuntur, dari gratiam ſufficientem, oſtendit Scriptura, Eſaj. V. v. 4. Quid amplius faciam vineæ? Et Ezech. XII. 2. inducuntur oculos habentes & non videntes. Ergo gratiæ ſufficienti, adeóque etiam convertenti reſiſtere*

homines possunt. Resp. Loca citata gratiæ sufficientis commentum non probant. Nam 1. Esaj. V. 4. Deus ostendit, non quid *internè* per gratiam efficacem operans, sed quid *externè* per ministros suadens effecerit, non quos *pedo* gratiæ traxerit, sed quos *fistulâ* præconii invitaverit. 2. Ezech. XII. 2. oculi populo universo dati, non sunt gratiæ convertentis symbolum, sed intelliguntur oculi, quibus tum vera multa cognoscere, & de veritate verbi divini certi esse, tum Dei judicia intueri, & ad ea contremiscere, tum à peccatis externis atrocibus, iram Dei provocantibus, desistere potuerunt.

EXCIP. REDING: 1. *Siccine præconium vestrum ita Dei gratia destituitur, ut qui ejusdem fistula invitantur, pedo gratiæ non trahantur itidem? 2. Nisi conferat Deus vires sufficientes ad ea, quæ ipse requirit, quomodo verificatur, non posse Deum ultra quid vineæ suæ facere? 3. Quomodo absque gratia Dei sufficiente oculi vera multa cognoscere, de verbi Divini veritate esse certi, Dei judicia intueri, & ad ea contremiscere possunt?* Ibid. pag. 404. Resp. 1. Ne ipsorum quidem Prophetarum & Apostolorum præconium ejusmodi fistula fuit, quæ gratiæ pedum comitans semper habuerit. An enim pedo gratiæ Deus traxit eos, quos hoc loco Esajas alloquitur, & quos idem cap. LIII. 1. hic verbis ferit: *Quis credidit prædicationi nostræ, & brachium Domini cui revelatum est?* De vestra fistula quid dicam? Similis est משרקיתא *fistulæ* illi, ad cujus sonitum Babylonii quondam coram statua aurea à Nebucadnezare erecta procubuerunt, ut eam adorarent, Dan. III. 7. 10. &c. Ubi Deus dixit, se non posse vineæ suæ ampliùs quid facere? Sic enim v. 4. loquitur: מה לעשות עוד לכרמי ולא עשיתי בו *Quid faciendum ampliùs erat vineæ meæ, & non feci in ea?* De faciendi ulteriùs quid, in genere puta externorum salutis mediorum, de quibus solis agit, officio, post tot præstita & perdita beneficia, non de potentia manifestè loquitur. Quòd autem non affirmet, se omne auxilium, adeóque etiam regenerantem gratiam populo suo dedisse, satis inde colligitur, quia non alius parabolæ scopus est, quàm demonstrare, plus requiri ad hoc, ut homines fructum ferant Deo, quàm omnia externa media & communia beneficia, nimirum regenerationem etiam & sanctificationem Spiritus, adeóque emollitionem cordium per eandem. Proin parabola ea adversis quasi cornibus validóque impetu gratiam indifferentem, & potestatem hominis ad sui conversionem sine auxilio efficaci & circumcisione cordis, destruit. 3. Plus certè ad gratiam eam, quæ ad conversionem regenerationémque hominis sufficiat, requiritur, quàm oculi videntes, auréSque audientes, hoc est, vera multa, verbi cumprimis Divini veritatem cognoscentes, & ad Dei judicia contremiscentes. cujusmodi etiam Pseudopropheta Bileamus habuit. Cordis insuper mutatio & circumcisio, gratiáque adeò regenerans & sanctificans necessaria est. absque est, nihil oculi videntes & aures audientes ad salutem proficere possunt.

OBIECT. IV. *Si gratiæ convertenti homo resistere nullo modo potest, conversio & regeneratio ipsa erit coacta & violenta. Atqui Cant. I. 4. Jerem. XX. 7. & XXXI. 18. 19. gratiæ convertentis indoles describitur talis, quæ procul à vi & coactione abest.* Resp. Conversionem non esse coactam fatemur. Neque verò cogi-

tur

tur homo,quia reſiſtere non poteſt. Vis enim illa Spiritus S. πειθανά-γκιος & flexanima ita intellectum & voluntatem regenerat,ita affectuum habenas moderatur,ut voluntas veluti ex mortuis reſurgens,cum quodam jubilo & ſpirituali lætitia ſponte ſuum creatorem & ἀναγεννήσαντα ſequatur.

Excip. Reding: *1. Nihil eorum,quæ adducis,Cant.I.4. & Jerem.XX.7. extat. 2. Quomodo trahentem currendo inſequi poteſt, (quod Cant.I.v.3. dicitur) qui non cooperatur gratiæ? Curſus utique cooperationem dicit. 3. Quin & Jerem.XXXI.18.19. gratiæ converſionis ita prævenire voluntatem innuitur,ut voluntas mota & excitata cooperari, agendo pænitentiam, dicatur.* Ib. pag.404. Reſp.1. Lege,ſi potes, originalem textum. Ibi Cantic I.4. (non 3.) verba citata exhibentur. Et Jerem.XX.7. ſic fidelis anima loquitur: פתיתני יהוה ואפת *Illexiſti me, ô Jehova, & illectus ſum.* Ubi gratia convertens in ſuavi ſimul ac potenti operatione,quæ ſuaviſſimum poſt ſe obſequium & inſuperabilem effectum trahit,collocatur. Hoc tu,vulgati Interpretis tui,qui legit: *Seduxiſti me & ſeductus ſum* (quaſi Deus quenquam ſeduceret, vel פִּתָּה non aliud quàm ſeductionem ſignificaret) *παρεμβολικῶς* ſeductus, non intellexiſti. 2. Curſus operationem, vel cooperationem dicit,ſed non eam,quæ tractum vel antecedat, vel comitetur; verùm, quæ eundem conſequatur. Neque enim homo ſe ipſum trahit, atque ſic currit una cum trahente Deo,ſed tractus vires currendi ſortitur, alacritérque demum currit. 3. Eadem voluntas mala non movetur duntaxat,ſed ipſa etiam motionis in ſe principium recipit, atque deinceps ſe una cum,vel ſub Deo movente, movet. Converſionis initium,de quo ſolo quæſtio eſt, & progreſſum ubique tu confundis. Præterea reſponſionem meam ad argumentum à Jeſuitis veſtris motum non attingis, quin potiùs, ab iis devius,confirmas, aſſerendo,*non bonam eſſe illationem, qua concluditur,converſionem ac regenerationem fore violentam,ſi gratiæ convertenti homo reſiſtere nequeat.* Hoc ipſum pertendo,ſed ratione ſolidiore, qua paſſim etiam S. Auguſtinus utitur.

OBIECT. V. *Deus homines ordinariè verbo convertit: Ergo non convertit ex efficacitate,cui reſiſtere non poſſint. Verbum enim non continet niſi mandata, ſuaſiones, promiſſiones, & comminationes, quæ non niſi moraliter agunt, & ſæpe quod ſuadent, non perſuadent.* Reſp. Converſio à verbo Dei eſt *organicè*,à Spiritu S.*principaliter.* Is enim interna actione cum verbo concurrente intellectum hominis illuminat,& voluntatem ſanctificat.

Excip. Reding: *Nos verò ita gratiam in ſuaſionibus & promiſſionibus, moralique adeò actione conſtituimus, ut efficaciam, ipſum velle operantem, non excludamus.* Ib. pag.404. 405. Reſp. Ita vos, Prædeterminantes, Alvarez, Bannes, Cumel, Riſpolis, Nugno, quibus hac quidem in controverſia non planè læva mens eſt; & quorum opinionem à Calviniſtarum opinione parùm,vel nihil differre, Bellarminus *de grat. & lib. arbit. lib.I.12.* diſertè aſſerit. Aliter longè Tridentini,aliter Jeſuitæ, & mercium Jeſuiticarum clitellerii, uti ſupra vidimus. Sanè Bellarmini *loc. cit.* theſis eſt,ex ſua & S.Auguſtini mente *gratiam efficacem conſiſtere in vocatione, ſive perſuaſione & illuſtratione interna, quæ ad gratiam excitantem potiùs quàm adjuvantem, ſi per adjuvantem phyſicam* (hoc eſt,realem) *Dei cooperationem intelligamus, pertineat.*

QUÆSTIO III.

An poſt Adami peccatum Liberum Arbitrium hominis ita ſit amiſſum & extinctum, ut ante regenerationem in ſpiritualibus penitus nihil valeat?

NEgat Synodus Canone V. Nos *eſſentialem* libertatem volendi & nolendi etiam poſt lapſum remanſiſſe fatemur. Etiam *accidentales* arbitrii vires reſpectu objecti certi, putà boni tum *naturalis*, tum *civilis*, tum *moralis externi* reſiduas manſiſſe largimur, ſalva tamen præſcientia, decreto & prædeterminatione Dei. At remanſiſſe liberum arbitrium in *ſpiritualibus* & *moralibus*, prout ea *lege* Dei præſcribuntur, ſive integrum, ſive vulneratum duntaxat & debilitatum, non occiſum & extinctum, negamus. Rationes noſtræ ſunt:

ARG. I. Peccatum homini irregenito ita naturale eſt, ut nihil niſi peccare poſſit, Geneſ. VI 5. Epheſ. II. 3. Joh. III. 6. Jerem. XIII. 24. Naturale autem quod hoc modo eſt, excludit potentiam ad oppoſitum.

RESP. REDING: 1. *An igitur peccatumchomini ita naturale eſt, ut in ipſis naturæ principiis radicatum ſit? Atqui hoc Manichæiſmum ſapit.* 2. *Geneſ. VI. 5. dicitur, hominis cogitationes omnes ad malum intentas eſſe. At congenita illa inclinatio formaliter peccatum non eſt, niſi voluntatis conſenſus accedat. Epheſ. II. 3. Apoſtolus hoc unum teſtatur, gentes & Judæos nondum converſos fuiſſe natura filios iræ; adeóque in prima nativitate peccatum ex Adamo in eos propagatum eſſe.* 3. *Quomodo gentes natura faciunt ea, quæ legis ſunt, Rom. II. 14. ſi peccatum iisdem naturale eſt?* 4. *In irregenito denique gratia Dei locum habere poteſt, per quam bonum morale ordinis vel naturalis, vel ſupernaturalis operari poſſit.* Ib. pag 405 406. Reſp. 1. Homini irregenito peccatum eſt altera quaſi natura, non ea, quæ primùm à Deo condita eſt. quia Deus author peccati eſſe nequit. Manat enim in prima conceptione & nativitate ab ea conditione, quam ſibi proprio vitio homo fecit; quæ cum prima homini accidentaria fuerit, deinceps naturalis facta eſt. Et radices in ipſis naturæ principiis, intellectu voluntate, appetitu altiſſimas fecit. Et quomodo naturale homini non eſt, quod per naturalem generationem in ſingulos propagatur? Egóne, Redingi, Manichæus ſum, an tu, naturalem illam hominis conditionem negans, Pelagianus? Quæ enim ſic naturalia ſunt, nec à Deo ſunt, nec ipſa natura, prout illa à Deo eſt, & in genere Entis conſideratur, ſunt, nec evitari, niſi per Divinam potentiam, poſſunt. Quin ipſi libero hominis arbitrio ſic peccatum naturale eſt, ut non aliud quàm liberè peccare, nec ſuis viribus à peccato liberari ullatenus poſſit. 2. Geneſ. VI. 5.

figmen-

figmentum omne cogitationum cordis humani duntaxat malum omni die dicitur. Quod רק רע *duntaxat, nonniſi malum* dicitur, tu formaliter peccatum eſſe negas. Quid ergo formaliter peccatum eſt, ſi quod *duntaxat malum* eſt, peccatum non eſt? Et quid homini irregenito naturale eſt, ſi quod in eo duntaxat malum eſt כל יום *omni die*, adeóque ipſo etiam conceptionis & nativitatis die, ſeu, uti cap. VIII.21. dicitur, מנעריו *à pueritia ejus*, ſeu prima infantia, qua fœtus ex materno utero excutitur, (hæc enim vocis emphaſis eſt) naturale ei non eſt? Et ſi Epheſ II.3. innuitur, Judæos & gentiles peccatum ex Adamo per generationem naturalem contraxiſſe, quid aliud innuitur, quàm peccatum iis naturale fuiſſe? In *filiis iræ* ſupponitur peccatum, quia ira Dei non exeritur niſi in peccatorem. Neceſſe igitur eſt in iis, qui natura ſunt obnoxii iræ, naturaliter etiam peccatum inſit. Quid quòd *natura filii iræ* dicuntur non ob peccatum duntaxat originis, ſed ob actualia etiam. Neque enim aliò referri poſſunt *παραπτώμασι καὶ ἁμαρτίαις offenſæ & peccata*, (actualia utique, quia originale unicum eſt) quæ v.1.-3. inde Apoſtolus arceſſit, quòd homo natura filius iræ eſt. Sed & Joh III.6. *quod ex carne genitum eſt, caro* dicitur. talis ſcilicet caro, qualis privationis Regni Dei cauſa eſſe poteſt, adeóque peccatrix, atque nonniſi peccatrix. ut ſenſus ſit, id quod generatur à carne peccatrice, ſeu à peccato, ita carnem peccatricem, ſeu peccatum eſſe, ut non ſit aliunde caro, ſed inde, quia à carne generatur. Annon igitur carnalem, ſeu peccatorem eſſe, homini naturale eſt? Denique Jerem. XIII. 24. (juxta textum Hebræum; non v.22. uti malè Redingius) & præmiſſa, quòd homini naturale ſit peccatum. & concluſio, quòd propterea bene facere, adeóque & bene & malè facere in ſua poteſtate homo non habeat, extat. *An mutabit*, ita Jeremias, *Æthiops cutem ſuam, & pardus maculas ſuas? Etiam vos, qui malo aſſueti eſtis, poteritis bene facere.* Sicut igitur æthiopi nigro cutis, pardo maculæ ita naturales ſunt, ut nec ille non niger eſſe, nec hic maculis carere poſſit: ſic למד הרע *edoctum eſſe* (non utique ab inveterata conſuetudiue duntaxat, ſed à natura ipſa; aliâs ſimilitudo claudicaret) *malè facere* ita homini irregenito naturale eſt, ut natura nonniſi הרע *malè facere* poſſit, & הטיב *bene facere* non poſſit. An quid ultra, Redingi, ſatagere potes? 3. Fecerunt interim gentes *natura, quæ legis ſunt*, Rom. II.14. quoad ſubſtantiam externi actus, & diſciplinæ externæ honeſtatem; non quoad ſpiritualem vel moralem etiam tum internam tum externam rectitudinem; nec ſine coercente gratia Dei. 4. Poteſt proin etiam apud irregenitos locum habere gratia Dei, aſt non ejuſmodi, qua, manentes tales bonum quid quoad vel ſpiritualem, vel moralem ſecundum omnes cauſas rectitudinem, facere poſſint. Neque de hoc quæſtio eſt.

ARG. II. Potentiæ naturales hominis penitus corruptæ & vitiatæ ſunt. De intellectu liquet ex Luc. I.79. Epheſ. IV.18. Rom. I.21. 1. Cor. II 14. De voluntate ex Jerem. XVI.10. Rom. I.24. VII.5. Si autem oculus malus fuerit, totum corpus malum eſt, teſte Chriſto.

Resp. Reding: 1. *Nil loca à te citata probant. Etenim Luc. I. 79. ſic in tenebris & umbra mortis ſediſſe dicuntur, ut tamen Divinæ illuminationi ad intellectum utique locum ceſſerint. Rom. I.24. ita gentes in reprobum ſenſum traditæ dicuntur, ut liberum arbitrium in iis extinctum minimè dicatur. Nam, Auguſtino etiam lib. de gratia & arbitr. cap. 23. judice, Pharao ſimiliter obduratus non propterea libero arbitrio caruit; utpote qui ſe ipſum per liberum arbitrium obduravit; & per liberum arbitrium populum*

pulum non dimisit, adeóque etiam dimittere potùis. 1. *Cor. II. 14. animalis homo ea, quæ spiritus sunt, capere negatur. Potest tamen homo etiam animalis per gratiam actualem elevari ad operationes intellectuales & morales, quæ gratiam sanctificantem non supponunt.* 3. *Quomodo verbis Christi Matth. VI. 23. Si oculus tuus malus est, totum corpus tenebrosum erit; liberum arbitrium oppugnas? Etenim verbis iis cohærent v. 20. Thesaurizate vobis thesauros in Cœlo; ex quibus Augustinus de grat. & lib. arbitr. cap. 2. contra liberum hominis arbitrium probavit.* Ib. p. 406–408. Resp. 1. Loca citata sic stringunt, ut tu iis non potueris nisi bullas tenuissimi flatus opponere. Etenim Luc. I. 79. ii, qui in tenebris sederunt ante, locum utique Christo, vero lumini, cesserunt; postquam scilicet *ἀνατολὴ ἐξ ὕψους Oriens* (Sol justitiæ) *ex alto* eosdem visitavit. An verò sic à Christo illuminati & visitati manserunt irregeniti? An non potiùs per *ἐπιφάνειαν illucescentiam* & *visitationem* illam Christi *γνῶσιν σωτηρίας καὶ ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν notitiam salutis & remissionem peccatorum*, uti v. 77. habetur, acceperunt? Et qualis quæso ad bonum spirituale & morale integrum libertas superstes fuit in iis, quos S. Paulus Rom. I. 24. in reprobum sensum datos dixit? Pharao, obduratus licet, inquis, liberum tamen, Augustino teste, arbitrium habuit. Sed cujus respectu? Spiritualis & moralis integri boni? Imò verò, uti ipsemet asseris, obdurationis & pertinaciæ in populo impediendo. Hæccine libertas est in bono spirituali & morali integro? Sed potuit, inquis, liberè non dimittere: Ergo liberè etiam dimittere potuit. Imò verò dimisit tandem liberè. Sed dimissio illa libera non spiritualis, verùm civilis, vel moralis externus actus fuit. Quanquam non ex loco Rom I. 24. sed potiùs v. 21. ubi gentibus gratiæ regenerantis expertibus *σκοτισμὸς καὶ ἀσύνετος καρδία, obtenebratio & cor insciens* tribuitur, ego argui. Quin porro homo animalis mutari in spiritualem, imò per gratiam etiam generalem, priusquam spiritualis evadat, elevari possit ad operationes, corrupta ejusdem natura majores, dubitari nequit. Neque de hoc quæritur; sed de eo potiùs, an animalis manens, & gratia regenerante adhuc dum destitutus, liberi arbitrii, utpote in spiritualibus vulnerati quidem, at non perditi occisíque, potestate quicquam spiritualiter & moraliter integrè boni facere possit? Hoc verò S. Paulus 1. Cor. II. 14. negat. Et cur ad loca, quibus etiam voluntatem hominis vitiatam esse, probavi, nihil respondes? 3. Dicit Christus Matth. VI. 21. 23. *Lucerna corporis est oculus. Itaque si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Ergo si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ?* Quod porro oculus corpori est, hoc esse intellectum animæ, scitè Chrysostomus ad h. l. monuit. Sensum etiam bis verbis expressit Jansenius: *Mens si pura fuerit, erit etiam totum corpus lucidum, hoc est, etiam omnes vires & operationes hominis erunt claræ, & à peccato puræ. Si verò mens ipsa, quæ reliquis viribus ex sese tenebrosis, lumen præbere debet, quæque omnium operationum est causa, fuerit vitiata, omnes animæ vires tenebrosæ erunt, quia nihil rectè agent; omnésque operationes erunt tenebrosæ, quia tenebris peccatorum involutæ, & lumine rectæ rationis destitutæ.* Sicut igitur oculo corporis vitiato, universum corpus tenebrosum est: ita oculo mentis, intellectu, vitiato, in universis hominis facultatibus non erunt nisi tenebræ. Et quæ sic occæcato & obtenebrato homini libertas bene agendi residua esse potest? Inprimis cùm confessum apud vos etiam sit, judicii intellectus practici dictamen ipsam voluntatem sequi. Et quàm quæso stolida tua argumentatio est: *Augustinus verbis Christi paulò ante præcedentibus, thesaurizate vobis thesauros in Cœlo, liberum arbitrium probavit: Ergo his etiam verbis, si oculus tuus malus fuerit, totum corpus malum fuerit,*

fuerit, liberum arbitrium, ex ejusdem mente, stabilitur. Atqui verba controversa ne quidem Augustinus eo loco attigit: & sunt illa diversi planè tenoris, cum libero arbitrio irregenitorum in bono spirituali hostiliter pugnantia. Asseruit sanè Augustinus liberum arbitrium libro peculiari *de gratia & libero arbitrio*, adversus Monachos prætextu gratiæ illud abnegantes. Sed aliud scilicet est liberum arbitrium: aliud potestas bene & malè faciendi in homine irregenito. Illud, non hoc asseruit.

ARG. III. Non renati mortui sunt in peccatis, & naturâ filii iræ, Ephes. II. 1. 3. Col. II. 13. Non magis igitur corrupti arbitrii viribus ad bene agendum se erigere possunt, quàm mortuus seipsum suscitare, aut non genitus se ipsum generare.

Resp. Reding: *Nihilominus per gratiam Dei actualem vires liberi arbitrii ante regenerationem ad bene agendum tum in moralibus, tum in actibus fidei, spei ac pœnitentiæ dispositivis erigi possunt.* Ib. pag. 408. 409. Resp. Erigi posse, asseris; at actu erigi non probas. Supra id omne non semel discussimus. Unum addo; Si quæ dispositiones, seu potiùs actus præcedanei in homine convertendo, locum habent, illas in actibus externis & communibus, cujusmodi sunt audire Dei verbum, de Deo cogitare, peccata propria considerare, ad eorum sensum expavescere, & ab hoc metu liberationem optare; neutiquam in actibus fidei, spei & pœnitentiæ, qui vitæ spiritualis & præsentis, & se jam exercentis certissima τεκμήρια sunt; consistere. Neque dispositiones ejusmodi seu actus præcedanei vel à libero arbitrio sine gratia oriuntur: vel dispositiones formales sunt, quia & sine iis Deus sæpe convertit, & cum iis homines sæpiuscule non convertuntur. Ita in curatione vulneris chirurgus militem curat exuendum lorica, veste; tum etiam ligat. At ista non est dispositio formalis ad curationem vulneris, quia non sic vulnus curatur, sed vi emplastri id fit. quæ dispositio formalis ad curationem est.

ARG. IV. Libertati, in qua creatus erat Adamus, per peccatum amissæ successit tristis illa *servitus* cogitandi & volendi malum, & quidem *tantùm malum*, donec à Deo sanetur & liberetur, Rom. VI. 17. Genes. VI. 5. Joh. VIII. 32. Et ita quidem servus peccati declaratur homo, ut simul dicatur *liber justitia*, Rom. VI. 20. quia nimirum abdicatus fuit à Deo, & positus extra illud jus, quo decuit Deum creaturam suam sanctificare, & rectitudinis munere ornare. Qualis est libertas mortui, qui est *in mortuis liber*, Psal. LXXXVIII 6. Mortuus nempe omittitur, effertur, solus relinquitur, neque habet, qui ipsum vindicet & retinere cupiat.

Resp. Reding: 1. *Licet homo peccator servus peccati sit, voluntariè tamen ac liberè servituti sese subdidit. Et licet per solas arbitrii vires ex servitute ista resurgere non valeat, tanta tamen gratiæ vis est, ut per eam homo libertatem consequatur, qua se per pœnitentiam possit ad Deum convertere.* 2. *Cùm Deus testetur, se nolle mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, quomodo tu statuis, Deum in peccato mortuum ne quidem vindicare, sed relinquere solum, omittere &c?* 3. *Omnibus hominibus per Christum dantur auxilia sufficientia ad legis saltem naturalis per moralia pietatis naturalis opera*

impletionem ; & paratus inſuper Deus eſt cunctis peccatoribus, ni ponant obicem, auxilium poſitivè ſufficiens ad pœnitentiam conferre. Cùm igitur auxilia ejuſmodi nemini deſint, voluntatem ſemper liberam manere, neceſſum eſt. Ib. p. 408-414 Reſp. 1. Voluntariè utique, non coactè, ſervituti peccati ſe homo in Adamo mancipavit. Sed ſervituti mancipatus libertatem amiſit idem, ut merito ejus arbitrium, quoad juſtitiam, ſervum, non liberum, paſſim Auguſtinus dixerit. *Libero arbitrio* (ſic ille *Enchirid. cap. 30.*) *malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum. Sicut enim, qui ſe occidit, utique vivendo ſe occidit : ſed ſe occidendo, non vivit : nec ſe ipſum poterit reſuſcitare, cùm ſe occiderit : ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt & liberum arbitrium. A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Petri certè Apoſtoli eſt iſta ſententia. Quæ cùm vera ſit, qualis, quæſo, poteſt ſervi addicti eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat ? Liberaliter enim ſervit, qui ſui Domini voluntatem libenter facit : ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſervus eſt : unde ad juſtè faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus, eſſe juſtitiæ cœperit ſervus. Ipſa eſt vera libertas propter rectè facti licentiam, ſimul & pia ſervitus propter præcepti obedientiam. Sed iſta libertas ad bene faciendum unde erit homini addicto & vendito, niſi redimat ille, cujus illa vox eſt : Si vos Filius liberaverit, tum verè liberi eritis? Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quiſquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum liber eſt ad operandum bene, niſi ſe vana ſuperbia inflatus extollat, quam cohibet Apoſtolus dicens : Gratia ſalvati eſtis per fidem.* Non aliis verbis ad retundendum te indigeo. Nam quòd pœnitentiam fingis converſione, prima ſcilicet, priorem, idem Auguſtinus abundè refellit. Quomodo enim pœnitentiam aget ſervus adhuc peccati, & nondum à Filio liberatus, adeóque converſus ? 2. Quàm porro frivola tua ratiocinatio eſt : *Deus non vult mortem peccatoris : Ergo mortuum in peccato vindicat ?* Ergone damnatos in peccato mortuos vindicat ? Et ſi nullo modo vult mortem peccatoris, quomodo igitur mortui in peccatis dantur ? Interim mortuos in peccatis nullos vindicari, non aſſerui ego. Novi enim, Chriſtum quorundam eſſe גואל *vindicem*. Sed mortuos in peccatis, qua tales, manentéſque adeò, nondum liberatos, nondum vivificatos reſpectu vitæ ſpiritualis omitti, negligi, non vindicari, adeóque libertate ad bonum ſpirituale deſtitui, aſſero. 3. Si abſque gratia Chriſti Salvatoris liberante homo eſt ſervus peccati, & liber juſtitiæ, uti S. Scriptura, & ex eadem Auguſtinus teſtantur, quomodo illa gratia, quam tu ſufficientem appellas, & de qua futili περιεργίᾳ fuſè adeò & præter neceſſitatem, ad augendam ſcilicet libri molem, diſputas, omnibus etiam obduratis, quod tecum Moliniſtæ ab Academia Duacenſi meritò propterea damnati aſſeruere, præſto eſt ? Sic in nullo homine arbitrium non erit liberum ; atque ſic ſervum, captivum arbitrium erit *res de ſolo titulo, figmentum in rebus.* uti quidem veſtrum liberum arbitrium Lutherus depinxit. Imò ineptè Chriſtus dixiſſet, *Si vos Filius liberaverit*, alloquens eos, qui jam per auxilium ſufficiens, quod nulli deeſt, liberati fuiſſent. Sic homines faciendo liberos, facis ſacrilegos!

ARG. V. Impotentia hominis irregeniti in Scripturis clariſſimè teſtata eſt. Quippe quæ ſpiritus ſunt, nequidem cognoſcere poteſt, 1. Cor. II. 14. Animalis eſt, ſpiritum non habens, Judæ v. 9. Ne cogitare quidem aliquid boni poteſt, 2. Cor. III. 5. nedum facere aliquid ſine Chriſto, Joh. XV. 5. Ejus φρόνημα eſt inimicitia adverſus Deum, ideóque Deo ſubjici

ſubjici non poteſt, Rom. VIII. 5.6.7. Unde etiam vocatur *ἀσθενής, impotens*, Rom. V.8. VI.19. Moſes Deut. XXIX.4 negat, Deum Iſraëlitis dediſſe cor ad intelligendum, aures ad audiendum, oculos ad videndum, & tribuit Iſraëlitis שרירות הלב *obſirmationem cordis*, v.19. Imò quibus Deus dedit oculos ad videndum, & aures ad audiendum, illi tamen dicuntur non audire, vel videre, Jerem V.21. Ezech. XII.2. Denique & Propheta Jerem. X. 24. negat, eſſe hominis viam ejus, & viri, ut ambulet & dirigat greſſus ſuos.

RESP. REDING: 1. *Hæc quidem arguunt impotentiam liberi arbitrii, ſi à gratia non adjuvetur: non item, ſi ab ea adjuvetur. 2. Sufficientia ad cogitandum & volendum aliquid boni per gratiæ actualis auxilium, extra gratiæ juſtificantis ſtatum, Divinitus homini conferri poteſt. 3. Gratia ſufficiens dat poſſe, efficax ſuperaddit operari. Hæc tu non diſtinguis.* Ib. pag. 414. Reſp. Tu verò multa ſine ratione diſtinguis, ſed longè plura confundis. Etenim 1. ſtatum peccati & gratiæ, mortis & vitæ manifeſtè confundis. Sic enim adjuvari à gratia tum in ſpiritualibus, tum in moralibus integris, ut voluntate jam liberata, non amplius ſerva gratiæ cooperceris, pertinet ad ſtatum gratiæ & vitæ, non peccati & mortis. Quomodo enim à ſervo peccati, & eo, qui ceu mortuus in peccato legi ſubjici non poteſt, actus vitales, adjuvante etiam gratia, edi poſſunt? Et Scripturæ impotentiam hominis peccatoris adhuc clariſſimis verbis arguentes, eo ipſo gratiam ejuſmodi adjuvantem à peccatore removent. Si enim impotens eſt ad bonum à natura, utique gratia ejuſmodi deſtituitur. S. Paulus Rom. VIII 5. 6. 7. carni, ſeu irregenito homini, tribuit ſuum *φρόνημα*, ſenſum, ſtudium, factionem: atque illud dicit eſſe *ἔχθραν εἰς Θεὸν inimicitiam adverſus Deum.* Eam ob cauſam legi Dei ſubjici *οὐ δύναται, non poſſe*, aſtruit. Si gratiæ adjuvantis auxilio caro pollet, ejus ſenſus non ampliùs mera adverſus Deum inimicitia erit. Non urgebo emphaſin locorum plurium à me citatorum, quæ tu ſicco pede tranſiviſti. 2. An ſufficientia ejuſmodi gratiæ, ante converſionem (de hoc enim quæſtio eſt) homini irregenito ad volendum aliquid boni conferri poſſit, non quæritur: ſed an actu conferatur? Hoc pernegamus. Tu probare, non prætoris more edicere debuiſti. Repugnant omnes textus à me citati. Η *χάρις ἀρκοῦσα gratia ſufficiens* talis eſt, qualis S. Paulo 2. Cor. XII.9. tributa eſt. non qualis irregenito tribuitur. 3. Si in irregenito eſt gratia ſufficiens dans poſſe, non ampliùs igitur is ad bonum *ἀσθενὴς impotens* eſt, qualem Scriptura Rom. V.6. VI.19. reliquisque citatis textibus depingit. Deſinet eſſe mortuus in peccato, habens cor *lapideum*, ſeu *ἀσύνετον & ἀμετανόητον*: *inconſideratum*, durum, refractarium, intractabile. quod Scriptura Eſaj. VIII.19. XXVI.4. Ezech. XI.19. XXXVI.26. Col. II.13. negat.

ARG. VI. Doctrina *συνεργείας* fœta eſt juxta atque nocentiſſima mater ſuperbiæ, & *radix fructificans veneno & abſinthio*, Deut. XXIX. 18. Dum enim homo in ſeipſo acquieſcit, tanquam ſi aliqua ex parte idoneus ſit ad bonum cogitandum, volendum, faciendum, ad Deum ut ſanatorem non poteſt recurrere & confugere, & Divinæ gratiæ efficaciam recipere. Sunt enim inter ſe è diametro oppoſita, Deo confidere, vel in Deum re-

 cumbere,

Digitized by

cumbere, atque ab ipſo dependere, & ſibi ac ſuæ poteſtati viribúſque inniti, quod Scriptura Hab.I.12.vocat *vim ſuam Deum ſuum facere.*

RESP. REDING: *Evaneſcit id ex ſuperioribus. Homo enim ad bonum idoneus eſt non independenter à gratia per Chriſtum conferenda.* Ib. pag 414. Reſp. Evaneſcunt ſanè ex ſuperioribus à me allatis tenebræ tuæ, quas veritati offundis. Quicquid tu in negotio ſalutis arbitrii humani viribus tribuis, id omne gratiæ Dei nefario ſacrilegio ſubtrahis. Inſoleſcat ſanè oportet caro, ſi omnipotentem Dei gratiam reſiduis ſuis viribus adjuvet, gloriæque adeò converſionis & ſalutis partem ipſa quoque delibet. Neque enim opera etiam ſupernaturalia *totaliter* à gratia Dei eſſe, conceditis. *Licet*, ita Tirinus *Controv. XIII.5.* loquitur, *opera ſupernaturalia tota ſint à Deo, & gratia Dei, non tamen totaliter.* non quòd voluntas hominis gratiæ operationes recipiat, ſed quòd per reſiduas vires cooperetur. Imò Bellarminus *de Grat. lib. VI. Sent.* 1. ſtatuit, *hominem ante omnem gratiam* (adeóque etiam prævenientem) *habere liberum arbitrium etiam ad opera ſupernaturalia pietatis*: &, *libertatem quidem illam eſſe ligatam (quoad potentiam proximam, non remotam;) ac ſic ſe habere, quemadmodum potentia videndi abſente ſpecie ſenſibili.* Liberè videre poſſumus abſente objecto: ſic liberè velle abſente gratia. An vel ad malum homo liberior eſt? An ſic deliravit Pelagius? *Poſſe viribus noſtræ voluntatis evitari peccata, tentationum leviores quaſque titillationes ſuperari*, Bellarminus idem; *mandata Dei ſervari*, Scotus & Durandus; *inſpirationem Dei abjici vel recipi*, Tridentini; *diſponere nos ad receptionem gratiæ*, Thomas; *converſionem facere efficacem*, Tapperus, dixerunt. Quid hoc aliud eſt quàm ſuffurari Deo, quo naturam mordicinam ſuperbè decoremus? Sacrificare ſibi, quod de Sejano olim dictum? Arrogare ſibi ædes, quarum ne tegulam quidem impoſuerit. Quantò rectiùs arbitrii humani ſocietatem ſeu collateralitatem etiam Bernhardus *ſub finem tract. de lib. arbitr.* ſic confixit: *Quid igitur? Hoc totum liberi arbitrii? Hoc ſolum ejus meritum, quod conſentit? Eſt prorſus. Non equidem, quòd vel ipſe conſenſus, in quo omne meritum conſiſtit, ab ipſo ſit; cùm nec cogitare, quod minus eſt, quàm conſentire, aliquid à nobis, quaſi ex nobis ſufficientes ſimus. Verba ſunt non mea, ſed Apoſtoli, qui omne, quod boni eſſe poteſt, & cogitare, & velle & perficere pro bona voluntate, attribuit Deo noſtro, non ſuo arbitrio. Si ergo tria hæc, hoc eſt, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis, primùm profectò ſine nobis, ſecundum nobiſcum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos prævenit; immutando voluntatem malam ſibi per conſenſum jungit, miniſtrando & conſenſui facultatem, foris per apertum opus noſtrum, internus opifex innoteſcit.* Quid ſic libero arbitrio Bernhardus veſter reliquit?

ARG. VII. Sed & τὸ velle & perficere Apoſtolus Phil.II.13. non voluntati, ſed gratiæ inſolidum deputat. Unde *fides* vocatur *Dei donum*, Epheſ. II.8. At ſine fide impoſſibile eſt, ut quidquam Deo placeat. Proinde quod Deo placeat, non in noſtro poſitum eſt arbitrio, ſed à Deo cœlitus expectandum.

RESP. REDING: 1. *Velle importat eſſentialiter voluntatis noſtræ actionem. Cùm igitur S. Paulus Phil.II.13. illud homini tribuat, utique homo volendo liberè agit. 2. Sic fides Dei donum eſt, ut tamen actus ejus efficienter procedat ab intellectu per ſupernaturale lumen*

tum elevata. 3. *Cùm sine fide Deo placere non possimus, fides igitur prævia justificationis dispositio est.* Ib. pag. 414. Resp. 1. Sic est. Voluntas non vult nisi agendo. Velle enim actus est. Sed ut velit & agat bene, à Deo convertente & voluntatem præparante habet. Quod S Augustinus *de grat. & lib. arbitr. cap. 16.* verbis à te ipso citatis, manifestè dicit: *Certum est*, inquiens, *nos velle, cùm volumus. Sed ille facit, ut velimus, de quo dictum est, quòd præparetur voluntas à Domino. Certum est, nos facere, cùm facimus. Sed ille facit, ut faciamus, præbendo efficacissimas vires voluntati.* 2. Actus fidei à Deo donatæ, & à voluntate receptæ, ab intellectu & voluntate deinceps procedit efficienter utique. Nam nec Deus in nobis fide donatis credit, nec nos credendo per Dei gratiam nihil agimus. Sed actio omnis conversionem & vocationem efficacem sequitur. 3. In conversione ipsa fides donatur, ceu futura instrumentum apprehendens justitiam Christi, propter quam solam Deo placemus.

ARG. VIII Præterea si liberum arbitrium ad bonum spirituale habent irregeniti, necessum est, ut vita spirituali jam sint præditi, adeóque etiam jam regeniti, quod ἀσύστατον. Quales enim actus, tales etiam sunt facultates & habitus: Qualis fructus, talis arbor.

RESP. REDING: *Cùm justitia Christi, quam formam justificantem facitis, sit extra hominem, necessum est, dari aliud principium effectivum internum, ceu radicem liberi arbitrii. quod non aliud est, quàm adjutorium gratiæ actualis conversionem antecedens.* Ib. p. 415. Resp. Et conversionem cum justificatione, ceu totum cum parte, confundis: & formam justificantem, justitiam Christi, quasi ex sensu nostro, fingis, cùm juxta nos illa non forma, sed materia justificans sit: & perperam justitiam Christi extra credentem collocas, cùm tamen illa sic credenti imputetur, donetur, ut Christum ipsum *justitiam nostram esse*, Jerem. XXIII. 6. 1. Cor. I. 30. & nos eam *ἔχειν habere*, atque sic *in Christo reperiri*, Phil. IV. 9. Scriptura testetur. Et tu principium effectivum aliquod interius, ceu radicem libertatis, conversione ipsa prius statuens, apertè Scripturæ contradicis, quæ tum liberos nos esse, cùm Filius nos liberaverit, Joh. VIII. 36. docet. An verò quenquam sic Filius liberat, ut liberando non convertat, non justificet?

ARG. IX. Synodus negat, *liberum Arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse.* Ergóne arbitrium voluntatis liberum esse vult, ut fuit ante lapsum? Sic Scripturæ & Augustino in os contradicit, & naturæ humanæ per peccatum Adami cladem ullam illatam esse, manifesto Pelagianismo, inficiatur. An hoc vult, voluntatis essentialem conditionem remansisse integram? Verùm quis unquam in dubium hoc vocavit?

RESP. REDING: 1. *Siccine fateris, conditioni voluntatis essentiali annexam esse arbitrii libertatem? Quomodo ergo liberum arbitrium negas?* 2. *Liberum arbitrium essentialiter importat facultatem operandi & non operandi. Malè verò operandi facultas post lapsum ita se in homine habet, ut se possit tamen abstinere ab actu malo. Bene operandi facultas in eodem est quoad actus moraliter bonos intra lineam naturalis ordinis quamvis in ipso operari, & quoad aliquas circumstantias actuali gratia per Christum conferenda indigeat. Potentia verò ad actus supernaturales in homine per gratiam justificantem in-*

formata talis eſt, qualis erat in ſtatu innocentiæ. Non igitur Synodus Tridentina pertendens, quòd liberum arbitrium à lapſu non ſit extinctum, illud independenter à Chriſti gratia in eo ſtatu collocat, in quo erat ante lapſum. Ib. pag 415. Reſp. 1. Fateor, & faſſus ſemper ſum, conditioni voluntatis eſſentiali arbitrii libertatem annexam eſſe. Neque liberum arbitrium negavi unquam, ſed illud reſpectu ſtatus & objecti ita reſtrinxi, uti Scriptura jubet. Placet illud Bernhardi. 81. *in Cantic.* ſic ſcribentis: *Ubi voluntas, ibi & libertas, quod tamen dico de naturali, non de ſpirituali, qua nos Chriſtus liberavit.* Tu verò oſcitaris potiùs, quàm quicquam ſeriò agis. 2. Qui liberum arbitrium per Adæ lapſum amiſſum negat, is manere ejusmodi, quale ante lapſum fuit, innuit. Quod enim non amittitur, illud manet. Atqui ita Synodus ſtatuit. Vel igitur hoc intellexit ratione facultatis eſſentialis, vel ratione virium accidentalium in ordine ad bonum. Si prius, non repugnavimus unquam. Si poſterius, ſtatum hominis mutat. Et ſanè ſi ante regenerationem ab actu malo abſtinere poteſt, uti tu aſſeris, nihil ab arbitrio naturæ integræ differt. Nam & illud tum ad abſtinendum à peccato, tum ad peccandum indifferens fuit, ita tamen, ut adjutorio Dei ad non peccandum indigeret, ſicut tu actuali gratia Chriſti ſeu, uti aliàs loqueris, gratiæ ſufficientis auxilio indigere aſſeris. Potentia verò ad actus ſupernaturales per gratiam Chriſti, non ante regenerationem vel juſtificationem, ſed per eam reſtituitur, uti non ſemel probavimus.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Geneſ. IV. 7. Caino irregenito Deus tribuit poteſtatem dominandi peccato. Ita enim dicit: Si bene egeris, recipies, ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum adeſt, ſed ſub te eſt appetitus tuus, & tu dominaberis illi.* Reſp. 1. Deus eo loco non dicit, quid Cainus poſſit, vel non poſſit, ſed quid in unam vel alteram partem futurum, vel non futurum ſit. Bene agenti fit remiſſio, malè agenti denunciatur pœna. Sed inde non ſequitur, irregenitum per potentiam proximam æquè bene atque malè facere poſſe. 2. In Hebræo non habetur, *ſub te erit appetitus tuus*, ſed אליך תשוקתו *ad te erit appetitus ejus*, non peccati, ſed Habelis, qui Caino ſubjectus, eundem venerari debuit, ut minor majorem primogenitum. Ita Chryſoſtomus. 3. Eidem *Habeli*, non peccato dominaturus dicitur. 4. Si tamen de peccato, non Habele accipiatur locus, nihil adverſarii obtinent. Nam dominium illud vel promittit Deus, vel jubet. Quomodo promitteret irregenito, quod ne ſanctiſſimi ſibi tribuere auſint? Ipſe Apoſtolus Rom. VII. 23. queritur, ſe captivum reddi legi peccati. Si jubet, à juſſione ad potentiam exequendi non rectè argumentum currit.

EXCIP. REDING: 1. *Actus ſupponit potentiam. Cùm igitur in loco hoc Caino tribuatur bene vel malè agendi arbitrium, potentiam bene vel malè agendi eidem ineſſe innuis. 2. Neque verba illa de Habele, cujus nulla ibi mentio, ſed de peccato etiam Auguſtinus & Anſelmus intellexere. Targum Hieroſolymitanum disertè habet, in manum Caini traditam eſſe concupiſcentiæ poteſtatem, ita ut ei pro lubitu dominari poſſit ſive ad bonum ſive ad malum.*

3. Si

Digitized by Google

3. *Si de Habele accipiatur locus, etiam ſic liberum arbitrium ſtabilict, quia liberè uti lubet ei dominari potuit.* 4. *Rom. VII. 23. coll. cum v. 15. legi membrorum poteſtas repugnandi legi mentis: & legi mentis poteſtas volendi bonum, adeòque libera peccandi & bene agendi poteſtas homini tribuitur.* Ib. pag 415 416. Reſp. 1. Caino tribui bene vel malè agendi arbitrium, ſupponis, non probas. Liberè occidit fratrem: liberè indignatus eſt: liberè boni quid eum egiſſe, nullus teſtatur apex. 2. Habelis nullam eo loco mentionem extare, temerè ais. Annon paulò ante v. 4. de acceptato Habelis ſacrificio ſermo erat? Annon ob id ipſum indignationem Cain conceperat? Annon indignationi illi verba v. 6. directè opponuntur? Et quomodo verba אליך *ad Te erit appetitus ejus*, de peccato intelligi poſſit, tu non explicas. Si peccati ſubjectionem ſub poteſtate Caini ſignificari, cum Bellarmino pertendis, nihil profectò immanius, nihil Pelagianum magis pertendere potes. Quid enim accipiunt regeniti per gratiam ſanctificationis, ſi hoc habent irregeniti, ſi infauſta Caini ſuboles? Annon ſpiritu mortificatur caro? Ita ſanè Paulus Rom. VIII. 13. Quomodo id per ſpiritum facient, ut habentes id in ſua poteſtate, ſi ſpiritum non habent, nec norunt, nec accipere poſſunt, Joh XIV. 17. Interpretes in diverſa abeunt, uti ſolent in textibus obſcurioribus. Nemo tamen veterum facultatem liberam dominandi peccato Caino tribui aſſeruit. Et Chryſoſtomus, quem tuarum partium facere audes, *homil. 18. in Geneſ.* manifeſtè verba illa de Habele, non de peccato interpretatus eſt. Neque aliter Cyrillus Alexandrinus. Auguſtinus verò, Hieronymus, Proſper, alii ad officium dominandi peccato, non ad poteſtatem, haud invitis nobis, referunt. Verſiones Orientales loci hujus *Hiſtor. Patriarch. Tom. I. Exercit. V.* fuſiùs diſcuſſi. Jonathanis Thargumiſtæ conſenſum tibi non invideo. Miror magis, te Judæorum, vires arbitrii extollentium, conſortem haberi velle. 3. Si liberè dominari Cain Habeli, adeóque civiliter aliquid agere, an iccirco etiam liberè boni quid ſpiritualis, boni moralis integri, præſtare potuit? 4. S. Paulus, regenitus licet, ſe captivum reddi legi peccati, Rom. VII 23. queſtus eſt. Nec de quoquam etiam maximo renatorum Scriptura affirmat, quòd peccato dominatus fuerit. Quis igitur credat de homine profano, parricida nefario, certè non regenito, magnificentiùs Spiritum Dei loqui voluiſſe? Imò quis credat, cùm renati lugeant, & dicant, videre ſe in membris legem reſiſtentem legi Spiritus, voluiſſe Scripturam hunc homicidam in tantam ſui confidentiam erigere, ut peccato imperare poſſit? Hæc argumenti mei vis eſt. Nihil ad hæc tua de S. Pauli libertate bene & malè agendi exceptio. Neque enim ſi regenitus liberè bonum malúmve agere poteſt, irregenitus, & quidem inſignitæ improbitatis homo, peccato dominari potis eſt. Aliud eſt liber, aliud ſervus peccati: aliud liber, aliud dominus actuum ſuorum. Hæc δὶς διὰ πασῶν differunt.

OBIECT. II. *Deus Iſraëlitis proponit eligendam vitam & mortem, Deut. XXX. 15. & Joſua Judæis dat optionem, velíntne Jehovam colere, an alios Deos. Cui autem optio datur, is libertatem arbitrii habeat oportet.* Reſp. 1. Deus Iſraëlitas compellat inſtructos jam & illuminatos, ut operentur pro libertate data, non infideles & in tenebris ac ſordibus nativis ſe volutantes. 2. Nec Joſua veram dat optionem, velíntne Jehovam, an alios Deos colere? Hoc enim Joſuam ducem populi prudentem & probum non decebat. Et v. 14. populum obligat ad timendum Deum, & non verendos Deos alienos. Unde Cornelius à Lapide agnoſcit *artificium Rhetoricum*, quo Joſua oſtendat,

Digitized by Google

oſtendat, cùm tot ſint veri cultus commoda, falſi incommoda, amentem eſſe, qui malit falſum, quàm verum Numen colere. 3. Pone dari optionem veram, non ideo facultas verum Deum colendi erat Judæis, tanquam ex ipſis, ſed tanquam ex donante Deo.

Excip. Reding: *Sine gratia Dei operante nil homo poteſt. Sed illa ſtatui gratiæ ſanctificantis non ita annexa eſt, quin ante eum homo ad actum fidei, ſpei, ac pœnitentiæ Divinitus inſtrui & illuminari poſſit. Cùm igitur in Divinitus inſtructis & illuminatis eſſe libertatem ipſe quoque fatearis, utique ante gratiæ ſanctificantis infuſionem homo libero arbitrio bonum malúmve eligere poteſt.* Ib. pag 416. Reſp. Detorquere, & vellicare quàm reſpondere, nedum ſolidè reſpondere potius habes. Ego de Iſraelitis regenitis & libertate jam pollentibus loquor. Tu ad irregenitos detorques. Quanquam etiam tales quandoque φωτίζεσθαι *illuminari*, Apoſtolus Hebr. VI. 4. dixit. & quidem per Chriſtum, quia is *vera lux eſt, illuminans omnem hominem, qui venit in mundum*, & illuminatur, Joh. I. 9 Neque tamen quocunque modo illuminati à Filio liberantur, adeóque libertatem veram recuperant. Poteſt etiam homo, Spiritu Dei deſtitutus & carnalis eò uſque illuminari, ut eligat ſermonem verum, & membrorum motum à lege præceptum, atque adeò bonum videat & velit. Sed non poteſt ita videre & velle, ut bene velit atque eligat, hoc eſt, ut id amet verùm potiùs, ut id concupiſcentiæ ſuæ ſubjiciat, adeóque pro medio aſſumat ad comparandum bonum terreſtre ac periens. Actus porro fidei, ſpei ac pœnitentiæ auguſtiores & vitaliores longè ſunt, quàm ut in hominem nondum converſum cadere poſſint. Eſt enim in iis vera erga Deum fiducia, amor Dei ut Summi boni, expectatio remiſſionis peccatorum gloriæque promiſſæ, acceſſus liber ad Deum, ceu Patrem in Chriſto propitiatum, adoptio in Filium Dei, aliáque ejuſmodi plura, quæ ſi in irregenitos cadunt, quid regenitis relinquatur, ediſſerendum tibi eſt.

OBIECT. III. *Paulus* 1. *Cor.* XV. 10. *dicit: Amplius, quàm illi omnes, laboravi: non ego tamen, ſed gratia Dei mecum. Ergo liberum arbitrium concurrit cum gratia.* Reſp. 1. Apoſtolus loquitur de ſe ut jam regenito, & quidem de ſuo miniſterio in opere converſionis non propriæ ſed alienæ. 2. Sic Apoſtolatum ſuum extollit, ut nihil ſibi, ſed Divinæ gratiæ omnia vindicet. Dicit enim: *Gratiâ Dei ſum quod ſum.* Neque dicit: *Non ego ſolus, ſed gratia Dei mecum*, quaſi videlicet partiretur effectum inter ſe & gratiam: Sed, *Non ego*, ſed ἡ σὺν ἐμοὶ χάρις, *gratia Dei, quæ mecum eſt.* Se profitetur organum, at vim & ſucceſſum laboris in ſolidum adſcribit gratiæ.

Reſp. Reding: *Paulus disertè dicit, ſecum fuiſſe operatam gratiam. Id abſque cooperatione non verificari nequit, uti ſupra deductum eſt.* Ib. p 416. Reſp. Nihil reſpondes ad rem. Nihil reſpondere potes. Paulus regenitus erat, & de miniſterio ſuo loquitur. Qua talis, Dei συνεργὸς *cooperarius* fuit. Quid hoc ad irregenitos? Imò ne quidem ſe Deo cooperantem eo loco dicit, ſed cuncta tribuit gratiæ, non ſecum operanti, adeóque cooperanti, verùm τῇ σὺν αὐτῷ, *quæ cum ipſo erat*, (uti expreſſit Hieronymus *lib. II. contra Pelag.* & notarunt Cajetanus, Salmero, Juſtinianus.) non συνεργούσῃ, *quæ cum ipſo operata fuerit.*

OBIECT. IV.

OBIECT. IV. *Etiam non renati faciunt Deo grata, veluti obſtetrices Ægyptiacæ, Nebucadnezar, Cyrus Cornelius Centurio.* Reſp. 1. Grata nonnunquam faciunt, quoad *externam honeſtatem officii,* non quoad *finem* ſeu intentionem agentis, & *ἀκριβοδίκαιον* præcipientis. De talibus operibus ſcitè Chryſoſtomus: *Καλὰ μὲν, ἀλλὰ νεκρὰ, bona quidem, ſed mortua.* 2. Obſtetrices Ægyptiacæ cùm Deum timuerint, proſelythæ fuerunt populi Dei. In Cornelio Deus gradatim fidem antea infuſam ad *ἀκμὴν* & maturitatem produxit.

Resp. Reding: 1. *Si externa illa honeſtas voluntaria fuit, non potuit non eſſe bona etiam quoad intentionem agentis. 2. Ergone, Chryſoſtomo teſte, opera quædam bona, ſed mortua ſunt? Dantur igitur opera bona regenerationem & gratiam ſanctificantem antecedentia. 3. Si obſtetrices Dei timentes proſelythæ fuerunt populi Dei, antecedenter igitur ad ſtatum proſelytharum, à Dei gratia adjutæ vim & efficaciam ad actum timoris Domini acceperunt. 4. Cornelius ante fidem non fuit regenitus. In eo igitur irregenito locus fuit gratiæ actuali, cujus vi haberet facultatem actúmque credendi.* Ib. pag 417. Reſp. 1. Voluntaria fuit honeſtas illa, ac iccirco bona, ratione actus externi, quem S. Auguſtinus paſſim *officium* vocat, non ratione finis. An enim omnes actus externi boni, à lege Divina & naturali præcepti, finem etiam bonum habent? Sic hypocritis, Phariſæis, Monachis nullus locus erit, precantibus, jejunantibus, evangelizantibus, non recto fine, ſed *ὅπως ἂν φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις, ut videantur coram hominibus*, Matth. VI. 5. &c. *προφάσει, prætextu,* non *ἀληθείᾳ veritate*, ſic ut præconium ad Dei potiùs gloriam, quàm ſuam utilitatem referant, Phil. I. 18. Non actu, externo ſcilicet ſed fine penſare Deum officia, non ſemel Auguſtinus monet. Et ut bonum opus bene fiat, integrúmque adeò ſit, plenitudinem omnium cauſarum requiri, Thomas veſter ſcitè dicit. Inprimis radix & vita eorum eſt vera fides & amor Dei, absque quibus eſt, officia erga homines ex vero amore proficiſci non poſſunt, quia verus amor fratrum amore Dei continetur. 2. Sunt omnino Chryſoſtomo *Tom. VI. homil. 89. edit. Savil. pag. 838.* opera quædam irregenitorum *bona, ſed mortua, οὐκ ἔχοντα πίστιν quia non habent fidem.* Quæ igitur fidem habent, illa non mortua, ſed viva eſſe, innuit. cùm tu ex adverſo fidem etiam irregenitis, adeóque mortuis tribuas. Sed dantur ſic opera bona irregenitorum, licet mortua, inquis. Dantur, uti dixi, ratione actus & honeſtatis externæ. non bona vel moraliter integrè, vel ſpiritualiter. Talia enim non mortua, ſed viva ſunt. 3. Obſtetrices antecedenter ad ſtatum proſelytharum à gratia Dei adjutas vim & efficaciam ad actum timoris Domini accepiſſe fingis. Cognoſcendo enim & timendo verum Deum Iſraëlis, amplectendo promiſſiones filiis Iſraël factas, proſelythæ populi Dei factæ ſunt, & ſpem Iſraëlitarum Regiæ gratiæ prætulerunt. 4. Cornelio Scriptura teſtimonium perhibet, quòd fuerit homo pius, timens Deum, eúmque ſemper invocans, in populum Dei, Iſraëlem, eleemoſynas erogans, atque ita ſpem Iſraëlis fide amplectens; tametſi non circumciſus. quales vocantur גרי שער *proſelythi portæ.* Hæc illum jam regenitum, viventem ſpiritualiter, non demum regenerandum prodebant. Alioquin quam tu mihi irregenitum & regenitum inter differentiam pandes?

OBIECT. V. *Paulus 1. Cor. VII. 37. cuilibet homini tribuit ἐξουσίαν περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, poteſtatem propriæ voluntatis.* Reſp. Non agitur eo loco de natura & potentia voluntatis, ſed de iis, quæ requiruntur, ut quis filiam ſuam

virginem retineat. Nempe ut nulla è circumſtantiis, aut indole puellæ, afferatur neceſſitas eam elocandi. Non autem ſignificat Apoſtolus, hominem ſine gratia rectè deliberare & decernere ſuper ulla re poſſe.

EXCIP. REDING: *Apoſtolus clarè ſatis homini in ſtatuendo poteſtatem propriæ voluntatis, excluſa neceſſitate, tribuit. quæ formaliſſimè liberum arbitrium eſt.* Ib. pag 417. Reſp. Poteſtatem propriæ voluntatis homini tribuit Apoſtolus in elocanda virgine, re ad œconomiam pertinente; non in actibus moralibus integris & ſpiritualibus, de quibus ſolis quæſtio eſt. Non enim de libero arbitrio, quatenus in actibus humanis neceſſitatem coactionis excludit, ſed de viribus ejus in ordine ad moralia integra & ſpiritualia diſputamus. Tu, quaſi hæc neſcires, agis, ne ſcilicet ad reſponſiones meas obmuteſcere cogare.

OBIECT. VI. *Si ea eſt hominis irregeniti impotentia, ut in ſpiritualibus nihil valeat, Deus ad obedientiam eum obligare non poteſt. Impoſſibilia enim quæ ſunt, non obligant.* Reſp. Impoſſibilis eſt irregenito obedientia non *abſolutè*, cùm in Adamo vires ad obedientiam acceperit, ſed *ſecundum quid*, quia vires eas peccato Adamus tum ſibi, tum generi humano perdidit. Qui autem ſuâ culpâ amiſit obediendi vires, is ad obedientiam debitam obligari poteſt. Neque enim Deus ob vitium hominum jure ſuo excidit. Præceptum non deſinit eſſe præceptum, cùm homo id tranſgreſſus fuerit, nec mutatur tranſgreſſione, ſed per eam officium accipit coarguendi & damnandi tranſgreſſorem, eique oſtendendi tum impotentiam parendi, tum impoſſibilitatem juſtitiæ ex obedientia ſua.

EXCIP. REDING: 1. *Aliter longè Auguſtinus de grat. & lib. arb. cap. 2. ita differens:* Quid illud, quòd tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, ſi non eſt liberum arbitrium? 2. *Non propria perſonali, ſed capitali Adami culpa homo obediendi vires perdidit. Non igitur ad obedientiam, ſine viribus liberi arbitrii obligari poteſt, quia non ſua, ſed aliena culpa vires eas amiſit.* 3. *Mandatorum Dei obedientia ſalutifera poſſibilis nobis eſt non ex propriis, ſed ex gratiæ viribus. uti etiam Auguſtinus Tract. in Pſal. 56. aſſerit.* Ib. pag. 417. 418. Kefp. 1. Auguſtinus *loc. cit.* diſputat contra Monachos neſcio quos, liberum arbitrium funditus negantes. Nos autem concedimus eſſe certum: Si nullum ſit arbitrium, nullum locum fore legi & mandatis Divinis. Unde arboribus, lapidibus, brutis, libero arbitrio carentibus leges nullæ dantur. Quid hoc ad nos? Non enim nos liberum arbitrium unquam negavimus, ſed ejus potiùs vires reſpectu ſtatus & officii diſtinximus. In ſtatu autem peccati legem ferri non poſſe impotenti, nunquam Auguſtinus dixit. Imò contrarium dixit eo ipſo *cap.* 16. cujus verba à Te mutilata ſic ſonant: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hæc neſciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ* (NB.) *non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* His multa addit, & quidem *ἀγωνιστικῶς*, diſtinguens ubique inter *poſſe fieri ab homine*, & *nos non poſſe facere.* Objicientibus Pelagianis, *nibil Deum juſſurum, quod ſciret ab homine non poſſe fieri*, concedit id totum. Et tamen ſtatim aſſerit. *quædam Deum jubere, quæ non poſſumus.* Nimirum quia qui dicit, *non poſſe ab homine fieri*, ſimpliciter aſſerit: & qui, *nos non poſſe*,

C

Digitized by

tis consideratis nostris viribus, quales à natura corrupta habemus. En Augustinum planè consentientem nobis! 2. Ita *capitali* voluntate Adami obediendi vires perdidimus, ut peccatum tamen Adami nobis imputetur, nostrúmque sit, perinde ac si propria voluntate illud admisissemus. Unde *peccasse* nos *ἐν αὐτῷ in ipso* Adamo, Apostolus Rom.V.12. asserit. An, Redingi, peccato Adami liberum naturæ humanæ arbitrium nullo modo afflictum statuis? Dices, vulneratum esse, non extinctum. Si verò personalis & propria culpa, sine capitali Adami culpa, requiritur, non tantùm non extingui, sed ne quidem lœdi & vulnerari illud potuisset. 3. Possibilem homini esse mandatorum Dei observantiam ex viribus gratiæ, puta convertentis, liberantis à statu peccati, regenerantis, ultro concedimus. Gratiam verò tuam sufficientem, conversioni prævian, non semel jam solidis rationibus confiximus.

OBIECT. VII. *Si homo irregenitus ita impotens est, ut bene facere non possit, habet igitur apologiam, & excusationem. Atqui Paulus ait, eos esse ἀναπολογήτους,* Rom. I.20.21. Resp.1. Paulus non docet, eos, quos *inexcusabiles* vocat, habere ex se potentiam ad bonum, quod debent, faciendum: sed maturos esse judicio, Rom.I.18. quorum malitia & corruptio inemendabilis, *καρδία ἀσύνετος* & *ἀμετανόητος*, *cor inconsideratum, & à resipiscentia alienum,* Rom.I.21. & II.5. per Divinam potentiam & longanimitatem est manifestatum & comprobatum. 2. Quomodo excusationem habet, qui sub lege est, & servus peccati est, quique se omnibus modis ad amorem Dei invitatum, vincentibus & vincientibus cupiditatibus subditum esse & manere velle ostendit? Potiùs majorem justæ iræ thesaurum accumulat, & velut in acervis reponit.

EXCIP. REDING: *Nolens volens fateris arbitrii libertatem, qua voluntariè ac liberè se subdendo cupiditatibus peccati, majorem justæ iræ thesaurum accumulat.* Ib. pag. 418. Resp. Respondere, vel ratiocinari, an stupere hoc est? In statu peccati arbitrium liberum est justitiæ, servum peccati, uti Augustinus ex Scriptura passim. Mirum igitur ne est, voluntariè se cupiditatibus immergere? Sed eadem ratione in eodem statu liberum esse peccato, & servum justitiæ, proba: & ad rem responde.

OBIECT. VIII. *Sublato libero arbitrio frustra essent ad bonum suasiones, aut ad malum avertendum proposita minæ vel pœnæ.* Resp.1. Frustra non sunt, quia certum finem habent. Ostendunt enim monita, non quid possimus, sed quid ex officio præstare debeamus, vel quid per gratiam facere possimus. 2. Minæ & monita licet non convertant impios, deterrent tamen, ne pejores evadant, & pœnæ justitiam demonstrant.

EXCIP. REDING: *Fateris, id quod ex officio præstare debemus, nos facere per gratiam. At irregenitus tenetur ad actum fidei, spei & pœnitentiæ, ut mediantibus iis ad justificationem pertingat. Hisce igitur actibus prior gratia esse debet. Ergo gratia, per quam irregenitus actus illos facere potest, justificante gratia prior est.* Ib. pag. 418-421. Resp. Iterum vellicas, & crambem reponis, nihil respondes. Quod tenemur facere ex officio,

nonniſi per gratiam facimus. Eſtque gratia ea partim prior actibus fidei, ſpei & pœnitentiæ, quia in regeneratione, non ante eam, habitus virtutum illarum homini ex mera Dei gratia & εὐδοκίᾳ infunduntur: partim iisdem connexa, quia actus habituum illorum, adeoque ipſum τὸ θέλειν καὶ ἐνεργεῖν *velle & perficere*, à gratia Dei proficiſcitur.

QUÆSTIO IV.

An Jure Reformati accuſentur, quòd ſtatuant, Deum eſſe authorem peccati, quippe qui peccata ita operetur ſolus, ut in poteſtate impiorum non ſit, vias ſuas malas facere?

SYnodus non obſcurè hoc nomine Canone VI. nos accuſat & traducit. Et notum eſt, hanc nobis blaſphemiam paſſim ab adverſariis impingi. Quorum alii palàm mentiuntur, noſtros expreſsè & totidem verbis Deum facere peccati authorem, ut Jeſuitæ, nominatim Becanus. Alii calumniantur, nos verbis quidem id non profiteri, ſed re ipſa ſentire, ut Bellarminus. Alii moderatiores fatentur, non ita noſtros ſentire, attamen ex doctrina noſtra id conſequi. Sed primi illi atrocis calumniæ & mendacii rei ſunt, cùm & confeſſiones noſtræ publicæ, & ſcripta verè Orthodoxorum omnia blaſphemiam hanc apertè deteſtentur. Secundi judicium ſibi arrogant de noſtris conſcientiis, quod non eſt niſi Dei καρδιογνώςου. Tertii doctrinam noſtram, ſive inſcitia, ſive odio & malitia, depravant. Contra quos militant ſequentia argumenta.

ARG. I. Deus ſecundum doctrinam noſtram non effecit aut produxit peccatum in natura peccante: nec inſpirat aut inſtillat peccatori peccatum, nec mandat illud, aut adjuvat, aut amat, aut ullo modo approbat. Non igitur eum authorem peccati facimus.

RESP. REDING: *Judicium feramus formalibus Calvini verbis. Is Inſtit. lib.I. cap.18:1. ſic ſcribit:* Ejus probationis, cujus Satan & ſceleſti latrones miniſtri fuerunt, Deus fuit author. *Et Harm. in Matth.XIII.13.* Cauſam *obdurationis* non aſſignat extra arcanum Dei conſilium. *Et ne obtendi poſſit, hoc eſſe à Deo permiſſivè, audi eundem ſic lib.I. cap.18: 3. blaſphemantem:* Et jam ſatis apertè oſtenditur, Deum vocari omnium authorem, quæ iſti cenſores volunt, otioſo tantùm ejus permiſſu contingere. *Item lib. de æterna Dei Prædeſt. pag.944. ſcribit, Deum otioſum ea permittere, quæ Scriptura non tantùm eo volente, ſed authore fieri pronuntiat, nimis frivolum effugium eſt.* Tract.IV. pag.421. Reſp. Niſi cœco Calvini, Viri ſanctiſſimi, odio flagrares, ipſe ejus verba inſpexiſſes, trutinaſſeſque

que potiùs, quàm nescio unde corrasa, millie'sque vindicata, ad conflandum ei immanem invidiam traxisses. Verbo dicam, quod res est. Calvinus Deum *probationis*, cujus Sathanas & scelesti ministri fuerunt, non peccati, *authorem dixit: obdurationis*, quoad judicium, non quoad malitiam, *causam* in arcano Dei consilio, efficiente puta, non permittente, assignavit: denique, contra otiosam & inertem permissionem, à Scholasticis Deo affictam, disputans, authorem otioso permittenti opposuit, & ad efficacem providentiam, judicium, ordinationem, motionem peccantis retulit. Non hic Calvinus Deum blasphemavit, tribuens ei, quod citra abnegatæ providentiæ crimen non potuit non ei tribuere; sed tu blasphemas Sanctos.

ARG. II. Deus secundum doctrinam Ecclesiarum Reformatarum conservat equidem naturam peccantem, & gubernat motus, & actiones naturales tum internas tum externas ciet, ipsum peccatum quâ peccatum permittit, idémque sanctè ordinat ac regit, ut per illud judicia sua sive gratiæ sive justitiæ, modo manifesto vel occulto, semper tamen justissimo exerceat & exequatur. Neque tamen propterea author peccati dici potest, quia actus primus & tertius sunt partim naturaliter, partim moraliter boni: secundus verò *permissivus* est, non *effectivus*, significans cessationem operis Divini in malitia hominis, non aliquam ejus operationem.

RESP. REDING: *Occultas venenum, quod vestri prodiderunt. Zwinglius enim Serm. de Provid. cap.5. scribit, Deum cùm in sese justitiam nulla ratione ostendere posset, per creaturam injustitiæ exemplum produxisse, non quasi creatura illam suo Marte produxerit, sed quòd Numen ipsum auctor sit ejus, quod nobis est injustitia. Et cap.6. ait, id, quod Deus operatur per hominem, non Deo, sed homini vitio verti. Infra sic scribit:* Unum atque idem facinus, puta adulterium aut homicidium, quantum Dei est authoris, motoris, impulsoris, crimen non est: quantum autem hominis est, crimen ac scelus est. *Calvinus quoque Instit. lib.I. §.11. asserit, Diabolum, totámque improborum cohortem sic omnibus partibus manu Dei, tanquam fræno, cohiberi, ut nec concipere ullum adversus nos maleficium, nec conceptum moliri, digitum movere queant, nisi quantum ille mandarit; nec compedibus tantùm ejus teneri ligatos, sed etiam ad obsequia præstanda fræno cogi.* Ib.p.421. Resp. Loquor ego de doctrina communi, in Confessionibus publicis prodita. Cur tu, neglectis Confessionibus nostris pluribus, ad privatorum Scripta deflectis? Sed & privatis injuriam vægrandem facis, alter veluti Celsus, qui, Origene teste, eandem blasphemiam veteribus Christianis impegit, ceu consequentem ex eorum simili dogmate, juxta quod statuerunt Deum totius rerum universitatis conditorem. Sed brevi defensione defungimur. ZWinglius, tremendum vobis nomen, utpote cujus vos corpus occidere, at nec Spiritum, nec fidem extinguere potuistis, *de Provid. cap.5.* Deum vocat authorem ejus, quod nobis est injustitia, non ob injustitiæ operationem ullam, sed ob positam ab eo legem non sibi, sed homini, cujus transgressionem secuta injustitia est. Authorem igitur innuit non per se, sed merè per accidens, quem *causam sine qua non* Philosophi vocant. Lege sine criminandi animo, & agnosces. *Cap.6.* scribit, non Deo, sed homini vitio verti, quod per hominem operatur, nempe *quia*, uti in præcedentibus loquitur, *nec sit, nec vivat, nec operetur nisi in Deo, ex Deo, & per Deum.* Manifestè igitur operationem de

Digitized by Google

actionis entitate, non malitia intelligit. Et quomodo Deum authorem facit, qui ſtatuit, Deo vitio hoc vel illud non verti? Subjicit ea verba, quæ tu malè conſultus recitas: *Unum atque idem faciens, puta adulterium aut homicidium, quantum Dei eſt authoris, motoris ac impulſoris, opus eſt, crimen non eſt: quantum autem hominis eſt, crimen ac ſcelus eſt. Ille enim lege non tenetur, hic autem lege etiam damnatur.* En authorem, motorem, impulſorem vocat, non *criminis*, ſed *operis* reſpectu. Et paulò ante teſtatus eſt, cùm Dei providentiam hoc aut illud crimen feciſſe, quod hic aut alius patravit, dicitur, *impropriè* dici. *Quantum enim*, inquit, *Deus facit, non eſt peccatum, quia non eſt contra legem. Illi enim non eſt lex poſita, utpote juſto. Nam juſto non ponitur lex, juxta Pauli ſententiam.* Atque hæc de iis peccatis, quæ ab hominibus contra leges Dei, à libero ejus dominio non à ſanctitate naturali manantes, committuntur, verè dicta ſunt. Calvini verba à te producta talia ſunt, ut niſi criminandi impetus te cepiſſet, iis ſubſcripturus ultro fuiſſes. Huc enim redeunt, Deum miniſtros & executores judiciorum ſuorum ita gubernare, & veluti frœno dirigere atque coërcere, ut contra ejus mandatum nec ſcelus ullum concipere, nec moliri, nec perficere poſſint, quod ingens piis perſecutiones ſuſtinentibus ſolatium affert. Mandatum Dei ad executionem judicii, & voluntatis efficaciam, non ad operationem ſceleris, refert.

ARG. III. Noſtra de Dei circa peccatum providentia doctrina hypotypoſi ſanorum in Scriptura ſermonum verbis & phraſibus eſt conſentanea. Etenim Deus peccatum decrevit, Geneſ. XLV. 8. L. 20. 21. Act. II. 23. IV. 27. Decretum autem Dei non eſt nuda permiſſio, ſed efficax Dei voluntas. Neque decrevit tantùm ab æterno, ſed etiam adhibitis idoneis inſtrumentis illud exequitur, 2. Sam. XVI. 10. XXIV. 1. 1. Reg. XXII. 23. Eſaj. X. 5. Rom. I. 23. 24. 2. Theſſ. II. 10. 11. Voces porro *jubendi, faciendi, tradendi, occæcandi, indurandi, ſeducendi*, quæ ibi occurrunt, efficaciam voluntatis ſignificant.

RESP. REDING: 1. *Effectivum reſpectu peccati influxum hic blaſphemè aſſeris, ſimúlque tibi ipſi, ſupra permiſſivum duntaxat ſtatuenti, contradicis. 2. Loca citata hoc unum evincunt, quòd Deus ſuæ voluntatis decreto, tanquam cauſalitate formaliter immanente, ac virtualiter tranſeunte, actus peccaminoſi entitatem attingat. Deus utique peccatores tradit in reprobum ſenſum, ut faciant mala. Neque tamen ibi peccatum Dei eſt, ſed judicium, seu manus & conſilium Dei, per quæ Deus prædeſtinavit fieri, quæ fecerunt Herodes, Pilatus, populus Iſraël. 3. Peccati cauſa nulla efficiens, ſed deficiens duntaxat eſt. Origo igitur malitiæ ex defectibilitatis ratione tota eſt. Hæc porro eſt vel radicalis, vel per modum proximæ cauſalitatis. Illa eſt ex creatione creaturarum ex nihilo; unde ſicut in eſſe, ita etiam in operari à dominio Dei dependent. Poteſt autem Deus ex vi ſui dominii inter creaturas rationales ſic concurſum ſuum in ordine ad rectitudinem moralem partiri, ut uni illum concedat tam in actu primo, quàm in ſecundo, per gratiæ efficaciam: alii reſpectu inprimis actuum ſupernaturalium eum non det in actu primo per gratiam proximè ſufficientem; alii denique præparet concurſum ſuum in actu primo per gratiam proximè & completè ſufficientem, non tamen in actu ſecundo per gratiæ efficaciam. Per hanc igitur auxilii ad ſupernaturaliter operandum tum efficacis, tum proximè ſufficientis denegationem*

Digitized by Google

nem ſit excæcatio & obduratio, in qua peccatum eſt à creatura, judicium, inchoatum in gratiæ denegatione, & conſummatum in traditione in reprobum ſenſum, à Deo. Ib. pag. 421-423. Reſp. 1. Effectivum reſpectu *materiæ* & *finis* peccati influxum Dei, ſine omni blaſphemia aſſero. Peccator enim etiam peccando in Deo eſt, vivit & movetur. Neque vel habitus, vel actus, cui malitia adhæret, naturalis, peccati materia, Divinæ providentiæ citra ſacrilegium ſubtrahi poteſt: Sed & ordinatio peccati ad juſtos ſanctóſque fines efficientiæ Dei ſubeſt. Reſpectu verò *formæ* peccati, quæ ἀνομία ſeu malitia mera eſt, influxus Dei non effectivus, ſed permiſſivus eſt. Ne quidem de influxu effectivo, ſed efficacia voluntatis divinæ argumentum meum loquitur. Neque igitur blaſphemavi, neque mihi contradixi; ſed tu maledictis ſolis certas, quia reſpondendi planè impos es. 2. Neque hoc ſolum loca à me citata evincunt, quòd Dei decretum circa peccatum actus peccaminoſi entitatem attingat. Nam Dei decretum partim efficiendo, partim efficaciter permittendo non circa ſolam actus peccaminoſi entitatem, ſed etiam circa efficientem, formam & finem peccati diverſo licet, at juſto ſanctóque ſemper modo, verſatur, quod loca à me citata, quæ tu excutere debueras, abundè commonſtrant. Quomodo voces *jubendi, faciendi, tradendi, excæcandi, indurandi, ſeducendi* cum nuda, otioſa & dormitante permiſſione veſtra conſiſtant, & an ſine voluntatis efficacia Deo tribui poſſint, cur nos non edocuiſti? 3. De induratione, traditione in reprobum ſenſum, talia tu oracula fundis, qualia in antro ſuo Trophonius olim fudit. Vel clarè loqui, vel tacere debueras. Oportet enim Chriſtianos levato velo retecta facie velut in ſpeculo gloriam Domini intueri. 2. Cor. III. 18. non ſupra ſpeculum neſcio quæ ſibi teleſcopia fabrefacere, ut in Sole maculas quærant. Clariùs paulò Thomas tuus *quæſt. 49. art. 2.* effectus quoſvis cauſæ ſecundæ deficientis reducit in cauſam primam non deficientem, quantum ad id, quod habet entitatis & perfectionis, & non quantum ad id, quod habet de defectu. Optimè. Ita quicquid eſt motus in claudicatione, cauſatur à virtute motiva; ſed quod obliquitatis in ea eſt, non eſt ex virtute motiva, ſed ex curvitate cruris. Similiter quicquid eſt entitatis & perfectionis in actione mala, in Deum reducitur, ſicut in cauſam: ſed quod eſt ibi defectus, non cauſatur à Deo, ſed ex cauſa ſecunda deficiente. Hæc ſi verè & conſtanter tu cum Thoma aſſeris, quid adhuc latras, cùm negamus, Deum à nobis fieri authorem peccati, etſi tum Sathanam, tum improbos ejus in malis etiam operibus inſtrumenta conſtituamus? De cætero indurationis, excæcationis, traditionis in reprobum ſenſum, cauſam modúmque neutiquam ſolidè explicas. Ad concurſus & auxilii Divini ad ſupernaturaliter operandum tum efficacis, tum proximè ſufficientis denegationem, illam refers, quaſi Deus excæcationis, indurationis, traditionis in reprobum ſenſum cauſa eſſet non poſitivè, ſed negativè duntaxat, videlicet permittendo, deſerendo, gratiam ſubtrahendo, non miſerendo, uti etiam Bellarminus, aliíque veſtrates, turpiter hic ſibi contradicentes. Dicere enim, cauſam eſſe non poſitivè, ſed negativè, eſt dicere, non eſſe cauſam; quia omnis vis cauſæ eſt poſitiva, non negativa. Non dicam etiam, perperam te ſupponere, gratiam ſufficientem proximè, indurandis & excæcandis ſubtrahi. Illam enim nunquam habuerunt, utpote ſolis fidelibus & electis eximiam, nec ab efficaci reapſe diſparatam. Ruit igitur ſpeculationum tuarum intricatum chaos. Tum nec traditio in reprobum ſenſum, nec excæcatio, nec induratio à Deo eſt negativè duntaxat. *Traditio* enim poſitivum aliquid innuit, atque ita intelligenda eſt, ut à voluntate Dei promanat, efficaciter eam in pœnam horrendam peccatoribus contumacibus debitam ordinantis. Eſt igitur actus Dei judicialis, per quem non ita aufert vel ſubtrahit gratiam, quin ali-

quid

quid inſerat & ponat. Cùm enim duo ita ſe habent, ut ſublato uno, neceſſariò ſequatur alterum, qui unum aufert, alterum infert: ut qui aufert lumen, infert tenebras; qui removet domus fulcimenta, promovet ejus ruinam. *Excæcatio* ad mentem, *obduratio* ad voluntatem & affectus pertinet. Duplex autem eſt tum cœcitas, tum durities, altera naturalis, omni peccatori communis; altera acquiſita, incrementum ſcilicet cœcitatis & duritiæ naturalis peccandi conſuetudine adauctæ: quando naturalis atque inſita cœcitas & durities contemptæ ſcientiæ ac conſcientiæ uſu augetur. Illa & peccatum, & cauſa peccati eſt; hæc inſuper peccati pœna. Utraque & excœcatio & induratio acquiſita tum hominibus, tum Deo adſcribitur; ſed diverſa ſignificatione, hominibus *propriè*, quia ex principio interno, inſitáque duritie ſe Deo ſcientes volentes pertinaciter opponunt; Deo *ſimilitudine* quadam, quia gubernationis Divinæ occaſio ſimilis eſt cauſæ efficienti, quod ut poſita cauſa ſequitur effectum, ſic eam gubernationem ſequitur induratio, verùm non vi gubernationis, ſed vi inſitæ hominibus malitiæ. Indurat igitur, excœcat Deus, tum quia juſtè deſerit eos, a quibus deſertus eſt, ſuúmque auxilium, ſine quo nihil bene agere homo corruptus poteſt, ſubtrahit, & donis eos ſuis, quibus perverſè uſi ſunt, privat, Deut. XXIX. 4. 2. Chron. XXIV. 20. tum quia eos ita ſuis cupiditatibus, praviſque affectibus tradit, ut non tantùm eos ſuo auxilio deſtituat, ſed etiam ut viam eis aperiat, objecta & occaſiones ſuppeditans, quibus illi flagitia ſua exequantur, ut in perniciem ſuam ruant, 2. Chron. XVIII. 21. 22. 2. Theſſ. II. 9. 11. tum quia iiſdem beneficia & offert & confert, atque ea iis facit, quæ ſua natura eos ad bonum converterent, ſed abutentium & contemnentium vitio deteriores reddunt, atque magis excœcant induránt que, Rom. II. 4. 5. tum quia eos flagellis ſuis feruliſque, quæ piis plurimùm proſunt, aliàs ſubjicit, aliàs ſubducit; unde contingit, ut vel flagellis ſubjecti, ſtuporem contrahant, magíſque irritentur; ferocis equi inſtar, ad recalcitrandum, obmurmurandum & repugnandum Deo, frœnum mordeant, adeóque pulſatæ inſtar incudis ſub malleo indureſcant. Eſaj. I. 5. XLII. 25. Jerem. II. 30. V. 3. Amos. IV. 6. vel ferulæ ad tempus ſubducti, tanto contumaciores ad ingenium redeant; vel aliorum proſperitatem limis intuentes oculis, ad invidiam odiúmque concitati, indurentur magis, uti Pharaonis exemplo liquet. Hæc omnia non ſubtractionem duntaxat gratiæ, non otioſam & inertem permiſſionem, ſed voluntatem negotioſam & efficacem arguunt. Cúmque Scripturæ iſthæc tradant, neque tamen Deum peccati authorem conſtituant, planum eſt, non nos Scripturarum ductu tradentes eadem, blaſphemiæ illius, quæ Deum mali authorem aſſerit; ſed vos & erroris illius, qui inſtituto tuendæ libertatis humanæ inſerviens, Dei bonitatis ab omni peccati commercio removendæ prætextu, Deo permiſſionem languidam & otioſam attribuit; & calumniarum diriſſimarum adverſus Orthodoxos reos jure maximo peragi.

ARG. IV. Deus ex noſtra doctrina non eſt author *ἀνομίας* ſive *iniquitatis*, quod probamus tum ex locis Scripturæ, Pſal. V. 5. Jac. I. 13. tum ex ratione, quia Deus nec initio condidit hominem cum peccato, nec ad ſingulas actiones id ipſi indit aut infundit. At author peccati eſt author ipſius *ἀνομίας*, quæ eſt formale peccati. Unumquodque autem ex formali ſive formâ ſuâ æſtimatur.

RESP. REDING: 1. *Denuo contradictionis vertigine laboras. Si enim quiſquis author eſt peccati, malitiæ author eſt, tum is quoque peccati author eſt, qui peccatum ſua ab æterno decrevit,*

Digitized by Google

decrevit, ut decretum hoc non sit nuda permissio, sed efficax voluntas. quod supra negasti. 2. *Cùm Deus oderit peccatum, & iniquitatem nolit, quomodo peccati causa effectrix dici potest?* Ib. pag. 423. 424. Resp. 1. Te verò meræ intemperiæ agitant. Aliud sanè est voluntas circa peccatum efficax, aliud peccatum efficiens. Illa actus quosdam circa peccatum, non iners permittentis otium; hæc operationem peccati, qua talis, significat. Annon tu ipse Deum authorem entitatis actus peccaminosi, & judicem circa peccatum; adeóque voluntatem eatenus efficacem, supra nobis profitebare? 2. Voluntas efficax circa peccatum effectrix est, fateor. sed non malitiæ ipsius peccati, verùm conservatio & motio actus naturalis in peccante, directio, ordinatio & determinatio peccati, vindicatio ejusdem, & si quid aliud.

ARG. V. Vitium instrumenti tanquam causæ proximæ, non rectè adscribitur causæ primæ & principali, tum quia id arguunt loca Genes. XLV. 5. L. 20. Esaj. X. 5. 7. 8. tum quia causa principalis agit sine defectu, instrumentalis non item: tum quia bonæ actionis laus non redundat ad instrumentum malum, adeóque etiam non culpa instrumenti mali ad causam principalem bonam: tum quia sicut in naturalibus, velut in claudicatione, quicquid est *motus*, causatur à potentia motiva, quicquid *obliquitatis* à vitiositate organi; ita in moralibus quicquid actionis aut judicii est in peccato, à Deo, ut causa principe, quicquid autem vitiositatis, ab homine tanquam instrumento corrupto proficiscitur. Atqui peccatum est vitium instrumenti, Diaboli nimirum & hominis, tanquam causæ proximæ.

RESP. REDING.: *Atqui instrumentum agit in virtute causæ principalis agentis, nec nisi ab hac motum se movet. Annon sic formale peccati reducis in virtutem principalis agentis, qui Deus est? Annon instrumentum, quà motum, Deum peccati motorem arguit? Accedit, quòd peccati formale in positiva formalitate supra constituisti. Si itaque Sathanas, vel homo in producenda positiva istac qualitate operatur ut instrumentum duntaxat, reduci illa in causam principalem, quæ Deus est, debebis.* Ib. pag. 424. 425. Resp. Respondes, Redingi, ad argumenta mea, an lympharis? An homines peccantes esse instrumenta Dei, negas? Nega igitur, Assurem esse virgam furoris Dei, contra Esaj. X. 5. Nega, Babylonium esse malleum universæ terræ, contra Jerem. L. 57. An virga furoris Dei, malleus terræ, instrumenta non sunt? Insurge contra Bellarminum tuum, disertè affirmantem cap. 13. *Deum uti malis voluntatibus impiorum, tanquam instrumentis, invisibiliter in iis operando.* Agunt tamen instrumenta hæc Dei & virtute principali propria, quoad malitiæ operationem; & virtute causæ primæ, ipsiúsque adeò Dei, quantum ad id, quod rationem entitatis & perfectionis habet; non autem quoad vitium & defectum, qui est *ἐκ τῶν ἰδίων ex propriis*, puta peccatoris. Joh. VIII. 44. Ita eques equum claudum impellens, claudicationis causa non est. Nec si bonus scriba utatur penna malè aptata, vel faber vitiosa instrumenta adhibeat, velut securim scabram, aut serram obtusam; instrumentorum illorum vitium in primarium agentem, sed in sola instrumenta referetur. Dein instrumenta propriè & impropriè dicta non distinguis. Illa *mera*, & *pura* (ita Alva-

rez diſcernit) quà talia, nullam propriam operationem habent, ſed ab agente principali moventur aut uſurpantur: hæc *libera* vim agendi inſitam habent, & ipſa propriè agunt, etſi vis & actio eorum à prima cauſa dependet. Illa in virtute cauſæ principalis agunt: hæc propria virtute agunt, licet in agendo aliunde pendeant. Sathanas autem & homines peccatores Dei inſtrumenta dicuntur non prioris, ſed poſterioris generis. Proin non quicquid illi agunt, primæ cauſæ authori ferendum acceptum eſt; ſed quicquid ex præſcripto agunt. Atqui non peccantes, ſed judicia Dei exequentes ex præſcripto agunt. Reſpondeat tibi Thomas Aquinas, cujus hæc verba *Prima Secundæ q.79. art.1. ad 3.* legere eſt: *Effectus cauſæ mediæ procedens ab ea, ſecundum quod ſubditur ordini cauſæ primæ, reducitur etiam in cauſam primam: ſed ſi procedat à cauſa media, ſecundum quod exit ordinem cauſæ primæ, non reducitur in cauſam primam: ſicut ſi miniſter faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum, ſicut in cauſam.* Tuam porro de poſitiva formalitate peccati ſycophantiam abundè ſupra repreſſi.

ARG. VI. Peccati concretè conſiderati, tanquam effectus, plures dantur cauſæ. Ita venditio Joſephi Deo & hominibus adſcribitur, Geneſ. XLV.5.& L.20. Induratio Pharaonis ipſi ac Deo, Exod. VII. VIII. IX. Afflictio Jobi Chaldæis & Sabæis, Diabolo & Deo, cap. I. II. Quoties autem ejusdem effectus plures ſunt cauſæ, aliæ bonæ, aliæ vitioſæ, cauſa bona eſt author boni, mala verò mali; adeóque in peccato Deus cauſa bona erit author boni, homo & Sathanas mali, quod in effectu occurrit.

RESP. REDING: *Bene, dummodo ne intelligas, hominem & Sathanam in peccato, reſpectu etiam malitiæ, operari tantùm ut inſtrumentum. Zwinglius ſanè tuus de Provid. cap.6. latronem Deo impulſore, imò & coactum agere, ſcripſit. Et Calvinus Inſtit. lib.1. cap.18:4. hominem juſſo Dei impulſore agere, quod ei non licet, affirmat.* Ib. p.425. Reſp. Quo ſenſu Sathanas & homo Dei inſtrumenta ſint, jam vidimus. *Solummodo* inſtrumenta eſſe, nulli diximus. Nam peccati cauſæ principales ſunt, licet inter peccandum à Deo pendeant, & ceu inſtrumenta voluntatem Dei exequantur. Quo ſenſu *Deo impulſore* agant, infra explicamus. *Cogi* peccatorem impropriè, ſeu metáphoricè Zwinglius non dixit ipſe, ſed dici permiſit eo ſenſu, quo judex latronem cruci affigit *lege coactus.* Ita ſubjicit, *judicem legibus cogi, conſcientiæ ſtimulis moveri, exempli crudelitate impelli, ut latronem nectat, & in crucem tollat.* Verba duriuſcula licet, ex authoris tamen mente efficaciam Divinæ motionis ſignificante, explicanda ſunt. Datur enim etiam quædam neceſſitas coactionis non abſoluta, ſed κατά τι, velut in actionibus, quæ appellantur mixtæ, quæ licet abſolutè ſpontaneæ & voluntariæ, aliquatenus tamen etiam invitæ dicuntur. ut cùm quis ad naufragium evitandum merces in mare projicit. Quanquam verò *coactum hominem agere*, Zwinglius dici permiſit, impropriè ſcilicet, non tamen inuſitatè juxta phraſin Scripturæ, qua coactio aliquando dicitur motio creaturæ, quanquam longè inefficacior motione Divina. Exempla ſunt Geneſ. XIX.3. XXXIII.11. 1 Sam. XXVIII.23. 2. Reg. V.23. Marc. VI.45. Luc. XXIV.24. Act. XVI.15. XXVIII.19. 2. Cor. XII.11. Gal. II.14.

ARG. VII. Noſtra de Dei circa malum providentia & decreto doctrina communis nobis eſt cum Auguſtino, Proſpero, Fulgentio, Godſchalko.

Eadem

Digitized by Google

Eadem illis Pelagiani olim objectârunt, quæ hodiéque nobis Neopelagiani.

Resp. Reding: *Atqui Augustinus contra Pelagianos, secus quidem ac vos, pertendis, cum efficacia Decreti optimè arbitrii libertatem consistere. Vos verò fatalem necessitatem astruitis; atque insuper ipsum peccatum in Divini decreti causalitatem reducitis.* Ib. p. 425. Resp. Nec nos vel efficaci decreto arbitrii libertatem unquam opposuimus, vel fatalem necessitatem à causarum naturalium ad unum simpliciter determinatarum connexione manantem inveximus, vel peccatum, qua tale in Divini decreti efficientis causalitatem reduximus. Chimæræ & calumniæ hæ tuæ, non nostra scita sunt. Ne verò Augustinum, Pelagio-mastigem acerrimum, falsò appellasse videar, en tibi ejus κυρίας δόξας! Docet is clarissimè, ne mala quidem opera præter certam Dei voluntatem accidere. *Enchirid. cap.*100. eam voluntatem non esse operatione atque ἐνεργείᾳ sua destitutam, *contra Jul. Pelag. lib.V. cap.*3. quo toto capite contra Julianum pertendit, peccata non tantùm esse peccata, sed etiam præcedentium peccatorum pœnas, atque eatenus fieri justo Dei judicio; & deseri, tradi in reprobam mentem homines non tantùm per *patientiam*, seu nudam permissionem, sed etiam per *potentiam*, quam ab illa separari posse negat, cùm S. Paulus Rom. IX. 22. conjunxerit: Deum in cordibus malorum reproborum efficaciter operari etiam tum, cùm ad malè agendum feruntur, *de Prædest. Sanct. cap.*20. *& de gratia & lib. arb. cap.*20. tum malos homines, tum etiam Diabolos ipsos esse Dei instrumenta, (quod in me tam virulenter tu exagitas) *ibid.* imò medicinale ferrum, *Confess. lib. IX. cap.*8. En, Redingi, ab ipso Augustino assertas præmissas illas, ex quibus à nobis assertis conficere satagitis, nos Deum peccati authorem constituere, etiam mala scilicet à Deo fieri volente; nec volente tantùm, sed etiam efficaciter operante: operante autem non in corporibus duntaxat, sed etiam in cordibus reproborum, &, si ita loqui licet, Diabolorum: denique non volente duntaxat, sed etiam utente peccato, ceu instrumento.

ARG. VIII. Sed & capita nostræ de providentia, prædestinatione, concursu Dei, gratia irresistibili, libero arbitrio doctrinæ, ex quibus calumniæ hoc virus conficitur, communia nobis sunt cum magnis Theologis Pontificiis, Jansenitis, Prædeterminantibus, aliis. Ne dicam de fato duriùs quàm nos loqui Thomam, Mirandulanum, Jovium, Nucerinum, Lipsium, Sorbonistas quosdam. Quin Bellarminus ipse de *Amiss. Grat. II.* 13. docet, *Deum præsidere ipsis malis voluntatibus, eas regere ac gubernare, torquere ac flectere, in eis invisibiliter operando, ut licet proprio vitio malæ sint, tamen à Divina providentia ad unum potiùs malum, quàm ad aliud non positivè, sed permissivè ordinentur.* Tametsi hæc verba continent oppositum in apposito, quia torquere, gubernare ac flectere *permissivè*, est non torquere, nec flectere, nec etiam gubernare. Addit igitur paulò post ex Thoma, *Deum non solùm permittendo, sed etiam positivè inclinare voluntates malas.*

Resp. Reding: 1. *Contrarium ex superioribus liquet.* 2. *Nunquam nostri dixerunt, non sola Dei permissione, sed etiam ordinatione hominem sibi interitum accersere. quod Calvinus tamen Instit. lib. III. 3:8. dixit.* 3. *Vocem VVicleso in Constansiensi Concilio damna-*

to, aſſeritis, omnia fieri abſoluta neceſſitate. Nunquam Ita Thomas & noſtri, qui iſta fati voce utuntur, ut illud cum arbitrii libertate combinent, & in ſerie cauſarum ſecundarum etiam voluntatem creatam liberam recenſeant. Ib. pag 425 4 : 6. Reſp. 1. Imò quod dixi, ex ſuperioribus magis conſtat. 2. Scripſit ita, ſed non eo, quo tu, malus Rapſodus, citaſti loco. Scripſit, ſano ſenſu, quo etiam S. Scriptura Act. IV. 28. Herodem, Pontium aliósque feciſſe teſtatur, quæ *manus & conſilium Dei* προώρισε γενέσθαι *præfinivit, ut fierent*, præcipitatura eoſdem ad interitum. Et dices tu, ſine ulla ordinatione Dei hominem ſibi interitum acceſſere? Annon ordinavit actum naturalem peccati: annon bona quædam quibus interiturus abutitur: annon judicium? An qui hæc ordinat, peccati qua talis, author eſt? 3. De Wiclefo quicquid fiat, nunquam nos abſoluta neceſſitate omnia fieri ſimpliciter diximus. Si enim voluntas ſimpliciter conſideretur, libera eſt à neceſſitate abſoluta volendi & nolendi, cùm nunc poſſit velle, nunc nolle, ſaltem ratione diverſorum objectorum. & interdum etiam ratione ejuſdem objecti. Si verò voluntas referatur ad certa objecta, non eſt ſimpliciter libera à neceſſitate interna, ſive abſolutè, ſive ex hypotheſi; abſolutam neceſſitatem dico, quæ naturam voluntatis, aut ejus abſolutam conditionem ſequitur. Neque etiam noſtri vel fatum (quam vocem, nedum rem, ſeu ſenſum gentilem, quem exhorremus omnes; planè ex Eccleſia proſcriptam ſaniores mallent, tum quia eſt ex earum genere, quarum profanas novitates refugere Paulus docet: tum quia ejus odio alii veritatem gravare conantur) unquam liberæ voluntati, ſine qua homo non eſſet homo, oppoſuerunt; ſed independenti duntaxat & non prædeterminatæ, planè ſicut Thomiſtæ veſtri: vel in ſerie cauſarum ſecundarum liberam voluntatem non numerarunt. Paria igitur facimus. Et cur ad Bellarmini, calumniarum harum inſignis architecti, verba tibi objecta nil reſpondes? Plura verò ejus, & aliorum ſuffragia ſub finem quæſtionis apponere non pigebit.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Reformati docent, Deum prævidiſſe, permiſiſſe, voluiſſe, prædeſtinâſſe lapſum Adami. Ita Calvinus Inſtitut. III. 23. Ergo Deum authorem peccati faciunt.* Reſp. Senſus Calvini eſt, non temerè, ſed Dei conſilio & providentiâ contigiſſe lapſum Adami. Inde non ſequitur, Deum eſſe authorem lapſus: æquè ac non ſequitur, Deum eſſe authorem vitioſæ crucifixionis Adami ſecundi, Chriſti, quia ex Dei voluntate & prædeſtinatione ea contigiſſe dicitur, Act. II. 23. IV. 27 Nempe Deus voluit & prædeſtinavit lapſum Adami, non efficiendo aut approbando, ſed permittendo, ordinando, & ad gloriam ſuam dirigendo. Et lapſus Adami ſpectatur non duntaxat ut tranſgreſſio legis & peccatum, ſed etiam ut tentatio hominis, exploratio & oſtenſio liberi arbitrii, & occaſio manifeſtandæ gratiæ & juſtitiæ Divinæ. Illo modo Deus lapſum Adami permiſit: hoc verò voluit, prædeſtinavit, ordinavit.

EXCIP. REDING: *At Calvinus, uti ſupra vidimus, & Deum aſſeris authorem illius probationis, cujus Sathanas & improbi miniſtri ſunt; & obdurationis non aliam cauſam, quàm arcanum Dei conſilium facit; & peccata Deo volente & authore fieri, ſtatuis: & loco à te citato*

Digitized by

citato corruptionem, quæ formale peccati eſt, in Divinæ prædeſtinationis cauſalitatem poſitivam reducit. Ib. p.426. Reſp. Reſponſionem meam cùm tu nullo apice infringere potueris, ad criminandum, detorquendum Calvini ſenſum te convertis. De probationis, obdurationis cauſa *Reſp. ad reſp.*1. Calvini mentem expoſui. Quidni verò peccata, volente Deo, eveniant, cùm ab eodem proviſa eſſe, Scriptura Geneſ XLV.5.L 20. Act.IV.28. teſtetur? Et Auguſtinum ſic clarè etiam loquentem ſupra induximus. Authorem verò peccati, qua talis, nuſpiam dixit: neque etiam corruptionem, quæ peccato ineſt, in prædeſtinationis poſitivam cauſalitatem reduxit. Tuæ hæ ſunt calumniæ. Authorem & cauſam eorum duntaxat facit, quæ ab authore & cauſa, Deo, ſanctè proficiſci poſſunt. Hoc unum addo, Redingium calculo ſuo me ſic abſolvere, ut agnoſcat, *orthodoxè me ſcripſiſſe videri.* Scripſi autem etiam, Deum lapſum Adami prædeſtinaſſe, ordinaſſe. Atqui id Bellarminus falſum & hæreticum eſſe docuit. Idem igitur Bellarmino hæreticum, Redingio orthodoxum eſt. pro vertigine ſpiritus, quo uterque laborat.

OBIECT. II. *Reformati docent, omnia peccata fieri volente Deo. Ita Calvinus Inſtitut.I.18.1.III.23. Ergo.* Reſp. Fiunt peccata Deo volente, non quoad effectionem & approbationem, ſed quoad permiſſionem efficacem & ordinationem. Vult etiam Deus peccata, non ut ſunt tranſgreſſiones, ſed ut ſunt judicia Dei ex accidenti. Calvinus nempe iis locis juſtitiam gubernationis Divinæ aſſerit contra commentum Pelagianum nudæ præſcientiæ & otioſæ permiſſionis.

EXCIP. REDING: *Calvinus Deum & volentem, & authorem formalitatis peccati facit.* Ib: pag.426.427. Reſp. Calumniaris, nihil reſpondes.

OBIECT. III. *Reformati docent, Deum impellere Diabolum, ut nos inducat ad peccandum. Ita Calvinus Inſtitut. I.18.1.& II.2.4.* Reſp. 1. Calvinus disertè hoc non dicit, ſed hoc duntaxat, Dei impulſu Sathanam partes ſuas peragere, inflectere eos pro Dei nutu ac imperio. Sed addit, fieri iſtud in exſequendis juſtis Dei judiciis. At Deum ſpectandum ut judicem, Sathanam ut inſtrumentum ac miniſtrum judicis. 2. Annon ipſa Scriptura docet, *Deum incitâſſe Davidem ad numerandum populum*, 2.Sam.XXIV.1. quod peccatum erat? Igitur Deus *impellit* Diabolum, non cogendo invitum, vel cum intentione mali, ſed movendo inſtrumentum corruptum, ex ſe & per ſe in malum pronum, intendendo non opus malum, ſed judicium ſuum bonum. Ita eques impellens equum jam claudicantem, claudicationis ipſius author non eſt.

EXCIP. REDING: 1. *Calvinus locis citatis affirmat, Deum non tantùm permiſſione & deſertione, ſed voluntate, decreto, impulſu, præcepto, interna operatione efficere, ut homines cogitent illicita; imò ſpecialem illam actionem, quæ in facinore cernitur, Deo authori tribuendam eſſe, eò quòd per miniſterium Sathanæ voluntates impiorum excitet ad malum, & corda eorum obduret, ne obediant. Et tu ipſe blaſphemas, Dei impulſu Sathanam ſuas par-*

tes peragere. Annon enim in peccando formaliter partes ſuas Sathanas etiam peragit? 2. Ex Dei impulſu procedit peccati permiſſio, & in finem bonum ordinatio. at à Sathana ac homine eidem conſentiente formalis peccati malitia. Hæc vos non diſtinguentes in blaſphemiam incidiſtis. Nulli enim effectus in Deum tanquam principium reduci poſſunt, niſi ſecundùm rationem Entis. Ib pag. 427. Reſp 1. Si Calvini verba ipſemet ponderare potiùs, quàm à tuis malè conſarcinata repræſentare maluiſſes, nihil mihi tecum negotii foret. *Voluntatem* & *decretum* ille nec nudè permiſſivum, nec malitiæ infuſivum, ſed directivum & judiciale: *præceptum* non voluntatis patefactæ, ſed arcanæ: *internam operationem* non voluntatis non malæ ad malum flexionem, ſed ejuſdem jam malæ, ad certa objecta & fines, juſtóque, licet nobis imperſcrutabili & incomprehenſibili modo, inflexionem & directionem propugnat. Et quidní ſpecialis actio, naturalis ſcilicet, quæ in facinore cernitur, judiciúmque in ea à Deo intentum Deo authori tribuendum ſit? In Deo enim vivimus, ſumus & movemur. Neque vel Calvinus, vel quiſquam noſtrûm Deum vel abſolutè peccati authorem dixit; vel authorem peccati quoad malitiam cum actionibus & judiciis cohærentem. De obduratione ſupra vidimus. Dei etiam impulſu Sathanam ſuas partes peragere, una cum Calvino aſſero, in exequendis ſcilicet judiciis, quod tu perfidè, omittis; non in peccando. 2. Quid Dei efficax permiſſio, quid Sathanæ & hominis voluntas circa peccatum operetur, novimus nos, & ex Scriptura contra otioſæ permiſſionis veſtræ commentum, quo Divinæ providentiæ pridem jugulum appetiiſtis, efficaciſſimè explicavimus, priuſquam tu inſignis ſciolus diſtinctionum tuarum copiam nobis faceres. Non nos blaſphemiæ reos perages unquam: aſt nos te calumniarum atrocium validiſſimè.

OBIECT. IV. *Reformati docent, Deum occulta vi movere homines ad peccandum. Ita Calvinus Inſtit. I. 18: 2. 4. & III. 23: 9.* Reſp. Deus occulta vi movet ad peccandum, non inſpirans ſive infundens hominibus peccatum, illúdque intendens, ſed movens actionem, intendens judicium, vitium verò ipſius actionis permittens.

EXCIP. REDING: *Fruſtra Æthiopem lavare niteris, cùm verba Calvini diſerta ſint.* Ib. pag. 427. Reſp. Quis verba in dubium revocat? De ſenſu quæritur, quem à me erutum vel oppugnare certis rationibus, vel ne hiſcere quidem debuiſti.

OBIECT. V. *Reformati docent, Deum unà nobiſcum operari peccata, eóque magis ipſum quàm nos, quòd ipſe ſit principale agens & operans, nos mera duntaxat inſtrumenta. Ita Calvinus Inſtit. I. 17: 5. & 18: 1. 2. nec non Lib. II. 4. 2. quam doctrinam hauſit à Zwinglio.* Reſp. Falſum eſt, Deum ex noſtra doctrina operari peccata quâ talia. In operibus impiorum efficit motus & actiones, & judicia ſua operatur: at *ἀνομίαν* ipſam non efficit, ſed permittit. 2. Falſum, quòd magis operetur, quàm nos, cùm nullo modo malum quà tale operetur. 3. Falſum denique, quòd Deus ſit principale agens, & operans peccati. Eſt enim principale quidem agens & operans actionis & judicii, ſed non peccati, quâ tale eſt. quæ mens eſt expreſſiſſima Calvini.

EXCIP.

Digitized by Google

Excip. Redinc: *Ex ſuperioribus liquet, hæreticam & blaſphemam hic eſſe Calvini mentem. Sanè Inſtit. lib. II. 4:2. etiam ſpecialem actionem, quæ in uno quoque facinore eſt, Deo tribuit; & ſt.3. ſubjicit, Deum ſic exequi ſua judicia per miniſtrum iræ ſuæ, Sathanam, ut conſilia eorum, quò viſum eſt, deſtinet, & voluntates excitet, & conatus firmet.* Ib. pag. 428. Reſp. Nihil ad mea nec ſupra reſpondiſti, nec hic reſpondes, ſed præfractè tantùm calumniam tuam, qua totus tibi animus æſtuat, premis. Quomodo ſpecialem cujusvis facinoris actionem Deo Calvinus tribuat, vidimus. Quid clarius in ipſis verbis à te citatis, quàm quòd idem facinus Deo, Sathanæ, homini tribuatur, ſed alio atque alio modo; & Deo quidem eo modo, *quòd Sathan ipſe, inſtrumentum cùm ſit iræ ejus, pro ejus nutu ac imperio, huc atque illuc ſe inflectat ad exequenda juſta ejus judicia?* An eodem modo peccatum Sathanæ, homini tribuit Calvinus? Imò ille peccati malitiam ubique ſtudioſiſſimè à Deo authore removet, & Providentiæ duntaxat Divinæ, illius videlicet, quæ *κατὰ συγχώρησιν* eſt, efficaciam ex Scripturarum penetralibus intimis aſtruit.

Coronidis loco tibi, qui Zwinglium & Calvinum noſtrum, ſophiſmatum tuorum equuleo impoſitum, inclementer ſatis hactenus dilacerasti, Doctores veſtros, partim eadem, partim duriora longè, qualia nunquam noſtris exciderunt, pronuntiantes opponere libet, ut ſentias, & nobis machæram eſſe, ſi tibi urbina eſt. Proferam autem ex multis ſuffragia Doctorum nonnullorum, qui apud vos famoſiores ſunt; nominatim Bellarmini, Hugonis de S. Victore, Matthæi Riſpolis, Didaci Alvarez, Ledeſma, Franciſci Cumel, Franciſci Sylvii, Johannis de Rada, & Joſephi Angles. Bellarmini quædam ſupra retulimus. Eodem verò loco à me citato, nimirum *de amiſſ. grat. & ſtatu peccati lib. II. cap. 16.* hæc verba habet: *Deus non ſolùm deſerit peccatores, cùm eos tradit deſideriis cordis eorum; ſed etiam quòd eorum malas voluntates, quas ipſe non fecit, ſed futuras non ignoravit, ita mirabiliter torquet, regit, ordinat, ut ex eis bonum eliciat, & faciat, ut etiam invita ac nolentes ſibi ſerviant, & hoc ipſo, quod libenter faciunt, juſto Dei judicio graviſſimè puniantur.* Ubi tam durè unquam Calvinus locutus eſt? Apud quem fruſtra phraſin *torquendi malas voluntates*, crudiorem utique illa, qua ſtatuitur Deus *impellere peccatorem*, requiras. Neque Calvinus inceſtum Abſolonis Deo tribuit alio ſenſu, quàm quem his verbis Bellarminus *ib. cap. 15.* exhibet: *Quod de inceſtu Abſolonis dicitur, Deum illud malum feciſſe, non qua culpa Abſolonis, ſed qua pœna Davidis erat. Quamvis enim malum eſſet, Abſolonem peccare, bonum tamen & juſtum erat puniri Davidem. quod voluit & fecit Deus.* Hoc, non aliud ſibi Calvinus voluit. Hugo de S. Victore *lib. de Sacram. cap. 11. pag. 4.* ſcribit, dictu leve eſſe, & absque conſcientiæ ſcrupulo dici, ſed grave auditu eſſe, *peccata* nempe *accidere per voluntatem Dei. Videtur enim*, inquit, *tum dici, quòd Deus malum diligit & approbat, quod pravum eſt: ideo refutat hæc pia mens, non quia quod dicitur, rectè non dicitur; ſed quia quod bene dicitur, non bene intelligitur. Deus cùm facit bonum & permittit malum, apparet voluntas ejus, quoniam eſſe vult, quod facit, & quod permittit, eſt Dei voluntas; operatio ejus eſt permiſſio ejus.* Hoc ipſum Calvinus pertendit, non eſſe voluntatem à permiſſione ſeparandam. Johannes Matthæus Riſpolis *lib. de præfinit. p. 62.* ſcribit, *Deum in ſua præfinitione & in ſua voluntate cognoſcere tum bona tum mala, quia ſicut præfinivit bona, ſic etiam præfinivit mala. Et hoc eſt*, inquit, *quod ſæpe Angelicus doctor docet, Deum omnia cognoſcere in ſua voluntate. Et hoc etiam eſt, quod docent viri Theologiæ in doctrina D. Thomæ verſatiſſimi, ſcilicet Deum cognoſcere mala & peccata ſcientia viſionis, quæ ſequitur actum voluntatis.* De permiſſione porro ſic pag. 64. loquitur: *Nos per permiſſionem intelligimus ſubſtractionem auxilii, per quod non fuiſſet ille malus uſus.*

uſus. ***Et iſta ſubſtractio auxilii dicitur permiſſio, quia in hac ſubſtractione relinquitur homo in ſua libertate naturali, qua*** (NB) ***in malum neceſſariò flectitur.*** Addit: *Determinatio ad actum malum ipſius voluntatis non eſt abſque prævia primæ cauſæ motione. Duæ namque ſiunt actiones ex parte Dei, una quando negat illam in bonum determinationem: altera, quando ut agens primum ipſum applicat ad actum malum, non ut malus eſt, ſed ut actus & operatio bona.* Et alibi: *Conimbricenſibus concedimus, Deum non ſolùm concurrere ad actum peccati, ſed etiam magis principaliter, quàm ipſam voluntatem.* Didacus Alvarez, Archiepiſcopus Tranenſis *Summ. de auxil. gratiæ lib. I. 9.* Deo deſerente & non adjuvante peccatorem, ne cadat, *infallibiliter eſſe peccaturum.* Rationes addit plures, cujuſmodi ſunt, quòd ſine auxilio efficaci prædeterminante liberum arbitrium ad actum virtutis nunquam homo producet illum actum; adeóque Deus ſcit, quod peccabit Petrus peccato omiſſionis; quódque in decreto, quo Deus prædeterminavit voluntatem Petri ad actum peccati, in quantum actus & ens eſt, certò cognoſcet, quòd producet illum actum; adeóque ſi alia parte permittat ejuſdem actus malitiam moralem, & quòd Petrus deficiens à regula rationis eundem actum producet, erit infallibile, quòd Petrus peccabit, ac per conſequens id certò cognoſcet Deus. Sed & *lib. II. 9.* ſcribit, *prædeterminationem voluntatis Divinæ extendi debere non tantùm ad actus bonos, ſed etiam ad actum peccati, quatenus actus & ens eſt. Unde,* inquit, *quicquid entitatis reperitur in quocunque actu peccati, etiamſi ſit alias intrinſecè malus, debet reduci in Deum tanquam in primam cauſam præmoventem & prædeterminantem, actuali motione, voluntatem creatam ad totum actum,* (NB.) *in quantum actus eſt, & ſecundum quod eſt ens.* Quam expreſſam eſſe ſententiam Capreoli & Ferrarienſis, ita aſſerit, ut eandem ex Auguſtino & Thoma confirmet, ac de Thoma inſuper oſtendat ejus ſententiam *non poſſe explicari de ſolo concurſu ſimultaneo, quo Deus cum voluntate ſe determinante ſimul concurrit ad actum peccati, ut actus eſt; quia per hujuſmodi concurſum non producit Deus actum peccati mediante voluntate, id eſt, influendo in ipſam voluntatem, ut in cauſam; ſed immediatè cum voluntate.* Objicienti, futurum ſic Deum cauſam malitiæ moralis, quæ ad totam prædeterminationem conſequitur, adeóque cauſam peccati pro formali & quatenus peccatum eſt, reſpondet, *quòd malitia moralis non ſequatur intrinſecè & ex natura rei ad actum blaſphemiæ vel odii ſecundum ſuam eſſentiam, ut actus eſt, neque ut ens eſt in genere naturæ, etiam in individuo, ſed ut procedit à voluntate creata deficiente; unde in voluntatem deficientem, & non in Deum refundi debeat malitia moralis, & defectus peccati.* allato ſimili vulgato de claudicatione tibiæ, in qua quicquid entitatis eſt, à primo mobili Cœlo efficienter procedit, obliquitas à cauſa deficiente. Objicienti inſuper, ſic malam etiam operationem fore neceſſariam, reſpondet, neceſſariam fore *non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione voluntatis Divinæ.* Inſtanti, actus neceſſarios ex ſuppoſitione decreti Divini, eo ipſo, quòd homo illud amovere non poſſit, abſolutè & ſimpliciter neceſſarios fore, reſpondet, *actus omnes à Deo prædeterminatos neceſſariò evenire, neceſſitate illationis, & ex ſuppoſitione ejuſdem decreti, non tamen neceſſitate abſoluta, quæ libertatem evertit.* Eandem ſententiam Petrus de Ledeſma, Profeſſor Salmanticenſis, libro *de Gratiæ Divinæ auxiliis* edito, & privilegio Regis Hiſpaniarum, nec non approbatione ſupremi Regii Senatus, firmato, tuetur, ſuſcepto Dominici Bannes patrocinio, aſſerentis, *quòd quantum ad infallibilem conſequentiam attinet, tam neceſſariò ſequatur, peccatum eſſe futurum, ſi Deus decreverit negare auxilium efficax ad evitandum illud; ſicut ſequitur, poſita ejus prædefinitione, ſeu prædeterminatione, & permiſſionem peccati in hujus auxilii efficacis negatione conſiſtere, ex qua vo-*

luntate

Digitized by Google

luntate permittendi peccatum ſequatur infallibiliter, ex vi talis voluntatis, permiſſivè. Imò ex hac voluntate negandi efficax auxilium infallibiliter cognoſci, quòd creata voluntas peccatum committere debeat. Suarezio opponenti, voluntatem creatam in ordine ad peccatum, formaliter loquendo, non eſſe ſubordinatam Divinæ voluntati; adeóque ex ſola Divina permiſſione, & efficaci auxilio non collato, non ſequi infallibiliter peccatum, quia voluntas ipſa in ordine ad peccatum libera & indifferens maneat; reſpondet: *Etſi in ordine ad peccatum ſit ſubordinata voluntas creata primæ cauſæ, eſſe tamen in ordine ad bonum ſubordinatam in ratione cauſæ efficientis, & propterea nihil operari poſſe niſi præmotam & prædeterminatam à DEO. Eo ipſo igitur, quòd non prædeterminatur ad bonum, non adimplere præceptum, & conſequenter peccare. Itaque*, ſic infert, *ex eo, quòd permittitur peccare, ſtatim ſequitur peccatum ipſum (NB.) præcisè ex vi illius permiſſionis.* Subjicit, ex ſententia omnium diſcipulorum Thomæ, *DEUM concurrere ad entitatem actionis malæ, & ad entitatem actus, & ad materiale peccati præmovendo, prædeterminando ipſam voluntatem ad actum malum.* Pag. 393. ſcribit, *voluntatem creatam prædeterminari à DEO per ſuum auxilium efficax naturale ad opera & actus, qui habent rationem peccati & culpæ, quantum ad perfectionem poſitivam, & quantum ad moralitatem & libertatem, quam habent. Neceſſarium eſſe auxilium phyſicè prædeterminans voluntatem ad actionem peccati, in quantum actio eſt.* idque probat exemplo Simei maledicentis, Nebucadnezaris Eccleſiam perſequentis, eorum qui Chriſtum crucifixerunt. quorum actiones, ſi conſiderentur in ordine ad Chriſtum, fuiſſe *actiones bonas & à Deo.* Addit pag. 396. contra Suarezium, *ad actionem illam, ut actio eſt, & ut dicit perfectionem & entitatem, non concurrere Deum permiſſivè, ſed poſitivè producendo ipſam entitatem, & nullum eſſe inconveniens, quòd* (NB.) *Deus cauſet peccatum, non quidem ut peccatum eſt, ſed quantum induit rationem pœnæ.* Franciſcus Cumel, Salmanticenſis Profeſſor, *Diſput. var. ad 1. par. S. Thomæ pag. 14. &c.* fusè aſſerit, *Deum certò cernere futuritionem peccati, quia cernit, quòd ipſemet debet concurrere ad hanc actionem materialem Petri vel Franciſci hic & nunc, quæ eſt occiſio hujus hominis, & ita eſt infallibilis cognitio peccati futuri.* Franciſcus Sylvius, Profeſſor Duacenſis in explicatione S. Thomæ, de motione primi motoris, *part. 4. art. 4.* fusè aſſerit, *Deum non ſolùm permiſſivè operari ſubſtantiam actus peccati, ſed vera ac propria cauſalitate phyſica.* ubi multa etiam ex Scoto & Scotiſtis affert, quibus convincentur Deum authorem peccati facere, ſi conſequentiæ, quas ex noſtrorum dictis adverſarii nectunt, neceſſariæ ſint; atque ſimul ſententiam Durandi & Aureoli, qui docuerunt, *voluntatem creatam ſine cooperatione immediata Dei poſſe elicere volitionem peccantis*, ejuſdem Scoti verbis refellit. Johannes de Rada, Epiſcopus Pactenſis *Controv. inter Thomam & Scotum p. 1. controv. 30. art. 3. concl. 5.* ex permiſſionis Divinæ æterno decreto neceſſitatem conſequentiæ, ratione futuri peccati, deducit. Denique Joſephus Angles Epiſcopus Boſannenſis *Flor. in 2. Sent. Diſt. 25. q. 1.* & *diſt. 34. 35. 36.* probat, *Deum eſſe cauſam linguæ blaſphemantis, & occaſionis ac extenſionis manus alicujus furantis.* Confer jam, ſi lubet, Redingi, quinque propoſitiones illas, noſtris, Calvino inprimis, à Bellarmino tributas, ex quibus idem Bellarminus probatum dare contendit, nos Deum peccati authorem facere; &, ſublatis iis, quæ in propoſitionibus illis per calumniam ille Calvino impegit, ſubduc calculum, reperiéſque, Thomiſtas & Prædeterminantes tuos, quibus ipſis quoque paſſim tuum ſuffragium addere videri vis, eadem planè via, qua noſtri, Providentiæ Divinæ *ἐνέργειαν* propugnantes, incedere. Pri-

mò enim, juxta Bellarminum, docemus, *Deum non ſolùm permittere, ſed etiam velle fieri peccata*, hoc eſt, non otioſa, nec merè negativa permiſſione, circa peccati exiſtentiam verſari, ſed permiſſione voluntatis, eventum ipſum præfinientis. Hoc Thomiſtas veſtros adverſus Jeſuitas pertendentes vidimus. Secundò docemus, Bellarmino eodem indice, *Deum non ſolùm velle fieri, ſed etiam ab æterno decreviſſe, ut fierent peccata, idque non prævisâ determinatione voluntatis humanæ. Deum enim* juxta nos *non decernere quicquam, quia præſcit futurum, ſed præſcire futura, quia decrevit ut fierent.* Hoc ipſum Thomiſtæ veſtri adverſus Jeſuitas eoſdem ſeverè pronuntiantes vidimus. *Deus æterno ſuo decreto*, ita Alvarez *diſp.* 22.7. ſcribit, *atque abſoluta & efficaci voluntate prædeterminavit omnes actus noſtros in particulari, ante rerum præviſionem, & independenter ab omni ſcientia media liberæ cooperationis futuræ ex hypotheſi. Hæc eſt ſententia Thomæ & omnium Thomiſtarum, Scoti, Vegæ, & S. Patrum.* Tertiò tribuit nobis Bellarminus, quòd doceamus, *etiam Deum imperare Sathanæ & improbis hominibus, ut concipiant maleficia, eóſque ad hæc inclinare, impellere & cogere.* Phraſes quidem illæ *imperandi, impellendi ad maleficia* à noſtris non frequentantur, neque ut propriæ, probantur, uti ſatis ſupra expoſuimus. Per tropum tamen commodè explicari poſſe, Bellarminus ipſe *cap.* 13. agnovit. Res ipſa Scholaſticè à Thomiſtis, nominatim Alvarezio *diſp.* 23:9. docetur his verbis: *Deus motione prævia efficaciter applicat voluntatem creatam, ut liberè & infallibiliter operetur, ſicut etiam applicat alias cauſas ſecundas, ut materialiter operentur.* Quartò docere nos indicat Bellarminus, *Deum operari in mentibus impiorum, & per eos, tanquam inſtrumenta ſua facere omnia, quæ reſpectu hominum dicuntur & ſunt verè peccata.* Phraſes eas & Scriptura uſurpat, & Bellarminus *cap.* 13. probat. Senſum earum tenent Thomiſtæ, his apud Alvarezium *diſp.* 68:5. verbis: *Hominis voluntas eſt quodammodo Dei inſtrumentum, non purum & merum, ſed liberum.* Quintò noſtris Bellarminus vendicat, quòd doceant, *ea quæ reſpectu hominum ſunt verè peccata, etiamſi Deo volente, definiente, imperante, operante fiant, tamen reſpectu Dei non eſſe peccata, ſed opera bona, juſta, quia homines mala intentione, Deus autem bono conſilio illa omnia facit.* Explica explicanda, & tolle calumnias, cujuſmodi ſunt, quòd Deus peccatum, quâ tale, faciat, quódque Dei & hominis circa actum peccati concurſus intentione & conſilio tantùm differant. In reliquis jam pridem Bradwardinus veſter Archiepiſcopus Cantuarienſis, *Doctoris Profundi* nomine inſignis, *pro cauſa Dei contra Pelag. lib.* 1.34. nobis præivit his verbis: *Quilibet actus reſpectu auctoris Dei juſtus eſt: quare & omne neceſſariò conſequens actum quemcunque. Si enim antecedens eſt juſtum, & quodlibet ejus conſequens juſtum erit, ſicut & verum: & aliquis talis actus, & aliquid ipſum neceſſariò conſequens eſt peccatum. Videtur ergo, quòd non ſit aliqua deformitas, inordinatio aut peccatum ſimpliciter in mundo, ſed ſecundum quid tantummodo, reſpectu videlicet inferiorum cauſarum, ordinationem ſuperioris cauſæ volentium, licet non valentium perturbare.* En nunc Redingi, qua fide nobiſcum Tu, tuique ſimiles agatis. Propoſitiones, quoad rem ſenſúmque verborum, eædem ſunt Calvini ac noſtrorum omnium, & Thomiſtarum tuorum. Calvinus & noſtri propter eas defenſas rei ſunt hæreſeos omnium maximæ, quæ cum Simone Mago, Florino & Blaſto Deum peccati authorem facit. Thomiſtæ propter eaſdem, crudioribus ſubinde etiam verbis defenſas, non tantùm hæreſeos ejus rei non ſunt, ſed etiam orthodoxi habentur, neque à Pontifice, Supremo Principe veſtro, vel impietatis dicam meruerunt, vel ſeverius quid experti, vel ſilere juſſi unquam ſunt. Quòd ſi animum obfirmas, & deinceps eo nomine adverſus nos inſurgere non verebere, author tibi ſum, ut priùs

cum

cum Jeſuitis tuis tranſigas, & hæreſeos hujus labem ab iiſdem Dominicanis & Thomiſtis, quibus calculum ipſe quoque tuum ſubſtringis, omnibus aſperſam abſtergas. Medina enim *in 1. 2. q. 79. a. 2.* ſic ſcribit: *Occam & Gabriel affirmant, quòd Deus in rigore, & in proprietate locutionis eſt author peccati.*

QUÆSTIO V.

An opera omnia, quæ ante regenerationem fiunt, ſint vera peccata, odii Dei meritoria?

NEgat ſub anathemate Canon VII. Nos affirmamus, ſequentibus rationibus inducti.

ARG. I. Ante regenerationem liberum arbitrium tantùm movetur in malum, uti ſupra probavimus. Quæ igitur opera ante eam eduntur, non poſſunt non eſſe mala.

RESP. REDING: *Ante regenerationem arbitrium liberum movetur in malum; ſed liberè. Proin etiam à motu in malum tendente liberè abſtinere poteſt.* Tract. IV. p. 428. Reſp. Claudicat nimiùm ſequela tua. Non enim qui liberè peccato ſervit, propterea eidem non ſervire, vel juſtitiæ ſervire poteſt. Obſtat enim corruptio naturæ, venditio ſub peccatum & mors in peccato. Sic liberè peccato Diabolus ſervit; qui tamen nec à peccato liberè abſtinet, quia nunquam abſtinet, nec bonum liberè facere poteſt. Liberimè bonum Deus, Angeli & Cœlites boni faciunt. Neque tamen vel liberè à bono abſtinere, vel liberè malum facere poſſunt.

ARG. II. Qui regeniti nondum ſunt, fide in Chriſtum deſtituuntur. Proinde eorum omnia opera veri nominis peccata ſunt. Nam quicquid ex fide non fit, peccatum eſt, Rom. XIV. 23. Hebr. XI 6. Joh. III 18. Præclàrè Auguſtinus contra Julianum lib. IV. 3. *Abſit, ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus, abſit autem ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide. Juſtus enim ex fide vivet. Quis porro eorum, qui ſe Chriſtianos haberi volunt, niſi ſoli Pelagiani, aut in ipſis etiam tu ſolus, juſtum dixerit infidelem, juſtum dixerit impium, juſtum dixerit Diabolo mancipatum?*

RESP. REDING: 1. *Gentiles faciunt naturaliter, quod legis eſt; Rom. II. 14. nec tamen ex fide.* 2. *S. Paulo Rom. XIV. 23. fides eſt conſcientia hominis, qua credens quis licitum ab illicito diſcernit. Hebr. XI. 6. & Joh. III. 18. indicatur, abſque fide ſtatum gratiæ juſtificantis non ſubſiſtere.* 3. *Diſtinguendum igitur venit duplex operum bonorum genus; alterum ordinis naturalis, quod ad juſtificationem non prodeſt; alterum ordinis ſupernaturalis, cujus radix & initium fides eſt; quæ quidem ſi extra ſtatum gratiæ eliciatur, nullam cum lumine gloriæ, ſeu vita æterna condignitatem habet; attamen per gratiam Dei actualem prævenientem elici, & remotè ad juſtificationem diſponere poteſt.* Ib. pag. 429. 430.

Digitized by Google

429. 430. Reſp. 1. Gentiles natura faciunt quæ legis ſunt, ſed non qualia lex ad opus ſive legaliter, ſive Evangelicè bonum, poſtulat; quoad actum externum, non cauſas bonitatis omnes. qua vel una deficiente, opus malum, non bonum eſt. Peccatum enim fieri ex una cauſa poteſt: bonum opus nonniſi ex concurſu cauſarum omnium. 2. Rom. XIV. 23. fidem ex ſententia plurium S Patrum non tam conſcientiæ, quæ regula actionum bonarum eſt, quàm aſſenſum fidei Catholicæ ſignificare, Salmero *in Epiſt. ad Rom. lib. IV. diſp. 9.* fatetur; & in ea ſententia ita eſſe Auguſtinum, ut oppoſitam fidei acceptionem, tanquam novam & inauditam, non probarit, aſſerit. Et ſanè S. Auguſtinus *in Joh. tract. 25.* hoc ipſo loco utitur ad probandum, quòd infidelium opera ſine fide non ſint bona. *Sunt opera*, inquit, *quæ videntur bona ſine fide Chriſti, & non ſunt bona, quia non referuntur ad eum finem, ex quo bona ſunt.* Alibi *lib. 1. contra 2. Epiſt. Pelag. cap. 3.* eodem loco, velut contra Papiſtas, ſic utitur: *Nec poteſt homo* (NB.) *boni aliquid velle, niſi adjuvetur ab eo, qui malum non poteſt velle: hoc eſt, gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt: ac per hoc bona voluntas, quæ ſe abſtrahit à peccato, fidelis eſt: quia juſtus ex fide vivit.* Sed eſto, intellexerit Apoſtolus conſcientiam. An verò quamlibet? Etiam hominis irregeniti? Nequaquam verò. An enim tam auguſto πίστεως *fidei* nomine perſuaſionem ἄλογον cujusvis impii S. Paulus donaverit? Conſcientia ne illa pura, an impura eſt? Si impura, non eſt fides. Si pura, fide vera in Chriſtum purificata eſt, quia fide corda purificantur, Act. XV. 9. Et ſanè ſermo eſt de fratribus tum firmioribus, tum infirmioribus. Neutri ſine fide in Chriſtum tales erant. *Et infirmos fide* jubet *aſſumi*, v. 1. non utique fide deſtitutos. Neque enim irregenitus, infidelis eſt ἀσθενῶν τῇ πίστει *in fide infirmus.* Conſcientiam inſuper omnis homo habet: at non fidem, de qua loquitur Apoſtolus. Σὺ *Tu*, inquit, *fidem habes*, non quivis alius. Eſt igitur fides illa, ſine qua quicquid homo facit, peccatum eſt, motus conſcientiæ jam Deum amantis, & ſua opera ſic ad Deum ordinantis, ut quod ei diſplicere credit, nolit attingere. Id verò non cadit niſi in hominem Deum ex toto corde amantem, & in Chriſtum credentem, quia ſine fide in Chriſtum & vera converſione nullus ſincerus Dei amor conſtat. Sic Hebr. XI. 6. negat S. Paulus ſine fide quenquam Deo placere poſſe. Tu excipis, *ad juſtificationem.* Quaſi vel Apoſtolus ita diſtinxerit, vel εὐδοκίαν *beneplacitum* aliquod Dei, extra ſtatum juſtificationis, & fidem in Chriſtum, de quo ſolo, ſubintellectis iis, qui per veram fidem ipſi ceu capiti ſuo cohærent, Deus Pater ex Cœlo clamavit: *Hic eſt filius meus dilectus*, ἐν ᾧ εὐδόκησα, *in quo beneplacitum habeo.* Eſaj XLII. 1. Matth III. 17. Par ratio eſt loci Joh. III. 18. quo ἤδη κέκριται *jam judicatus* dicitur, *qui non credit.* tu explicas, non juſtificatus. Perperam. Poteſt enim eſſe *non juſtificatus*, qui tamen non eſt *judicatus*, ſed juſtificandus. Præterea qui judicatus eſt, adeóque non juſtificatus, quandiu talis, nihil boni facit, quia ſine Chriſto, cujus ſolius merito juſtificatio contingit, χωρὶς ἐμοῦ *nihil facere poſſumus*, Joh. XV. 5. Quicquid boni operis eſt, à charitate manat; charitatis verò radix fides eſt. Præclarè igitur S. Auguſtinus *contra Jul. lib. IV. 3.* ſic diſſerit: *Abſit, ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus. Abſit autem, ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide. Juſtus enim ex fide vivet. Quis porro eorum, qui ſe Chriſtianos haberi volunt, niſi ſoli Pelagiani, aut in ipſis etiam tu ſolus, juſtum dixerit infidelem, juſtum dixerit impium, juſtum dixerit Diabolo mancipatum.* Et ibidem: *An dicis hominem infidelem arborem bonam? Placet ergo Deo. Neque enim bono poteſt non placere, quod bonum eſt. Et ubi erit quod ſcriptum eſt: Sine fide impoſſibile eſt Deo placere? An reſpondebis, non in quantum infidelis eſt, ſed in quantum homo eſt arbor bona?*

Digitized by Google

na? Per hoc nulla erit arbor mala, de qua dictum eſt, quòd non poſſit facere fructus bonos. Quis infidelis ita infideliter ſerviat? Non itaque in quantum homo eſt; quod eſt opus Dei; ſed in quantum malæ voluntatis eſt, quisque arbor mala eſt, & fructus bonos facere non poteſt. 3. Fruſtra igitur inter duplex bonorum operum genus diſtinguis, atque alterum ordinis *naturalis* facis, quæ bona eſſe ſine fide, ſed non juſtificare poſſunt. Quod enim ſine fide eſt, Apoſtolus non bonum opus ordinis naturalis, ſed *peccatum* vocat. Fide enim corda purificantur. Sine fide igitur impura ſunt, ex quibus nihil boni, ſed mera peccata parturire & hominem polluere, Chriſtus Matth. XV. 18. 19. monet. Sed & bonum opus ordinis ſupernaturalis, per fidem, ceu ejuſdem radicem vel extra ſtatum gratiæ elici poſſe, vel per fidem elicitum ad juſtificationem diſponere, dictu perabſurdum eſt. Sine Chriſto enim, ejusque merito in ſtatu gratiæ nihil poſſumus. Et Deus juſtificat impium; non igitur bonum opus per fidem extra gratiæ ſtatum elicientem.

ARG. III. Ea eſt conditio hominis irregeniti, ut *ea, quæ Spiritus ſunt, ne quidem percipiat*, 1. Cor. II. 14. *ſub peccato ſit venundatus*, Rom. VII. 14. *captivus teneatur à Sathana ad ipſius voluntatem*, 2. Tim. II. 26. *mortuus ſit in delictis*, Eph II. 3. converſus ad omne malum, cujus *figmentum* eſt רק רע *tantummodo malum*, Geneſ. VI. 5. Rectè Auguſtinus de Nat. & Gratia cap. 49. *Natura noſtra adeò vitiata eſt, ut majoris vitii ſit illud non videre.*

Resp. Reding: 1. *Iterum naturalem & ſupernaturalem ordinem & in Supernaturali gratiam habitualem formaliter ſanctificantem, & actualem juſtificationi præviam confundis. Irregenitus, qualem deſcribis, ex ſe nihil virium habet in ordine ſupernaturali. Poteſt tamen Deus per gratiam vires ſupernaturaliter operandi conferre, & ultra juſtificantem formam gratiæ actualis auxilium ad eliciendos fidei, ſpei ac pœnitentiæ actus producere. 2. Cùmque per peccatum natura hominis non deſtruatur, in ordine naturali potentiam habet moraliter bene agendi. Licet per concupiſcentiæ fomitem ita omni tempore in malum intenta ſit, ut careat extra ſpecialem gratiam auxilio ſufficiente ad talem honeſtatem excitante, relicta ſola phyſica ad bonum ordinis naturalis ſufficientia.* Ib. pag. 430. Reſp. 1. Non ego ordines hominis confudi, ſed tu diſtinctionum tuarum nebulis veritatem offuſcare contendis. Fruſtra enim ordinem naturalem à ſupernaturali ita diſcernis, ut in naturali vires hominis ad operandum bonum reſiduas propugnes. Qui in peccato mortuus, & ſub illud venundatus eſt, nullas à natura vires ad bonum operandum, ſed duntaxat ad peccandum habet. Et in ſtatu peccati ponere gratiam ſupernaturaliter operandi, fidei, ſpei, pœnitentiæ actus eliciendi, eſt ſtatum naturæ corruptæ & ſanatæ, vitam & mortem, lucem & tenebras confundere. Nihil mihi cum diſtinctionibus tuis, quas non Spiritus Dei, ſed mala Sophiſtice tibi dictavit. 2. Per peccatum non deſtruitur natura hominis quoad facultates eſſentiales & integritatem phyſicam; deſtruitur tamen quoad moralem integram & ſpiritualem, viréſque adeò moraliter & ſpiritualiter bene operandi, quod loca à me citata evincunt. Et quid cum tali ſtatu ſpecialis vel ſufficiens gratia, actu non convertens negotii habet? Probanda hæc, non nudè pronuntianda fuerant. Quomodo denique ſimul ſine gratia ſpeciali & ſufficiente omni tempore in homine irregenito concupiſcentiæ fomitem in malum ferri: ſimul cum phyſica ad bonum naturalis ordinis ſufficientia pollere ſcribis? Sunt hæc ſimul flantis, & ſimul ſorbentis deliria, quæ tibi iis aſſueto relinquimus.

ARG. IV. Impiorum habitus omnes ſunt mali. Sunt *mala arbor*, *malus theſaurus*, Matth.cap.VII.verſ.18. XII.verſ.33.34. Tales autem ſunt actus omnes,quales habitus; talis fructus,qualis arbor; tales gemmæ, qualis theſaurus.

RESP. REDING: 1. *Irregeniti faciunt, quæ legis ſunt, & lumen habent, quo revelatur id, quod de Deo cognoſci poteſt*, Rom.I.19. 20.II.14. *An habitus ii mali ſunt?* 2. *In quolibet igitur homine eſt radix mali & boni. Ex illa in arborem malam excreſcit: ex hac habet potentiam ſufficientem reſpectu honeſtatis naturalis; indiget verò gratia reſpectu ſupernaturalis.* Ib.p.430. Reſp.1. Quo ſenſu faciant, quæ legis ſunt, ſæpe diximus. Lumen verò naturale revelans id, quod natura de Deo cognoſci poteſt, datum iiſdem eſt, non cum quidem in finem,ut indicet potentiam vel habitum bene faciendi quicquam in regenitis, uti quidem Apoſtolus ipſe v.21.22. &c. clarè probat; ſed ut reddantur inexcuſabiles. Neque ego ſimpliciter habitus naturales quosvis ab irregenitis excludo; ſed eos duntaxat habitus,qui moraliter boni actus moraliter bonos eliciant. 2. In quolibet homine una radix eſt, vel bona vel mala; ſicut in qualibet arbore nonniſi una radix obtinet. Arborem malam non poſſe bonos fructus ferre, Chriſtus affirmat. Si ex mala radice bonos fructus ferre poſſet, jam mala arbor bonos fructus, ex diverſa radice licet; ferret; & ſpinæ uvas,tribuli ficus protruderent. Annon ſic ludicram facis Chriſti gnomam; & quocunque ineptiſſimo modo potes,hypotheſi tuæ inſervis? Quàm,quæſo,diverſus abis à mente S Auguſtini, cujus *de verbis Dom.Sum.*12. hæc verba ſunt: *Prius eſt mutandus homo, ut opera mutentur. Si enim manet in eo homo, quod malus eſt, bona opera habere non poteſt. Si manet in eo, quòd bonus eſt, mala opera habere non poteſt. Quis autem à Domino bonus inventus eſt, cùm Chriſtus pro impiis mortuus ſit? Omnes ergo malas arbores invenit; ſed dedit poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in eum.*

ARG. V. Opera bona Deo placent. At infidelium opera Deo non placent,quia Chriſto, in quo ſolo Deus εὐδόκησε, Matth.III.17. Epheſ.I.7. inſiti non ſunt. Unde etiam Chriſtus Joh.XV.1.2.5. negat, fructum bonum ab eo,qui ipſi,ut palmes viti,inſitus non eſt,edi poſſe.

RESP. REDING: *Annon Deo placuit opus creationis etiam extra Chriſtum? Atqui opera naturalis ordinis pertinent ad lineam creationis. quamvis auxilium efficax & gratia ſufficiens ad hæc operanda non decernatur niſi ex Chriſto.* Ib. pag.430.431. Reſp. Diſputas planè, ſicut mente emotus. An opera creationis ſunt opera hominis irregeniti? An opera hominis irregeniti talia ſunt,qualia hominis à Deo ad imaginem ſuam creati, adeóque perfectè boni rectique?

ARG. VI. Pollutis & incredulis nihil purum eſt, ſed polluta eſt eorum mens & conſcientia,Tit.I.15.Tales autem irregeniti omnes.

RESP. REDING: 1. *S. Paulus non de operibus infidelium,ſed de cibis mundis & immundis ſecundum legem loquitur; eóſque, ſublata lege infidelibus omnes, ſive vetitos à lege, ſive non vetitos, impuros, fidelibus ſine diſcrimine puros eſſe, docet. Ita Hieronymus & Auguſtinus. Et res ipſa clamat. Sub eadem enim generalitate verborum Apoſtolus mundis omnia munda eſſe, ſub qua,pollutis omnia polluta eſſe, affirmat. Atqui mundis*

non

Digitized by Google

non ita munda omnia ſunt, quin peccata immunda habeant. Alioquin impeccabiles forent. Pari igitur ratione non ſic pollutis omnia polluta ſunt, quin quædam munda eſſe poſſint. 2. *S. Baſilius homil. 9. de opere ſex dierum: Chryſoſtomus homil. 67. ad pop. Antioch. Auctor operis imperf. homil. 26. in Matth. Hieronymus in cap. 1. ad Gal. Auguſtinus paſſim infidelium quædam opera bona eſſe agnoſcunt* Ib: p. 431. 432. Reſp: 1. Ita de cibis ſecundum legem mundis vel immundis S. Paulus loquitur, ut propter inquinatam infidelium mentem & conſcientjam, inquinari cibos ab iisdem manducatos quoscunque etiam lege Divina non prohibitos ſtatuat. Nam vel ipſum cœlum peccator, in id admiſſus, inquinaret, Hebr. IX. 23. Pari igitur ratione opera illorum moralia, quæ faciunt, licet ratione externi operis cum lege congruant, immunda & inquinata ſunt, quia à mente & conſcientia polluta, nondum à Spiritu S. purificata, proficiſcuntur. Quid enim puri, boni, illimis, limpidi ex turbido, polluto & lutulentum fluente fonte, ſcaturire poteſt? Neque te ſimilis verborum generalitas circa fidelium & infidelium opera juvat. Licet enim fideles peccatores ſint, peccata tamen eorum, utpote per Chriſtum expiata & purificata, iis non ſunt *impura & immunda*, hoc eſt, ceu impura iis non imputantur. Quomodo enim ceu impura imputarentur, quorum *καθαρισμὸν purificationem* Chriſtus per ſe ipſum fecit, Hebr. I. 3? Par igitur generalitas verborum in antitheſi infidelium, vel te ipſo judice, argumenti mei nodum magis ſic adſtringente, obtinebit. 2. S. Patres à te citati loquuntur de bonitate operum quoad ſubſtantiam actus legi conformem; nec non quoad effectum, quia opera hujuſmodi etiam vitam præſentem honeſtant, & à Deo temporalem mercedem conſequuntur, quin & ſupplicii gravitatem poſt mortem utcunque imminuunt; haud invitis equidem nobis: non quoad integritatem cauſarum, vel modum, quo ea fiunt. Id loca à te citata ſingula teſtantur. Et magis etiam, quæ *ἀντὶ δίκαιον* ego reponam. Sic enim S. Auguſtinus, Patrum aquila, *ad Boniſac. lib. III. 5.* ſcribit: *Sine fide, quæ videntur bona opera,* (NB.) *in peccata* (non in opera bona ordinis naturalis tua) *vertuntur. Quicquid enim non fit ex fide, peccatum eſt.* Alibi *lib. IV. contra Jul. cap. 5.* ſimiliter: *Nulla poteſt eſſe vera virtus niſi in eo, qui juſtus eſt. Juſtus autem nemo poteſt eſſe ſine fide.* Gemella *tract. in Pſal. 31.* ſunt iſthæc: *Ea opera, quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt. Ita mihi videntur eſſe vires magnæ, & curſus celerimus præter viam. Nemo computet opera ſua ante fidem. Ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas, quid homo faciat, ſed quid, cùm facit, aſpiciat.* Eandem mentem ſuam fuſiùs *de Civ. D. lib. XII. 19. Epiſt. 99. de nupt. & conc. lib. I. cap. 3.* expoſuit, cujus etiam plura teſtimonia Janſenius *de ſtatu nat. Lapſæ lib. IV. cap. 1.* affert. ubi etiam Arauſicanum Concilium in ſubſidium advocat. Baſilius *de Baptiſmo lib. II. q. 7. 8.* id ipſum ex profeſſo pluribus agit. Chryſoſtomus *Ser. de fide & Lege nat.* non renatorum opera pulchris & pretioſis veſtibus defunctorum, qui earum nullum ſenſum habeant, comparat. Hieronymus *in Zachar. cap. 8. & Gal. cap. 3.* ſcribit: *Sine Chriſto omnis in vitio virtus eſt.* Ambroſius vel Proſper *lib. I. de vocat. gent. cap. 3.* concinit his verbis: *Abſque veri Dei cultu quæ videntur virtutes eſſe, peccata ſunt, nec placere Deo ſine Deo ullus poteſt. Qui verò Deo non placet, cui, niſi ſibi & Diabolo placet?* Ipſe denique Lombardus, Scholæ veſtræ anteſignanus, *2. Sent. diſt. 41. A.* ſuffragatur his verbis: *Non irrationaliter à quibusdam aſtruitur, quòd omnes actiones & voluntates hominis ſine fide malæ ſint, quæ fide habita bonæ exiſtunt.* Ex quibus Sole meridiano clarius eſt, S. Patrum judicio, opera infidelium non tantùm ad juſtificationem

& ſalutem

& salutem nihil prodesse, sed etiam inania, mala, peccata esse, quamcunque demum boni speciem induant.

ARG. VII. Ad operis honestatem & bonitatem requiritur causarum & circumstantiarum omnium concursus. Sunt autem causæ ejusmodi & circumstantiæ, rectum principium, puta mens & voluntas regenerata & habitu charitatis prædita, fides, conformatio cum divina lege, intentio recta, & alia ejusmodi. Atqui causarum ille & circumstantiarum concursus in nullo irregenitorum opere locum habere potest, quia illorum actiones omnes oriuntur ex malo principio, & in pravum finem referuntur. Hoc argumento, ex Thoma Aquinate petito, in ipso Concilio pro sententia orthodoxa pugnavit Ambrosius Catharinus. Qui etiam consensum allegavit Augustini, Ambrosii, Prosperi, item Gregorii Ariminensis & Cardinalis Roffensis, concludens graviter, satius esse, *Patrum vestigiis insistere, quàm Scholasticorum invicem pugnantium: & Scripturarum potiùs fundamento inniti, unde vera Theologia est petenda, quàm Philosophorum argutiis, quibus Scholæ sint referta.*

RESP. REDING: 1. *Argumentum stringit de supernaturali duntaxat actu moraliter bono. Aliàs quomodo gentes natura ea, quæ legis sunt, facere potuerunt? 2. Nec Catharinus in Concilio sententiam vestram tutatus est, licet perfidus S. Polanus ita narret: nec Thomas de bonitate & honestate naturali loquitur.* Ib. pag. 432. 433. Resp. 1. Imò de quolibet actu bono validissimè argumentum stringit. Nam bonum quodvis omnes causas requirit: malum unica causa constituit. Suntne, dic Redingi, opera infidelium legaliter an Evangelicè bona? Si *legaliter* bona sunt, oportet ex amore veri Dei fiant, & ad Dei gloriam unicè dirigantur, quia amor Dei legis Divinæ & naturalis compendium est. Si *Evangelicè*, sine fide in Christum, quæ Evangelii utramque paginam facit, bona esse nequeunt. Plura Dissertatione peculiari de Honestate & Bonitate Morali à me alibi dicta, tibi quoque hic dicta puta. Cothurnum verò de gentibus natura, quæ legis sunt, facientibus, tuum mitte tandem. 2. Qua verò ratione Suavis Polani, Catharini sententiam in Concilio defensam narrantis, fidem minuis? Nulla planè. Ne ipse quidem Pallavicinus, oraculum tuum, contradicere potuit. Res aperta nimis est. Nam Thomæ Aquinatis non alia sententia est, quàm ea, quam Catharinus, Suave teste, in Concilio prodidit. Possem ex eo plura exsculpere. Pauca exsculpam, ex quibus id manifestè liquebit. Sic autem ille *Prima secundæ q. 18. art. 4.* scribit: *Contingit actionem, quæ est bona, secundum speciem suam, vel secundum circumstantias ordinari ad malum finem, vel è converso; non tamen est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quia quilibet singularis defectus causat malum: bonum autem causatur ex integra causa, ut Dionysius dicit cap. 4. de Divinis nominibus.* Paulò superiùs *art. 1. Omnis*, inquit, *actio in quantum aliquid habet de esse, in tantum habet de bonitate, in quantum verò deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit à bonitate & sic dicitur mala. Sicut*, inquit, *Dionysius dicit, Bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus; & ideo ad hoc, quòd dicatur malum, id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quòd secundum suam naturam sit malum, sive quòd apprehendatur ut malum. q. 20. art. 2.*

art.2. Ad hoc, quòd aliquid ſit malum, ſufficit unus ſingularis defectus. Ad hoc autem, quòd ſit ſimpliciter bonum, non ſufficit unum ſingulare bonum, ſed requiritur integritas bonitatis. Si igitur voluntas ſit bona & ex objecto & ex fine, conſequens eſt, actum exteriorem eſſe bonum. Sed non ſufficit ad hoc, quòd actus exterior ſit bonus bonitate voluntatis, quæ eſt ex intentione finis; ſed ſi voluntas ſit mala ex intentione finis, ſive ex actu volito, conſequens eſt, actum exteriorem eſſe malum. Sed & *q.1. art.1. Sc. Reſpon. Dicendum* ſic in Lombardi dictum ſupra citatum ille commentatur: *Rectum eſſe dicitur, cujus medium non exit ab extremis. Actus autem conſideratur inter duo, quæ quaſi ſunt ejus extrema, ſcilicet principium agens, & finem intentum. Unde in opere vel intentione certitudo eſſe dicitur, ſecundum quod opus ab agente egrediens non prætergreditur ordinem debiti finis.* Quæ latè proſecutus ſic concludit: *Ideo fides & charitas dicuntur dirigere intentionem univerſaliter in omnibus.* Cùm inſuper finis in moralibus idem ſit, quod forma in phyſicis, quæ dat eſſe rei, & fateantur Thomiſtæ, nullum dari opus morale infidelium, in quo ab ultimo fine non aberrent, utique non dabitur ullum opus morale, in quo peccent; cùm is demum peccet, qui ab ultimo fine aberrat. Sed & in Catena *in Matth.7. fol.39.* ſic idem Thomas: *Non poteſt malus homo bona operari: neque bonus mala. Ergo ſi vult malus bona operari, priùs bonus fiat. Quandiu autem quis malus eſt, non poteſt facere fructus bonos. Sicut enim poteſt fieri, ut quod fuit nix, non ſit, non autem ut nix ſit calida: ſic poteſt fieri, ut qui malus fuerat, non ſit malus: non tamen fieri poteſt, ut malus benefaciat, quia etſi aliquando utilis eſt, non hoc ipſe facit, ſed fit de illo, Divina providentia procurante.* Citat dein eundem in ſenſum Rabanum & Auguſtinum.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Athenienſes adhuc irregeniti dicuntur εὐσεβεῖν colere Deum ignotum, Act. XVII. 23. Ergo aliqua irregenitorum opera peccata non ſunt.* Reſp. Athenienſes dicuntur *εὐσεβεῖν colere* Deum ignotum, non quaſi vero & ſalutari cultu Deum verum affecerint, ſed κατὰ δόξαν *ſecundum opinionem* quia verum Deum, etſi ignotum, vero cultu ſe afficere putârunt. Hoc argumento eos Chriſto lucrifacere Apoſtolus ſtuduit.

EXCIP. RADING: *Non fuit equidem cultus ille per ſe ac poſitivè conducibilis ad æternam ſalutem. Fuit tamen per ſe bonus quoad bonitatem moralem ordinis naturalis, quia, uti ipſe fateris, ſua intentione collimarunt ad Deum verum, etſi ignotum, colendum.* Ib p.433. Reſp. Laudat ſanè S. Paulus in Athenienſibus, quòd faterentur *ἄγνοιαν* veri Dei, & ei decernendo honorem, quem non nôſſent, ſpeciem quandam pietatis exercerent. Nam in eo erat profeſſio quædam deſiderii cognoſcendi illum. Atque eadem ratione ſingulari artificio iis adimit prætextum, quibus ſatis eſſe ad criminationem videbatur, ſi quis Deum incognitum prædicaret. Sed quæ vera & ſolida pietas, quæ moralis bonitas erat in *δεισιδαιμονίᾳ* ſeu *religioſo dæmonum timore*, quem Athenienſibus S. Paulus exprobrat, & in cultu *Θεοῦ ἀγνώστου Dei ignoti*? Qui nec ex amore veri Dei, nec ex conformatione actus cum lege Dei, nec ex intentione glorificandi veri Dei proceſſit? Tantum abeſt, ut ſingula aliáque ejuſmodi boni operis requiſita in cultu eo conjuncta fuerint.

fiti, & fide ac amore Dei imbuti, ceu efficientis; conformationis cum voluntate Dei revelata, ceu formæ; & intentionis gloriæ Dei, ceu finis. His deficientibus, substantia externi operis, seu actus externus, & officium nudum à lege præscriptum mensuram boni operis neutiquam implet.

OBIECT. IV. *Dona Dei non sunt peccata. At virtutes irregenitorum quorumdam, veluti Aristidis justitia, continentia Polemonis, &c. fuerunt dona Dei.* Resp. Dona Dei non sunt peccata, videlicet per se, & quatenus absque depravatione manent. At dona divinitus concessa irregenitis, ipsimet corrumpunt accedente infidelitatis & pravæ intentionis vitio.

EXCIP. REDING: *Sic in homine infideli nullum Dei donum habere locum poterit, quia nequit esse donum Dei, quod formaliter sit peccatum.* Ib. pag. 434. Resp. Habere in homine infideli locum potest donum Dei, quod per se nec peccatum Dei, nec bonum opus hominis irregeniti est; sed non legitimus doni Dei juxta normam legis & voluntatis Divinæ in verbo revelatæ usus, quo deficiente donum Dei ad integritatem operis boni non pertingit.

OBIECT. V. *Opera quædam irregenitorum Deus amplissima mercede in hac vita per modum justitiæ compensat. Ita Ezech. XXX. Nebucadnezari in præmium expugnata Tyri promittitur Ægyptus. Et Augustinus de Civ. Dei Lib. V. 15. Romanorum virtutibus ait imperium mundi loco præmii datum. Ergo irregenitorum quædam opera peccata non sunt.* Resp. Merces terrena virtutem veram non arguit, quia non nisi rerum caducarum est, quas Deus tam reprobis quàm electis promiscuè indulget. Estque hoc insigne justitiæ Divinæ documentum, quòd DEUS non veras tantùm virtutes æternis præmiis, sed etiam virtutum imagines temporalibus beneficiis remuneratur, ne etiam infideles de Dei justitia quod conquerantur, habeant.

EXCIP. REDING: *Quomodo merces terrena per Dei justitiam attributa respondere potest peccato, vel speciei virtutis?* Ib. pag. 434. Resp. Non peccato, sed ei, quod sua natura ob actus præcepti substantiam bonum est, & per accidens, ob defectum reliquarum causarum malum evadit, respondet. neque ei respondet ut *μισθαποδοσία*, retributio veri veræ virtutis prœmii, quod non temporale & caducum, sed permanens & æternum est; sed ut testimonium fidelitatis, bonitatis & justitiæ, quicquid operibus humanis boni inest, largiter compensantis.

QUÆSTIO VI.

An timor gehennæ in nondum juſtificatis ſit peccatum, an potiùs via & diſpoſitio ad juſtificationem?

CAnon VIII. negat, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam DEI de peccatis dolendo confugimus,& à peccato abſtinemus, peccatum eſſe,aut peccatores pejores facere. Fatemur etiam nos, in regenerandis & juſtificandis præcedere timorem pœnæ, tanquam actum præcedaneum & ad juſtificationem diſponentem,quo ob peccata deſperantes æternos cruciatus horrent; cuique ſuccedit fides,quæ terrores illos ſuperat, & in Chriſto Mediatore remiſſionem peccatorum quærit. Hic pœnæ æternæ timor,ſuccedaneam habens fidem ſalvificam,neceſſarius, utilis & ſalutaris eſt. Sed alia mens Papiſtarum, inprimis Scholaſticorum eſt de metu gehennæ. Illi enim pertendunt, dolorem peccati,ex pœnarum timore pullulantem, non tantùm peccandi voluntatem excludere,& bene vivendi propoſitum includere,ſed etiam, quamvis à charitate ſejunctum, eodem modo,quo fides, ad juſtificationem impetrandam concurrere,imò accedente virtute abſolutionis ſacerdotalis,juſtificare. Id nos negamus,& ejuſmodi gehennæ metum, à fide & charitate ſejunctum,vitioſum eſſe aſſerimus. Etenim

ARG. I. Ab homine irregenito nihil bene & legitimè fieri,& eorum opera,veri nominis peccata eſſe,ſupra probavimus. Ergo etiam ille metus gehennæ à fide & charitate ſive concomitante & connexa, ſive conſequente, ſejunctus peccatum eſt.

RESP. REDING: 1. *An æternæ pœnæ timor, quem, ceu actum præcedaneum ad juſtificationem diſponere ais,bonus eſt? Ita quidem fateris, dum ais,ei ſuccedere fidem, & ad juſtificationem diſponere. Ergo in homine adhuc irregenito boni quippiam eſſe poteſt. 2. Timor is,quem fides ſequitur,ex fide eſſe nequit. Datur igitur juxta te actus ad juſtificationem diſponens, in fide non radicatus. Quomodo igitur juxta te fides prima radix & fundamentum juſtificationis eſt? 3. Proceditne ille actus ex gratia Chriſti ſpeciali, nec ne? Si prius, gratia Chriſti ſpecialis in irregenito locum habere poteſt. Si poſterius, abſque Chriſti gratia homo ſe viribus naturæ ad juſtificationem diſponet. quod Pelagianum eſt.* Tract IV. pag. 435. Reſp. Vellicas pro more,non defendis cauſam tuam. Sed ne ſic quicquam proficis. Etenim 1. timor Dei, quem fides & charitas vel comitatur, vel ſequitur,

quitur, de quo argumentum meum loquitur; nec ille timor eſt, quem vos à charitate & fide ſejungitis, & de quo quæſtio inſtituta eſt: nec in irregenitum cadit, quia ſpiritus regenerantis, & ex morte peccati reſuſcitantis effectus, ſeu, uti Caſſianus *de inſtit. renunt. lib. IV. 39.* appellat, *converſionis initium* eſt. 2. Licet timor ille præcedaneus ex fide non ſit, ſine fide tamen non eſt, ſed cum ea conjunctus. Neque inde efficitur, aliam juſtificationis radicem, quàm fidem ſic conſtitui; quia timor ille juxta nos eſt diſpoſitio non *formalis* & *operans*, ſaltem ſine fide non operans, ſed *ſine qua non*, uti ſupra diximus. Sola igitur fides juſtitiam in Evangelio oblatam amplectitur; licet timor pœnæ ex lege incuſſus, &, quatenus cum fide conjungitur, converſionis effectus, fidem ſed certò ſecuturam, præcedat. 3. Utique ex gratia Chriſti ſpeciali actus timoris illius ſalutaris, quem fides comitatur vel ſequitur, pullulat, quia ſine Salvatore nihil in homine ſalutare eſt. Neque inde ſequitur, gratiam Chriſti ſpecialem in irregenitis locum habere, quia timor ſalutaris regenerantis ſpiritus certiſſimum τεκμήριον eſt. Hæc tamen omnia nihil ad timorem veſtrum ſervilem, de quo quæſtio loquitur. Denique Pelagianos aſſerentes, naturæ viribus hominem ſe ad juſtificationem diſponere poſſe, in veſtro, non noſtro ſinu reperies.

ARG. II. Bonum opus procedit ex gratia ſpeciali in Chriſto. Timor gehennæ à fide & charitate ſejunctus à tali gratia non procedit, quia converſione & juſtificatione, per quam Chriſto inſerimur, ejuſque gratiæ participes reddimur, prior eſt.

Resp. Reding: 1. *Diſtingue inter gratiam Chriſti habitualem, quæ formaliter regenerat & juſtificat; & actualem, ſitam in auxilio ſupernaturali, vim conferente ad actus juſtificationi prævios. Ex hac, non illa actus tum fidei, tum timoris, juſtificationi prævius procedit. Imò fides timore prior eſt, quia timere non poteſt, qui primæ veritati, æternæ pœnæ cruciatum revelanti & comminanti priùs non credit.* Ib. pag. 435. Reſp. 1. Nec gratia Chriſti habitualis formaliter juſtificat, uti ſuo loco oſtendimus: nec gratia ejuſdem actualis ſine effectu regenerationis, quam producit, locum habet. Tu igitur pro more ſtatum peccati & gratiæ turpiter confundis. 2. Fidem, quæ in ſolo aſſenſu primæ veritati revelatæ habito conſiſtit, juſtificantem illam, de qua quæſtio eſt, neutiquam eſſe, infra etiam manifeſtum facimus. Aliàs ipſe Diabolus fide juſtificante non deſtitueretur, quia credit & contremiſcit. Fides proin juſtificans tremori opponitur, & fiduciam in Chriſti merito includit.

ARG. III. Nullum bonum opus eſt ſine charitate, quia quicquid rectè geritur, ex amore Dei & proximi proficiſcitur. At charitas, teſte Johanne 1. Joh. IV. 18. timorem ἔξω βάλλει *excludit & foras ejicit.*

Resp. Reding: 1. *An igitur timor ille, quem tu diſponere ad juſtificationem aſſerebas, ex charitate oritur? At tu actum præcedaneum dicebas.* 2. *Charitas quidem timorem ſervilem foras ejicit. Neque tamen ideo timor ille bonus non eſt. Vult enim, uti Hieronymus ſuper Malach. I. 6. ſcribit, primùm Deus, ut filii ejus ſimus, & bonum voluntate faciamus: ſi hoc conſequi non poſſumus, ut ſaltem ſervos nos habeat, & à malis per ſuppliciorum formidinem recedamus. Ipſe quinetiam Chriſtus Matth. X. 28. jubet timere eum, qui & animam & corpus in gehenna perdere poteſt. Unde paſſim Patres hortantur ad pœniten-*

Digitized by Google

tiam ex metu pœnarum conceptam. Ib. pag. 435. 436. Reſp. 1. Timor ille, quem actum præcedaneum vocavi, etſi à charitate non eſt, ſine charitate tamen non eſt, ſed hanc certiſſimum comitem & aſſeclam habet. Imò, uti S. Auguſtinus *tract. 9. in 1. Epiſt. Joh.* ita charitatem inducit, ſicut ſeta ſutoris linum introducit. *Seta priùs intrat,* ita ille, *ſed niſi exeat, non ſuccedit linum. Sic timor primò intrat, non autem manet, quia perfecta charitas foras mittit timorem.* Veſter verò timor ejusmodi eſt, ut charitatem licet non inducat, bonus tamen & permanens clueat, atque ad juſtificationem diſponere, imò à Jeſuitis veſtris cum voto Sacramenti juſtificare dicatur. Hunc, non illum timorem ratio noſtra ſtringit. 2. Timor pœnarum quem fiducia & charitas ſequitur, omnino bonus eſt. Absque hac verò timor hypocriticus planè eſt, nec à peccatis abſtrahit, ſed in iis obfirmat magis. Teſtatur enim S. Paulus Rom. VII. 8. 9. 13. peccatum, legem, ſeu terrores ex lege incuſſos, quibus ſcilicet fiducia gratiæ & charitas non ſuccedit, in homine operari omnem concupiſcentiam, per eandem occidere, & efficere per idem præceptum, ut peccatum fiat per excellentiam peccaminoſum. Tantum abeſt, ut timor ille ad juſtificationem præparet. Neque vel Chriſtus Matth. X. 28. (ubi timorem non utique ſervilem, ſed filialem, argumento à potentia judicis petito, commendat) vel S. Patres (qui non de timore ſolo pœnæ metu excitato loquantur) ejuſmodi timorem ſervilem & manentem gehennæ, qui ſine fide & charitate per ſe nil niſi deſperationem gignere poteſt, commendant, nedum diſponere ad juſtificationem, vel accedente baptiſmi voto juſtificare ulli aſſeverant. Teſtis mihi vel ſolus S. Auguſtinus, cujus *ad Bonifac. lib. III. 4.* hæc verba ſunt. *Qui carnali metu pœnæ aliquid facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit. Mavult enim omnino facere, ſi permittatur impune, atque per hoc in ipſa voluntate intus reus eſt, ut ipſe, qui præcipit, inſpicit Deus.* Et *Epiſt. 144. ad Anaſtaſ.* eundem in ſenſum: *Inaniter ſe putat victorem peccati, qui pœnæ timore non peccat. Quia etſi foris non impletur negotium cupiditatis, ipſa tamen mali cupiditas intus eſt hoſtis.* Vocant nonnunquam S. Patres timorem pœnarum bonum, quatenus videlicet bonum non peccato opponitur, ſed quatenus rationem vel utilitatem denotat. quomodo idem S. Auguſtinus à te citatus *in Pſal. 127.* timorem *bonum & utilem* vocat. Quamdiu tamen abſque fide & charitate eſt, non poteſt non vitioſus eſſe.

ARG. IV. Timor gehennæ homini laqueus eſt. *Nam trepidatio hominis dat laqueum, ſed confidens Domino ſublimabitur,* Prov. XXIX. 25. Et in Petro pavido Matth. XIV. 31. cùm ſuper aquis ambularet, patet, quòd omnis pavor ſit ὀλιγοπιστίας.

RESP. REDING: 1 *Timor Dei Eccleſ. I. 27. dicitur expellere peccatum. Non igitur laqueus eſt.* 2. *Solomon autem in loco citato agit de trepidatione, cum fiducia in Deo pugnante. Et Petri pavor exiguæ fiduciæ fuit indicium, quia fidei Divinæ non innitebatur. Timor autem gehennæ fidei Divinæ pœnam gehennæ comminanti innititur.* Ib. pag. 436. Reſp. 1. Eccleſiaſtici author nec canonicus eſt, nec de timore ſervili loquitur. uti præcedentia & ſequentia oſtendunt. 2. Trepidatio cum fiducia & vera fide conjuncta, timor itidem caſtus & filialis, non ſpurius & ſervilis eſt. qui poſterior etiam cum fide revelationis factæ non pugnat. Neque ullus inferni timor in eo eſt, qui primæ veritati inferni pœnam revelanti non credit.

ARG. V.

ARG. V. Timor gehennæ à charitate & fide ſejunctus, contrarius eſt fiduciæ,& eſt quædam de gratia deſperatio. Hinc Jacobus cap.I.6.7. fidei dubitationem opponit.

RESP. REDING : 1. *Timorem gehennæ à fiducia & fide non ſejungimus. licet à charitate ſeparari poſſit.* 2. *Jacobus non de timore gehennæ, ſed de hæſitatione in fide agit.* Ib. p.436. Reſp. Amas ἀμφιβολογεῖν. Etenim *fidei* vocabulo nudum aſſenſum, non aſſenſum fiducialem intelligis. Aliâs timor cum fide, hoc eſt, aſſenſu fiduciali conjunctus, non ſervilis, de quo diſputatur, ſed filialis eſt, conjunctum habens amorem Dei, ut Patris benigni. Ita filius, affectu filii præditus, non ſine amore timet. 2. Vim argumenti ex Jac.I.6.7. petiti negligis. Quia enim fidei dubitationem opponit, hinc timorem gehennæ cum vera fide & fiducia in Chriſto non conjunctum, vi oppoſitorum διάκρισιν *dubitationem* conjunctam habere, legitimè colligo. Ad hoc reſponde.

ARG. VI. Timor gehennæ naſcitur ex amore ſui, & commodi ac tranquillitatis propriæ, non ex amore Dei, ſuper omnia, toto pectore, omnibúſque viribus diligendi. Non poteſt autem non eſſe malum, quod ab amore Dei non dirigitur.

RESP. REDING : 1. *Quaſi verò omnis actus moralis, qui ex amore DEI ſuper omnia non naſcitur, peccatum ſit. Sic ſpes, temperantia, juſtitia, fides, peccata deputari deberent, quia non procedunt ex amore Dei ſuper omnia.* 2. *Spes quoque formaliter tendit in Deum, non uti ſuper omnia diligendus eſt; ſed uti bonus eſt ipſi ſperanti. Pari ratione timor gehennæ. licet in eo per amorem proprium homo in ſe ipſo inordinatè non quieſcat.* Ib. pag. 436.437. Reſp. 1. Prodis inſcitiam tuam. Utique ſpes, temperantia, aliæque virtutes morales ex amore Dei ſuper omnia naſcuntur. Neque proximi amor ſine Dei amore, verus amor, vera charitas, vera virtus eſſe poteſt. Amandus enim proximus eſt non propter ipſum, ſed propter Deum. Unde S. Paulus legis totius, quæ utique etiam ſpem, temperantiam, juſtitiam præcipit, finem eſſe *charitatem* aſſerit, 1. Tim. I.5. Et clariſſimè Rom. XIII.10. charitatem vocat πλήρωμα τοῦ νόμου *impletionem legis.* Et S. Auguſtinus paſſim virtutem Chriſtianam definit *ſummum amorem Dei.* uti fusè Janſenius in Auguſtino ſuo *de Gratia Chriſti Salvatoris lib.V.3.* demonſtrat. Plura etiam ea de re *Differt. Sel. Tom.I. Diſſ.XIII.7.8.* à me dicta heic non repeto. Si virtutem moralem potiùs ex S. Scripturæ & Eccleſiæ doctorum, Auguſtini inprimis, puris fontibus, quàm impuris Ariſtotelis lacunis diſcere tibi adlubuiſſet, aliter longè ſentires. 2. Quidni verò etiam in ſpe ſit amor Dei ſuper omnia? Etenim ſpes in Deum fertur, ceu ſummum ſperantis bonum, uti ipſe tu definis. Atqui Deus ſit Bonum noſtrum ſummum, ſine amore ejuſdem, apprehendi nequit. Diſpar planè ratio eſt timoris gehennæ, qui à fide & charitate ſejungitur; adeóque ex inordinato ſui ipſius, non ullo Dei amore naſcitur. Omnis enim ſui amor à Dei amore ſejunctus inordinatus, & fœda αὐτάρκεια exiſtit.

ARG. VII. Neque etiam timor voluntatem peccandi excludere poteſt, tum quia qui nudo timore pœnæ peccatum fugit, invitus & animo repugnante id fugit, ideóque non tam peccatum quàm aliud quidpiam fugit: tum quia timor pœnæ non poteſt mutare voluntatem malam, ſed ſolus

ſolus amor juſtitiæ per regenerationem indultus: tum quia timor pœnæ, ab amore juſtitiæ disjunctus, naſcitur ex amore ſui, quatenus in creatura acquieſcit. Quibus argumentis ex Auguſtino petitis pugnat ipſe Janſenius.

RESP. REDING: 1. *Falſum eſt, invitum eum peccatum fugere, qui metu gehennæ fugit. Etenim efficaci voluntate peccatum, pœnæ cauſam deteſtatur, adeòque non invitus fugit. 2. In pœnitentia ex gehennæ timore concepta primas tenet pœnæ atrocitas; ſed quoad fugæ efficaciam non minùs peccatum quàm pœna odio habetur. Rationi enim conſentaneum eſt, ut qui pœnam timet, etiam peccatum, ejus cauſam, ſub omni formalitate ſua, tum qua offenſa Numinis eſt, tum qua rationem habet reatus pœnæ æternæ condigni, deteſtetur. 3. Tam non timor pœnæ eſt ab amore ſui, in creatura acquieſcente, quàm non fuga peccati cum eo conjuncta. Sicut enim omnes virtutes morales ita in honeſtatem objecti creatam, ceu finem proximum tendunt, ut hic ipſe tamen finis ex intrinſeca ſua quidditate reducatur in Deum; ſic etiam peccati qualibet fuga. 4. Auguſtinus verò tibi prorſus adverſatur, cujus Tract. 8. in Epiſt. 1. Joh. hæc verba ſunt:* Cœpit aliquis timere diem judicii: ſi cœpit credere, cœpit & timere: timendo corrigit ſe, vigilat adverſus hoſtes ſuos, id eſt, peccata ſua; incipit reviviſcere interiùs. *Quomodo ergo juxta eum timor peccandi voluntatem non excludit?* Ib. pag. 437. Reſp. 1. Qui pœnam timet, & timore eo ſine fiducia & charitate cruciatur, is peccatum quidem non quodvis illud, ſed commiſſum jam, efficaci voluntate deteſtari poteſt, quatenus illud ceu cauſam mali, non offenſam Numinis intuetur. Deteſtari enim homo peccatum poteſt, vel virtutis amore, vel formidine pœnæ, juxta illud Poëtæ:

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Quomodo verò peccatum virtutis & Numinis amore deteſtaretur is, qui amore Dei deſtituitur? Etenim qui verè amat Deum, eum ut donatorem vitæ æternæ amat; ideóque non timet, ſed fiduciam habet. Hanc autem fiduciam non habet niſi in amore Dei, quo Deo aſſimilatur. Atque is amor eſt ſine tormento timoris, qui fiduciæ opponitur. Amor enim ſuaviter delectatur; timor verò cruciat, & in quantum cruciat, amorem minuit. 2. Fruſtra igitur aſſeris, in pœnitentia qualibet gehennæ metu concepta æquè efficaciter peccatum atque pœnam odio haberi; vel ſub quavis formalitate odio haberi. Ubi fides & amor Dei non obtinet, ibi amor peccati obtinet. tantum abeſt, ut ſub qualibet formalitate peccator illud deteſtetur. Imò illud nonniſi per accidens deteſtatur, nunquam deteſtaturus, ſi lex timorem pœnæ non incuteret. 3. Peccati odium & fugam ob ſolum pœnæ metum ex intrinſeca ſua quidditate in Deum, ceu finem ultimum, reduci, aſſeris, non probas. Neque enim in Deum, ceu finem ultimum, niſi per amorem reduci poſſet. qui tamen in timente ſine charitate nullus eſt. 4. Auguſtini loca à Janſenio adducta cur non expendis? Verba enim à te citata non de ſervili, ſed filiali timore manifeſtè agunt. Ait enim S. Pater, per eum *vigilare homines adverſus hoſtes ſuos, & incipere reviviſcere interiùs.* quæ homini vera fide & charitate deſtituto, & ſolo pœnæ timore pallenti non conveniunt.

ARG. VIII.

ARG. VIII. Scripturam soli fidei justificationem promittere, & attritionem hoc metu gehennæ innixam, dogma esse ἀντίγραφον, inferiùs probatum dabimus.

RESPONDERE REDINGIUS: noluit.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Timorem esse initium sapientiæ, adeóque disponere ad justificationem, docet Salomon Prov. I. 7. ubi timorem intelligi servilem agnoscunt Patres.* Resp. 1. Timor intelligitur non *servilis* & pœnæ, sed *filialis* salvificus, uti arguunt ejus attributa, quæ passim ei Scriptura vendicat. 2. Timor ille vocatur ראשית *principium* sapientiæ, hoc est, caput, summa, non *dispositio* ad justificationem. Oritur nempe ex justificatione, qua ad Deum cum timore & fiducia accedimus, ipsúmque tanquam Patrem nostrum compellamus. 3. Quin ipsa Synodus *initium* & *radicem* justificationis esse docet *fidem*. Non igitur timor gehennæ. Equidem unius rei unica radix, unicum initium est.

EXCIP. REDING: 1. *Supra, timorem gehennæ disponere ad justificationem, fassus es. Nunc id de timore filiali, nedum servili, negas.* 2. *Quomodo timor idem est & principium seu caput justificationis, & tamen ex hac oritur?* 3. *Locum Prov. I. 7. de timore servili S. Patres interpretantur.* 4. *Unius rei plura esse principia possunt.* Ib. pag. 437. 438. Resp. 1. De timore pœnæ, habente succedaneam fidem & charitatem, adeóque per se spectato, locutus sum: non vel de timore filiali, quæ justificationem sequitur, (filius enim Dei non justificatus per Christi meritum nemo est, nec de Deo tanquam Patre certus esse, nisi per fidem justificatus, potest) vel de servili, quam fides & charitas non sequitur. 2. Ad timorem Dei, de quo Solomon loquitur, omnia erga Deum officia referuntur. Proin is est ראשית *principium*, hoc est, caput & summa sapientiæ salutaris. An caput & summa sapientiæ, cui tam illustres effectus Solomon tribuit, justificationem, quæ peccatorum remissione & justitiæ imputatione constat, præcedere potest? 3. Timor intelligitur non fugientis Deum, (qualis est timor omnis cum fiducia & amore Dei non connexus,) sed humilitas Deum sibi præferentis, & vigilantia circa Deum ut suum bonum, & trepidatio ad verbum ejus, Esaj LXVI. 3. Opponitur ei stultitia, voce אויל significata, quæ ab הואיל derivata notat inceptatorem, qui subitò vult, & subitò non vult. cujusmodi sunt homines leves, cupiditatibus dediti, qui aura hujus seculi agitantur. Timor igitur is non quivis, sed merè filialis est. quod etiam Cornelius agnoscit. Neque Patres citati de timore gehennæ servili, cui fides & charitas non succedat, ceu disponente ad justificationem, somniarunt unquam; sed timorem intelligunt, non justificationis, sed sanctificationis, quam illa & re & tempore præcedit. 4. Justificationis respectu hominis nonnisi unum principium Scriptura agnoscit, asserens, revelari justitiam *ex fide in fidem*, & *justificari* nos *fide*, non ullo opere alio, Rom. I. 17. III. 28.

OBIECT. II. *Timor pœnæ compellit & adducit ad Deum, uti arguit exemplum Regis & populi Ninevitarum, qui ad timorem à Jona incussum ad Deum rediit. Et*

David Pſalm.LXXVIII.35. Si erudiebat eos,quærebant eum ac reverte-
tur,&c. *Ergo ad gratiam juſtificationis diſponit.* Reſp.1. Timor pœnæ
ſe conſideratus potiùs Deum, tanquam iratum judicem & vindicem
catorum, horret,uti liquet exemplo Adami,Geneſ. III.10. Sola legi
pœnarum prædicatio, indéque ortus, timor per ſe non efficit,ut D
quæratur ad ſalutem, ſed timor,ille conjunctus cum fiducia gratiæ.
Neque vel Iſraëlitarum, vel Ninevitarum,poſt inflictum timorem De
quærentium,converſio fuit ſalutaris. Sanè de Iſraëlitis ſequitur v.
Blandiebantur ore ſuo;& linguâ ſuâ mentiebantur ei.

EXCIP. REDING: 1. *Agnoſcimus , pœnarum timorem cum gratiæ fiducia conjungi deb*
2. Qui pœnam timet , ſe Deo & voluntati ejus conformat eatenus,ut peccatum deteſte
fugiátque. Et licet Deum ceu iratum judicem horreat; non tamen quoad id, quod in v
dicta formale eſt,juſtitiam ſcilicet,Deum odio habet. 3. Pœnitentiam Ninevitarum
ſalutarem fuiſſe negas,Scripturæ contradicis, teſtanti , profectam illam eſſe ex vera in De
fide , Jon.III.5. & conjunctam habuiſſe converſionem à via mala,fiduciam veniæ , & c
donationem Divinam peccati , ib. v.8.9.10. denique, Chriſtum ipſum pœnitentiæ ei teſtin
nium illuſtre perhibuiſſe , Matth.XII.41. Luc.XI.5. Ib pag.438. Reſp.1. Timor cum g
tiæ fiducia conjunctus ingenuus & filialis,adeóque juſtificationis effectus,non ſervilis,
ſtificatione anterior eſt. Qui enim timens confidit gratiæ , is Deum ita judicem tim
ut tamen meminerit Patrem , conciliatum per Chriſtum. 2. Quomodo timens pœ
peccatum deteſtetur fugiátque,ſupra vidimus. Neque non poteſt non idem Deum, eju
que juſtitiam odio habere, vel minimùm averſari , quandiu fiduciam gratiæ non conc
pit. & amare Deum , ceu placatum per Chriſtum, non incipit ; quia obſervantur perp
tuò oculis horrenda ſupplicia, quæ peccatores manent. 3. Pœnitentiam Ninevitaru
ſalutarem fuiſſe, qualis eſt verè fidelium,nondum agnoſcere poſſum. Sicut enim fœd
& teſtamentum Dei , ex quo ſolo remiſſio peccatorum & ſalus contingit, iis nec præd
catum,nec cognitum fuit : ita etiam vera cordis fiducia ſe Deo, ut fideli ad ſervandu
creatori,non commiſerunt. Appellatur quidem à Chriſto Matth.XXII.41. *μετάνοια* re
ſipiſcentia. Cœterùm ſatis conſtat, vocabula emphatica non ſemper in ſua plenitudin
& efficacia capi. Ceſſerunt Deo,dederunt gloriam,damnarunt ſe ipſos & humiliarunt, d
clementia non deſperarunt. Sed totum hoc in irregenitis nil eſt niſi opus malæ con
ſcientiæ,nec dum quærentis,aut explorantis,quæ ſit vera obedientia,quæ vera ratio ſit ac
cedendi ad Deum,eique gratias agendi cum glorificatione nominis ejus. Meliores igi
tur fuerunt auditoribus Chriſti, hoc eſt, minùs mali. quia hi non æquè ac illi,ignoran-
tiam prætendere potuerunt. *Crediderunt Deo,* non uti juſtificanti peccatorem in Chri-
ſto,ſed ut revelanti judicium ſuum , ni reſipiſcerent, & teſti in verbis ſuis infallibili ; non
deſperantes de ejus clementia. & quovis modo ad eum , ad remiſſionem plagæ, confu-
gientes. *Converterunt ſe quiſque à via ſua mala,* à gravibus ſceleribus, quibus hactenus
Dei iram & judicia horrenda provocaverant, ex metu judicii à Jona intentati. Denique
propter pœnitentiam illam Deum *pœnituit mali , quod locutus erat ſe facturum ipſis, &*
non fecit, v.10. judicium graviſſimum,temporale ſcilicet. (nam de æterno ſermo non eſt)
executus non eſt,ſed pepercit illis,quò minùs eos præſentiſſimo exitio puniret. Sic ſcili-
cet Achabus etiam pœnitentia & humiliatione ſua *ὑποκριτικῇ*, temporalium pœnarum
jam

Digitized by Google

jam ante ipsi denuntiatarum averruncationem obtinuit ; 1.Reg.XXI.28.29. Exemplis ejusmodi Deus insinuare voluit, quid salutari resipiscentiæ ex fide in Christum procedenti, tandem expectandum sit, argumento simili, quo Poëta quondam usus est, dicendo:

Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes?

Si temporariæ pœnitentiæ usque adeò indulsit Deus, quantum constanti & salutari præmium olim constabit?

OBIECT. III. *Esajas cap.XXVI.18. secundum Græcam versionem scribit:* E timore tuo concepimus & peperimus spiritum salutis : *Ergo timor pœnæ parit spiritum salutis.* Resp. 1. Esajas non de justificationis modo, sed de calamitatibus populi Israëlitici loquitur. 2. Græca versio planè præpostera est, quam vel ipsa vulgata juxta Concilium authentica in ordinem redigere potest. Hebræa ad verbum sic sonant: *Concepimus, parturivimus, quasi peperissemus ventum. Salutes non sunt factæ in terra.*

Excip. Reding : *Et temerè Græcam versionem præposteram vocas : & fraudulenter ei & Hebræam & Vulgatam opponis, separando textus, quibus conjunctis conveniens est sensus omnium. Sic enim Vulgata, Hebrææ consonans, v.16. & 18. legit:* Domine in angustia requisiverunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Concepimus & quasi parturivimus spiritum salutis. *Ergo ex pœnarum horrore spiritus salutis concipitur.* Ib. pag.439. Resp. Nec temerè, nec fraudulenter me egisse, agnosceres ipse, dummodo originalium linguarum capax fores, quarum ignarissimus stolidè hic judicem te intrudis. Hebræa hæc sunt: v.16. יהוה בצר פקדוך צקון לחש מוסרך למו ; v.17. כמו הרה תקריב ללדת תחיל תזעק בחבליה כן היינו מפניך יהוה הרינו חלנו ילדנו רוח ישועת בל נעשה ארץ ; quæ ad verbum sic sonant; vers.16. *Domine, in arcto visitabant* (vel, *adibant*) *te, fuderunt sermonem demissum. Disciplina tua ipsis fuit. Tanquam puerpera, quæ appropinquat ad pariendum, dolet, clamat in doloribus suis. Sic extitimus propter te, Domine* v. 18. *Uterum gessimus, cruciati sumus, tanquam peperimus ventum. Salutes? non faciebamus terram.* Ita Διόρθωσιν. Nunc Græcam & Vulgatam tuam compara. Græca sic sonant: v.16. *Κύριε ἐν θλίψει ἐμνήσθημέν σου, ἐν θλίψει μικρᾷ ἡ παιδεία σου ἡμῖν. v.17. καὶ ὡς ἡ ὠδίνουσα ἐγγίζει τοῦ τεκεῖν, καὶ ἐπὶ τῇ ὠδῖνι αὐτῆς κράζει, οὕτως ἐγενήθημεν τῷ ἀγαπητῷ σου. διὰ τὸν φόβον σου κύριε. v.18. Ἐν γαστρὶ ἐλάβομεν, καὶ ὠδινήσαμεν, καὶ ἐτέκομεν, πνεῦμα σωτηρίας σου, ὃ ἐποιήσαμεν ἐπὶ τῆς γῆς.* En, pro פקדון *visitabant*, habent *ἐμνήσθησαν meminerunt* : pro צקון לחש *fuderunt sermonem submissum*, illi reddunt, *ἐν θλίψει μικρᾷ in afflictione brevi* : pro בחבליה *in doloribus suis*, habent *ἀγαπητῷ σου dilecto tuo* : pro מפניך *à facie tua*, legunt *διὰ φόβον σου propter timorem tuum* : pro ישועת בל נעשה ארץ *Salutes? non fecimus terram*, illi: *ἐτέκομεν πνεῦμα σωτηρίας σου, peperimus spiritum salutis tuæ, quam fecimus super terram.* Quid hic, Redingi, in Græca interpretatione sani? Etenim nec timoris Hebræus Codex meminit, & salutem factam disertè negat. Vulgatus verò vester Interpres in v.17. rectè vocem מפניך *à facie tua*, reddit, nec timoris ullo apice meminit : at v.18. negantia Hebræi Codicis verba, *Salutes, non fecimus*, secus ac Græca versio, retinet his verbis: *Salutes non fecimus in terra.* Clarissimum igitur est, Græcam interpretationem & Hebræo textui, & vulga-

tæ versioni contrariari; neque adeò ex Hebræo & Vulgato Codice, qui uterque nec timoris meminit, & salutem partam negat, quicquam errori tuo præsidii affulgere.

OBIECT. IV. *Ipsa timoris natura hoc docet. Ejus enim hac indoles est, ut mala fugiat & simul remedia quærat, quibus illa effugere possit.* Resp. Timor pœnæ per se non tam remedium quæstionis & fugæ peccati, quàm desperationis mater est. Desiderium autem gratiæ & fuga peccati tribuenda est fiduciæ, quæ sola cor reddit quietum & pacatum, per quam clamamus, Abba Pater! quæque adeò timorem gehennæ pellit.

EXCIP. REDING: *Qua fronte timorem gehennæ, ab ipso Christo Matth. X. commendatum, desperationis matrem vocas? Atqui eum Clemens Alex. fidei coadjutorem; Ambrosius clavum animæ fluctuantis; Gregorius M. authorem mentis, Tertullianus salutis fundamentum appellant. Et ejus natura est, ut sit efficax fuga peccati, inclinantis voluntatem ad quærendum remedium, quo peccatum penitus extinguitur.* Ib. pag. 439. Resp. Timorem, de quo disputamus, nec à Christo, nec à S. Patribus commendatum esse, supra ostendimus. Neque Patrum illa elogia timori servili, verùm ingenuo & filiali competunt, sanctificationique potiùs, quæ ab initiis quibusdam orta latiùs proficit; quàm justificationi aptantur. Denique timor ille servilis, fide salvifica & charitate destitutus, etsi docet fugere mala, & quærere adversus illa remedia, tamen id facit *μετεώρως & ἀδιορίστως*: id est, generat vagum incertúmque affectum eluctandi ex malis sive præsentibus, sive imminentibus: sed veram rationem, qua vitentur, id est, verum remedium nullum omnino docet. Cùm verò vagus ille timor agitat mentes non sic illæ ad justificationem præparantur; sed certum id potiùs signum perditionis est: quemadmodum in ægrotante, cùm nulla in expedito sunt remedia, quò vehementiores sunt sensus dolorum, quò intentiores clamores, hoc exitium certius est. Sic in marinis tempestatibus, qui jactati in alto, vident lacera vela, succisum malum, remos fractos, clavum amotum, timent utique vehementer, & timorem clamoribus altissimis testantur. Sed timor, & clamores illi à periculo neutiquam eripiunt. Unde Johannes Baptista, hunc in Judæis timorem increpans, non tantùm dixit: *Quis docuit vos fugere ab ira ventura?* sed addens exprobrationem nequitiæ, *progeniem viperarum* compellavit, Matth. III. 7. quasi innuens, timorem hunc servilem per se nil nisi hypocritas facere. Qui igitur timor & mala vitat, & remedia quærit, ingenuus ac filialis, non servilis est: Deo & verum mali odium instillante, & verum remedium demonstrante, & ad illud alliciente. quod ipsum tamen non in justificandis, sed in justificatis obtinet.

QUÆSTIO VII.

Digitized by Google

QUÆSTIO VII.

An Christus pro omnibus & singulis hominibus sit mortuus?

AFfirmat Synodus Capitulo tertio. Nos Christum pro omnibus & singulis hominibus, hoc est, loco & vice omnium, mortuum esse, & se ipsum victimam obtulisse, disertè negamus. Etenim

ARG. I. Christum pro multis, non omnibus, pro electis tantùm & fidelibus mortuum esse, Scriptura passim arguit, veluti Genes. cap. III. 15. XVII. 7. XXII. 18. Esaj. LIII. 10. 11. 12. Matth. I. 21. XX. 28. XXVI. 28. Luc. I. 68. Joh. X. 11. XVII. 6. Rom. IX. 7. Ephes. V. 25. Hebr. II. 10. ut infinita alia loca omittam, quibus id ipsum asseritur vel apertè vel dianoëticè.

RESP. REDING: 1. *In locis allegatis ex particulari affirmativa universalem negativam malè infers. Neque enim quia Christus mortuus est pro electis, fidelibus, semine Abrahami, populo & Ecclesia Dei, ovibus suis, &c. ideirco pro iis solis mortuus est. Prostant enim loca in contrarium. 2. Aliter tamen Christus mortuus est pro electis, aliter pro reprobis. Pro illis, efficaciter, in quantum iis mors ejus applicatur actu per fidem, charitatem & fruitionem patriæ. Pro his sufficienter, in quantum mors Christi iis applicatur secundum potentiam, quæ in actum nunquam reducitur.* Tract. IV. pag. 439. 440. Resp. 1. Sic particularis affirmativa in locis à me citatis extat, ut nec universalis, nec particularis affirmativa de reliquis hominibus omnibus, uspiam alibi reperiatur. Loca in contrarium à te allegata inferiùs expendimus. Sed & loca allegata si non explicitè, saltem implicitè exclusivam, reproborum puta, includunt in descriptione eorum, de quibus agitur, quæ ad alios pertinere nequit. Licet enim v. g. promissio restringatur ad semen mulieris, non serpentis: benedictio promittatur semini Abrahæ, Mors Christi ad oves, populum, Ecclesiam Christi referatur, non addita particula exclusiva *Solus*; satis tamen ex natura rei ipsius colligitur, subintelligendam esse. Omnia enim eò tendunt, ut Dei & Christi erga electos, semen, oves, populum, Ecclesiam suam, pro quibus se tradidit, amorem explicent. Si enim nihil eximium & peculiare ibi dicitur, quæ ratio dici potest, cur immensus iste amor inimicitiam constituentis, benedicentis, promittentis, animam ponentis, sanguinem fundentis, & se tradentis Christi illis speciatim applicetur? 2. Neque sufficientiæ & applicationis meriti ficulnea distinctio tua nodum solvit. Licet enim meritum Christi, ceu infiniti valoris illud, sufficientissimum sit pro quibusvis; ex consilio tamen & intentione Dei Patris Filium mittentis, nec non Filii, mortem oppetentis, nonnisi ad electos pertinet. id quod ubique S. literæ testantur. Et ratio id ipsum evincit, quia Deus intentione sua excideret, si pro iis filium morti exposuisset, quibus illa nec actu applicatur, nec prodest quicquam. cùm Deus Filium mittens, & Filius moriens, non alium finem, quàm liberationem & salutem eorum, pro quibus obita est, propositam habere po-

 tuerit.

tuerit. Applicatio verò *ſecundum potentiam*, quæ in actum nunquam reducitur, q
lis quæſo applicatio eſt? Poſſibilis, inquies. Quid hoc ad rem? Et quale beneficium
promereri cuipiam id, quod applicari poſſit, at actu nunquam applicetur? Quis medic
ferat, promittentem medicamentum, quod applicari poſſit, at ipſo etiam præſcio, ap
cetur nunquam, ac nunquam applicandum ipſe prænoſcat? Quantò levius eſt, tale c
affirmare de amore Dei filium dantis, & de morte Chriſti, beneficio tali, quo nul
aliud in mundo pretioſius extat?

ARG. II. Id ipſum Scriptura invicta ratione demonſtrat. Docet eni
pro quo Chriſtus mortuus eſt, illius vice & loco eſſe mortuum, adeò
ipſe jam mortuus cenſeri poſſit. Hinc Paulus ait 2. Cor. V. 15. *Judican*
quòd ſi unus pro omnibus mortuus eſt, omnes ſint mortui. Patet etiam ex iis
cis, quibus Chriſti mors dicitur λύτρον, ἀντίλυτρον, θυσία, ἱλασμὸς, [illegible]
τάρα, quæ omnia ſubſtitutionem utique, vicem & locum denotant, ad
ut pro quo Chriſtus ſe dedit λύτρον, κατάραν, ἱλασμὸν, &c. is cenſeatur
Dei judicio ipſe mortuus, adeóque expiatus, factus execratio, juſtificatu
peccato, vivificatus cum Chriſto, reconciliatus cum Deo, ut peccatum
non imputetur ampliùs, denique jus habeat ad æternam vitam.
enim omnes effectus mortem Chriſti vicariam neceſſariò ſequuntur, ad
quo etiam imputantur, donantur iis, pro quibus mortem Chriſtus ob
Unde meritò Deus Pater iis, quibus filium gratificatus eſt, omnia gra
ficatus dicitur, Rom. VIII 32. Num quid igitur effectus hi mortis Ch
ſti omnibus & ſingulis hominibus conveniunt? Nempe ſi omnes & ſ
guli juſtificantur, vivificantur, denique glorificantur.

RESP. REDING: 1. *Atqui Apoſtolus disertè aſſerit, Chriſto moriente, omnes eſſe morti*
2. *Etiam reprobis omnia Chriſtus gratificatus eſt, quoad meriti ſufficientiam, & appli*
tionis potentiam. Ib. pag. 440. 441. Reſp. 1. Deſultoriè nimis agis. Vis argumenti ea
quòd mors Chriſti ſit vicaria, & ſubſtitutionem denotet, adeò ut is, pro quo Chri
mortuus eſt, vi ſubſtitutionis illius jam mortuus & juſtificatus ipſe cenſeri debeat.
igitur reprobi, Chriſto moriente, ipſi quoque mortui, ipſi juſtificati cenſeri poſſunt?
probi igitur eſſe deſinent. Hoc tibi extricandum fuerat. Ego verò hinc invictè co
go *omnes* illos, pro quibus Chriſtus mortuus dicitur, & qui ipſi quoque, Chriſto morien
mortui cenſentur, electos indigetari, ſine διαστολῇ *diſtinctione* Judæorum & gentiu
quæ in N. T. ſublata eſt. 2. Chriſtum reprobis omnia gratificatum eſſe, nimis cra
tu aſſeris. Etenim ſi omnia iis gratificatus eſt, non hoc tantùm, ut applicari iis merit
ſuum poſſit, (quod nihil planè iis prodeſt) ſed ut actu applicetur, gratificari debuit.
que enim πάντα χαρίζεται *omnia gratificatur*, qui præcipua, & unicè ſalutaria omitti

ARG. III. Pro quibus Chriſtus mortuus eſt, illos complexus eſt maxi
& ampliſſima dilectione, Joh. XV. 13. Rom. V. 7. Atqui reprobos max
ma dilectione complexus dici nequit. Aliàs eoſdem Chriſtus maxi
amore & intenſiſſimo ſimul odio complexus eſſet.

RE

Digitized by Google

Resp. Reding: *Menſura dilectionis eſt ſecundùm menſuram communicationis bonorum, quæ amans vult amato. Quia igitur pro reprobis Chriſtus ita mortuus eſt, ut propter ſuperabundantiam meritorum ejus poſſint juſtificari & glorificari, adeóque ſufficientia ſalutis media habeant, utique maximo etiam eos amore complexus eſt.* Ib. p.441. Reſp. Si verò amans amato non vult ſalutem ipſam, adeóque maximi amoris effectum: ſi ei promeruit, ut ſalvari poſſit, at applicare actu meritum non vult, (abſque qua tamen applicatione eſt, non ſalvabitur ille, ſed damnabitur æternùm) quis ſanus dixerit hunc eſſe amorem ſimpliciter maximum, quo majorem nemo habet? Hoc expedi, & ſimul circa eandem perſonam ejuſdem amorem maximum, & odium intenſiſſimum; adeóque contrarios in ſummo gradu effectus concilia. Et ſanè amor Chriſti animam ponentis pro reprobis ne quidem amor dici poſſet, quia non tantùm cum odio & peremptorio decreto reprobationis, æternóque omnium, quos tali amore complectitur, ſed etiam cum negatione mediorum, quæ ipſos ab æterna ira Dei & exitio efficaciter liberatura Deus præſcit, conſiſtere poteſt.

ARG. IV. Pro quibus mortuus eſt, pro iiſdem interceſſit, ſeque ſanctificavit, Joh. XVII. 9. 19. Atqui pro reprobis, pro mundo non interceſſit Chriſtus, ſed pro iis, quos Deus Pater ipſi dedit, uti ibidem v. 9 declarat. Quin Pſalm. XCVI. 23-30. manifeſta eſt Chriſti oratio contra illos, pro quibus negat ſe orare. Si enim pro reprobis oràſſet, exauditus non eſſet, quod pugnat cum aſſertione Chriſti Johan. IX. 13. XI. 42. Neque etiam pro reprobis ſe ſanctificavit, quia aliâs ipſi quoque ſanctificati eſſent per veritatem, Joh. XVII. 16. Hebr. VIII. 10. & X. 14. 16. quod eſt ἀσύστατον planè.

Resp. Reding: *Non pro omnibus, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, & ſe ipſum ſanctificavit; ſed pro iis duntaxat, quibus non tantùm meriti ſui ſufficientiam, ſed etiam efficaciam per actualem applicationem, contulit. qui ſoli electi, non reprobi ſunt.* Ib. pag. 441. Reſp. De iis Chriſtus Joh. XVII 9 19. loquitur, qui ipſi *dati* ſunt à Patre v. 6. 7. ut videlicet morte ſua vicaria eos redimeret. Si igitur omnes & ſinguli ipſi dati ſunt redimendi per mortem vicariam, pro omnibus etiam interceſſit, pro omnibus ſe ſanctificavit. quod Chriſtus negat; utpote qui datis illis à Patre *κόσμῳ mundum* opponit. Et ſi pro reprobis etiam mortuus eſt Chriſtus, quomodo ſe pro iis non ſanctificavit? Quid enim aliud ſanctificatio illa Chriſti eſt, quàm datio ejus in mortem ceu victimam & oblationem Deo factam? Quod enim Deo ſic datur, ſanctificatur, quia Deus ſanctus eſt. Inprimis quia hoc egit ad ſanctificandum Deum, non imputantem ipſorum peccata, & volentem ſanctificare ac juſtificare eos, quos Chriſto dedit.

ARG. V. Chriſtus moriens ex ſua vel Patris intentione dici minimè poteſt mortuus pro iis, quos jam inferno damnatos, quos peccare in Spiritum ſanctum, quos eſſe filios perditionis noverat. Hoc enim feciſſet nec piè, quia contra voluntatem DEI; neque ſapienter, quia fruſtra. Atqui noverat ſatis, plurimos jam eo tempore ſine ſpe veniæ inferno damnatos eſſe, Luc. XVI. 24. 25. 26. 2. Pet. II. 5. 6. Jud. 7. Noverat non paucos in Spiri-

Spiritum S. peccare, quibus præciſa erat remiſſionis ſpes, Matth. XI
32. cum 1. Johan. V. v. 16. quos ipſe pronunciavit filios Diaboli, judic
gehennæ nequaquam effugituros, Matth. XXIII. 33. Johan. VIII. 24
Denique noverat, Judam eſſe filium perditionis, & antequam ipſe
ſtâſſet mortem, jam malè periiſſe, Joh. XVIII. 12. coll. cum VI. 70
XIII. 10. 11. & Matth. XVI. 24. Non igitur pro iis mortem ſuſtinuiſſe
poteſt.

RESP. REDING: 1. *Divina de omnibus hominibus ſalvandis voluntas licet non in verſis operetur ſalutem, operatur tamen remedia ſalutis ſaltem remotè ſufficientia. igitur Chriſtus perditionis filios noverat, illi potentiam mediáque effugiendi pecca damnationem æternam vitandi remotè ſufficientia habuerunt. inter quæ Chriſti mer principem locum habuit. Aliàs iis & deſperatio, & peccatum in Spiritum S. & q bet impotentia in culpam imputari non potuiſſent. 2. Neque vel contra voluntatem tris, vel fruſtra mortuus eſt pro jam damnatis, quia finem Divinæ providentiæ, in q æterno ejus merita acceptata ſunt, notiſſimum habuit.* Ib. pag. 441. 442. Reſp. 1. R dia ad ſalutem ſufficientia an aliqua, an omnia Divina voluntas operatur? Si al nec ſufficient illa, nec Chriſti mors, maximi amoris effectus, ſtatim inter ea locum bit, quia illa, uti ſupra probavimus, vim ſubſtitutionis habet, & actu juſtificat ac ſ omnes eos, pro quibus obita eſt. Si omnia, tum etiam actualem applicationem m quæ inter media ſufficientia non poteſt non deputari, cùm abſque ea nihil reliqua o proſint. Neque propterea jam damnatis deſperatio, peccatum in Spiritum S. imp tentia in culpam imputari non potuit; quia illa contra legem Dei pugnabant, & e turæ corruptæ fonte impuro manabant; & deliberatione voluntatíſque ſtudio plen miſſa erant. quod ad culpam ſufficit. Neque enim Deus cuiquam tenetur ſuppe re ea media, quibus ex corruptione & neceſſitate peccandi ſponte, poſt gratiam ſuffi tem in Adamo collatam, contracta, eluctari valeat. Contrarium olet Pelagianiſ qui gratiam æquè communem facit, ac ipſam naturam. 2. Mortem Chriſti in æt Dei conſilio acceptatam eſſe largior, ſed pro iis, pro quibus ex Dei Patris & Chriſti c lio ac intentione ſuſcepta eſt. Tu ergo pro reprobis ſuſceptum eſſe proba. Et quom ſapienter ſuſciperetur pro iis, quorum jam actu perditorum & inferno mancipat ſalutem conclamatam eſſe, & ex æterno Dei conſilio, & ex temporali executione Ch noverat? Pro actu damnatis, & ex inferno, quo ceu æterno carcere attinentur, nunq liberandis, mori, atque morte ea ſummum amorem demonſtrare, media ſalutis ii impetrare, quid hoc, Redingi, eſt? Næ Chriſto qui tale tribuit, non is Chriſtum Sapi ſimum, ſed ſe inſipientiſſimum facit. Quantò rectiùs Remigius veſter, Archiepiſ Lugdunenſis *lib. de tenenda Scripturæ veritate*, in Auctario Biblioth. Ss. P. Tom. II. *tholica*, inquit, *fides tenet, & Scripturæ veritas docet, quòd pro omnibus credentibu Dominus & Salvator noſter paſſus ſit. (eſſet hæc nova & inaudita præſumptio, ut n hominum etiam impiorum, & apud inferos irrevocabiliter damnatorum fuerit, pro bus Chriſtus paſſus non fuerit. Cùm pro ſolis illis defunctis paſſionem ſuſtinuerit, qui dum in corpore viveret, fideliter venturum, & mundum ſua paſſione redempturum c derunt. Hoc itaque eſt (NB.) Catholicum, hoc fidei Eccleſiæ ab initio commendatum.*

ARG. V

Digitized by Google

ARG. VI. Non omnes & ſinguli populorum, tribuum & gentium, ſed ſelectæ ex iis & obſignatæ myriades dicuntur laviſſe ſtolas ſuas ac dealbâſſe in ſanguine Agni, Apoc.VII.4.14. Et profitentur ſalvati hoc ſuum privilegium Apoc.V.9. *Mactatus es, & redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum ex omni tribu & lingua* & *populo.*

Resp. Reding: *Agitur ibi de redemptis per ſanguinem Chriſti quoad efficaciam meriti. Pro aliis non valere redemptionem, non ſequitur.* Ib. pag. 442. Reſp. Mortem Chriſti reſpectu quorundam ſufficientem ex intentione Dei, at inefficacem, reſpectu aliorum & ſufficientem & efficacem ſupponis, non probas. Nulla ſine efficacia meriti ſufficientia eſſe poteſt, quia ſufficere ad ſalutem, quod efficaciam nullam habet, nequit. Neque alius eſſe redemptionis finis, quàm efficientia ſalutis poteſt, quia Chriſtus Salvator & Redemptor eſt propter ſalutem & remiſſionem peccatorum quoad eos, quorum Salvator & Redemptor eſt. Et quomodo non erit efficax mors Chriſti pro quovis obita, cùm à peccatore non aliud quàm mortem lex exigat? Ubi igitur peccator vel in ſe, vel in Sponſore à Deo approbato moritur, jam legi ſatisfecit, & mors efficaciam habet ad impetrandam remiſſionem peccatorum & vitam. *Qui* enim *mortuus eſt, is à peccato juſtificatus eſt*, Rom. VI.7. *Ubi tuus, Mors, ſtimulus: ubi tua, Inferne victoria? Stimulus autem mortis eſt peccatum: & potentia peccati mors. Deo autem ſit gratia, danti nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, 1.Cor.XV.55.-58. Præterea Morti Chriſti ubique tribuitur ἀπολύτρωσις *Redemptio.* quæ & ſine efficacia eſſe nequit, & ſolorum electorum eſt, uti ex Apoc.V.9. VII.4.14. comprobavimus. Denique in vanum fingitur ſufficientia meriti ſine fide. Quod enim ſufficit credenti ad juſtitiam, & ei ſufficit ad regenerationem; id ſufficeret omni, etiam hoſti, ſi crederet: non verò ſufficit ei, qui non credit, & non crediturus eſt, niſi ad condemnationem cumulatiorem, quod tantam gratiam, nempe propitiatorium Dei propoſitum, ſpreverit.

ARG. VII. Pro quibus Chriſtus mortuus eſt, iis beneficium mortis Chriſti promulgatum & patefactum eſt. Atqui Chriſtus plurimis gentibus ſub utroque Teſtamento ne fando quidem auditus eſt. Et quibus auditus eſt, ac innotuit crux Chriſti, illorum aliis eſt ſcandalum, aliis ſtultitia, paucis potentia, 1.Cor.I.23. Inane porrò κενόφωνον eſt, dicere, Deum omnes vocâſſe in Noacho & aliis majoribus ſuis, vel per opera communis providentiæ. Ita enim mira confuſione idem erit benedictio & execratio, concluſio ſub inobedientiam & miſeratio; & omnino quid ſit benedictio illa, & quidem in ſemine inſtar benedictionis Abrahami, non apparebit.

Resp. Reding: *1. Pro quibus Chriſtus mortuus eſt, iis beneficium mortis promulgari poteſt, non tamen neceſſariò promulgatur, quia obſtare homo poteſt. Ita Thomas 9. de verit. a. 11. ad 1. docet, ſi quis in ſilvis enutritus ductum rationis naturalis ſequatur in appetitu boni & fuga mali, certiſſimè tenendum eſſe, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſſaria, vel aliquem prædicatorem ad eum dirigeret. 2. Nihil obſtat, quò minùs in eodem ſubjecto reſpectu diverſorum effectuum benedictio & maledictio ſubſiſtat. Ita in reprobo poteſt eſſe & benedictio quoad ſuppedi-*

tationem mediorum remotè ſufficientium : maledictio reſpectu efficaciæ mediorum, & conſecutionis finis. Ib. pag. 442. Reſp. 1. Chriſti mortem, ceu medium remotè ſufficiens, pro reprobis etiam obiri debuiſſe, ut culpa inobedientiæ iis imputari poſſit, innuebas ſupra. Neque enim ſine medio tali ſufficienti oblato inexcuſabilem eſſe poſſe, pertenditis. Quomodo igitur vel imputabitur iis culpa, vel inexcuſabiles reddentur, ſi medium illud remotè ſufficiens in notitiam eorum actu non pertigerit? Annon ſaltem notificatio & communicatio remedii ad ejuſdem ſufficientiam requiritur? Sed obſtare poſſe hominem, dicis. Acceptationi poteſt, non notificationi, quæ reſpectu eorum, ad quos ex Dei intentione pertinet, planè neceſſaria eſt. Alioquin infidelitas prætextu non deſtitueretur. *Quomodo enim credent, ſi non audiverint? Quomodo audient ſine prædicante?* Rom. X. 14. Præterea ſtatuis, Chriſtum pro reprobis mortuum eſſe ſufficienter, *in quantum iis applicatur ſecundum potentiam, non actu.* Qualis verò applicatio meriti Chriſti, ſine ejuſdem promulgatione & notitia? Thomæ verò tui ratiocinationem ſpernimus, quia, ex hominum meritis vel demeritis prædicari, vel non prædicari poſſe Evangelium de Chriſto, ſupponit. Vocationem contra gentium per præconium Evangelii S. Paulus Rom. XI. 29-33. à ſola Dei miſericordia arceſſit. 2. Amorem & odium, benedictionem & maledictionem in eodem bonorum genere, ſummóque etiam gradu, æquè ac lucem & tenebras conglutinare tu poteris. Et quæ tandem benedictio, quis amor erit, cujus nulla efficacia ad benedictum, ad amatum redundat?

ARG. VIII. Denique dogma illud abſurda multa involvit, inprimis conditionatum decretum, conſilia Dei imprudentia, inefficacia & eventu deſtituta, & liberi arbitrii idolum.

RESP. REDING : 1. *Deum voluntate conditionata ſeu antecedente velle omnium, abſoluta paucorum ſalutem, abſurdum non eſt. Chriſti enim redemptio ſe extendit ad omnes, innuente S. Paulo Rom. V. 18. & Symbolo Nicæno, ubi aſſerit, Chriſtum propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendiſſe è Cœlo, adeóque carnem pro omnibus induiſſe. Voluntas igitur efficax medii illius, qua actualiter ordinatī ad finem, cum abſoluta & efficaci intentione finis : inefficax cum voluntate finis inefficace ſeu antecedente conjuncta eſt. 2. Quamvis porro antecedens hæc voluntas ſit conditionalis & inefficax, eſt tamen reſpectu mediorum ad ſalutem ſaltem remotè ſufficientium abſoluta & efficax, effectúmque ſuum ſortitur, in ordine ad bonum univerſi, quod in vario attributorum Divinorum ſplendore, quo gloria ac lux Divinæ Majeſtatis manifeſtatur, ſitum eſt.* pag. 443. 444. Reſp. 1. Chriſti redemdemptionem ad omnes & ſingulos pertinere, ζήτημα noſtrum eſt, quod tu imperitè petis. Neque vel S. Paulum, vel Nicænum Symbolum, faventem habes. Ille enim Rom. V. 18. docet, per unius hominis obedientiam *δικαίωσιν ζωῆς juſtificationem vitæ* ad homines omnes pervenire. Juſtificationem vitæ actualem intelligit, qua actu juſtificantur credentes: ſicut per oppoſitum ei *κατάκριμα*, ſeu *condemnationem*, actualis intelligitur, cùm in Adamo totum genus humanum actu natura mortuum ſit, quod per gratiam Chriſti reſtituitur quoad credentes. An igitur etiam reprobi actu juſtificati ſunt? Et quomodo juſtificatio vitæ tranſire poteſt in reprobos, qui illam nunquam accipiunt? Certè juſtificationis tranſitus plus ſignificat quàm juſtificationis poſſibilitatem ob ſufficientiam meriti. Ergo *εἰς πάντας ἀνθρώπους in omnes homines* tranſire juſtificationem vitæ dixit Apoſtolus, hoc eſt, in omnes ſine diſtinctione, ſive Judæi, ſive gentiles ſint, qui ſunt ſecundi

Digitized by Google

di Adami, eíque dati ſunt, Joh.VI.39. & *περισσείαν τῆς χάριτος ubertatem gratiæ* accipiunt, v.17. Symbolum verò Nicænum planè obtorto collo huc rapis. Chriſtum deſcendiſſe è Cœlo propter homines, propter ſalutem humanam, edicit. Propter omnes homines, propter ſalutem omnium hominum deſcendiſſe, non edicit. Hoc tu ei, falſus teſtis vel interpres, affingis. Neque ſi particeps factus eſt carnis & ſanguinis, qualem omnes & ſinguli homines habent, icciro pro omnibus & ſingulis mori voluit. Aliter longè S. Paulus Hebr.II.13--17. argumentatur. nempe, quia filii & fratres Chriſto dati, ut *ἐπιλήπτορες aſſertori*, carnis & ſanguinis participes ſunt; icciro conveniens fuiſſe, ut ipſe Chriſtus ſimiliter eadem communia haberet, adeóque fratribus per omnia aſſimilaretur. Non ſufficit igitur ad ſponſionem & redemptionem communio carnis, ſed neceſſaria eſt communio filiationis datæ ſcilicet in ipſo. Falſo igitur fundamento voluntatem Dei inefficacem ſuperſtruxiſti. Et quàm quæſo impium eſt, inefficacem voluntatem tribuere Deo, qui in Cœlis eſt, & facit quicquid vult, Pſal.CXV.3.CXXXV.6. & cujus voluntati nemo reſiſtit, Rom.IX.19? Quàm abſurdum, Deum id antecedenter iis, quos finaliter repugnaturos gratiæ, præſciens peremptoriè & irrevocabiliter reprobavit, velle ſalutem per Chriſtum? Certè amor rei, quam nunquam ſe aſſecuturum quis cognoverit, infelicitatem & imperfectionem in creaturis etiam, nedum in Deo redolet. 2. Cœterùm ἄγραφον καὶ ἄχαρτον ψεῦδος tuum eſt de ſufficientia meriti, ex intentione ſcilicet Dei, etiam pro reprobis præſtiti, & ejusdem efficacia. Id verò abſurditatis numeros omnes implet, quòd eadem voluntas Dei & Chriſti tibi & efficax & inefficax eſt: quódque efficaciam mortis pro reprobis obitæ, ab iisdem actu nunquam applicatæ, in ordine ad bonum univerſi ſtatuis. Quidni enim bonum univerſi, in attributorum Divinorum ſplendore conſiſtens, conſtare poſſit abſque vicaria Chriſti pro reprobis morte, quæ Chriſto inanes labores, & Deo indignos affectus tribuit? Inprimis cùm etiam abſque hoc beneficio (ſi modo beneficium eſt, quod actu non confertur) bonitatis & longanimitatis Divinæ erga reprobos, ad ſplendorem attributorum Dei pertinentis, documenta alia, quibus abuſi iram Dei ſibi theſaurizant, neutiquam deſint.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Chriſtus disertè dicitur mortuus pro omnibus paſſim, 2.Cor.V.15. 1.Tim. II.7. Hebr.II.9.* Reſp. In ejuſmodi Scripturæ locis particulæ πᾶς, πάντες, πάντα, *omnis*, *omnes*, *omnia*, notant *quoſvis*, non *ſingulos*, adeóque excludunt διαστολὴν *diſtinctionem* gentium, ætatum, linguarum, quæ in V.Teſt. gentibus à communione eccleſiæ rejectis obtinebat; non *exceptionem* perſonarum; juxta Apoſtolum Rom.III.22. 23.24. ubi *omnes* ſine διαστολῆ *diſtinctione* dicuntur *peccâſſe & juſtificari gratis.* Confer Rom.X.11. 12. Gal. III. 26.27.28. Col.I.20.28. Id ſanè in loco 2.Cor.V.15. manifeſtiſſimum eſt, tum quia Apoſtolus, ubi ait, unum pro omnibus eſſe mortuum, id explicat de ſubrogatione ſponſoris victimam offerentis, quæ reputationem eorum pro mortuis importat: tum quia non dubitat in Chriſto *omnia nova* dicere, cùm præmiſiſſet v. 17. *Si quis in Chriſto, nova creatura eſt*: tum quia v.18. addit, omnia eſſe ex Deo reconciliante. Et Hebr.II. qui verſu 9.

Digitized by Google

dicuntur *omnes*, ibidem v.10. definiuntur *multi*, & v.11. *qui ſanctificantur*. Quid quòd illud ſyncategorema *omnis* uſurpatur ab Apoſtolo de rebus contrariis & incompatibilibus? Veluti Rom. XI.31. *Concluſit omnes in peccatum, ut omnium miſereretur.* Atqui *concluſio in inobedientiam* ſignificat gentium & Judæorum pro tempore abjectionem & indurationem, & contra *miſeratio* notat vocationem efficacem ad fidem, ibidem v.25.30.31. quæ in omnibus & ſingulis ſunt *συναδύνατα impoſſibilia*, ut ſimul ſint. Denique ipſa actualis vivificatio dicitur de omnibus, 1. Cor. cap. XV. verſ.22. *In Chriſto omnes vivificabuntur.* Quod Apoſtolus ſtatim verſ.23. explicat de iis, *qui ſunt Chriſti.*

Excip. Redino: 1. *Diſtinctionem inter ſufficientiam & efficaciam meriti non obſervando, in confuſum chaos te conjicis. Tum ex particulari affirmativa univerſalem negativam, & aliquando particularem affirmativam infers. Sic igitur non quia 2. Cor. V.17. nova creatura dicitur is, pro quo Chriſtus mortuus eſt, ſequitur, pro aliis, qui nova creatura non fiunt, mortuum non eſſe. Imò v.15. Paulus ex eo, quòd Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, infert, omnes homines mortuos eſſe, ſcilicet in Adamo. Sicut verò in Adamo omnes & ſinguli mortui ſunt; ita Chriſtus pro omnibus & ſingulis mortuus eſt. Et 1. Tim. II.5.6. cauſa, cur Deus velit omnes homines ſalvari, ea redditur, quòd unus ſit Deus, unus Mediator Dei & hominum, qui ſe dedit Redemptionis pretium pro omnibus. Sicut igitur Deus volens omnes ſalvare, etiam reprobos ſalvare vult, uti S. Auguſtinus lib. de Spiritu & lit. obſervat: ſic pari univerſalitate Chriſtus ſe dedit pro omnibus. Neque etiam, quia Hebr. II.10.11. multi filii ad ſalutem adducti dicuntur, atque illi ſanctificati definiuntur, ſequitur, omnes illos, pro quibus Chriſtus v.9 mortem guſtaſſe dicitur, non etiam reprobos includere. quia hic de efficacia, illic de ſufficientia meriti agitur. 2. Loca Rom. XI.31. coll. cum 25.30. nec non 1. Cor. XV.22. coll. cum 23. ſic conciliari poſſunt, ut dicatur, Deum miſereri omnium, omnes in Chriſto vivificari, quoad potentiam tum proximam tum remotam credendi, aliáque beneficia per Chriſtum obtinendi: non tamen actu omnes vivificari & ad fidem efficaciter vocari, quia efficacia meriti & actualis applicatio ſe ad omnes non extendit. 3. Etiam S. Patres tum Græci, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, Epiphanius: tum Latini, Ambroſius, Leo, Proſper, Chriſtum pro omnibus, pro toto mundo, omnibus impiis & peccatoribus mortuum eſſe, teſtantur.* Ib. pag. 444.445. Reſp. 1. Sicut olim fruſtra in ſpelunca Makedæ Amorhæi Reges ſe occultarunt: ita fruſtra tu in diſtinctionum tuarum ſpelunca latere, & ictus meos evadere contendis. Jam ſupra, vanitate earum oſtenſa, inde te excuſſi. Nec feliciùs hic lates, quia eam diſtinctionem ſenſu Pontificio acceptam nunquam probaſti. Quomodo igitur conciliandis locis eam uſurpabis? Quinimò 2. Cor. V.15.17. ii ipſi, qui, Chriſto moriente, mortui ipſi quoque cenſentur, dicuntur eſſe in Chriſto, nova creatura. quod de reprobis nullo ſenſu affirmari poteſt. Clarum etiam nimis eſt ex ſerie verborum, Apoſtolum *τὺς πάντας omnes ἀποθανόντας* intelligere eos, qui revera beneficio Chriſti redduntur *ζῶντες viventes*, ita ut vivant Chriſto, eos ſibi in peculium acquirenti, ut eos ſanctificet, juſtificet & glorificet: quos *charitas Chriſti conſtringit*, qui eodem loco ſunt, ac ſi *ipſi* quoque *eſſent mortui*, & pro peccatis ſuis ſatisfeciſſent; & *qui poſthac non ſibi vivunt, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit*, v.14.15. &c. Quòd verò verba illa, *ἄρα οἱ πάντες ἀπέθανον, igitur omnes mortui ſunt*, de mortuis

tuis in Adamo,adeóque ſingulis,explicas,turpiter certè aberras. Neque enim vel mortis in Adamo mentio eſt; vel mortis Chriſti & Adami primi idem planè objectum & ſubjectum eſſe poteſt,vel ex objecto mortis Chriſti colligendum fuerat, quinam mortui ſint in Adamo. inprimis cùm ipſe tu neges, Chriſtum efficaciter pro omnibus & ſingulis mortuum eſſe, cùm in Adamo omnes efficaciter mortui ſint. Et ſanè mens Apoſtoli non fuit demonſtrare ſingulorum in Adamo mortem,ſed illud potiùs,quo vinculo obſtringantur fideles ad ſuum officium,ſive ad juſtificationem,per imputationem mortis Chriſti; ſive ad ſanctificationem,per veteris hominis virtute crucis Chriſti crucifixionem. Potiùs igitur communio mortis Chriſti ſignificatur; quòd videlicet,dum Chriſtus mortuus eſt,fideles liberati ſint à ſtatu carnis,perinde ac ſi ipſi mortui eſſent. Quomodo ſæpe cum Chriſto mortui, crucifixi, ſepulti dicimur. Sunt igitur Apoſtolo *πάντες omnes*, non ſinguli homines,ſed hæredes ſalutis, ex quacunque gente ſint; univerſitas eorum,qui ad Chriſtum,ſecundum Adamum pertinent. Par ratio eſt loci 1 Tim. II.4.5.6. ubi eadem,fateor,utrobique univerſalitas eſt. Deus vult omnes ſalvari, & Chriſtus ſe redemptionis pretium dedit pro omnibus, ſine diſtinctione Judæorum & gentium utrobique, non ſine exceptione ſingulorum. Voluntas certè ſervandi, propriè loquendo,nulla eſt niſi in Chriſto Sponſore,qua Pater cum filio in æterno conſilio de hæreditate danda, & ſemine vocando,non ſingulis hominibus, ſed quibusdam,pactus eſt. Neque etiam Apoſtolus ſpem exauditionis precum pro quibusvis à voluntate ſalvandi, & morte, reſpectu reproborum, inefficaci, poſſibilitatem vocationis, & ſalutis,non actum poſt ſe trahente arceſſere potuiſſet. Vel enim Deus dat aliquibus, quod precibus illis oratur,vel non dat. Si non dat,fruſtra oratur. Si dat,non jam dat ex voluntate & propenſione aliqua univerſali,ſed ex propoſito & gratia ſpeciali. Sed & Hebr.II.9.10.11. omnes ii,pro quibus Chriſtus mortem guſtavit,ſtatim definiuntur *υἱοὶ πολλοὶ filii multi*,& *ἁγιαζόμενοι ii, qui ſanctificantur*, nullo planè indicato ſufficientiæ & efficaciæ diſcrimine. Chriſtus exinaniri infra Angelos debuit, ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. Quæ ratio? Subjicitur illa ſtatim, quia decuit eum *multos filios* ad gloriam adducere: non quia decuit alios ſufficientia meriti exhibita ſibi relinquere, alios ad gloriam adducere. Accedit conſideratio ſcopi, quem ſibi Apoſtolus præfixum habuit. Scripſit enim ad Hebræos,gentili ὑπολήψει dementatos,quaſi Meſſias ſuæ duntaxat gentis bono deſtinatus miſſúſque eſſet. Sic autem ille hoc ſyncategoremate *πάντων omnium* retundit typhum,ut oſtendat beneficii latitudinem, non ad Hebros duntaxat,ſed gentes etiam pertinentis. 2. Par omnino tua in conciliandis locis Rom.XI.32. coll. cum 25. 30.31. & 1.Cor.XV.22.coll.cum 23. audacia eſt. Dicit S.Paulus, Deum omnes ſub inobedientiam incluſiſſe, *ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ,ut omnium miſereatur*. actu ſcilicet efficace; non aliorum inefficaciter, efficaciter aliorum. Nam *ἐλεεῖν* actum efficacem miſericordiæ notat. Et quomodo eoſdem ſub inobedientiam includit, (velut olim gentes, poſt Judæos) & ſimul omnium miſeretur? Etenim incluſio ſub inobedientiam eſt *πώρωσις induratio*, v.25. Atqui *σκληρύνειν indurare*,& *ἐλεεῖν miſereri*,idem Apoſtolus cap IX.18. ſic opponit,ut ſubjectis diſparet. Quos miſeratur,illos non ſimul indurat: & quos indurat,illos non ſimul miſeratur. Iccirco primò Judæorum,&; poſt eorum indurationem, gentium Deum miſertum eſſe, Apoſtolus manifeſtè docet: non ſimul & Judæorum & gentium. Id tamen docendum fuerat, ſi particula *πάντες omnes*,ad omnes & ſingulos extendi deberet. Par ratio eſt loci 1.Cor.XV.22. ubi in Chriſto actu omnes vivificari dicuntur,non alii actu, alii potentia; alii efficaciter,inefficaciter alii: & iidem, qui vivificantur.

cantur, nullo planè discrimine, statim v.23. *οἱ τοῦ Χριστοῦ ii, qui Christi sunt*, hoc est, qui ad Christum pertinent, definiuntur. 4. Denique Patrum loca à te citata nihil ad controversa, quæ hic ventilavi, testimonia faciunt. Et pro hominibus omnibus, pro omnibus, qui impii & peccatores, non justi sunt, pro toto mundo cùm Christum mortuum esse testantur, eadem phrasi, qua Scriptura utuntur. Explicatis Scripturæ phrasibus Patrum insimul sententia ex ponitur. Vos verò pro universalitate mortis Christi pugnantes, pridem cum Pelagianis & Semipelagianis collusisse, manifestum est. Etenim Prosper *Epist. ad August.* de reliquiis Pelagianæ hæreseos, *Hæc*, inquit, *ipsorum* (Pelagianorum) *definitio & professio est, Pro universo humano genere mortuum esse Dominum, & neminem prorsus à Redemptione sanguinis ejus esse exceptum.* Inter ea etiam Gallorum capitula, quæ in Augustino damnabilia se reperisse jactabant, hoc etiam erat, *quòd non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus.* Faustus *lib. I. de lib. arb. cap. 4.* ait, *longè eos à pietatis tramite recedere, qui dicunt, Salvatorem non pro omnibus mortuum esse.* Eodem pertinent anathemata Pseudo-Concilii Arelatensis, in Epistola Fausti, Semipelagianorum antesignani ad Lucidum, quod Semipelagianum fuisse, Sirmondus non diffitetur. His, Redingi, Patriarchis gaude.

OBIECT. II. *Ii, pro quibus Christus mortuus est, in Scripturis veniunt nomine mundi, veluti Johan. I. 19. III. 16. 17. IV. 42. VI. 33. 51. 2. Cor. V. 19. 1. Johan. II. 2. Atqui mundus notat universitatem omnium & singulorum, qui in mundo sunt.* Resp. Quoties Christus pro mundo mortuus dicitur, alluditur ad promissionem Abrahamo factam, *quòd in semine ipsius*, hoc est, Christi, benedictionem accepturæ essent כל משפחות הארץ *omnes familiæ terræ*, Genes. XII. 4. XXVIII. 4. כל גוי ארץ *Omnes gentes terræ*, Genes. XXII. 18. *Omnes gentes, omnes familiæ terræ & mundus* æquipollent, teste Apostolo Rom. IV. 13. ubi Abrahamum per promissionem eam dicit factum esse *κληρονόμον κόσμου, hæredem mundi*, hoc est familiarum terræ, gentium, quarum pater factus dicitur. Porro promissio ea, quòd in Abrahamo benedictionem accepturæ sint omnes gentes, significat, quòd Deus per fidem in Christum, tanquam sponsorem, gentes justificaturus sit, teste eodem Apostolo, Gal. III. 8. 16. Atqui id non de universitate hominum, qui sunt in mundo, sed de universitate seminis promissionis, ablata distinctione, accipiendum esse patet, tum quia non omnes & singuli per fidem justificantur & servantur: tum quia Paulus Rom. IV. vers. 16. *omne semen* adeóque omnes familias terræ in Abrahamo benedicendas explicat id, *quod in Isaco vocatur.* Clarissimum igitur est, quoties benedictio gentium, mundi hæreditas, mors pro omnibus, Deus gentium prædicatur, id ratione seminis promissionis, quod naturaliter est in mundo sine Deo, ad excludendam distinctionem, & indicandam magnam multitudinem suo tempore servandam, dici.

EXCIP. REDINGI: 1. *Duas hæreses in te noto. Prior est, quòd asseris, semen promissionis esse naturaliter in mundo. At semen illud esse fidem justificantem, asserueras, quam naturalem*

Digitized by Google

turalem Pelagiani fecerunt. Poſterior, quòd aſſeris, ſemen illud in mundo eſſe naturaliter ſine Deo. At omnia verbo, quod Deus eſt, creata ſunt, Joh.I.3. 2. S. Johannes 1.ep. II.2. mundum opponit credentibus. 3. Auguſtinus quoque per mundum à Deo dilectum intelligit omnes homines, etiam impios & peccatores, aſſerens paſſim, tum pro omnibus iis mortuum eſſe Chriſtum, quos in fine mundi judicabit: tum multos perituros, pro quibus Chriſtus mortuus eſt: tum, Chriſtum morientem etiam reproborum ſalutem ſitiviſſe: tum denique Chriſti è cruce pendentis orationem omnes prorſus inimicos ejus, nullo excepto, complecti. 4. In ſemine Abrahami non diſcernis duplicem ſortem, alteram eorum, quibus Chriſti paſſio applicatur cum efficacia: alteram eorum, qui vocati renuerunt venire, potentiam tamen ſive proximam, ſive remotam habuerunt veniendi, & mortem Chriſti ſibi applicandi. Ib.p.444--447. Reſp.1. In te ego quoque noto inſaniendi neſcio quod cacoëthes. Semen promiſſionis *naturaliter* eſſe in mundo ſine Deo dixi. Tu infers: Ergo fidem juſtificantem à natura, non à gratia proficiſci: Ergo naturam dari non creatam à Deo, ſtatuis. Quis non miretur acumen tuum? De ſubjecto credente, non de actu fidei, per quem ſemen promiſſionis fit, locutus ſum, atque illud naturaliter eſſe in mundo ſine Deo, hoc eſt, à natura corrupta, quæ à mundo, & in mundo eſt, vera & ſalutari notitia & amore Dei deſtitui, innui. Non pudet te puerilium nugarum? 2. Non credentibus quibusvis, ſed Iſraëlitis mundum, hoc eſt, gentes credentes, & fœderi Dei ſe aſſociantes S. Johannes opponit. Vult ille erigere fideles contra conſcientiam peccati argumento interceſſionis & ſatisfactionis Chriſti. Frigida verò planè conſolatio fuiſſet petita ex eo præſidio, quod electis & reprobis commune eſt, & cum ſalute individuum nexum nullum habet. Quis præterea dicet, Chriſtum eſſe *ἱλασμὸν expiationem* pro peccatis iis, quæ non remittuntur? Neque etiam unquam τὸ כפר *lytron* invenitur, quin רצון *acceptatio* ſubintelligatur. Quomodo etiam probatur, Chriſtum eſſe *παράκλητον* ſeu *interceſſorem* pro credentibus, ſi non aliter eorum peccata expiavit, quàm peccata eorum, qui pereunt? Quid hoc ad rem illam, ut ſciamus, Chriſtum intercedere pro peccatis, quæ à jam credentibus admiſſa fuerint? At hoc pondus eximium habet, quòd Chriſtum ſcimus omnia peccata ſeminis Abrahami, atque ipſius Abrahami, & antecedentium fidelium, ab initio uſque ad finem, ex quacunque gente ortum habeant, expiare. 3. Auguſtini loca à te citata proſus *ἀπροσδιόνυσα* ſunt. Nullo eorum aſſeritur, Chriſtum pro mundo reprobo, ſeu iis, qui in mundo reprobi ſunt, mortuum eſſe. Dilexiſſe Chriſtum mundum, hoc eſt, impios & peccatores, ſeu, cùm tales adhuc eſſent, (Rom.V.8.) non tales manentes: pro toto orbe judicando pretium dediſſe: in cruce oraſſe pro inimicis, quos amicos futuros prævidit, Auguſtinus dixit. Atque hæc veriſſima ſunt. At mundum, quem Deus dilexiſſe & Chriſtus propitiaſſe dicitur, eſſe univerſitatem omnium hominum, reproborum etiam, tantum abeſt, ut dixerit Auguſtinus, ut potiùs contrarium manifeſtè aſſeruerit. Sic enim *Tract.5. in Epiſt. Joh.* loquitur: *Mundus eſt plenitudo terræ, ſicut dixit ipſe Johannes, non ſolùm autem noſtrorum propitiatio peccatorum eſt, ſed & totius mundi. Mundi dicit* (NB.) *omnium fidelium per orbem ſparſorum.* Et *Tract.87. in Joh.* ſic fuſiùs ille; ad verba Chriſti, *ſi de mundo eſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret,* commentatur: *Univerſa utique hoc dicit Eccleſia, quam plerunque etiam ipſam mundi nomine appellat; ſicut eſt illud: Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi. Itemque illud: Non venit filius hominis, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Et in Epiſtola ſua Johannes ait: Ipſe propitiator eſt peccatorum noſtrorum: non tantùm noſtrorum, ſed etiam totius mundi. Totus ergo mundus Eccleſia eſt, & totus mundus odit*

Eccleſiam.

Digitized by Google

Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum. Hæc utique hoc quidem loco, quo argumentum de mundo tractamus, propiùs ad rem faciunt. De cœtero Jansenius vester, in *S.* Augustini scriptis versatissimus, *de Gratia Christi S. lib III.20.* negat, in scriptis Augustini ullum locum esse, ubi doceat, Christum pro peccatis infidelium, in infidelitate sua manentium, propitiationem esse, vel pro illis redemptionem se dedisse: imò contrarium non semel significâsse, asserit. 4. In semine Abrahami, quod promissionis est, (de quo ego loquor) frustra tu mihi sortem aliquam reproborum, quibus morte sua potentiam credendi, & merita sua sibi applicandi, sive proximam, sive remotam Christus impetraverit, fingis. Nam familiæ illæ, gentes terræ, quas *mundum* S. Paulus Rom. IV.13. appellat, benedicendæ in Christo, quas semen promissionis Apostolus vocat, soli credentes sunt, utpote qui soli in semine Abrahami, Christo, benedicuntur. Cùm igitur familiæ, gentes terræ benedicendæ sint ille *κόσμος mundus*, cujus hæres Abrahamus fuit, & quem Deus dilexit, clarum est, mundum non omnes & singulos homines, certè non reprobos significare. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

OBIECT. III. *Petrus 2. Epist. cap. II.1. docet, à Christo emptos esse etiam illos, qui sibi ipsis exitium accersunt, τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην Dominum, qui eos mercatus erat, abnegant. Ergo etiam infideles morte sua redemit.* Resp. Etsi Christus morte sua, consideratâ, ut *impendium* erat, etiam infideles mercatus est, hoc est beneficiis ex morte sua etiam ad eos pullulantibus, qualia sunt, quòd audiverunt Evangelium, à perniciosissimis erroribus, inquinamentis, idololatria liberati sunt, ut unâ cum fidelibus agnoscant, ipsum esse verum Ecclesiæ Regem, sibi tanquam domino eos obligavit: non tamen eos sibi mercatus est merito suo tanquam *victimâ*, ut dici possit, eos sanguine Christi, ut τιμῇ, in peculium & communionem populi peculiaris emptos vel redemptos esse. Hoc enim posterius solis fidelibus applicat Paulus 1. Cor. VI.20. *Redempti estis pretio.* Confer 1. Petr. I.19. Apocal. V.9. XIV.3.4. Nempe eorum beneficiorum sunt participes non ex consilio & proposito ipsos sanandi secundùm testamentum, sed ex voluntate demonstrandi longanimitatem, potentiámque suam, & divitias misericordiæ in vasa misericordiæ, denique impotentiam & duritiem humani cordis.

EXCIP. REDING: 1. *Quomodo ex consilio & proposito DEI reprobi non consecuti sunt beneficia, quæ illis tribuis, cùm tamen Deus velit omnes salvari? & Christus redemptionis pretium se pro omnibus dederit? En à testamento Dei, & morte Christi, ceu pretio, S. Paulus beneficia hæc arcessit. 2. Emptio illa Christi Domini unico pretio meritorum se offerentis tanquam victimam, nititur.* Ib. pag. 447.448. Resp. 1. Quo sensu Deus velit omnes salvari, & Christus se pretium redemptionis pro omnibus exposuerit, supra vidimus. Certè voluntas Dei, seu propositum salvandi, & pretium redemptionis Christi depensum longè alia post se beneficia trahit, quàm ea, quibus falsi illi in populo prophetæ & doctores potiebantur, quæ erant liberatio ab errore, idololatria & inquinamentis hujus mundi,

Digitized by Google

dis per vocationem externam ad fidem, & ſegregationem ad opus miniſterii. ad quod empti quodammodo fuerant à Chriſto, ut Domino, qui eos acquiſiverat, & ſuos fecerat, vocando in domum ſuam. quomodo olim heri ſervos emebant, & ad miniſterium domeſticum mercabantur, quos ἀργυρωνήτους Græci vocant. Unde Chriſtus eos non tam ut *Σωτὴρ Servator*, & *κύριος Dominus*, (qualis habet hæreditatem ad περιποίησιν. Tit. II. 14.) quàm ut *δεσπότης herus* mercatus dicitur. 2. Emptionem illam niti pretio meritorum Chriſti, ſe victimam offerentis, concedo. Ut enim Evangelium falſis illis doctoribus prædicari, & Chriſtus velut inter ipſos crucifixus iis proponi poſſet, Chriſtum ſine dubio mori oportuit. Quare & mors Chriſti illis, ceu beneficium, imputatur ad obligationem ſerviendi ipſi: licet non imputetur iis ceu victima pro illis Deo oblata, ad redemptionem ac juſtificationem. Et latiùs utique hic *ἀγοράζειν emere* accipiendum eſt, quàm alibi, veluti 1. Cor. VI 20. Apoc. XIV. 4 ubi ſignificat acquiſitionem Eccleſiæ in peculium, hæreditatem, proprietatem in qua Deus & Chriſtus glorificetur, quámque Chriſtus à Patre, vi teſtamenti, poſtulavit, Pſal. II. 8. Joh. VI. 39. Emtione id, quod emitur, fit ementis. Hi igitur facti ſunt emptione hac ſervi Chriſti, obligati ipſi ad ſerviendum. Pro quibus autem mortuus eſt, eos non eo duntaxat modo emit, ſed emit pretio & victima, fecitque ſuos, hæreditatem ſuam, quam Spiritu ſuo occuparet, & in perpetuum haberet, ut in iis admirabilis & glorioſus fiat. Ita non quia paterfamilias emit domum, ut in ea habitet, ſequitur, eum non etiam emere vaſa ad ignominiam. Neque eadem eſt emptio illorum, qui pro tempore ſunt in magna domo & illorum, quos Dominus pro ſuo theſauro, & deliciis, & corona capitis ſui habet. Denique *ἀγόρασις emptio* illa falſorum doctorum conjuncta fuit cum effectu. Quid enim eſt emptio ſine effectu? Si igitur Chriſtus morte ſua, ceu victima & pretio redemptionis, eos emit, ſequitur eos in ejus poteſtatem tranſiviſſe, ceu hæreditatem & proprietatem ejus, qualem ſine victima & pretio imputato nullam habet. Egregiam verò hæreditatem Chriſti reprobos, falſos doctores!

OBIECT. IV. *Paulus docet Hebr. X. 29. quoſdam ſanguine fœderis ſanctificatos eſſe, qui tamen eundem ſanguinem fœderis profanum ducant. Ergo etiam pro infidelibus ſe ſanctificavit, mortuus eſt.* Reſp. 1. Paulus per ſanguinem fœderis ſanctificatum dicit non profanatorem illum, ſed Filium Dei, ad quem referenda ſunt verba, ἐν ᾧ ἡγιάσθη. Nempe per paſſiones Chriſtus, ut princeps & cauſa ſalutis, conſummatus, Hebr. II. 10. & ille גואל *Sanctus Iſraëlis* demonſtratus eſt. 2. Poſſunt etiam profanatores illi dici ſanguine fœderis ſanctificati, quatenus illuminati, in cognitione Servatoris effugerunt inquinamenta mundi, adeóque Chriſtum ut δεσπότην ſuum nominârunt, ejúſque ſervi viſi nominatique ſunt.

Excip. Reding: *Paulus ex ſententia omnium verſionum, etiam Tigurinæ, profanatorem ſanguinis Chriſti, eo ſanctificatum fuiſſe, profitetur.* Ib. p. 448. Reſp. Oſcitaris, Redingi. Quæ enim verſiones, ſive veſtræ, ſive noſtræ etiam, verba illa Pauli, *ἐν ᾧ ἡγιάσθη in quo ſanctificatus eſt* reddiderunt, *in quo ſanctificatus eſt is, qui Filium Dei conculcavit?* Hoc tibi ex verſionibus probandum fuerat. Atqui omnes in verbo *ἡγιάσθη ſanctificatus eſt*, perſonam ſanctificatam in medio relinquunt. Poteſt autem illa perſona ſanctificata eſſe vel Filius conculcatus, vel homo conculcator. Ego *Filium* conculcatum intelligi, probavi. Tuum erat ſenten-

Digitized by Google

tiam & argumenta mea convellere, non quæstionem petere. Quidnî enim de Filio Dei id exponi possit, cùm & proximè ejus mentio facta sit, & id cum fidei analogia congruat. Sed esto, ad conculcatorem Filii referatur. Atqui & illum per sanguinem fœderis sanctificari posse, licet pro eo sanguis effusus non sit, ostendi. Cur non respondes?

OBIECT. V. *Paulus Rom. XIV. 15. docet, pro eo, qui perdi potest, Christum esse mortuum.* Resp. Ostendit tantùm, quid faciant, quantum in se est, qui scandalum dant infirmo, non quid efficiant actu. Ita non potest effici, ut rursus crucifigatur Christus, etsi non desint, qui id facere censentur justo Dei judicio, Hebr. VI. 6.

Excip. Reding: *Quidnî ii, pro quibus Christus mortuus est, per scandala aliorum perdi possint, cùm ipse tu agnoscas, profanatores fœderis sanguine Christi sanctificatos licet, posse perdi?* Ib. pag. 449. Resp. At perdi posse, quomodo ex conatu offendentium probas? Hoc enim quæritur. Aliud sanè est, perire aliquem actu & eventu, aliud occasionaliter, & ratione perdentis, seu perdere conantis, qui occasionem dat se perdendi, & per quem non stat, quò minùs aliquis pereat. Non rarò enim Scriptura utitur verbis, quæ effectum & actionem notant, ad designandam occasionem vel motivum, quo res fieri posset. Ita adulterâsse uxorem dicitur, qui eam aspexit ad eam concupiscendam, Matth. V. 28. Et qui verbo Evangelii credere non vult, Deum mendacem facere dicitur. 1. Joh. V. 10. Sic per cognitionem nostram perire dicitur frater, quando per nos non stat, quò minùs pereat. Profanatorem verò fœderis, sanguine Christi sanctificatum esse, non probâsti. Neque pro eo Christum mortuum esse, sequitur, qui quovis modo sanguine fœderis sanctificatus est, puta vel κατὰ δόξαν, vel comparatè, quoad externam segregationem sive à synagoga, sive gentilium sacris & communione; adeóque externam fidei professionem, qualemcunque internam illuminationem, gustum perfunctorium & transeuntem. Ejusmodi enim sanctificatio à gratia Dei generali, non speciali Christi, proficisci potest. Et notum est, quæ sit latitudo verborum transitivorum קדש in *Piel*, & הקדיש in *Hiphil*, quibus apud Græcos verba ἁγιάζειν, ἁγνίζειν, & καθαρίζειν respondent.

OBIECT. VI. *Quicunque in Christum credere tenentur, pro iis is mortuus est. Sed omnes & singuli tenentur credere in Christum.* Ergo. Resp. Omnes tenentur credere illam ἱκανότητα & sufficientiam Dei, qua is possit fieri Deus peccatoris, per Christum justificandi, si Deus in verbo suo medium illud proponat. Quæ obligatio est à lege. Omnes etiam, quibus Evangelium prædicatum est, tenentur credere, Christum propositum esse placamentum ad demonstrationem divinæ justitiæ, & apparuisse gratiam illam salutiferam, quæ jubet abnegare omnem impietatem, Tit. II. 11. 12. Quæ obligatio est ab Evangelio. At Christum pro se mortuum esse, non tenetur credere is, qui vitiosis affectibus mancipatus est & indulget, sed is demum, qui sibimet ipsi & operibus suis renuntiat, coram Dei misericordia prosternitur, & non aliunde, quàm ex Christi merito salutem expectat. Prior est *fides de Christo*, ad quam obligantur etiam infideles. Posterior

Digitized by Google

ſterior eſt, *fides in Chriſtum*, quæ electorum eſt, & eſt ipſa conſolatio, fructus juſtitiæ, pertinens ad conſcientias contritas, & animas eſurientes ac ſitientes juſtitiæ.

EXCIP. REDING: 1. *Fides illa, qua tenemur credere ſufficientiam illam Dei, an ex parte peccatoris reprobi ſupponit poſſibilitatem juſtificationis per Chriſtum obtinendæ, necne? Si negas, nulla in eo erit obligatio credendi, quòd apparuerit gratia illa ſalutifera. Si affirmas, poſſibilitas illa non ſubſiſtet niſi per Chriſtum & ejus meritum in morte conſummatum; adeóque is pro reprobis etiam mortuus fuerit. Et fides illa ſi ſupernaturalis eſt, nequit obtinere niſi per meritum Chriſti: ſi naturalis, non omnes fide Divina id credere tenentur. 2. Fides, ad quam omnes, quibus prædicatur Evangelium, tenentur, ſi juxta te abſque gratia Chriſti ſubſiſtere poteſt, Pelagianus es: ſin, pro quovis ita credente Chriſtus mortuus fuerit. 3. Qui affectibus vitioſis indulget, ſi abſtinere non poteſt, non peccat & ſpem ſalutis nullam habet: ſi poteſt, per gratiam Chriſti pro eodem morientis poteſt. 4. Qui ſibi & operibus ſuis renuntiat, priùs credere tenetur, Chriſtum pro ſe mortuum eſſe. Alias renuntiaret ſine fide. 5. Denique nec ſoli ii, qui ſe electos norunt ex Chriſti merito ſalutem expectare poſſunt. Alias cæteris omnibus deſperandum foret.* Ib. pag. 448 449.

Reſp. Neque reſponſionis meæ nervum tangis, neque ſani quicquam loqueris. Etenim quæritur, an omnes & ſinguli teneantur credere, Chriſtum pro ſe eſſe mortuum? Ego *fidem de Chriſto*, communem etiam reprobis: & *fidem in Chriſtum*, propriam electis, & conſtantem omnibus fidei actibus ultimóque etiam & conſummante, quæ fiducia & conſolatio in Chriſti merito eſt, diſtinxi, negavique adeò, ſingulorum eſſe ſimpliciter credere in Chriſtum, quoad omnes fidei in Chriſtum actus, adeóque etiam Chriſtum pro ſe eſſe mortuum. Hoc tibi oppugnandum fuerat. De cætero etiam nil ſani reſponſiones tuæ habent. Etenim 1. Fides, qua ſinguli tenentur credere, poſſe Deum peccatorem juſtificare, neutiquam ſupponit poſſibilitatem juſtificandi reprobos. Aliud enim eſt impius, aliud reprobus. Ille commutari in pium, adeóque juſtificari poteſt. Hic, obſtante decreto reprobationis, cujus exequendæ media ſunt retentio peccatorum, & negatio Mediatoris ac fidei, nequit. Conſilium enim Dei ſtat, nec mutari poteſt. Neque tamen propterea nulla in eo obligatio erit vel credendi Dei ſufficientiam ad juſtificandum peccatorem, vel manifeſtationem gratiæ ſalutiferæ, ſiquidem ea revelata fuerit. Utrumque enim etiam Diabolus, pro quo Chriſtus mortuus non eſt, credere tenetur. Naſcitur enim obligatio credendi & ſufficientiam Dei, & revelationem Divinam quamvis, ex lege naturali, cui etiam reprobi ſubſunt. Proin etiam fides ea naturalis eſt, quippe quæ fertur in id, quod natura cuilibet ex lege Dei naturali notum eſſe debet, nempe, & Deum omniſufficientem eſſe, & ei quidvis revelanti propter ejuſdem fidelitatem & veracitatem credendum eſſe. 2. Fides illa, ad quam etiam reprobi, quibus Evangelium prædicatur, tenentur, ſine gratia Dei iis equidem non obtingit. Requiritur enim ad eam φωτισμὸς *illuminatio*, & μετοχὴ τοῦ πνεύματος, *participatio Spiritus* quædam, Hebr. VI. 4. quæ ſine gratia Dei nulla eſt. Neque tamen ad eam beneficium ſpeciale redemptionis, & vicariæ mortis Chriſti requiritur, quia etiam ſine ea pro credente Evangelio in genere, obita Deus Spiritu ſuo illuminare, quos vult, poteſt. Et quomodo fidem hanc & illuminationem reproborum mors Chriſti pro iis oppetita efficiet, cùm tamen iis mortem Chriſti actu applicare, & in iiſdem efficacem eſſe, ipſimet pernegetis? Alia igitur gratia & effica-

 ci,

ci, & actu applicanda opus erit. 3. Reprobi incurabiles licet, culpa tamen neutiquam vacant, quia affectibus vitioſis ſcientes, prudentes, volentes, geſtientésque indulgent. Id ſi ad culpam non ſufficit, quid ultra requiratur, oſtende. Spem verò ſalutis iidem nullam habere poſſunt, quia nec fiduciam in merito Chriſti habent, nec lege Dei delectantur, nec Deum, ejúſque gloriam amant. Secus ne quidem reprobi forent. 4. In ipſa fide eſt renuntiatio illa, utpote qua ſibi & operibus ſuis credentes diffidunt, ſe totos abnegant, in Chriſti meritum ſe totos conjiciunt, & in ſola Dei gratia confidunt. 5. Denique ſoli equidem, qui in Chriſto per fidem vivunt, & ſe vivere ex ipſo vitæ ſenſu, promiſſionúmque Divinarum certitudine, & Spiritus S. arrhabonis cœleſtis teſtimonio, certi perſuaſique ſunt, ſalutem ſperare poſſunt. Reliquis non deſperandum, ſed, quamdiu ſpirant, ad gratiam Dei, fideíque vividæ ſenſum aſpirandum eſt.

QUÆSTIO VIII.

An vera & propria cauſa, propter quam peccator in judicio Dei juſtificatur, & ab omni reatu abſolvitur, ſit juſtitia Chriſti credentibus donata & imputata, an potiùs infuſus habitus gratiæ ſeu charitatis inhærentis?

POſterius aſſerit Concilium Capite VII. nec non Canone X. & XI. ex quibus clarè colligitur, juxta mentem Concilii cauſam illam, per & propter quam Deus nos abſolvit à peccatis, non cenſeri juſtitiam Chriſti pro nobis in mortem traditi, ſed juſtitiam illam Dei, quæ nobis infuſa, internè juſtos conſtituit. Ne tamen Chriſti juſtitia & δικαίωμα videatur penitus hoc in negotio excludi, hoc ipſi tribuit Synodus, quòd meruerit, *ut Deus nobis per Spiritum S. communicaret juſtitiam internam,* à qua ſola videlicet ſuſpendatur jus illud petendi vitam. Quomodo alii Sophiſtæ docent, meritum Chriſti eſſe *conditionem cauſæ formalis,* hoc eſt, juſtitiæ inhærentis, ut ea donari homini poſſit: nec non *cauſam extrinſecam & exemplarem,* quia Chriſtus tanquam cauſa externa & procatarctica mereatur infuſionem juſtitiæ, per quam juſtificatur homo, & quia ſimilis eſſe juſtitia noſtra inhærens juſtitiæ Chriſti, per quam ipſe inhærenter juſtus fuit, debeat. Hæc mens eſt Concilii. Nos verò in momentoſo hoc articulo cum Patribus Concilii litem ſeriò conteſtamur, aſſerimúſque, ſolam Chriſti juſtitiam in ejus communione donatam eſſe illud δικαίωμα νόμου, quo coram Deo juſti cenſemur:

Digitized by Google

cenſemur: adeóque nec opera,ſeu infuſum juſtitiæ habitum,juſtificare nec Chriſti juſtitiam cauſam duntaxat externam eſſe, propter quam habitus charitatis juſtificans nobis per Spiritum S. donetur & communicetur. Etenim

ARG. I. Scriptura aſſerit diſertè, nos juſtificari gratis, gratiâ Dei per redemtionem factam in Chriſto Jeſu, Rom. III.24. Ubi gratia non aliud notat,quàm favorem,benevolentiam,& χρηστότητα Dei,non infuſum charitatis habitum,tum quia juſtificari dicimur τῇ αὐτοῦ χάριτι,*ipſius* Dei *gratiâ*: tum quia δωρεὰν, excluſo videlicet omni merito & dignitate,quæ ſit in nobis: tum quia gratia opponitur operibus & gloriationi, Epheſ. II.8. tum denique quia in omnibus linguis gratia ſignificat favorem & benevolentiam ejus, qui extra nos eſt. Si igitur ex gratia juſtificamur, non ex merito infuſi habitus, Rom. XI. 6. Sunt nempe hæc oppoſita, adeóque pellentis naturæ.

Resp. Reding: 1. *Juſti efficimur per gratiam, favorem & voluntatem Dei efficatem, quæ efficit in juſtificato formam aliquam creatam, realiter datam, & in nobis receptam. de qua ſermo eſt Joh I.16. Rom.V.17. Epheſ.IV.7. Et habet gratia juſtificans vim animam noſtram vivificandi; quia ſpiritus in nobis vivit propter juſtificationem, Rom.VIII.10. Non igitur gratia ea extrinſecus duntaxat favor eſt.* 2. *Neque nos juſtificari unquam ex merito infuſi habitus dicimus.* Tract. I V. pag. 450. Reſp. Nec mea argumenta ſolvis, nec ſolidi quicquam affers. Etenim 1. gratia ſanè Dei,qua juſtificamur, efficax eſt. Quomodo alias ea juſtificaremur? Amor Dei non eſt inanis. Ideo non imputat,ſed remittit peccata, imputat juſtitiam Chriſti, redemptionem præſtat, vocat,regenerat ad fidem, ut ſimus in Chriſto, & in Chriſto juſti ſimus; & porro ſanctificat & glorificat. Non tamen inde ſequitur: Ergo infundit id,quod ſit propria & inhærens juſtitia noſtra, qua coram tribunali Dei juſtificemur. Præſtat Dei favor & benevolentia, quod vult, & quo modo, ordine ac tempore vult. Si propterea, quia voluntas, benevolentia Dei efficax eſt,gratia juſtificans non eſt favor Dei, ſed qualitas homini inhærens; etiam miſericordia, clementia, aliáque Dei attributa, qualitates inhærentes erunt,quia non ſunt inania, ſed efficiunt, quod alicui volunt. quod monſtroſum planè conſecutionis genus eſt. Neque etiam ſi alibi gratia ſignificat inhærens donum,locis controverſis idem ſignificat. quia à particulari ad particulare argumentari non licet. Quanquam loca à te citata nihil cauſam tuam juvant. Etenim Joh.I.16. χάριν ἀντὶ χάριτος *gratia pro gratia* notat πλήρωμα χάριτος *plenitudinem gratiæ*, puta ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem & redemptionem. qualis Chriſtus à Deo nobis factus eſt; 1.Cor.I.31. An ad plenitudinem iſtam gratiæ juſtitia & redemptio Chriſti nobis donata non pertinet? Sic Rom.V.17. quid aliud eſt περισσεία τῆς χάριτος καὶ δωρεᾶς δικαιοσύνης *abundantia gratiæ & doni juſtitiæ*,quàm juſtitia Chriſti, totúſque Chriſtus ex mera libertate,ſtudio atque propoſito perducendi ad finem vocationis, Summum bonum noſtrum, nobis donatus? Unde gratiam à dono per gratiam Apoſtolus v.15. diſtinguit. Denique Epheſ.IV.7. non de gratia juſtificante, ſed donis ſingularibus Spiritus S. ſermo eſt. quod forma loquendi, ἑνὶ ἑκάστῳ, *unicuique noſtrûm data eſt hæc gratia*, arguit. In loco Rom.VIII.10. planè ceſpitas,

Digitized by Google

tas, quia in eo non de juſtificatione, ſed de ſpiritu in Cœlis, & conſummatam ibi juſtitiam vivente, ſermo eſt. Quanquam non diffitemur, gratia juſtificante nos vivificari, quia vita ſpiritualis ab eadem, ceu effectus proximus, emanat. 2. Si vis meritoria non eſt ab infuſo habitu juſtitiæ, à quo opera pullulant, nullum in homine juſtificato meritum obtinebit.

ARG. II. Neque tantùm Dei gratiâ juſtificari dicimur, ſed etiam nos *ſine operibus* juſtificari, aſſerit Paulus Rom. III. 20. 28. Ubi concluſio Apoſtoli continetur, deducta ex irrefragabilibus principiis, de quibus tum in tota ad Romanos Epiſtola, tum alibi diſputatur.

RESP. REDING: *Loquitur Apoſtolus de operibus legis, vel viribus naturæ elicitis, vel etiam per gratiam factis, juſtificationem præcedentibus. An iccirco forma juſtificans eſt extrinſecus duntaxat Dei favor? Atqui quilibet effectus formalis, qualis eſt, juſtificatum eſſe in ſubjecto, eſt per intrinſecam formæ alicujus communicationem.* Ib. pag. 451. Reſp. Imò omnia opera legis, ſive ceremonialis, ſive moralis; facta & naturæ, & gratiæ, ſive ante, ſive poſt infuſum juſtitiæ habitum, viribus, Apoſtolus excludit, tum quia non diſtinguit: tum quia *καύχησιν gloriationem* v. 27. diſertè excludit; quæ niſi remotis quibusvis operibus, excludi nequit: tum quia cap IV. ipſius Abrahami Patris credentium opera excluduntur. tum quia Chriſtus fruſtra mortuus fuiſſet, ſi habitus aliquis, vel opera hominis qualiacunque demum reatum tollere, & vitam mereri poſſent: tum denique quia fides opponitur omni operi, qualecunque id ſit, quod ſit, vel putetur eſſe cauſa, vel concauſa juris ſperandi vitam æternam. ſiquidem fides juſtificat; & ei, qui non operatur, ſed credit in eum, qui juſtificat impium, fides ſua ad juſtitiam reputatur, Rom. IV. 5. Neque etiam nos dicimus, formam juſtificationis eſſe extrinſecum Dei favorem, utpote qui cauſa eſt ejus juſtitiæ donatæ, cujus donatio & imputatio vera & unica juſtificationis, ceu actionis judicialis Divinæ forma & eſſentia eſt, non inhærens homini juſtitiæ habitus. Firmiſſimè enim tenendum, non juſtificari hominem per habitum, ſeu juſtitiam habitualem; ſed per δικαίωμα opus juſtum conformiter legi præſtitum, ſeu juſtitiam actualem perfectam. quæ non eſt niſi Chriſti Redemptoris, qui ſolus צדקנו *juſtitia noſtra*, Jerem XXIII. 6. cluet.

ARG. III. Juſtificatio peccatoris eſt, quâ expiatur ejus peccatum, & exſolvuntur debita, quorum in Adamo reus factus eſt. Atqui hæc expiatio peccati & exſolutio debiti non fit pretio inhærentis juſtitia, quia peccatum non ſequente juſtitia, ſed juſto Dei judicio & veracitat:, morte expiatur.

RESP. REDING: *Damus juſtificationem peccatoris eſſe peccati expiationem per juſtum Dei judicium ſuper meritis Chriſti fundatum. Sed illud ita efficax eſt, ut p: educat formam ſanctificantem, ſine qua expiatio peccati formaliter non fit; quia peccatum habituale tanquam formalis animi peccatricis macula, & odii Divini materia niſi per oppoſitum habitum juſtitiæ, qua homo formaliter amicus & filius Dei fit; tolli nequit.* Ib. pag. 451. Reſp. Diſtortè & diſtorta loqueris, nec ad argumentum meum reſpondes. i juſtificatio in expiatione peccati conſiſtit, quomodo id, quod expiatione poſterius eſt, uta habitus juſtitiæ

Digitized by Google

ſtitiæ infuſus, ejus cauſa formalis, uti loqui amatis, eſſe poteſt? Hoc expedi. Juſtum Dei judicium, inquis, formam ſanctificantem producit. Ineptè. Forma ſanctificans nec juſtificationis forma eſt, cùm beneficia ſint planè diverſa; nec à judicio Dei, ſed à gratia Dei per Spiritum ſanctificantem producitur. Neque peccatum, odii Divini materies, oppoſito habitu juſtitiæ inhærentis tolli poteſt, tum quia ad ejus expiationem mors vel peccatoris, vel Sponſoris ejus requiritur: tum quia juſtitiæ hàbitus infuſus imperfectus eſt, & in ſanctificatione, non in juſtificatione, peccato ſeu veteri Adamo, poſt expiatum jam peccatum ſuccedit, non peccatum vel tollit & expellit, vel èxpiat. Ergo Chriſtus, ejúſque juſtitia per fidem donata, efficiens, ne peccata imputentur, amicos Dei reddit, peccata omnia quoad reatum in juſtificatione, & quoad maculam, in continuata ſanctificatione tollit.

ARG. IV. Juſtitia, propter quam in Dei judicio à reatu peccati abſolvimur, perfecta eſſe debet, perfectione tum graduum, tum partium, tum perſeverantiæ. Talem enim juſtitiam lex Divina perfecta requirit. Atqui juſtitiæ inhærentis habitus perfectus non eſt, tum quia quamdiu vivit homo, ſpiritus luctatur cum reliquiis carnis, Rom. VII. 20. 23. Gal. V. 17. tum quia quotidiana juſtorum peccata id ſatis arguunt: tum quia perfectio charitatis noſtræ non incipit ante mortem, qua peccati exuviæ deponuntur, Rom. VI. 6. VIII. 10. tum quia perfectionem charitatis ſanctiſſimi quique agnoſcunt, Job. IX. 2. 3. 20. Pſal. CXXX. 3. Eſaj. LXIV. 6. 1. Joh. I. 8. tum denique, quia etiam renato homini impoſſibilis eſt, uti mox probabimus, obſervantia legis.

RESP. REDING: 1. *An juſtitia in extrinſeco DEI favore conſiſtens perfectior eſt juſtitia, quæ iſthunc DEI favorem cauſaliter, formam verò juſtificationis à favore DEI profectam formaliter importat? Atqui favor ille, defectus juſtitiæ, quos tu notas, in mortali hac vita non excludit. 2. Spiritus S. nobis in juſtificatione communicatur non formaliter, ſed efficienter, mediante aliquo dono creato. quod non aliud eſt, quàm forma juſtificans.* Ib. pag 451. 452. Reſp. Omiſſis denuo argumentis meis, reſponſionum inops, fabularis, credo, non ſeriò agis. Etenim 1. quis noſtrûm dixit, juſtitiam conſiſtere in favore Dei? Et non potiùs, juſtitiam Chriſti nobis donatam eſſe à gratia, ſeu favore Dei? Juſtitia inhærens an favorem Dei cauſaliter importat, hoc eſt, cauſa eſt favoris Dei, qua juſtificatio nobis obtingit? Denique favor Dei non excludit equidem defectus inhærentis juſtitiæ in hac vita: excludit tamen defectus juſtitiæ Chriſti, quæ per fidem nobis imputata & donata, ſola juſtificat. Accipe verba Cardinalis tui Contareni tractatu *de juſtificatione*, edito Pariſiis A. 1572. cum approbatione Doctorum regentium Facultatis Theologicæ Pariſienſis, qui teſtimonio & ſyngrapha ſua teſtati ſunt, *ſingula à ſe probari, & à veritate Chriſtiana nihil diſcrepare.* Sic autem Cardinalis ille cauſam noſtram agit, tuam deſtruit: *Quoniam ad duplicem juſtitiam pervenimus per fidem, juſtitiam inhærentem nobis, & charitatem ac gratiam, qua efficimur conſortes Divinæ naturæ; & juſtitiam Chriſti nobis donatam & imputatam, quoniam inſerti ſumus Chriſto, & induimus Chriſtum, reſtat inquirere: utranam debeamus niti, & exiſtimare, nos juſtificari coram Deo, id eſt, juſtos & ſanctos haberi? Ego prorſus exiſtimo, piè & Chriſtianè dici, quòd debeamus niti, niti inquam, tanquam re ſtabili, quæ certò nos ſuſtentat, juſtitia Chriſti nobis donata, non autem ſanctitate.*

Digitized by Google

sanctitate & gratia nobis inhærente. Hac etenim nostra justitia est inchoata & imperfecta, quæ tueri nos non potest, quin in multis offendamus, assiduò peccemus. Iccirco in conspectu Dei non possumus ob hanc justitiam nostram haberi justi & boni, quemadmodum filios Dei deceret esse sanctos & bonos. Sed Christi justitia nobis donata est vera & perfecta justitia, quæ omnino placet oculis Dei, in qua nihil est, quod Deum offendat, quod Deo non summopere placeat. Hac ergo sola, certa & stabili nobis nitendum est, & ob eam solam credere nos justificari coram Deo, id est, justos haberi, & justos dici. Hoc nos sentimus, hoc tu cœco & Pharisaico studio oppugnas. Et plures Ecclesiæ vestræ antesignanos, vi veritatis subactos, Contareno & nobis consentire, infra *Resp. ad arg.* 7. palam facimus. 2. Quis nostrûm Spiritum S. nobis communicari *formaliter* dixit? Et quid hæc tua *παρέκβασις* ad rem, quid ad argumentum nostrum?

ARG. V. Tum justificamur, cùm peccata nobis remittuntur, Rom. IV. 8. Idque etiam fatetur Synodus ajens, justificationem potiori sui parte consistere in remissione peccatorum. Qui autem justificatur remissis gratuitò peccatis, is non justificatur per inhærentem justitiam, quia justificare *remittendo peccatum,* & justificare *exigendo propriam justitiam* pugnant.

RESP. REDING: *Justitiam propriam, ex donatione tamen Dei gratuita impressam, cum remissione peccatorum pugnare, falsum est.* Ib. pag. 452. Resp. Bellè iterum respondes Imò nihil respondes, sed pro lubitu negas. Perstat argumentum nostrum. Qui justificatur per remissionem peccatorum, is per propriam justitiam non justificatur, quia remittere peccatum, & ad remissionem peccati simul exigere justitiam propriam, sive donatam aliunde, sive non, pugnat. Qui enim peccatum remittit, hoc est, peccatori reatum & pœnam condonat, is à peccatore ad remissionem peccati nec satisfactionem propriam, nec justitiam inhærentem exigere potest. Non illam, quia satisfactio donationi contrariatur. Non hanc, quia nec reatus, nec pœna peccati per justitiam propriam tolli potest. Vel enim justitia propria remissionem antecedit, vel sequitur. Si antecedit, peccatum remittendum & condonandum nullum superest, quia ad justificationem justitia absolutè perfecta requiritur. Si sequitur, subsequente justitia peccatum præteritum remitti & expiari nequit. Remissio quippe & expiatio peccati pœnam, quam transgressori legislator comminatus est, non subsequentem justitiam postulat. Quid verò multis? Remissio peccatorum est actus solius Dei judicis, ob Christi satisfactionem peccatum non punientis, peccatorémque absolventis: justitia propria, undecunque illa oritur, est habitus hominis. In formali igitur ratione sua *δὶς διὰ* differunt.

ARG. VI. Scriptura justitiam, per quam in Dei judicio absolvimur, non aliam facit quàm Christum, ejúsque justitiam nobis donatam & imputatam, Esaj. XXV. 24. 25. Jerem. XXIII. 6. XXXIII. 16. Rom. IV. 3. 5. 1. Cor. I. 30 Quomodo Christus ipse est nostra justitia, & in ipso justificamur, si tantùm promeruit nobis illum justitiæ inhærentis habitum, justificationis nostræ, uti pertendit Synodus, causam?

RESP. REDING: 1. *Ex Esaja & Jeremia nihil probas.* 2. *Apostolus Rom. IV. 3. fidem puta per charitatem formatam Abrahæ imputatam esse ad justitiam dixit, non justitiam Christi.*

Digitized by Google

Christi. 3. *Nec ex 1.Cor.I.30.plus evincis. Sic enim Christus ibi factus dicitur nobis justitia, sicut alibi Deus fortitudo, illuminatio, salus, patientia, spes, gloria nostra dicitur; effective puta, non formaliter, quia est nostræ sapientiæ, justitiæ, sanctificationis causa tum physicè, tum moraliter effectiva & meritoria, imò & Finalizativa. Quis enim Christum esse sapientiam nostram formaliter dixerit?* Ib pag.452.453. Resp. Rem magni oppido momenti nimis profectò levi brachio, desultoriè nimis tractas. Cur enim 1. loca Esaj. XLV. 24.25. Jerem. XXIII. 6. nihil ad rem faciunt? Etenim Esaj XLV.24. Deus Pater de Christo dicit: אך ביהוה צדקת ועז *Tantùm in Jehova justitia & robur.* Et v.25. ביהוה יצדקו *In Jehova justificabuntur.* Per Christum igitur & justitiam ejus donatam, non per habitum inhærentem justificamur. Et Jerem.XXIII.6. hoc nomen ejus (Germinis, Christi) quò quisque eum vocabit, dicitur: יהוה צדקנו *Jehova justitia nostra*, ita videlicet, ut quisque in Christum credens abneget justitiam propriam, hoc est, jus, quod habeat homo in factis, seu operibus suis, ut accedat ad Deum, & ab eo vitam petat: & justitiam, quæ causa est juris petendi vitam, in solo Jehova, germine illo justo, collocet. 2. Rom.IV.3.4.5. fides, quæ Abrahamo & credenti omni ad justitiam imputatur, non est propriè actus credentis, seu fides operibus gravida, & per charitatem formata, (uti tu absque omni Scriptura, & ad evertendam Dei justitiam explicas) sed metonymicè id, quod fides apprehendit & accipit, ceu objectum fidei: quod S.Paulus Phil.III.9. vocat *δικαιοσύνην πίστεως, justitiam fidei, quæ est ex fide, in qua sola vult inveniri.* Nempe fides, quæ ad justitiam imputatur, sive quam habenti Deus juxta legem suam vitam æternam adjudicat, inprimis credit Deo, *ut testi*; dein credit, Deum *justificare*, & quidem *peccatorem*, adeóque sine respectu operis & justitiæ ejus; denique in eum credit, adeóque se ei, juxta promissionem & vocationem ejus, committit ad justificationem, eique confidit. Manifestum igitur est, id imputari ad justitiam, quod credenti offertur, promittitur. Sicut si quis assensu dicatur factus Rex vel Imperator, ei Regnum vel imperium oblatum fuerit oportet. Si ergo id ad justitiam imputatur, quod fides assensu & fiducia accipit, ut per id justificetur, non utique vel fides propriè ad justitiam imputatur; vel habitum justitiæ inhærentis primariò fides accipit, sed Christum, ejúsque meritum, obedientiam & justitiam, remissionem peccatorum, in Evangelio oblatam. Hinc v.6 7. Deus *justitiam imputare* dicitur *absque operibus* tum, quando *peccata remittuntur*. Fides autem ipsa absolutè considerata, neque est justitia sine opere, neque remissio peccatorum. Necessum est igitur fidem imputatam relativè involvere suum objectum, id est, Christum ejúsque justitiam fide apprehensam. Res tota in exemplo Abrahami manifesta est. Dixit enim ad eum Deus: *Noli timere: Ego clypeus tuus & merces tua magna valde*, Genes XV.1. Non aliud, promissione hac facta credere Abrahamus potuit, quàm Deum sibi clypeum esse, & sibi mercedem magnam præparasse. Hæc fides ei imputata est ad justitiam, v.6. hoc est, id credendo justus fuit. Jus enim habuit à Deo, ceu clypeo suo, petendi defensionem adversus omnem accusationem & vim, adeóque etiam maximam hæreditatem, fidei suæ fructum. 3. In loco 1 Cor.I.30. Christus dicitur nobis factus *δικαιοσύνη justitia*. Non igitur nobis nos ipsi justitia facti sumus. Aliâs gloriatio in nobis non excluderetur, nec in solo Domino gloriandum nobis foret. quod v.31. Apostolus præcipit. Tu Christum nobis justitiam factum concedis, sed *effectivè*, non *formaliter*, *quia sit justitiæ causa tum physicè, tum moraliter effectiva & meritoria, imò & Finalizativa.* Quis verò nostrûm Christi justitiam *formaliter* nostram esse dixit?

Digitized by Google

Noſtra eſt, quia eam, ceu perfectum δικαίωμα, Chriſtus vitæ & paſſionum ſuarum obedientia ſic acquiſivit, ut non ſibi illam retinuerit, ſed nobis in Evangelio oblatam donaverit, cujus ſolius pretio Deo Patri oblato peccata nobis remittantur, nóſque juſti, perinde ac ſi ipſi legi ſatisfeciſſemus, cenſeamur. Unde in ipſo factos nos eſſe *δικαιοσύνην Θεοῦ juſtitiam Dei*, 2. Cor V. 21. ejus obedientia nos, ut *χαρίσματι* ſeu *δωρήματι dono* juſtificari. Rom. V 16. 18 & ipſe per paſſiones conſummatus, factus eſſe cauſa obedientibus ſibi ſalutis æternæ, Hebr. V. 8. 9. denique per ejus redemptionem gratiâ nos juſtificari, Rom. III 24. dicitur. Neque potuit Chriſtus dici factus noſtra juſtitia, ratione obedientiæ & *δικαιώματος*, quin ipſius juſtitia noſtra ſit juſtitia: neque ejus juſtitia noſtra eſſe niſi per imputationem poteſt. Id quod Bellarminus ipſe, vi veritatis ſibi contradicere coactus, *lib. II. de juſtif. cap.* 10. agnoſcit his verbis: *Dicitur Chriſtus juſtitia noſtra, quoniam ſatisfecit Patri pro nobis, & eam ſatisfactionem ita nobis donat & communicat, cùm nos juſtificat, ut noſtra ſatisfactio & juſtitia dici poſſit. Hoc modo non eſſet abſurdum, ſi quis diceret, nobis imputari Chriſti juſtitiam & merita, cùm nobis donentur ac applicentur, ac ſi nos ipſi Deo ſatisfeciſſemus.* Quibus verbis totam, de qua diſputamus, cauſam ille nobis cedit. Neque aliud quid poſtulamus. Magnus interim ſtupor eſt, imputationem juſtitiæ Chriſti agnoſcere, & pertinaciter negare, nos imputata ea juſtitia juſtos eſſe, ſeu juſtificari. Si enim juſtitia Chriſti eſt ſatisfactoria, ſi nobis applicatur & donatur, ut noſtra ſatisfactio & juſtitia dici poſſit, cur per eam non ſumus juſti, non juſtificamur? Termino *formaliter*, quem noſtrum non facimus, hærere, ſophiſticum nimis eſt. hoc inprimis in argumento, ubi cauſa formalis à meritoria diſtingui non poteſt, quia in juſtificatione cauſa *formalis* nihil aliud eſt, quàm illius, cujus intuitu & merito Deus à damnatione nos liberat, & æternam vitam adjudicat donatio. quam ipſam Chriſtus, etiam quâ *meritoria* cauſa, præſtat. Quo porro ſenſu Chriſtum ſapientiæ, ſanctificationis, juſtitiæ cauſam *phyſicè* effectivam, & *Finalizativam* (ignoſcite ô aures teretes & caſtæ horrorem termini repetentis!) dixeris, libens neſcio, nec moror multùm. Jam olim Auguſtinus *Sophiſticam artem eſſe Caci cavernæ perſimilem* dixit. Id Tibi bellè quadrat, non tantùm peregrinis & monſtroſis dogmatibus, velut alienis divitiis glorianti, ſed monſtroſos etiam & horridos terminos in deliciis maximis habenti, ut ſubinde non tam voces hominum, quàm obſcuros mugitus ex tenebroſis ſpeluncis tuis edere videare. Denique nec Sapientiam, nec juſtitiam Chriſti *formaliter* noſtram eſſe dicimus: ſed Chriſtum *nobis factum eſſe Sapientiam & juſtitiam*, cum Apoſtolo ſtatuimus. Et generalis quidem modus, quo talis nobis factus eſt, idem reſpectu omnium attributorum illorum eſt. Factus eſt nobis Sapientia, juſtitia &c. *effectivè, meritoriè*, uti tu loqueris, hoc eſt promeruit nobis iſthæc, & præſtat, repræſentat juxta promiſſionem Dei. Sed variat ſpecialis modus, etiam juxta vos. Quippe vobis *Sapientia, Sanctitas, Juſtitia* virtutes ſunt: *Redemptio* non eſt virtus. Illas dicitis eſſe in homine: hanc in homine eſſe negatis. Scitè Bernhardus *Serm.* 22. in Cant. *Chriſtus*, inquit, *factus eſt nobis Sapientia in prædicatione, juſtitia in abſolutione peccatorum.* Factus igitur nobis eſt *σοφία Sapientia*, quia meruit, ut ipſum cognoſcendo, verbum ejus audiendo, retinendo ſimus Sapientes, cognoſcendo, quis ſit Pater & Filius, quæ vera θεώσις, quæ θεοπρέπεια, quæ Dei in nobis imago quod Dei ſit nomen à nobis celebrandum, qui Dei erga nos amor: *Δικαιοσύνη juſtitia*, quia meruit, ut ſimus juſtitia in ipſo, & juſtitia ſeu obedientia ejus nobis imputata juſtificemur: *Ἁγιασμὸς, ſanctificatio*, quia meruit nobis Spiritum fidei, ut in ipſo ſimus, & in ipſo juſti ſimus: *Ἀπολύτρωσις redemptio*, quia nos, ceu alienos, captivos, ſervos, hoſtes, odioſos, mortuos, ſibi oblato pretio emit proprios, ut nos, tanquam ſibi datos & à ſe

emtos,

Digitized by Google

emtos, poſtulet jam ſibi tradendos, quò in nobis per Spiritum ſuum vivat, ac in æternum regnet.

ARG. VII. Parùm etiam ſibi conſtat Synodus, quæ juſtificationis duas ponit partes, remiſſionem peccatorum & renovationem mentis. Hæc enim cùm realiter ſint diſtincta, & diverſiſſimis formis eſſentialibus conſtituantur, eandem juſtificationem ingredi haud poſſunt. Andradius equidem κρησφυγέτῳ elabi conatur, aſſerens, Patres Tridentinos per remiſſionem peccatorum non intellexiſſe non imputationem peccati jam admiſſi, ſeu ablationem reatus peccati, ſed *ipſiſſimam charitatem infuſam, quæ ſua potentia mortificet & expungat peccatum.* Sic nempe remiſſio peccatorum mira fraude confunditur cum quotidiana renovatione & ſanctificatione interioris hominis.

Resp. Reding: *Synodus hoc unum definivit, quòd peccatorum remiſſio non fiat per ſolam juſtitiæ imputationem, ſed interiorem etiam hominis renovationem importet. An verò interior illa renovatio per infuſionem gratiæ & donorum ſe ad remiſſionem peccatorum habeat per modum diſtinctæ mutationis tantùm concomitanter, an potiùs formaliter per modum unius cum iſta realiter identificatæ mutationis, de eo, ceu Scholaſtica ſubtilitate, nihil definivit. Nobis tamen Andradii ſententia, quòd peccatorum remiſſio formalis ſit formaliter ipſamet gratiæ infuſio, ſubjectivè in anima peccatrice recepta, potior videtur. Quamvis enim cauſalis peccatorum remiſſio dicat mutationem virtualem, non ſubjectivam, ſed effectivam, ab infuſione gratiæ realiter diſtinctam: abſolutè tamen dicendum eſt, quòd remiſſio culpæ & juſtificatio non ſit duplex mutatio, phyſica ſcilicet ac ſubjectiva.* Ib. pag. 453. 454. Reſp. Satis oſcitanter Synodum inſpexiſti. Nam *cap.* 7. illa non remiſſionem peccatorum in interiore hominis renovatione conſiſtere; ſed *juſtificationem non ſolùm eſſe peccatorum remiſſionem, ſed & ſanctificationem ac renovationem interioris hominis per voluntariam gratiæ & donorum ſuſceptionem eſſe*, definivit. Et paulò inferiùs, *in juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipere hominem per Jeſum Chriſtum*, ſtatuit. En remiſſionem ſanctificationi & interiori renovationi opponit, atque in utraque, ceu partibus oppoſitis, juſtificationem conſtituit. Hæc verò realiter eſſe diſtincta, & diverſis formis eſſentialibus conſtitui, adeóque eandem juſtificationis eſſentiam ingredi non poſſe, argui meritò. Nam remiſſio peccatorum ab obligatione pœnæ luendæ liberat: renovatio verò interior eſt mutatio intrinſeca hominis, qua is mente & voluntate ſic mutatur, ut ex injuſto inhærenter fiat juſtus, & ad imaginem Dei magis magísque renovetur. Remiſſio peccatorum eſt actio moralis: infuſio juſtitiæ, ceu qualitatis, eſt actio phyſica, ſubjectum ſuum realiter mutans. Sic etiam veſter Franciſcus Sylvius à Bramo *in* 3. *Theſ. q.* 86. *art.* 2. *pag.* 422. *Concl.* 2. diſtinguit his verbis: *Reatus pœnæ propriè tollitur per remiſſionem peccati. Propriè enim peccatum remittere eſt peccatorem liberare ab obligatione pœnæ luendæ, ſiquidem is peccatum remittit, qui illud condonat; condonat autem, qui pœnam relaxat, & quam exigere poterat, non exigit. Scriptura vocat alio nomine, non imputare; ſcilicet ad pœnam, Pſal.* 32. *Rom.* 4. 2. *Cor.* 5. *Ac proinde peccati remiſſio non eſt propriè illius deletio vel abolitio, ſed pœnæ illi debitæ condonatio. Peccati autem deletio eſt maculæ abſterſio, quæ nunquam ſit abſque infu-*

fuſione gratiæ juſtificantis. Hæc ille rectiſſimè. Et poſſe remiſſionem peccati ab infuſione juſtitiæ ſua natura ſeparari,ſatis docet experientia communis hominum,qui remittunt debita & injurias illis,quibus neque divitias,neque juſtitiam infundunt. Atque fatetur id ipſe Bellarminus *cap.16.* his verbis : *Reatus pœnæ poſſit quidem tolli ſine infuſione juſtitiæ. Nihil enim impedire videtur , quò minùs poſſit Deus velle non ordinare ad pœnam, & condonare offenſam , & non habere pro inimico illum,cui donum habitualis juſtitiæ non concesserit.* Id igitur cum animadverterint Scholaſtici paulò emunctiorum narium , eò devenerunt,ut remiſſionem peccatorum planè peregrino ſenſu dicerent nihil aliud in re eſſe, quàm infuſionem juſtitiæ. Ita Andradius à me citatus,nec non Vasquez *1.2. p 2. diſp.204. cap.3.* ubi eandem ſententiam aliis quibuſdam Romanenſibus tribuit. Quibus calculum ſuum Redingius noſter addit. Alii verò diſcordes planè, remiſſionem peccatorum eſſe aliquid re ipſa diſtinctum ab infuſione gratiæ,contendunt. uti Bellarminus *de juſtificat. lib.II.2.* addens etiam , propterea Concilium Tridentinum in eodem loco ſeparatim utriuſque meminiſſe, *non quidem,ut ſignificaret,duplicem eſſe cauſam formalem juſtificationis,ſed ut indicaret,duos eſſe terminos ejus motus,qui dicitur juſtificatio, ſive duos effectus ejuſdem cauſæ.* Quæ gloſſa quàm ſit conſentanea verbis Concilii,judicet æquus lector. Si enim renovatio noſtri per Spiritum S. eſt unica formalis cauſa juſtificationis, quemadmodum Concilium diſertiſſimè loquitur,quomodo juſtificatio noſtra,formaliter & eſſentialiter proculdubio,ab eodem Concilio dicitur eſſe *non ſolùm peccatorum remiſſio,ſed etiam renovatio interior hominis?* Atque etiam à Bellarmino aliisque remiſſio peccatorum docetur eſſe renovationis noſtræ,quæ cauſa formalis juſtificationis ſit , effectus? In eandem cum Bellarmino ſententiam diſputat Suarez *de grat. Div. Lib. VII. de ſanctificat. hom. cap.11. n.24.* ubi,*Concedo,* inquit, *intervenire in juſtificatione impii duos effectus gratiæ quaſi partiales,unum poſitivum, & alium privativum,ſeu excluſivum peccati &c.* Et num.25 *Neque hinc ſequitur , dari plures cauſas formales juſtificationis , quia formalis cauſa non eſt niſi poſitiva forma. Privatio enim formæ contrariæ potiùs eſt effectus ſecundarius ejuſdem cauſæ formalis. Quòd ſi quis de nomine contendat,vocando privationem frigoris formam conſtituentem lignum in non eſſe frigidum ; eodem modo loqui poteſt de carentia peccati ; & tunc reſpondebit facilè , Concilium fuiſſe locutum de forma poſitiva , & de illa dixiſſe , eſſe unicum.* Hæc afferre volui,ut appareat , in quas anguſtias & contradictiones, non circa Scholaſticam ſubtilitatem,ſed circa ipſius juſtificationis dogmatis graviſſimi, eſſentiam, ambigua Concilii determinatio Scholæ Pontificiæ anteſignanos conjecerit. Unum addo, Redingium cum Andradio remiſſionem peccatorum cum renovatione interiore, præter & contra tum Scripturam, tum rationem, tum ipſius etiam Concilii Tridentini mentem , turpiter confundentem , communi inſuper utriuſque contradicentium partis errore abripi,quaſi ſcilicet remiſſio peccatorum ipſa deletio & abolitio peccatorum eſſet, & *mutationem virtualem,* non *ſubjectivam* quidem, ſed *effectivam* notaret. quod ipſum Fr. Sylvium refellentem ſupra vidimus. Etenim remiſſionem peccatorum in non imputatione eorundem, & contraria juſtitiæ imputatione conſiſtere,clariſſimè Scripturæ Pſal.XXXII.1 2. Rom.IV.6--9. docent,ubi unam eandémque rem diverſis phraſibus idem ſignificantibus,nempe *remiſſionis peccatorum,tectionis peccatorum, & non imputationis peccatorum,*explicant. Nulla harum peccati, quoad maculam , deletionem notat. imò peccati exiſtentiam ſupponunt omnes. *Remiſſio* enim *peccatorum* tum quoad nomen communis eſt, ei,quam nos à Deo obtinemus, & ei,quam alii aliis concedimus,Matth VI.14.15 XVIII.35. (homines autem alii aliis peccata remit-

tunt,

Digitized by Google

tunt, non illa auferendo, ſed non imputando) tum à Chriſto Matth. VI. 12. declaratur ſimilitudine debitorum inter homines contractorum. Debita autem remitti conſtat non aliquid operando in debitore; ſed non imputando ei æs noſtrum, ut ne luat quod debuit. Par ratio eſt phraſeos ἐπικαλύπτεσθαι ἁμαρτίας *tegere peccata*. Nemo enim tegit id, quod delet, & non eſt ampliùs, ſed quod eſt: Deus autem peccata tegit metaphoricè, eo modo, quo & peccatorum oblivifci dicitur, quia ſic vindictam ſuam cohibet, & fidelibus ac reſipiſcentibus parcit, ac ſi peccatorum præteritorum oblivio eum cepiſſet, & peccatum præſens nullum videret. Denique diſertiſſima phraſis eſt, μὴ λογίζεσθαι ἁμαρτίαν *non imputare peccatum*. quæ remiſſioni æquipollet. Quæ ita delentur, ut non inſint ampliùs, ea non imputari nemo dixerit. Sicut quæ imputantur, non inſunt. Chriſto enim peccata noſtra imputata nunquam inſuerunt. Taceo, nullam fore peccatorum hac in vita remiſſionem, ſi remiſſio eſt deletio, adeóque nonniſi peccatorum non hærentium. Nemo enim Mortalium eſt, cui peccata non hæreant, tum quia omnes concupiſcentiam, veri nominis peccatum, habent ſibi hærentem, tum quia ſi dixerimus, nos peccatum non habere, & nobis, & Deo imponimus, 1. Joh. I. 8. tum denique, quia S. Paulus, cui certè peccata remiſſa fuerunt, prolixè & manifeſtè docet, in ſe regenito & juſtificato etiam peccatum habitaſſe. Rom. VII 4. ſ.

ARG. VIII. Sed & hoc planè eſt ἀσύνετον, quòd cauſam meritoriam juſtificationis, ab ejusdem cauſa formali Synodus diſtinxit, ne videlicet videatur meritum Chriſti de ponte dejicere. Etenim ſi Chriſtus nos expiat à peccatis, non juſtitiæ noſtræ habitus id facit. Nec poteſt meritum juſtitiæ Chriſti efficere, ut opera noſtra vim habeant λυτρώματος & ἱλασμοῦ, quam ſuâ naturâ non habent. Primus Bonaventura in 3. ſenten. Diſtinct. 19. quæſt. 1. ita diſtinxit. Neque defuerunt in ipſo Concilio Theologi, qui ſtatuerunt, *gratiæ habitualis Patres diſertis verbis haud meminiſſe, ac multò minùs Scripturam*, apud S. Polanum lib. II. p. 175. Cúmque Soto contenderet, in locis Pauli, in quibus occurrit verbum juſtificationis, ſemper illud intelligendum eſſe de juſtificatione effectiva: Marinarus ei oppoſuit, Paulum hoc verbo uſum eſſe in ſenſu *declarativo* potiùs, quàm *effectivo*, ea ratione, *quòd manifeſta verba textus id evincant, in quibus lis judicialis inſtituatur, ut cùm ait: Neminem poſſe accuſare aut condemnare electos, cùm ipſos Deus juſtificat.*

Resp. Reding: 1. *Si verbum juſtificationis Soto in ſenſu effectivo, Marinarus in declarativo intellexit, an icirco formalem juſtificationis cauſam rejecerunt? Juſtificatio certè declarativa non inanis, ſed efficax eſt, adeóque quod declarat, efficit.* 2. *Neque ſi Chriſtus nos expiat à peccatis, icirco juſtitiæ infuſæ habitus non idem efficit. Ille efficit meritoriè, hic formaliter.* 3. *Imò S. Patres, Irenæus, Cyprianus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Hieronymus, Auguſtinus, juſtificari nos propter infuſam gratiam juſtitiæ, paſſim aſſeverant.* Ib. pag. 454. Reſp. 1. Non icirco illi formalem cauſam juſtificationis rejecerunt. Quomodo enim ea ſine formali cauſa eſſe poteſt, cùm forma unicuique rei det eſſe? Cæterùm hoc ſequitur, diverſam juſtificationis formam eos ſtatuiſſe. Nam ſi juſtificatio in ſenſu *declarativo*

clarativo accipitur,fiet ea declarando hominem juſtum non à re aliqua, quæ ei inhæret, ſed à merito Chriſti, cujus vi a peccato & pœna ejus abſolvitur. Planè ſicut oppoſita juſtificationi condemnatio,in ſenſu utique declarativo,non effectivo accepta,non utique fit efficiendo aliquid, quod homini inhæreat, ſed declarando, quòd peccator ſit reus debendi pœnam. Penitus igitur contraria declarativæ & effectivæ juſtificationis forma eſt. Eſt equidem & declarativa efficax, ſed non efficiendo formam inhærentem,cujus virtute juſtificetur homo: ſed declarando ſententiam ejus,qui juſtificat. 2. Egregiè verò Chriſti, Salvatoris noſtri meritiſſimi,gloriæ conſulis. *Ille*,inquis,*meritoriè: habitus infuſus juſtitiæ formaliter peccata expiat.* Utri plus tribuis, ei, qui *meruit*, ut habitus juſtitiæ inhærentis juſtificet: an ei, quod *formæ* inſtar, adcóque per eſſentiam ſuam juſtificat, adeóque vel habitus,vel opus illud eſt,cujus reſpectu Deus peccatorem juſtificat, hoc eſt, à peccato & pœna abſolvit? Sic ſcilicet fallacibus terminis Deo hominibúſque illudendum fuerat, ne à juſtificatione hominis excludi Chriſtus videretur. Atqui Chriſtus ejúſque juſtitia, per fidem nobis imputata, ſic eſt cauſa meritoria juris illius,quo peccatorum remiſſionem, vitam & ſalutem in Dei judicio petimus obtinemúſque, ut extra eam nulla cauſa alia obtineat: & ipſa meriti,obedientiæ & juſtitiæ ejus imputatio,eíque cohærens noſtra abſolutio,peccatorúmque remiſſio, juſtificàtionis cauſa *formalis*, adcóque eſſentia unica ſit. Impia igitur & blaſphema ſunt effata veſtra,cùm Chriſtum juſtificationis cauſam tantùm *externam, exemplarem, efficientem,meritoriam,conditionem cauſæ formalis* appellatis,innuentes ſcilicet, Chriſtum extra nos commeruiſſe, ut ſine communione Chriſti, ſeu donatione & imputatione juſtitiæ ejus, per nos & propter nos,ſeu juſtitiam noſtram nobis inhærentem coram tribunali Dei non condemnemur,ſed juſtificemur, à peccatis & pœnis abſolvamur,deniqueJjus ad vitam adipiſcamur. Hæc ſcilicet Judæorum infidelium impietas fuit, qui, S. Paulo Rom. X. 3. teſte,ignorantes juſtitiam Dei, & propriam juſtitiam conſtituere quærentes,juſtitiæ Dei ſubditi non fuerunt. 3. Fruſtra tandem ejuſdem impietatis, earundem blaſphemiarum reos S. Patres peragere conaris. Quis eorum anathemati ſubjecit eum, qui juſtitia Chriſti imputata juſtificari hominem aſſeruerit? Quis per & propter juſtitiam propriam & inhærentem, ceu *formalem cauſam* (in quo termino proram & puppim cauſæ veſtræ collocare ſoletis) nos juſtificari: & Chriſtum id unum meruiſſe, ut ſic juſtificemur, docuit? Nil tale loca à te allegata ſonant; quæ vel de juſtificatione non agunt,ſed de regeneratione,uti diſertis verbis Chryſoſtomus: vel de impreſſa juſtitia & immortalitate, ſed à Chriſto,ſecundo Adamo, non in juſtificatione,ſed reſtauratione hominis, uti Cyrillus: vel ſimpliciter de juſtitia, non de juſtificatione agunt: vel juſtificationis nomen pro ſanctificationis nomine, quadam vocis ἀκυρολογίᾳ, non rei errore,uſurpant. quo in cenſu Auguſtini verba à te citata ſunt. Genuina autem S. Patrum, quibus animi ſui ſenſum clarè proferunt, teſtimonia, ex quibus de ambiguis eorundem dictis proclive judicium eſt. tu vel inſcitia,vel ſtudio fallendi omittis. Ego pauca tibi repono. Ex Græcis Juſtinus Martyr *Epiſt. ad Diognetum, p. m.* 500. poſtquam dixit, Deum proprium filium tradidiſſe pretium redemptionis pro nobis,ſanctum pro exlegibus, &c. ſubjicit: *Τί γὰρ ἄλλο τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἠδυνήθη καλύψαι, ἢ ἐκείνου δικαιοσύνη; ἐν τίνι δικαιωθῆναι δυνατὸν τοὺς ἀνόμους ἡμᾶς καὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἐν μόνῳ υἱῷ τοῦ Θεοῦ; ὢ τῆς γλυκείας ἀνταλλαγῆς, ὢ τῆς ἀνεξιχνιάστου δημιουργίας, ὢ τῶν ἀπροσδοκήτων εὐεργεσιῶν, ἵνα ἀνομία μὲν πολλῶν ἐν δικαίῳ ἑνὶ κρυβῇ, δικαιοσύνη δὲ ἑνὸς πολλοὺς ἀνόμους δικαιώσῃ. Quid enim aliud peccata noſtra tegere potuit,quàm ejus juſtitia? In quo alio nos iniqui & impii pro juſtis haberi poſſumus,quàm in ſolo Dei Filio? O dulcem permutationem! O*

imperve-

Digitized by Google

imperveſtigabile artificium! O beneficia expectationem omnem ſuperantia! Ut iniquitas multorum in juſto uno abſcondatur, juſtitia autem unius faciat, ut multos injuſtos juſtificet! Athanaſius *Oper. Tom. II. p. m. 324. adverſus eos, qui damno afficiunt genus noſtrum, &c.* aſſerit, τὴν πλήρωσιν τοῦ νόμου, τὴν διὰ τῆς ἀπαρχῆς γενομένην, ὅλῳ λογίζεσθαι τῷ φυράματι, *impletionem legis, quæ à primitiis* (Chriſto) *facta eſt, toti imputari maſſæ,* omnibus iis, qui ad Chriſtum pertinent. Chryſoſtomus *homil. 11. in 2 Cor. 5.* ſic operum, ſeu infuſi habitus juſtitiam à Dei juſtitia diſtinguit, ut huic, non illi juſtificationem acceptam referat. Ex Latinis S. Auguſtinus *Tom. VII. l. 1. ad Valer. Com. de nupt. & concup. c. 32.* juſtificationem conſiſtere in tectione, remiſſione & non imputatione peccatorum, ſic aſtruit: *Nulla ergo, inquit, condemnatio eſt nunc in his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, etiam nunc, inquit, quando lex in membris repugnat legi mentis, & captivum aliquid tenet in corpore mortis hujus, nulla condemnatio eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu. Audi, quare? Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu, inquit, liberavit me à lege peccati & mortis. Liberavit, quomodo? quia ejus reatum peccatorum omnium remiſſione diſſolvit, ut quamvis adhuc maneat, & de die in diem magis magiſque minuatur, in peccatum tamen non imputetur.* Alibi *Tom. VIII. in Pſal. 31. col. 193. c.* ſic ex mente noſtra diſſerit: *Quia totum gratiæ ejus imputatur, non meritis noſtris, beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: non in quibus non ſunt inventa peccata, ſed quorum tecta ſunt peccata. cooperta ſunt peccata, tecta ſunt, abolita ſunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere: ſi noluit advertere, noluit animadvertere: ſi noluit animadvertere, noluit punire: noluit agnoſcere, maluit ignoſcere.* Neque aliter *de Civ. Dei lib. XIX. 27.* ubi paucis ſic ſententiam noſtram tuetur: *Ipſa noſtra juſtitia, quamvis vera ſit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta eſt in hac vita, ut potiùs peccatorum remiſſione conſtet, quàm perfectione virtutum.* Denique *Tract. 3 in Joh. Omnes, inquit qui ex Adam cum peccato, peccatores: Omnes, qui per Chriſtum juſtificati, juſti, non in ſe, ſed in illo. Nam in ſe ſi interroges, Adam ſunt: ſi in illo interroges, Chriſti ſunt.* Hieronymus *lib. 1. contra Pelag: Tunc ergo,* inquit: *juſti ſumus, quando nos peccatores fatemur, & juſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſtat miſericordia.* Ex Bernhardo, qui hic totus noſtratum partium eſt, plura exſculpere poſſem. Pauca, eáque efficaciſſima, ex *Serm. 61. in Cantic.* afferam, ubi ſic ille: *Nempe factus mihi es, Chriſte, juſtitia à Deo. Numquid mihi verendum, ne una ambobus ſufficiat? Non eſt pallium breve, quod non poſſit operire duos. Et te pariter, & me operiet longa & æterna illa juſtitia. Juſtitia tua juſtitia in æternum. Quid longius æternitate?* Nec non ex *Serm. ad mil. Templi cap. 1.* ubi totus noſter, ſic ſcribit: *Qui peccati meritum tulit, ſuam nobis donando juſtitiam, ipſe mortis debitum ſolvit, & reddidit vitam. Sic namque mortua morte revertitur vita; quoniam dum ablato peccato redit juſtitia. Porro mors in Chriſti morte fugatur; & Chriſti juſtitia nobis imputatur.* Item: *Unus peccavit, & omnes tenentur rei: & unius innocentia ſoli reputabitur uni? Unius peccatum omnibus operatum eſt mortem, & unius juſtitia uni vitam reſtituat? Itáne plus potuit Adam in malo, quàm Chriſtus in bono? Adæ peccatum imputabitur mihi, & Chriſti juſtitia non pertinebit ad me?* Jam, Redingi, & Patres adhuc crepa, juſtitiam Chriſti imputatam dicteriis tuis configge, propriam de paxillo tuo ſuſpende! Quid verò, ſi velut per ſaturam, non paucos etiam Scholæ veſtræ primicerios Tibi oggeſſero imputationem juſtitiæ Chriſti ἄχρι ἐσχάτης γε θυμοῦ propugnantes? Ac Cardinalem Contarenum ὁμόψηφον ſupra produximus. Addo alios, quibus Jeſuitarum maximus, Gabriel Vaſquez, hanc ipſam ſententiam,

riam, quo jure, quáve injuria, haud dico, impingere conatus eſt. Sic autem ille *in* 1.2. *Tom. 2. Diſp. 221. cap. 2. Hoc ipſum,* inquit, *genus imputationis & applicationis meritorum Chriſti,* (quale ſcilicet Calvinum aſſeruiſſe ſcribit) *quo peccata dicuntur tegi per imputationem, & juſtos nos reputari, fateri debent, quotquot ex Catholicis aſſerunt, juſtitiam nobis inhærentem nos reddere gratos Deo, non ſuapte natura, ſed ex Dei favore & acceptatione, nempe quia Deus nos vult diligere habentes talem formam, quos poſſet non diligere. Hanc autem applicationem & imputationem ipſos fateri neceſſum eſt, ad hoc, ut nos juſti reddamur. Similiter & illi, qui cenſent, qualitatem nobis inhærentem eſſe quidem veram juſtitiam & ſanctitatem, tamen ſuapte natura non purgare nos à peccatis, niſi accedente nova voluntate & favore Dei, condonantis peccatum, velint nolint, coguntur concedere novam imputationem meritorum Chriſti.* Quinam verò Catholici illi fuerunt? Ipſemet *Diſp. 206. cap. 1.* Scotum, Durandum, Occamum, Gabrielem Biel, Gregorium Ariminenſem, Petrum de Alliaco, nominat, apertè docentes, *Deum ſine aliqua infuſione doni & mutatione hominis intrinſeca abſtergere & abluere poſſe maculam peccati,* vel per ſolam condonationem peccati, ſine acceptatione hominis, quæ ipſum reddat juſtum: vel altero modo, homine juſtificato per extrinſecam ſolùm acceptationem & benevolentiam Dei erga ipſum, ſine ulla ipſius mutatione. quam eorum ſententiam adverſus Thomam & aſſeclas Johannes Rada, Epiſcopus Pactenſis, in ſuis Scotum inter & Thomam Controverſiis *parte 2. Controv. 19.* tuetur. Quin & Vaſquez plurimos Scholaſticos in hanc ſententiam conſpiraſſe ſcribit, *quòd nihil nobis inſit ſive quoad habitum, ſive quoad operationem, quod ſuapte natura poſſet juſtificare animam, & à peccatis eam purgare; ſed ad hoc neceſſariò indigeat favore Dei, acceptantis illud, & condonantis aut remittentis nobis peccatum.* pro qua ſententia Ricardum, Scotum, Gabrielem, Durandum, Occamum & Medinam nominat. Deinde contendit in eadem ſententia eſſe debere Theologos, qui docent, gratiam expelli à peccato, vel contra peccatum expelli à gratia *ſolùm demeritoriè, non autem phyſicè ex natura rei.* quales fuerunt Bonaventura, Richardus, Scotus, Durandus, Paludanus, Conradus & Gabriel. Tertiò alios doctores, qui de juſtitia noſtra loquuntur tanquam de moneta, comparantes metallo, ex quo illa conflatur, juſtitiam inhærentem; rationem autem gratiæ aut juſtitiæ, per quam Deo placemus, comparantes valori, quem Rex lege & voluntate ſua monetæ imponit. quam fuiſſe ſententiam Occami, Gregorii, Gabrielis & Petri Alliacenſis fatetur. Concludit ex ſententia *Nominalium, ſicut ex ſententia hæreticorum ſequi, totam juſtificationem noſtram in favorem, ut in formalem cauſam, revocari.* Habes ſic, Redingi, in Eccleſiæ tuæ gremio veteres Theologos, neque poſtremos eos, qui talia principia ponunt, quæ, judice quidem Vaſquezio (non in rei veritate æquè omnia cùm Dei donatio, favor & acceptatio, valorem juſtitiæ inhærenti tantum fœnerari nequeat, ut per eam ceu *δικαίωμα* [illegible], ſeu cauſam vitæ juſtificari homo peccator poſſit) ad idem nobiſcum deducunt quique etiam eundem Vaſquezium compulerunt, ut *Tom. 2. in* 1. 2. *Diſp. 104. cap. 2.* in hæc verba erumperet: *Non poſſum non mirari, antiquos Scholaſticos, quos hactenus memoravi, quid de juſtitia nobis inhærente ita abjectè ſenſerint, ut veram ei adſcribere formidaverint rationem, juſtitiæ & ſanctitatis inhærentis, quæ ſuapte natura Deo neceſſariò placeat. Recentiores verò Theologos multò magis miratus ſum, qui poſt præclaram Concilii Tridentini definitionem, tam* (NB) *exilem juſtitiam inhærentem juſtis conceſſerint, ut ex ſe non habeat virtutem tergendi maculas peccatorum, nec eas purgare valeat, niſi favore & condonatione Dei relaxentur.* Inter recentiores fuerunt Colonienſes Theologi, authores antididagmatis,

dogmatis,contra reformationem Hermanni Archiepiſcopi,qui *tit.de juſtific.*fatentur ingenuè,*conſummatam Chriſti juſtitiam eſſe eam,quâ primò juſtificamur,non quomodo extra nos in ipſo eſt, ſed ſicut & quando eadem nobis imputatur ad juſtitiam, dum tamen fide apprehenditur. Hæc ipſa*,inquiunt,*imputata juſtitia Chriſti præcipua eſt & ſumma juſtificationis noſtræ cauſa.* Addit Vega *de juſtificat.lib.XV.*II. 21. authores libelli in Comitiis Ratisbonenſibus à Cæſare Proteſtantibus oblati, aſſerere, *tantùm per imputationem juſtitiæ Chriſti, quatenus fides noſtra apprehendit miſericordiam atque juſtitiam Chriſti, propter meritum Chriſti nos coram Deo juſtificari.* Eidem ſententiæ Albertus Pighius *de fide & juſtificat. Controv.2. pag.*49. ſuffragatur, aſſerens, *juſtificare nos Deum bonitate ſua gratuita, qua nos in Chriſto complectitur, dum eidem inſertos innocentia & juſtitia Chriſti nos induit, quæ una ut vera & perfecta eſt, quæ Dei conſpectum ſuſtinere poſſit, ita una ſiſti debeat tribunali Divini judicii,& velut cauſæ noſtræ interceſſor eidem repræſentari, &c.* Tanta vis veritatis eſt, ut vel invitos quandoque cogat Deo mentiri. Tanta Papatus confuſio, ut in graviſſimis dogmatibus principes doctores diſſentiant, inter ſe de juſtitia litigent, & ex eodem ore calidum frigidúmque flare comperiantur.

ARG. IX. Denique cauſas rejectæ in Synodo imputationis juſtitiæ Chriſti Soto in ipſo Concilio inſinuavit. Ait enim, ſi ſtatuatur, juſtitiam Chriſti nobis imputari, ſequentia inde conſectaria elici poſſe: *non requiri inhærentem juſtitiam; Sacramenta gratiam non conferre; unâ cum culpa pœnam omnem aboleri, ut humanis ſatisfactionibus haud ampliùs opus ſit; fideles omnes in gloria & juſtitia eſſe æquales.* Sentiebant Patres, admiſſis hiſce axiomatibus totius Papatus vim reſolvi.

Resp. Reding: *Eſto, ita arguerit Soto. Conſectaria tamen iſthæc ſolido Scripturæ fundamento nituntur. uti ex dictis & dicendis conſtat. In quibus refutandis dum ne apicem affers,ſed adverſus Papatum illuſorem tantùm agis,unum hoc tibi repono: Si illuſor fueris,portabis malum.* Ib.pag.455. Reſp. Cùm ipſemet Soti conſectaria probes, quid adhuc me redarguis,& pipulo differs? Illuſorem illuſoris Papatus(non infirmorum,qui in eo ſunt, & profunditates Sathanæ ignorant,) agere equidem jure potuiſſem, non animi libidine ulla, ſed lege Divina incitante, quæ Apocal.XVIII.7. Babyloni *δῶναι βασανισμὸν ϗ πένθος cruciatum & luctum dare* juſſit. Sic enim etiam Deus ipſe ללצים [illegible] יליץ *illuſoribus illudit*, Proverb.III.34. & quondam Elias ויהתל *ἐμυκτήρισεν illuſit* Sacerdotibus Baal, 1.Reg.XVIII.27. Apices porro mei, quos mihi veritas acuit, vereor ne nimiùm hactenus te pupugerint. Et pungent porro,quicquid diſſimulaveris, & frontem mentémque obduraveris.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. ***Paulus docet Rom.V.5. in juſtificatione charitatem per Spiritum S. nobis donatam in cordibus noſtris diffundi. Ergo juſtificamur per charitatem inhærentem.***

Reſp. 1. Paulus eo loco non agit de juſtificationis negotio, ſed potiùs ex juſtificatione, tanquam cauſa, effectum deducit tolerantiam in adverſis, ſpem; eò quòd charitas in cordibus noſtris ſit diffuſa. 2. Neque charitatem

tatem intelligit hominis, ſed Dei, quam *activam* vocant. Etenim eam facit fundamentum noſtræ ſpei, cùm charitatis noſtræ habitus imperfectus ſpem noſtram ſuſtentare non poſſit. 3. Diffuſa dicitur in cordibus noſtris ratione ſenſus & effectuum.

EXCIP. REDING: 1. *Si S. Paulus ex juſtificatione tanquam cauſa, effectum, tolerantiam & ſpem, eò quòd charitas in cordibus diffuſa ſit, deducit, effectus ille juxta te & juſtificationi, & charitati in cordibus diffuſæ reſpondebit. Sic igitur juſtificatio fiet per charitatem, ceu cordi intrinſecam, utpote in id effuſam. 2. Activa Dei charitas effectu carere non poteſt. Inter effectus autem ejus utique etiam charitatis habitus eſt. qui ita in cordibus noſtris diffunditur, ut per eam Spiritus S. per formam creatam juſtificantem ſeſe nobis uniens, detur.* Ib. pag. 455. Reſp. 1. Pulchra argumentatio! Tolerantia in adverſis, & ſpes inde nata non pudefaciens, effectus eſt tum juſtificationis, tum charitatis Dei activæ, cujus ipſa juſtificatio effectus eſt. Ergo juſtificatio fit per charitatem paſſivam, ſeu inhærentem homini, ceu formam ſuam intrinſecam, in cor diffuſam. Sic amas φλυαρεῖν. Potiùs categoricè reſpondendum tibi fuerat, quam charitatem putes ab Apoſtolo nominari: & quomodo inhærens charitas ſolidæ ſpei eſſe fundamentum poſſit. 2. Activa Dei charitas effectu minimè ſanè caret. Nam, vel Pererio tuo *in cap. 5. Rom. diſp. 2.* judice, multa & varia dona Spiritus S. in nos contulit; atque inter ea etiam charitatis habitum, ſed non ut juſtitiam, qua juſtificamur, vel cauſam vitæ, ſed ut ſanctificationis & internæ renovationis formam. Quàm denique dilutum eſt, quòd dicis, per charitatis habitum diffuſum in corde dari Spiritum S. ſe per formam creatam unientem! Atqui S. Paulus charitatem, puta Dei, per Spiritum S. ſeu ejus, tanquam donorum multiplicium jugis ſcaturiginis donatione, diffuſam eſſe in cordibus: non per charitatem hominis datum eſſe ſpiritum, dicit. Quaſi non ipſe Spiritus Dei charitatis noſtræ author formatórque: ſed charitas dationis Spiritus cauſa exiſtat. Næ quidvis ſine ſale & judicio effutis.

OBIECT. II. *Idem Paulus Rom. III. 24. docet, juſtificari nos gratis ejus gratia. Ubi gratia non favorem Dei, ſed internum charitatis habitum denotat, quia vox* δωρεὰν *potiùs favorem Dei notat.* Reſp. 1. Imò favorem Dei notari, ſupra manifeſtum fecimus. 2. Sed & utrumque, tum δωρεὰν, tum χάρις notat favorem & benevolentiam. Et priùs quidem illud poſitum eſt, ne benevolentiam Dei putemus noſtris meritis inniti.

EXCIP. REDING: *At favori & benevolentiæ DEI gratis nos juſtificanti reſpondere effectum intrinſecè in nobis receptum, fusè ſupra demonſtravimus.* Ib. pag. 455. Reſp. Quid hoc ad rem? Reſpondet effectus, in juſtificatione imputatio juſtitiæ Chriſti & per eandem à peccatis abſolutio, ceu juſtificationis forma: in ſanctificatione habitus interni mentis & voluntatis, atque inter eos charitatis habitus, intrinſecè recepti, ceu forma ſanctificationis. Interim in loco citato gratiam notare favorem Dei, tacitè largiri videris. Gratias tibi.

OBIECT. III. *Paulus idem Rom. V. 19. ait, per Chriſti obedientiam juſtos conſtitui multos. Hoc non poteſt non pertinere ad infuſionem qualitatis, uti etiam liquet ex antitheſi*

Digitized by Google

titheſi Adami, cujus inobedientiâ conſtitui dicimur injuſti, hoc eſt, inhærenter, non imputativè. Reſp. 1. Sanè obedientia Chriſti etiam inhærenter juſtos conſtituit, nempe in dono ſanctificationis, non juſtificationis. 2. Nihil etiam obſtat, quò minùs *καθιστᾶναι conſtitui* referatur, non tam ad infuſionem qualitatis, quàm veritatem ac certitudinem juſtitiæ imputatæ. Quomodo etiam per Adami inobedientiam non tantùm *inhærenter*, ſed etiam *imputativè* injuſti conſtituimur.

Excip. Reding: 1. *Effectivam & formalem juſtificationis cauſam confundis. Sicut peccatum Adæ eſt cauſa quaſi effectiva, qua peccatores multi conſtituuntur, peccatum verò intrinſecum cujusque cauſa formalis, per quam inhærenter injuſti conſtituuntur: ſic obedientia Chriſti eſt cauſa meritoriè effectiva juſtificationis, qualitas verò Divinitus infuſa formalis. 2. Ipſe tu fateris, donum ſanctificationis eſſe juſto intrinſecum. Atqui hoc eſt ipſum juſtificationis donum, per quod formaliter fit remiſſio peccatorum. Sanctificatio quippe peccato privativè opponitur; adeóque peccati formaliter expulſiva & remiſſiva eſt, quia impoſſibile eſt, ut gratia ſanctificans ſimul componatur cum ſua privatione, ſeu peccato, quod privationem hanc, per Divinæ execrationis efficaciam induxit.* Ib. pag. 455. 456. Reſp. 1. Non ita amo confundere. Imò clarè diſtinguo, & ex primi ac ſecundi Adami collatione oſtendo, & per imputationem juſtitiæ Chriſti, ceu juſtificationis formam, nos juſtos conſtitui, ſeu juſtificari; & per infuſos habitus, ceu formam ſanctificationis, nos juſtos conſtitui inhærenter, ſeu ſanctificari: planè ſicut Adami primi peccatum & imputatum nobis eſt, & inhærentis ac hæreditariæ corruptionis cauſa extitit. Juſtitia porro Chriſti ſic eſt juſtificationis noſtræ cauſa *meritoriè effectiva*, (uti tu quidem loqueris) ut nulla alia juſtitia, ceu cauſa vitæ, per & propter quam in Dei judicio à peccatis abſolvamur, & pro juſtis, habentibus jus vitæ, reputemur, detur. Neque enim ſic juſtitia Chriſti nobis imputatur, ut ſit conditio duntaxat cauſæ formalis, ſeu juſtitiæ inhærentis, ut ea homo donari poſſit; vel cauſa extrinſeca, quæ juſtitiæ juſtificantis infuſionem mereatur. Non tantùm enim ſic nimis coarctatur beneficium imputationis juſtitiæ & meritorum Chriſti, ut non ſit cauſa vitæ ſeu juſtificationis, & abſolutionis in Dei judicio, ſed ſanctificationis & regenerationis duntaxat; vel planè etiam per communionem cum ipſo noſtra non fiat, ſed *extrinſeca* ſit & maneat: verùm etiam juſtitia homini inhærens, ceu cauſa appellationis juſti, & ſic juris hæredum vitæ, ſupra juſtitiam Chriſti ſacrilegè extollitur. Quid quòd S. Paulus in loco Rom. V. 19. ne quidem agit propriè & primò de infuſione juſtitiæ, ſed de conſtitutione juridica, condemnationi oppoſita, quæ fieri non poteſt, niſi per imputationem ſeu donationem juſtitiæ, quam is *χάρισμα, δώρημα, δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης, δικαίωμα, ὑπακοὴν τοῦ ἑνός, chariſma, donum juſtitiæ, opus juſtum juſtificans, obedientiam unius* vocat. quæ cùm aliena, non inhærens noſtra ſit, juſtos nos conſtituere niſi per imputationem nequit. Neque vox *καθιστᾶναι conſtitui* ad inhærentiam qualitatis, ſed ad veritatem ac certitudinem ſive qualitatis inhærentis, ſive relationis, referri poteſt. quomodo etiam Dominus creaturarum homo *conſtitutus* eſt non per inhærentiam, ſed per *θέσιν*. 2. Tu potiùs, horrendo & peſtifero errore, donum juſtificationis & ſanctificationis, quod pro uno eodémque habes, confundis. Differre autem eſſentialiter, paucis demonſtro. Etenim illius materia eſt juſtitia Chriſti per fidem imputata: hujus inhærens: Illius forma eſt imputatio juſtitiæ

alienæ; hujus renovatio imaginis Divinæ, ſeu inſtauratio juſtitiæ propriæ: illa fit in inſtanti, ſimul ſemélque, tum, cùm Chriſti juſtitia nobis imputatur, Chriſtúſque induitur; hæc fit ſucceſſione graduum, quia imago Dei per gradus renovatur & perficitur: illa eſt perfectum Dei donum, quia juſtitia Chriſti in ea imputata & perfectiſſima, & infiniti valoris eſt; hæc in hac vita imperfecta eſt: illa eſt æqualis omnium, quia juſtitia Chriſti, quæ infinita eſt, non uni magis datur quàm alteri, licet ejus ſenſus propter inæqualem fidei menſuram non idem ſit in omnibus; hæc eſt inæqualis: illa ordine naturæ, ceu cauſa, præit; hæc, ceu effectus, ſequitur: illa eſt relatio, abſolutio ſcilicet à culpa, & immunitas à reatu; hæc alteratio qualitativa, renovatio videlicet hominis ad imaginem Dei: illius denique ſubjectum recipiens eſt homo impius, inimicus Dei; hujus homo ab impietate abſolutus, juſtificatus. En plus quàm Babylonicam confuſionem tuam! Remiſſionem peccatorum non in abſoluta eorum, quoad maculam ſcilicet, abolitione, ſed in eorundem condonatione conſiſtere; adeóque non in ſanctificatione, ſed in juſtificatione peragi, ſupra demonſtravimus. Neque tu hic, alieno loco, contrarium probas. *Sanctificatio,* inquis, *peccato privativè opponitur. Ergo peccatum expellit.* Atqui non de ſanctificatione, ſed de remiſſione quærebatur. Cur ſic miſces? Remiſſio peccatum abolet quoad reatum: ſanctificatio idem illud paulatim privat & infringit quoad maculam & dominium. Non poſſunt igitur ſimul conſiſtere peccatum & ſanctificatio peccati privativa, perfecta ſcilicet, qualis non in hac vita locum habet, ſed in altera habitura eſt. In hac enim vita nec privatio peccati totalis, quoad maculam: nec ſanctificatio perfecta obtinet, quia *caro* (reſidua) *concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem, & hæc contrariantur invicem, ut non ea faciamus, quæ volumus,* Gal. V. 17.

OBIECT. IV. *Paulus Rom. VIII. 29. ait, juſtos eſſe conformes imagini Chriſti. Sicut igitur Chriſtus juſtus eſt inhærente verâ, non imputatâ juſtitiâ: ita etiam juſti. Unde ſequitur, Chriſti meritum & juſtitiam eſſe cauſam externam & exemplarem, non formalem noſtræ juſtificationis.* Reſp. 1. Fatemur, juſtos etiam inhærente juſtitiâ pro menſura Spiritus S. donari; ſed ea juſtificari ipſos negamus. Sequitur potiùs ex juſtificatione, ut effectus a cauſa, & individuo cum ea nexu cohæret. 2. Juſtificatio igitur eſt cauſa conformitatis cum imagine Chriſti, quoad inhærentem nimirum juſtitiam: non conformitas cum imagine Chriſti eſt juſtificationis forma. 3. Quoad perfectam & numeris omnibus conſummatam juſtitiam nequaquam conformari poſſumus cum Chriſti imagine, niſi ſimul ipſius nobis juſtitia imputetur. Inhærens enim juſtitia ob peccatum præcedens in Adamo commiſſum neutiquam juſtitiæ Chriſti perfectæ aſſimilari poteſt.

EXCIP. REDING: *1. Fateris tandem juſtitiam nobis inhærentem pro menſura Spiritus S. donatam. Et quomodo non formaliter juſtos illa conſtituit? adeóque juſtificat? 2. Juſtitia inhærens eſt effectus juſtificationis cauſalis. Formalis verò juſtificatio per juſtitiam inhærentem fit; quia ea, ceu peccati expiatio, fit per gratiam regenerantem. 3. Iſta porro inhærens juſtitia intrinſecam cum imagine Chriſti conformitatem impertit. Tum enim Chriſto aſſimilamur, cùm in filios Dei adoptamur. In filios autem adoptamur per novam genera-*

Digitized by Google

generationem, ſeu regenerationem, quæ eſt proceſſus in ſimilitudinem naturæ, quæ intrinſeca eſſe debet, cùm terminus formalis regenerationis ſit forma regenerato intrinſeca. 4. Chriſti gratia habitualis ſpectatur in genere vel Morali vel Phyſico. Priore ſenſu infinita eſt ſanctitatis, longè juſtitia noſtra ſuperior. Poſteriore cum noſtra eſt ejuſdem ſpeciei. Alias prædeſtinati non poſſent conformes imagini Filii DEI fieri. Ib. pag. 456. 457. Reſp. Nihil hi ψῆφοι tui proficiunt. Equidem 1. juſtitiam inhærentem formaliter juſtos conſtituere, in hac quidem vita imperfectè, in altera conſummatè, ultro fateor. At juſtificare peccatorem pernego. Non enim idem eſt juſtum fieri, & juſtificari. Illud etiam in ſanctificatione & renovatione fieri poteſt: hoc non item. 2. Quod effectus eſt juſtificationis cauſalis, vel cauſæ, quomodo ejusdem forma eſſe poteſt? Annon enim effectus quilibet natura poſterior eſt cauſa? Annon juſtificatio per formam ſuam juſtificatio eſt? Quomodo igitur juſtificatio per formam ſuam jam talis, demum juſtificationis formam, juſtitiam, uti pertendis, inhærentem producit? Annon ſic idem eſt cauſa ſui ipſius? Vide, quò Sophiſtice tua te abripiat! Peccati expiatio, ſeu quoad reatum abolitio, utique fit in juſtificatione, non verò in regeneratione ſtrictè ſic dicta, hoc eſt, interiore renovatione hominis. Juſtificatio enim eſt actus Dei judicialis: regeneratio, quâ fides, reſipiſcentia, ſanctitas interna, denique imago Dei homini reſtituitur, non item. 3. Inhærentem juſtitiam intrinſecam cum imagine Chriſti conformitatem importare, damus ultro; ſed per eam conformitatem, ut cauſam vitæ, & δικαίωμα, jus petendi vitam, nos juſtificari, negamus. Hoc, non illud tibi probandum fuerat. 4. Denique ſine imputatione juſtitiæ Chriſti in juſtificationis dono nos perfectè cum imagine ejuſdem conformari poſſe, cur non probas? Cur rationi à me allatæ non ſatisfacis? Nam juſtitiam, qua in hac vita imperfectè, in altera perfectè conformes reddimur imagini Chriſti, eſſe eandem quoad rem ſeu ſpeciem juſtitiam cum juſtitia Chriſti, non opus erat, ut vel aſſereres, vel comprobares.

OBIECT. V. *Ipſa vox juſtificandi arguit juſtificationem propter opera inhærentis juſtitiæ, quia ſignificat mutationem, ſeu motum ad juſtitiam, quæ tum perficitur, cùm ex injuſto aliquis fit juſtus inhærenter. Unde Grammaticis etiam juſtificare eſt juſtum facere, non declarare.* Reſp. De ſignificatu vocis juſtificandi minùs Latinæ judicandum eſt ex voce Græca δικαιοῦν, & Hebræa הצדיק, quæ utraque ſignificat judicium illud, quo quis propter δικαίωμα νόμου exhibitum declaratur juſtus, inſons & prœmio dignus. Unde ei opponitur κατακρίνειν, ἐγκαλεῖν, הרשיע & העקיש quæ voces non internam mutationem ex juſtitia ad injuſtitiam, ſed declarationem potiùs injuſti & judicio digni notant.

Excip. Rebinus 1. *Dei judicium, quo impius juſtificatur, ſic declarativum eſt, ut etiam ſit effectivum juſtitiæ, juſto per Divinæ dictionis efficaciam impreſſæ. Sicut enim condemnatio, ſeu declaratio hominis injuſti & judicio digni injuſtitiam intrinſecam ſupponit: ſic juſtificatio, ſeu judicium, quo homo declaratur juſtus, inhærentem juſtitiam pariter ſupponit. 2. Veræ ac realis mutationis, qualis in juſtificatione eſt, ea natura eſt, ut ejus terminus formalis ſit forma in ſubjecto recepta. quæ niſi inhærens juſtitia eſſe nequit.* Ib. pag. 457. 458. Reſp. 1. Neque ſic reſpondes argumento à vocibus הצדיק & δικαιοῦν petito. quæ actionem forenſem, non phyſicam mutationem ubique ſignificant. Dei

porro judicium ſic juſtum declarat propter ſolam Chriſti,non inhærentem noſtram juſtitiam, ut negem efficere juſtitiam juſtificantem. Fit enim intuitu, juſtitiæ juſtificantis, ceu unicæ cauſæ, qua motus judex peccata remittit, abſolvit, jus vitæ adjudicat. Inhærens verò juſtitia, ceu effectus juſtificantis, per Spiritum regenerantem donatur. Condemnationem peccatoris quod attinet, etſi illa ſupponit injuſtitiam inhærentem, tamen per ſe illam non efficit, ſed pœna dignam declarat. Juſtificatio verò peccatoris (alia enim ratio eſt juſtificationis hominis peccatoris, alia integri) ſupponit quidem juſtitiam, ſicut condemnatio injuſtitiam; ſed non, ſicut hæc, inhærentem. Diſpar planè hic ratio eſt. Peccator enim condemnandus habet inhærentem injuſtitiam. Impius verò juſtificandus inhærentem juſtitiam, quæ cauſa vitæ ſit, nullam habet. Alioquin ne quidem impius eſſet. Ita Chriſtus condemnatus in Dei judicio eſt. Condemnatio ejus in eo injuſtitiam, ſed non propiam vel inhærentem, verùm alienam & imputatam ſuppoſuit. In tanti momenti argumento, nimis rudem ubique te oſtendis. 2. Talis in juſtificatione mutatio eſt, qualis in condemnatione. Utrobique non phyſica qualitatum inhærentium, ſed moralis vel relativa ſtatus. qualis eſt mutatio hominis, qui per condonationem creditoris ex debitore fit non debitor, ſine ulla forma in ſubjecto recepta.

OBIECT VI. *Dici non poteſt, nos juſtitiâ Chriſti imputatâ formaliter eſſe juſtos, tum quia Scripturæ nuſpiam diſertè ſtatuunt, Chriſti juſtitiam nobis imputari: tum quia poſt remiſſionem peccatorum nulla peccata inhærent alienâ juſtitiâ contegenda: tum quia qualibet res à forma potiùs intrinſeca quàm externa denominari debet: tum denique quia alienâ juſtitiâ nobis imputatâ verè juſti haud ſumus, ſed potiùs hypocritæ & dealbata ſepulchra.* Reſp. 1. Imputatâ Chriſti juſtitiâ nos juſtificari ſupra aſtruximus. 2. Cùm fides ad juſtitiam, & juſtitia ſine operibus nobis imputari dicitur, perinde eſt ac ſi dicatur, juſtitiâ Chriſti imputatâ nos juſtificari, hoc eſt, credentes in Chriſtum propter juſtitiam Chriſti Vadis & Capitis noſtri in judicium non venire, adoptari in filios Dei & æternæ vitæ hæreditatem cernere, perinde ac ſi ipſi abſolutiſſimam juſtitiam impleviſſemus. Et in Scripturis legitur, quod plus eſt, nempe juſtitiam Chriſti nobis donari, Rom. V.15.16.17. Chriſtum eſſe factum nobis juſtitiam, 1. Cor. I.30. nos fieri in Chriſto juſtitiam, & ſanguine ejus aſpergi &c. Et quæ tandem adverſarios inceſſit religio, qui ſatisfactiones & labores ſanctorum & monachorum aliis volunt imputari: at committi putant in divinam juſtitiam, ſi Chriſti ſatisfactio nobis imputetur? 3. Remiſſo peccato quoad *reatum*, manet ejus macula, uti Paulus Rom. VII. ſuo exemplo comprobat; quæ tegitur juſtitiâ Chriſti, non ut non exiſtat, ſed ut non imputetur ad damnationem 4. Quid verò obſtet, quò minùs ab externa forma denominemur formaliter juſti, cùm ipſe Chriſtus ab externa forma denominatus fuerit formaliter peccatum, 2. Cor. V.21? Neque etiam quæritur, an formaliter & verè juſti ſimus, ſed noſtrane an aliena Chriſti juſtitia ſit δικαίωμα illud, quo juſtificamur

coram

coram tribunali Dei ? Ita qui æri alieno expungendo non ſufficit, haud iniquè patitur ſe alienâ ſponſoris ſolutione liberatum ſolutúmque denominari. 5. Chriſti juſtitia nobis imputata non fovet peccati regnum, ſed demolitur & infringit peccatum quoad ejus maculam, & regnum tollit quoad reatum. Nempe juſtitia Chriſti ſola quidem valet in Dei judicio. Attamen Spiritus vitæ Chriſti in nobis efficit eam juſtitiam, per quam excluditur omnis dolus, ponitur ſtudium placendi Deo & ambulandi, ſicut Chriſto dignum eſt.

Excip. Reding: 1. *Qualis ſequela eſt: Juſtificamur fide & ſine operibus: Ergo per imputatam Chriſti juſtitiam non meritoriè duntaxat, ſed formaliter juſti ſumus? Atqui ii ipſi effectus, quos juſtitiæ imputatæ tribuis, juſtitiam in ſubjecto receptam arguunt. Non venimus in judicium, quia remiſſa ſunt nobis peccata. At remiſſio non fit abſque forma intrinſeca. Adoptamur in filios vi regenerationis, per quam ſimilem juſtitiam intrinſecè recipimus. Jus obtinemus hæreditatis cœleſtis vi gratiæ ſanctificantis, quæ intrinſecam cum gloriæ cœleſtis hæreditate condignitatem habet. Quomodo verò Chriſtus nobis ſit juſtitia, ſupra vidimus. 2. Si peccati macula poſt peccati remiſſionem adhuc exiſtit, objectum erit odii Divini execrantis, adeóque imputationis ad damnationem. 3. Eſſe juſtum coram Deo, eſt denominatio formalis realiter afficiens ſubjectum, ita ut juſtus non ratione duntaxat, ſed à parte rei formalis denominationis ſubjectum ſit. Non igitur denominatio juſti extrinſeca duntaxat denominatio eſſe poteſt. 4. Si macula execrationis Divinæ objectum in eo, cui juſtitia Chriſti imputatur, exiſtit, quomodo non in eodem peccati Regnum fovetur? Quomodo non erit talis ſepulchrum forinſecus dealbatum, intus formali macula peccati contaminatum?* Ib. pag. 458. 459. Reſp. 1. Cœcus es, ſi conſecutionem argumenti non vides. Quomodo enim qui ſine operibus juſtificatur, per juſtitiam inhærentem, operibus patefactam, ceu formalem cauſam juſtificari poteſt? Annon juſtitia inhærens operum juſtitia eſt? Effectus porro juſtitiæ per fidem imputatæ juſtitiam inhærentem cauſam minimè arguunt. Neque enim iidem imputatæ & inhærentis juſtitiæ effectus eſſe poſſunt. In judicium non venimus, quia Chriſtus pro nobis judicium ſuſtinuit; non quia inhærente juſtitia pollemus. Hinc cum Davide precantur ſervi Dei omnes: *Ne intres cum ſervo tuo judicium tuum, quia nullus vivens coram te juſtus eſt*, Pſal CXLIII. 2. Remiſſio peccatorum quomodo fiat, ſæpe jam oſtenſum. Filii Dei evadimus an quæſo per & propter juſtitiam noſtram? Atqui non quotquot inhærenter juſti ſunt, ſed quotquot *Eum* Filium Dei fidei manu *apprehenderunt, iis poteſtatem Deus dedit, ut Filii Dei fiant*, Joh. I. 12. *Omnes filii Dei ſumus per fidem in Chriſtum Jeſum*, Gal. V. 26. *Si verò filii, etiam* adoptionis puta ejuſdem jure, non juſtitiæ noſtræ merito, *hæredes*, Rom. VIII. 17. & quidem *διὰ Χριστοῦ per Chriſtum*, Gal. IV. 7. Quo jure filii Dei ſumus, eodem etiam hæredes Dei ſumus, quia filius paternæ domus hæres eſt. At non quia inhærenter juſti, filii Dei evadimus, ſed quia filii Dei per Chriſtum ejúſque meritum evadimus, internæ ſanctitatis & *θείας φύσεως Divinæ naturæ* participes reddimur. En effectus formales non juſtitiæ noſtræ, ſed Chriſti: non inhærentis, ſed imputatæ! 2. Peccati macula, ubicunque exiſtit, objectum Divinæ execrationis & condemnationis eſt; ſed non peccator, à quo omne odium, execratio & condemnatio in Sponſorem & Vadem Chriſtum tranſlata eſt. Et an tu poſt juſtificationem impii,

pii, quam primùm ſaltem in Baptiſmo per infuſionem juſtitiæ peragi contenditis, nullam in juſtificato maculam ſupereſſe, dictitas? Næ Phariſaicæ hoc, non Chriſtianæ venæ eſt. Cur igitur ad objectum S. Pauli Rom. VII. 14. &c. exemplum non reſpondes? Sed & juſtitia Chriſti imputata, ita quidem extrinſeca, quatenus extra nos, & ſine nobis acquiſita eſt, ut tamen noſtra ſit per communicationem & donationem gratuitam; æquè realiter ſubjectum juſtificati afficit, atque peccata noſtra Chriſto imputata, realiter eundem affecerunt. Neque enim imputatio iſthæc eſt mera fictio mentis circa rem non exiſtentem, cujuſmodi eſt imputatio ſatisfactionum alienarum, quas Vos Monachi crepatis; ſed res eſt non minùs realis in ſuo ordine, juridico ſcilicet & forenſi, quam infuſio qualitatis in genere morali ſeu phyſico. Planè ſicus imputatio ſolutionis à Vade factæ, quæ debitori fit, maximè realis eſt, utpote per quam à debito liberatur, & à jure, quo adverſus ipſum creditor valebat, eximitur. Nec veritate igitur judicialis iſte actus, nec juſtitia caret. Non veritate, quia juſtos pronuntiat in Chriſto, quod veriſſimum eſt. Non juſtitia, quia Chriſtum inter & nos datur communio, qua, ceu ſolido fundamento ſuo imputatio iſthæc nititur. *Utique juſtum eſt*, (ſic S. Auguſtinus *de Trinit. lib. XXIII.* 14. loquitur) *ut debitores, quos tenebat Diabolus, liberi dimittantur in eum credentes, quem ſine ullo debito occidit.* 4. An, ſi inhærente etiam juſtitia formaliter nos juſtificari dixerimus, iccirco macula peccati, execrationis & odii Divini materies, in ſubjecto juſtificato nulla remanebit? An verò etiam ſic ſepulchrum manebit fœtidum, ſordibúſque refertum; an potiùs Templum Spiritus Dei, quale S. Paulus juſtificatus, regenitus licet, pecator tamen (Rom. VII. 14. &c) fuit? Quomodo verò imputata juſtitia Chriſti, non obſtante reliqua adhuc peccati macula, odii Divini objecto, ac proinde in Chriſto, non in peccatore fideli punita expiatáque; peccati Regnum in juſtificato infringatur, reſponſio noſtra explicat. Cur tu alatus prætervolas, & calumniari tamen pergis? Meliora ſunt regenitorum minima, quàm irregenitorum maxima opera; quia in Spiritu illorum non eſt dolus, Pſal. XXXII. 2. Sed non ideo juſtitia ſunt coram Dei judicio valida. Imò juſtitiæ inhærentis non minima pars eſt, ſic Deo confidere, eum & gloriam ejus amare, ut interim agnoſcamus defectus & pravitates, & veniam deprecemur quotidie, dum præſto eſt, & imber aquarum timetur, cum eodem Pſalte v. 5. 6. 10. 11. Quod etiam S. Johannes 1. Epiſt. I. 8. 9. 10. monet, præcipiens, ut confiteamur ſemper peccata, nec unquam dicamus, vel non habere nos peccatum, adeóque condonandum aliquid; vel nos non peccaſſe, hoc eſt, actus noſtros ſine peccato, defectu & pravitate eſſe. Id enim ſi fecerimus, mendaces nos eſſe, & mendacem Deum facere, aſſerit. Sepulchra igitur dealbata, atque intus ſordibus ſqualentia tota non juſtificati per Chriſti juſtitiam ſunt; ſed veteres potiùs novíque Phariſæi, Monachi ſunt, juſtitiæ propriæ typho inflati, & peccati in ſe maculam nec agnoſcentes ingenuè, nec lugentes.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

An fides justificans sola, per modum instrumenti, satisfactionem Christi apprehendentis, justificet?

NEgat Canon nonus & Caput sextum, in quo modus præparationis ad justificationem hic statuitur, quòd peccator divinâ gratiâ ad justitiam accipiendam sic disponatur, si fidem ex auditu concipiens liberè moveatur in DEUM, credat vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud inprimis, in Deo justificari impium per gratiam ejus; si à Divinæ justitiæ *timore* ad considerandam ejus misericordiam se convertat, in *spem* erigatur, atque sic Deum *diligat*, adversus peccata moveatur per odium & detestationem, hoc est, per eam *pœnitentiam*, quæ ante baptismum præstari debet; si denique proponat suscipere *baptismum*, inchoare *novam vitam*, & servare mandata. Nos etsi dispositiones quasdam justificationem præcedere posse non negamus, iis tamen vel ut causa meritoria, vel ut instrumentali applicari gratiam justificationis & apprehendi negamus, asserimúsque, solam fidem justitiam in Evangelio propositam sibi applicare, non quatenus est vel præparatio & dispositio, vel assensus generalis habitus veritati, sed quatenus est assensus specialis conjunctus cum fiducia in meritum Christi. Argumenta nostra sunt.

ARG. I. In apprehensione gratiæ justificantis Scriptura nunquam ejusmodi dispositiones, semper fidem & quidem operibus, adeóque etiam ejusmodi dispositionibus, oppositam nominat, Gen. XV. v. 6. Esai. XXVIII. 16. Habac. II. 4. Rom III. 28. Gal. II. 16. Quæ aliáque ejusmodi loca frivolè interpretatur Synodus cap. 8. quasi videlicet per fidem nos justificari asserat Scriptura, *quia fides est humana salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo.* Justificatio enim, utpote absolutio à reatu, fit simul semélque, &, quod ajunt, ἐν ἀτόμῳ, adeóque ratione actus justificantis non admittit initii & progressus continuationem. Unde fides tanquam archeteles nobis proponitur Rom. I. vers. 17. cap. III. vers. 2. Quid quòd fidei etiam opponuntur passim opera? Cùm igitur inter fidem, conditionem Evangelii, & opera, conditionem Legis, nihil medii intercedat, relinquitur, sola fide apprehendi justitiam.

Digitized by Google

RESP. REDING: 1. *Tu ipſe diſpoſitiones prævias & fidei & juſtificationi agnoſcis; & quidem præter Scripturam, quæ Hebr. XI. 6. docens, ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo, & credere oportere, eum, qui ad Deum accedit, fidem primam diſpoſitionem, ſuper qua reliquæ omnes fundantur, facis.* 2. *Opera fidei oppoſita à S. Paulo S. Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 79. opera eſſe fidem præcedentia, ſtatuit. Adeòque inter fidem & opera ejuſmodi medium datur, juſtificatio ipſa.* 3. *Etſi juſtificatio fiat ſimul ſemèlque: fides tamen, ceu diſpoſitio ad eandem, initii & progreſſus capax eſt.* Tract. IV. Ss 2. p. 459. 460. Reſp. 1. Mitte homonymiam in voce *diſpoſitionum*, ſupra etiam à nobis animadverſam. Ego enim diſpoſitiones appello impropriè actus quosvis præcedaneos, nihil tamen in juſtificatione efficientes, adeóque præparationes quaſdam neceſſarias, tanquam conditiones, abſque quibus nulli vel promiſſum eſt, vel præſtatur hoc beneficium. Marc. I. 15. Luc. XXIV. 47. Act. III. 19 XX. 21. Sed & ante fidem ipſam, & ad fidem requiruntur diſpoſitiones præcedaneæ, quia ea ſubjecto, hoc eſt, menti & voluntati hominis credentis inhæret, ut nova qualitas; adeóque ei ingeneratur per verbum Dei, Rom. X. 14. quod verbum eſt tum legis, ex qua agnitio miſeriæ, terrores, deſperatio de ſe ipſo naſcuntur; tum Evangelii, ex quo agnitio Chriſti Mediatoris & promiſſionum gratiæ oritur, deſideriúmque juſtitiæ, ipſaque adeò fides concipitur. Tu verò de aliis longè diſpoſitionibus, *formalibus* ſcilicet, loqueris, hypotheſi falſæ innixus, quaſi ſcilicet juſtificatio in infuſione juſtitiæ, & motu ad juſtitiam conſiſtat, adeóque ad formam illam ſubjecto introducendam prævias diſpoſitiones requirat. Ejuſmodi diſpoſitiones Concilium Tridentinum numero ſeptenario, puta fide, ſpe, timore, dilectione, pœnitentia, propoſito ſuſcipiendi Sacramenta, & novæ obedientiæ propoſito, definivit. Cùm verò diſpoſitiones formales, ſeu introductionem formæ adjuvantes, ſint homogeneæ ſuis habitibus, utpote à quibus gradu, non natura differunt; tum ordine naturæ iiſdem priores, tum denique habitus ſuos inchoantes, non perficientes, nec fidem, nec reliquas illas à Tridentinis enumeratas virtutes, juſtificationis proprias diſpoſitiones eſſe, abundè liquet. Nam neque habitui ſuo ſunt homogeneæ, quia juſtificatio eſt Evangelii, & fit abſque operibus, diſpoſitiones verò illæ ſunt legis, adeóque opera; illa relativa, hæ qualitates & ex iis actiones: nec ordine naturæ juſtificatione priores, quia pleræque omnes, fide excepta, juſtificationem ſequuntur: nec inchoantes denique juſtificationem tantùm, cùm fides eam & incipiat, & abſolvat, adeóque perficiat, Rom. I. 17. Quod ipſum locus Hebr. XI. 6. à te citatus oſtendit. Nam acceſſui ad Deum, qui per ſolam juſtificationem contingit, (quomodo enim non juſtificatus, non reconciliatus Deo in Chriſto, ad eum, qui ignis conſumens eſt, accedet?) fides ſola, neque aliud quidquam, ab Apoſtolo præordinatur. Fides ergo ſola & juſtificatione prior eſt, & eandem ceu unica, proxima & immediata ejus à parte hominis cauſa perficit. Addo, juſtificationem ipſam ejuſmodi diſpoſitiones non admittere, tum quia non eſt motus, alterationibus materiæ indigens, ſed actus Dei judicialis, peccatorem à reatu abſolventis: tum quia ſubjecto non inhæret, utpote in quo juſtitia aliena credenti imputatur: tum quia percipitur & ſentitur non mutatione naturæ, ſed tranquillatione conſcientiæ: tum denique quia per diſpoſitiones in ſubjectum introduci, non juſtificationis, ſed ſanctificationis eſt. 2. Opera fidei oppoſita non alia indigetari ab Apoſtolo, quàm quæ fidem antecedunt, oppidò falſum eſt, tum quia nulla veri nominis bona opera ſunt, quàm quæ fidem ſequuntur, uti ſupra probavimus: tum quia S. Paulus operanti hæc opera, quæ fidei opponit, non opponit operanti alia quædam, puta ea, quæ fiunt poſt fidem, ſed ſimpliciter μὴ ἐργαζόμενον *non operantem* Rom. IV. 5. qualis utique non eſt, qui poſt

Digitized by Google

fidem operatur: tum quia opera verè bona juſtificationem ſequuntur: tum quia ipſius Abrahami fidelis opera, fide poſteriora, excluduntur, Rom. IV. 2. tum quia ne opera quidem cum fide conjuncta juſtificare, S. Paulus contra Galatas, circumciſionem fidei ſociantes, adeóque fidem non ejurantes, demonſtrat hac poſita theſi, quòd nonniſi ex fide, non ex operibus juſtificatio contingat, Gal. II. 16. &c. v. 2. 4. 5. 6. tum denique, quia illa etiam opera excluduntur, ad quæ conditi ſumus, in Chriſto Jeſu, ut in iis ambulemus, Epheſ. II 8. 9. quæ ex fide utique ſunt, quia ad ea in Chriſto Jeſu conditi dicimur. Ex Auguſtini quidem mente S. Paulus loquitur de operibus fidem præcedentibus: S. Jacobus de iiſdem fidem conſequentibus. Veriſſimè. Sed obſervandum fuerat, de alia juſtificatione S. Paulum, de alia S. Jacobum loqui. S. Paulum de illa, quæ opera omnia, & præcedentia fidem & conſequentia: S. Jacobum de illa, quæ tantùm antecedentia, non conſequentia excludit. Verbo, illum de juſtificatione impii: hunc de juſtificatione juſtificati. uti inferiùs videbimus. 3. Cùm juſtificatio fiat per fidem, ceu cauſam proximam & unicam, à parte hominis, & fiat ſimul ſemélque, neceſſum eſt, etiam fidem actum ſuum juſtificantem ſimul ſemélque peragere, adeóque non incipere duntaxat, at non perficere, quod Tridentini ſtatuerunt. Alias in ipſa fide extra actum juſtificantem initii & progreſſus continuationem nulli negamus.

ARG. II. Qua ratione Abrahamus juſtificatus eſt, eadem juſtificamur & nos, quia quod de illo ſcriptum eſt, non ad illum duntaxat, ſed ad nos etiam pertinet, Rom. IV. verſ. 24. Atqui Abrahamus ſola fide juſtificatus eſt, Geneſ. XV. v. 6. Rom. IV. 3. Galat III. 6. Hebr. XI. 8. 9. Eodem ergo modo etiam nos juſtificamur. Neque tricari poſſunt Sophiſtæ, Scripturam nomine fidei intelligere opera Abrahami ex fide facta; cùm Paulus ei fidei, qua juſtificatus is eſt, diſertè opponat etiam opera poſt juſtificationem, adeóque in fide facta.

Resp. Reding: 1. *Abrahamus Deo credidit, & hoc ei ad juſtitiam imputatum eſt. An iccirco juſtificatus eſt ſola fide, dilectionis excluſiva? Particula illa, Sola, ex Calviniſtici Spiritus tui cerebro fluit. Auguſtinus ſanè de Trin. XV. 18. negat ſine charitate fidem prodeſſe, aſſeritque fidem non facere utilem niſi charitatem. Sed & lib. de fide & operibus c. 14. ſcribit, S. Paulum non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalutarem, planèque Evangelicam definiviſſe, cujus opera ex dilectione procedunt. ubi ſtatuit, fidem per dilectionem operari.* 2. *S. Paulus Rom. IV. 2. fidei Abrahami opponit opera non diſpoſitiva, ſed meritoria, illa videlicet, quibus merces imputatur ex debito. Aliter longè de operibus diſpoſitoriis, in ſtatu gratiæ factis, S. Jacobus cap. II. 22. loquitur.* Ib. pag 460. 461. Reſp. 1. Quis ſola fide, dilectionis excluſiva, quis fide ſolitaria juſtificatum dixit? Ex cerebro tuo Monachali hoc fluit. Nunquam ſine dilectione fides eſt, ſicut nunquam oculus vivus à reliquo corpore revulſus. Quemadmodum autem non icirco corpus, quia cum oculo conjunctum eſt, actum videndi edit, ſed ſolus oculus, licet non ſolitarius: planè ſic non icirco dilectio juſtificandi actum elicit, quia cum fide juſtificante inſeparabiliter conjuncta eſt, ſed ſola fides, licet non ſolitaria, verùm nullo non tempore fructibus ſuis gravida, qui tamen non ad juſtificationem, utpote cujus objectum *ἀσεβὴς, impius* eſt. ſed ad ſanctificationem, & imaginis Divinæ reſtaurationem proficiunt. Hoc ſibi S. Augu-

ſtinus in locis à te citatis, non aliud, vult. Nuſpiam is dilectioni, vel cuivis operi alii juſtificationem tribuit; ſed inutilem ſine charitate fidem eſſe, pertendit. nempe quia ejuſmodi fides non vera fides, ſed fidei ſimulachrum & cadaver eſt. 2. Imò opera Abrahami quævis fidei Abrahamicæ, & diſpoſitiva & meritoria, S. Paulus opponit, quia fidem, qua promiſſionem Divinam de Semine illo, in quo gentes benedicendæ erant, apprehenderat, non quicquam aliud ad juſtitiam, qua coram Deo juſtificatus eſt, & ob quam apud Dominum gloriationem habuit, ei imputatum eſt. Si enim operibus etiam diſpoſitivis juſtificatus eſſet, habuiſſet *καύχημα πρὸς τὸν Θεὸν, gloriationem apud Deum*, (v. 2.) & fuiſſet *ἐργαζόμενος operans*, (an enim ſperans, timens, diligens &c. non eſt operans?) adeóque ei merces ex debito imputari debuiſſet, quia de quovis *ἐργαζομένῳ operante* id S. Paulus v. 4. affirmat. Atqui illum habuiſſe gloriam apud Deum, fuiſſe operantem, & propterea ei mercedem fuiſſe ex debito imputatam, Apoſtolus negat, & quidem ſolo iſthoc argumento, quia Abrahamus credidit, & hoc, (ſeu, quod actus ille credendi cum *πληροφορίᾳ* apprehendit) non aliud quicquam ei, & quidem ex gratia, non ex debito, ne anſam gloriandi apud Deum haberet, imputatum eſt. Planè igitur ficulnea, & ex cerebro Sophiſtico petita tua operum *diſpoſitivorum* & *meritoriorum* diſtinctio eſt; quinimò S. Paulo omnia opera, etiam in ſtatu gratiæ facta (talia enim etiam erant opera Abrahami à Paulo excluſa, quia jam in ſtatu gratiæ, & fidelis erat, cùm de eo dictum eſſet: *Credidit, & ei imputatum eſt ad juſtitiam,*) removenti, eò quòd aliàs gloriari apud Deum potuiſſet, & merces ei non ex gratia, ſed ex debito imputanda fuiſſet; denique ſimpliciter *credenti operantem* opponenti, in os obloquitur. De ſententia S. Jacobi infra videbimus.

ARG. III. Juſtificatio conſiſtit in remiſſione peccatorum, quæ in Evangelio offertur & promittitur. Atqui promiſſionem hanc non amplectitur *ſpes*, quia ea rem promiſſam non apprehendit, ſed expectat: non *charitas*, quia ea promiſſionem jam apprehenſam amat, & fructus juſtitiæ jam applicatæ edit.

RESP. REDING: 1. *Spes, utpote actus ſupernaturalis, ſuper fide fundatur. Si ergo ſpes, utpote remiſſionem peccatorum expectans, hujus promiſſionem apprehendere non poteſt, qui poterit juſtificationis iſthæc apprehenſio, ſive actualis conſecutio fidei, quæ ſpem præcedit, attribui? 2. Neque charitas remiſſionem peccatorum jam apprehenſam ſupponit, quia juſtificatio abſque charitate nullo modo ſubſiſtere poteſt. Qui enim non diligit, is manet in morte, 1. Joh. III. 10. Contra fides, quæ nata eſt diſponere ad juſtificationem, abſque charitate, adeòque etiam abſque juſtificatione conſiſtere poteſt, teſte S. Paulo 1. Cor. XIII. 2. Ergo non ſola fides peccatorum remiſſionem apprehendit.* Ib. pag. 461. 462. Reſp. 1. Detorques ſubdolè. Spem expectare rem promiſſam, non promiſſionem apprehendere; dixi. Tu mihi tribuis, quaſi ſentirem, *ſpem remiſſionem peccatorum expectare*, ac idcirco non apprehendere. Subdolè, inquam. Neque enim ſpes, cujus eſt rem promiſſam expectare, idcirco quamvis rem promiſſam, adeóque etiam remiſſionem peccatorum expectat. Hanc enim ſola fides apprehendit, & quam primùm apprehendit, actu ſuam facit, applicat, conſequitur. Alia ratio earum rerum eſt, quas quidem promiſſas fides, ut ad ſe pertinentes, at nondum actu collatas, apprehendit. Ita promiſſionem ſalutis, gloriæ cœleſtis, ceu ad nos pertinentis, fides apprehendit. Quia tamen non ſtatim atque

fides eam ad ſe pertinentem apprehendit, actu confertur, ſed demum ſuo tempore conferetur, applicabitur, hinc adeò rem ſic promiſſam quidem, at non apprehenſione fidei actu conferendam, ſpes expectat. Et perſtat igitur argumentum meum, & Sophiſtice tua pellucet. 2. Juſtificationem abſque charitate nullo modo conſiſtere poſſe, concedimus. Eſt enim neceſſarium illius conſequens, quo ſublato antecedens ipſum tolli neceſſum eſt. Sed dilectionem ipſam actu juſtificare, hoc ſcilicet tibi probandum, & ſimul argumento meo, quo charitatem remiſſionem peccatorum non apprehendere, probo, ſatisfaciendum fuerat. Fidem verò illam, cui juſtificationem Scriptura tribuit, vel charitate deſtitui poſſe, vel ſic natam eſſe diſponere ad juſtificationem, ut non ſemper juſtificet, non initii inſtar ad inducendam qualitatis formam, diſponendo, ſed actu pleno, perfecto unicóque, à parte ſcilicet hominis, juſtificando, probari nunquam poteſt. Nam *πᾶσα πίστις omnis* illa *fides*, quam ſine charitate nihil prodeſſe S. Paulus 1.Cor.XIII.2. ſtatuit, nec juſtificans intelligitur, ſed fides omnis miraculoſa, etiam maxima; nec charitate iccirco deſtituitur, quia ſine charitate nihil prodeſſe eam Apoſtolus dicit. Ità nihil ſine corpore oculus poteſt. Neque tamen iccirco oculus videns à corpore ſeparari poteſt.

ARG. IV. Spes, timor, charitas, pœnitentia ſunt juſtificationis & vitæ ſpiritualis actus & fructus, adeóque poſteriores, Actor. XV.9. 1.Tim. I. v.5. Nempe vita ſpiritualis inchoatur juſtificatione, qua peccatum expiatur. Non igitur dici poſſunt ad eam diſponere ac præparare.

RESP. REDING: 1. *Ne apicem quidem ejus rei in locis à te citatis reperire eſt.* 2. *Si vita ſpiritualis juſtificatione inchoatur, quomodo eadem, vitæ ſpiritualis pars, juſtificationem expectat?* 3. *Aliter longè S. Patres; Ignatius Epiſt. ad Epheſ. Gregorius Nazianzenus Orat.40. de Bapt. Chryſoſtomus homil.90. in Joh. Ambroſius in cap.4. ad Hebr. Hieronymus lib.1. in Jovin. ubi docent, & fidem eſſe poſſe ſine charitate, & fidem, ſi abſque charitate operetur, mortuam eſſe.* Ib. pag.462.463. Reſp.1. Ne apicem quidem ejus rei in locis citatis reperiſti, quia ne inſpexiſti quidem. Act.XV.9. fide corda purificari dicuntur. Quæcunque ergo timori, ſpei, dilectioni, pœnitentiæ puritas ineſt, omnis à fide eſt. 1.Tim.I.5. charitas, quæ ſcilicet legis Dei impletio eſt, adeóque cœteras etiam virtutes complectitur, dicitur eſſe *ἐκ πίστεως ἀνυποκρίτου ex fide non ſimulata.* Ergo fidei juſtificantis, ſalutaris (hæc enim ſola *ἀνυπόκριτος* eſt) fructus charitas eſt. 2. Spem promiſſam juſtificationem, quoad actum ſcilicet ejus propriè juſtificantem & abſolutorium, expectare nuſpiam ego docui, ſed tu per calumniam mihi impegiſti. 3. Patres à te citati tam nil tibi proſunt, quàm nil ſine charitate prodeſt fides. Loquuntur enim de fide mortua, quæ vera illa fides, cui juſtificatio tribuitur, neutiquam eſt: nec non de ſalute, vita & gloria, quæ ſine ſpe, dilectione, pœnitentia, ſanctimonia non contingit; non de juſtificatione per eaſdem virtutes. Planè igitur eorum teſtimonia *ἔξω σκάμματος* ſunt.

ARG. V. Per quod ſolummodo imputatur nobis Chriſti juſtitia, quæ lapſui & legi ſatisfacit, per illud ſolum juſtificamur. Atqui per ſolam fidem imputatur nobis Chriſti juſtitia & ſatisfactio, Rom.III.22.IV.5. Sola igitur juſtificat.

Resp. Reding: 1. *Ubi verò Apoſtolus à fide illa ſpem & charitatem excludit, vel*
ſeparat? Ubi ante ſpem, & charitatem juſtitiam DEI accipi docet? 2. *Rom.IV.5. S*
lus docet, ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui juſtificat impium, imputari
ad juſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei. Quid ſibi iſthæc verba, ſecundum
ſitum gratiæ Dei, volunt, niſi quòd fides juſtificans nullis operibus meritoriis nitatu
verò, quòd actus ſpei & charitatis, ceu diſpoſitivi, ab ea non proveniant. Fides verò
nens nihil meretur, juxta illa Auguſtini Epiſt.106. Cùm fides juſtificationem imp
non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani. 3. *Licet actus charitatis Theolog*
proxima ad gratiam juſtificantem diſpoſitio: tamen haud ſecus, quàm diſpoſitio nat
reſpectu formæ, ad quam diſponit, ſe habet non per modum actus gratiam ſanctific
priùs continentis, & ut ſic dignè merentis; ſed per modum congruitatis, ſubjectum a
tiæ ſanctificantis receptionem habile reddentis. Ib. pag.463. Reſp. 1. In juſtifica
actu ſpem & charitatem manifeſtè Apoſtolus à fide excludit, quia in eo & fidei ope
credenti operantem opponit; nec uſpiam vel ſpem, vel charitatem, vel virtutem
cum fide, in eodem actu copulat. Sed & ante ſpem & charitatem juſtitiam accip
nifeſtè inſinuat, cùm eam *per fidem in credentes redundare*, non per quicquam
Rom.I.17.18.III 22.IV.3 4.5. aſtruit. Certè utramque fide poſteriorem eſſe, fateris
Tridentinis tuis, qui fidem juſtificationis initium & radicem eſſe, docent. Nos ver
ſtificationis cauſam proximam & immediatam eſſe probavimus. Unde & fide, &
ficatione, proximo effectu fidei, poſteriorem utramque eſſe conſequitur. 2. Miram
ἀβλεψίαν & oſcitantiam tuam! Locum enim Rom.IV 5. his verbis citas: *Ei, qui non*
ratur, credit autem ei, qui juſtificat impium, fides imputatur ad juſtitiam, ſecundum
poſitum gratiæ Dei. Et ex poſterioribus illis verbis, *ſecundum propoſitum gratiæ*
arguis, fidei opera non alia, quàm meritoria, non quæ ex propoſito gratiæ proficiſcu
opponi. Atqui verba illa ne quidem in textus Codice ullo apparent. Ita falſus
tu appares, & ex falſo teſtimonio ratiocinari non dubitas. Annon te vel malæ fide
ſtuporis tui pudet? Sed ſunto etiam verba illa *γνήσια*. Qualis adhuc conſecutio
Credenti fides ad juſtitiam imputatur ſecundùm beneplacitum gratiæ: Ergo fidei
alia quàm meritoria opera, non verò opera ex gratia & fide facta opponuntur.
verò in univerſum opponitur *ἐργαζόμενος operans*. An verò qui ex propoſito gr
& fide operatur, is non operatur? An ſic operando eſt *πιστεύων credens*, cui ſo
dem, & non aliud quidquam ad juſtitiam imputari Apoſtolus dicit? Quò te inſcit
audacia tranſverſum avehit? 3. Charitatem eſſe diſpoſitionem ad juſtificationem, q
eſt diſpoſitio naturalis reſpectu formæ in ſubjectum introducendæ, temerè ſupponis,
probas. Ubi probaveris, demum laborandum tibi fuerit, quomodo charitas & diſp
tio ad juſtificationem, & forma juſtificationis eſſe poſſit. Quod certè non coha
Nam charitas ſumma & impletio legis eſt. Ubi illa locum habet, jam forma ju
cans in homine integro, ſanctificans in peccatore adeſt, non demum per eam, ceu
poſitionem à forma diſtinctam, quæ congruitatem ad ſubjectum formæ recipien
habile reddendum habeat, introduci debet. Non verbis tuis inanibus, ſed rebus &
gumentis indigemus.

ARG. VI. Præparationes, quas Tridentini enumerant, ſunt pars juſti
inhærentis, in qua formam juſtificationis collocant. Sic igitur juſti
inhærente ad formam juſtitiæ inhærentis fiet diſpoſitio, quod pror
ἀσύστατον.

Re

Digitized by

Resp. Reding: *Nego, præparationes illas eſſe partem juſtitiæ inhærentis. Poteſt enim etiam ante juſtificationem homo virtute gratiæ actualis fidei, ſpei & charitatis actus elicere, licet inhærens juſtitia, ſeu forma juſtificans nondum adſit, quia teſte S. Paulo Rom. V. 5. charitas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus nobis eſt. Hinc enim liquet, Spiritum S. ad eliciendos ejuſmodi actus eſſe poſſe in homine etiam priùs, quàm charitas per Spiritum S. in cordibus noſtris diffundatur; adeóque in nobis per formam illam creatam habitet.* Ib. pag. 463. 464. Reſp. Nil niſi inanes logos fundis. Quò timor, ſpes, charitas pertinent, ſi ad inhærentis juſtitiæ habitus non pertinent? Poſſe autem ante juſtificationem & inhærentem juſtitiam auxilio quolibet gratiæ elici actus ſpei, charitatis & pœnitentiæ, perquam dilutum eſt. Actus enim quilibet ab habitibus fluunt, & in eorundem notitiam perducunt. Habitus igitur inhærentis juſtitiæ æquè, atque facultatum & potententiarum actus ipſas facultates & potentias ſupponunt. Quid quòd charitas virtutum omnium *συμπλοκὴ* quædam eſt? Quæ proin non aliter in diſpoſitione, aliter in forma introducta ſeſe habet. Denique loco S. Pauli Rom. V. 5. turpiter abuteris. Spiritus S. ita arguis, in homine prius habitat, quàm charitatem in corda diffundat. Quanquam id ex textu non probas, & non poſſit non Spiritus S. qui multò minùs, quàm ignis, otioſus eſt, templum ſuum, in quo habitat, ſanctitate & charitate perfundere, imò & filios Dei adeóque ad imaginem Dei in juſtitia & ſanctitate conditos, conſtituere, (Rom. VIII. 14) tamen, ſi prius etiam in homine habitaret, actus ſpei, charitatis, pœnitentiæ, ſine eorundem habitibus, adeóque forma ipſa charitatis & juſtitiæ producere non poſſet. Pugnat enim ſperare ſine ſpei, diligere ſine dilectionis inhærente habitu & forma.

ARG. VII. Noſtram de ſola fide juſtificante ſententiam communem eſſe nobis cum Patribus, nominatim Auguſtino, Ambroſio & Bernhardo, fatentur Cardinalis Hoſius epiſt. 17. ad Tapperum, & Medina. Quin & Caſſander *Conſult. art.* 4. concedit, locutionem hanc, *quòd ſola fides juſtificet*, habere exempla vetuſtatis, citato eam in rem Hilario & Origene.

Resp. Reding: *Duobus modis dici poteſt, ſola fide nos juſtificari, vel abſolutè, ſic ut fides ſit unica, adæquata & ſufficiens cauſa juſtificationis: vel comparatè, cum reſpectu ad opera legis Moſaicæ & naturalis, ita ut nullum opus niſi in fide radicatum, & ex ea profectum ad juſtificationem diſponere poſſe dicatur. Poſteriori ſenſu Patres ſola fide nos juſtificari ſubinde ſtatuunt. Ita Origenes cap. 4. ad Rom fidem prima ſalutis initia & ipſa fundamenta, ſpem, profectum & augmenta ædificii, charitatem, perfectionem & culmen totius operis appellat. Et Hilarius in Matth. cap. 7. opera cum fide conjungens, ait, ſalutem gentium omnium eſſe in fide, & in præceptis Domini vitam univerſorum. Et charitatem æquè ac fidem neceſſariam eſſe, Baſilius Serm. de fide, & Chryſoſtomus paſſim, arguunt.* Ib. pag. 464. Reſp. Tuo ſenſu ſenſum Patrum dimetiris, & cuſa diſtinctione commentitia, Patribus planè incognita, imperitis fucum facere paras. Sed oſtendendum tibi fuerat, qui S. Patres ſola fide nos juſtificari, *comparatè* ſcilicet ad opera fidem præcedentia, non ſequentia, dixerint. Nihil tale Origenes à te citatus, cujus verba ne quidem de ſola juſtificatione, ſed de univerſa ſalute, latiùs longè patente, loquuntur. Nil tale Hilarius, qui in ſalute & vita hominis fidem & opera conjungi, non nos juſtificari per opera fidem conſequentia, docet. Nil tale Baſilius & Chryſoſtomus, qui charitatis neceſſitatem ad ſalutem, non ad juſtificationis actum urgent. Cuncta hæc nimis extra rhombum

errant

Digitized by Google

errant & vagantur. Ego verò tibi quorundam conſignatiſſima verba, eáque eluc
ſcia, repræſentabo. Origenes *lib. IV. ad Rom.* ad extrema illa verba capitis III.
ergo gloria tua, &c. ſic commentatur: *Dicit* Apoſtolus, *ſufficere ſolius fidei juſ
tionem. ita ut credens quis tantummodo juſtificetur, etiamſi nihil ab eo operis fuer
pletum.* En, *nihil operis*, adeóque nec ante, nec poſt fidem. Hilarius *Can. 8. in M
Movet*, inquit, *Scribas, remiſſum ab homine peccatum*, nimirum in hiſtoria Paralytici
*minem enim tantùm in Jeſu Chriſto contuebantur. & remiſſum ab eo, quod lex l
non poterat. Fides enim ſola juſtificat.* Baſilius *homil. de humilitate:* Αὕτη γὰρ δὴ ἡ
καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν τῷ Θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνῃ τις ἐπαίρεται τῇ ἑαυτοῦ
ἔγνω μὲν ἐνδεᾶ ὄντα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθοῦς, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς Χριστὸν δεδικαιωμέ
καυχᾶται Παῦλος ἐπὶ τῷ καταφρονῆσαι τῆς ἑαυτοῦ δικαιοσύνης, ζητεῖν δὲ τὴν διὰ Χ
τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει. *Porro hæc eſt perfecta & integra gloriatio i
quando neque ſuper ſua ipſius juſtitia quis effertur, ſed ſe novit veræ juſtitiæ indi
fide tamen ſola in Chriſtum juſtificatum. Imò Paulus gloriatur, quòd ſuam pro
haberet juſtitiam: quæreret autem juſtitiam Dei per Chriſtum, juſtitiam Dei per*
Quid, Redingi, diſertius? Non ſua juſtitia homo juſtificatur, ſed juſtitia Dei per Chri
juſtitia per fidem, quæ ſola vera eſt. Sola fide juſtificatur. Gregorius Nazianzenus
26. Δικαιοσύνη μὲν γὰρ τὸ πιστεῦσαι μόνον. *Juſtitia eſt vel ſolum credere.* Chryſoſt
in cap. 3. Gal. Illi dicebant, qui ſola fide nititur, execrabilis eſt: οὗτος δὲ δείκνυσιν ὅ
πίστει κεχρημένος μόνῃ εὐλογημένος. Hic *verò* (Apoſtolus) *demonſtrat, qui ſola* fide n
eum benedictum eſſe. Idem *homil. 2. ad Rom. Addidit*, inquit, *& juſtitiam* Apoſ
At juſtitiam non tuam, ſed Dei, abundantiam ipſius & facilitatem ſubindicans. οὐ
ἱδρώτων καὶ πόνων αὐτὴν κατορθοῖς, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἄνωθεν δωρεᾶς λαμβάνεις, ἓν μόνον εἰσφέ
κοθεν, τὸ πιστεῦσαι. *Non enim ex ſudoribus ac laboribus aſſequeris, ſed à ſuperno do
cipis, unum duntaxat ex Te afferens, fidem.* Et *homil. 3. ad Titum:* Εἰ γὰρ πιστεύεις τ
στ, τί ἕτερα ἐπεισάγεις, ὡς οὐκ ἀρκούσης τῆς πίστεως δικαιῶσαι. *Si enim credis, fidei, cu
infers, quaſi fides juſtificare non ſufficiat ſola.* Theodoretus *Therapeut. 7.* οὐ γὰρ δι
ἀξιεπαίνων, ἀλλὰ διὰ μόνης πίστεως τῶν μυστικῶν τετυχήκαμεν ἀγαθῶν. *Neque enim ull
ribus noſtris laude dignis* (an quæ ex fide fiunt, laude digna non ſunt?) *ſed per ſol
dem myſtica bona conſecuti ſumus.* Ambroſius *in cap. 3. ad Rom. beatos dicit, de q
hoc ſanxit Deus, ut ſine labore & aliqua obſervatione ſola fide juſtificentur apud*
Hieronymus *in cap. 4. Rom. Tam magna fuit fides Abrahæ, ut & priſtina ei p
donarentur, & ſola pro omni juſtitia deceretur accepta.* Rurſus *in cap. 3. Gal. Abraha
didit Deo, & reputatum illi eſt ad juſtitiam. Ita & vobis ad juſtitiam ſola ſufficit fides.*
ſtinus *in 83. quæſt. q. 76. Apoſtolus Paulus dicit, poſſe hominem ſine operibus præcede
juſtificari per fidem. Nam juſtificatus per fidem non poteſt deinceps niſi juſtè operari, qu
ante nihil operatus juſtè, ad fidei juſtificationem pervenerit; non merito bonorum op
ſed gratia Dei, quæ in illo jam vacua eſſe non poteſt, cùm jam per dilectionem bene ope
Quòd ſi cùm crediderit, mox de hac vita deceſſerit, juſtificatio fidei manet cum illo: nec
cedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, ſed gratia pervenit: nec conſeq
bus, quia in hac vita eſſe non ſinitur.* Alibi *de Temp. Serm. 68. Credidit Abraham
& deputatum eſt illi ad juſtitiam. Ecce ſine opere juſtificatur ex fide: & quicqu
legali poſſet obſervatione conferri, totum credulitas ſola donavit.* Bernhardus *in Cantic.
22. Quiſquis*, inquit, *pro peccatis compunctus eſurit & ſitit juſtitiam, credat in te, qui
ficas impium, & ſolam juſtificatus per fidem pacem habebit apud Deum.* Poſſem & g

la & ex aliis eorundem locis, & ex aliis, Heſychio, Theophylacto, Sedulio, Primaſio, & choro illo S. Patrum univerſo proferre. Sed vel ex paucorum illorum guſtu agnoſces, Redingi, non ſolos Calviniſtas tuos, verùm ipſos etiam S Patres eſſe *Solifidianos*. quo ludicro titulo nos, ſoli fidei cum Scriptura & S. Patribus juſtificationem vindicantes, aſpergere conſueſtis. Et quàm ingens quæſo æſtus, quàm graves contradictionum Symplegades vos exercent, ut diſertiſſima hæc teſtimonia, quibus ora vobis obſtructa, & inſoleſcentem pervicaciam domitam ſentitis, eludere modò queatis! Alii *Catholicè*, hoc eſt, *Papiſticè* hæc eſſe interpretanda: alii fidem opponi operibus ceremonialibus: alii neceſſitatem externi operis tantùm, non etiam dilectionem & pænitentiam excludi: alii opera, quæ ſine fide fiunt, removeri: alii de fide viva, & cum charitate conjuncta ſermonem eſſe: alii vim legis Scriptæ, aut extrinſecus ſolùm ſonantis arceri: alii aliud; plerique non diverſa, ſed contraria ſciſcunt. unde conjicere eſt, quàm ſint duræ illorum partes, qui non ſe rebus fidei, ſed ſibi res fidei ſervire cogunt, dum quod alius ædificat, diruit alius. Sed quid ego iſta? Cùm Index Expurgatorius Hiſpanus clariſſima quædam de ſolius fidei juſtificatione teſtimonia, ex Indicibus & contextu Chryſoſtomi, Hieronymi, Cyrilli, obeliſco ſuo dedita opera confixerit, fruſtra forte illa recitavi. Præ manibus liber eſt. Ecce Inquiſitores conſcios ſibi & erroris & fraudis! Quibus occinam ego meritò, quod Ambroſius *de Spir. S. lib. III.* 11. Arianis quondam: *Literas quidem abolere potuiſtis, ſed fidem non potuiſtis auferre. Plus vos illa litura prodebat, plus vos illa litura damnabat.*

ARG. VIII. Neque defuerunt in Papatu, qui ſententiam noſtram tuerentur. Sanè Albertus Pighius à Bellarmino reprehenſus, non veritus eſt *commentitia* dicere *univerſa*, quæ de gratia Dei juſtificante ſcribunt Scholaſtici. Eum ſecuti ſunt Canonici Colonienſes, unâ cum authoribus libri oblati à Cæſare Collocutoribus in Comitiis Ratisbonenſibus, referente Vega *de Juſtificat. lib. VIII.* 9. Eandem calcârunt ſemitam Caſſander, Stapulenſis, Peraldus, Ferus, Arias Montanus, qui miſerè eam ob cauſam ab Indicibus Expurgatoriis caſtrantur. Denique ipſe Bellarminus, qui poſtquam juſtificationem ex ſola fide diu acerbè ſatis exagitavit, tandem in portum hunc ſe recipit de Juſtific. lib. V. cap. 7. *Propter incertitudinem propriæ juſtitiæ & periculum inanis gloriæ tutiſſimum eſt, fiduciam totam in ſola Dei miſericordia & benignitate reponere.*

Resp. Reding: 1. *Tu privatorum doctorum damnatam doctrinam Oecumenici Concilii authoritati præfers.* 2. *Bellarminum falsò citas. Et quid ad rem, ſi fiducia tota in Dei miſericordia reponenda ſit? An iccirco fiducia ſeu fides iſthæc ſola formaliter juſtificat?* Ib. pag. 464. 465. Reſp. 1. Hic ſcilicet mos veſter eſt, damnare, quicquid in animis & calamo quorundam ſani adhuc ſupereſſe videtur. Quanquam damnaſtis doctrinam, at non doctores, in communione veſtra, non retractata licet ſententia, mortuos. Damnare potes etiam Divum tuum Thomam Aquinatem, qui *in Gal. & in Jac.* 2. juſtificationem tribuit operibus, *non ſecundùm quod juſtificatio dicitur Juſtitiæ infuſio, ſed ſecundùm quod dicitur juſtitiæ exercitatio, vel oſtenſio, vel conſummatio.* Nam & iſthæc Thomæ gnome ſani aliquid adhuc habet, & Paulum cum Jacobo conciliat. Sed & in

1. *Tim.I.Lect.3.* nobiſcum ſic loquitur: *Non eſt ergo in operibus ſpes juſtificationis, ſed in ſola fide, Rom.3.* Quid quòd? Carolus ille quintus, beatiſſimæ memoriæ Imperator, qui obteſſus à Sophiſtis priùs hanc ſententiam oderat, tandem ejus veritatem agnovit, teſte non tantùm Chytræo in oratione ejus funebri, ſed etiam Secretario Pauli IV. Papæ, qui *Act. 2. An decreta Concilii Tridentini armis imperanda, fol.* 108. *edit. Pforzheim.* ſic ad Papam ſcripſit: *Metuo ne ſit oleum additum camino, cùm ad ſanctitatem veſtram Toletanus Epiſcopus ſcripſerit, ipſum Carolum morientem dixiſſe, ſibi videri veram eſſe Lutheranorum de juſtificatione ſententiam. Fama idem ſtatim per univerſam Europam tulit, & ſimul, quòd Sanctitas Tua dixerit, ſe nolle ipſi propterea, quòd cum Lutheranis in præcipuo religionis capite ſenſiſſet, ullas exequias celebrare?* Tridentini verò Concilii definitionem contrariam tanti nos facimus, quanti fabulas Æſopi, & Ariminenſe Concilium Catholici quondam; indignantes meritò, orbem ſic ludos fieri, cùm toties ingeminantem contra audiamus Spiritum Dei: *χωρὶς ἔργων, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως, Sine operibus, Non niſi fide. Juſtificati gratis ejus gratia.* 2. Bellarmini verba cùm in dubium revocas, etiam in Bellarmino hoſpitem te eſſe, & neglectis tuorum commentationibus, infrugiferis duntaxat ſpeculationibus tuis te confidere, prodis. Clara nimis verba ſunt, quæ *tertia propoſitione* non tantùm ponit, ſed etiam explicat fusè. Lege & tace. Annon verò in eo, quod formaliter juſtificat, fiducia ponenda eſt? Teſtatur enim ipſe Paulus, Rom.III.27. propterea nos juſtificari ex fide Jeſu, ſine operibus, ut ſimul excludatur *καύχησις gloriatio*, adeóque fiducia in noſtris operibus. In eo igitur, quod formaliter juſtificat, fiducia collocari & poteſt & debet. Cùm igitur intutum eſſe propriæ juſtitiæ inniti, adeóque fiduciam in ea ponere, Bellarminus faſſus ſit, ex ejus ſententia iſthac, hominem per propriam juſtitiam formaliter non juſtificari, conſequens eſt. Accidit ibi Bellarmino, quod maximè celebratur in Bileamo, qui ad execrandum conductus poſt magnum variúmque apparatum, & multas captatas incantationes, quibus Iſraëlitis maledicere conatus eſt, Divinitùs tandem eò adactus eſt, ut iis benediceret.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Fidei in Scriptura non tribuitur niſi prima motio, initium & radix juſtificationis, Hebr.XI.6. Rom.X.13.14. Joh.I.12. Non igitur ſola, ſed juncta cum aliis diſpoſitionibus juſtificat.* Eſt argumentum Concilii. Reſp.1. Fidei ita tribuitur prima motio in Deum juſtificantem, ut nihil præterea à parte hominis dari poſſit, quod in eum moveat. Prima movet & ultima. Imò abſolutio à reatu peccati ſimul ſemélque fit, adeóque tractum temporis & differentias ejuſmodi non admittit. 2. Hebr.XI.6. de prima ejuſmodi motione non agitur. Fidei nempe tribuitur acceſſus ad Deum, in qua juſtificatio conſiſtit, Rom.V.1.2. Neque Rom.X.13. de prima ejuſmodi motione agitur, ſed potiùs proceſſus ad ſalutarem divini nominis invocationem inculcatur. Et Joh.I.12. credentibus tribuitur poteſtas, dignatio, ut filii Dei fiant.

EXCIP. REDING: 1. *Etiam generatio in naturalibus fit in inſtanti; & tamen præviæ ad eam diſpoſitiones tractu temporis fiunt. Confundis igitur id, quod eſt in fieri, per ſucceſ-*

Digitized by Google

ſivam ſubjecti diſpoſitionem, & quod eſt in facto eſſe, per inſtantaneam formæ inductionem. *Fieri tamen poteſt, ut primo ſtatim momento fides ſit viva & formata per charitatem. Et tum tractu & ſucceſſione quoad realia temporis inſtantia opus non erit.* 2. *Si fides eſt acceſſus ad Deum, & in acceſſu eo formaliter ſita eſt juſtificatio, tum fides erit forma juſtificans. quod ipſi negatis.* *Si verò juſtificationem apprehendit & applicat, fidei erga apprehendendam eam proportio aliqua conſtare debet, quæ quidem non eſt meriti condigni, ſed diſpoſitionis congruæ ſubjectum habilitantis.* 3. *Credentibus in Chriſtum poteſtas data dicitur, ut fiant filii Dei, non ut ſint actu & formaliter.* *Aliâs non eſſet mera poteſtas, ſed actualis datio filiationis.* Ib.pag.465. Reſp.1. Malè juſtificationem cum generatione naturali comparas, cui non illa, ſed regeneratio, quæ per infuſionem qualitatum & donorum fit, reſpondet. Malè in juſtificatione formam inhæſuram motu quodam per diſpoſitiones adjuto in ſubjectum introduci, ſupponis. Malè denique diſpoſitiones propriè dictas ſive tractu & ſucceſſione quadam, ſive in inſtanti ad juſtificationem præparantes fingis. Abundè hæc omnia ſupra jam excuſſimus. 2. Fide ad Deum accedere idem eſt, quod fide juſtificari. Qui enim juſtificatur, is ad Deum Patrem in Chriſto propitiatum, à peccati reatu jam abſolutus, & jus habens ad vitam, hæreditatem ac communionem cum Deo, accedit. Fides proin non forma eſt illius acceſſus, ſed cauſa inſtrumentalis, habens utique proportionem cum acceſſu, at nec condignitatis, nec diſpoſitionis ſubjectum recipiendæ formæ idoneum reddentis, ſed inſtrumenti ſeu manus Divinitus ordinatæ, ut Chriſtum, ejúſque meritum & juſtitiam in Evangelio oblatam accipiat, & cum ea communionem ad juſtitiam & ſalutem habeat. Quòd autem fides ea qua ſic ad Deum accedimus, non ſit prima duntaxat motio ad Deum, exempla à S.Paulo toto capite allata evincunt. Sancti enim, quos memorat, non ſolùm fide primò ad Deum moverunt, ſed fide perrexerunt, fide *ἐπέτυχον τῶν ἐπαγγελιῶν aſſecuti ſunt promiſſiones*, Hebr.XI.33. Imò *πίστει ἑστήκαμεν fide ſtamus*, Rom. XI.22. & per eam *φρουρούμεθα cuſtodimur ad ſalutem*, 1. Pet. I. 5. Et prima igitur movet & à parte hominis ſola, adeóque etiam ultima movet. 3. Qui Chriſtum, ejúſque adeò meritum & juſtitiam *ἔλαβον apprehenderunt*, adeóque *πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ in nomen ejus credunt*, iis Deus Joh. I. 12. dediſſe dicitur non *δύναμιν potentiam*, ab actu ſeparatam, uti perperam tu interpretaris, ſed *ἐξουσίαν*, jus, poteſtatem, dignitatem, ut filii Dei ſint. Non dicit enim Chriſtus, nondum eos eſſe filios, adeóque pergendum eſſe, ut filii fiant; quin potiùs v.13. de iis affirmat, quòd *ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν ex Deo geniti ſint*. Nempe *qui habent filium, habent vitam*, 1. Joh.V.12. Qui credunt in Chriſtum, receperunt, vel habent filium. Ergo vitam habent actu, non potentia. Et *per fidem in Chriſto Jeſu omnes filii Dei ſumus*, non fieri tantùm poſſumus, Gal. III. 26. *Quisquis* enim *credit in Chriſtum, ex Deo natus eſt*, 1. Joh.V.1. Num quis poteſt eſſe ex Deo natus, & tamen actu non eſſe filius Dei?

OBJECT. II. *Ad juſtificationem diſponit timor, Eccl. I. 27. ſpes, Rom. VIII. 23. pœnitentia, Act. II. 38. baptiſmus, Matth. XXIII. 19. 20. Charitas, Luc. VII. 47. Non igitur ſola fides.* Reſp. 1. Timor Domini expellere dicitur peccata, quatenus eo renovatur interior homo ad abolitionem reliquiarum peccati. Hoc ad ſanctificationem, non juſtificationem pertinet. 2. Spes quoque pœnitentia & juſtificatione eſt poſterior: quam Sacramentum baptiſmi obſignat.

 3. Remiſ-

3. Remissionem peccatorum à dilectione suspendit Christus, Luc. VII. 47. nempe ut à signo & indubitato τεκμηρίῳ, non ut à causa, vel dispositione.

EXCIP. REDING: 1. *Quæ sunt istæ peccatorum reliquiæ, quas timore Domini aboleri statuis? Num peccati macula? At illam tegi, non aboleri, prius asserebas. Num reatus pœnæ? Nec hoc vis. Num carnis adversus Spiritum pugna? At nec hanc, quamdiu fides stabit, imputari posse doces. Quid ergo expellit? 2. Spe dicimur salvati, Rom. VIII. 23. nempe non consummatione gloriæ; sed inchoatione salutis per gratiam justificantem. Ita pænitentia & baptismus sunt in remissionem peccatorum, Act. II. 38. Ergo remissione priores sunt. 3. Luc. VII. 47. causalis particula, quoniam, causalitatem dilectionis in genere disponentis principii, respectu remissionis peccatorum, notat.* Ib. pag. 466. Resp. 1. Timor in loco Eccl. I. 27. apocrypho quidem, dicitur ἀπωθεῖται *depellere peccata*, futura scilicet, in renovatione hominis, non reatum præteritorum. Cautos reddit, ne peccemus, adeóque vel maculam, vel reatum peccati contrahamus. Frivolæ igitur sunt argutationes tuæ. Nam quod non est, nec maculam, nec reatum habet. Tegi de cætero iniquitates hominis per peccatorum remissionem, & David & Paulus dixerunt. cavilleris tu, quantum velis. Teguntur, ne imputentur ad pœnam; non, ne adsit macula per Spiritum S. atterenda quotidie. 2. Spe ἐσώθημεν *salvi facti sumus*, Rom. VIII. 24. hoc est, habemus salutem in spe, quæ salutis nostræ initium est, non utique per gratiam justificantem, sed per actualem adeptionem salutis. Nempe δικαιωθέντες jam actu *justificati*, non demum justificandi, gloriamur in afflictionibus, quæ *patientiam, explorationem, spem* operantur, Rom. V. 1-5. Justificationem igitur spes, salutis nostræ, cujus justificatio causa est, initium non præcedit, sed sequitur. Jussit porro S. Petrus Act. II. 38. *resipiscere & baptizari in remissionem peccatorum*, non quòd vel resipiscentia, quatenus vitæ mutationem in melius conjunctam habet, vel baptismus ad justificationem præparet. Quomodo enim præparabit baptismus, quo ceu sigillo justitiæ remissio peccatorum jam accepta obsignatur? Quomodo resipiscentia respectu mutationis vitæ, quæ & ipsa inhærens justitia est, & justificationem sequitur? Non igitur hæc ceu causa, verùm ceu testimonium & confirmatio ac obsignatio remissionis peccatorum jam acceptæ per Christum, inducuntur. 3. Particulam ὅτι *quoniam, multum* scilicet *dilexit, iccirco multa peccata ei remittuntur*, Luc. VII. 47. rationem non à causa antecedente, sed à signo consequente arcessere, manifestum circumstantiæ omnes faciunt. In parabola enim illa Christus docet *gratis dimitti debita*, v. 41. 42. Petrus v. 43. *gratificationem* agnoscit, approbante Christo. Applicatio verò parabolæ respondere debet. Scopus manifestus est, eum debitorem plus diligere, cui plura peccata remissa sunt. Præcedit igitur remissio, sequitur dilectio. Unde Christus v. 47. subjicit: *Cui autem paululum remittitur, is paululum diligit.* Et v. 50. Mulieri dicit: *Fides tua*, non dilectio tua, *te servavit.*

OBIECT. III. *Scriptura solam fidem justificare nuspiam disertè asserit.* Resp. Imò διαῤῥήδην Marc. V. 36. *Tantummodo crede.* Et Luc. VIII. 50. *Crede tantùm.* Gal. II. 16. *Nonnisi per fidem Iesu Christi justificatur homo.* 2. Ita justificari dicimur fide, ut opera penitus excludantur. Hoc perinde est, ac si sola fide justificari diceremur, quia inter fidem & opera nihil intercedit medii.

Digitized by Google

Excip. Redino: 1. *Particula illa μόνον, Tantùm, profertur ad excludendum timorem fidei oppoſitum. Cujuſcunque autem particulæ excluſivæ vis in ſacro aliquo textu ſe non extendit, niſi ad id, quod in eo textu ſe habet adverſativè. Gal.II.16. ἐὰν μὴ Niſi opera legis, fidei adverſantia, non quicquam aliud à juſtificatione excludit. 2. Cùm ipſa fides antecedat, juxta vos etiam, juſtificationem, conſequens eſt, ut opera fidei oppoſita non quælibet opera, ſeu quosvis actus ſupernaturales ex vi gratiæ actualis antecedenter ad juſtificationem, elicitos; ſed tantùm opera legis ſine fide facta, ſignificent.* Ib. pag. 466. 467. Reſp. 1. Atqui etiam timorem inter diſpoſitiones juſtificationis Tridentini tui numerarunt. Jam ergo particula *μόνον Solummodo*, juxta te timorem excludit. Fallax porro regula tua eſt, quòd excluſivæ particulæ vis ſe non extendat niſi ad id, quod in eo textu ſe adverſativè habet. Quid enim, ſi nihil prorſus adverſetur? Et quam vim habebit excluſiva, ſi præter adverſans expreſſum in textu nihil excluſerit? Supervacua planè erit, & orationum intricabit magis. Tum etiam ſi qui alii actus non adverſantes includuntur, exprimi vel in eo textu, vel alibi deberet. Id verò nuſpiam factum. In loco Gal.II.16. *ἐὰν μὴ Niſi* manifeſtè ſoli fidei juſtificationem vindicat, & operibus eam abrogat. Opponi verò fidem operibus legis, ſine fide factis, rancidum veſtrum *κρησφύγετον* eſt, cui nulla Scriptura, ratio nulla fidem facit; plurima verò, uti ſupra oſtendimus, minuunt. Loquitur Apoſtolus, ut credens, atque ſe ipſum ſic includit: *Etiam nos in Chriſtum Jeſum credidimus, ut juſtificaremur ex fide Chriſti, non ex operibus legis.* Et ſatis apparet, ea opera Apoſtolum intellexiſſe, quibus qui caret, eſt *ἁμαρτωλὸς peccator* v.17. & *ἀσεβὴς impius*; & quæ qui habet, habet jus petendi mercedem *ἐξ ὀφειλήματος ex debito*, Rom.IV.4.5. 2. Fides in Chriſtum cùm non ſit opus legis, ſed actus Evangelii, ſic juſtificationem ſeu apprehenſam juſtitiam natura, non tempore antecedit, ut non iccirco vel opus ullum, (etenim fides opus non eſt) vel actus ſupernaturalis diſponens (etenim fides actus ſupernaturalis ſolus ubique exprimitur, non ut diſpoſitio formæ introductionem adjuvans, nec ut organon rem in Evangelio promiſſam recipiens) juſtificationem antecedat, vel fidei ſocietur. Stat igitur adamante fixa antitheſis fidei & operum, ut quod opera in juſtificatione à parte hominis non præſtant, vel ſola fides præſtare, vel nihil præſtare debeat.

OBIECT. IV. *Ex operibus juſtificari hominem & non ex fide tantùm, diſertis verbis aſſerit & probat Iacobus cap.II.24.* Reſp. Cùm Paulus & Jacobus locuti ſint & ſcripſerint afflati à Spiritu S. ſibi contrariari non potuerunt, cùm Spiritus Dei non ſit ita & non. Sic igitur conciliandi ſunt, ut neutrius aſſertio in periculum adducatur. Paulus igitur agit de ea juſtificatione, qua coram tribunali Dei abſolvimur à peccatis, quòd fit ſola fide. Jacobus verò agit de juſtificationis ejus declaratione & oſtenſione coram hominibus, quæ non fit per fidem, utpote in ſenſus non incurrentem, cujusque profeſſio poteſt eſſe hypocritica, ſed per fidei flores & fructus. Vel certè Paulus agit de ea juſtificatione, qua nobis imputatur perfecta juſtitia Chriſti ad abſolutionem à reatu peccati: Jacobus verò de ea, qua is, qui coram Deo juſtificatus & abſolutus eſt à reatu peccati, coram eodem juſtus etiam fit juſtitia imperfecta inhærente, quam nuper conci-

Digitized by Google

liationis viam iniit Vir Cl. Iohannes Vorſtius. Sive prior, ſive poſterior conciliatio adhibeatur, cauſa cecidêre Papiſtæ, qui ex Jacobo probare contendunt, ex operibus nos juſtificari coram DEO, hoc eſt, à peccatis & reatu abſolvi. Quæ ſententia ſi obtinet, Paulus & Jacobus δὶς διὰ πασῶν diſſideant oportet.

EXCIP. REDING.: 1. *Hæc ipſa in te ac Vorſtio circa Paulum & Jacobum inter ſe conciliandos diſcrepantia ſententiæ veſtræ incertitudinem prodit. 2. Juxta Auguſtinum Quæſt. lib.83. q.79. Paulus opera fidem præcedentia excluſit, Jacobus opera fidem conſequentia incluſit. 3. S. Jacobus etiam ad eam juſtificationem, quæ coram Deo fit, exigit opera ex fide profecta, quia coram Deo nemo juſtificatur niſi per eam fidem, per quam in vitam ſpiritualem regeneratus eſt.* Ib. pag.467. Reſp. Textuum difficiliorum declarationes diverſæ, non contrariæ, nec cum analogia fidei pugnantes, dogmatis ipſius incertitudinem non arguunt. Alias quid vobis fiet? Nam & diverſis, & ſubinde contrariis, pugnantibus contra fidei analogiam ſemper, Apoſtoli utriuſque conciliationibus Doctores veſtros uti, quis ignorat? Vel unus Bellarminus, ſibi ipſi diſcors, aliter atque aliter conciliat. Nam *de juſtificat. lib. IV.*18. ſic ſcribit: *Nos igitur dicimus, Paulum loqui de prima juſtificatione, qua homo ex impio fit juſtus: Jacobus de ſecunda, qua juſtus efficitur juſtior. Alibi de Sacr. lib. II.* 12. alia diſtinctione uſus, *Paulum*, inquit, *loqui de operibus, quæ fiunt ex ſolis viribus liberi arbitrii: quibus operibus & nos fatemur neminem juſtificari.* Eſt quoque ubi utramque diſtinctionem conjungit. veluti *lib.1. de verbo Dei cap.*18. Neque ipſis etiam S. Patribus eadem in conciliandis Apoſtolis mens fuit. Aliter enim Primaſius *Comm. ad cap. XI. ad Hebr. V.*17. aliter Auguſtinus conciliavit. 2 Auguſtini porro ſententiam ſimpliciter acceptam ſupra probavimus. S. Paulus quippe opera fidem præcedentia à juſtificatione excluſit, ſed fidem conſequentia non incluſit. Jacobus contra opera fidem conſequentia incluſit. Relinquitur tamen adhuc quæſtio, quo ſenſu unus operibus univerſis omnem carnem, ſeu omnes homines, fideles & infideles juſtificari negaverit; alter operibus fidem conſequentibus nos juſtificari aſſeveraverit. Hoc enim S. Auguſtinus non decidit. Neque tu conciliationi à me allatæ, cui etiam ſingulari diatriba *de juſtificatione juſti* fidem antehac pluribus & invictis, quas his repetere nihil attinèt, rationibus feci, ulla ratione ſolida contradicere potuiſti. Etenim 3. veriſſimum quidem eſt, etiam coram Deo neminem juſtificari niſi ea fide, quæ regenerat. Sed juſtificari quenquam ea fide, qua ante juſtificationem ad vitam ſpiritualem regeneratus jam eſt, non tantùm Scripturæ contrariatur, ſed cum veſtra etiam hypotheſi, qua juſtificationis formam in gratia ſanctificante, quæ in regeneratione donatur, collocare ſoletis, pugnat. At *juſtificari* hominem *peccatorem* coram tribunali Dei, hoc eſt. à peccatis abſolvi, & juſtum, ceu jus habentem ad vitam, declarari, ſine ullis operibus ſuis, ſola fide beneficium juſtitiæ Chriſti in Evangelio oblatum apprehendente: & *juſtificari* hominem jam *juſtum*, ſeu fide ſola juſtificatum, & coram Deo, & coram hominibus, hoc eſt, verè ex fide jam juſtificatum, declarari, demonſtrari operibus fidem & juſtificationem conſequentibus, eandémque, ceu ſigno manifeſto palam oſtendentibus; ſive, quod eodem redit, juſtificari hominem ſola fide, *à priori*, ceu *cauſa*: operibus *à poſteriori*, ceu *ſigno & effectu*, non tantùm Scripturæ univerſæ congruit, & tum veram coram Deo juſtificationem explicat, tum hypocriſi nervos incidit; ſed etiam S. Apoſtolos clariſſimè conciliat.

OBIECT. V.

Digitized by Google

OBIECT. V. *Fides juſtificat non apprehendendo, ſed impetrando & promerendo juſtitiam. Sicut cùm opera negantur juſtificare, ſenſus eſt, ea juſtitiam non promereri. Unde etiam per fidem & ex fide juſtificari dicimur. Atqui non ſola fides, ſed alia etiam juncta juſtitiam & ſalutem impetrant.* Reſp. Fides cùm nec tempore nec ratione, ceu opus, præcedat juſtitiam, eam impetrare & promereri haud poteſt. Inprimis cùm ſola Chriſti juſtitia promeruerit hanc abſolutionem. Igitur *ex fide* & *per fidem* juſtificari dicimur relativè, reſpectu nimirum objecti juſtitiæ Chriſti, quam fides apprehendit. Neque aliud evincit antitheſis operum, quia Paulus non tribuit fidei, quod negat operibus. Negat operibus nos juſtificari quovis modo. At promerendo juſtificare fidem, nuſpiam docet.

EXCIP. REDING: 1. *Si fides nec tempore, nec ratione juſtificationem præcedit, quomodo igitur ſe ad juſtificationem habet? Quomodo per fidem, & ex fide juſtificatur, ſi nulla cauſalitatis prioritas in fide eſt? 2. Fides reſpectu formalis effectus, quo juſtificatus conſtituitur, proportionem aliquam habeat oportet. Non poteſt autem alia eſſe proportio, quàm congruitatis, qua ſubjectum ad formam juſtificationis recipiendam habile redditur.* Ib. pag. 467. 468. Reſp. 1. Fides, ceu opus juſtificationem cauſans, juſtificationem nullo modo præcedit: præcedit tamen, qua inſtrumentum juſtitiam oblatam apprehendens. Per fidem verò & ex fide juſtificari dicimur impropriè, quia juſtitiam propriè juſtificantem illa apprehendit. Sic manus in naufragio apprehendens tabulam, vel exporrectæ arboris ramum, quo totum corpus ſe ſuſtentat, ſalvare dicitur. 2. Habet igitur fides reſpectu juſtificationis proportionem non congruæ diſpoſitionis, ſubjectum ad formam recipiendam habile reddentis: ſed ordinati Divinitus organi, quo credentes Chriſtum λαμβάνειν *accipiunt*, Joh. I. 12.

OBIECT. VI. *Si ſola fides juſtificat, ſola etiam ſalvat. Manente enim juſtitia, ſemper ſalus in certo eſt. Opera igitur ad ſalutem neceſſaria haud erunt.* Reſp. Sola fides juſtificat, at non ſolitaria. Eſt enim ſemper conjuncta cum effectu ab ea emanante. Non tamen quod fides præſtat, etiam id præſtat, quod cum ea neceſſariò conjunctum eſt. Sicut nec quod oculus præſtat, etiam id, quod cum eo neceſſariò conjunctum eſt, præſtare dicitur. Igitur manente juſtitia ſemper ſalus in certo eſt, ita tamen, ut cum ea opera & charitatis habitus indivulſo nexu cohæreant. 2. Plus etiam ex ordinatione DEI requiritur ad ſalutem, quàm ad juſtificationem.

EXCIP. REDING: 1. *Atqui fidem & opera non ſemper conjungi, S. Jacobus cap. II. v. 16. ubi fidem quandam mortuam agnoſcit, teſtatur. 2. Qua ratione juſtificamur ex fide, eadem juſtificamur ex operibus, S. Paulo & Jacobo teſtibus. Comitantur igitur invicem in eodem effectu producendo, juſtificatione videlicet. 3. Cùm per juſtificationem ſimus filii Dei, & conſequenter etiam hæredes ſalutis, non plus igitur ad ſalutem, quàm ad juſtificationem requiritur.* Ib. pag. 468. Reſp. Coccyſmos pridem protritos fundis. Etenim 1. fides mortua ὁμωνύμως talis eſt, non vera juſtificans. 2. Juſtificationis ex fide Paulinæ, & ex operibus Jacobinæ, diverſam rationem eſſe, non eandem, ſupra aſſeruimus.

Digitized by Google

ruimus. 3. Juſtificatio cauſa adoptionis, ſeu filiationis, adoptio cauſa proxima ſalutis & hæreditatis eſt. Non eaſdem igitur juſtificationis & ſalutis cauſas eſſe, manifeſtum eſt. Neque enim quia filii Dei ſumus, juſtificamur, ſed quia gratis per gratiam Dei juſtificamur, filii Dei evadimus. Apprehendentes enim Chriſtum poteſtatem habent, ut ſint filii Dei, Joh. I. 12.

OBIECT. VII. *Fides quæ juſtificat, eſt illa viva, efficax & formata, quæ complectitur tum rerum revelatarum cognitionem, tum voluntatis præparationem, tum denique cum charitate legis totalem impletionem. Non igitur ſola juſtificat, ſed à charitate informata.* Argumentum hoc in Concilio urgebat Marinarus. Reſp. 1. Si hæc eſt ratio fidei juſtificantis, non igitur fides in ſolo intellectu hærebit, nec juſtificabit diſponendo, ſed formaliter, quod negant reliqui Sophiſtæ. 2. Fides per charitatem eſt efficax, hoc eſt, per eam, tanquam effectum, operatur, non juſtificando, ſed renovando & ſanctificando: propriè tamen ejus vita, forma, eſſentia non in charitate, ſed in fiducia conſiſtit. 3. Quin in negotio juſtificationis charitas ejuſque opera fidei opponuntur. 4. Quid quòd ipſi Scholaſtici jampridem fidem, ſpem, charitatem diſtinxerunt ut ſpecies oppoſitas ſub eodem genere virtutis Theologicæ?

EXCIP. REDING: 1. *Fidei actus eſſentialiter ſpectatus intellectui tantùm inhæret. Sed ejus efficacia ex ſpei inprimis & charitatis actibus pendet: atque ſic, quæ ex ſe erat remota duntaxat, per efficaciam illam fit proxima ad juſtificationem diſpoſitio. 2. Quamvis fides per actum dilectionis Dei formata in ratione proximæ ad juſtificationem diſpoſitionis efficax reddatur, non tamen formaliter juſtificans eſt. 3. Fiducia formaliter eſt actus voluntatis, & actum ſpei importat; fides verò intellectus. 4. Ipſe S. Paulus 1. Cor. XIII. 13. ſic fidem, ſpem, charitatem diſtinxit. Neque tamen in juſtificationis negotio ſibi invicem opponuntur. Nam qui non diligit, manet in morte, 1. Joh. III. 14. At juſtificatio & mortem excludit, & vitam reſtituit. Quomodo ergo dilectio fidei in juſtificatione opponitur? Oppoſitio igitur virtutum illarum non eſt contrarietatis, ſed diſparationis.* Ib. pag. 469. Reſp. 1. Cùm in juſtificationis negotio fides non tantùm aſſentiatur promiſſioni, ſed in illam etiam cum plena fiducia feratur, & eam apprehendat, ut ſuam, clarum eſt, non intellectus tantùm, ſed voluntatis etiam facultatem eſſe. Nudus enim aſſenſus Evangelicæ promiſſioni habitus, ſine fiducia & ſtudio eam, ceu ad ſe pertinentem, accipiendi, & ſuam faciendi, non magis credentem juſtificat, quàm fides Diaboli eundem nudo aſſenſu credentem juſtificare poteſt. Non eſſe autem fidem vel diſpoſitionem, vel remotam, accedentibus diſpoſitionibus aliis, ad juſtificationem diſpoſitionem, non ſemel evicimus. 2. Proin etiam fidem per charitatem formari, atque ſic efficaciam juſtificandi ſortiri, Sophiſticum commentum eſt, omni & Scriptura & ratione deſtitutum. Cùm enim fides juxta vos meri aſſenſus, juxta nos & notitiæ, & aſſenſus & fiduciæ ſit; atque inſuper à S. Paulo 1. Cor. XIII. 13. ceu ſpecies charitati oppoſita, ab eadem diſtinguatur: imò 1. Tim. I. 5. charitatis cauſa efficiens conſtituatur, denique per charitatem, ceu effectum ſuum operetur, Gal. V. 6. quid abſurdius dictu eſt, quàm eam à charitate formari, atque ſic formatam, ceu proximam juſtificationis diſpoſitionem juſtificare? Inprimis cùm opera, quæ non poſſunt non charitatis eſſe actus, fidei

in

Digitized by Google

in actu justificandi opponantur. 3. Fidem verò esse fiduciam, sequente quæstione planum fiet. 4. De virtutum porro illarum, fidei, spei & charitatis distinctione, & oppositione non contrarietatis, sed disparationis, nemo nostrûm dubitavit. quamvis in eo Scholastici non probentur, quòd ad illas, ceu cardines quosdam, omnes virtutum Theologicarum species revocaverint. quam Apostoli mentem esse, negamus. In negotio autem justificationis sibi invicem virtutes eas sic opponi, ut actus justificans non vel spei vel charitati acceptus referri possit, atque insuper charitas, ceu disparatè opposita virtus, fidei forma esse nequeat, abundè probavimus. Neque enim S. Johannes 1. Epist. III.14. charitatem vivificationis, & exclusæ mortis causam facit: sed carentiam ejus mortui in peccato signum esse, declarat.

QUÆSTIO X.

An fides justificans sit fiducia Divinæ misericordiæ, peccata propter Christum remittentis?

NEgat Synodus canone XII. & ajentem sententiam anathemate notat. Nos affirmamus, & contendimus, fidem justificantem non esse assensum nudum, sed notitiam & assensum conjunctum cum fiducia tali, qua cor in Deum & Christum reclinat, ipsum tanquam arcem Dei apprehendit, ad ipsum confugit, & in ipso securè absque ullo pavore acquiescit. Etenim

ARG. I. Ipsæ voces πίστις, πεποίθησις, אמונה *fiduciam* includunt. Inprimis etymologia vocis Hebrææ האמין huc facit. Descendit enim ab אמן quod propriè est *gestare*, Esai. LX. 4. LXVI. 12. Thren. IV. 5. Est ergo האמין, se rejicere gestandum in alicujus veritatem & potentiam, niti aliquo, se alicui committere. Proinde non tantùm ad testimonii receptionem, sed etiam ad πεποίθησιν *fiduciam* significandam abhibetur. Quid quòd בטחה cui opponitur פחד *pavor*, Esai. XII. vers. 2. ipsa fides est.

Resp. Reding: 1. *Fidei vox cùm æquivoca sit, varias notiones induit. Sed Theologica virtus est spei & charitati opposita, & ad solum intellectum refertur, neque adeò fiduciam includere potest. 2. Esaj. XII. 2. fiducia æquivocè fides dicitur. Loca verò Cap. LX. 4. LXVI. 12. & Thren. IV. 5. nihil ad rem faciunt.* Tract. IV. Ss. 2. pag 470. Resp. 1. Homonymiam vocis nulli ignoramus. Nobilissimus interim fidei actus nobilissimam facultatem, adeóque nominis acceptionem arguit. Cùm igitur nobilissimus ejus actus sit justificatio, utique fidei justificantis notio perfectissima sit oportet. qualis est non quæ nudo assensu constat, (nam Diabolorum etiam fides ejusmodi esse potest) sed quæ sic cognitæ revelationi seu promissioni assentitur, ut in eadem vera fiducia acquiescat. quæ filiorum Dei fides est, non in solo intellectu hærens, sed ad voluntatis fiduciam &

Digitized by Google

acquieſcentiam in Chriſto, ex intellectu promanans. 2. Loca à me citata plurimùm ad rem facere, non negares equidem, ſi vim vocum, cujus prorſus ignarus es, cognoſceres. Urgeo ego emphaſin vocis Hebraicæ הֶאֱמִין *credere.* cujus etymon אמן propriè eſt *geſtare.* Id verò, non aliud, ex locis parallelis, Eſaj. LX. 4. LXVI. 12. Thren. IV. 5. probo, ubi vox illa אמן propriiſſimè *geſtare* ſignificat. Unde etiam אוֹמֵן notat curatorem, nutritium, *ἐπίσκοπον, τροφέα, ὁδηγὸν,* ab actu eo, quo curator, nutricius, vel אוֹמֶנֶת *nutrix,* Ruth. IV. 16. infantem in ulnis, in ſinu *geſtat.* Cui reſpondens vox אָמוּן eum ſignificat, qui in ſinu geſtatur. velut Thren. IV. 5. הָאֱמֻנִים עֲלֵי תוֹלָע *geſtati in purpura, ſimeta amplexantur,* & Proverb. VIII. 30. *Eram apud* ipſam אָמוֹן *ἐγκόλπιος, in ſinu geſtatus.* coll. cum Joh. I. 18. Hinc ſequitur, in Hiphil vocem הֶאֱמִין, quæ reddi ſolet *πιστεύειν, credere,* propriiſſimè, & juxta originalem notionem, eſſe, ſe rejicere geſtandum in alicujus veritatem, & potentiam; niti aliquo, ſe alicui committere. ſicut naufragus tabulæ, vel prominentis arboris ramo arrepto ſe geſtandum tradit, eíque adeò credit, nititur. Sic igitur vox הֶאֱמִין *πιστεύειν credere* propriiſſimè, & in omni emphaſi ſua non tantùm ad teſtimonii receptionem, ſed etiam, & maximè quidem ad *πεποίθησιν fiduciam* ſignificandam adhibetur; & non ſolùm cum dativo, ſed etiam cum præpoſitione ב, quæ vertitur *εἰς, ἐν, ἐπὶ* conſtruitur. Sic Eſaj. XXVIII. 16. הַמַּאֲמִין לֹא יָחִישׁ *qui credit,* (ſe geſtandum præbet lapidi angulari, adeóque animum ſuum *ἑδραιοῖ, στηρίζει, βεβαιοῖ, confirmat,*) *non feretur præceps.* Huc facit locus à me citatus Eſaj. XII. 2. הִנֵּה אֵל יְשׁוּעָתִי אֶבְטַח וְלֹא אֶפְחָד *Ecce Deus ſalus mea, confidam* (Vulg. *fiducialiter agam*) *& non pavebo.* ubi בִּטְחָה *fiducia* pavori oppoſita ipſa fides eſt, quæ credentem ſecurum reddit, & metu liberat. Hinc adeò Abrahamus, cùm ei præceptum eſſet, *Noli timere,* addita Divini propoſiti declaratione, *Ego clypeus tuus,* & promiſſione ſeminis, cum ipſo in ſemine benedicendi, *credidiſſe* Geneſ. XV. 1--6. dicitur.

ARG. II. Fides paſſim definitur per ὑπόστασιν, παῤῥησίαν, πεποίθησιν, πληροφορίαν, 2. Cor. VI. 4. XI. 16. Hebr. III. 14. XI. 1. Non poteſt autem ita definiri ratione nudi aſſenſus, utpote qui talem ὑπόστασιν & παῤῥησίαν minimè gignit, ſed inprimis ratione fiduciæ, quæ rem in genere promiſſam *ſibi* ſtatuit & applicat, adeóque libertatis & gloriationis omnis cauſa eſt.

RESP. REDING: 1. *Ita nos fidem aſſenſu definimus, ut dicamus, illo certitudinem & firmitatem omnium maximam oriri, ex ipſa ſcilicet prima veritate revelante, ceu formali ejus ſpecificativo motivo ac principio derivatam. quæ proin ab Apoſtolo Hebr. XI. definitur* ὑπόστασις, *ſubſtantia rerum ſperandarum. Interim formaliter non eſt fiducia de Dei per Chriſtum miſericordia; tum quia 2. Cor. X. 5. fides dicitur captivare intellectum in obſequium Chriſti; adeòque ſic in intellectu ſubjectivè ponitur, ut imperativè ſit ex voluntate: tum quia fides juſtificans ſe virtualiter ac implicitè ad omnia Divinitus revelata extendit. 2. Quomodo verò* ὑπόστασις *illa fidei rem in genere ſibi promiſſam ſtatuit & applicat? Atqui promiſſio non eſt abſoluta, ſed ſub conditione fidei per dilectionem operantis. Nemini autem in particulari fit revelatio de fide in ipſo per dilectionem operante.* Ib. pag. 471. Reſp. 1. Aſſenſus primæ veritati habitus maximam utique certitudinem gignit; ſed non talem, qualem gignit ὑπόστασις, παῤῥησία, πεποίθησις, πληροφορία, in S. Scriptura decantata. Id vel ſolo eo argumento conſtat, quòd in Diabolis etiam & damnatis aſſenſus primæ veritati habitus certitudinem rei creditæ, & aſſenſu

receptæ

Digitized by Google

receptæ maximam gignit. Quia tamen, S. Jacobo cap. II. 19. teſte, idem ille aſſenſus, eadem certitudo cum tremore conjuncta eſt, icciro *ſubſiſtentia rerum ſperatarum, fiducia, plena perſuaſio*, quam fides juſtificans conjunctam habet, fides ſolo aſſenſu, certitudinem rei creditæ Divinam gignente, conſtans, fides ſalvifica & juſtificans eſt. Per quod igitur fides ſalvifica & juſtificans à fide Diabolica diſtinguitur, id fidei juſtificanti inſit oportet. Atqui per ſolam fiduciam rei creditæ ad ſe pertinentis à Diabolica fide juſtificans diſtinguitur. *Per fidem*, inquis, *captivatur intellectus ſub obſequium Chriſti*, 2. Cor. X. 5. Imò *τὰ ὅπλα τῆς στρατείας ἡμῶν δυνατὰ τῷ Θεῷ arma militiæ noſtræ potentia Deo*, qualia ſunt verbum Dei, Rom. I. 17. ſpiritus Dei, fides, converſatio noſtra in cœleſtibus, charitas, patientia, &c. omnem mentem in obedientiam Chriſti captivant, hoc eſt, omnem intellectum, ſeu hominem intellectu præditum, *omnem ſuperbè intelligentem*, uti gloſſa Interlinearis τὸ νόημα *intellectum* explicat; ita conſtringunt, & devinciunt, ut cogantur fateri, non aliter juſtificari & ſalvari hominem poſſe, quàm ſi Chriſto obediat. Sed plus requiritur ad eam fidem, quæ juſtificat credentem, cùm fides talis, qua Chriſtum eſſe Salvatorem mundi confiteri omnes debent, electis & reprobis, ipſique Diabolo communis eſſe poſſit. Quid igitur fidem illam, niſi fiducia promiſſionis creditæ ad ſe pertinentis diſtinguit? Quid quòd cogitationes omnes rediguntur ad obedientiam Chriſti, quæ, ceu promptitudo voluntatis præcipienti ſubjecta, voluntatis eſt. *Fides ad omnia Divinitus revelata ſe extendit*, inquis. Ita eſt, reſpectu generalis objecti. At fides, electum à reprobo diſtinguens, peculiare quid Divinitus revelatum, & per Spiritum Dei oblatum intimatúmque, Chriſtum, & ejus donum, juſtitiam, ut ſuam, vitæ & communionis cum Deo cauſam apprehendit. Hinc adeò Hebr. XI. 1. &c. omnes illi, quorum fides ibi laudatur, v. 39. ad promiſſionem miſericordiæ in Chriſto collimaſſe dicuntur. 2. Habet quidem promiſſio illa juſtitiæ Chriſti conjunctam conditionem fidei, ſed quæ non ab arbitrio hominis, ſed à gratia & εὐδοκίᾳ Dei pendet; cujus etiam unà cum ipſo Chriſto donandæ revelatio tum in generali promiſſione Dei, quæ à ſingulis electis, utpote ad ſe pertinens applicatur; tum in teſtimonio & arrhabone ſpiritus eis dati, tum in obſignatione ſpeciali Sacramentorum ex Divina inſtitutione, tum denique in cordis ipſius tabulis & ſenſu intimo extat. Dicere enim S. Paulus potuit: *Novi, cui crediderim*, 2. Tim. I. 12. licet, quòd crederet, nuſpiam in Scriptura ſpecialiter revelatum extiterit. *Non enim*, ſic præclarè S. Auguſtinus *de Trin. lib. XIII. cap. 1.* ſcribit, *ſic, ut corpora oculis corporeis, videtur fides in corde, in quo eſt, ab eo, cujus eſt, ſed etiam tenet certiſſima ſcientia, clamátque conſcientia.* Et *cap. 2. Suam*, inquit, *quisque fidem apud ſemet ipſum videt, in altero autem credit eam eſſe, non videt.*

ARG. III. Quæ de fiducia Spiritus S. enunciat, eadem alibi fidei tribuit. Ita Pſal. II. v. ult. beati dicuntur חוסי בו *confidentes* in Chriſto. Idem tribuitur fidei Marc. XVI. 6. Confer Eſai. XXVI. 3. cum Rom. X. v. 11. Non poteſt igitur fides eſſe ſine fiducia.

Resp. Reding: *Etiam fidei & fiduciæ in S. literis tribuitur beatitudo. An icciro unus & idem actus ſunt? Siccitas & calor diſponunt ad formam ignis. An icciro eadem ſpecie & numero qualitas ſunt?* Ib. pag. 471. Reſp. Saltem inde fidei & fiduciæ in ſalvandis conjunctio individua probatur, quod nobis ſufficit.

ARG. IV.

ARG. IV. Eadem ſunt oppoſita fidei & fiduciæ. Fidei enim opponitur *τὸ διςάζειν, dubitare*, Matth. XIV. 31. Rom. IV. 20. Jac. I. 6. *τὸ μετεωρίζεσθαι, ſublimia ſapere*, Luc. XII. v. 28. 29. ὀλιγοπιςία, Matth. VI. 3. VIII. 26. XIV. 31. פחד *timor & metus*, Eſai. XII. 2. Luc. VIII. 50. Marc. V. 36. *diffidentia*, Rom. IV. 20. Atqui hæc ipſa fiduciæ quoque ſunt oppoſita. Hinc eſt, quòd Abrahamus, cùm ei præceptum eſſet: *Noli timere*; addita declaratione divini propoſiti, *Ego clypeus tuus ero*, & promiſſione ſeminis cum ipſo in ſemine benedicendi, dicitur *credidiſſe*, Geneſ. XV. v. 1. 2. 6. Ubi fides oppoſita timori illi fiduciam neceſſariò includit.

RESP. REDING: *Dubitare, altum ſapere, eſt intellectus. Ergo in eodem eſt oppoſita ei fides. Timor contra & metus in voluntate eſt. Ergo in eadem oppoſita fiducia eſt. Sunt igitur actus re ipſa diverſi, licet eam inter ſe habeant connexionem, ut fiducia ſuper fidei certitudine radicetur, adeóque actus fidei contrarii radicaliter etiam fiduciæ opponantur.* Ib. pag 472. Reſp. Dubitare, ſublimia ſapere ita intellectus ſunt, ut tamen etiam fiduciæ, quæ voluntatis eſt, opponantur. Quæ ejus rei cauſa, niſi quòd fiducia fidei, ceu facultati complexæ, non ſimplici, ineſt? Neque enim propterea eadem utrique opponuntur, quia fiducia ſuper fidei certitudine radicatur, vel, uti Bellarminus loquitur, à fide oritur. Hoc enim omnes virtutes cum fiducia commune habent. Inde potiùs eſt, quia fiducia cum fide in eadem facultate, ceu perfectio ejus, vel illud, ad quod fides, quatenus in intellectu eſt, proximè tendit, & ſine quo in actibus ſuis, juſtificante inprimis, nec efficaciam, nec virtutis Theologicæ rationem habet.

ARG. V. Fidei juſtificantis effecta ſunt *remiſſio peccatorum*, Act. X. 13. *juſtificatio*, Rom. III. 28. Gal. II. 16. *tranquillitas conſcientiæ*, Rom. V. 1. *benedictio cœleſtis*, Gal. III. 9. *purificatio cordis*, Actor. XV. 9. *victoria Sathanæ*, Epheſ. VI. 16. *acceſſus ad Deum*, Rom. V. 2. *vita & ſalus æterna*, Johan. III 16. Marc. XVI. 16. Atqui hæc ſingula præſtat non nudus aſſenſus bonis juxta maliſque, quin ipſi Diabolo communis, ſed inprimis fiducia erga promiſſionem ſpecialis miſericordiæ.

RESP. REDING: *Effectus illi tribuuntur fidei non mortuæ, qualis etiam in Diabolum cadit, nec fiduciæ cuidam ſpecialis miſericordiæ; ſed fidei vivæ, quæ bonis operibus cooperatur, Jac. II. 20. 22. & per dilectionem operatur, Gal. V. 6.* Ib. pag. 472. Reſp. Utique fidei vivæ tribuuntur. Sed fidei vita ejuſdem eſſentia eſt. Atqui fidei eſſentia non charitas, non opera legalia, utpote à fide diſparata, & in juſtificante actu eidem oppoſita; ſed in genere verbi revelati notitia cum ὁμολογίᾳ aſſenſúque conjuncta; in ſpecie autem, quoad ſalvificam & juſtificantem fidem, verbi Evangelii ſeu promiſſionis notitia cum aſſenſu & fiducia, ſeu cordis in Deum reclinatione, & arcis Dei apprehenſione (Eſaj. XXVII. 5) conjuncta. Cooperari autem fidem bonis operibus Jacobus dixit, non quòd vel bona opera, vel charitas ipſa ejus forma & vitale principium, vel cauſa ſocia juſtificationis ſint; ſed vel quia ſicut radix ſuppeditat, quæ & plantæ conſervandæ, & fructibus proferendis neceſſaria ſunt: ſic fides operibus, tanquam eorum cauſa & radix, neceſſaria

Digitized by Google

saria quæque suppeditat: vel quia non est otiosa, expers operum & quidem operantium, verùm per charitatem efficax; atque ejusmodi opera fidelium ceu fructus fidei, ad patefactionem & demonstrationem fidei intus latentis, & justitiæ Christi per fidem acceptæ eduntur.

ARG. VI. Fide non tantùm veritatem quærimus, ut simus eruditiores, sed sapientiam, qua vitam & tranquillitatem & beatitudinem assequimur: Deúmque non tantùm ut veracem, sed etiam ut benevolum & potentem, adeóque remuneratorem quærentium se, aspicimus & recolimus.

RESP. REDING: 1. *Fateris sic, fidem justificantem non coarctari ad objectum specialis misericordiæ, sed ad cætera etiam objecta revelata, potentiæ nimirum Divinæ, aliorúmque Dei attributorum.* 2. *Sic fides quærit veritatem, ut procedat ad operandum ex dilectione.* Ib. pag. 472. Resp. 1. Fateor, & fassus semper sum. Quid tum postea? Quæstio non est de generico, sed de specifico, fidei objecto, quod vos specialem Dei misericordiam esse, impiè negatis, cùm ejus rei universa Evangelii doctrina in Scripturis revelata testis sit. Quid enim fides Christum apprehendens aliud est, quàm fides specialis misericordiæ in Christo? Quid clarius Scripturæ testimoniis, quorum alia fidei objectum Christum, Joh. I. 12. III. 16. 18. VI. 40. Act. IV. 12. Rom. X. 4. alia gratiam & misericordiam Dei in Christo, Rom. III. 24. 25. V. 1. Ephes. II. 8. Tit. III. 5. alia promissiones Evangelicas, Gal. III 14. 22. alia in specie peccatorum remissionem, Act. X. 24. XXVI. 18. exprimunt. Quid clarius exemplis fidelium V. & N. T. quorum fides præcipuè promissionem fœderis gratiæ seu gratiam remissionis peccatorum propter Christum promissam respexit, expetiit, obtinuit? uti de fidelibus V. T. loca Psal. II. 12. XXXIII. 2. CIII. 3. 8. Dan. IX. 17. 18. 19. Rom. IV. 24. 25. Gal. III. 6. 8 14. de fidelibus N. T. loca Luc. XVIII. 19. Act. XV. 11. ex pluribus pauca fidem indubitabilem faciunt. 2. Procedit omnino fides, postquam justificavit, ad operandum etiam & diligendum, quia per charitatem efficax est. Sed insuper, quatenus justificat, non tantùm per notitiam & assensum in veritatem promissionis; sed etiam per fiduciam in Dei misericordiam & benevolentiam justitiam Christi liberaliter donantis, fertur. Hoc ego asserui, & tu non impugnas.

ARG. VII. Fides comparatur cum aspectu serpentis ænei, Joh. III. 14. 15. cum sigillo, Johan. III. 33. cum cibo, Johan. VI. 35. 51. Atqui aspectus serpentis erat fiducia erga promissionem Dei: sigillum, quo obsignatur, Deum esse veracem, fiduciam exigit: cibus etiam fiduciam insinuat, quia non prodest is, nisi applicatus & in succum sanguinémque conversus.

RESP. REDING: 1. *In aspectu Serpentis fides se habuit tanquam fundamentum fiduciæ erga Dei promissionem, licet actus diversi fuerint.* 2. *Fides Deo, ceu primæ veritati innixa, voluntati prælucet, ut sic excitata fiduciam concipiat. Non igitur sigillum, quo obsignatur, Deum esse veracem, fiduciam exigit.* 3. *Fides cum cibo comparatur, quia applicationem per dilectionem exigit.* Ib. p. 472. 473. Resp. Perversè omnia. Etenim 1. ipse Serpentis aspectus fiducialis erat. Neque enim non fiducialis, qualis hypocritarum esse

 potuit,

Digitized by Google

potuit, salutaris, vel veræ fidei aspectus fuit: Atqui aspectus erat fidei. Fides igitur fiducialis erat. 2. Fides justificans sic primæ veritati innititur, ut non tantùm voluntati prælucea, atque sic voluntas fiduciam concipiat: sed tum in primam veritatem promittentem notitia & assensu fertur, tum eandem voluntatis motu & fiduciali assensu apprehendit. 3. Ita est. Comparatur fides cum cibo, ob applicandæ promissionis necessitatem. Atqui illam dilectione, à fiduciali assensu distincta, applicari debere, falsò asseris, neque probare potes. Ipsa fiducia amorem rei, cui confidimus, conjunctam habet. *Nam credere in Christum est credendo amare, credendo diligere, credendo in illum ire, & membrum ejus effici.* ut præclarè S. Augustinus *tract.29. in Joh.* definit. Quis hoc nudo assensui tribuat? Interim responsiones tuæ saltem conjunctionem necessariam fidei cum fiducia confirmant. quod nobis sufficere potest.

ARG. VIII. Fidei objectum proprium est promissio gratiæ in Christo Mediatore. Perpetua enim est relatio inter verbum promissionis & fidem, quæ verbo illi innititur. Atqui promissio illa neutiquam nudo assensu, sed inprimis fiduciâ recipitur & applicatur.

RESP. REDING: 1. *Fidei justificantis objectum ad quævis objecta sub obscuro Divinæ revelationis velamine obvoluta se extendit; non ad solum verbum Divinæ promissionis. Non igitur formaliter est fiducia, sed fiduciæ radix & fundamentum.* Ib. pag.473. Resp. Frivola responsio. Sic enim fidei objectum ad revelata omnia extendis, ut verbum promissionis non excipias. Quomodo enim exciperes, cùm promissio æquè, ac quodvis aliud verbum Dei, revelata sit. Si igitur in promissionem Dei fertur, quomodo non in promissionem misericordiæ, quæ extra Christum nulla est, in Evangelio oblatæ, & vera fide amplexandæ? Atqui non nudo, sed fiduciali assensu rem, ad nos pertinentem, salutis nostræ basin amplexamur. Non igitur fides justificans fiduciæ radix duntaxat, sed ipse fiducialis assensus, promissionis Evangelicæ apprehensio est; quatenus certa *πεποιθήσει* & *πληροφορίᾳ*, firmissima persuasione quisque fidelis sibi charitatem Dei in Christo speciatim applicat, Rom.VIII.38. Gal.II.20. Alia ratio est ejus fiduciæ, quæ acquiescentia & securitas quædam animi est, 2.Cor.III.4. Phil.III.4. quæ *καταχρηστικῶς confidentia* appellatur, & ex persuasione nascitur. quam fidei effectum esse, ultro largimur. Nam de cujus erga nos gratia, verbo promissionis testata, persuasi sumus, ei non possumus non confidere, in eum toti non possumus non recumbere.

ARG. IX. Facit huc definitio fidei, quam ex Augustino tradit Lombardus dist.33. lit.D. *Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & membris ejus incorporari.* Agnoscit id ipsum Jansenius cap.32. Harmon. Evangelicæ.

RESP. REDING: *Annon amor à fide distinctus est? Si ergo, ut fides sit justificans, oportet credendo amare, fides non mortua, sed charitate fœcundata, justificat.* Ib. pag.473. Resp. Nec sic respondes, sed syllabas meas rodis. Quomodo fidei, quæ *credendo amat, in Deum it, ei adhæret, & membris Dei incorporatur*, uti ex Augustino Lombardus repetiit, fiducia non insit, hoc verò quæritur: ad hoc respondendum fuerat. Lombardo *ὁμόψηφον* indicavi Jansenium, cujus *in harm. Evang. cap.32.* hæc verba sunt: *Rectissimè dicitur nomen fidei in Evangeliis, cùm ei tribuitur salus aut consecutio omnium, quæ volumus, complecti*

Digitized by Google

piecti utrumque, nempe & aſſenſum illum firmum in credendis de Deo & Chriſto, & fiduciam ex illius omnipotente bonitate conceptam, quamvis in quibusdam locis magis videntur haberi reſpectus ad credulitatem & aſſenſum illum mentis, in quibusdam verò ad fiduciam. Ita enim duo hæc ad invicem cohærent, ut nec fiducia poſſit eſſe ſine credulitate, nec credulitas ſine fiducia quicquam impetret à Deo, atque fiduciæ magnitudo ex credulitatis perfectione naſcatur. Theologo & Epiſcopo huic Gandavenſi jungere liceat Cardinalem inclyti nominis, Caſparum Contarenum, qui *tract. de juſtificat.* ſic ſententiam noſtram confirmat: *Interdum actus ille, quo credimus, conſuevit appellari fides, qui actus quamvis ſit elicitus ab intellectu, eſt tamen imperatus à voluntate. Iccirco Apoſtolus dicit, ad obedientiam fidei. Credimus enim, quia volumus Deo obedire. Fides etiam quandoque appellatur fiducia, qua confidimus promiſſioni nobis factæ à quocunque. Verùm nos contrahimus hanc fidem ad promiſſionem Divinam, quæ eſt in Deo, quatenus promiſſa ſervat. Sic in Pſalmo: Fidelis Deus, &c. In nobis verò eſt hæc fides, prout fidimus promiſſioni Divinæ. Hæc fidei ſignificatio pro fiducia eſt conjuncta ſignificationi ſpei, quamvis ſpes propriè reſpiciat futura, fiducia verò etiam præſentia & præterita. Attamen propinqua eſt hæc fiducia ſpei. quamobrem ſæpe una pro alia ſumitur.* Dehinc Cardinalis officium fidei in juſtificatione his verbis ſubjicit: *Primus animi motus in juſtificatione eſt motus fidei, quem motum ſeu actum appellamus fidem. Hic autem motus incipit à voluntate, quæ obediens Deo & fidei efficit, ut intellectus aſſentiatur abſque hæſitatione traditis à Deo; & ideo promiſſionibus Divinis confidat, & concipiat ex illis firmam fiduciam, quæ pertinet ad voluntatem. ut quaſi circulo quodam incipiat à voluntate hæc fides, & deſinat in voluntatem. Promiſſio autem Dei, cui firmiter credit, eſt, ut inquit B. Thomas, quòd Deus remittat peccata, & juſtificet impium per miniſterium Chriſti. Ipſe enim eſt author ſalutis omnibus credentibus in eum.* En, Redingi, non olim duntaxat ad ſtructuram Templi aliquid à Republica Iſraëlis alieni contulerunt; ſed ſingulari Numinis providentia id hodiéque fit. Reſtat tua ex verbis Auguſtini & Lombardi argutatio. *Fides*, inquis, *credendo amat: Ergo non ſola fides, ſed etiam charitas juſtificat.* Fidem credendo amare, rectiſſimè S. Auguſtinus dixit. Et ex eodem Lombardus monuit. Neque verò aliter eſſe poteſt, cùm in eo, quod Deus teſtatur, & ſalutaris fides recipit, ſit manifeſtatio gloriæ Dei, atque adeò fides ſit amor gloriæ Dei, non tantùm prout is verax eſt in verbo, ſed etiam, prout virtutes ſuas per teſtimonium patefacit. Sic qui credit, dicitur *Deo dare gloriam*, Rom. IV. 20. & *ἀγαπᾶν τὴν δόξαν αὐτοῦ amare gloriam* ipſius. Joh. XII. 43. & ſæpe in Scripturis amare nomen Dei, Pſal. V. 12. Fides enim eſt *obedientia*, Rom. I. 5. & *ὑποταγὴ ſubjectio*, 2. Cor. IX. 13. & contraria infidelitas *ἀπείθεια inobedientia*, Joh. III. 36. 1. Petr. II. 8. Nemo autem obedit, niſi qui diligit & Dominum, & illius dominium atque imperium. *Una charitate ſuaviter & veraciter obeditur*, inquit S. Auguſtinus *de bono perſev. cap. 16.* Et quomodo fides, quæ eſt receptio Salvatoris & Domini, juſtitiam ac ſalutem donantis, ſine amore eſſe poteſt? Quomodo amabiles Numinis virtutes, veracitatem, Sapientiam, bonitatem, Sanctitatem, juſtitiam cernens & apprehendens vera fides, non tota in ejus amorem exardeſcet, exultabit & deliciabitur? Etiam Scholaſtici veſtri requirunt in voluntate virtutem, quæ moveat intellectum ad aſſenſum talem, quæ veritatem Dei obſignet. Sed negant eſſe charitatem, nominántque *ſtudioſitatem & piam affectionem.* uti Valentia *tom. 3. ad Thom. d. 1. q. 1. punct. 4. St. 1. pag. 62.* Gropperus tamen *Enchir. cap. de pœnit.* nobis totus ſuffragatur his verbis: *Nec hoc omittendum eſt, fidem ſecundum priores duas credendi rationes in intellectu conſiſtere: ſecundùm*

tertiam

tertiam verò etiam in voluntate, quod actio fidei sit accepta, quod est credere, fidere, adhærere Deo, non solo intellectu, quem fides illuminat, sed & voluntate, quam accedente charitate inflammat, perficiatur. Non igitur non sola fides propterea justificat, quia in ea etiam amorem esse cum Scriptura & Augustino statuimus. Distinguere enim debuisti amorem Dei, ut se per testimonium offerentis ad fœdus, ab amore omnium attributorum Dei, & operum ejus, & proximi; nec non ab ardore eo, in quem excrescimus, & à tranquilla suavitate, qua in Deo deliciamur. Ille veræ fidei non potest non inesse: hic, ceu charitas, à fide distinguitur, & à fide, ceu effectus, oritur.

ARG. X. Dogma hoc Synodi aurigatur ad statuminandam & nutriendam dubitationem de gratia Dei, quam in sequenti quæstione oppugnabimus.

RESP. REDING: *Dubitatio gemina est, vel de promissione gratiæ justificantis sub conditione pendente à fide per dilectionem fœcundata: vel de promissione absoluta, & à subjecti dispositione independente. Hanc, non illam dogma Synodi excludit.* Ib. pag. 473. Resp. Quis nostrûm promissionem gratiæ justificantis sic absolutam statuit, ut à fide, ceu instrumento hæc independens sit? Et promissionis gratiæ & fidei par certitudo est. Non enim sic Christi justitia promissa est, quin simul promissa sit fides, ceu purum putum Dei donum. Atque idem & acceptæ justitiæ, & acceptæ fidei sensus; eadem continuandæ utriusque certitudo est.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Paulus Hebr. XI. 1. fidem definit substantiam rerum sperandarum, quia repræsentat res futuras intellectui. Atqui hoc non est fiducia, quæ voluntatem, sed assensus, qui intellectum occupat.* Resp. Fides vocatur eorum, quæ sperantur, ὑποστάσεως *pollicitatio quædam & repræsentatio.* Nam ea quæ sperantur, ὑφίσταται *pollicetur sibi*, tanquam periculum omne & aleam ambiguitatis subiens, vel *sistit* & repræsentat, tanquam si illa jam haberet. Id quod est המחכה *præstolantis.* Apostolus 2. Cor. IX. 4. & XI. 17. vocat ὑπόστασιν καυχήσεως, fiduciam gloriationis, velut si quis dicat: ὑφίσταμαι καυχᾶσθαι *habeo fiduciam gloriandi, audeo gloriari.* Ita ὑφίστασθαι τὰ ἐλπιζόμενα est sibi promittere res speratas, subire periculum speratorum. Ita ὑπόστασις simpliciter est *fiducia*, seu sponsio, quâ nobis aliquid promittimus, vel gloriatio. Unde pro תוחלתי Psal XXXIX. 8. & pro תקוה Ruth. I. 12. LXX. reddunt ὑπόστασις.

EXCIP. REDING: 1. *Ineptias spiras. S. Paulus enim 2. Corinth. IX. 4. Corinthios monet, ut parati sint ad eleemosynas, ne quod gloriabatur de ipsis, evacuaretur, atque sic in hac hypostasi erubesceret. An sic hypostasis fiduciam notat? Ita cap. XI. 17. dicit, quid gloriando de suo Apostolatu, locutus sit secundum Deum in hypostasi suæ gloriationis. Reliqua nihil ad rem. Et in libro Ruth nihil reperio planè. 2. Pollicitationis natura est, ut rem promissam repræsentet. Ergò recepta subjectivè in eo, cui fit pollicitatio, intellectus est. Hinc Syrus vertit, Pejasa, persuasio, seu certitudo de rebus, quæ sunt in spe.* Ib. pag. 474. Resp. 1. Ineptias ergo meras spiro, quia significatum vocis ὑποστάσεως eruo.

Digitized by Google

Tu verò, qui hæc ſolidè ignoras, aptiſſimus es omnium, & Criticorum ocellus! Quid ni? In loco enim 2.Cor.IX.4. interrogare potuiſti: *An ſic hypoſtaſis fiduciam notat?* Hæc tota tua criſis eſt. Imò verò ὑπόστασις τῆς καυχήσεως *fiduciam gloriationis* eo loco ſonat. Nam τὸ ὑφίστασθαι καυχᾶσθαι ſignificat *audere gloriari.* Unde Polybius ὑπόστασιν & τόλμαν jungit, & ὑποστατικὸν explicat τολμηρόν. Et Hebr. III. 14. ὑπόστασις non aliud quàm καύχησιν *fidentem gloriationem* notat. In altero loco 2.Cor.XI. 17. Paulus ait, quod loquitur, ſe loqui, ἐν ὑποστάσει τῆς καυχήσεως. quaſi dicat, ὅτι ὑπέστην καυχᾶσθαι, quia *fidenter glorior* Hinc adeò vocem Hebræam תקוה, quæ fiduciam illam, quæ in ſpe (nam alia fidei, alia ſpei fiducia eſt) eſt, ὑπόστασιν Septuaginta Interpretes in locis Ruth. I. 12. (quem ob vocis Hebraicæ ignorantiam reperire non potuiſti) & Ezech. XIX. 5. reddunt. Nam ὑφίστασθαι etiam *ſuſtinere, non cedere, fidenter contraire,* ſignificat. 2. Pollicitationis hujus, quam ὑπόστασιν S. Paulus vocat, ea natura eſt, ut rem promiſſam & ſperatam, ſibi, perinde ac jam præſtitam, repræſentet. Quomodo verò res ſic repræſentata, perinde ac ſi ſubſiſteret in eo, cui repræſentatur, fiducia carere poteſt? Quomodo repræſentatum abeſſe à voluntate fidente & amante poteſt? Non enim duntaxat intellectui ſpeculandum, ſed voluntati etiam recipiendum, apprehendendum, amandum offertur. Thomas 2.*quæſt.*4.*a.*1.ſcribit, *habitudinem actus fidei ad finem, qui objectum voluntatis eſt*, ſignificari. Alexander Alenſis, *fidei eſſe ſubſtantiale, ſeu formale eſſe in affectione; & ratione affectionis dici ſubſtantiam.* Neque פיסא *perſuaſio*, *certitudo* rei ad ſe pertinentis fidei ſine fiducia tali ineſſe poteſt. Quis enim non videt, fiduciam magis quàm vel notitiam, vel aſſenſum, res ſperandas præſentes & noſtras facere?

OBIECT. II. *Ibidem Paulus fidem definit* ἔλεγχον *demonſtrationem rerum, quæ non videntur. Atqui hoc ipſum etiam pertinet ad intellectum, cujus eſt convinci argumentis, aſſentiri, judicare. Fiducia autem eſt in voluntate.* Reſp. Imò ἔλεγχος talis eſt *demonſtratio*, tale *argumentum* eorum, quæ non videntur, ut ipſam voluntatem intimè afficiat, ſpe certiſſima eorum, quæ non videntur, ſuſtentet, adeóque fiduciâ impleat. Eſt enim talit demonſtratio, qua id, quod ſperatur, non videtur, applicatur tanquam præſens & jam poſſeſſum. Hoc ſine fiducia minimè fieri poteſt.

Excip. Reding: *Fidem Apoſtolus dicit eſſe elenchum, hoc eſt, demonſtrationem, vel, uti Syrus vertit, perſuaſionem ac certitudinem rerum non apparentium. Hoc totum formaliter ad intellectum pertinet. Cauſaliter tamen importat actum voluntatis, quia certitudo ea eſt de rebus inevidentibus, adeóque ſine motione voluntatis motivum ex ſe ſufficiens ad intellectum non eſt. Eſt igitur fides radix ſpei ac fiduciæ, non formaliter ſpes ac fiducia.* Ib. pag. 474. Reſp. Obiter tuum Syrizandi infelicem pruritum noto. Supra dixeras, vocem ὑποστάσεως à Syro exprimi per פיסא *perſuaſionem, certitudinem.* Rectè. Nunc verò addis, etiam vocem ἐλέγχου *elenchi* ab eodem reddi voce *perſuaſionis, certitudinis.* Quis ità tibi impoſuit? Aliter certè vocem ὑποστάσεως, aliter vocem ἐλέγχου Syrus convertit. Adſcribere ejus verba non pigebit. Sic enim habent: היִמנותא פיסא על דילין דאיתיהן בסכרא איך הו דהוי להין בסוערנו וגליונא דאילין דלא מתחזין *Fides eſt certitudo de iis rebus, quæ ſunt in ſpe, ac ſi jam exiſterent actu; & revelatio eorum, quæ non videntur.* Non igitur ei *elenchus* certitudinem ac perſuaſionem, ſed *revelationem* notat: & certitudinem is intelligit rerum, perinde ac ſi actu

eſſent. Ita ut non intellectui duntaxat cognoſcendæ, ſed voluntati etiam ampléctendæ ſiſtantur. Cœterùm ἔλεγχος notat *demonſtrationem* rerum, quæ non videntur, non quamvis, ſed demonſtrationem rerum ad nos pertinentium & applicandarum; & *argumentum* vel *demonſtrationem* ſignificat non propriè, ſed per metonymiam effecti. Nam, uti eleganter Alex. Alenſis *pag. 3. quæſt. 68. m. 5. a. 2.* obſervat, *in Logicis argumentum facit fidem: ſed in Theologicis fides facit argumentum.* Fiducia autem in voluntate eſt mihi proprium argumentum rei non viſæ, perinde ac ſi eam præſentem viderem; facitque intellectum ſic aſſentiri huic veritati, (illæ res ſunt meæ) quaſi omni rationis evidentia de illa jam convictus eſſet. Proin fides potiſſimùm ratione fiduciæ voluntati inhærentis, & ad fidem formaliter pertinentis, ejuſmodi elenchus & demonſtratio eſt. Unum addo, perversè te, cum obſcuris Scholæ tuæ doctoribus, ex verbis Apoſtoli, quod *fides ſit demonſtratio eorum, quæ non videntur*, colligere, eam verſari circa inevidens, adeóque alio, voluntatis ſcilicet, motivo indigere. perinde ac ſi, uti Gabriel Biel *3. S. d. 23. q. 2. a. 3. dub. 4.* loquitur, *apprehenſo vero certo, ſed inevidenti, adeóque non ſufficienter probato, non cogatur intellectus aſſentiri, niſi ex imperio voluntatis.* Quod revelationis Divinæ certitudinem longè intra ſcientiarum naturalium certitudinem detrudit. Equidem quod creditur, non videtur. Non tamen inevidens eſt. Nam & verba, quibus revelatur, habent evidentem adeò ſententiam, ut mente noſtra poſſimus intueri, quid in mente & animo loquentis ſit, ſive quid is à nobis velit intelligi, credi, ſperari. Et quod per conſequentiam evidentem concluditur ex revelatis, evidens eſt, quia evidenter concluſum eſt, & evidenter ſequitur. Ipſum tamen illud non videtur, æquè atque illud, ex quo concluditur. Evidens eſt, eum, qui promittit juſtificationem, etiam promittere glorificationem. An iccirco juſtificatio & glorificatio videtur, & non creditur? Aliud ſcilicet eſt evidentia conſecutionis, aliud evidentia rei ipſius, ejúſque viſio.

OBIECT. III. *Idem Paulus Hebr. XI. 6. Fidei actum facit, credere Deum eſſe, & remuneratorem eſſe eorum, qui ipſum quærunt. At hoc ad aſſenſum intellectus, non fiduciam voluntatis pertinet.* Reſp. 1. Quid ſi ad aſſenſum ſolum maximè referenda eſſent, quæ hic Apoſtolus fidei tribuit? An idcirco fidem non eſſe fiduciam ſequeretur? Poſito uno non ſtatim removetur concomitans. 2. In eo quod peccator credit, *eſſe Deum*, non tantùm eſt convictio, quòd extet ens primum, æternum & independens, ſed etiam, quòd ſit juſtus, ſanctus, diſſimilis peccatori, qui juſtificet impium ſine abnegatione ſui & deſertione judicii, adeóque non ſine merito Chriſti. Et in eo quòd credit, *Deum eſſe remuneratorem quærentium ſe*, continetur fides ſeu fiducia in promiſſionem ejus, qui poteſtatem dat reſtipulandi à Deo in bona conſcientia id, quod præmium Deus nominavit. Neutrum ſine fiducia obtinere poteſt.

EXCIP. REDING: *1. Si fiducia reſpectu fidei ſolùm concomitans eſt, realiter igitur inter ſe diſtinguuntur. 2. Credere quòd Deus ſit Ens primum, æternum, independens &c. annon eſt accedere ad Deum? Adeóque intelligi poteſt ſine juſtificatione? Contrarium tamen ſupra pertendiſti. 3. S. Paulus diſtinguens fidem, quòd Deus ſit, & quòd remunerator ſit, arguit, quòd præciſa de Dei exiſtentia dari poſſit fides, quæ in cætera Dei attributa non feratur.*

Quomo-

Digitized by Google

Quomodo igitur in fide tali erit fiducia? 4. Et quomodo fiducia eſt in fide ea, quòd Deus ſit remunerator, cùm non aliud ſit, quàm firma de Deo remuneratore perſuaſio? Ib. p. 475. *Reſp.* 1. Sophiſtam pro more agis. Non fidem, ſed aſſenſum concomitari fiduciam dixi. 2. Qui ad Deum accedit, credere debet, quòd Deus ſit, & quòd juſtus, ſanctus ſit, & peccatorem juſtificet. Sed non quiſquis hæc credit, ad Deum accedit. Proin Apoſtolus accedenti ad Deum utrumque, & quòd Deus ſit, & quòd remunerator ſit quærentium ſe, credendum eſſe aſſeverat. Neque uſpiam affirmavi, ad juſtificationem, quæ acceſſum ad Deum munit, ſufficere fidei priorem illum actum ſine poſteriori, qui manifeſtè fiduciam includit. Quomodo enim ſine fiducia credere quiſquam poteſt, Deum ſui, quærentis eum, remuneratorem eſſe? 3. Poſſe dari fidem, quæ feratur in Dei exiſtentiam, & non ſimiliter in ejus attributa omnia, otiosè pertendis. Quis enim tantillum dubitat? At credi poteſt Deum eſſe, exiſtere, ſanctum, juſtum eſſe ſine fide, quòd is remunerator quærentis ſui. Hoc enim fiduciam exigit. 4. Adeóque fides Dei remuneratoris quærentium ſe non nuda de Deo remuneratore perſuaſio eſt, ſed ejusdem apprehenſio & applicatio, qua quærentem ſic remuneratur, ut pretioſiſſima promiſſa impleat.

OBIECT. IV. *Fides in Scriptura diſtinguitur à ſpe, 1. Cor. XIII. v. 14. Atqui ſpes eſt fiducia corroborata. Non igitur fiducia ineſt fidei.* Reſp. 1. Fides & ſpes ita diſtinctæ ſunt, ut ſimul tamen ſint conjunctiſſimæ. Nam & fidei ſpes ineſt, & ſpei fides. Qui credit promittenti, ſperat. Qui ſperat, credit ſe bona promiſſa conſecuturum. *Fidei* eſt, res promiſſas ſibi polliceri, & de iis gloriari, quia ſecundum verbum promittentis *ſperat.* Quatenus futura bona expectat cum patientia, promtitudine & deſiderio obtinendi, *ſperat*: quatenus promittenti aſtipulatur & ſubſcribit, *credit.* Ita etiam Cardinalis Contarenus *de Iuſtif.* explicat. 2. Ineſt igitur & ſpei & fidei ſua fiducia. Spei fiducia eſt, qua fidenter & ſecurè expectantur bona promiſſa. Fidei, qua bonis promiſſis fidenter & conſtanter ſubſcribimus.

Excip. Reding: 1. *Si fidei ſpes ineſt, ſpes de fidei eſſentia erit, eámque conſtituet. Quomodo ergo virtutes diſtinctæ ſunt? 2. Fides eſt radix & fundamentum ſpei, non formaliter ipſa ſpes. 3. Diverſi fidei & ſpei ſunt effectus formales. Fides enim, uti ipſe ex Contareno diſtinguis, Deo promittenti aſtipulatur: ſpes bona futura expectat cum promptitudine & deſiderio obtinendi. In ſpe igitur eſt ſecuritas & confidentia, quæ ad voluntatem; in fide certitudinis firmitas, quæ ad intellectum pertinet.* Ib. pag. 475. 476. Reſp. 1. Quis non ineptias tuas deploret? Tu ipſe fidem ſpei radicem & fundamentum appellaſti. Annon verò arbor radici, domus fundamento ineſt, & viciſſim? An ſic fides & ſpes, etiam juxta te, radix & arbor, fundamentum & domus eadem formaliter ſunt, atque ſe conſtituunt? Clavus parieti ineſt. An parietem conſtituit, vel paries formaliter eſt? Quæ ſibi mutuò inſunt, conjunctiſſima, cognata & inſeparabilia non eadem ſunt. Qui credit, ſperat: qui ſperat, credit. Non iccirco vel facultates, vel actus formaliter iidem ſunt. Sicut non ideo fides charitas eſt, quia, qui ſalvificè credit, amat; & qui ſalvificè amat, credit. 2. Fides ſpei fundamentum & radix eſt tam ob certitudinem expectationis boni promiſſi, quæ omnis à fide derivetur oportet; tum quia non ſperatur quicquam, quin ante fide credatur, ſeu promiſſum apprehendatur. *Nos enim Spiritu, ex viſtus ex fide ſpem juſtitiæ expectamus.*

mur, Gal. V. 5. Cùm enim fides apprehendat, quod promittitur, & spes expectet, quod promittitur: tota jam differentia inter fidem & spem est ratio præsentis & futuri. Unde futilitas distinctionis vestræ, qua conceditis, fideles de salute sua certos esse posse certitudine spei, non certitudine fidei, pellucet. Eadem enim utriusque certitudo est, & quicquid certitudinis spes habet, id omne à fide, quam fundamentum spei esse agnoscis, habet. Hinc adeò in Scripturis, præsertim V. T. spes sæpissime pro fide ponitur. 3. Licet igitur fidem & spem formaliter differre non negemus: non icciro tamen conjunctissimæ & inseparabiles non sunt, vel fiducia, quamvis diversa ratione, & fidei & spei non inest. Id Contareni à me laudati verbis *tract. de justif.* explicabo. Sic autem ille: *In nobis est hæc fides, prout confidimus promissioni Divinæ. Hæc fidei significatio pro fiducia, conjuncta est significationi spei, quamvis spes propriè rejiciat futura, fiducia verò etiam præsentia & præterita; attamen propinqua est hæc fiducia spei. Quamobrem sæpenumero una sumitur pro altera. Damascenus lib. IV. sic explicat, fidem illam Hebr. XI. 1. interpretatur per spem. Apostolus Rom. IV. 19. 20. opponit diffidentiæ fidem, id est, confidentiam.*

OBIECT. V. *S. Paulus Ephes. III. v. 12. Fiduciam à fide distinguit ajens, habere nos fiduciam & accessum in confidentia per fidem. Ergo fides non est fiducia.* Resp. 1. Argumentum invertimus. Ex fide justificante oritur confidentia ac παῤῥησία. Atqui ex solo assensu minimè ea oriri potest. Non igitur fides justificans nudus assensus est. Deinde dicimur habere per fidem *fiduciam in confidentia.* Quomodo igitur fides à fiducia separari potest? Cùm fiducia non fidei tantùm sit, sed etiam spei, quid obstat, quò minùs per fidem dicat Apostolus, nos habere fiduciam spei? 3. Denique quid obstat, quò minùs fidei effectum formalem, παῤῥησίαν & πεποίθησιν à fide, tanquam causa, distinguat Apostolus?

EXCIP. REDING: 1. *Argumentum in te retorqueo. Unus enim actus non potest ad alium à se distinctum actum comparari, tanquam effectus formalis. At fidem esse actum à spe & fiducia distinctum, fassus es. Nequit ergo fiducia fidei formalis esse effectus. Et sanè si per fidem habemus fiduciam, non potest non fides esse causa fiduciæ. Nam illud διὰ, per, causalitatem notat. 2. Quidni ex assensu, qui pro objecto habet promissionem, ex ipsa prima veritate certificatam de justificatione ex Christi meritis per fidem, pænitentiam &c. applicanda, firma erga Deum fiducia oriri queat?* Ib. pag. 476. Resp. 1. Torques, non retorques. Fides includit notitiam, assensum, fiduciam. Nôsse, assentiri, fiduciam habere sunt effectus formales fidei, respectu partialium ejusdem formarum. Quomodo charitatis effectus formalis est amare. Non ergo fiduciam habere est effectus formalis fidei respectu cujusvis formæ, sed respectu formæ partialis, quæ παῤῥησία *fiducia* est, neque à fiducia aliter, quàm actus ab habitu distinguitur. Et διὰ πίστεως *per fidem* ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν *habemus fiduciam*; quomodo per animam homo habet facultatem intelligendi, volendi, & actu intelligit, vúltque. An icciro intellectus & voluntas vel actus intelligendi & volendi ab anima distingui potest? Neque enim διὰ *per* hic causalitatem aliam, quàm formæ respectu effectus formalis, notat. 2. Assensus ille, quo veritati primæ promittenti rem ad nos pertinentem assentimur, habet conjunctam fiduciam. At per fidem, si solo assensu ea constat, fiduciam habere non possumus. Plus igitur ad fidem justificantem

tem, quàm assensus requiritur. Aliud est, per fidem habere, aliud per fidem acquirere fiduciam.

OBIECT. VI. *Si fides est fiducia simul & assensus ac notitia, erit simul in intellectu & voluntate. Atqui impoßibile est, ut una eadémque facultas diversis subjectis insit.* Resp. 1. Argumentum est non ex schola Spiritus S. sed philosophicis regulis petitum; quod veritati ex Scriptura demonstratæ haud præjudicat. Nam Spiritus S. fidem in voluntate collocat; Rom. X. 10. ubi asserit, *corde nos credere ad justitiam.* 2. Ipsi Scholastici fidem quodammodo ad voluntatem referunt, ut Thomas 2, 2. *q. art.* 2. Biel. 3. *sentent. dist.* 23. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Durandus etiam negat, intellectum & voluntatem esse potentias distinctas, asserítque, esse unam eandemque entitatem absolutam, quæ propter relationem ad diversos actus diversarum potentiarum nomina sortiatur. Cum quo etiam J.C. Scaliger Exercit. CCCVII. 3. facit. 3. Fides, utpote ex actibus diversis composita, in intellectu est respectu notitiæ & assensus, in voluntate respectu fiduciæ. Quomodo justitia originalis complectitur lucem notitiæ in mente, rectitudinem voluntatis, & affectuum cum lege DEI conformitatem.

EXCIP. REDING. 1. *Sic S. Paulus Rom. X. 10. ait, nos corde credere, ut 2. Cor. X. 5. doceat, captivare nos debere intellectum in obsequium fidei. Ergo fides formaliter est in intellectu, imperativè & motivè à voluntate. 2. Posita sententia Durandi, quòd intellectus & voluntas in ratione potentiarum non distinguatur realiter; earum tamen actus sunt distincti. Quæstio ergo manet, an fides in actu intellectus, an voluntatis, an utroque sit.* Ib. pag. 476 477. Resp. 1. De loco 2 Cor. X. 5. supra vidimus. Nihil ibi vel de fide, vel de intellectu nominatim dicitur. Νόημα enim, non νοῦς captivari dicitur; & quidem *in obedientiam Christi*, quam *fidem* esse Apostolus Rom. I. 5. declarat. Obedientia autem voluntatis proprius actus est, juxta Thomam 2. 2. q. 1. a. 2. ad 3. ubi eam *promptitudinem voluntatis subjectæ præcipienti* definit. Sed & Rom. X. 10. non à corde movente & imperante fides esse; sed τῇ καρδίᾳ πιστεύειν *fide nos credere* dicitur; planè sicut *ore confitemur*, hoc est, fidem cordis pronuntiamus. Voluntas igitur credit, sicut os confitetur; non movendo aliud, sed actum proprium ex se, tanquam subjecto, eliciendo. Ita Thomas ad *loc. cit. Corde*, inquit; *creditur, id est, voluntate.* Et sanè non excludi voluntatem, vel hinc cognoscas, quòd fides 1. Tim. I. 5. 2. Tim. I. 5. appellatur ἀνυπόκριτος, expers hypocriseos. quæ non in intellectu, sed in voluntate est. 2. Sive igitur de facultatibus animæ, sive de actibus intellectus & voluntatis distinctis sermo est, ad utraque fidem pertinere, pervicimus.

Digitized by Google

QUÆSTIO XI.

An fides justificans, apprehendens gratiam remissionis peccatorum, debeat in specie de gratia & justificatione dubitare, an potiùs de ea certò confidere?

PRius affirmat Synodus Cap.9.nec non Can.13.& 14. Negat quenquam scire posse *certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Negat oportere eos,qui verè justificati sunt,*absque ulla omnino dubitatione* apud se statuere, se esse justificatos. Etsi verò de sententia decreti Synodici disceptant adversarii, plerique tamen, inprimis Jesuitæ, ita illud interpretantur, quòd fidelis ex conjecturis & signis probabilibus equidem de futura felicitate sua bene sperare, nihil tamen certò concludere, vel *certitudine fidei* de ea cognoscere possit. Orthodoxam sententiam Synodus Dordracena *ad artic.* 5. sic contractam proponit. Primò, posse & debere quemvis fidelem persuasum habere, quòd per misericordiam Dei Patris sui sit in vera fide conservandus, & ad æternam vitam perducendus. Secundò talem fidei persuasionem extra studium pietatis & usum mediorum in actum exire non posse. Tertiò non consequi fidem eum certitudinis gradum, qui omnem contrarii formidinem perpetuò excludat. Fidei enim illam persuasionem aliquando esse *vividam*, aliquando *languidam*, aliquando, ut in gravissimis tentationibus, *nullam*. Quartò eluctari tamen ad extremum fidem, & apprehendere paternam Dei erga se misericordiam, vitámque æternam sibi infallibiliter conferendam non incertæ *opinationis*, aut *spei conjecturalis*, cui falsum subesse possit, actu, sed veræ & vivæ fidei per adoptionis Spiritum in ejus corde excitatæ & obsignatæ. Adeò quidem ut huc redeat quæstionis status: An *Christianus fidelis adultus*, & possit *non tantùm de præsenti, sed futuro statu, non quoad actum continuatum, sed fundamentum & habitum nunquam amissum*, & debeat *non ex dignitatis propriæ, sed dignationis divinæ & custodiæ deliberato intuitu*, certus esse *non certitudine tantum objecti; non experientiæ, prudentiæ, & intelligentiæ, sed fidei vivæ & justificantis, ex conscio examine & fiducia*, de sua *tam viæ quàm patriæ salute?* Hoc affirmamus nos, negant illi. Rationes nostræ pro hac fidei certitudine contra dubitationem à Synodo laudatam, sunt.

ARG. I.

Digitized by Google

ARG. I. Fidei inesse fiduciam gratiæ & remissionis peccatorum, jam ostensum. Qui igitur credunt, & credendo apprehendunt gratiam, eo ipso confidunt, non dubitant. Ubi enim aperta, evidens, plena & fiducialis intercedit de peccatorum remissione persuasio, παῤῥησία, πεποίθησις, πληροφορία, ibi necessariò sequitur salutis certitudo. Sicut enim fides à fideli separari nequit: ita nec ista proprietas à fide.

RESP. REDING: 1. *Si fides absque certitudine subsistere nequit, quomodo juxta Dordracenos tuos non consequitur eum certitudinis gradum, qui omnem contrarii formidinem perpetuò excludat? Et si fides est evidens persuasio, quomodo eorum est, quæ non videntur, uti S. Paulus Hebr. XI.1. dixit? 2. Repugnant tibi loca Prov. XX.9. Eccl. IX.1. nec non exempla Sanctorum, rationes, & consensus Patrum.* Tract. IV. Ss 2. pag. 477--479. Resp. 1. Responsionum tuarum prora & puppis in contortissimis tuis fallaciis consistit. De eo certitudinis gradu summo, qua in altera vita potiemur, Dordraceni loquuntur. Fides nempe perfecta supremum certitudinis gradum comitem habet. In hac verò vita perfecta non est, teste Apostolo 1. Cor. XIII. 9.10. *Ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus. Cùm verò venerit τὸ τέλειον perfectum, id quod ex parte est, abolebitur.* Ad imperfectionem verò fidei in hac vita pertinet, quòd subinde deficit, languet, & contrarii formidinem sic admittit, ut tamen ex ea victrix iterum evadat. Non est igitur fides, vivida scilicet, absque certitudine. Sed cùm vel languet, vel quoad sensum seu fructum etiam deficit, tum verò cum fidei radice contrarii formido consistit. quam reviviscens fidei sensus, & fides victrix denique pellit. Hæc Dordracenorum mens est, quam nequicquam arrodis. Tum fides evidens persuasio & demonstratio est eorum etiam, quæ non videntur; quia à Deo revelata, testata & promissa, perinde ac si viderentur, apprehenduntur. & oculo mentis in testem ἀψευδῆ flexo pervidentur. de quo supra diximus. 2. Scripturæ testimonia, exempla, rationes à te allegatas seorsim discutimus. Hic de Patrum testimoniis, quæ ex Bellarmino compilasti, pauca. *Ἀπροσδιόνυσα* ea omnia sunt. Nam vel retundunt superbiam spiritualem, ubi immunitatem à lapsu aut deliquio somniant elati, veluti Basilius *Constit. Monast. cap.2.* Ambrosius *Serm.15. in Psal.18.* Hieronymus *contra Pelag. lib.2.* vel carnalem securitatem, qua sibi ipsis abblandiuntur sine certis indiciis torpidi, exagitant, uti Chrysostomus *in 1. Cor. cap.4. homil.11.* vel inhærenti justitiæ acquiescere vetant, veluti Augustinus *Quæst. lib.83. q.59.* Quid verò multis? Ipsemet tu causam prodis. *Uniformis,* inquis, *Patrum sententia est, neminem taliter gloriari posse de remissione peccatorum, ut omnimoda certitudine securus sit, in se non latere peccata, quorum conscientiam habeat.* Si hoc sibi S. Patres à te laudati volunt, salva res est. Neque enim de certitudine salutis, justitiæ inhærentis perfectione, sed justitiæ Christi vera fide apprehensæ, dignitate, & promissionum Divinarum firmitudine nixa, quæritur.

ARG. II. Fideles justificati præditi & signati sunt Spiritu S. Rom. VIII. 9. 1. Cor. II.12. 2. Cor. I.22. Ephes. I.13. IV.30. Apocal. II.18. At Spiritus S. testatur & acclamat spiritui nostro, posse & debere nos de salute nostra esse certos, quia *non accepimus Spiritum servitutis ad metum, sed adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. Et ille ipse Spiritus testatur Spiritui nostro, nos esse filios Dei, si autem filii & hæredes,* Rom. VIII.15. Gal. IV.6. Quòd si quis hoc

hoc teſtimonium non ſentit, æquius eſt,ut ipſe de ſe malè ſentiat, aut à Deo hunc ſenſum obnixè poſtulet,quàm ut cum Deo pugnet, & hoc teſtimonium elevet,aut aliorum conſcientias ex ſua metiatur.

RESP. REDING: 1. *Sic fideles Spiritu S. ſignati ſunt,ut ejus in ſe teſtimonium habeant, vi cujus ſecundum ſe certum eſt,& Angelis ac Beatis teſtimonii illius evidentiam habentibus conſtet, illos eſſe filios Dei,ſed non quoad nos,ſeu quoad eos,quandiu in viæ ſtatu agunt. 2. Rom.VIII.15. teſtimonium Spiritus S.per quem filii Dei clamant Abba,Pater; conſtituitur in actibus fidei,religionis,dilectionis, qui à Spiritu S.proficiſcuntur. Licet verò actus hi intrinſecam cum forma juſtificante connexionem habeant, adeóque ſecundum ſe certum ſit adoptivæ filiationis Divinæ teſtimonium; tamen quoad nos certum non eſt,quia neque immediatè in ſe, neque in medio aliquo ejus demonſtrativo, quale eſt lumen ſuper fidei,ſpei & charitatis actus reflexivum; & Spiritus S.obteſtantis demonſtrativum; nobis notum eſt. 3. Quot ſunt,qui glorientur,ſe Deum habere Patrem; qui imaginentur,ſe in Spiritu adoptionis filiorum Dei clamare,Abba Pater; qui tamen filii Dei non ſunt?* Ib. pag.479. Reſp. 1. Proximus es inſanienti. Etenim teſtimonium omne redditur aliquibus. Itaque vel nobis, vel aliis. Tu vis, aliis, Angelis ſcilicet, & Beatis cœlitibus. At Spiritus S. Rom. VIII. 16. diſertè dicitur *συμμαρτυρεῖν una teſtari cum noſtro Spiritu, quòd ſimus filii Dei.* Teſtimonium igitur iſthoc eſt non *ſecundum ſe*,(omne enim teſtimonium relationem habet ad eos, quibus illud dicitur, hoc eſt, quicunque teſtimonium reddit,etſi attendat neceſſariò rei,de qua teſtimonium perhibet, veritatem; tamen ſcopum hunc ſibi propoſitum habet,ut illius veritatem perſuadeat ei,apud quem teſtimonium id perhibet) nec *quoad alios*, ſed *quoad nos*, ſeu filios Dei omnes, ad quos ſermo ille pertinet. Id ſcopus Apoſtoli exigit. Quia enim fluctuare Spiritus noſter inter diffidentiæ & præſumptionis vortices poteſt,docet ille, ſuccurrere, & *συμμαρτυρεῖν ſimul teſtari Spiritum S.cum noſtro Spiritu*,ne ſcilicet ſpiritus noſter anceps hæreat & fluctuet. Conſentit expreſsè Johannes 1.Epiſt.IV.13. *In hoc*, inquiens, *cognoſcimus, quòd in eo manemus,& ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* Cur autem dedit? Procul dubio,ut cognoſcamus,quia in hoc cognoſcimus,quoniam dedit. *Accepimus* enim *Spiritum,qui ex Deo eſt,ut ſciamus,quæ donata ſunt nobis*, 1. Cor. II. 12. Hoc illud teſtimonium eſt, quod unuſquiſque fidelis in ſe habet, quod qui minùs æſtimat, Deum mendacem facit, 1. Joh.V.10. Hinc oritur *pax*, juſtificatio,Rom.V.1. gaudium *ἀναφαίρετον*, Joh.XVI.22. denique gloriatio, quæ teſtimonium noſtræ conſcientiæ eſt, 2.Cor I. 12. Quod teſtimonium *καθ' ἡμᾶς quoad nos* filios Dei, dum ſic exſibilas, prodis te, quòd nunquam illud cordicitus ſenſeris, adeóque ſicut beſtiæ nullum uſum rationis, ita tu nullum uſum ac ſenſum Spiritus *ψυχικὸς* habeas. 2.Cùm igitur S.Paulus Rom.VIII. 15.16. diſertè doceat,nos per Spiritum S. clamare Abba, Pater; & Spiritum S. ſimul teſtari cum Spiritu noſtro, quòd ſimus Filii Dei; otioſum eſt quærere,quo modo, mediato,an immediato ſic teſtetur? Satis eſt, eum teſtari, & per eam nos clamare,Abba. Sentimus ejus teſtimonium, nec ſine ſenſu hoc ita clamare poſſemus. Quæcunque efficaciam habent, eadem ſe per illam ipſam efficaciam demonſtrant. Agit ignis per calorem; & ab ipſo calore deprehenditur. Agit anima per motiones ſuas, & ab his ipſis in cognitionem venit. Quid ergo? An Spiritus S in homine otioſus eſt? Imò *πάντα ταῦτα ἐνεργεῖ,omnia illa operatur*, 1.Cor.XII.11. *Adjuvat infirmitates noſtras, interpellat pro nobis ſuſpiriis ineffabilibus, teſtatur nobis, clamat in nobis, &c.* Rom.VIII.15.16.26. An his

his aliiſque modis efficax præſentiam ſuam certò nobis non teſtatur? An experimenta fidei, ſpei, charitatis fallacia ſunt, & conjecturis meris fallaciter aſſequimur, quòd in nobis habitet? Perinde id eſt, ac ſi ignem ignem, aquam aquam eſſe, dubiis duntaxat experimentis conſtaret. Atqui Spiritus S. præſentia & teſtimonium eſt ulteriùs σφραγὶς σφραγιζομένη *ſigillum obſignans*, & ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας *arrhabo hæreditatis*, 2. Cor. I. 22. Epheſ. I. 13. 14. Magna certè emphaſis. Nos ipſi, perſonæ noſtræ, non res, quas credimus, Spiritu S. velut peculiari quadam nota inſigniri dicimur, ut ſciamus ſcilicet, Divino iſthoc documento, nos in numerum filiorum Dei adſcriptos eſſe. Quomodo in vocatione externa, qui olim circumcidebantur Judæi, eo ipſo obſignabantur, ut proprio charactere impreſſo certum haberent, ſe Judæos & fœderatos Dei eſſe; & qui hodie baptizantur, aquæ ſigillo obſignantur, ut ſe nominatim militiæ Chriſtianæ adſcriptos nôrint. His externis ſigillis hoc internum Spiritus S. ſigillum reſpondet, quo obſignantur credentes ipſi, ut ſciant ſe eſſe filios, peculium & proprietatem Dei. Infert igitur obſignatio iſthæc tum peculiarem applicationem, tum applicationis certitudinem, non ex levi conjectura, ſed ex authoritate Divina, Dei obſignantis, & ſigilli Dei Spiritus; qua nulla major eſſe poteſt. Adde ad cumulum ἀῤῥαβῶνα *arrhabonem* hæreditatis. Etenim arrhabonis uſus apud omnes is eſt, ut promiſſionibus momentum addat; & pignus, ac quædam veluti repræſentatio ſit rei futuræ, in cujus locum datur. Sic Deus maxima quæque fidelibus ſpondens, Spiritum S. dat *arrhabonem*, ut certiſſimi ſint, apud ſe, non tantùm, eſſe vitam æternam certis hæredibus conferendam: ſed ſe ipſos in eorum eſſe numero, quibus illa conferenda ſit; adeò ut fide Divina, quippe Dei arrhabonem dantis, & arrhabonis Dei, certiſſimè ſtatuere debeant, non poſſe fieri, quin ſibi vita conferatur. 3. Quid verò tum poſtea, ſi multi Judæi, hæretici, hypocritæ, dicant, ſe eſſe filios Dei, & ſe id ex teſtimonio Spiritus S. compertum habere? Nam hoc dicere, ſe eſſe filium Dei, cùm nullus ſis, non eſt Spiritus S. motus, nullum ejus teſtimonium; imò ne conjectura quidem. Neque quicquam falſi unquam fuit, quin aliquando veritatem mentiretur. Sed nihil hoc obſtat, quò minùs, quæ ſit veritati propria efficacia, ſuæ ſint demonſtrationes propriæ. Ita multi ſcioli ſibi videntur docti. Ἡ ἀπειρία θράσος τίκτει. At verè docti modeſti ſunt; ac verè fideles humiles, qui cum timore, hoc eſt, vera cum humilitate ſalutem ſuam operantur.

ARG. III. Idem ſuadent exempla praxiſque fidelium. velut Abrahami, Rom. IV. 21. Jacobi, Geneſ. XLIX. v. 18. Davidis, Pſal. XXVII. 1. 2. LXXIII. 24. Pauli, Rom. VIII. 38. 1. Tim. I. 15. 2. Tim. IV. 7. 8. 18. At fidelium exemplum & praxis ſunt noſtra inſtitutio. Neque enim fideles hoſce peculiari revelatione ſecuros de ſalute ſua redditos eſſe dici poteſt, cùm Paulus id fidei, non ſpeciali revelationi tribuat.

RESP. REDING: 1. *Quæ Patriarchis, Abrahamo & Jacobo, Davidi, Paulo, Divinitus factæ ſunt promiſſiones, ad electos omnes extendi non debent. Hoc enim perinde eſſet, ac ſi quis benedictionem in Semine Chriſto factam Abrahamo, continuatam Jacobo, firmatam Davidi, omnibus fidelibus facere communem, & magnitudinem Divinarum revelationum, quas Paulus in tertium Cœlum raptus habuit, ad univerſos extendere vellet. Ex particulari revelatione quibuſdam facta ſine Dei verbo velle univerſalem cudere, præpoſterum eſt.* 2. *Rom. IV. 20. &c. Abrahamo tribuitur certitudo de potentia Dei in præſtandis promiſſis. Ubi eadem omnibus tribuitur? Geneſ. XLIX. 17. Jacobus exclamat: Expecto ſalu-*

tare tuum, Domine. Qua verò ratione constat, omnes similiter fideles teneri fide Divina suam justificationem credere? Rom. VIII. 38. commendatur charitas Dei, non homini, sed Deo formaliter inexistens. Unde non aliud concludi potest, quàm prædestinationem Dei esse certam, licet de sua prædestinatione nemini constet. Licet verò Paulus forte certus fuerit, non tamen similiter prædestinati omnes. Quomodo etiam loca 1. Tim. I. 15. 2. Tim. IV. 7. 8. ad personam Pauli restringuntur. Ib. p. 480. Resp. 1. Quæ Patriarchis, Davidi, Paulo factæ sunt promissiones de salute, benedictione in Semine, justificatione, eædem communes sunt fidelibus omnibus, adeóque ad omnes meritò extenduntur. Singularia enim stant sub suo universali. Cùm igitur omnibus credentibus remissio peccatorum promittitur, eadem opera mihi, tibi, illi credenti promittitur, tam certò, ac si Deus è Cœlo id proclamaret. Quod ut singuli tantò confidentiùs sibi applicarent, Scriptura in singulari numero, & secunda persona aliquando loquitur: *Si confessus fueris, si credideris, servaberis*, Rom. X. 9. *Ego Ego deleo defectiones tuas*, Esaj. XLIII. 12. Illustrissima omnium fuit promissio de Semine dando, in quo benedicendæ sint omnes gentes. qua per fidem recepta Abrahamus justificatus est. Atqui illa non ad solum Abrahamum, sed ad credentes omnes pertinuit, teste Apostolo: *Prævidens Scriptura, quòd ex fide Deus justificat gentes, ante promisit Abrahamo: Quoniam in te benedicentur gentes. Ergo qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli illo Abrahamo*, Gal. III. 8. 9. 14. Unde promissionem Dei per fidem sibi applicasse non solùm Abrahamum, sed fideles quosvis V. T. idem S. Paulus Hebr. XI. 1--f. luculenter testatur. Unde Abrahamus, unde Jacobus, unde David suam de gratia Dei & justificatione sua πληροφορίαν hauserunt, nisi ex promissione de Semine benedicto & benedicturo credentibus? Ubi iis vel solis, vel seorsim, per specialem quampiam revelationem ad reliquos fideles non pertinentem, promissionem isthanc Deus applicavit? Insulsum verò est, quod de magnitudine revelationum Paulo facta in tertio Cœlo arguis. Nam in illis revelationibus fuisse specialem de salute Pauli revelationem nunc demum ei factam, quo argumento probas? Atqui audivit in tertio Cœlo ἄῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, *ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui*, 2. Cor. XII. 4. Salutem verò suam, fiduciam in charitate Dei, πληροφορίαν de corona justitiæ sibi reposita, effatus est utique. Non ergo specialem de ea revelationem, ad fideles reliquos non pertinentem, habuit. 2. Loca verò à me citata, quæ eludere conaris, ad liquidum rem magis perducunt. Etenim Abrahamus *de promissione Dei non dubitavit incredulitate, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, πληροφορηθεὶς certissimum habens, eum quod promiserat, etiam faciendi potentiam habere. Propterea etiam ei reputatum est ad justitiam*, Rom. IV. 20. 21. 22. En certitudinem Abrahami de Deo promissa sibi facta præstituro, quia *δυνατός ἐστι ποιῆσαι potens est facere*, non simpliciter, sicut potuit facere Cœlum & terram; sed θεοπρεπῶς, cum decentia & manifestatione virtutum ejus, sanctitatis, misericordiæ & justitiæ, adeóque rectè, laudabiliter & cum summa gloria; quia crediderat, Deum habere Semen, Filium, quem posset mittere & donare Redemptorem, qui fieret peccatum pro se & credentibus omnibus, qui Spiritu ejus ipsi concorporati fierent justitia Dei in ipso, & ipso obsignati possent jure, ut justi, justificati, gloriari in Deo. Liquet igitur, fiduciæ hujus Abrahamicæ objectum fuisse Dei omnipotentiam, non quamvis, sed eam cumprimis, quam in exequenda promissione Salutis & Redemptionis per Christum exeruit; adeóque specialem misericordiam Dei in Christo, Semine benedicto, sibi & credentibus omnibus tum promisso, tum ad salutem & justitiam præstando. Certus igitur fuit de gratia Dei in Christo, nullatenus dubitavit, confortatus

Digitized by Google

fortatus eſt fide, Deum ſibi in Semine promiſſo benedicturum; ac iccirco juſtificatus eſt. An verò ad ſolum Abrahamum ea promiſſio, ceu ſpecialis quædam revelatio, pertinet? Neutiquam equidem. *Nam non ſcriptum eſt propter eum Solum, ei reputatum eſſe, ſed etiam δι' ἡμᾶς propter nos, quibus futurum eſt ut reputetur, iis, qui credunt in eum, qui excitavit Jeſum Dominum noſtrum*, ibid. v.23.24. Quæ igitur ratio fuit Abrahami, eadem eſt omnium credentium. Quod in Abrahamo factum, id propter nos ſcriptum eſt, ut & nos fidem ac πληροφορίαν Abrahami imitemur, atque ſic filii Abrahami fiamus. Idem enim eſt Deus, & nos filii Abrahami ſecundum promiſſionem ſumus. Par ratio eſt Jacobi. Ille Geneſ.XLIX 17. vicinus morti exclamavit: *Expecto Salutare tuum, Domine.* Ubi ipſi ſpecialiter Salutare promiſſum, revelatum eſt? Fuit exclamatio una cum Spiritu ejus teſtificantis Spiritus, qui expectandum ipſi credenti eſſe Salutare credentibus omnibus promiſſum, firmiſſimè perſuaſit. Rom.VIII.38. &c. dicit Apoſtolus: πέπεισμαι *Perſuaſum habeo*, (unde, niſi à Deo; non certè à me, vel ulla creatura, quæ ejuſmodi πεποίθησιν fundare nequit; non igitur per conjecturam levem, ſed per fidei certitudinem. quod etiam liquet, tum ex interrogatione antecedente, quæ vim habet firmiſſimæ aſſeverationis; *Quis nos ſeparabit?* tum ex enumeratione omnium ferè malorum, quæ facit ad immobilitatem fiduciæ demonſtrandam: tum ex gloriatione illa v.37. *In his omnibus* ὑπερνικῶμεν *ampliùs quàm victores ſumus:* tum ex uſu verbi Græci, ubi applicatur ad ſpiritualem fiduciam denotandam, quam fideles de iis, quæ ad propriam ſalutem pertinent, habent, Rom.XIV.14. 2.Tim.I.14.) *quòd nec futurum, &c. nec ulla creatura* ἡμᾶς *Nos* (non me ſolum, ſed credentes omnes, amantes Dei) *poſſit ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu*; Deo, inquis non nobis inexiſtente. optimè. Et tantò certius fiduciæ fulcrum, quia non nititur arundine charitatis noſtræ, qua nos Deum amamus, quæ nimiùm in hac vita conquaſſari poteſt, tametſi nunquam confringitur. Si non aliud hinc concludi poteſt, quàm prædeſtinatos certò ſalvatum iri, quia nihil à charitate Dei eos ſeparare poſſit, uti tu detorques, quid Paulo πεποιθέναι, imò *Nobis* amantibus Dei, *πεποιθόσι firmiſſimè perſuaſis*, amplius ſic tribuitur, quàm ipſi Diabolo. Nam & ipſe haud dubiè perſuaſiſſimum habet, prædeſtinatos ſalvatum iri. Agit ſanè Apoſtolus cauſam communem omnibus fidelibus, qui iidem ſunt prædeſtinati. in quorum tamen numero ſe & credentes eſſe firmiter crederet. Ideo non de ſe ſingulariter loquitur, ſed pluraliter: *Perſuaſus ſum, nihil Nos ſeparare poſſe à charitate Dei.* quæ numeri permutatio oſtendit, quis Paulo fuerit ſenſus de re communi, & ad plures pertinente. Sic igitur univerſalem de ſalute prædeſtinatorum omnium doctrinam proponit, ut eandem & ad ſe, & eadem ratione ad credentes omnes, quibus de ſua fide ex interno Spiritus S. & conſcientiæ teſtimonio certò conſtare, ſupra firmavimus, applicet. Denique loca 1.Tim.I. 15. 2.Timoth.IV.7.8.18. ad perſonam Pauli reſtringi, ais. Mentiris, Monache. S. Paulus enim 2.Tim.IV.8. disertè dicit: Οὐ μόνον ἐμοὶ, ἀλλὰ πᾶσι, *Non ſolùm mihi, ſed omnibus diligentibus apparitionem ejus.* Nihil ergo ad ſe reſtringit, nihil ſeorſim ſibi vindicat, ſed omnibus Chriſtum diligentibus idem privilegium tribuit. Sicut ſibi Chriſtum diligenti coronam juſtitiæ repoſitam novit: imò ita omnes Chriſtum diligentes ſibi eandem repoſitam eſſe norunt, confidunt, non dubitant. Neque enim ex peculiari revelatione id Paulus ſcivit. quam ſine ulla vel fidei, vel rationis certitudine obtenditis. Et ſanè ſi Paulus, David, alii ex peculiari revelatione de ſua ſalute certi fuiſſent, illa certitudo non fuiſſet ceritudo fidei. Sic enim ipſe Bannes veſter *in 2. 2. q. 1. a. 1. dub. 3. ſcribit: Revelata particularibus perſonis, quamvis ſint ſupernaturalia, non pertinent ad aſſenſum fi-*

dei Catholicæ, aut virtutis Theologicæ: sed illa tantùm, quæ nota sunt Ecclesiæ, & ab illa proponuntur. At verò de Abrahamo & Davide palam est, quòd de gratia Dei certi fuerint per fidem. Concludo: Ergo non per revelationem specialem, sed eam revelationem verbi Dei, quæ ad omnes fideles se extendit. Hinc adeò Bellarminus Pauli persuasionem *conjecturalem* appellat. qualis non est ea, quæ speciali Divina revelatione nititur.

ARG. IV. Quin Paulus 2.Cor.XIII.5. reprobos esse docet, qui non agnoscunt, Jesum Christum in ipsis esse. Proinde fideles quosvis monet, se ipsos explorent, utrùm in fide sint? Quæ ipsa exploratio ad certitudinem ducit.

RESP. REDING: *Exploratio sui ipsius est opus humanæ industriæ. At nullum humanæ industriæ opus fidei certitudinem inducere potest.* Ib.pag 480. Resp. Frivolè sophisticaris. Probatio sui ipsius à Paulo præcepta est experimentum, examen sui, suorum affectuum, cordis, ratiocinationum, studiorum, curarum, metus, amoris, odii, actionum, totius denique vitæ ad certam normam ac regulam; denique judicium de se ipso. Hoc sicut fidem supponit, ita à fide proficiscitur. Est igitur opus & exercitatio fidei, quæ in cognitionem fidei inexistentis & Christi inhabitantis ducit, & certitudinem internam non demum gignit, sed existentem exerit, manifestat & declarat. Si fideles fidei suæ inexistentis & Christi inhabitantis certi nunquam esse possunt, cur se jubentur explorare an sint in fide, an Christus apud eos habitet, atque ita ut declaretur, eos esse *adokimus reprobos*, si fidem in se & Christum non reperiant? Thomas certè hunc locum explicans cogitur concedere, *nos per certitudinem cognoscere, Christum esse in nobis*; sed ineptè addit, *secundum intellectum, non secundum effectum.* quasi excitaret Apostolus ad examen intellectus tantùm; aut Christus in intellectu tantùm, non corde etiam fidelium habitaret Et Magister ejusdem Alexander Alensis *pag.3. q. 61.* hoc testimonio convictus fatetur, *gratiam posse cognosci*, sed ridiculè inter *rem & rationem gratiæ cognitæ* distinguit.

ARG. V. Justificatis tribuitur certa γνῶσις & ἐπιστήμη *notitia* & *scientia*, quòd remissio peccatorum per fidem ipsis contigerit, 1.Joh.III.14. IV.13. V.19. Ubi certam notitiam indigetari patet, quia illa derivatur & pendere dicitur cap.III.24. ex Spiritu Dei, cujus testimonium infallibilem certitudinem fundat.

RESP. REDING: 1. *In loco 1. Joh. III. 14. notitia illa ex dilectione fraterna derivatur, quæ si supernaturalis sit, ex motivo charitatis Divinæ procedit. cum qua justificatio connexa est. Quis verò de dilectione fraterna certus est, eam ex Theologicæ charitatis motivo procedere, adeòque supernaturalem, non naturalem fortè, esse? Si qua ejus rei certitudo habetur, moralis ea est, non fidei. Nuspiam in S. literis testatum est, omnes fideles dilectionis illa perfectione potiri. 2. In altero loco 1.Joh.IV.13. cognoscere dicimur, quòd in Christo maneamus, & ipse in nobis, quia de Spiritu suo nobis dedit. Atqui ib. v.12. dicitur, neminem unquam Deum vidisse. Ergo notitia Spiritus nobis dati evidens non est. Neque revelatum est, singulis determinatè Spiritum Dei esse datum. 3. Denique 1.Joh. V.19. dicimur scire, quoniam ex Deo sumus, idque ex testimonio Spiritus. Aliud verò est,*

hanc

Digitized by Google

hanc teſtimonii Divini certitudinem,quæ fidem infallibilem fundat, eſſe in nobis aliud,nos ſignatè ac reflexè cognoſcere illud Dei teſtimonium,in nobis per fidem expreſſum. Quamvis igitur ex hypotheſi teſtimonii Divini per fidem in nobis expreſſi,ſciamus nos eſſe ex Deo: tamen de hoc ipſo teſtimonio,quo in nobis expreſſo, ſignatam & reflexam certitudinem non habemus,quia de ſingulis abſolutè revelatio nulla extat, quòd in iis fides vigeat. Ib. pag. 481. Reſp. Conſcientiæ tuæ vim facis, & apertè,non contra me, ſed contra Apoſtolum diſputas. Etenim ille cap.III.14. ſcribit: *Novimus, quod tranſiverimus ex morte in vitam, quia fratres diligimus.* Tu negas,id fideles nôſſe, quia incertum iis ſit, an fratres naturali, an ſupernaturali amore diligant. Si de amore fraterno, ex Theologicæ charitatis motivo procedente incerti ſunt fideles,quomodo igitur,quod S. Johannes categoricè aſſerit, *norunt, ſe ex morte ad vitam tranſiviſſe*,hoc eſt,ſe ex ſtatu corruptionis & condemnationis ad ſtatum ſanctificationis & hæreditatem vitæ tranſiviſſe? Quæ hæc impietas tua eſt? Si tu fraterni amoris ſinceri, ex Dei amore manantis, tibi conſcius non es, (de perfecta enim dilectione in hac vita nemo ſibi conſcius eſſe poteſt,nec de ea Apoſtolus loquitur) an ideirco ſequitur, Johannem & electos omnes, quos ſermone ſuo incluſit,ejuſdem ſibi conſcios non fuiſſe? Quomodo igitur Apoſtolus dicit, *novimus &c. quia fratres diligimus*, non de ſe ſolo,ſed fidelibus omnibus locutus? Profectò hoc unum ſatis oſtendit, quàm perdita ſit cauſa veſtra, quam ut tueamini, Sanctiſſimum Apoſtolum, qui Chriſto in deliciis fuit, poſt abundantiam Spiritus & omnis gratiæ in Apoſtolos effuſam,negatis cum certitudine reſpondere potuiſſe quæſtioni illi: *Simon Jona diligis me.* cui tamen Petrus jam ante effuſum Spiritum reſpondere potuit: *Certò, Domine, noſti, quòd diligam te. Moralis*, inquis,hoc eſt, conjecturalis ea certitudo eſt, non *fidei.* quomodo Bellarminus dicit: *Bona ſpe confidebat Johannes, ſe unum eſſe ex illis,qui diligunt fratres.* quaſi amor fraternus non proficiſceretur ex *fide*, 1. Tim. I. 5. vel revelatum hoc ipſo loco non eſſet,amantes quosvis fratrum nôſſe, quòd ex morte ad vitam tranſiverint: vel amoris ſui ſenſum nullum fideles perciperent, atque ex ejus ſenſu juxta Divinam revelationem iſthanc fidem notitiæ ſuæ fundare non poſſent: vel cum notitia hac fidem apertè non conjunxiſſet Apoſtolus cap.IV.16. *Et nos novimus, & credidimus charitatem, quam Deus habet erga nos!* Et annon certitudinem *fidei* aſtruunt verba ejuſdem cap.III.5. *Noſtis, quòd ille manifeſtatus ſit, ut peccata noſtra tollat.* & v.16. *In hoc novimus charitatem,quòd ipſe pro nobis animam ſuam poſuit.* Notitia igitur hæc non moralis; ſed fidei eſt. 2. Idem S. Johannes cap.IV.13. ſcribit: *In hoc cognovimus, quòd in ipſo manemus,& ipſe in nobis, quia de ſpiritu ſuo nobis dedit.* Tu negas nos nôſſe, quia Deum nemo vidit, adeóque ſpiritum ſibi datum eſſe, evidenter non cognoſcit. Quomodo igitur nos id cognoviſſe dicit, quòd in eo maneamus, quia de Spiritu ſuo nobis dedit; cùm & cognitio illa à datione arceſſatur, & Spiritus,ubicunque eſt,etiamſi nec oculis corporis videatur,nec oculo mentis profunditates ejus pervideantur; ita *ἐνεργὴς* efficax & operoſus ſit,ut ſancta ejus molimina latere nequeant. 3. Denique cap.V.19. idem clariſſimè: *Scimus quoniam ex Deo ſumus, & mundus totus in malo jacet.* Cur, quæſo, toties *γνῶσιν notitiam* fidelium inculcat S. Johannes, ſi gratiæ certitudo iis nulla affulget, ſed de ea iis perpetim dubitandum eſt? Tu iterum in os Apoſtolo obloqueris, & negas certò nos nôſſe, quòd ex Deo ſimus, non obſtante teſtimonio Spiritus S. de quo ſic ille cap.III.24. loquitur: *In hoc cognovimus; quòd maneat in nobis,ex Spiritu,quem nobis dedit.* nempe ut arrhabonem & paracletum. Agnoſcis,quia negare nullo modo potes, ex hypotheſi teſtimonii Spiritus S. per fidem in nobis expreſſi, ſcire nos, quòd Dei filii ſimus: negas tamen,de hoc Spiri-

tus S. testimonio signatam & reflexam certitudinem nos habere, quia revelatio ad singulos pertinens nulla extet. Annon sic apertè negas, quod affirmat Apostolus, *nos cognoscere, quòd ex Deo simus*, & quidem ex *Spiritu, quem nobis dedit.* cujus interna revelatio certitudinem fidei apud fideles omnes generat: & operatio continua fidei & charitatis ad sensum hominis spiritualis patet, ut signata & reflexa certitudine destitui nequeat?

ARG. VI. Quod precibus tenemur petere, illud speciatim ad nos pertinet, Marc. XI. 24. 1. Joh. V. 14. 15. At singuli tenentur peccatorum remissionem & vitam æternam ex speciali Patris in Christo misericordia petere, Matth. VI. 9. Luc. XI. 2. Et diffidentia ac ὀλιγοπιστία passim perstringitur. Eodem pertinent loca, quæ gratiam promissam cuilibet in specie applicant.

RESP. REDING: 1. *Christus orationem, qua remissionem peccatorum petimus, exauditum iri promisit, si fiat in nomine suo, & secundùm voluntatem Dei, uti 1. Joh. V. 14. habetur. Ubi verò est textus sacer, qui revelet, hanc orationem in individuo & particulari ita constitutam esse, ut conformis sit Divinæ voluntati, nec in ullo deficiat? 2. Distinguenda est certitudo promissionis hypothetica, quæ à certis conditionibus suspenditur; ab absoluta, quæ conditiones in promissione præfixas sequitur. Licet igitur certi simus, Deum velle gratiosum esse, & justificare eos, qui fidem per dilectionem efficacem præstiterunt; tamen absolutè nemo certus est, sic se conditiones illas purificasse, ut in nullo deficiat, adeòque in statu gratiæ consistat. Oculo quidem in Dei promissionem conditionalem directo certitudinem & firmam fiduciam concipit: at oculo ad defectus suos reflexivo hæsitat perpetuò dubitátque.* Ib. pag. 481. 482. Resp. 1. Ita est. Non exaudit Deus, nisi quæ in nomine Christi, & secundum Dei voluntatem oramus. At remissionem peccatorum in nomine Christi, & secundum voluntatem Dei oramus, quia sic orare ipse Christus jussit. Ergo eam sic orantes obtinemus, & de obtenta ob promissionem exauditionis petentibus factam certi sumus. Frustra textum sacrum exigis, revelantem, quòd oratio individua voluntati Dei sit conformis, & in nullo deficiat. Nam qualis debeat esse precum cum voluntate Dei conformitas, passim Scriptura revelat, & revelatam conscientia hominis, attestante eidem Spiritu Dei, applicat. Neque verò certitudo exauditionis nititur precum perfectione, sed cordis affectione. Deus enim non recipit orantis meritum, sed sinceritatem; & *qui interpellare nos facit, interpellandi nobis & gemendi inspirat affectum.* uti Augustinus *Epist.* 105. scitè loquitur. 2. De cœtero futilis est tua certitudinis conditionalis & absolutæ distinctio, utpote quæ non majorem electis & fidelibus, quàm Diabolo & damnatis certitudinem concedit. Conditionalem enim certitudinem, quòd in gratiæ statu sit, qui credit & resipiscit, Diabolus & damnati æquè habent. Si igitur ampliorem certitudinem habent fideles & electi, quàm Diabolus & reprobi omnes, uti profectò habere debent ampliorem, qui adoptionis, Spiritus & gratiæ Dei participes sunt, quàm habent ii, qui ejus participes non sunt; utique non hypotheticam ejusmodi, quæ sola nihil habenti prodest; imò obest magis, sed absolutam certitudinem habeant oportet. Neque obstat, quòd de conditionum promissionibus annexarum perfecta impletione certus nemo est, quia certitudo gratiæ non merito & perfectione justitiæ inhærentis, sed promissionum Divinarum efficacia, nec non charitatis Divinæ in credentes effusæ, & Spiritus S.

Digitized by Google

tus S. intus operantis sensu nititur. Sed Pharisaismi hancce venam tuam infra ὑποπεμάτιον incidimus.

ARG. VII. Scriptura agnoscit fidei *δοκιμὴν experientiam*, ἐλπίδα καυχωμένην καὶ μὴ καταισχύνουσαν *spem gloriantem & non confundentem*, imò ἀπεκδεχομένην *expectantem*, Rom.V.2.4.5. VIII.24. Est autem תקוה *expectatio* sive ἀπεκδοχὴ certa persuasio de futuro bono. cui תוחלת ἐλπίς, *spes*, addit patientiam moræ & promptitudinem animi ad id excipiendum.

RESP. REDING: 1. *Tu verò supra ajebas, Christianum de salute sua certum esse debere certitudine non experientiæ, sed fidei vivæ & justificantis. Hic verò fidei experientiam urges. 2. Fidem, de qua gloriaris, vivam esse, ubi Divinitus revelatum est? Non aliunde id constat, quàm ex propriæ intelligentiæ reflexione. neque adeò pura fidei certitudo subest. Fides repræsentat Divinam justificationis & gloriæ sub certis conditionibus conferendæ promissionem: Experimentalis verò reflexio nec formaliter per Divinam revelationem stat; nec firmatur per Dei promissionem, sed humana industria nititur.* Ib.pag. 412. Resp.1. Supra experientiam, merè humanam scilicet, fidei vivæ opposui: hic experimentum, seu δοκιμὴν *explorationem* fidei ipsius vivæ, hoc est, fidem vivam exploratam, cognitam urgeo. Quid sic deliras, Redingi? 2. Quomodo fidem in nobis experimur, in spe gloriamur, futura bona expectamus, & quidem per spem, quæ non pudefacit, si nulla fidei, nulla salutis in homine certitudo existit? Hoc tu expedi. Fidem verò vivam esse, ipsamet fidei vita intus revelat. Est enim cujusque rei vita actus, & quilibet actus se agendo demonstrat, manifestat, revelat. Si mortuam fidem tu habes, mirúmne est, nullum veræ fidei sensum te habere, & revelationem aliam te expetere? Insuper fidem, quæ creditur, cum fide, qua creditur, ubique turpiter confundis. Illa quidem revelatione externa indiget: hæc verò non in revelatione externa, sed in cordibus credentium ex Scriptura, & secundum eam digito Dei exarata, 2.Cor. III. 2.3. invenitur. Oritur enim ex visione cordis, seu sensu & experientia fidelis. Neque minùs tamen censeri debet *certitudo fidei*. quia licet non contineatur expressè in Scriptura, quoad hypothesin, ex ea tamen deducitur, & ea nititur quoad thesin. Propositiones quippe particulares generalibus includuntur. Scriptura omnibus credentibus promittit salutem, & simul fideli concludendum relinquit, quòd sibi credenti salus destinata sit. Sensus enim & experientia non mutat regulam in se, nec ex Divina humanam facit. Denique experientiam & δοκιμὴν τῆς πίστεως *explorationem fidei*, seu, uti vocas, experientiam reflexivam à fide cur sic divellis, ut invicem opponas? Quomodo supra fidem suam reflectit, qui fidem in se certò non reperit? Quomodo fidem certò reperit, qui de fide sua incertus est? Neque externa revelatione reflexio illa indiget; & promissionem habet, quia tentantibus se ipsos, an sint in fide, τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως *explorata fides* promittitur; nec humanæ industriæ, sed Spiritus Dei & gratiæ Divinæ, quin ipsius fidei, quæ non directos duntaxat, sed etiam reflexos actus habet, isthoc opus est.

ARG. VIII. Nititur hæc doctrina falsa hypothesi de justificatione per opera legis, quam necessariò consequitur dubitatio de salute. Putri huic & ficulneo fundamento quid superstrui solidi potest? Meritò nutat fides, quasi in oscillo pendula, quæ rei imaginariæ innititur.

RESP.

Digitized by Google

RESP. REDING: 1. *Meritò fides tua nutat, quæ non revelationi ulli, sed imaginationi innititur.* 2. *Impenis nobis, quasi justificationem per opera legis doceamus. Atqui per fidem, non fictitiam, sed Catholicam & Theologicam, per dilectionem operantem, nos justificari asserimus.* Ib. pag. 482. Resp. 1. Non nutat fides mea, quæ misericordiæ Dei in Christo, Lapidi in Sione fundato unicè innititur, & se vivere, propriis fidei actibus, quos ei Deus in verbo suo tribuit, sentit. Sed nec tua fides nutat, quia nullam habes. Non enim ullam in te revelationem fidei, non sensum ullum agnoscis, nec vel tibi, vel alii eam demonstrare potes; & hæsitandum dubitandúmque semper, profiteris. Qui verò dubitat, non credit; imò μὴ οἰέσθω, ne quidem *imaginetur*, se aliquid à Domino accepturum, Jac. I. 6. 7. Nec revelatione igitur, nec imaginatione fidei, nedum fide ipsa gaudes. 2. Vestram de justificationis causa sententiam satis supra discussi. Quid aliud justitiæ inhærentis habitus est, quàm justitia legis operum? Et tamen in ea justificationis *formam*, adeóque proram & puppim collocatis.

ARG. IX Consentit ecclesia vetus. Augustinus de Trinit. XIII. 1. *Homo fidem suam tenet firmissima scientia & certissimam, eámque in se videt clamátque conscientia, quia rerum absentium fides est præsens, & rerum quæ foris sunt, intus est fides, & rerum quæ non videntur, videtur fides.* Similia vide in Psal. 32. 118. Chrysostomus *in Rom.* 14. Cyrillus *in Johan. lib. XI.* Cyprianus *tract. de immortalitate*, aliique succenturiari possent.

RESP. REDING: 1. *Ex Augustini verbis liquet, notitiam illam, qua quis fidem in se ipso videt, esse diversam à fide, & niti conscientiæ testimonio. Scientiæ autem & conscientiæ certitudo ad fidei certitudinem non pertingit; quia hæc prima veritate revelante nititur, non illa. Hinc S. Pater ille in Psal. 149. scribit, cum tali scientia seu gloria nostra posse consistere peccatum occultum; & ideo Prov. XX. scriptum esse: Quis gloriabitur, se esse mundum à peccato?* 2. *Chrysostomi mens est, testimonium Spiritus S. secundum se certum esse, sed non quoad nos.* 3. *Cyrillus tradit, testimonium Spiritus S. videri ab iis, qui ejus illuminatione recepta, omni virtute mentem suam purgando, ad majora apti facti sunt. Hæc verò puritas contingit ex lumine gloriæ in vita beata. In hac verò vita lumen illud super obscuro & ænigmatico fidei speculo fundatur, adeóque ordinariè tantum Spiritus evidentiam non parit, ut singuli fideles de Spiritu per justificationem inhabitante certi sint.* 4. *S. Cyprianus de certitudine promissionis Divinæ, non individuorum in particulari loquitur.* Ib. pag. 481. 483. Resp. S. Patribus nil tale somniantibus somnia tua nequicquam imprimere studes. Tam illis distinctiones tuæ, quàm tu ipse, incognitæ fuerunt. Etenim 1. S. Augustinus clarior est, quàm ut detorqueri possit. *Homo*, inquit, *fidem suam tenet firmissima scientia, & certissimam.* Quomodo *firmissima scientia*, quomodo *certissimam*, si & de fide semper dubitandum, &, ob dubitationem de fide, etiam de salute semper hæsitandum est? *Eam in se videt*, inquit, *clamátque conscientia.* Quod in se videt, quod in se conscientia clamat, de eo ambigendúmne adhuc habet? Scientiæ porro, visionis propriæ & conscientiæ adeóque experimentalis certitudo etsi ad eum evidentiæ gradum, qui ex externa revelatione Scripturæ oritur, non assurgit, Divina tamen & fidei certitudo est, uti supra ostendimus. Hinc adeò idem S. Pater *de verbis Dom. Serm.* 28. scribit: *Non est arrogantia*, vel, uti Tridentini loquuntur, *præsumptio, sed fides, prædicare ea, quæ accepisti.* Et in *Psal. XXXII. Conc. 2. An temerè, inquit, dicimus, faciendo Deum,*

nobis

nobis poſſeſſionem? Dicat anima ſecura, dicat, Deus meus es tu, quia dicit animæ noſtræ, Salus tua ego ſum. Et *ſuper. Epiſt. Joh. tract.5. Nemo interroget hominem, redeat ad cor ſuum, ſi ibi inveniat charitatem, ſecurus ſit, quia tranſiit à morte ad vitam.* At fidem, charitatem fucatam eſſe poſſe, vos clamatis. Occurrit Auguſtinus de fide, loco ſupra laudato: *Fidem ipſam videt quiſque eſſe in corde ſuo, ſi credit, vel non eſſe, ſi non credit.* Deinde de charitate *ibid. lib. VIII.8. Qui diligit fratrem ſuum, magis diligit dilectionem, quâ diligit, quàm fratrem, quem diligit.* Denique *in Pſal.88. Hæc*, inquit, *dixit, hoc promiſit Deus; ſi parum eſt hoc, juravit. Quia ergo non ſecundùm merita noſtra, ſed ſecundùm illius miſericordiam firma eſt promiſſio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non poteſt dubitare.* De loco ejusdem *in Pſal.149.* ſupra reſpondi. 2. Chryſoſtomus in *Rom.8. Serm.14. Quando Spiritus teſtatur*, inquit, *quænam relinquitur ambiguitas?* Addit *homil.1. in 2. Cor. Si Deus hæc arrha nobis priùs data reliquam hæreditatis poſſeſſionem non adjiceret, ipſe arrhæ perditæ damnum pateretur.* Profectò gravia verba. Ubi dixit Spiritus S. teſtimonium *ſecundum ſe*, & non *quoad nos* certum eſſe? Spiritus teſtatur cordi, ſpiritui noſtro. Cùm ille teſtatur, tollitur ambiguitas. Cùm tollitur ambiguitas, oritur certitudo in eo, cui Spiritus teſtatur. 3. Cyrillus *in Joh. lib. X.3.* præter generalem cognitionem ſpecialem deprædicat, qua *Spiritus illuminatione recepta, fideles oculis animi habitantem in ſe Deum videant.* Non loquitur ibi de cognitione beata alterius vitæ, uti ei tu imponis. Diſtinguit enim alios ab aliis in hac vita, & eximiam majorem fidem à communi Sanctorum fide. In hac vita lumen ſuper obſcuro & ænigmatico fidei ſpeculo fundari, regeris. Ita eſt. Etiam fides, quæ ex revelatione verbi ſcripti oritur, talis eſt in hac vita, ut videamus in ſpeculo & ænigmate. An iccirco certa non eſt: an nulla in hac vita certitudo fidei? Et *certitudinem fidei* à Cyrillo prædicari, liquet ex eo, quod fideles dicit *videre Deum oculis animi in ſe habitantem.* 4. Denique Cyprianus in aureolo *de immortalitate* tractatu clariſſimè: *Deus tibi è mundo diſcedenti immortalitatem pollicetur, & tu dubitas? hoc eſt Deum omnino non nôſſe, hoc eſt Chriſtum credentium Magiſtrum peccato incredulitatis offendere, hoc eſt in Eccleſia conſtitutam fidem in domo fidei non habere.* Et poſtea: *Ejus eſt mortem timere, qui ad Chriſtum tranſire nolit; ejus eſt ad Chriſtum tranſire nolle, qui ſe non credit cum Chriſto incipere regnare.* Quæ piiſſimi Martyris verba non tantum de certitudine promiſſionis ſeu objecti, quam etiam damnati habere poſſunt, ſed de certitudine ſubjecti & individuorum, intelligenda eſſe, & ex verbis ipſis, & ex ſcopo loquentis pateſcit. Dixi, ſuccenturiari poſſe alios. Habe paucos. Minutius Felix in Octavio *ſecuritatem futuræ felicitatis, Chriſtianæ profeſſionis ſymbolum* prædicat. Ambroſius *lib.1. de Jacobo & vita beata cap. 6. Non gloriabor*, inquit, *quia profui, neque quia mihi ante profuit quiſquam, ſed quia pro me advocatus apud patrem Chriſtus eſt, ſed quia pro me Chriſti ſanguis effuſus eſt.* Confidenter proin idem compellat tum fidelem *de Sacram. lib. V.4. Præſume non de operatione tua, ſed de Chriſti gratia:* tum Deum ipſum *in Pſal.118. ſerm.5.* his verbis: *Hoc ut auderemus, ipſe feciſti, tuo te chirographo conveniemus.* Theophylactus *Matth. XI.* prædicat *magnam certitudinem, quam experti ſint fideles omnes.* Baſilius *Reg. Contract. q.296. Cùm quis ſuis vel alienis peccatis eo, quo diximus, modo affectum ſe eſſe animadverterit,* πληροφορηθήτω, *plenè perſuaſus ſit, ſe liberum eſſe à peccato.* Et *quæſt.12.* πῶς πληροφορηθῇ ψυχὴ ὅτι ἀφῆκεν αὐτῇ ὁ Θεὸς τὰ ἁμαρτήματα; ὅταν θεωρήσῃ αὐτὴν ἐν τῇ διαθέσει τοῦ εἰπόντος, ἀδικίαν ἐμίσησα καὶ ἐβδελυξάμην. *Quomodo plenè certa efficietur anima, quòd peccata ipſi condonarit Deus? Si ſeipſam contempletur in affectu ejus, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus*

sum. Claudat agmen Patrum Bernhardus, cujus disertissima & fiduciæ plenissima *Serm.* 3. *de fragmentis* 7. *panum* repræsentare verba inutile non fuerit: *Tria*, ita ille, *considero, in quibus tota spes mea consistit, Charitatem adoptionis, Veritatem promissionis, Potestatem redditionis. Murmuret enim, quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibus meritis obtinere hanc speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi, & certus sum, qui in charitate nimia adoptavit me: quia verax in promissione, quia potens in exhibitione. Licet enim ei facere, quod voluerit. Hic est funiculus triplex, qui difficilè rumpitur: quem nobis à patria nostra in hunc carcerem dimissum firmiter obsecro teneamus, ut ipse nos sublevet, ipse nos trahat & pertrahat usque ad conspectum gloriæ magni Dei, qui est benedictus in Secula!* Tam non S. Patres Dubitantii, hoc est, Papistæ Tridentini, fuerunt.

ARG. X. Neque defuerunt in Concilio, qui se erranti turbæ fortiter opponerent. Etenim Catharinus & Marinarus pro certitudine gravissimis pugnârunt argumentis, quæ videsis apud Historicum lib. II. pag. 181. 182. Quin Eisengremius non veretur ad eandem certitudinem trahere cothurnum canonis 13. *Tract. de certitud. gratiæ cap.* 6. ubi ex omnibus receptis Theologis, Patribus, Scholasticis, Neotericis eam ostendit vel propugnatam, vel saltem non oppugnatam. Quid quòd Bellarminus, Toletus, Pererius, Valentianus, Vega, Bannes, alii Viris quibusdam spiritualibus hoc indulgent certitudinis privilegium, dummodo illud fidei acceptum non referant? Atqui cùm fidei certitudo sola visione beata claritate sit minor, nunquid in illis spiritualibus plus præstabit moralis persuasio, quàm πληροφορία fidei & indubitatum Spiritus S. auctoramentum? Denique ipsi Sophistæ Scotum suum secuti admittunt hanc regulam: *Conclusionem ex una propositione credita & altera evidenti ex fide esse certam.* Undè facilis argumentatio: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. At ego credo & baptizatus sum. Ergo. Propositio est *fidei*, Marc. XVI. 16. Assumtio habet *evidentiam* ex duplici testimonio Spiritus S. & conscientiæ, Rom. VIII. 15. Ergo ipsa quoque conclusio est fidei.

RESP. REDING: 1. *De mente Catharini supra Pallavicini relationem vidimus.* 2. *Etsi viris quibusdam spiritualibus obtingere posset, ut exercendo se in actibus fidei, spei & charitatis, intellectualia Spiritus S. dona, ex iis abstrahant species rerum Divinarum sub puriori quodam lumine repræsentativas, non possent tamen ad gradum certitudinis fidei pertingere, quia immediatè non veritate prima revelante, sed intellectu eorum nituntur. Si igitur hæc per donorum Spiritus S. operationem fundata certitudo in iis moralis duntaxat persuasio est, quomodo testimonium Spiritus S. in quo clamamus, Abba, Pater, Divina fide certum erit? Conclusio ex duabus propositionibus, una de fide, altera evidenti deducta, fidei certitudinem tum demum obtinet, quando conclusio sub Divina primæ veritatis revelatione continetur.* Ib. pag. 483. 484. Resp. 1. De contentionibus Catharinum inter & Dominicum à Soto circa dogma de certitudine gratiæ nos quoque in loco, ubi historiam Concilii à Suave narratam adversus Pallavicinum tuum vindicatum imus. Ni-

Digitized by Google

ſi ſputa Pallavicini tui lingere tibi volupe eſſet, vix ejus in hoc argumento diſſertationem ſuffragio tuo dignam judicâſſes. Negat ille, quicquam adverſus Catharinum ſtatuiſſe Tridentinos,utpote qui hoc unum contenderit,hominem certitudine fidei ſpeciali ſeu particulari poſſe ſcire,ſe gratiam Dei eſſe conſecutum. *quæ ſententia*, inquit Pallavicinus, *à Theologis improbatur,& æſtimatur erronea, non tamen damnata fuit in Concilio Tridentino,quod tantùm aſſeruit de certitudine fidei Catholicæ, cui non poteſt ſubeſſe falſum.* Ita ſcilicet Purpuratus ille non tantùm auſus eſt fingere diſtinctionem, quæ nunquam Catharino in mentem venit, ſaltem ex ejus ſcriptis probari nequit; verùm etiam tacitè ipſos Concilii Patres,& Bellarminum, qui eum, ceu rejectum à Tridentinis accuſat,ſugillavit,quaſi diſtinctionis ab ipſo confictæ ignari, mentem Catharini aſſecuti non eſſent. Sed hac de re,inquam, plura in loco. In anteceſſum legi nonnulla poſſunt, quæ hac de re Cæſar Aquilinus *de tribus hiſtoricis Concilii Tridentini pag.56--71.* Pallavicino oppoſuit. De cœtero luber audire Eiſengremium, Academiæ Ingolſtadienſis quondam Procancellarium,qui *tract.de certitudine gratiæ cap.6.* Concilii Tridentini ſententiam adverſus recentiores certitudinem gratiæ oppugnantes, molliſſimè explicat, atque ſic denique proteſtatur: *Equidem hic me ſiſto,& clara voce pronuncio,nullum Catholicum receptúmque Doctorem unquam in eam ſententiam, quam adverſarii nobis impingunt, de remiſſione peccatorum & gratia,ſine ulla conſolatione & tranquillitate conſcientiæ, perpetuo trepidandum diffidendúmque docuiſſe. Hoc incunctanter indiſſimulantérque pronuntio, atque utinam faxit Deus, ut hæc vox mea totum Chriſtianum orbem perſonaret!* Ex omnibus igitur receptis Theologis, Patribus, Scholaſticis, aliis oſtendit, hanc gratiæ certitudinem ſemper propugnatam fuiſſe,aut ſaltem non oppugnatam. Librum à Felice Bidenbachio,Imperatoris Eccleſiaſte,vernaculo etiam idiomate redditum, Indices Expurgatorii ad Prohibitorum ſpongiam damnârunt. 2. Cùm Doctores Veſtri longè te doctiores, Bellarminus, Toletus, Pererius, Valentia,Vega,Bannes,alii,Viris quibuſdam eximiis certitudinis privilegium indulſerint,modò illud fidei acceptum non referant; miratus equidem meritò ſum, plus, vel ſaltem non minus juxta illos moralem perſuaſionem,quàm πληροφορίαν fidei præſtare. Tu ineptè mihi contradictionem impingis,eò quòd moralem perſuaſionem in donorum Spiritus S.operatione fundatam, ſine certitudine fidei,agnoverim;ſimúlque teſtimonium Spiritus S. in fidelibus clamantis Abba,Pater,ſine certitudine fidei locum habere poſſe,ſupra negaverim. Næ, Redingi,deliras nimiùm. Argumentatio mea ἀπαγωγική eſt, exaggerans abſurditatem ſtatuentium,morali perſuaſione gigni certitudinem,quam πληροφορία fidei & Spiritus inhabitans gignere nequeant. Nam ſola perſuaſione morali, ſuper excellentia donorum Spiritus S. fundata, quenquam, eminentiſſimum etiam, certitudinis privilegium obtinere poſſe,pernego. Quis enim Jobo,Davide,Paulo ſanctior fuit? Atqui illi certitudinem gratiæ ſuæ non à donorum præſtantia, ſed à fidei experientia ac πληροφορίᾳ, & Spiritus S.teſtimonio arceſſunt.Quin potiùs peccatum & miſeriam à peccato paſſim deplorant. 3. Non tantùm olim Scotus *3.Sent. d.35. q. unica*, ſed etiam Vega, Canus, Medina, & paſſim alii regulam hanc,ceu infallibilem fixerunt, *concluſionem ex una propoſitione credita & altera evidenti ex fide eſſe certam.* Ex ea enim Papæ Suprematum, traditiones, & plura ejuſmodi firmare conati eſtis. Si valet regula,rite utique concluſi certitudinem fidei eo Syllogiſmo, quem poſui. Major eſt ἀνεξαγώνιος. Minor præterquam quòd evidentiam ex duplici teſtimonio, Spiritus S.& conſcientiæ habet, etiam Doctorum veſtrorum ſuffragio probatur. Receptiſſimum enim eſt illud Scoti *in 3.Sent. diſt.23.q.1.*

Ss.14. Credo me habere fidem; ſicut credo, Deum eſſe trinum & unum, ita credo me habere fidem infuſam, qua hoc credo; & hoc à Deo, ut perficiat animam in actu primo; quia Dei eſt perfectè perficere, quando perficit; nec non illud Thomæ Aquinatis *2.2.q.18. art. 4. ad 2. De omnipotentia & miſericordia ejus certus eſt, quicunque habet fidem*; ut & *1.2. q.112. art. 5. ad 2. Quicunque habet ſcientiam vel fidem, certus eſt ſe habere.* Quid igitur obeſt, quò minus concluſio iſthæc: *Ergo ſalvus ero*, ſit fidei, adeóque ſalus fidelium certitudine fidei ab iisdem cognoſcatur? Et ſi talis eſt, non poteſt non *ſub Divina primæ veritatis revelatione contineri.* quam ſolam tu regulæ huic conditionem fixiſti. ridiculè ſanè, cùm ipſum hoc *τὸ κρινόμενον* ſit.

ARG. XI. Cui bono cedunt Sacerdotum miſſæ & abſolutiones, Pontificum indulgentiæ, eccleſiæ theſaurus, Monachorum merita, legis impletio, Sacramentorum opus operatum, ſi ex iſtis omnibus nihil certi de ſalute ſibi quiſquam polliceri poteſt? Quid proderunt plauſtra Caſuiſtarum, agendæ veterum, fiduciæ hanc lampadem accendentium, in mortis agone, ſi nihil de ſalutis certitudine pronuntient?

RESP. REDING: 1. *Quòd ſalutis certitudinem ſub hypotheſi Divinitus præfinita pronuntiamus, eò prodeſt, ut cum timore ſalutem noſtram operemur, non cum Spiritu Calviniſtico per teporem & deſidiam diffluamus, ac vitiorum habenas relaxemus. 2. Sacramenta, aliáque ſalutis media eam habent promiſſionis Divinæ firmitatem, ut ſub ea hypotheſi, qua Deus ea firmavit, certam ſpem habeamus. Interim hypotheſis ea reſpicit hominis cooperationem; adeóque ſic in Deo fidendum eſt, ut de nobis ipſis paveamus.* Ib. pag. 484. Reſp. 1. Certitudo rei ſub conditione ſeu hypotheſi incerta, ſaltem de qua certi niſi per conjecturam fallacem eſſe non poſſumus, qualis, Redingi, certitudo eſt? Ludis in re ſeria. Atque adeò Sacerdotum veſtrorum abſolutiones, Miſſæ, indulgentiæ, Eccleſiæ theſaurus, ſatisfactiones veſtræ tales ſunt, quale erat munus impoſtoris, ſic præfantis: *Λαβὲ μηδὲν, καὶ κράτει καλῶς. Accipe nihil, & bene tene.* Et quomodo fictitia hæc certitudo vobis ad operandum ſalutem cum timore proſit, res ipſa loquitur. Curios ſimulatis, Monachi, paupertatem, continentiam jurantes, & Bacchanalia vivitis. Religionem, devotionem, humilitatem, Monachi ſeverè præfertis: & Principes Seculi, luxu Seculi toti diffluitis. Atque ut ſic ſecurè diffluere poſitis, multum dubitationis Helena, populo veſtro deſponſa, juvat. 2. Qualem igitur certitudinem ſpiritualis nundinatio veſtra pariet, ſi conditionem præfigit, cujus ab arbitrio lubrico humanæ cooperationis ſuſpenſæ nulla unquam indubia certitudo, ob defectum ſpecialis, uti cauſamini, revelationis, haberi poteſt? Quid à vobis ſeducti, artibus veſtris circumſcripti & emuncti expectare poſſunt, quod ſauciatam liget, aut languentem erigat conſcientiam, ſi certam ſalutem promittere nemini poteſtis? Quid mihi, repeto, proderunt in mortis agone, in crucis æſtu Caſuiſtarum veſtrorum plauſtra, ſi de certitudine ſalutis meæ nil pronuntiare auſint. Denique proditis vos, incertitudinis hujus Pyrrhoniſtæ, quòd aut Majores veſtri per longi temporis tractum inſigniter Eccleſiæ impoſuerint, aut vos à Majoribus ſumma cum perfidia defeceritis. Etenim Eiſengremius veſter octo minimùm Agendas adducit, in quibus expreſsè Sacerdotibus injunctum olim eſt, ut ſub crucis & tentationum malo æſtuantes aut gementes hoc certitudinis antidoto reficerent. *Hujus fiduciæ lampade* (inquit Utenbergius *de cauſis Cap.14.*) *per univerſum Chriſtianum orbem ſimpliciores ad cognoſcendum Chriſtum,*

Digitized by Google

Chriſtum, & ſalutem conſequendam manuduxerunt Majores, atque ita artem bene moriendi minoribus tradiderunt. Abbatis Bloſii, quem Stapletonus laudat, Canones & Inſtitutio vitæ ſpiritualis nihil frequentiùs, quàm dulciſſima ex hac certitudine afflictis ſolatia ſpirat. Denique & Jeſuita Ribadeneira in libro Hiſpanico, quem *Fontem vitæ & conſolationis* appellat, Cramero *de Prædeſtinatione* memorante, ſalutis certitudinem non à perfectione, quæ in nobis eſt, ſed ab ea, quæ in Chriſto eſt, arceſſit. *Moriens*, inquit, *ſe totaliter miſericordiæ Dei committat, Paſſionémque Chriſti inter ſe & Divinum judicium interponat.* Cujus ſententiæ authorem Johannem de Avila laudat. Quàm verò hodie in Papatu verſa ſunt omnia, & nihil priſci ac integri moris. ubi perpetuæ dubitationis dogma, ob defectum ſpecialis ſcilicet revelationis, miſeras ſub tyrannide iſta gementes conſcientias eò adigit, ut nec in tentationum Euripo, nec in decretorio illo mortis agone quicquam habeant, ubi pedem figant; ſed potiùs tremebundæ & anxiæ hæreant, & dubitationum trepidationúmque fluctibus jactatæ ad pacis & tranquillitatis ſolidæ portum eluctari, niſi Deus ex machina ſuccurrerit, nequeant? Et, quod malorum caput eſt, conſcientiæ tremulæ & vacillantes falſa præſidia circumſpiciunt, ad cultus ſpontaneos, indulgentiarum mercatum, pictas ſuffragiorum & meritorum merces, vana ex ſacrificio Miſſatico refrigeria deflectunt, donec in hoc dubitationis fatalis incendio pereant.

ARG. XII. Cauſæ decretæ hujus dubitationis & diffidentiæ parùm fuerunt honeſtæ. Si enim certitudo ſtabiliretur, timendum erat Patribus, ne regni Pontificii vectigalia, vota, peregrinationes, fraternitates, opera ſupererogatoria, miſſarum nundinatio, indulgentiæ, denique tota ſuperſtitionum Papiſticarum, quarum dubitatio hæc fomentum eſt, lerna in diſcrimen præſentiſſimum adduceretur.

Resp. Reding: *Meras calumnias ſpirat. Potiùs doctrina noſtra ex parte Deĩ ſpem firmam; ex parte noſtra ſolicitam ſuĩ humiliationem in timore Domini ſuſcitat.* Ib. pag. 484. Reſp. Res loquitur. Pone certam in Dei ſolius miſericordia fiduciam, ſolidam in vita & morte conſolationem, conſcientiæ Dei gratia & peccatorum remiſſione fretæ pacem & tranquillitatem, vileſcet ſtatim & ſordebit nimiùm abacus à Collybiſtis Romanenſibus in Templo Dei erectus. Experientiam authorem, Deo ſit laus, habemus. Quam verò ex parte Dei ſpem dubitatio ſuſcitabit, cùm ſpei certitudo omnis ex fidei certitudine fluat? Quam humiliationem in timore Domini pariet, quod deſperationem potiùs & Pyrrhonicam impietatem per decumanam veluti portam admittere aptum natum eſt?

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Fideles nihil de cordis munditie, merito proprio vel demerito, peccatorúmve remiſſione certò pronuntiare poſſe, docet Salomon Proverb. XX. 1. Eccl. XI. 1. Ergo de gratia Dei nec poteſt, nec debet quiſquam certus eſſe.* Reſp. 1. Nulla eſt ſequela, quia certitudo hæc non pendet à juſtitiæ inhærentis puritate, ſed à Chriſti imputata: nec ab exacta reſipiſcentiæ rigiditate, ſed humili ſinceritate. 2. Salomon Prov. XX. 9. docet, neminem poſſe dicere, cor ſuum mun-

dum esse, propriâ nempe justitiâ. Potest tamen fidelis mundum pronuntiare cor suum ex speciali gratia Divina, qua lapsus teguntur, si absit hypocrisis. 3. Idem Eccles. IX. 1. dicere intendit, ex prosperis vel adversis, quæ hîc plerumque sine discrimine bonis æquè ac malis obveniunt, de futuro ipsorum statu non esse judicandum.

EXCIP. REDING: 1. *Certitudo juxta te pendet ab humili sinceritate. Cùm verò hæc sit actus hominis deceptioni obnoxius, cùm de eo nihil homini specialiter revelatum sit, manifestum est, in ea certitudinem fidei fundari non posse.* 2. *Cùm justitia inhærens cum justificatione individuo nexu juxta te cohæreat, quomodo justificationis certitudo sine inhærentis justitiæ & munditiei cordis certitudine obtineri potest?* 3. *Qualis illa mundities est, quæ peccata non tollit, sed tegit? Atqui intrinsecam cordis munditiem Deus Psal. LI. CXIX. Matth. V. 8. postulat.* 4. *Ecclesiastæ cap. IX. 1. enuntiatio indefinita est.* Ib pag. 485. Resp. 1. Certitudo salutis sic à gratia & justitia Christi principaliter pendet, ut conscientiam & sensum humilis sinceritatis requirat. quæ tam non est deceptioni obnoxia quàm non sensus ignis urentis, aquæ humectantis. Ad certitudinem verò fidei generalis revelatio, & specialis ejusdem applicatio & visio propria, cum Spiritus S. testimonio conjuncta, sufficit. Malè de te agitur, si sinceritatis sic tibi conscius esse non potes, ut de ea perpetim dubitare cogaris. 2. Justificationis certitudo sine sensu omni justitiæ inhærentis obtineri nequit, Potest tamen obtineri sine sensu justitiæ inhærentis, seu munditiei cordis perfectæ, cujus solius conscientiam Solomon homini derogat. Sic enim dicit: מי יאמר זכיתי לבי טהרתי מחטאתי *Quis dicit, mundavi cor meum, purus sum à peccato meo?* Neminem esse arguit, qui planè ac perfectè cor suum à peccato inhabitante & concupiscentia sic liberaverit, ut illud sit limpidum, defœcatum & ἀψογὸς; neque ullum se venditare posse, quòd sic à peccato purus sit, ut vetus peccatum omnino deposuerit, aut malum sibi adjacens, atque ad quod occasio ipsum invitaverit, penitus vitaverit. Ita Eliphaz Job. XXII. 5. *Annon malum tuum multum est?* annon meministi plurima esse, in quibus labi & cespitare promptum tibi fuerit, atque etiamnum sit? Et Solomon ipse se explicat 2. Reg. VIII. 46. *Quis est, qui non peccet?* Alia verò est mundities cordis sanguine Christi loti & abstersi ab immunditie quoad peccati reatum & maculæ prædominium in hac vita, maculæ abolitionem plenam in altera, de qua Solomon non loquitur. Potest enim fidelis cor suum mundum pronuntiare, *sed ex speciali gratia*, inquit Lyra; *non absolutè, sed secundum humanum modum*, addit ex Beda Jansenius, ubi teguntur lapsus, si absit humiliato hypocrisis. 3. Mundities, qua peccata in hac vita non tolluntur, ut non sint, sed teguntur, ut non imputentur, non legalis equidem, sed Evangelica mundities & justitia est. quam solam Evangelium in hac vitæ hujus imperfectione requirit. 4. Enuntiationem suam indefinitam ipse mox Solomon definit. Rationem enim statim addit hanc, הכל לפניהם *Omnia ante se*; & v. 2. הכל כאשר לכל *Omnia ut & omnibus* obtingunt, hoc est, tam mala quàm bona externa, quæ fortunæ appellamus, similiter bonis & malis obtingunt. Alias si indefinita illa enunciatio, גם אהבה גם שנאה אין יודע האדם *Amorem & odium nescit homo*, vel, uti Vulgatus vester reddit: *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit*, simpliciter, universaliter, & in rigore, uti tu insulsè pertendis, acciperetur, evidenter falsa foret. Quomodo enim saltem improbi se odio Dei & hominum indignos esse nesciunt? Quo argumento ipse Salmeron Bellarminum, Costerum, Becanum

num, alios gratiæ incertitudinem hinc probantes refellit. Addo, si improbi sciunt, se odio Dei dignos esse, tum qui hoc non sciunt, sciunt, se amore Dei dignos esse, in Christo videlicet. Inter odium enim & amorem Dei medium nihil est. Sed verissima sententia est hoc sensu, quod ex beneficiis, externis accidentibus, seu externo statu gratia Dei propriè æstimanda non sit. Quem sensum etiam Pineda & Emmanuel Sa *ad h.l.* urgent. Quid quòd de odio & amore Dei Solomon ne quidem expresse agit? Simpliciter enim dicit: *Amorem & odium nescit homo*; quod de proprio hominis amore & odio nonnulli explicant hoc sensu, quòd homo non semper exploratum habeat, quàm bene amet vel oderit, appetat vel adversetur; & quomodo id cum rationibus Divinæ ordinationis conveniat; vel, quòd amorem & odium suum certa & explorata scientia non semper moderetur, Deo fingente omnium corda, Psal. XXXIII. 15.

OBIECT. II. *Jobus, David, Paulus homines perfectissimi, juxta loca* Job. XXVII. 6. Palm. XXVI. 1. 1. Cor. IV. 4. *non ausi tamen sunt sibi certitudinem propriæ gratiæ arrogare.* Resp. 1. Certitudinem gratiæ, & inter maximos insultus Sathanæ, fiduciam testatur Jobus cap. XIII. 15. XIX. 25. David Psal. CXVIII. 17. Paulus Rom. VIII. 38. alibique passim. 2. Aliud est propriâ justitiâ intumescere, aliud gratuitæ reconciliationis conscientiâ erigi, & innocentiam causæ asserere. Illud, non hoc, exemplo fidelium vetamur.

EXCIP. REDING: 1. *Cur ad loca citata disertè non respondes?* 2. *Jobus cap. XIII. 15. agnovisse se dicit vias suas; & cap. XIX. 25. scire se, quòd Redemptor suus vivat. Quid hoc ad justificationis certitudinem? David Psal. CXVIII. 17. dicit: Non moriar, sed vivam. Quæ ineptia est, hinc justificationis certitudinem probare? Rom. VIII. 38. Paulus agit de notitia Divini propositi.* Ib. pag. 485. Resp. 1. Satis disertè ad loca opposita respondeo, nempe Jobum, Davidem, Paulum *non propria justitia intumescere, sed gratuitæ reconciliationis conscientia se erigere, & innocentiam causæ suæ asserere, & fiduciam suam alibi testari.* Sed propius loca expendamus. Sic sonant juxta Vulgatum Interpretem Vestrum verba Jobi cap. XXVII. 6. *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea?* Si hinc, propria justitia intumescere Jobum, vel fiduciam gratiæ nullam habuisse, concludere niteris, næ aberras nimiùm. Nam & alibi, ut dixi, fiduciam testatur; & sic non aliud quàm vel causæ, non personæ justitiam tueretur; vel fiduciam suam in Christi gratia testaretur. Tunc enim in hac vita cor nostrum nos non reprehendit, *cùm corde creditur ad justitiam; & fides non negligit reprehendere peccatum nostrum.* quem verborum Jobi sensum Augustinus adversus Pelagianos, Jobi ἀναμαρτησίαν inde probantes, reddit. Sed aliter originalis textus habet: לא יחרף לבבי מימי *Non convicia-bitur, blasphemabit cor meum ullo dierum meorum.* Nam חרף est ὑβρίζειν, injustè & petulanter afficere gravi contumelia verbis, vel factis. Quid hoc ad perfectionem justitiæ Jobi? David Psal. XXVI. 1. orat: *Judica me Domine, quoniam in integritate mea ingressus sum.* Alibi Psal. CXLIII. 2. Dei judicium deprecatur. Et Jobus cap. IX 2. *Si volet* Deus in judicio *contendere cum homine, non respondebit ei ad unum è mille.* Hic ergo stat ad thronum gratiæ, & secundum Evangelii canonem in bona conscientia, juxta libertatem filiorum Dei, in Christo se judicari postulans, תמה *integritatem* suam, qua videlicet sic Deum, ut justitiam, Salvatorem, Patrem, Dominum suum timebat & amabat, ut gloriam ejus non dederit alii, vera locutus sit, bona fecerit ex corde, fide vera, amore

Digitized by Google

amore Dei; allegat. Annon sic παῤῥησίαν, fiduciam, certitudinem suam in Dei gratia testatus est? Unde statim subjicit v.2. וביהוה בטחתי לא אמעד *Et in Jehova confido, non vacillabo.* quasi diceret: Sine ulla dubitatione, plenus fiduciæ & spei accedo ad Dominum judicem, verbo promissionis ejus fretus. Ideò non vacillabo, non cadam, sed stabo in judicio. Denique S. Paulus 1. Cor. IV. 4. scribit: Οὐδὲν ἐμαυτῷ σύνοιδα. *Nullius rei mihi ipsi conscius sum,* (non nullius peccati, sic enim sibi Rom. VII. 14. f contradixisset; sed nullius culpæ seu negligentiæ, quoad fidelitatem suam in distributione mysteriorum Dei) *sed neque in hoc justificatus sum.* Neque perfectionem igitur suam Pharisaicè & Papisticè jactat, (nam si vel maximè nullius mali sibi conscius fuisset, mali tamen ab eo commissi conscius esse Deus potuit; quia si cor nostrum nos non condemnat, Deus major est corde nostro, 1. Joh. III. 20. 21.) sed fidelitatem suam in obeundo munere suo testatur: neque certitudinem & πληροφορίαν suam ejurat, sed quare in Dei judicio, ceu causa vitæ & justitia, quam Deus justificans exigit, non nitatur, exprimit. En, Redingi, nec perfectionem justitiæ loca illa testantur, nec certitudinem gratiæ excludunt, sed includunt magis. 2. Quàm verò loca Jobi cap. XIII. 18. XIX. 25. leviter, quæso tractas? Dixit in priore Jobus, se in Deo confisurum, etiamsi occideret se. יקטלני לו איחל *Occidat me, ei confidam.* An hoc sine fiducia, sine certitudine gratiæ, qua ex morte se vindicatum iri ad vitam noverat, dicere potuit? Et addit: אך דרכי אל פניו אוכיח *Etiam vias meas coram facie ejus demonstrabo.* quasi diceret: Excussis omnibus cordis mei recessibus pandam ei, promam, demonstrabo ei animum meum, quem gessi hactenus, & adhuc gero. Proferam omnia cogitata, facta, dicta mea, sive mala, confitendo, sive bona gratias gratiæ ejus agendo, in lucem sanctissimi vultus ejus. Tanta erat lœtitia cordis ejus ob certitudinem gratiæ ex sensu fidei & Spiritus inhabitantis. quæ velut משתה תמיד *perpetuum convivium* fidelium est, Prov. XV. 15. In altero loco cap. XIX. 25. 26 efficacissimis verbis certitudinem & fiduciam suam sic testatur: *Et ego* ידעתי *novi* (non dubito) גאלי חי *Redemptorem meum* (non aliorum, sed meum. quomodo de Redemptoris gratia certus non fuit, qui Redemptorem *suum* profitetur?) *vivere, & postremum super pulverem meum staturum.* (victorem futurum de pulvere meo, morte mea, ultimo hoste, cui profligato superstes erit.) *Et postquam cutis meæ destrinxerint hoc, etiam ex carne mea videbo Deum. quem ego videbo mihi, & oculi mei viderunt, & non alius.* Annon sic præsensisse, prævidisse, prægustasse in corde suo illam visionem Dei per illuminationem Spiritus S. liquidò testatur? Obmutesces, sat scio, Redingi, expenso verborum pondere, nisi plus quàm ferream frontem habes. David Psalm. CXVIII. 17. dicit: לא אמות כי אחיה *Non moriar, sed vivam.* An nihil hoc ad certitudinem justitiæ & vitæ? Quomodo διακρινόμενος *dubitans,* incertus, se victurum, non moriturum æterna morte, categoricè asserere potuit? Sed ubique ferè parem fiduciam David testatur, adeò ut Medina vester *in 1. 2. q. 112. a. 5.* fateri coactus fuerit, *Davidem & Prophetas, remissionem peccatorum consecutos se esse, sæpe sæpius confidere, & sperare.* De loco Rom. VIII. 38. supra diximus.

OBIECT. III. *Deus salutem promittit sub certis conditionibus, pænitentiæ nimirum, conversionis & observantiæ mandatorum. Nemo autem certus esse potest, an conditiones istas impleverit, proinde etiam de salute sua certus esse nemo potest.* Resp. 1. Conditiones ejusmodi sunt potiùs documenta nostræ conversationis, quàm

quàm fundamenta certitudinis. 2. Imò certi esse possumus de impletione conditionum salutis nostræ vera, seria, sincera & ἀνυποκρίτῳ: utcunque non de perfecta & numeris omnibus absoluta. Nôrunt enim, fidelem esse, qui promisit, eúmque subventurum, ut impleat, quod promisit. Nôrunt Deum linum fumigans non extinguere, & calamum quassatum non confringere, Esaj.XLII.3.

Excip. Reding: 1. *Ea est promissionis conditionatæ natura, ut ejus veritas rei promissæ impletionum non exigat, nisi conditione purificata. At purificari sine nostra cooperatione nequit. Quomodo verò certitudine fidei constat tibi, te cooperatione tua eam purificasse? 2. Deus linum fumigans non extinguit, & calamum quassatum non conterit. An iccirco Deus conditionem implet, vel implere tenetur? Atqui nec hoc natura promissionis conditionatæ exigit, nec Scriptura testatur.* Ib. pag.486. Resp.1. Sine nostra *συνεργείᾳ cooperatione* conditiones, promissionibus Divinis annexas, non impleri, (non dico tecum, non *purificari*, quia vox illa sensu tuo nec Latina est, & Pharisaismi fermentum redolet) fateor. Sed *συνεργείας* meæ tum ex ejusdem sensu interno atque experientia, tum ex Spiritus intus operantis meam operationem testimonio, certus esse possum. Cur enim dubitem de eo, quod Spiritum Dei in me operari sentio, video, experior? Dubita tu, qui nihil te sentire, non obscurè fateris. Ita Act.VIII.37. proponenti Philippo: *Credis ex toto corde*, respondere, certus utique fidei suæ, potuit: *Credo, Jesum Christum esse Filium illum Dei.* Intellexit igitur & sensit, quod credidit, & observavit conditionem, quam intellexit. Novit etiam Paulus 2.Tim.I.12. *Novi, cui crediderim.* Nôrunt Apostoli omnes Joh.VI.69. *Nos credidimus, & scimus, Te esse Christum, Filium Dei viventis.* Nôrunt omnes fideles 1.Cor.II.12. *Accepimus Spiritum, qui est ex Deo, ut sciamus, quæ Deus nobis gratificatus est.* Id etiam Barnesius vester, Monachus Benedictinus agnovit, cujus hæc verba Forbesius *Consid. Mod. pag.*102. citat: *Cùm fides sit scientia salutis, & credere sit quoddam scire, sequitur, quòd quemadmodum sciens scit se scire, ita quisquis ad salutem credit, credit se credere salutari fide. Ex quo efficitur, piè in Christum credentes certos esse de sua fide justificante, qua justi sunt.* 2. Deum non tantùm salutem credenti conferre, sed in eodem etiam conditionem promissioni annexam operari, nisi Pelagii veneno imbutus non negares. Atqui idem ille, qui promissioni suæ conditionem fidei, ex integro corde, & conversionis ad Deum annexuit, & fidem, & cordis integritatem, & conversionem simul promisit & præstat. *Dabo vobis*, sic promittentem audi Ezech.XXXVI.26.27. *cor novum, & Spiritum meum ponam in præcordia vestra: auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Inseram Spiritum meum in interiora vestra, & efficiam, ut ambuletis in statutis meis, & judicia mea custodiatis atque faciatis.* Neque promisit duntaxat, sed præstat etiam, quia *fidelis est, qui vocavit nos, ὃς καὶ ποιήσει qui etiam faciet*, 1.Thess.V.24. & *βεβαιοῖ confirmat usque ad finem irreprehensibiles in die Domini nostri Jesu Christi*, 1.Cor.I.8. Ipse enim est ὁ ἐνεργῶν *qui operatur in nobis & velle & perficere pro suo beneplacito*, Phil.II.13. χαριζόμενος *gratificans & pati pro Christo, & credere in eum*, ib. cap.I.29. *Quia nempe fidelis est Deus, qui promisit, subvenit ut impleat, quod promisit*, inquit Ambrosius *in* 1.*Cor.X.*

Digitized by Google

OBIECT. IV. *Poſt peractam pœnitentiam ancipitem manere adhuc remiſſionem, innuitur Dan.IV.24. Joël.II.14. Act.VIII.22. Ubi occurrunt particulæ dubitationis, forſan, quis ſcit, &c. Nemo igitur ſecurus eſſe de ſalute poteſt.* Reſp. 1. Dicta allegata propriè non agunt de peccati remiſſione, ſed de pœnæ temporalis plenaria relaxatione. 2. Particula אולי *forſan, quis ſcit, ἆρα* non ſemper nota eſt dubitantium, ſed potiùs excitantium, confirmantium, bene ſperantium & eventum Deo committentium. Exempla 2.Reg.XIX.4. Prov. XXIV.18. Eccleſ.V.5. Johan.V.46. VIII.19. Rom.XI. 21. videri poſſunt. 3. Dan.IV.24. in Græco quidem eſt ἴσως, in Latino *forſitan.* At in Chaldæo הן *ecce* manifeſtæ aſſeverationis ſenſum habet.

EXCIP. REDING: 1. *Dan.IV. 24. agitur de Rege Nebucadnezare peccatis obnoxio. At pœnæ temporalis remiſſio ante peccati remiſſionem locum non habet. Ita Joël. II. 13. 14. agitur de remiſſione peccati quoad ipſum culpæ reatum. Act.VIII. 22. Simoni pœnitentia præſcribitur ad remiſſionem peccati ipſius. 2. Eſto, particulæ illæ ſint quandóque bene ſperantium, & eventum Deo committentium. Eo ipſo eventus ex parte ſperantis certitudinem nullam habet, ſed tantùm ex parte Dei, qui eventum promiſit ſub conditione, de qua impleta fidei certitudinem nemo habet.* Ib. pag. 486. Reſp. 1. Dan.IV.24. Nebucadnezari peccata ſua per juſtitiam abrumpenti, promittitur propagatio שלוות *felicitatis* temporalis, qualem ante in Regno habuit; & quali infideles etiam, quorum peccata remiſſa nunquam ſunt, identidem potiti ſunt. Joel II.13.14. pœnitenti populo promittitur averſio judicii, quod Deus cap. 1. comminatus fuerat, temporalis ſcilicet excidii. *Quis ſcit,* inquit vates, *convertetur & pœnitebit ipſum, & relinquet poſt ſe benedictionem, munus & libamen Jehovæ Deo veſtro.* bona temporalia, ex quibus Deum celebrent. *Glorifica Deum de opibus tuis, & de primitiis proventus tui. Sic enim implebuntur horrea tua ſatietate, & torcularia tua muſto exundabunt,* Prov.III.9.10. In loco Act.VIII. 22. agitur de remiſſione peccati. Sed ibi *εἰ ἄρα ἀφεθήσεται* idem eſt, quod *ἵνα ut remittatur.* planè ſicut Phil.III.10.11. *εἴ πως καταντήσω ſi forte perveniam,* hoc eſt, *ut perveniam ad reſurrectionem mortuorum.* quo ſenſu ſæpe ſumi obſervat Euſtachius in Homerum. Quis dubitat, quin pœnitentibus peccata remittantur? Ipſi vos certitudinem objecti, quam conditionalem tu vocas, nuſſi hactenus impugnaſtis. 2. Certitudo fidelium non aliunde ſanè eſt, quàm à Deo promittente tum ſalutem, tum ſalutis conditionum impletionem. Eſt tamen ipſius ſperantis, qui in ſe impletas conditiones juxta infallibilem promiſſionem Dei videt & ſentit.

OBIECT. V. *Salomon Proverb.XXVIII.14. Paulus Philip.II.v.12. Petrus 1.Pet. I.17. potiùs timorem & tremorem, quàm confidentiam ejuſmodi nobis commendant.* Reſp. Loca ea inculcant potiùs ſolicitudinem de mediis, quàm hæſitantiam & dubitationem de fine. Proinde timor ille ſolicitudinis non opponendus eſt fiduciæ erga promiſſa Chriſti, ſed præſumptioni carnali de viribus propriis, qualem fovet Papatus. Formido igitur talis & fiducia cùm diverſa reſpiciant, unum idémque ſubjectum afficere poſſunt.

Digitized by Google

Excip. Reding: 1. *An finis non ſuppoſitis mediis obtineri poteſt? Si ergo de mediis hæſitandum, de ipſo quoque fine hæſitandum eſt.* 2. *Non fovemus nos carnalem de viribus propriis ſecuritatem, ſed gratiæ Chriſti accepta omnia referimus.* 3. *Poteſt fiducia & formido in eodem ſubjecto ſubſiſtere: illa reſpectu promiſſionis conditionatæ; hæc reſpectu cooperationis noſtræ, & conditionum impletionis.* Ib. pag 486.487. Reſp. 1. Aliud eſt pia ſolicitudo de mediis: aliud perpetua de eorum poſſeſſione hæſitatio & formido. Solicitudo ipſa medium eſt non hæſitandi & formidandi, ſed confidendi ob rem ſolicitudine ea, faciente Deo, acquiſitam. Solicitos enim Deus adjuvat, & ſuis viribus diffiſos Divina potentia ſua erigit. Olim icti ignitis ſerpentibus nihil in ſe, quod juvaret, invenerunt. Sed diffiſos ſibi, & auxilium ſolicitè circumſpectantes, in exaltati Serpentis aſpectu confuſi non abierunt. 2. Cùm omnem, quam adhuc admittitis, certitudinem illam moralem ſeu conjecturalem inhærentis juſtitiæ perfectioni & dignitati inædificetis, manifeſtum eſt, fiduciam veſtram non aliud quàm præſumptionem carnalem de propriis viribus eſſe. Sunto enim vires illæ à gratia Chriſti, (quanquam ante omnem gratiam vos aſtruere liberum arbitrium, non ſemel ſupra oſtendimus) ſunt tamen poſt donationem vires propriæ, & inhærentes. 3. Timorem ſolicitudinis cum fiducia in eodem ſubjecto quomodo collocetis, non video. Nam fiducia & certitudo promiſſionis conditionalis, quali etiam Diabolus & damnati in inferno gaudent, qualis quæſo de ſalute & juſtitia fiducia & certitudo eſt? Nulla prorſus. At timorem ſolicitudinis, qualis in filios Dei cadit, & fiduciam ſalutis propriæ idem ſubjectum afficere poſſe, denuo aſſero, quia timori & ſolicitudini illi fiducia & certitudo victrix denique ſuccedit. Cùm enim certitudo gratiæ non poſſit in nobis eſſe cum propoſito peccandi, & extra uſum mediorum; timor, cautio & vigilantia illa, quæ non aliò quàm ad peccatum fugandum, & ſanctitatis ſtudium promovendum pertinet, certitudinem non tollit, ſed ponit, & *σωτηρίαν κατεργάζεσθαι ſalutem operatur*, uti Apoſtolus Phil. II. 12. docet. Oppoſitus enim omnibus humanis conſiliis & cogitationibus, adſtringit timentes ad Dei verbum, ut ſint החרדים אל דברו *trepidantes ad Dei verbum*, Eſaj. LXVI. 5. propter ejus ſcilicet bonitatem & ſuavitatem, ne forte eo non ſatientur, aut ejus jacturam faciant ulla parte, 2. Cor. VII. 9. ſpectat Dei altitudinem & bonum ejus, Hoſ. III. 5. XI. 10. 11. & periculum conſiderat, in quo omnis homo conſtitutus eſt; qui proin facit induſtriam, laborem, ſolicitudinem τῆς *ἐπιλαβέσθαι αἰωνίου ζωῆς* apprehendendæ æternæ vitæ, & *τόλμαν* audaciam ac propriam prudentiam excludit; denique gaudium, bonam conſcientiam & fiduciam efficit, Pſal. IV. 6. & eſt arca, qua conſervatur omnis ſalus, Eſaj. XXXIII. 6. Atque hoc eſt illud, quod paucis verbis ſic David expreſſit Pſal. II. 11. Servite Deo in timore, וגילו ברעדה *& exultate in tremore.* Exultare igitur, lœtari ob rei poſſeſſæ certitudinem & ſimul timere ac tremere, non contrariantur. Licet de cœtero in hac lucta fiducia langueſcere & deficere etiam poſſit, & tribus quidem, uti VViclefus *Trialogi lib. III. 22.* ſuo loquendi more enuntiavit, modis, puta *ex infirmitate in teneris & tentatis: ex poroſitate in iis, qui in multis credendis tanquam foraminibus fide vacuis fatiſcunt: & neglecta aut perverſa applicatione, idque vel ex animi deliquio, quod accidit Davidi in cauſa Uriæ, aut præcipitantia;* fiducia tamen hic non penitus excutitur, ſed ſemen ſemper manet, unde redintegrata induſtria ſuæ certitudini fibræ ſuccreſcunt. Invadere igitur metus & diu oppugnare, ſed expugnare & vincere fidem, ejúſque certitudinem nullo modo poteſt.

Digitized by Google

OBIECT. VI. *In verbo Dei non continetur immediatè, mihi vel tibi condonata esse peccata. Ergo id certitudine fidei nemini constat.* Resp. 1. Sufficit ex generali promissione conscientiam viva fide suffultam subsumere: *Ego credo, & promissis Christi innitor.* Ad quam universalem promissionem & sensum conscientiæ in electis accedit testimonium Spiritus S. omni exceptione majus. 2. An Philippus idcirco non tenetur abstinere furto & adulterio, quia ejus nomen non continetur lege? Par nempe ratio est præceptorum & promissionum. Ubi etiam legimus: Tu Pontifex Romane, tu Cardinalis Bellarmine accipe authoritatem ligandi & solvendi? An idcirco irritam ducunt Papæ vel Sacerdotis cujuslibet absolutionem?

EXCIP. REDING: 1. *Conscientia viva fide suffulta licet, ex generali promissione, citra revelationis Divinæ explicitum vel implicitum tenorem, nequit sic assumere: Ego credo, & promissis Christi innitor. Ubi verò talis revelatio extat? 2. Alia præceptorum, alia promissorum ratio est. Illa feruntur absolutè, citra conditionem, & quidem omnibus. Proin singuli per conscientiam Divina fide suffultam assumere possunt, se obligari ad obedientiam, licet eorum nomina in lege non sint expressa. Hæ cùm conditionem cooperationis annexam habeant, neque cooperari individua & conditionem implere, revelatum sit; assumptionem ejusmodi, seu fide certam, non admittunt.* Ib. pag. 487. Resp. 1. Nauseam mihi crambes tua recocta toties creat. Fides, *qua* creditur, revelationem externam desiderat: fides verò, *qua* creditur, internam conscientiæ, visionis, Spiritus S. revelationem, secundum Dei verbum; non aliud quicquam ad sui certitudinem desiderat. 2. Imò par hactenus præceptorum & promissionum ratio est. Sicut enim ob generale præceptum singula, ad quæ illud pertinet, individua, obligationem suam applicant, & de ea fide sua certa sunt, licet individua assumentia revelatio non exprimat: sic in promissis ex generali particulare rectè infertur; præsertim ubi fides, qua credimus, dictante Spiritu S. & attestante conscientia, fidei, quam credimus indubitatam, thesin subsumendo applicat. Non obstat igitur conditio cooperationis, quia de ea fidei certitudinem haberi posse, supra firmavimus. Et denuo quæro, an promissæ à Christo claves Papa, sibi; quo jure, quave injuria, non dico, applicans, certitudine fidei compertum habeat, se claves habere; necne? Si compertum habet, cur fides applicans alias promissiones generales incerta manet? Si compertum non habet, totus Papatus, clavium potestati à Pontifice sine certitudinis fidei sensu applicatæ vel raptæ inædificatus, sua mole ruit.

OBIECT. VII. *Certitudo hæc extinguit omnem pietatem & bona opera. Frustra enim petitur remißio peccatorum, si de ea jam certi sumus: frustra solicitus est de salute, qui de ea haud secus ac si jam compos esset, certus esse potest.* Resp. Imò frustra has tibias inflant. Deus enim vult à nobis summo studio & labore expeti, quæ scimus nos adepturos. Promisit panem alendis corporibus, quem precibus vult expeti. Apostoli sciebant se electos ad vitam Luc. X. 20. Idem tamen quotidie petebant. Paulus certus erat, neminem de vectoribus, qui erant in navi, submersum iri. Idem tamen nautas hortatur

Digitized by Google

tatur ad laborem,cibum, & de fuga cogitantes retineri jubet. Oportet enim hominis industria Dei decreto inserviat. Neque media ad finem cum fine ipso collidenda sunt.

EXCIP. REDING: 1. *Rem acu tetigisti, asserens, oportere hominis industriam DEI decreto inservire. An verò industria hæc hominis certa est? Sola Divina efficacia eam reddere certam potest. Ubi verò in S. literis efficacia isthæc singulis in individuo fidelibus promissa est? 2. Cùm Judas ipse in Apostolorum choro tum, cùm Christus Luc.X.20. eos allocutus est, fuerit, an igitur etiam ille certitudinem hanc habuit? 3. Si salus respectu singulorum fidelium absolutè certa esset, non jussisset Apostolus 2.Pet.I.10. bonis operibus certam vocationem nostram facere.* Ib.pag.487.488. Resp. Ad nervum responsionis meæ cùm quod responderes,nihil haberes,ad strophas pro more te convertis, & dicta vellicas. frustra tamen. Etenim 1, industriâ suâ decreto Dei inservienti certum esse hominem posse, jam sæpe ostendimus. Qui verè credit, verè industrius est, credere se, industrium esse, scit; fideíque & industriæ suæ certus est. Nam sensus & cognitio omnis, objecti, & sui ipsius simul sensus & cognitio est. Miserimam verò fidelium sortem,si efficacis gratiæ promissionem nullam habent. Et tamen promissionibus ejusmodi Scriptura plena est. Vel sola fœderis novi promissio fidem nobis faciat, quæ sic habet: *Hoc est fœdus, quod feriam cum domo Israëlis post dies illos; dicit Dominus. Inseram legem meam* (quæ fidei est) *in interiora eorum, & in cor eorum scribam eam,eróque Deus eorum, & illi erunt mihi populus. Omnes me cognoscent, à minimo eorum usque ad maximum eorum,dicit Dominus,quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius,* Jerem.XXXI.33. &c. Hebr.VIII.8.9.&c. Quomodo legem suam cordi fidelium inscribit Deus sine efficacia gratiæ? Tum enim cordi legem eam inscribit,cùm ipsemet efficit,ut illam recipiant,ea delectentur,ejus non obliviscantur,&eam lubentes observent. Tum Deum cognoscunt fideles,cùm norunt ejus virtutes,sciunt,quomodo factus sit in Deum peccatoris, eum intuentur, observant,ante oculos habent, eique confidunt. Verbo,cognitionem eam vitæ æternæ medium esse,Christus ipse docet Joh.XVII.3. Directa est promissio ad Israëlitas fideles V. T. & in eorum persona ad cunctos,ad quos novum fœdus spectat. Hic, Redingi, nos doce,an promissio pertineat ad fideles fœderatos omnes,an ad nonnullos. Si ad omnes, habes promissionem efficacis gratiæ, pertinentem ad fideles singulos, individua fidelium singulá. Si ad nonnullos, qui illi, à cæteris fidelibus distincti sunt? Ubi Scriptura discrimen fidelium,aliorum, quibus efficacia illa gratiæ promissa est; aliorum, quibus promissa non est, statuit? Similis promissio est Ezech.XXXVI.25.26. ubi cor carneum & novum, nec non purificationem per aquas mundas promittit. An fidelibus singulis? Sic salva res est. An quibusdam? Ostende ex Scripturis fidelium & fœderatorum hac in re discrimen. Quid verò multis? Deus fidelibus χαρίζεται τὸ πιστεύειν *gratificatur credere*, seu credendi actum, Phil.I.29. An quæ Deus gratificatur, ignorat homo,cui is gratificatur? Atqui fideles *Spiritum Dei acceperunt, ut noverint τὰ χαρισθέντα ea, quæ Deus iis gratificatus est,* 1.Cor.II.12. Et quæ novimus, à Spiritu S. novimus, illa ex speciali Dei revelatione interna, adeóque fidei certitudine, novimus. 2.Locum Luc.X.20.non inspexisti.Non ad Apostolos, sed ad septuaginta discipulos Christus verba ea,quibus gaudere eos, quòd nomina eorum Cœlo inscripta sint, jussit, fecit. An verò sic ad septuaginta discipulos illos privilegium hoc gaudii & certitudinis Christus restrinxit, ut ad alios fideles non pertineat? Atqui sic ne ad ipsos quidem Apostolos

Digitized by Google

los pertinebit. Cœterùm viciſſim ex te quæro, quomodo Chriſtus 1.Cor.XV.5. poſt mortem duodecim Apoſtolis apparuiſſe dicatur, poſtquam Judas in locum ſuum jam abiit? Diſce, Collegium habere nomen à numero, qui illius Collegii eſt legitimus. 3. Quomodo S. Petrus 2.Epiſt.I.10. jubere potuit, ut ſtudeamus *βεβαίαν τὴν κλῆσιν ϗ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι vocationem & electionem noſtram firmam facere*, ſi de vocatione noſtra in ſtatum gratiæ & æterna electione certi nunquam eſſe poſſumus, ſed ſemper vocatio & electio noſtra noſtri reſpectu *ἀβέβαιος infirma* manet? Certè vel hinc liquet dogmatis veſtri vanitas. Cui enim bono S Petrus hortaretur ad id, quod in tota vita neſtra obtineri non poteſt? Nam vocatio & electio reſpectu Dei ſemper firma eſt, quod vos non diffitemini. Intelligitur igitur firmitas & certitudo utriusque reſpectu noſtri. Sed quomodo, inquies, de *σπουδῇ ſtudio* noſtro certi eſſe poſſumus? Imò quomodo non poſſumus, ſi vocatio & electio firma omnino reddi debet? Studium enim illud medium eſt firmitatis. Et de eo certus fuit Paulus, & cum eo fideles omnes, (nam in plurali numero verba ſua concepit) cùm ſic 2.Cor.I.12. ſcripſit: *Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate & ſinceritate in mundo converſati ſimus.* Qui igitur ſtudii & piæ contentionis ſuæ ſenſum nullum habent, ii pace & teſtimonio conſcientiæ, omnem intellectum ſuperante, quódque adeò fidei πάθος eſt, deſtituuntur penitus. Priuſquam verò hinc te dimittam, lubet in te animadvertere ſummam σκληρότητα & præfractum animum. Meritò quondam Lutherus *in Geneſ.41.* dixit: *Etiamſi nihil præterea peccatum fuiſſet in doctrina Pontificia, quàm quòd docuerunt, nos debere fluctuare & vagari ambigentes & dubios de remiſſione peccatorum, gratia & ſalute noſtra, juſtas tamen haberemus cauſas, cur ab Eccleſia ea nos ſejungeremus.* Ita ſanè eſt. Propterea enim Doctores veſtri, quibus mica pudoris ſuperſtes adhuc fuit, utcunque perpetuæ dubitationis dedecus à doctrina ſua amoliri ſtuduerunt. Nihil de Ambroſio Catharino & aſſeclis ejus, Eiſengremii proteſtatione inprimis, quam ſupra attuli, dicam. Nihil de illorum ſententia, qui ſtatuunt, poſſe, imò ſolere homines ſpirituales & perfectos, ſecundùm ſtatum viæ, ad eam certitudinem ſeu ſecuritatem venire, ut nullam habeant de ſua juſtificatione formidinem, ad eum modum, quo credimus ſine ulla hæſitatione & formidine deceptionis, Romam fuiſſe & eſſe, Cæſarem aliquando in Italia regnaſſe. &c. A qua ſententia ipſe Dominicus à Soto *Apol. contra Cathar. cap.2.* Gregorius de Valentia *diſp.8. q.5. pag.4. Tom.2.* Carthuſianus *in 1 Sent. d.17. q.5. & 10.* referente Suarezio *de grat. lib.9. cap.11. n.1.* non abhorruerunt. Apertè verò Andreas Vega *de juſtif. lib.IX.* 11.1. eam tuetur. Improbant tamen rigidiores, Bellarminus, Vaſquez, alii. neque categoricè Vegæ aſſentiri Redingius voluit, ſed ex hypotheſi tantùm aſſeruit, ſi qui talem certitudinem habeant, merè moralem, non Divinam eam futuram. quamvis à fide Divina eam defluere Vega contendat. Sed rigidior cœteris Bellarminus, concedit tamen paſſim certitudinem quandam moralem, & conjecturalem, & poſt operoſam de certitudine gratiæ juſtificationem, *de juſtificat. lib.III. cap.11.* ſic ſcribit: *Dico, nullum eſſe Catholicum ſcriptorem, qui doceat, oportere homines perpetuò dubitare & hæſitare de ſua cum Deo reconciliatione.* Poſtea: *Tertia ſententia, quæ communior in Eccleſia eſt, non tollit quidem omnem formidinem, tamen tollit omnem anxietatem & hæſitationem, & ipſam etiam dubitationem, ſi dubius dicatur, qui non audet alteri parti aſſentiri.* Quàm verè ſic ſcribat, non diſputo. Nam ſibi Bellarminum contradicere, dubitari nequit. Negat enim ex conſcientia gratiæ Deo gratias agi poſſe; & ex Eccleſiaſte probare molitur, *omnia in futurum circa odium & amorem Dei ſervari incerta.* De vocibus litigare vanum eſt. Sed certè qui damnatus eſt

mor-

mortis, neque ullam viam habet evadendi, nisi ex condonatione, ille non potest non esse anxius, donec ipsi de condonatione illa penitus constiterit. Anxia enim res est, de statu æterno nihil scire. Interim contraria Bellarmini verba saltem pudorem adhuc impii dogmatis nonnullum in ea adhuc superstitem testantur. Redingius verò noster sic pudorem omnem decoxit, ut in prolixa, quam mecum instituit, disputatione ne quidem moralem, conjecturalem certitudinem fidelibus gratificetur, sed incertitudinem, dubitationem, hæsitationem, anxietatem ubique ferè clamet; denique, ne immitis horridusque nimiùm videatur, *certitudinem objectivam & conditionatam*, hoc est, certitudinem, quòd Deus certa conditione salutem in verbo promiserit; qualem Diabolus etiam & damnati omnes obtinent, largitur. Sic Papatus in pejus quotidie, proh dolor! degenerat, & suam de salute fidei ac bonorum operum, Spiritusque intus testantis sensu desperationem conceptis veluti verbis publicè profitetur. Neque verò ita profiteri, mirum est. Nam generalem tantùm agnoscit fidem, Christum passum esse, mortuum ac sepultum esse, qualem etiam Diabolus cum omnibus reprobis suis habet. Mirúmne igitur etiam, non aliam fidei, & salutis certitudinem habere, quàm eam, quæ cum Diabolo & reprobis ei communis est. Nisi igitur pronomina illa *Me* & *Meus* aptè, Redingi, discas ad usum proprium referre, nisi cum Thoma, *Dominus meus, ac Deus meus*, Joh XX.28. cum S. Paulo: *Deus dilexit me, & semet ipsum tradidit pro me*, Gal. I.20. vera cum fiducia ingemines, actum est de salute tua magis, quàm si Saxo Salires.

QUÆSTIO XII.

An quilibet homo justificatus teneatur ex fide credere, se esse è numero prædestinatorum?

NEgat canon XV. Nos sub eadem, qua supra, limitatione, asserimus. Rationes militant omnes, quibus certitudinem gratiæ justificantis asseruimus. Qui enim infallibiliter cognoscit gratiam suæ justificationis, infallibiliter etiam gratiam suæ prædestinationis cognoscit, quia subordinantur. Hæc causa, illa effectus, Rom. VIII.29. Sic qui certus est, diem illuxisse, certus etiam est de solis ortu. Accedunt

ARG. I. Plena persuasio charitatis Dei, quæ est electio in Christo Jesu, Rom. VIII.38.39. Quem locum gravissimè urget Augustinus.

RESP. REDING: 1. *Charitas quidem illa Dei, qua in Christo nos dilexit, & elegit, infallibilem certitudinem habet. Ubi verò S. literæ docent, omnes & singulos fideles ista insuperabili electionis efficacia comprehendi? Nam Paulus Rom. VIII.38 quidem docet, prædestinatos à charitate Dei non separari; quinam verò sint ita prædestinati, in individuo, non docet. 2. Contrarium liquet ex 2. Tim. II.17.18. ubi Hymenæus & Philetus dicuntur aberrasse circa veritatem, & subvertisse aliorum fidem, quin & fundamentum Dei dicitur*

dicitur sigillum isthoc habere; Novit Deus, qui sui sint; quod signaculum cùm Dei proprium sit, temerè à vobis fidelibus omnibus commune statuitur; nec non ex Hebr. III. 12. ubi participes Christi effici dicimur, si principium subsistentiæ in finem usque retineamus; ex Rom. VIII. 17. XI. 20. &c. 2. Tim. II. 11. 12. 13. ubi hæredes Christi & regnaturi dicimur, si unà patiamur; certo argumento, quòd glorificatio ex conditione respectu hominis incerta, perseverantia videlicet, à qua homo deficere possit, pendeat. 3. Proin etiam prædestinationem illam quoad nos incertam, S. Patres, Chrysostomus in cap. 3. Phil. homil. 11. asserens, Paulum ipsum de salute sua securum non fuisse; Hieronymus lib. II. adv. Pelag. ubi certam esse victoriam, quandiu certamus, negat; denique Augustinus de Civit. Dei XII. 2. ubi quamvis justè viventes de perseverantia sua certos esse posse, vel quenquam scire, quòd sit in prædestinatorum numero, negat; disertè innuunt. Tract. IV. Ss. 2. pag. 488--490.

Resp. 1. Fideles singulos insuperabili electionis efficacia comprehendi, cur quæris? Fassus enim ante es, charitatem Dei, qua in Christo nos elegit, infallibilem certitudinem habere. Nam quos prænovit, prædefinivit, vocavit, justificavit, eosdem glorificavit etiam, Rom. VIII. 29. At fideles omnes Deus elegit, quia in Christo electi sunt, ut credant & sancti sint, Ephes. I. 4. Omnes igitur sub electionis Divinæ efficacia comprehenduntur. Omnes electos Deus vocavit, donando fidem & resipiscentiam. Quotquot igitur credunt, electi pariter atque vocati sunt. Est enim πίστις τῶν ἐκλεκτῶν *fides fidelium*, Tit. I. 1. Si hoc dicere voluisti, fideles singulos ex speciali revelatione dilectionis & electionis Divinæ conscios non esse, responsum ex superioribus habes, simúlque Apostolo asserenti, persuasum se esse, quòd & ipse, & fideles omnes à dilectione Dei separandi non sint, denuo contradicis. Sicut enim non ex revelatione quapiam extraordinaria, sed ex fidei indubitatis τεκμηρίοις promissionem Dei sibi applicando, persuasionem de sua electione & dilectione S. Paulus hausit: ita eandem persuasionem fidelibus omnibus, utpote similia fidei suæ, quoad speciem saltem, τεκμήρια sentientibus, & eodem modo sibi promissionem applicantibus, vindicat, dicens v. 37: ὑπερνικῶμεν *Victores* SUMUS *per eum, qui dilexit* Nos. & v. 39. *Persuasus sum, nullam creaturam posse Nos separare à charitate Dei.* Quæ aliàs ad fideles ex privata Pauli de sua salute persuasione consolatio redundaret, si se quidem in portu constitutum, reliquos verò fideles inter sacrum & saxum hærentes, inter spem & metum fluctuantes depinxisset? Unde verò fuit illa S. Pauli persuasio? Non utique ex speciali externa revelatione; sed partim ex testimonio Spiritus S. v. 15. 16. partim ex individuo nexu electionis, vocationis, justificationis & glorificationis, v. 29. partim ex sensu fidei in Mortem Christi, v. 32. 34. in resurrectionem ejus, Sessionem ad dextram, & intercessionem pro nobis, v. 34. denique ex sensu effectorum fidei, justificatione, v. 33. spe, qua dicimur servati, v. 24. & dilectione nostra erga Deum, v. 28. Hæc cùm in omnibus fidelibus, si non quoad gradum, quoad speciem tamen locum habeant, par utique in iis æternæ dilectionis & electionis certitudo atque persuasio locum habeat oportet. 2. Loca à te obducta nec faciunt ad solutionem argumenti mei, nec planè apposita sunt. Etenim 2. Tim. II. 18. 19. qui aberrârunt à veritate, & quorum fides perversa est, illi nunquam verè fideles fuerunt, uti alibi ostendimus. Et satis tuam de fidelium incertitudine & perseverantiæ inconstantia glossam elidunt verba Apostoli, statim aberrantibus à fide opposita, v. 19. *Tamen firmum fundamentum Dei stat,* (q.d. Verè fideles ita firmiter fundati, ita Lapidi in Sione fundato fortiter superstructi sunt, ut eorum fides à seductoribus everti nequeat. quomodo fidelis vocatur יסוד עולם *fundamentum Seculi*, Prov. X. 25. & *columna in domo Domini,*

Domini, quæ non exit foras, Apocal. III. 12.) *habens ſignaculum hoc, Deus novit, qui ſui ſunt* (q. d. ratio firmitatis illius eſt, tum quia *Deus ſuos novit*, amat, curat, non negligit opus ſuum, eos, qui in ipſum credunt, & ſalutem ac cuſtodiam ejus petunt, non fruſtratur, cujus etiam rei σφραγῖδα ſignaculum acceperunt, Spiritum Dei, Epheſ. I. 13. IV. 30. 2. Cor. I. 2. tum quia ſic eos fundavit ſtabiles, ut in corde ſuo gerant hanc legem ei inſcriptam, & legem proprii cordis factam, *Abſiſtendum videlicet eſſe ab omni iniquitate ei, qui nomen* Chriſti nominat. ex qua lege, velut ſignaculo & charactere quodam ſciri poteſt, ſe eſſe fundationem Dei, & firmum fundamentum, quod ſtat & manet. Scire enim poteſt, ſe habere Spiritum Dei, cúmque ſigillum & arrhabonem.) En perfectam demonſtrationem conſtantiæ & perſeverantiæ fidelium! Fideles non deficiunt, quia ſunt fundamentum Dei, ſeu fundati à Deo. Eos Deus novit & curat, ut ſuos. ſtant igitur firmiter & inconcuſſi. Habent notam & ſigillum, quòd ſint Dei fundatio, Spiritum ejus. Ejus notæ genuina forma eſt, quòd nomen Chriſti Salvatoris ſui nominant, & hanc legem ſibi per charitatem dicunt, ut recedant ab omni injuſtitia. Omnia igitur firmitatem ſpondentia fideli adſunt, Divina fundatio, Notitia Dei, propter quam illum ſemper curat, & oculum ſuper eo ponit, Pſal XXXII. 8. denique Evidentia ejus notæ in lege charitatis, quam operatur in eo Spiritus S. ut ſigillum illud & nota Dei ei ſit arrhabo ac pignus. Sed *ſic ſignaculum Dei*, inquis, *Deo proprium, fidelibus commune facimus*. Quaſi ſigillum illud ſic Deo proprium ſit, ut nihil ad fideles, qui ſic obſignantur, ceu hæreditas & peculium Dei faciat. Imò verò character, ſigillum iſthoc cordi credentium impreſſum eſt, qui hac notitiæ, curæ, protectionis, Spiritus charitatis nota inſigniti & obſignati ſunt. Cœtera, quæ affers, loca, hoc unum arguunt, electionis æternæ & ſalutis certitudinem omnem requirere impletionem mediorum & conditionum, in eodem electionis decreto conſtitutarum. Cœterùm id certitudinem fidelium non labefactat, quia earundem conditionum impletio non à noſtris viribus, ſed à Dei gratia pendet, & æquè, ac ſalus ipſa, in Evangelio promittitur. Promiſſio quidem Evangelii, qua Dei beneplacitum ſive teſtamentum declaratur, abſoluta eſt: ſed ſingularibus tamen perſonis conditionato axiomate primitus applicatur. quod axioma abſolutæ promiſſionis verum conſectarium eſt, & ad fundandam fidem ac Evangelicam conſolationem maximum momentum habet. 3. Patrum teſtimonia à te conſarcinata nil cauſæ tuæ conducunt. Chryſoſtomus enim non aliud quàm ſecuritatem à fide removet, & negat ſecurum eſſe Paulum de ſua reſurrectione, quæ ad Chriſtum ducit, potuiſſe citra continuationem fidei. Hieronymus hoc unum aſſeverat, victoriam & glorificationem non hujus eſſe vitæ, in qua continuè certandum; ſed alterius & beatæ. Scilicet ὧδε ϛάδιον, ἐκεῖ δὲ ϛέφανος. *Hic ſtadium, ibi corona eſt.* S. Auguſtinus *de Civit. Dei lib. XII.* 12. de externè vocatis quibusvis loquitur, & eos perſeverantiæ ſine diſcrimine certos eſſe, meritò negat. Quoſdam verò (electos ſcilicet) *latente judicio & revelatione* de perſeverantia ſua à Deo inſtrui, apertè his verbis innuit: *Quis enim hominum ſe in actione profectúque juſtitiæ perſeveraturum usque in finem ſciat, niſi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui hac de re latentéque judicio non omnes* (ergo quoſdam, & quos niſi electos?) *inſtruit, ſed neminem fallit.*

ARG. II. Spiritus S. docet nos omnia κεχαρισμένα, *quæ gratificatus eſt nobis Deus*, 1. Cor. II. 12. At electio æterna eſt nobis κεχαρισμένη.

RESP. REDING: *Apostolus non loquitur de charismatibus, quæ singulis fidelibus in particulari sint donata, sed quæ fidelibus collectim, adeóque Ecclesiæ in membris suis indeterminatè spectatis donata sunt.* Ib. pag. 490. Resp. Bene est, quòd id de donis gratiæ in hac vita intelligere videris; secus quàm Jesuita vester Becanus, qui stringi se argumento sentiens, ad dona gloriæ retulit. quanquam ne sic quidem ille elabitur. Si enim per Spiritum S. datur certitudo donorum gloriæ, quæ futura sunt; multò magis dabitur donorum gratiæ, quæ præsentia sunt. Sed nec tua glossa felicior est. Loquitur Apostolus de iis, quæ Deus ἐχαρίσατο *gratificatus est*, quæ supra v. 8. dixerat, *oculum non vidisse, aurem non audivisse, in cor hominis non ascendisse; sed nobis per Spiritum ejus revelata esse.* Quid aliud hæc sunt quàm dona & bona fidelium N. T? Ea proin dicit data ἡμῖν NOBIS, puta sibi & fidelibus omnibus; & Ecclesiæ electorum universæ, & singulis electis. Nam nec Ecclesia electorum collectim sumpta est extra electos in particulari; nec electi in particulari sunt extra Ecclesiam electorum collectim sumptam. Quæ igitur bona fœderatorum ex æterna electione scaturientia Deus & omnibus & singulis fidelibus gratificatus est, ea per Spiritum Dei, hunc in finem datum, εἰδέναι, *cognovisse* dicuntur. Quid clarius pro certitudine gratiæ, & electionis ipsius, quæ gratiæ fons est, dici poterat?

ARG. III. Dantur prædestinationis infallibilia τεκμήρια, & effectus ab ea infallibiliter emanantes, quales sunt vocatio per donationem fidei & resipiscentiæ, justificatio, sanctificatio, renovatio ad imaginem Dei per conformitatem cum imagine Filii Dei; tristitia & dolor ob offensam Patris, gaudium & promissa spiritualia, & pax ab humanis affectibus, patientia & constantia in adversis, cum profectu & incremento hominis interioris, præsertim lucta conscientiæ: motus & testimonium Spiritus S. interiùs dictantis, quæ facienda circa calamitates externas & mortem ipsam, & parantis nos ad omittenda omnia præter Deum: denique constans amor inimicorum sine temporali respectu. Hæc τεκμήρια & effecta arguunt causam prædestinationem haud secus ac lux solem, calor ignem, ratio animam.

RESP. REDING: 1. *Argumentum ex effectibus prædestinationis petitum fidei certitudinem non arguit, quia hæc prima veritate revelante, illa effectu creato nituntur. Neque etiam certitudo fundata super argumentatione tali, quòd effectus causam suam arguat, ad fidei certitudinem pertingit.* 2. *Sunt quidem, quæ tu affers, prædestinationis effectus; sed non proprii. Ita fides per charitatem operans prædestinationis effectus est, sed non proprius, quia cadere in eos etiam potest, qui ad finem usque non perseverant.* Ib. pag. 490, 491. Resp. 1. Effectus prædestinationis in homine prædestinato ita creati effectus sunt, ut à solo Deo eligente pendeant. Cúmque Spiritus S. eorundem sensum in cordibus electorum efficiat, & Scriptura eosdem nonnisi à prædestinatione arcessat, saltem in nemine reprobo collocet; & fideles ipsi eorum sensu sibi verbi Divini assertionem applicent, Divina utique certitudine, quæ fidei est, & prima veritate revelante nititur, prædestinationis certitudo ex iisdem ritè colligitur tali argumento: *Quicunque sentit se credere, communionem cum Christo per fidem, studium & amorem Dei, legis Divinæ, & sanctitatis, tristitiam & dolorem secundum Deum, gaudium in adversis, pacem ab humanis affectibus, incrementum*

hominis

hominis interioris, motum & teſtimonium Spiritus S. dictantis facienda & omittenda, ac in iiſdem dirigentis, fidem inprimis in Chriſtum Salvatorem, is prædeſtinatus eſt: Ego ſentio. Prædeſtinatus ergo ſum. Major eſt revelationis externæ, quæ effectus hoſce ſimileſque cum cauſa ſua, æterna electione paſſim, inprimis Rom. VIII 29. 30. connectit. Minor eſt revelationis internæ & viſionis. Concluſio ergo de fide eſt, & fidei certitudinem inducit. Cúmque Chriſtus ſit ſpeculum, in quo prædeſtinationem noſtram contemplemur, utpote in quo etiam electi ſumus, ſatis utique firmum & certum habebimus teſtimonium, nos in libro vitæ ſcriptos eſſe, ſi communionem habuerimus cum Chriſto, & is in vera fide noſter ſit, nos ejus ſimus, & Spiritus ejus participes nos redditos obſignatóſque noverimus. 2. Quòd verò effectus ejuſmodi electionis proprii ſint, in dubium vocari nequit. Ut enim de ſola fide ſalvifica & juſtificante loquamur, crediḋiſſe dicuntur quotquot ad vitam æternam ordinati, hoc eſt, electi ſunt, Act. XIII 48. Ubi Lucas differentiæ rationem expediturus, cur multis reluctantibus aliqui crediderint, cauſam ejus rei à ſola electione, utpote cujus donum fides ſit, petit. Cúmque S. Paulus 2. Theſſ. III. 2. neget omnium eſſe fidem, ſatis clarè indicat, quorundam eſſe propriam. At non eſt propria reproborum. Electorum igitur propria eſt. Oſtendit id ipſum Apoſtolus 1. Theſſ. I. 3. 4. 5. *Gratias agimus Deo ſemper omnium veſtrum cauſa, ſine intermiſſione commemorantes ſemper veſtrum opus fidei, & laborem charitatis, & patientiam ſpei Domini noſtri Jeſu Chriſti; Scientes, fratres dilecti, veſtram electionem à Deo.* Ubi electionem Theſſalonicenſium oſtendit eſſe materiam gratiarum actionis; eóque ipſo inſinuat, Electionem cognoſci ex viva fide, charitate & ſpe ceu donis ſecundum electionem & propoſitum Dei datis. Unde 2. Theſſ. II. 13. gratias agit Deo de Theſſalonicenſibus, ceu *dilectis à Deo, quòd elegerit eos ab initio ad ſalutem per ſanctificationem Spiritus & fidem habitam veritati, ad quam vocavit eos per Evangelium ſuum.* Electio igitur æterna & dilectio Dei optimè cognoſcitur ex ſanctificatione Spiritus, & fide habita veritati in Evangelio prædicatæ. Quomodo verò cognoſci poteſt, ſi effectus hi communes ſunt electis & reprobis? Atqui per ſanctificationem hanc Spiritus, & fidem veritati (ſic enim appellatur, quia eſt fides habita Deo de Chriſto, vera & unica juſtitia noſtra, in qua ſola eſt ſpes æternæ vitæ non confundens) habitam dicitur Deus elegiſſe *εἰς σωτηρίαν ad ſalutem.* Cùm igitur ſoli electi ſalventur, ſanctificatio Spiritus & fides iis eximia & propria ſit oportet. Unde *πίστις τῶν ἐκλεκτῶν fides electorum*, propria ſcilicet, eſſe dicitur Tit. I. 1. Cùm igitur fides illa ſit electorum, & pendeat ab electione Dei ad ſalutem, clarum eſt, non eſſe eam niſi perſeverantium. de quo plura inferiùs.

ARG. IV. Sine hac prædeſtinationis certitudine nulla eſt ſolida conſolatio in vita & morte, nec gloria Deo debita adſcribi poteſt: nec incerti & dubitantes pro ea precari, nec denique pro eo munere gratias agere poſſumus. Mirificè igitur pietatis curſus hac ratione ſufflaminaretur.

Resp. Reding: 1. *Solida noſtra in vita & morte conſolatio conſiſtit in voluntatis noſtræ reſignatione & conformitate cum voluntate Divina. Ubi ita ſalutem cum timore & tremore operari oportet, ut hinc ſtimulum habeamus orandi pro perſeverantia fideli. Totam itaque gloriam Deo adſcribimus, dum humiliamur ſub potenti manu Dei, & de prædeſtinatione noſtra elati & ſecuri non præſumimus.* 2. *Sicut id, de quo fide Divina certi ſumus, veluti, quòd Chriſtus ſedeat ad dextram Dei, &c. non precamur: ſic Divinæ prædeſtinationis ſecretum non obſtat, quò minùs Deum perſeverantiam oremus. Imò tale ſecre-*

Digitized by Google

tum magis ad orandum incitat. Unde S. Auguſtinus de Bono perſev. cap. 2. perſeverantiam ex eo, quòd pro ea oretur, donum Dei eſſe demonſtrat. Ib. pag. 491. Reſp. 1. Imò ſolida conſolatio *κυρίως* non in opere humano, quale eſt reſignatio voluntatis noſtræ in Divinam, & conformitas noſtra cum eadem, ſed in fide & ſpe gratiæ Divinæ, æterni ejus amoris in Chriſto dulciſſimarúmque promiſſionum Evangelii conſiſtit. quarum, ceu ad nos pertinentium, ſenſum nullum cùm habuerimus, deplorata conſolatio, deplorata ſalus noſtra eſt. Unde S. Paulus Hebr. VI. 16-20. *ἰσχυρὰν παράκλησιν conſolationem ſolidam* tribuit *τοῖς καταφυγοῦσι κρατῆσαι τῆς προκειμένης ἐλπίδος qui confugiunt* (hoc eſt, iis, qui perſuaſi de amore Dei erga Chriſti hæreditatem, toti exarſerunt ſiti juſtitiæ, ut ad Chriſtum *confugerent*, ſive in ipſo ſolo inveniri cuperent, ipſum, tanquam arcem ſuam apprehenderent, *ad arripiendum ſpem illam expoſitam* (quæ eſt בטחון *fiducia*, ſecuritas illa, qua jam in hac vita ſine ambage per Chriſtum ad Deum accedere, eíque pro electione, redemptione, juſtificatione gratias agere, & ab eo propter Chriſtum omnia expetere poſſumus; quæ ſpes ſola v. 19. 20. vocatur *ἄγκυραν ἀσφαλῆ τε καὶ βεβαίαν anchora tuta & firma*, ingrediens in Cœlum, in quod præcurſor noſter Chriſtus intravit, quia fides in Chriſtum præcurſorem præſtat ſecuritatem conſervationis Divinæ propter juſtitiam), idque *per duas res, quæ tranſponi non poſſunt, in quibus impoſſibile eſt mentiri Deum*, nempe *ἀμετάθετον τῆς βουλῆς immutabilitatem conſilii*, & promiſſionum *juratam*, factam *hæredibus promiſſionis*, quibus ſic immutabile conſilium ſuum *περισσότερον abundantiùs* demonſtrare voluit, v. 16. 17. 18. En *παράκλησιν ἰσχυρὰν conſolationem validam*, pertinentem ad eos, qui confugiunt per fidem ad Chriſtum, & ſpe ſua, ceu firma quadam anchora, una cum præcurſore ſuo Chriſto Cœlum intrant; nixam non reſignatione noſtra in voluntatem Dei, certa æterni amoris Dei fiducia & ſpe deſtituta, & cum perpetua fluctuatione (qualis eorum eſt, qui anchoram fixam nullam habent) & dubitatione conjuncta; ſed duabus rebus longè firmiſſimis, nempe tum *immutabili Dei conſilio*, hoc eſt, æterno teſtamento Dei, ultima ejus voluntate & propoſito omnem pœnitudinem & mutationem operis excludente de hæreditate Chriſti, & eorum, qui ipſi hæredes in æterna electione dati ſunt, & vi ejuſdem teſtamenti vocationis & Spiritus regenerantis ad fidem participes fiunt; tum *promiſſione Dei jurata*, hoc eſt, mediante juramento Dei confirmata Abrahamo & credentibus in Semen ipſi promiſſum. Hæc viva conſolatio eſt, quam ſequitur prompta reſignatio voluntatis noſtræ in Divinam, humilis adoratio, gratiarum actio, ceu æterni amoris *πληροφορίαν*. Abſque ea verò eſt, tantum abeſt, ut Deo confidamus, vel curas noſtras, per reſignationem voluntatis noſtræ, in eum conjiciamus, ut potiùs neceſſum habeamus Deum horrere & fugere, niſi forte nobis blandiamur, & peccata noſtra extenuemus; quod non eſt glorificantis Deum, ſed ejus, qui ſibi ſecuritatem carnalem perſuaſione operum & perfectionis ſuæ parare geſtit. Et quomodo ex ſuæ in Divinam voluntatem reſignatione ſtimulum orandi pro perſeverantia oriri dicis, ſi perſeverantiæ, ſine qua ſalvari nemo poteſt, donum apud Deum certum non eſt? Oratio enim omnis, cùm ex fide proficiſci debeat, reſpectu eorum, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, promiſſionem Divinam exauditionis ſupponit. *Si quid petieritis in nomine meo*, inquit Chriſtus Joh. XIV. 13. 14. *ego faciam*, ut *glorificetur Pater in filio*. 2. An hoc vis, pro nulla planè re orandum, de qua fidei certitudine certi jam ſumus? Quomodo igitur Chriſtus Joh. XVII. 9. 10. &c. oravit pro iis, quos ſibi datos eſſe à Patre, fidei certitudine certiſſimus erat? Imò quomodo certus ſemper exauditionis ſuę, nihilominus creberimè & *ἐκτενέστερον* oravit? Cúmque fidelibus omnibus promiſſa ſit remiſſio peccatorum & ſalus, atque credentibus ſibi

ſalutem

salutem paratam esse ex eadem promissione certissimi sint, an propterea remissionem peccatorum & salutem orare vetantur? Si igitur Divina prædestinatio & à priore (quod fatemur ultro) & à posteriori sic secreta est, ut nemini constare possit, nomen suum in Cœlo scriptum esse, de re dubia adeò & incerta quis fide, & in nomine Christi orare, quis de ea velut accepta gratias agere, Deum glorificare potest? Non igitur orantes ex Dei mandato pro iis, quorum exauditio promissa est, gratias agentes, gloriam Deo dantes, icciro vel superbi, vel securi sunt, sed potiùs mandato Dei obsecundant, & omnem gloriam non sibi, & operum suorum dignitati, sed soli Deo fidentes humilimè tribuunt. Quàm etiam dilutum est, quod ex Augustino urges, perseverantiam ex eo donum Dei monstrari, quòd pro ea oretur? Quis enim hoc negat, nisi forte Papistæ, qui eam ceu virtutem moralem, propriis actibus & exercitatione acquirendam esse statuunt? Quæ porro Augustini de perseverantia Sanctorum mens fuerit, infra pensiculatiùs trutinabimus.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Paulus Rom. XI. de prædestinatione disputans, refert hoc mysterium inter altissima Dei secreta, & innuit, sine speciali revelatione sciri non posse, quem Deus elegerit.* Resp. 1. Apostolus non de electione, sed de rejectione temporali Judæorum ibi disputat. 2. Electio equidem referri debet inter secreta altissima quoad causam & τὸ διότι, non quoad effectum & τὸ ὅτι, ejúsque sensum in electorum cordibus. Ita fieri potest, ut qui rem per causam non cognoscit, eam per effectum cognoscat.

EXCIP. REDING: *Imò Apostolus de Judæorum reprobatione quoad fidem & salutem, tum de gentium electione ad fidem, gratiam & salutem agens, exclamat: O altitudo divitiarum Sapientiæ, &c. Quàm imperscrutabilia sunt ejus judicia! &c. Jubetque cavere, ne qui stat, cadat. Si prædestinationis suæ per effectus certus esset homo, quomodo impervestigabiles essent viæ Dei, & juberetur cavere stans, ne cadat.* Ib. pag. 491. 492. Resp. Confundis notionem electionis & reprobationis, quæ aliquando æternum de eligendis & reprobandis consilium, aliquando vel assumptionem & separationem populi sui, sive salvandorum à mundo, vel rejectionem à vocatione & fœdere notat. De posteriori, quæ prioris executio est, agere Apostolum, clarum est. Sicut autem prioris illius nulla à priori causa est, si à liberima Dei εὐδοκίᾳ discesseris: sic nec posterioris. Hinc meritò Apostolus v. 33. &c. exclamat attonitus: *O altitudo divitiarum, & sapientiæ & cognitionis; quàm imperscrutabilia judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit mentem Domini? Aut quis prior dedit ei? &c.* Sicut autem judicio Dei à priori & causa sua, abyssi instar, imperscrutabilia, à posteriori tamen & cognoscuntur & percipiuntur: ita gratiam & misericordiam ejusdem, quæ extra εὐδοκίαν Dei in homine causam nullam habent, pariter & cognosci & percipi necessum est. Et si nullo modo mens & amor Dei cognoscitur, quomodo Spiritum suum nobis dedit Deus, ut cognoscamus, quæ gratificatus nobis est? 1. Cor. II. 12. Quomodo spiritualis homo omnia dijudicat? Ib v. 14. 15. Quo fine verbo voluntatem nobis revelavit? Interim ei, qui stat, providendum, ne cadat, 1. Cor. X. 12. non quod incerta & lubrica sit credentium (non de his enim, sed de iis, qui externæ professioni suæ nimiùm confidunt, Apostolus loquitur) salus, sed quia Ma-

 jestatis

Digitized by Google

jestatis Divinæ reverentia, peccati cautela, tremor ad judicia iræ Dei medium est standi, & non suis, sed Dei viribus homo stare debet.

OBIECT. II. *Scriptura passim hortatur fideles ad timorem, veluti* 1.Cor.X.12. *Ergo de prædestinatione sua securi esse non debent.* Resp. 1. Hortatur ad Divinæ Majestatis reverentiam, solicitam peccati cautelam, & iræ divinæ adversus peccata tremorem : non ad timorem rejectionis & diffidentiam de electione. 2. Paulus 1.Cor.X.12. fideles nonnullos sola professione tales, qui nimirum *videntur stare,* hortatur, ne nimiùm externæ suæ professioni fidant.

EXCIP. REDING: *Ei etiam, qui fide stat, timendum, ne cadat,* Rom.XI.20. *Quomodo verò, qui ex prædestinatione securi & certi sunt de sua constantia, timere habent, ne cadant?* Ib. pag.492. Resp. Vagaris pro lubitu. Apostolus 1. Cor. X. 12. clarè dicit: Ὁ δοκῶν ἑστάναι, βλεπέτω μὴ πέσῃ. *Qui putat se stare, ne cadat, videas.* Cùm igitur *per fidem* nos *stare*, alibi Rom.V.2. XI.20. Apostolus dixerit, clarum est, eum, *qui putat se stare*, adeóque non stat, saltem se stare certus non est, non stare fide. Sed ei etiam, inquias, qui fide stat, non insolescendum, sed timendum est. Optimè. Fides enim Christi Regis, & justitiæ nostræ, & libertatis ab ipso datæ non cogitationes altas, sed metum potiùs gignit. Est enim metus אוצר *arca Dei,* servans omne bonum, Esaj XXXIII.6. Sine timore fides non est, nec accipitur. Timor autem intelligitur non quivis, certè non oppositus fidei, Genes.XV.2. 1.Joh.IV.18. sed ὑψηλῷ φρονήματι *alto sensui.*

OBIECT. III. *Scriptura passim salutem suspendit à conditione operum. Atqui nemo certò statuere potest, se facturum omnia bona opera, quæ Christus fieri jussit.* Resp. 1. Prædestinationem ad salutem ex operum conditione non pendere, ipse Bellarminus *de gratia lib. II. cap.* 9.10. fatetur. 2. Neque etiam salus pendet ex operibus, tanquam ex conditione fidelibus incerta. Ipsi enim etsi non perfectionis, tamen sinceritatis & ingenuitatis suæ, quam Spiritus S. in iis operatur, conscii esse per testimonium ipsius Spiritus S. possunt.

EXCIP. REDING: 1. *Bellarminus negat, prædestinationem in sua causa pendere à conditione operum; non in effectu & executione. At homo de effectu & executione incertus est.* 2. *Christus opera esse causam vitæ innuit, Matth. XIX. 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et Joh. XIV. 23. Christus ad eos se venturum promittit, qui eum diligunt, & verbum ejus custodiunt. Quis verò ea de re fidei certitudine certus est?* Ib. pag.492. Resp. 1. Id ipsum, non aliud, de Bellarmino testor, ne subdolè me egisse, calumniari pergas. Si igitur prædestinatio ab operibus hominis, ceu causa sua, non pendet, potest prædestinationis in homine certitudo sine perfectionis operum conscientia vigere. 2. Interim neque salutem ab operibus, ceu causa, Scriptura suspendit. Christus enim Matth.XIX.17. cum juvene, justitiam ex lege sectante, ex hypothesi loquitur, vel certè mandatorum observantiam viam, non causam vivendi & regnandi facit: & Joh. XIV.22. characterem domus, ad quam se venturum, & in qua se familiariter, gratiosè & gloriosè habitaturum recipit, non causam adventus exponit. Quis verò, inquis,

quis,ea de re certus est? Is sanè qui diligit, & verbum ejus servat. Dilectio enim affectus est,qui diligentem non potest non afficere. Quàm quæso insanum fuisset, diligenti adventum suum promittere, si nec dilectionis suæ, nec adventus & habitationis Christi conscius certúsque diligens esse non posset? Ideas Platonicas & mera suaviludia Christum loquentem sic facitis.

OBIECT. IV. *Electio pendet ex sola Dei εὐδοκίᾳ & libera voluntate. Atqui de iis, quæ ex libera Dei voluntate pendent, nisi ex speciali revelatione nihil cognosci potest.* Resp. Electio ita pendet à libera Dei voluntate, ut certò tamen ex Dei verbo constare possit de ejus infallibili signo,consequente conditione & effectu, puta fide in Christum & novitate vitæ. Quamvis igitur voluntatis divinæ à priori causa reddi non possit sine speciali revelatione, potest tamen fidelis sine speciali revelatione, ex generali firmissimáque promissione,& Spiritus S. ac conscientiæ testimonio hanc sibi certitudinem promittere.

EXCIP. REDING: *Atqui certitudo ex generali Dei promissione & conscientiæ testimonio deducta nullibi in S. literis exarata reperitur.* Ib. pag. 493. Resp. Generalis Dei promissio certitudinem fundans in Scripturis; sensus impletæ conditionis,qua generalis promissio applicatur Mihi, Huic, Illi, in corde credentis, attestante, & conscientia,quæ est נר יהוה *lucerna Dei, investigans omnia interiora ventris,* Prov. XX. 27. & Spiritu Dei Rom. VIII. 16. revelatus Divinitus, reperitur.

OBIECT. V. *Si fideles suæ electionis conscii sunt,reliqui,qui ejus conscii non sunt,desperabundi pietatem tanquam sibi inutilem non ampliùs curabunt.* Resp. Hoc potiùs per se sequitur,eos, qui certitudinem non sentiunt,ad eam precibus, fide, pietate aspirare debere. Desperatio igitur & impietas infidelium ex certitudine fidelium nonnisi per accidens sequitur.

EXCIP. REDING: 1. *Quomodo preces iis, qui fidem nondum habent, citra Pelagianismi labem,tribuere potes? 2. Juxta hypothesin vestram,qua ante fidem negatis gratiam actualem ad bonum supernaturale subsistere, qui prædestinationis certitudinem non sentit, nec precibus,nec fide,nec pietate ad eam aspirare potis est.* Ib. pag. 493. Resp. 1. Res ipsa, Gratia Dei, justitia Christi, remissio peccatorum ante fidem contingit nemini, & nonnisi per fidem contingit. Sed & certitudo rei per fidem acquiritur, & augetur indies. Non igitur vel res,vel certitudo rei fide prior est; sed fide & precibus utraque comparatur. Fides enim vitæ spiritualis initium & primus motus est,qui in gratiam in Evangelio oblatam fertur ilico, haud secus quàm heliotropium statim atque se aperit, Solem versus tuetur. Qui igitur salutis certitudinem nullam habent,illorum est ad eam precibus & fide aspirare. Sed quod eorum officium est,gratiæ Dei beneficium in solidum idem est. Aliud est, aspirare debere,aliud aspirare posse. Illud,non hoc dixi. Tam remotus igitur à Pelagii castris sum, quàm strenuè tu pridem in iis militasti. 2. Suis sanè viribus, mortuus in peccato, & supernaturali vita destitutus adhuc, aspirare nec fide, nec precibus ad certitudinem eam potest. Tenetur tamen,neque alia lege salus ei obtingit. Ut verò aspirare possit,omnipotens Dei gratia sola efficit.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XIII.

An homini etiam justificato, & sub gratia constituto Dei præcepta observatu sint possibilia?

Asserit Synodus canone XVIII. Nos equidem concedimus, homini sub fœdere Evangelico constituto haud impossibilem esse per Dei gratiam observantiam legis, quatenus videlicet ea necessaria est, ne amicitia Dei & sua salute excidat. Ejusmodi autem ad hoc legis observantia necessaria est, quæ cum fide remissionis peccatorum, quibus etiam regeniti crebrò legem violant, consistere potest. At eam observantiam legis, quæ in fœdere operum secundum τὸ ἀκριβοδίκαιον ejus requiritur, possibilem esse ulli homini, si à solo Domino nostro Jesu Christo discesseris, disertè negamus, & dogma Synodi esse Pharisaicæ venæ pronuntiamus. Etenim

ARG. I. Homini etiam justificato & sub gratia constituto adjacet necessitas peccandi ex reliquiis concupiscentiæ, quam post baptismum in homine remanere Synodus Sess. V. can. 5. confessa est. Et illam ipsam concupiscentiam esse veri nominis peccatum, supra probavimus.

RESP. REDING: 1. *Argumentatio procedit ex falso principio.* 2. *Catechismus vester Dial. 29. negans possibilem hanc observantiam, & asserens simul, legem datam esse eum in finem, ut peccatum suum ac pœnam ei debitam homo ex ea agnoscat, & de iis inde convincatur, sibi contradicit. Quomodo enim lex hominem de peccato & pœna convincit in statu, in quo Deus nec justè posset aliquid imperare, nec piè hominem condemnare? Impossibilia enim non potuisse Deum imperare, quia justus est; & damnare non posse hominem pro eo, quod non potuit vitari, quia justus est, Augustinus lib. de arbit. & grat. cap. 68. disertè asserit.* Tract. IV Sc. 2 pag. 494. Resp 1. Ex veris principiis procedere argumentum, supra jam manifestæ veritati à me datum est. 2. Quid verò ad argumentum isthoc tua de Catechismi nostri erotemate cornicatio? Temulenti instar modò huc, modò illuc ruis. Neque quicquam allatam ex Augustino rationem tibi patrocinari, jam supra convici. & redibit mox ratiocinatio tua. Carptim dico, Augustinum de eo loqui, quod homini simpliciter. & per naturam integram impossibile est; non quod tale est aliena vi, hominis se ipsum corrumpentis vitio.

ARG. II. Scriptura disertè hanc ἀδυναμίαν asserit passim, Esaj. XL. 6. 7. 8. Johan. VII. 19. Actor. VII. 53. XIII. 38. inprimis XV. 10. Rom. VIII. 3. Gal. III. 21. Quæ loca ita generalia sunt, ut solis irregenitis applicari minime possint.

RESP.

RESP. REDING: 1. *Ex Esaj.XL. 6.7. hoc unum concludere licet, hominem viribus naturæ legem Dei implere non posse. Aliàs v.31. addit, eum, qui sperat in Domino, fortitudinem mutare, & assumere pennas, sicut aquilæ, &c. 2. Christus Joh.VII.19. Judæis dicit: Nonne Moses vobis dedit legem, & nemo ex vobis facit legem? An quod impiis illis dictum, ad omnes Christianos pertinet? At Christus ipse v.17. in potestate hominis posuit, voluntatem Patris facere. Par ratio loci Act.VII.53. est. 3. Act.XIII.38. innuit Apostolus, per legem Mosis non potuisse Patres justificari. Per gratiam Christi nos non posse, non negat. 4. Act.XV. 10. non Physica impossibilitas, sed moralis difficultas portandi jugum legis Mosaicæ, astruitur. 5. Rom VIII.3. sensus est, legis antiquæ ceremonias secundum carnem fuisse impossibiles. At mox subjicitur, Deum misso Filio suo impotentiam illam supplevisse. 6. Gal. III.21. negat Apostolus, legem potuisse vivificare. An eadem potentia gratiæ Christi neganda est? Contra possibilem observantiam mandatorum in ipso etiam statu legis Mosaicæ fuisse, Deut.XXX.9. asseritur. Nam mandatum ad Deum revertendi ex toto corde & tota anima negat ibi Moses esse supra vires Israëlitarum.* Ib. pag. 494. 495. Resp. Quàm feliciter S literas tractare sueveris, vel hoc specimen pandet. Etenim 1. ex Esaj XL.6.7. hominem naturæ solius, non gratiæ viribus legem implere non posse, concludi statuis. Sic autem verba habent: *Auditur vox dicentis, prædica: & est, qui dicat, quid prædicabo? Omnis caro gramen,* וכל חסדו *& omnis pietas ipsius ut flos agri. Exarescit gramen, defluit flos, cùm Spiritus Domini flaverit in illum. Utique gramen est populus. Exarescit gramen, defluit flos. Et verbum Dei nostri stat in seculum.* Quibus verbis non tantùm rejicitur omne studium carnis, tanquam inutile, fluxum, & quod coram judicio Spiritus Dei consistere non valeat: sed etiam arguitur *ἀδυναμία*, impotentia העם *populi* ipsius, Israëlis videlicet, qui assumptus licet à Deo, ut ejus eloquia viva audiret, adeóque populus Dei nominatus, & tanquam gens sancta, habens Deum & communionem in hæreditate permanente, vocabulo העם *populi* à reliquis gentibus discretus, Num. XXIII. 13. cum omni tamen חסדו *pietate sua* fuit instar graminis, quod & exarescit, & florem durabilem producere non potest. Cui opponitur דבר אלהים יקום לעולם *verbum Dei stans in seculum*, verbum videlicet testamenti, sponsionis, intercessionis, *τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθὲν, verbum, quod evangelizatur inter nos,* uti disertè explicatur 1. Pet. I. 25. sive semen illud incorruptibile, ex quo regeneramur, ib. v. 23. Quodnam verò verbum illud evangelizatum est? Hoc scilicet, quòd Jesus sit Christus, solus Salvator populi sui à peccatis. Hoc solum verbum vivum est, & manens in æternum, non exarescens, instar graminis. Annon hinc manifestè liquet, omni carni, etiam fideli & credenti, qualis erat populus Dei, pietati studens, adeóque non naturæ duntaxat, sed etiam gratiæ viribus pollens, derogari potentiam, qualis inprimis est in obedientia perfecta legis, causa vitæ: & soli Christo evangelizato, legi subjecto, ut perfecta ejus impletione populum suum legi subjectum redimeret, Gal.IV.4.5. eandem adjudicari? Neque adeò v.31. expectantibus Jehovam חליפת כח *permutatio*, seu renovatio *virium*, ut aquilinis velut alis in altum ascendere possint, currant & non fatigentur; promittitur ad impletionem legis operum, sed potiùs ad constantiam in fide, & patientiam infractam in adversis. quod robur v. 30. לנערים ולבחורים *pueris & juvenibus*, hoc est, iis, qui viribus suis & consiliis, robori, promptitudini suæ confidunt, quales vos justitiarii & leguleji estis, negat. 2. Joh.VII.19. Christus ad populum promiscuum, in quo pii & impii commixti erant, verba illa: *Moses vobis dedit legem, καὶ οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν & nemo ex vobis facit legem,* fecit. Dixerat equidem

v.17 *Si quis velit voluntatem ipsius facere, cognoscet de doctrina, an sit ex Deo.* Sed Dei Patris Christum mittentis voluntatem facere, hoc quidem loco, non legem Dei perfectè implere, sed, interprete ipso Christo, Joh VI 40. *credere in filium significat.* Par omnino ratio est loci Act. VII.53. *Accepistis legem per dispositiones Angelorum, & non custodivistis.* ubi eos omnes, qui à Mose legem acceperunt, non refractarios duntaxat alloquitur. 3. Ridiculum est, quòd ad locum Act. XIII.38.39. *Per hunc Christum vobis annunciatur remissio peccatorum, & ab omnibus, à quibus in lege Mosis non potuistis justificari; in hoc omnis credens justificatur,* annotas, non potuisse Judæos per legem Mosis justificari, sed posse nos per Christi gratiam. Hoc ipsum enim nos contendimus. Sed qua lege per gratiam Christi tum illi, Patres, justificati & salvati sunt, Actor. XV.11. tum nos justificamur? An obedientiæ perfectæ legis? Neutiquam; sed fidei. Dicit enim Apostolus, in Christo justificari *πάντα πιστεύοντα omnem credentem,* non, legem Mosis perfectè implentem. 4. Haud levis minùs est tua loci Act. XV. 10. de jugo, quod nec Patres V. Test nec fideles N. Test portare potuisse dicuntur, *παρεσχημένα.* *Non physica,* inquis, *impossibilitas, sed moralis difficultas innuitur.* Stolidè. Ergóne physicè, seu naturaliter portare jugum potuerunt? Ergóne difficulter portare potuerunt, de quo simpliciter S. Petrus dicit, *οὐκ ἰσχύσαμεν βαστάσαι, non potuimus portare?* Cui proin impossibilitati opponit fidem salutis Patrum utriusque fœderis in gratiam Jesu Christi, utpote qui solus jugum isthoc portavit, & legem vice nostra implevit. 5. Quomodo etiam Rom. VIII. 3.4. *τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, impotentia legis, infirmatæ per carnem,* quò minùs videlicet per eam à nobis impletam vivificari & justificari possemus, opponitur missio filii Dei in similitudine carnis peccati, utpote per quem solum *δικαίωμα τοῦ νόμου jus legis,* quod scilicet illa perfectè impleta habet ad justificandum peccatorem. *in nobis,* credentibus scilicet, & obedientiam ac justitiam ejus vera fide recipientibus, ad salutem & vitam nostram, *impleri* potuerit. Si, quod tu ipse fateris, Deus misso filio (missus autem est, ut pro nobis impleret legem, Matth III. 15. V.17. Gal. IV.4.5. impotentiam nostram supplevit, quomodo nos potentiam habemus legem perfectè implendi? Non enim sic impotentiam nostram supplevit, ut potentiam legem perfectè implendi nobis acquireret, sed ut ipse sua obedientia nobis per fidem donanda nos à legis, quæ transgressori cuilibet maledicit, obedientia liberaret. Sic enim pro nobis execratio factus est, Gal. III. 13. Neque 6. feliciùs locum Gal. III. 21. expedis. *Si lex data esset,* inquit ibi Apostolus, *ut quæ posset nos vivificare, verè ex lege esset justitia.* Nequit igitur lex à nobis perfectè impleri, quia aliàs vivificaret nos, & ex lege justitia nostra esset. Tu quæris: *An eadem potentia gratiæ Christi neganda est?* Potentia legem implendi gratiæ Christi neganda non est. At Christi gratia nos legem ipsos perfectè implere posse, id verò nego constanter, quia nec Scriptura uspiam id dicit, & sic non Christus Salvator noster esset, sed nos Salvatores nostros sua gratia fecisset. 7. Denique Deut. XXX. 9. Moses neutiquam affirmat, perfectam legis observantiam non esse *supra vires nostras.* Hoc tu impiè fingis, & Mosi falsus testis affingis. Sic enim verba habent v.9-14. *Convertetur Deus, &c. Si audiveris vocem Domini Dei tui, ut custodias præcepta ejus, & statuta ejus, quæ scripta sunt in libro legis hujus, & si conversus fueris ad Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua. Etenim præceptum illud, quod ego hodie præcipio tibi,* לא נפלאת הוא ממך ולא רחקה הוא *non est mirabile præ te, & non longinquum erit. Non in cælis erit &c. Sed propinquum tibi verbum illud valde erit, in ore tuo, & in corde tuo, ad faciendum illud.* Quod verò

præceptum

præceptum illud est? An legis operum? Neutiquam. Sed, *τοῦτ' ἔστι τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως ὃ κηρύσσομεν, hoc est verbum fidei, quod prædicamus,* inquit interpres Mosis Paulus ipse Rom.X.8. Quomodo verò præceptum illud *non mirabile, non longinquum, sed propinquum in ore & corde* fidelium est? Quia scilicet Deus & revelat illud per Spiritum suum 1.Cor.II.10.12.13. & cordi inscribit, hoc est, gratia sua efficit, ut lege ea delectemur, illam perpetuò ante oculos habeamus & observemus. Atque eadem lex fidei post se trahit etiam pœnitentiam & obedientiam legis operum ex toto corde, sed in hac vita *ἐκ μέρους ex parte,* in altera *τελείως perfectè* 1.Cor.XIII.9.10.

ARG. III. Sed & omnes sancti hanc impotentiam rotundè confitentur. Consule ex multis loca Exod.XXXIV.7. Job.IX.2.3.28. XV.15. Psalm. XIX.13. XXXII.6. CXXX.9. CXLIII.2. Proverb.XX.9. Esaj.LXIV.6. Dan.IX.6.Rom.VII.14.18.&c.1.Joh.I.8.Jac.III.2.&c.

RESP. REDING: 1. *Exod.XXXIV.7. nemo coram Deo innocens esse dicitur, per vires naturæ, non gratiæ. 2. Job.IX.1.2.28. Jobus reflectens super se ipso non reperit vires, per quas justificaretur. Per gratiæ tamen vires immunis fuit à transgressione, attestante ei Deo, quòd fuerit homo simplex, rectus, timens Dei. 3. Psal.XIX.13. David timens sibi ab occultis & alienis peccatis, gratiæ Divinæ confidebat, possibilem mandatorum Dei custodiam ei reddenti. 4. Psalm.XXXII.6. & CXXX.4. nec umbra argumenti apparet. 5. Psal. CXLIII.2. & Prov.XX.9. sensus est, reflexione super se habita non licere cum spiritu Calvinistico certum se pronuntiare de sua justificatione; non, habito respectu Divinæ gratiæ impossibilem esse observantiam mandatorum Dei. 6. Esaj.LXIV.6. talis est justitia nostra à natura, non à gratia. 7. Dan.IX.6. Propheta populi sui iniquitates confitetur. Quomodo verò ei iniquitates illæ imputari sine impossibilitate implendi legem potuissent. 8. Rom.VII.14.18. &c. Paulus docet, nos, qua carnales legi, utpote spirituali, non esse pares. 9. 1.Joh.I.8. retunditur Spiritus vester, fingens justificationem, qua peccata omnia abstergantur. 10. Jac.III.2. dicitur quidem, nos in multis impingere; at mox additur, eum qui in verbo non impingit, virum perfectum esse. 11. Denique oppono tibi S.Patres, Clementem Alexandrinum Stromat. lib.IV.8. Cyprianum lib. de Baptismo Christi; Basilium Reg. brev. Resp.176. & Hieronymum Comment. in cap.5. Matth.* Ib. pag.495.496. Resp. Tui me profectò, Redingi, supra modum miseret. In conscientia tua convictus malæ causæ, tam Scripturæ diserta loca à me citata frigidè & desultoriè tractas, ut causam tuam prodas potiùs, quàm sustineas. Et tandem levissimis tuis ad Scripturæ loca responsionibus diffisus, ad Patres, haud equidem loca illa, de quibus hic agitur, eexplicantes, vel ad vestræ sententiæ præsidium trahentes, sed alia omnia scribentes, impetu quodam ruis, perinde ac si ingenuè ita confitereris: Quicquid Scripturæ loca hæc sentiant, ego à Scripturis ad Patres provoco. Videamus Scripturæ testimonia, & futiles glossas tuas, quibus Spiritui Dei imponere conaris. 1. Exod.XXXIV.7. clamat vox Dei: *Dominus, Dominus, Deus misericors, beneficus &c. condonans iniquitatem, transgressionem & peccatum &c.* Hic salutem nostram vox Dei in misericordia & condonatione transgressionum, non in observantia perfecta legis collocat. Verba illa Dei ונקה לא ינקה Vulgatus Interpres sic reddit: *Nullúsque apud Te per se innocens est.* An proba sit versio, hic non disputo. Nam נקה in Piel propriè est *impunitum dimittere.* Sensus tamen eodem redit, nempe, Deum dimittendo non dimittere, hoc est, punire omnino peccata no-

 stra

by Google

ſtra velle non in nobis,ſed in Chriſto.Nocentes igitur ſumus omnes, quia puniti in Chriſto. Tu nos nocentes eſſe per naturam,innocentes per gratiam eſſe,ſciſcis. Ita eſt. In nobis,an in Chriſto? Si in nobis innocentes ſumus, Chriſto igitur opus non fuit. Ita igitur in nobis nocentes ſumus,ut nulla gratia tollat noxam niſi in Chriſto,noxam noſtram in ſe ſuſcipiente. Quomodo igitur vel per naturam, vel per gratiam legem Dei perfectè implemus? 2. Jobus cap.IX.2.3. ſic ingenuè confitetur: *Quid homo juſtitia contenderet cum Deo? Si enim velit cum eo litigare,non reſpondebit ad unum ex mille.* Et v.28. *Timui omnes labores meos,ſciens,quòd me impunitum non dimitteret.* Quomodo perfectæ legis obſervantiæ ſibi, qui ita loquitur, conſcius eſt? *Reflectens ſuper ſe*,inquis, *non reperit vires,quibus ſe juſtificaret.* Annuo planè, & hoc ipſum volo. Sed an ſuper ſe reflectens reperit gratiam, qua legem perfectè impleret? Cur igitur timuit ſibi à Dei judicio, cur à pœna? *Sed fuit*, inquis, Deo teſte,*vir ſimplex, rectus,timens Dei.* Ita eſt; ſed non ſimpliciter perfectus & *ἀναμάρτητος.* Nam maledixit diei nativitatis ſuæ; adeóque non omnino peccati expers fuit. Simplex igitur, rectus fuit, non abſolutè, ſed comparatè; non legaliter, ſed Evangelicè. 3. Pſal.XIX.13. ingeminat David: *Errores ſuos quis animadvertat? Ab occultis abſolve me.* Si ſic David, ad amuſſim cordis Dei factus,quid alii etiam piiſſimi? *Timebat ſibi*,inquis, *à peccatis occultis & alienis.* An verò occulta peccata, peccata non ſunt? Imò ſua,non aliena peccata confitetur. Dicit enim: *Ab occultis* נִּסְתָּרוֹת *abſolve me*, non alios. Et quomodo gratiæ confidere potuit immunem ab omni peccato præſtanti, qui occulta peccata jam admiſſa agnoſcit, & pœnam deprecatur? 4. Pſalm.XXXII.5.6. idem David dicit: *Confitebar ſuper peccatis meis Jehovæ: & tu abſtuliſti pravitatem peccati mei. Propter hoc orabit ad te omnis pius.* Ergo & ipſe peccata habuit à Deo remiſſa: & pii omnes habent, quorum remiſſionem orent. Et Pſal.CXXX.3. ſic precatur: *Si peccata retineas* (non remittas) *Jehova, quis ſtabit? Nam apud te eſt condonatio,ut timearis.* Habuit igitur peccata; & innuit, habere omnes, quæ condonentur, & in judicio non imputentur. *Ne umbra hic argumenti*, inquis. Nempe vel cœcus es,vel mutire ad aperta nimis non audes. 5. Pſal.CXLIII.2. idem precatur: *Ne venias in judicium cum ſervo tuo,nam non juſtificatur apud te ullus vivens.* Qui legem perfectè implent, ii apud Deum juſtificantur. Nam *facienti*, hoc eſt, perfectè legem implenti, promittitur *vita*, ſeu jus vitæ ob juſtitiam præſtitam, juxta verba Dei: *Fac hoc & vives*, Levit.XVIII.5. Rom.X.5. Et *ſi lex data eſſet, quæ poſſet vivificare* (ſervata autem perfectè,juxta promiſſionem Dei,vivificat) *ὄντως ἂν revera utique ex lege eſſet juſtitia*,Gal.III 21. adeóque revera juſtificaretur apud Deum vivens. Atqui nullus vivens coram Deo juſtificatur,nempe per propriam juſtitiam, ſeu perfectam obſervantiam legis. Occurris: *Reflexione ſuper ſe habita non licet certum ſe pronuntiare de juſtificatione.* Veriſſimè iterum. Certitudo enim juſtificationis non inhærente juſtitia,ſeu propria,eáque perfecta impletione legis, verùm juſtitia Chriſti,ſeu gratia Dei in Chriſto nititur. Si per legem perfectè à nobis ſive propriis, ſive gratiæ viribus impletam juſtificamur coram Deo,tum apud Deum juſtificatur vivens,per propriam ſcilicet juſtitiam. quod David negat. 6. Redit cothurnus tuus in loco Eſaj.LXIV.5. ubi ſic Eccleſia confitetur: נְהִי כַטָּמֵא כֻלָּנוּ *Extitimus ut impurus nos omnes,* וּכְבֶגֶד עִדִּים כָּל צִדְקֹתֵנוּ *& ut veſtis impurata*,vel *remotionum omnes juſtitiæ noſtræ.* Occurris iterum: *Tales ſunt à natura,non à gratia.* Puduit te communis *καταφυγίου* veſtri, quòd ibi ſcelerati, non pii in populo loquantur. Quaſi non iræ Divinæ adverſus Iſraëlitas omnes reddatur cauſa à peccatis Iſraëlitarum omnium; & locutio univerſalis non ſit. Sed nec

nec tua glossa rectior est. Nam ut populus fidelis, κεχαριτωμένος, gratia Divina multis modis præditus; non gentilis, sic loquitur. Tu cum Pharisæis gratias agis Deo, quòd, ejus scilicet gratia, non sis sicut reliqui homines. At verè fideles cum publicano propriam justitiam, quamvis longè infra perfectam illam, quam lex requirit, subsidere gnari, eam despiciunt, & Dei misericordiam implorant. Et ita jam olim Bernhardo *de verb Esaj. Serm.5.* visum. ubi sic ille: *Nostra, si qua est, humilis justitia, recta forsitan, sed non pura. Nisi forte meliores nos esse credimus, quàm patres nostros, qui non minùs veraciter, quàm humiliter dicebant: Omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim pura est justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse?* 7. Locus Dan.IX.6.7.11. non minùs evidens est. *Tua*, inquit Daniel pius totius Ecclesiæ nomine, *justitia est, Domine, & nobis convenit pudor faciei &c. Et omnis Israël transgressi sunt legem tuam, & recesserunt, ut non auscultarent voci Tuæ.* Tu non locum solvis, quia solvere nequis; sed, scioli instar, quæris, quomodo iniquitates populo Dei imputari potuerint sine possibilitate legis implendi? Atqui sufficit, non implevisse, sed piissimos quosque peccata sua humiliter confessos esse. Quæstionem porro tuam solvimus, ac denuo infra solvemus. 8. Inprimis S.Paulus Rom.VII.14 f. clarissimè justitiariorum fastum retundit, confessus scilicet, se (ex parte) carnalem esse, habere peccatum inhabitans, non facere quod bonum, sed quod malum est; habere legem in membris, legi mentis repugnantem. Levissimè ictum hunc exire vis: *Qua carnalis*, inquiens, *negat se legi parem esse.* Atqui & *carnalem* se, (ex parte) esse fatetur; & carnem residuam cum Spiritu belligerantem Gal.V.17. regenitis omnibus tribuit. 9. 1.Joh.I.8. dicit S. Apostolus: *Si dixerimus peccatum nos non habere, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Inclusit seipsum dilectissimus ille Christi, qui in ejus sinu cubuit. Annon igitur seductionem, mendacia eorum, qui se mandata Dei perfectè implere posse jactant, palpas? Sed Spiritum nostrum, quem Calvinisticum Antichristiano tu cerebro præditus appellas, retundi sic ais, qui peccata in justificatione abstergi negat. Ergo Antichristianus etiam Spiritus tuus te arguet, quòd, secundùm Johannis verba, quæ nec negare, nec torquere ausus es, justificatio non sic peccata omnia abstergat, ut in justificato nulla sint; adeóque justificatus licet legem perfectè non impleat. 10. S. Jacobus cap.III.2. agmen his verbis claudit: πολλὰ πταίομεν ἅπαντες. *In multis labimur omnes:* Bellarminus (cujus vitula si arare in his dignareris, speciosiùs disputares. sed supercilium tuum non id semper fert) de peccatis venialibus sermonem esse regerit. Sed lapsus omnis à lege lapsus est, adeóque ejus transgressio, vera ἀνομία, cum qua perfecta legis impletio non consistit. Tu verò præteritis illis Jacobi verbis, sequentia illa; *Si quis in sermone non offendit, hic perfectus vir;* opponis. quasi Jacobus sibi contradixisset scilicet. Perfectus vir est, qui in sermone non offendit. At omnes etiam subactissimos in sermone offendere, inde S. Jacobus probat, quia in multis offendimus omnes. Neminem igitur τέλειον ἄνδρα *perfectum virum* esse innuit. Quanquam etiam aliud est *vir perfectus*, hoc est, spiritualis seu adultus, comparatè ad νηπίους *infantes*; 1.Cor.II.6.III.1. aliud *perfectus vir* simpliciter & absolutè. 11. Tandem infelicissimè ex Scripturis disputans, aliam quercum excutis. *Patres*, inquis, *oppono.* Nos verò neminem Scripturis oppositum audire dignamur. Possemus tamen tibi Patres magno numero, perfectioni justitiæ regenitorum fibras incidentes, reponere. Sed hoc non agimus. Clarissima enim Scripturæ lux alienæ lucis fœneratione non indiget. Neque à te allegati contrariantur. Clemens Alexandrinus de potentia faciendi vel non faciendi mandata; Cyprianus de possibilitate faciendi, vel intelligendi præcepta loquitur. Quis

hanc regenitis negat? De potentia perfectè faciendi & implendi omnia sine peccato, disputatur. Basilius scribit: *Ἀσεβὲς τὸ λέγειν ἀδύνατα εἶναι τὰ τοῦ πνεύματος παραγγέλματα. Impium est dicere, impossibilia esse Spiritus S. præcepta.* nempe natura, qualem integram homini Deus dedit. Dicit enim, impium esse, sic affirmare impossibilia esse Spiritus S. præcepta, *sicut impossibile est, ut oculus se totum, adeòque tergum etiam suum videat.* Hoc nos non dicimus. Impossibilitas non à natura, sed à vitio naturæ superveniente est. Hieronymus quomodo possibilia mandata putet, ipsemet explicat *contra Pelag.* his verbis: *Deus possibilia mandavit: hoc nulli dubium est. Sed quia homines possibilia non faciunt, iccirco omnis mundus subditus est Deo, & indiget misericordia ejus. Aut certè si ostendere potueris, qui universa compleverit, tunc poteris demonstrare, esse hominem, qui non indiget misericordia Dei.* Quid manifestius? Possibilia ponit mandata: ponit tamen, neminem unquam implevisse; ac iccirco omnes indigere misericordia Dei. Post disertè addit: *Humana conditio si paulum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit.* En, non potest homo multa, quæ tamen possibilia sunt. Nempe quæ natura, qualis à Deo integra condita est, possibilia sunt, eandem ob fragilitatem & corruptionem naturæ reddita impossibilia sunt.

ARG. IV. Neque dari potest exemplum ullum hominis ἀναμαρτήτου, à Christo ubi discesseris. Nulla autem facultas homini data est frustra, sed potiùs ut exerceatur, & quia in subjectis saltem aliquibus exercetur. Omnes nempe justificati habent residuam luctam carnis cum spiritu belligerantis, Matth. VI. 22. Rom. VII. 14. 15. Gal. V. 17. Quæ ipsa lucta necessitatem peccandi, & concupiscentiæ reliquias demonstrat.

RESP. REDING: 1. *Ab actu ad potentiam non licet argumentari. Neque sic potentiam eam homini frustra datam esse sequitur, si in actum non exeat, quia potentia ea diversos obtinet gradus. In Maria quidem gratia plena omnimodam perfectionem habet: in aliis verò diversimodè se habet illa potentia, nunquam tamen cum gratiæ plenitudine. Habent tamen auxilium gratiæ & sufficientis & efficacis ad Divinam legem, cum perfectione tum extensionis, universa Dei mandata complectentis, tum intensionis, Deum ex toto corde atque super omnia, observandam. quod exempla Josuæ, Davidis, Josiæ, &c. ostendunt. Et quamvis subinde peccaverint Sancti, uti Davidis exemplo constat, cui Deus efficaciam gratiæ ad tempus subtraxit; hæc tamen jactura Divinæ gratiæ efficacia mox reparata est; & in ipso peccandi actu auxilium gratiæ sufficiens non defuit. Nam virtutes fidei, spei & charitatis, quas regenitis competere ipsimet fatemini, accedentibus Divinis inspirationibus & motionibus, sufficientes homini ad perseverandum in statu gratiæ vires suppeditant. Unde Christus Apocal. III. 20. clamat: Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis audiverit vocem meam, intrabo ad ipsum, &c. Quæ pulsatio vana foret sine viribus ad aperiendum sufficientibus. Est quidem in homine etiam regenito reliqua carnis concupiscentia. Quia tamen ei, quod ex parte carnis per naturam agitur, voluntas non consentit, sed illud odit & detestatur, iccirco peccatum propriè dictum non est.* Ib. p. 496-498.

Resp. 1. Miræ & longæ ambages tuæ sunt, atque pro more tuo intricas omnia. Modo ab actu ad potentiam arguere vetas: modo potentiæ gradus distinguis: modo sufficientes vires Sanctis deputas: modo virium efficaciam adjungis: modo peccata cum gratiæ efficacia non quidem comitante, sed subsequente conjungis: denique diversissi-

ma

Digitized by Google

ma licet hæc ad astruendam legis implendæ possibilitatem torques, Quid dicas, nescis. Sed singula excutiamus. Cùm potentia ex actibus in cognitionem veniat, unde igitur potentiam implendæ legis inesse homini, qui nullo actu eam prodit, constat? Et frustranea sic omnino erit. Tu negas, quia potentia ea diversos habeat gradus. Hic supponis potentiam, de qua quæritur. Sed esto. In aliis, inquis, habet gradum perfectionis, velut in Deipara: in aliis non item. De Deipara in loco contrarium vidimus. Solus Christus perfectè legem implevit, atque sic princeps salutis nobis factus est. Reliquis Sanctis tribuis potentiam, sed non *cum gratiæ plenitudine*. At potentia perfectè implendi legem gratiæ plenitudinem requirit. Pergis: Habere gregarios eos Sanctos auxilium gratiæ sufficientis & efficacis ad implendam Divinam legem cum omni perfectione & extensiva, & intensiva, seu appretiativa, idque probare contendis exemplis Josuæ, Davidis, Josiæ. At David peccator fuit. Quomodo igitur habuit gratiam & sufficientem & efficacem implendi legem cum omni perfectione extensiva & intensiva, hoc est, & servandi omnia mandata Dei, & servandi in summo gradu amoris? Nam qui peccat, is in gradu amoris deficit, & Deum non diligit super omnia, sed creatura, tanquam fine amoris sui, fruitur. Imò *qui legem totam servat, & in uno deficit, reus est omnium*, Jac. II. 10. Hic iterum resilis, & efficacis gratiæ tempora distinguis. Nam cùm peccat, inquis, ad tempus efficacia cessat, sed redit, atque interea sufficientes gratiæ vires permanent. An hoc est dicere causam, quomodo perfectè legem impleverit David, qui tamen peccavit, & peccavit gravissimè, adeóque impingens in uno, mandatorum omnium reus factus est? Scilicet, juxta Bellarmini præscriptum, impletio legis referri debet ad tempus illud, quo non peccat, sed rectè operatur justus. Quomodo si dies est, dies est. Nam cùm peccatum sit prævaricatio legis, certè qui non peccat, non prævaricatur: & qui non prævaricatur, implet. Ac proinde tam incertum est, te non prævaricari, quàm incertum, implere. Sed frustra sic ille contendit. Impletio enim legis non est ex parte, sed ex toto. Obligatur enim universa vita, non ejus unum aliquod momentum: & obligatur ad omnia, non ad unum, juxta illud Jacobi jam allatum, omnium esse reum, qui in uno impingit. Neque id aliter intelligi potest, quia licet non sit reus homicidii, qui nonnisi furtum fecit, reus tamen est violatæ universæ legis ejus, cujus pars est; *Non furaberis*. Qui igitur furatur hodie, etiamsi heri furatus non fuerit, nec hodie sit homicida, tamen est prævaricator totius legis, ac proin non est sine peccato. Quò etiam verba Dei Ezech. XVIII. 24. 26. *Cùm averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitates, omnium justitiarum suarum, quas fecit, nulla erit recordatio*; pertinent. Nec dum tamen herbam porrigis, sed Davidem, aliósque Sanctos, etiam in ipso actu peccandi auxilium Dei sufficiens perfectè implendi legem habuisse, pertendis. Quo verò argumento? Geminum affers. Prius, *quia virtutes fidei, spei & charitatis Sancti omnes habent*. Ita est; sed quoad habitum non perfectum, in hac quidem vita, teste S. Paulo 1. Cor. XIII. 9. 10. &c. & cum opposito habitu peccati adhuc inhabitantis, & carnis Spiritum perpetim oppugnantis, Rom. VII. 17. Gal. V. 17. Posterius, *quia Christus stat ad ostium, & pulsat, atque introitum audienti aperientique promittit, Apocal. III. 20. Frustra verò est pulsatio, si non sit, qui vires aperiendi habeat*. Quasi audire vocem Christi pulsantis, & aperire ostium, sit legem Dei perfectè implere, & non potiùs Christum, ejúsque beneficia vera fide amplecti, amare, & cum eo communionem desiderare. Tum pulsat Christus, quando non subducit se à conspectu hominum, sed vim facit, & introitum in corda, publica & universali prædicatione verbi, quasi

quasi molitur. Tum igitur aperitur ostium, cùm Evangelium non auditur duntaxat, sed vera fide in cor recipitur. Tum ingreditur Christus & cœnat cum aperientibus, quando eos justitia & lœtitia implet, atque se cum illis exhilarat. Nihil ergo perplexis & contortis sophismatis tuis efficis; neque vel unum Sanctum, excepto Christo, ostendere potes, qui omnes numeros sanctitatis à lege præceptæ, impleverit. *Aut da exemplum*, ita te ex Hieronymo *adv. Pelag. lib. I.* compello, *qui absque peccato fueris in perpetuum: (hoc enim solum est legem perfectè implere) aut, si dare non potes, confitere imbecillitatem tuam: & noli ponere in Cœlum os tuum, ut per esse, & esse posse stultorum illudas auribus. Quis enim tibi concedat, posse hominem facere, quod nullus unquam hominum potuerit?* Iterum: *Si potest esse homo sine peccato, quod Apostolos non fuisse, perspicuum est, posset esse super Apostolos homo: ut taceam de Patriarchis & Prophetis, quorum in lege non fuit perfecta justitia.* Eant nunc Papistarum gigantes, Sancti, & prædicent de se, quod olim Isidorus nescio quis, Socrate *Hist. Eccl. lib. IV.* 18. narrante, de se prædicavit, *quòd per annos quadraginta peccatum nullum in animo senserit*, dejerans etiam, *se vel cupiditati, vel iræ ultro unquam inservivisse.* Prædicet de Gonzaga aliquo Baronius, vel Bellarminus, fuisse eum expertem peccati; vel de Bonaventura suo fœx Scholæ, *in quo ne Adamum quidem peccasse* ferunt; vel de Patruo suo Sanctulo illo, Francisco Salesio, nepos ejus, Aug. Salesius, *quòd ne minimam quidem imperfectionis atomum ejus tota vita à prima ejus conceptione continuerit:* vel de suis Electis Manichæus; vel de se denique Priscillianus, Evagrius, Jovinianus, Messaliani. quibus præsultoribus gaudent illi. Nos cum Ambrosio dicemus potiùs: *Non gloriabor, quia justus sum, sed quia redemptus sum. Gloriabor, non quia vacuus peccati, sed quia remissa mihi sunt peccata.* Obtinebit alias, quod in Pelagianis Innocentius damnavit rectè: *Quid mihi nunc opus est Deo?* 2. De concupiscentia regenitorum abundè supra disputatum est. Negas equidem, concupiscentiam esse peccatum, quia voluntas ei, *quod ex parte carnis per naturam agitur*, non consentit. Sed per quam naturam homo concupiscit, & quidem adversus Spiritum? Integram, an corruptam? Si prius, Deus vitiosæ concupiscentiæ author blasphemè statuitur. Si posterius, jam ergo homini regenito ejusmodi concupiscentia inest, quæ corruptione sua contra universam legem militat, & causa ac fomes malus est peccatorum actualium. Quo verò sensu voluntaria sit eadem, quo non, supra ostendimus. Lubet sententiam meam firmare verbis S. Augustini *contra Jul. lib. V.* 5. ubi sic ille: *Dum hic vivimus, ubi caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, quantumlibet in isto conflictu superiores simus, nec membra nostra exhibeamus arma iniquitatis peccato, obedientes desideriis ejus: tamen, ut taceam de corporeis sensibus, & in rebus, quibus licitè utimur, surrepentis voluptatis excessibus: in ipsis certè cogitationis motibus & affectibus, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

ARG. V. Legis compendium est, diligere DEUM ex toto corde, tota anima, & omnibus ejus viribus, Matth. XXII. 27. 29. Cujus phrasis ea vis est, ut significetur requiri perpetuam voluntatem diligendi Deum & proximum, constans sine errore judicium, intensionem & occupationem omnium virium in cogitando, amando, faciendo, atque ista omnia sine peccato & lncta. Unde legem *spiritualem* esse docet Apostolus, Rom. VII. 14.

Digitized by Google

VII.14. Nemo autem mortalium ad tantæ perfectionis fastigium pertingere potis est.

RESP. REDING: *Duo falsa principia supponis. Prius, quòd præceptum diligendi Dei in hac etiam vita exigat, ut homo perpetuò ac sine ulla interruptione in actu dilectionis Divinæ persistat. Atqui legis de Deo amando essentia formaliter consistit in affectu summè appretiativo, hoc est, ut tanto Deum in pretio habeamus, ut ei nihil anteponamus, nihil contra, supra, vel æquè ac Deum diligamus. Continuatio verò, intensio & extensio amoris appretiationis hujus accidentia sunt, quæ suam perfectionem non in hac, sed in cælesti demum vita sortiuntur. Posterius est, quòd dilectio Dei exigat virium in Dei amore jugem occupationem, ut qualibet defectio directè legi Divinæ opposita sit. Verùm licet nulli quantumvis Sancto accidat, ut in nulla accidentali circumstantia amoris deficiat; adeòque peccata venialia nulla committat; satis tamen est, quòd præcepti illius substantia, in appretiatione illa consistens, servatur, atque sic dilectionis Dei mandatum directè non violatur.* Ib. pag. 498. Resp. Tam exactus scilicet es humani officii trutinator, vel potiùs impudens socordiæ humanæ palpo. Talem legis Divinæ sensum, vel extenuationem fingere debuisti, ut possibilis fiat dilectio. Concedo equidem, Deum diligendum esse *appretiativè* (tuo termino & novo & barbaro, & cum verbis Dei vivi commutato uti cogor) hoc est, sic, ut neminem supra, contra vel æquè ac Deum diligamus; vel pari in pretio ac deliciis habeamus; omnia verò reliqua infra Deum & propter Deum. Sed nego, substantiam illius amoris, qua lex Deum jubet diligere *ex toto corde, tota anima,* בכל מאד *ἐξ ὅλης ἰσχύος*, vel *διανοίας ex tota vi & cogitatione hominis*, Deut. VI 5. Matth. XXII. 27. 29. Marc. XII. 30. Luc. X. 27. in sola ejusmodi appretiatione consistere: tum quia in lege hac nulla est vel comparatio cum creaturis, vel relatio ad illas: tum quia Deum offendimus etiam tum, quando infra eum ullam rem sic amamus, ut ea, tanquam fine amoris nostri frui gestiamus: tum quia propter Deum relinquenda est omnis creatura, cùm videlicet quæstio est, an possimus creaturam diligere non in Deo, & ad Deum: tum quia etiam amor uxoris, maritum supra adulterum amantis, adulterinus est: tum quia cùm amor intendi ac remitti possit, ac sub summo varii gradus amoris esse possint, poterit amor Dei non esse summus, qui tamen non sit infimus, atque sic Deus ametur super omnia, & tamen non amore summo: tum denique quia emphasis verborum legis illius aliud insuper postulat. Jubet enim lex Deum diligere, *ex toto corde, tota anima, & tota vi seu cogitatione*; hoc est, ut sic voluntas diligens erga Deum sit affecta, quemadmodum ejus excellentia, jus in nos & nomen ejus quo nobis cognitus est, meretur. Proficiscatur igitur amor ille oportet *primò* ex fide integerrima (quia enim sapiens esse debet nostra dilectio, & fides Divinæ revelationis Sapientia nostra est, sine ea esse nequit) judicio certo & *προθέσει proposito* constanti, εἰλικρινείᾳ & bona conscientia, secundùm omnem notitiam Dei possibilem, cum fiducia, sine metu, cum lætitia & *ἀγαλλιάσει gestitione*, (hæc enim omnia cordi, seu spiritui attribui solent:) *Secundò* cum desiderio & appetitu integro, hoc enim נפש ψυχὴ *anima* requirit: *Tertiò* cum plena contentione omnium virium in creatione à Deo acceptarum, (neque enim quælibet vires etiam homini corrupto præsentes intelliguntur, sed vires naturæ, qualem à Deo accepimus, quia aliàs obedientia mensuraretur ex modulo obedientis) & inprimis virium animæ & rationis, ut cogitatio nostra omnis in Deo defixa sit. Ita dilexerunt Christus: ita sancti Angeli in Cœlo, servi Dei & fortes ejus, in omni fortitudine facientes voluntatem

Digitized by Google

Dei, Psal. CIII. 20. quibus nos assimilari petimus in tertia parte Orationis Dominicæ: *Fiat voluntas tua in terra, sicut in Cœlo.* Jam qui interrumpit amorem, quomodo *ex totis viribus*, tum cùm interrumpit, Deum amat? Et magis, quomodo ex toto corde, anima, omnibus viribus, Deum amat, qui ab amore deficit, qui aliquando peccat, concupiscit? Annon enim peccatum quodvis, concupiscentia quævis summum gradum amoris Divini impedit, imò tollit? At summus amor Dei requiritur, ita ut nullus sit amoris gradus intra summum: & summus absolutè, non comparatè ad res alias, quæ sub amorem cadunt. Sic demum totum cor, tota anima, tota vis & cogitatio amori Dei impenditur. Præclarè id S. Augustinus *de Doctr. Christ. lib. I. 2.* sic explicat. *Hæc regula dilectionis Divinitus constituta est; Diliges, inquit, proximum sicut te ipsum: Deum verò ex toto corde, tota anima, & tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa, quæ confers. Cùm autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui: sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit?* Et alibi: *Cùm est aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus.* Atqui in omni regenito aliquid carnalis concupiscentiæ superest. Sic igitur inconcussa stant duo illa, quæ nulla ratione exagitas, principia, ut ex adverso manifestum sit, te ejusmodi Dei juxta legis præscriptum (alia enim ratio est *ἐπιεικείας* Evangelicæ, cujus perfectio in fide remissionis peccatorum & integritate cordis consistit; quæ hic in quæstionem non venit) dilectionem non *appretiativam*, sed nullius *pretii* fingere, quæ ex utroque latere claudicat, & hominem *δίψυχον*, duplicis linguæ & cordis Protheum, verbo dicam, Pharisæum, non virum perfectum, *μικρὸν τῶν νόμων legis factorem* integrum, deceat. Rectiùs longè Scotus vester *3. dist. 27.* definivit, *diligendum esse Deum & extensivè & intensivè summè*, quod tu disertis verbis, contra verborum præcepti emphasin explicatam, negas.

ARG. VI. Propter carnis nostræ impotentiam Deus nostri misertus, misit filium suum, ut ipse *δικαίωμα* legis impleret, Rom. VIII. 3. 2. Cor. V. 21. Gal. III. 13. Hebr. VII. 18. 19. Quòd si nobis possibilis fuit observantia legis, frustraneum fuerit consilium Dei.

RESP. REDINO: *Possibilem observantiam legis ex meritis Christi, non cum Pelagianis ex viribus naturæ arcessimus.* Ib. pag. 498. Resp. Et falsò; & non sine contradictione arcessitis. Falsò, quia nuspiam Scriptura testis est, Christum hoc nobis promeruisse, ut ipsi perfectè legem implere possimus. Sic enim nostri Salvatores essemus magis, quàm Christus. Non tam enim qui meretur vires obediendi, quàm, qui perfectè obedit, undecunque vires habeat, Salvator est, & vitam meretur. Sic nempe meritum Christi foret conditio, obedientia ipsa causa salutis. Sed & contradictio est in terminis. Christus enim nihil meruit pro justis, sed justus pro injustis, 1. Pet. III. 18. & Salvator est populi sui à peccatis, Matth. I. 21. Qui verò peccator & injustus est, nunquam perfectè legem implet, quia lex nullam incisionem vel interruptionem justitiæ patitur, Ezech. XVIII. 21. 22. &c.

ARG. VII. Doctrina Synodi est mater *superbiæ*, quia docet hominem cordi suo benedicere, & vim suam facere Deum suum; *hypocriseos*, quia docet

Digitized by Google

eet hominem externas quidem culpas reprehendere, vitare utcunque, at internæ vitiositatis gravioris gratiam sibi facere; *infidelitatis & injustitia*, quia omisso Christo propriam justitiam stabilit, & leviter tinctum colore sanctitatis in graviora præcipitat.

RESP. REDING: *Non cordi nostro, sed gratiæ Divinæ benedicimus; non hypocriseos rei sumus, sed de nobis & viribus nostris nihil præsumentes, Divina gratia freti interiorem vitiositatem cohibemus.* Ib. pag. 499. Resp. Planè sicut Pharisæus ille in Evangelio gratias Deo egit, quòd similis reliquis non esset. quia scilicet utcunque interiorem vitiositatem, ne palam in nervum erumperet, repressit. quod ipsum etiam Divinæ gratiæ acceptum retulit.

ARG. VIII. Ipsa Synodus ait cap. 9. *Justorum humilem & veram vocem esse: dimitte nobis debita nostra.* Hæc vox supponit quotidianas transgressiones.

RESP. REDING: *Illa vox justorum non habet locum nisi in iis, qui dilectionis Divinæ mandatum servant quoad substantiam, licet in circumstantiis accidentariis deficiant.* Ib. pag. 499. Resp. Quasi scilicet debita illa, quorum remissionem in Oratione Dominica Sancti petunt, cum substantia dilectionis Dei consistant, & non sint nisi aberratio quædam à circumstantiis amoris Dei necessariis. Videte fibras hypocriseos Pontificiæ, qua peccata vel extenuari, vel planè negari necessum erat, ut possibilis legis impletio subsisteret. Atqui peccata veri nominis, quæ sunt transgressio legis de diligendo Deo & proximo, Christus ὀφειλήματα debita ex consuetudine loquendi, qua Judæi quævis peccata vocant חובות *debita*, ut doceat nos agnoscere judicium Dei, & peccatorum, ni condonentur, meritum. Debitores enim faciunt pœnæ, & quidem ejus, quæ per Christi solius meritum, non per merita humanarum satisfactionum, condonari potest. Quod enim condonatur, debitum est, sive constituit nos reos debendæ pœnæ. Quod reos debendæ pœnæ constituit, peccatum est propriè dictum, incurrens in substantiam præceptæ dilectionis, non in circumstantiam non necessariam. Qui Deum ex toto corde, tota anima & omnibus viribus juxta ἀκριβοδίκαιον legis diligit, is reus non est debendæ pœnæ, & quidem talis, quæ nonnisi remissione per Christi meritum condonari potest. Fucum igitur faciunt Tridentini, simul flantes sorbentésque, cùm dicunt, *justorum*, hoc est, juxta eosdem, eorum, qui legem perfectè impleverunt, *humilem & veram vocem esse: Dimitte nobis debita nostra.* imò etiam *Can.* 23. anathema dicunt iis, *qui docent, hominem justificatum semel posse in tota vita omnia peccata etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio.*

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus Matth. XI. 50. jugum suum suave & onus leve prædicat. Ergo non tantùm possibilis, sed etiam facilis est observantia legis.* Resp. 1. Dictum Christi accipiendum est non de *jugo legis*, quod ἀβάστακτον, sed *crucis*, quod vocatur *leve*, quia Deus non sinit nos tentari supra vires 1. Cor. X. 13. 2. Cor. IV. 17. Dicitur etiam χρηστὸν *suave*, quia Spiritus S. consolatio illud suave reddit, & in ipsis passionibus gaudium excitat Col. I. 24. 2. Sed & ipsa do-

Digitized by Google

ctrina Christi dici potest jugum lene & suave, tum respectu habito ad legem, quæ על זבלה *jugum oneris* Esaj.IX.4. & jugum ἀβάστακτον Actor.XV.10. tum ratione gratiæ tam justificantis, quàm regenerantis.

EXCIP. REDING: 1. *Qui gratia regenerans & justificans Christi doctrinam, quæ viribus nostris major est, reddere potest levem, nisi conferat vires supernaturales & credendi, & opere complendi?* 2. *Si Christi doctrina, crux, quæ supra vires nostras est, levis & suavis reddi potest; etiam lex, quæ respectu virium naturalium est jugum oneris, gratiæ viribus suave ac lene reddi poterit.* pag.499. Resp.1 Christi doctrina, quæ gratiæ viribus levis redditur observatu, non est impletio legis à singulis fidelibus præstanda. Legis enim est justificare per opera: Christi autem justificare per gratiam. Est igitur doctrina de obedientia fidei & charitatis conjuncta cum remissione peccatorum, hoc est, ejusmodi lex, quæ exigit quidem etiam obedientiam & sanctitatem operum, sed statim promittit remissionem eorum, quæ contra operum justitiam admissa fuerint, teste S. Johanne 1.Epist. cap.II.1 2. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis. Et si quis peccaverit, Paracletum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. Et is est propitiatio pro peccatis nostris.* Confert verò gratia regenerans & justificans vires non perfectè legem implendi, sed Christi doctrinam seu legem fidei & amoris Divini implendi, habentem conjunctam promissionem remissionis eorum peccatorum, quæ regeniti contra legem Dei admittunt. 2. Imparia de cœtero comparas. Non enim si doctrina Christi, præceptum fidei & amoris Dei, accedente Spiritu regenerante & remissionis gratia; nec non crux Christi, quam ille in nobis portat, jugum suave & onus leve fieri potest: eadem ratione perfectam legis impletionem homini peccatori, qui ex parte adhuc caro est, & peccatum inhabitans habet, jugum suave & leve gratia sua vel efficere Deus vult, quia in hac vita luctam regenitis decrevit, & peccato ac concupiscentiæ in iis locum dat, & propter solam Christi obedientiam perfectam justificat & salvat; vel potest, quia peccatorem, habentem in se peccatum, ceu inhabitans, peccatorum omnium fomitem, perfectè legem implere posse, ἀσύστατον est.

OBIECT. II. *Johannes 1.Epist.V.3. negat, mandata Dei esse gravia. Ergo multò minùs sunt impossibilia.* Resp. Negat esse gravia tum respectu *imputationis, & peccatorum remissionis*, quia perfecta obedientia Christi nobis imputata per fidem, cui statim v.4. victoria tribuitur, defectus tegit: tum respectu *renovationis*, quià Spiritus S. interiùs renovat, veram sincerámque dilectionem Dei in illis accendit, per quam libero spiritu, non vel coacti vel inviti, vel carnalium, ut in V. T. mandatorum jugo constricti, Deo serviunt. Unde etiam dicuntur lege Dei delectari Rom. VII.22.

EXCIP. REDING: 1. *S.Johannes mandata Dei gravia esse negat, quia, ut v.4. addit, omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. Sunt igitur gravia quoad mundum, seu vires naturales; sed facilia respectu virium, quæ ex regeneratione fluunt.* 2. *Fateris id ipse, cùm asseris gravia non esse Dei mandata ob renovationem interiorem, qua regeniti lege Dei delectentur.* Ib. pag.500. Resp.1. Ponamus totum textum. *Mandata ejus,* inquit, *gravia non sunt; quia quicquid ex Deo genitum est, vincit mundum. Et hæc est victoria,*

quæ

quæ vicit mundum, fides vestra. Præcepta igitur Dei non sunt gravia vincentibus mundum, quia præceptum Dei est vincere mundum, hoc est, concupiscentiæ & tentationi, quæ in mundo sunt, & fideles oppugnant, non cedunt, sed vincunt. Quomodo verò vincunt? An sic perfectè implendo legem Dei, ut concupiscentiam, seu peccatum non vincant tantùm, ne iis dominetur; sed vincant, ut non existat ampliùs? Neutiquam. Ipsemet enim id cap. I.8. graviter negavit. *Sed hæc*, inquit, *est victoria, quæ vicit mundum, fides vestra*; quia scilicet per eam purificantur corda, & credimus, nos propter justitiam Christi conservatum iri; & credentibus peccata omnia, adeóque etiam regenitorum reliqua, remittuntur; *atque ita omnia facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur*, uti S. Augustinus *Retract. lib. I.19.* loquitur. Sunt igitur præcepta Dei gravia, imò impossibilia, quoad *ἀκρίβειαν* seu rigorem legis, sive naturalium, sive supernaturalium virium respectu: sed *οὐ βαρεῖα non gravia*, non quòd perfectè impleri possint; sed quia fides genitorum ex Deo sic mundum, & quicquid in eo est, vincit, ut peccatum reliquum nec dominari iis possit, & remittatur per Christum. 2. Renovatio interior seu regeneratio tollit omnino gravitatem præceptorum, & inducit voluptatem ac delectationem eadem faciendi. Cœterùm quia renovatio ea imperfecta est in hac vita, cùm *ὁ ἔσωθεν ἄνθρωπος internus homo renovetur ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ de die in diem*, 2. Cor. IV.16. neque ante novissima vetus homo prorsus ita exuatur, quin carni, legi peccati serviat, Rom. VII.25. perfectè & secundum rigorem nunquam legem vel implet, vel implere potest.

OBIECT. III. *Per dilectionem implentur mandata Dei Joh. XIV.23. Rom. XIII. 8. Gal. V.14. Atqui renati diligunt Deum & proximum. Ergo legem implent.* Resp. 1. Non quælibet dilectio, sed perfecta, & numeris omnibus absoluta ac normæ legis consentanea, est impletio legis. 2. Joh. XIV. v. 23. sermo Christi Evangelium notat. 3. Renati diligunt Deum, dilectionis nempe sinceritate potiùs, quàm omnimoda perfectione.

EXCIP: REDING: *Ipse dilectionis sinceritatem agnoscis. Atqui illa vel in substantiali charitatis perfectione, vel in perfectione circumstantiarum consistit. Ad perfectionem verò legalem sufficere priorem, supra probavimus. Et sine ea charitas sincera esse nequit.* Ib. pag. 500. Resp. Tuam de substantiali & accidentali perfectione sententiam nos quoque supra excussimus. Lex omnimodam dilectionis perfectionem sine incisione vel defectu charitatis ullo exigit. Sinceritas verò amoris, in qua Evangelium acquiescit, sine ea perfectione locum habere potest, tum, cùm Deus simplici corde, non בלב ולב *in corde & corde* sed *ἐν ἀφθαρσίᾳ incorruptè* (Ephes. VI.24.) sic videlicet, ut diligatur Christus non per concupiscentiam, propter commoda, quæ expectantur in mundo, adeóque amore adultero, quo sub nomine Christi mundus amatur; qui amor hypocritarum est; sed *ἁγνῶς sanctè*, ipsi, ceu Domino & Salvatori uni solíque adhærendo, amatur, & quidem *κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ secundum mensuram doni Christi*, Ephes. IV.7. cui sinceritati & incorruptibilitati languorem, nævos & defectus plures cum postulato legis secundum ejusdem rigorem *ἀσυστάτως* cohærere, Scriptura testatur.

OBIECT. IV. *Homines quidam dicuntur perfecti Genes. VI.9. XVII.1. Matth. V.48.21. Psal. III.15. 1. Joh. IV.12. Ergo legem perfectè impleverunt, adeóque etiam nos implere possumus.* Resp. 1. Perfectio intelligitur non absoluta, legalis, graduum,

ſed reſpectiva, Evangelica, partium, quæ ſinceritate dilectionis, fide remiſſionis, & probitate converſationis abſolvitur. 2. Juxta Auguſtinum *lib. de perfectione juſtitiæ* quædam teſtimonia exigunt perfectionem, ſed eam in corpore mortis hujus præſtari poſſe non docent: quædam finem, quò currendum, commemorant, at apprehendi eum in hac vita non demonſtrant: quædam loquuntur de beneficiis ſpiritualibus inchoatis, quædam de conſummatis, quæ erunt in altera vita.

EXCIP. REDING: *At per ipſam ſinceritatem dilectionis, fidem remiſſionis, & probitatem converſationis lex perfectè impletur.* Ib. pag. 500. Reſp. Quomodo qui peccata & infirmitates quotidianas ſibi remitti credit, perfectè legem implet? Etenim perfecta legis obſervantia, & peccata remiſſionis indiga, in eodem ſubjecto inimicè pugnant. Non licet tibi perfectam legis obſervantiam pro lubitu fingere, ut tu modò, vel Sanctuli tui, peccatis obſtricti licet, perfectè impléſſe legem Dei putemini: ſed Legislatoris Dei definitione ſemper ſtandum eſt.

OBIECT. V. *Quidam etiam dicuntur Deum dilexiſſe ex toto corde, velut Joſias, Aſa, Zacharias & uxor, &c.* Reſp. 1. Dilectio Dei ex toto corde, quam in Sanctis laudat Scriptura, non perfectam illam à lege requiſitam, ſed ſinceram & ἀνυπόκριτον obedientiam ſignificat, & hypocriſi, quâ quis aliquid facit vel loquitur בלב ולב *in corde & corde,* opponitur. 2. Summum verò dilectionis gradum non aſſequi ſe fideles fatentur, quoties peccata ſua agnoſcunt, & eorum remiſſionem expetunt. Etenim carnales adhuc cùm ſint, pravis concupiſcentiæ motibus non poteſt non eorum dilectio contaminari.

EXCIP. REDING: 1. *Verum eſt, extra ſingulare privilegium neminem fidelium charitatis gradu intenſivè & extenſivè ſummo potiri. At hoc charitati appretiativè ſummæ non obſtat. 2. Concupiſcentiæ motus, cui per gratiam Chriſti reſiſtitur, charitatem Dei non contaminat. Ita Paulo ſtimulis carnis agitato, & roganti, ut ab eo auferrentur, reſponſum eſt, ſufficere ei gratiam, quæ in infirmitate perficitur, 2. Cor. XII. 8.* Ib pag. 501. Reſp. 1. Latebram illam diſtinctionum tuarum ſupra excuſſi, adducto etiam Scoto, affirmante, in lege amorem & intenſivè & extenſivè ſummum requiri. Paucis, qui Deum plus quàm ullam creaturam, hoc eſt, *appretiativè*, uti tu loqueris, amore diligit, is non iccirco eum ex toto corde & omnibus viribus diligit, quia concupiſcentia aliunde animum tentare poteſt. *Detrahit autem concupiſcentia amori debito*, uti Auguſtinus *de juſt. cap.* 5. loquitur. Cœterùm ſpeciale ἀναμαρτησίας privilegium ſolus Chriſtus habuit, Heb. VII. 26. Cœteros etiam ſanctiſſimos Apoſtolicum effatum 1. Joh. I. 8. ejuſmodi privilegio caruiſſe, oſtendit. Satis igitur cauſam tuam nobis prodis. 2. Concupiſcentiæ motus, cui regeniti reſiſtunt, non contaminant equidem charitatis ſinceritatem ſecundum Evangelium, quo defectus remittuntur: at contaminant ſecundum rigorem legis, quæ concupiſcentiam omnem vetat. Aliâs S. Paulus non indiguiſſet gratia, ſive æterno illo Dei amore, quo ante ſecula ipſum dilexit, Rom. VIII. 35. per quem Dominus ſe ei patefecerat, & ſibi ipſum conjunxerat, donata fide remiſſionis peccatorum per Chriſtum, ac reſipiſcentia; denique ipſum Apoſtolum ſuum fecerat, gratiáque ſua hactenus adjuverat.

OBIECT. VI.

OBIECT. VI. *Si mandata legis impoſſibilia eſſent, neminem obligarent, vel Deus ad ea obligans crudelitatis & tyrannidis inſimularetur.* Reſp. 1. Quod impoſſibile eſt ἁπλῶς *abſolutè* & ſuâ naturâ, neminem obligat. Sed mandata legis impoſſibilia ſunt κατά τι *ſecundum quid*, ob interveniens naturæ integræ vitium. Sicut igitur creditori jus integrum manet etiam obæratum obligandi ad expungendum debitum: ita Dei jura non imminuuntur,quia homo ſe voluntariè corrupit. 2. Neque à fidelibus legem Deus requirit,quaſi illam ſervare poſſint,ſed ut ſit pædagogus ad Chriſtum & norma officii. Et per vocem legis ita morbum oſtendit, ut per vocem Evangelii ſimul medicinam ſuggerat.

EXCIP. REDINO: 1. *Argumentum noſtrum ex Auguſtino ſupra adducto,robur habet. cui tu contradicis.* 2. *Evangelium juxta te medicinam ſuggerit morbo à lege oſtenſo. Applicare igitur medicinam per vires gratiæ poteſt. Annon ergo iisdem viribus etiam legem implere poſſit? Licet igitur ob vitium naturæ integræ ſuperveniens non ſit poſſibilis obſervantia legis, ſicut in ſtatu naturæ integræ fuit; Deus tamen naturæ defectum ſupplet, & ex Chriſti merito univerſis hominibus implendi gratiam confert.* Ib. pag. 501. Reſp. 1. De Auguſtino ſupra vidimus. Negat præcipi poſſe, quæ impoſſibilia factu ſunt ἁπλῶς, ſimpliciter & per vires naturæ integræ, qualis à Deo eſt. Nihil hoc ad rem. Nec tu nodum à me nexum ſolvis. Hæret tibi aqua. 2. Evangelium medicinam ſuggerit, cujus applicatio per gratiam, quam idem Evangelium offert, & per Spiritum Dei confert, poſſibilis eſt. Sed legis obſervantia plena & perfecta ejuſdem gratiæ viribus poſſibilis non eſt, quia ſemper obſtat concupiſcentia, & peccatum inhabitans,quod de ſummo amoris gradu in lege requiſito delibat: & Deus gratiam ſuam ea menſura, qua vult, in hac vita diſpertitur. 3. Reſponſionis meæ nervum non feris Præcipi poſſe impoſſibilia ſecundum quid, quæ talia ſunt ob vitium naturæ integræ ſuperveniens, aſſero. Deus enim jure ſuo ob impotentiam ex peccato contractam non excidit. Ne ipſi quidem damnati in inferno obligatione amandi Dei ſoluti ſunt, cùm creatura nunquam non Creatori ſuo ſubeſſe, & eum, ceu finem ſuum reſpicere teneatur: licet ob voluntariam & finalem ſuam inobedientiam damnati amandi Dei impoſſibilitatem contraxerint. Hoc tibi expediendum fuerat. De cætero Deum ita ſupplere velle defectum, qui naturæ integræ ex peccato obvenit, ut eandem in hac vita potentiam, quam homo integer habuit, reſtituat, probo. Senſim procedit reſtauratio, & in altera demum vita conſummatur. Quis denique finis ſit Dei impoſſibilia præcipientis, reſponſio mea explicat. *Non latuit Præceptorem*, inquit, *Serm. 50. in Cant.* Bernhardus, *præcepti pondus excedere vires, ſed judicavit utile ex hoc ipſo ſuæ illos inſufficientiæ admoneri, & ut ſcirent, ad quem juſtitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo (NB) mandando impoſſibilia non prævaricatores facit, ſed humiles, ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.*

OBIECT. VII. *Omnes juſtificati habent Spiritum S. qui ſuos parit juſtitiæ fructus Gal. V. enumeratos. At qui fructus Spiritus S. habent, non accuſantur à lege, quia adverſus eos non eſt lex 1. Tim. I. 9.* Reſp. 1. In hac vita nonniſi primitiæ Spiritus S. contingunt fidelibus. 2. Operationes Spiritus S. ſunt in corpore peccati & mor-

mortis Rom. VII. 24. Ergo pro ratione instrumenti & infirmitatis nostræ modulo perficiuntur. Et ex parte adhuc carnales sumus, venundati sub peccato, Rom. VII. 3. Licet igitur ipsam substantiam fructuum Spiritus S. non accuset lex, tamen qualitatem, hoc est, imperfectionem eorundem, ut & peccatum in carne renatorum adhuc habitans accusat.

EXCIP. REDING: 1. *In carne regenitorum habitare peccatum propriè dictum, malè supponitur.* 2. *An primitiæ Spiritus S. pro ratione instrumenti & infirmitatis modulo intrinsecè instrumenti hujus malitia contaminantur, nec ne? Si affirmas, in ipsum Spiritum S. redundabit malitia. Si negas, Spiritus S. operationes ejus conditionis sunt, ut à lege non accusentur.* 3. *Justis non est posita lex 1. Tim. I. 9 quia lege legitimè utitur, adeóque eam perfectè observat.* Ib. pag. 502. Resp. 1. Bene supponi, ex iis, quæ *Quæst. II. ad Sess. V.* disputata sunt, liquet. 2. Ubi primitias & operationes Spiritus S. ab instrumenti malitia contaminari, dico? Esse eas in corpore peccati & mortis, Scriptura Rom. VII. 24. testatur. Pro ratione igitur instrumenti eas perfici, liquet. Cùm igitur instrumentum operationum illarum sit homo in hac vita imperfectus, & peccato obnoxius (quod Tridentini tui non negant) nec ita perficiuntur ejus operationes, quin imperfecti aliquid, adeóque malitia in instrumento resideat adhuc; nec malitia in Spiritum S. sed in instrumentum Spiritus S. operantis redundabit omnis. 3. S. Paulus 1. Tim. I. 9. dicit: *Δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται. Justo lex non jacet*, vel *posita est*; sive quia ei, utpote à Christo ejus vice impleta, ad condemnationem non est opposita (quomodo enim condemnaret fideles lex à Sponsore eorum loco impleta? & quomodo vicaria impletione Sponsoris indiget, qui ipse legem perfectè implet?) sive quia justus, seu per Christum justificatus, adeóque *συνείδησιν τετελειωμένην conscientiam* habens *consummatam*, & legi mortuus est, & lex ipsi mortua est Rom. VII. 4. 6. nempe quando *mortuus est ille, cui* Israëlitæ *sub lege detinebantur*; atque sic ille, ceu *justificatus à peccato* Rom. VI. 7. *non ampliùs sub lege, sed sub gratia est*, ib. v. 14. (quomodo verò legem perfectè implendi necessitas ei, qui sub lege non est, sed sub gratia, incumbit?) sive denique, quia justificatus per Christum, non justificatur per legem à se implendam vel impletam, adeóque ad justificationem suam propria & perfecta impletione legis non indiget. Judica jam, Redingi, an lege *νομίμως legitimè* utatur, hoc est, legis doctrinam ceu *νομοδιδάσκαλος legis doctor*, rectè & salutariter proponat is, qui eam perfectè ad justificationem servandam docet, cùm tamen eo sensu legem justo ne quidem positam esse, sed iis duntaxat, qui sub gratia non sunt, & quorum loco legem Christus non implevit, positam esse, Apostolus doceat.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XIV.

An Christus Jesus hominibus à Deo datus sit ut Redemptor tantùm, cui fidant, non etiam ut Legislator, cui obediant?

NEgat prius, & asserit posterius sub anathemate Concilium Canone 21. In confesso equidem est, Christum in forma Dei existentem eam legem simul cum Patre & Spiritu S. tulisse, cujus Moses minister fuit, & cujus in fœdere operum ad justificationem facta est stipulatio. Fatemur & hoc, Christi Evangelium, quo remissio peccatorum sub conditione fidei per intercedens λύτρον promittitur, generaliter appellari posse *νόμον legem*, quatenus lex accipitur tum pro doctrina, tum pro norma cujuscunque officii, quod in fœdere aliquis requirit. Sic enim *lex fidei* opponitur *legi operum*, Rom. III. 27. Et Christus noster מחוקק *legislator* Esaj. XXXIII. 22. vocatur. Cujus quidem præceptum describitur 1. Joh. III. 23. Neque hoc inficias imus, Christum legalia præcepta & praxin charitatis frequenter in Evangelio inculcare, imò & cordibus credentium inscribere, ne quisquam sibi hæreditatem promittat absque exploratis filiorum Dei characteribus. Hoc autem est, quòd disertè negamus: *Christum esse legislatorem Novi Testamenti talem, qui legem tulerit Mosaica perfectiorem, cujus impletio sit causa acquirendi justificationem.* Quem sensum tenet Synodus, interpretantibus ita tum aliis, tum inprimis Bellarmino *de Justificat. lib. IV. 2.* Etenim

ARG. I. Si Christus talis esset Legislator, justificatio nobis contingeret ex operibus, quod superiùs solidè confutatum à nobis.

Resp. Redino: *Sicut ex institutione Christi obligamur ad actus fidei, spei, charitatis, pænitentiæ, qui ad justificationem disponunt: sic respectu legis illius, quæ actus illos præscribit, Christus rectè legislator appellatur.* Ib. pag. 502. Resp. Falsa niteris hypothesi, non semel jam discussa. Sola fides justificat, non ut dispositio, sed ut instrumentum, quo Christus apprehenditur. Respectu mandati fidei igitur Christus legislator rectè appellatur, eo sensu, quem explicavimus.

ARG. II. Si Christus Mosaicam legem abolevit, eique perfectiorem surrogavit, suam igitur ipsius legem abolevit. Christum enim, quando lex moralis promulgata est, fuisse Legislatorem, liquet ex 1. Cor. X. 9. ubi Paulus docet, eum, quem Israëlitæ tentârunt in deserto, fuisse Chri-

 stum

Digitized by Google

ſtum; nec non ex Act. VII. 37. ubi Jehova ille, qui legem tulit, vocatur *Angelus*, Chriſtus nempe à Deo miſſus.

RESP. REDING: *Chriſtus legem veterem non qua homo, ſed quâ Deus tulit. Ei verò, puta tum ceremoniali, tum morali, quoad præfigurativam Chriſti ſignificationem; tum judiciali, quæ quoad ſubſtantiam mortua, non tamen mortifera facta eſt; abrogatæ legem novam ſubſtituit idem* Ib. pag. 503. Reſp. Non ſimpliciter ut Deus, ſed ut גואל *Sponſor*, Angelus fœderis, λόγος Sermo, & in tempore caro futurus, eandem cum Patre & Spiritu S. legem rogavit; ut videlicet œconomia illa legis ad tempus uſque correctionis, ceu pædagogo ad ſe, & fidei ipſius in Chriſtum adminiculo Eccleſiam gubernaret, Gal. IV. 1. 2. &c. Eam legis œconomiam, quia ad tempus duntaxat, minorennitatis ſcilicet, perſtare debuit, Chriſtus morte ſua abrogavit. Sed novam legem operum, diſtinctam ab ea, quam in Decalogo comprehenſam in monte Sinai accepit & promulgavit Moſes, tuliſſe Chriſtum, eámque cum priori illa commutatam, ceu cauſam juſtificationis fidelium N. T. propoſuiſſe, probandum tibi fuerat. Hic enim rhodus, hic ſaltus! Non aliam legem, quàm fidei & pœnitentiæ, communem quoad rei ſubſtantiam fidelibus utriuſque Teſtamenti, qua Mediator, rogavit. Tuas porro de lege Morali ſignificativa, & abolitione ſubſtantiæ legum forenſium ſpeculationes, quia hujus loci non ſunt, mitto.

ARG. III. Si Chriſtus ſenſu Papiſtico novus Legislator eſt, erit igitur novus Deus, novum Numen, alius à Deo Iſraëlis. Atqui ut unicus Deus eſt, ſic unicus etiam Legislator hoc nomine metuendus, Jac. IV. 2. Non igitur Chriſtus novam legem protulit.

RESP. REDING: 1. *O ineptias! An ſi hoc mundo deſtructo alium Deus crearet, novus foret Deus? An novus Deus factus eſt, cùm Veteri Teſtamento novum ſubrogavit? Homo factus manſit Deus. Et condendo legem novam, Deus idem non manebit?* 2. *Annon verò Chriſtus Eſaj. XXXIII. 2. vocatur legislator, cujus lex Sione exivit, ib. cap. II. 2. & ab Inſulis expectanda fuit, ib. cap. XLII. 4? non utique tantùm, uti tu explicas, lex fidei, utpote quæ legem operum non deſtruit, Rom. III. 31. & per charitatem ſeu opera vivit. Et annon ſpecialia mandata alia, veluti baptizandi, Cœnam Domini adminiſtrandi &c. Chriſtus tulit?* Ib. pag. 503. 504. Reſp. 1. Ineptias proclamas ineptus præ cæteris, & vim argumenti non intelligis. Etenim lex operum, ſeu amandi Dei & proximi, à Moſe promulgata, annon expreſſio & repræſentatio eſt ejus Sanctitatis & juſtitiæ, quæ in Deo eſt? Sic enim Deus ipſe Levit. XIX. 2. innuit his verbis: *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Deus Sanctus eſt, quia non poteſt non amare verum, & quod in amore veri præcipuum eſt, non poteſt ſe ipſum abnegare. Hujus ſanctitatis Dei, ceu æternæ & immutabilis legis imaginem Deus extare voluit in lege amoris, quam & hominis integri cordi inſcripſit, & poſt digito ſuo in tabulis lapideis exaravit. Hanc legem ſi mutaſſet Chriſtus, & ei perfectiorem ſubſtituiſſet, utique etiam perfectioris illius legis ſanctitatem novæ cuipiam Divinæ ſanctitati conformaſſet, atque ſic novum ἀρχέτυπον, novum quodammodo Numen, novæ Sanctitatis paradigma, induxiſſet. Hinc S. Jacobus cap. IV. 12. teſtatur, nonniſi unicum eſſe legislatorem, qui poteſt ſervare & perdere. Et Malach. III. 6. *Ego Dominus, non mutor.* Mutaretur autem, adeóque novus Deus foret, ſi etiam legem naturalem, ab ea, quæ ex ſanctitate ejus naturali expreſſa eſt, diſtinctam ferret

Digitized by Google

ret. Ineptis autem ipse non parùm, cùm dissimilia planè, ea scilicet, quæ à libera Dei voluntate pendent, cujusmodi sunt novi mundi creatio, si Deo placeret; testamenti veteris abolitio, & novi, quoad sanctionem scilicet ac dedicationem, non quoad institutionem (sic enim unicum, æternum & immutabile fuit) introductio; incarnatio &c. & ea, quæ à naturali & immutabili Dei sanctitate pendent, cujusmodi est lex amoris Dei & proximi, in Decalogo Mosis descripta, comparas. Etenim hæc toto Cœlo differunt. Vel ex S. Augustino *de arbitr. lib. I. 6.* hoc discere poteras, ubi fusiùs Evodium suum instruit docétque, leges naturales, innatas scilicet creaturis omnibus ratione præditis, & post lapsum in Decalogo perfectiùs expressas, esse *ἀπόῤῥοιαν* seu *effluvium* quoddam æternæ & incommutabilis legis Divinæ, quæ cum participatione quadam æternam legem Dei adumbrant. 2. Christum legislatorem esse, quia legem fidei tulit, jam concessimus. Neque aliud loca Esajæ à te allata probant. Neque obstat, quòd S. Paulo Rom. III. 31. teste, *fides legem non facit irritam, sed stabilit.* Non enim hinc concludi potest, vel legem operum esse in fide (quomodo enim aliâs S. Paulus v. 27. legem operum & legem fidei opponeret?) vel Christum, qui fidem à fœderatis suis stipulatur, eadem ratione legem operum stipulari (sic enim justificatio hominis ex fide simul & ex lege operum contingeret, quod S. Paulus præcipuè refellit) vel Christum novam legem operum tulisse (quomodo aliâs idem S. Paulus negasset ibidem, legem scilicet operum *καταργεῖσθαι irritam reddi*, asseruisśetque contra, illam per fidem *ἱστᾶσθαι stabiliri*) sed hoc unum scilicet, legem veterem, totámque ejus œconomiam per fidem in Christum confirmari & stabiliri, quia sine Christo inutilis planè fuisset ejus pædagogia universa. Si enim non venisset Christus, quem fides amplectitur, frustra fuisset circumcisio, & tota lex ceremonialis: vana fuisset spes & expectatio eorum, qui sub lege fuerunt: frustra lex operum proposita fuisset, quia nullum extitisset *δικαίωμα*, obedientia nulla, propter quam lex justitiam adjudicaret: nulla daretur lex, quæ cordibus ad amandum Deum inscribi posset: abnegaretur justitia Christi, & solveretur lex tota, siquidem eadem incumberent nobis semper, quæ populo veteri ad tempus imposita sunt. Attestatur ergo tota lex justitiæ ex fide, adeóque per justitiam ex fide stabilitur. Si legem novam & perfectiorem dedisset Christus, utique veterem & imperfectiorem abolevisset, Hebr. VII. 18. & lex fieret irrita, & mutaretur Deus. *Sed fides,* inquis, *per opera charitatis vivit.* Vivit, inquam ego, per id, per quod est, notitiam & assensum fiducialem; & operibus charitatis, ceu fructibus, se vivere demonstrat. Sed an iccirco novam legem charitatis, ceu novus legislator, Christus instituit, & præceptum amoris à Mose, jubente Deo, propositum, abolevit? Vide quàm putidè nugeris, Scripturarum penitus ignarus! Mandata porro illa specialia Christi, quæ allegas, non sunt nova lex operum, sed fidei ipsi confirmandæ & obsignandæ inserviunt.

ARG. IV. Lex Mosaica nulla perfectione laboravit, quæ postularet correctionem & interpretationem per nova & meliora charitatis ac justitiæ præcepta, uti liquet ex Deut. XXX. 19. Psal. XIX. 8. Rom. VII. 12. 14. 2. Tim. III. 15. 16. 17. Non igitur Christus legem perfecit. Et qui hoc dicunt, blasphemant legem, quasi non sit typus sanctitatis homini competentis & perfectæ imaginis Dei: tum Christi ipsius obedientiam, quasi perfecta non sit, cùm is non alii legi, quàm Mosaicæ subditus fuerit.

RESP. REDING: 1. *Lex vetus suam etiam perfectionem, comparatam scilicet habuit, quia nulla macula sanctitati & honestati morali opposita laboravit, & per dilectionem ad ultimum finem, beatitudinem, duxit. Quoad perfectionem tamen absolutam, spectando tum substantiam, perfectior à Christo reddita est, quia in lege nova expressior est revelatio mysteriorum, usus spei perfectior, dilectio Dei, non qua unius, sed qua trini quoad personas, charitas arctior membrorum Christi inter se, puritas major honestatis naturalis interioris. 2. Lex Mosaica non pertinuit ad Christum, quia moriendi legi obnoxius is fuit. Gal. IV. 6. innuitur quidem, eum factum esse sub lege, sed quoad factum & usum, non quoad obligationem, uti S. Anshelmus interpretatur.* Ib. pag. 504 505. Resp. 1. Nescis, quid scribas ipse. Absolutam legi Mosaicæ perfectionem, non comparatam, respectu legis à Christo latæ, quam perfectiorem fuisse ais, vindicare voluisti. Tu invertis id, quod dicere ex hypothesi tua debuisti. Insuper novæ legis, seu potiùs œconomiæ Evangelicæ cum legali comparatæ, προτερήματα à te allata, vel nihil faciunt ad rem, quia de lege operum, non de mysteriis fidei, gradibus revelationis, & dilectionis, juxta legem eandem præstitæ, quæstio est: vel falsa sunt; velut dilectio Dei, quam in V. Test. fuisse unius, personæ scilicet; in Novo Trini in personis fuisse, statuis. Quasi Dei Filii & Spiritus S. nulla vel cognitio, vel dilectio in V. Test. locum habuerit. Quomodo igitur (ut innumera testimonia taceam) David Christum Dominum suum appellavit, Psal. CX. 1. Matth. XXII. 42. & nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi per Spiritum S. 1. Cor. XII. 3? Quomodo gratia Jesu Christi salvatos esse Patres eo modo, quo & nos salvamur, S. Petrus Act. XV. 11. dixit? 2. Si lex Mosis de amore Dei & proximi quoad præceptorum substantiam eadem fuit cum lege homini integro data, & ab eodem transgrediendo violata: atque eadem transgressori est lex, seu ministerium mortis, quia transgressori mortem comminatur; atque Christus à Deo missus, quod legi à carne infirmatæ impossibile erat, in se, ceu Vas & Sponsor, suscepit, quomodo legi Mosaicæ, quatenus legem operum illa constituit, Christum non fuisse subjectum, nec ejus obligationem in se suscepisse asseveras? Conclamata salus nostra erit, si eandem legem, cui implendæ Deus Adamum, totúmque genus humanum in ipso obstrinxit, nostro loco Christus amando & patiendo non implevit. Nam vel nos adhuc sumus sub lege operum, quæ in Adamo nobis data, & quoad substantiam præceptorum moralium à Mose repetita est: vel Christus legem illam nostro loco subivit. Si prius, & nobis lex operum perfectè implenda, & simul ob peccatum æterna mors oppetenda est. atque sic pereundum nobis est. Si posterius, Christus igitur legis operum Mosaicæ obligationem nostro loco in se suscepit. Iccirco Apostolus Gal. IV. 4. 5. docet, Christum ex muliere factum, *γενόμενον ὑπὸ νόμον subjecisse se legi, ut eos, qui sub lege erant, emptos liberaret.* Eodem modo Christus se subjecit legi, quo nos fuimus sub lege. Aliàs enim nos à lege redimere, & execratio pro nobis fieri non potuisset. Atqui nos sic fuimus sub lege, ut obligati fuerimus & legem totam implere, quia creaturæ Dei; & maledictionem legis sustinere, quia peccatores. Ergo pari modo Christus legi subjectus fuit, non tantùm *quoad factum & usum*, sed *quoad obligationem* inprimis. Obligatus enim est, ceu Sponsor Testamenti, faciendi id, quod lex ad vitam ac justitiam facere jussit. Et quid *εἶναι ὑπὸ νόμον esse sub lege,* aliud quàm subjectionem, adeóque obligationem faciendi, quod lex præcipit, clariùs significare potest?

ARG. V.

Digitized by Google

ARG. V. Ipse Christus Matth. V.17. contra novam ejusmodi legislationem protestatur.

RESP. REDING: *Annon verò Christus tum alia in N. Test. præcepta ceremonialia circa Sacramenta instituit, abolitis prioribus; tum moralia ad perfectiorem modum provexit?* Ib. pag. 505. Resp. De præceptis ritualibus fidei, & cultui Dei inservientibus nulla quæstio est. De moralibus, seu lege operum tota est. Si ea sive quoad substantiam, sive quoad accidentia & modum perfecit, tum, imperfectione abolita, solvit, mutavit, & in alium statum legem traduxit. quod cum Christi protestatione pugnat. Is enim nullo modo legem solvit vel mutavit, sed nobis incumbentem in se suscepit, & satisfaciendo implevit.

ARG. VI. Christus in mundum venit, ut legi satisfaceret, & nobis peccatorum remissionem, ac conscientiæ nostræ à jugo legis consolationem acquireret, Jesaj. LXI.2. Luc. IV.18. Act. XV.10.11. Si novam legem ejusmodi promulgâsset, frustra suscepisset officium hoc evangelizandi & consolandi.

RESP. REDING: *Sic Christus Evangelizavit, & consolatus est, ut non omiserit præcepta, per quæ gratia ab eo parta applicatur.* Ib. pag. 505. Resp. Ita est. Sed inter præcepta ea non est lex nova & perfectior operum; sed lex fidei & pœnitentiæ. Satis facere legi pro nobis, & propter satisfactionem præstitam *evangelizare pauperibus, sanare contritos corde, prædicare captivis dimissionem, & cæcis visum, dimittere confractos, prædicare annum Domini acceptum*, quod proprium Christo munus Luc. IV.18. vindicatur: & simul novam, perfectiorem Mosaica, legem, ceu causam vel conditionem vitæ, ferre, est συγκλώθειν ἀσύγκλωστα. Pugnant hæc, si quid aliud.

ARG. VII. In Scripturis perpetua est oppositio legis & fidei, Rom. III.19. IV.5. Christus igitur cùm fidem à nobis stipuletur, novam simul legem sancire dici nequit.

RESP. REDING: *Non sic fides legi opponitur, quin ipsa etiam fides una cum charitate, aliisque actibus supernaturalibus tum justificationi præviis, tum eandem consequentibus, sub lege Christi comprehendantur.* Ib. pag. 505. Resp. Si in fide est lex operum nova, & quidem Mosaica perfectior, quomodò non justificatio tota legi operum, & operibus legis accepta refertur? Quomodo in negotio justificationis ubique Scriptura fidem inter & legem operum antithesin statuit? Et esto in fide charitas, uti revera fidei fructus est. An verò ad aliam legem, quàm eam, quam jam olim Adamo Deus præscripsit, & in monte Sinai repetiit, charitas, quæ fidem sequitur, exigi debet? Est quidem diversa quoad observantiam & impletionem ratio charitatis, quam Evangelium stipulatur post fidem, & quam lex operum secundùm ἀκρίβειαν præcipit, Sed utraque unam eandémque ideam & normam habet, quæ non imperfectior olim fuit, at sub Christo perfectior evasit, sed una eadémque immutabiliter manet, ac in æternum manebit.

ARG. VIII. Per fidem lex non fit irrita, sed stabilitur, Rom. III.21. Si substitueretur legi Mosis nova lex Christi, cujus merito & consummatione

Digitized by Google

expectanda esset vitæ æternæ merces, sanè lex irrita fieret, non stabiliretur.

RESP. REDING: *Concilio Hierosolymitano & definitioni Apostolorum Actor. XV. 28. quòd onus legis discipulis non sit imponendum ampliùs, contradicis, atque sic hæreticum te prodis.* Ib. pag. 505. Resp. Contradixit ne ergo mecum S. Paulus, & eodem mecum reatu tenetur? Cur ad hoc non respondes? Non alia lex Christi est, quàm lex fidei, quæ charitate fœcundatur. At fides, adeóque lex Christi legi, operum scilicet, opponitur, & tamen hanc aboleri negavit, & stabiliri affirmavit Apostolus. Quomodo igitur commutatur à Christo, seu lege fidei, & perfectior sic redditur, ut eatenus Christus novus sit legislator? Sed aliud, mi Redingi, est legem stabiliri, hoc est, ostendi & declarari, quòd non frustra data sit, sed suum effectum in ipso Christo certissimum habuerit, quod supra abundè explicavimus: aliud est, onus legis, seu universam pædagogiam legalem non ampliùs discipulis imponendam esse, ut videlicet legi & quidem perfectiori, quàm ea fuit, quam Moses tulit, adhuc subsint, & ipsi ad ejus observantiam teneantur. Quo sensu vos, jugum legis, saltem operum, vestrorum humeris imponentes, ipsi tamen vix digito illud attingentes, & hæreticos & hypocritas jam pridem universo vos mundo prodidistis.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus legem veterem partim correxit, partim auxit, uti liquet ex Matth. V. Ergo novus Legislator est.* Resp. 1. Christus Matth. V. nec novam legem protulit, nec veterem vel correxit vel auxit, tum quia ibi agit de bonis operibus lege & Prophetarum verbo jam præscriptis, vers. 16. 17. 20. tum quia agit de legis *πληρώσει impletione* v. 17. impletio autem non est superadditio novæ legis ad vetustam, sed stabilitio ejus quæ extat: tum quia minatur ei, qui vel minimum præceptum HORUM (legis scilicet, de qua locutus erat) solverit, quòd minimus sit vocandus in regno cœlorum, v. 19. tum quia v. 20. carpit Pharisæos & Scribas, tanquam non habentes perfectam justitiam, quæ satis sit ad intrandum in Regnum cœlorum, neutiquam verò detrahit obedientiæ legis tanquam insufficienti. Quam Pharisæorum justitiam si quis velit ad obedientiam legis transferre, præsupponere debet, Servatorem in Pharisæis agnovisse justitiam legis, cùm tamen ubique eos hypocritas nuncupet. Non igitur legem Mosis, sed catechesin & glossemata Scribarum ac Pharisæorum in ordinem redegit.

EXCIP. REDING: 1. *Esto, Christus Matth. V. 16. dicens discipulis, Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra; intellexerit opera à lege & Prophetis præscripta. At imperativè illa discipulis præscripsit, eósque ad exemplum operum mundo præferendum obligavit. Hoc ipsum verò imperium autoritatem, legislatorem eundem supponit. 2. Christus legem implevit, v. 17. executivè; quatenus per sacrificium crucis & institutionem novorum mysteriorum figuras V. T. ceu corpus & veritas, implevit. 3. Sed & v. 19. dicens, minimum in Regno Cœlorum vocandum, quisquis unum de mandatis minimis solverit, le-*

gem

Digitized by Google

gem Decalogi ad universos fideles extendit. non quidem in vi legis Mosaicæ, sed in vi legis naturalis. Verè igitur Legislator fuit. 4. *Denique vers.20. Christus abundantiorem justitiam à Christianis, quàm à Pharisæis exigit. Sed loquitur de justitia, non quam habebant de facto, sed quam jure legis habere debuerunt. Ea igitur, quam à fidelibus N. T. Christus exigit, abundantior perfectiórque sit oportet.* Ib. pag 506. Resp. 1. Non ideo Christus novus Legislator, seu perfectioris legis, ceu causæ acquirendæ justitiæ & vitæ, author censeri potest, quia legem authoritate sua ursit, inculcavit, & acriùs infixit, vel perfectiùs etiam imperavit: tum quia quoad moralia non aliud ursit & imperavit, quàm quod præscripsit & imperavit Deus per Mosen: tum quia nuspiam justitiam perfectiorem legis, ceu conditionem vel causam justificationis nostræ futuram imperavit; quod propriè legislatoris est; sed contra opera, non qua justificantia hominem operantem, sed qua media gratiæ, documenta justificationis peractæ, & conversationis Christianæ præscripsit; tum denique quia impotentia legis operum, ex qua à se impleta nulla ampliùs caro justificari, vivificari potest, nuspiam imperfecto legis operum à Mose rogatæ imperio (quasi ad id perfectius Christi imperium expectandum fuerit) sed carni, per quam lex infirmata est, Rom. VIII. 1. disertè tribuitur. 2. Sic Christus v.17. legem Dei *ἐπλήρωσεν implevit*, exequendo utique, quicquid lex ad justitiam requisivit. Et quamvis figuras impleverit, ut corpus, veritas, & *εἰκὼν imago* rerum futurarum; & impletione hac sua eas, ceu umbram corpori suo cedentem aboleverit (licet eatenus etiam non tam solverit eas, quàm stabiliverit, quatenus in se ipso habuisse stabilimentum, adeóque non frustra datas esse, sed significationem mysteriúmque suum planè plenéque peregisse impletione sua demonstravit) tamen legem moralem, de qua hic propriè eum loqui, antecedentia & consequentia juxta arguunt, non sic implevit, ut ceu imperfectam implendo, & perfectiorem substituendo correxerit; (hoc enim fuisset *ἀναλῦσαι dissolvere*) sed *executivè*, ut tecum loquar, ut obligationi legis moralis homini primitus præscriptæ, observando & exequendo eandem, satisfecerit. Quæ quidem *πλήρωσις impletio* legis à Christo facta tum ad justitiæ nobis donandæ acquisitionem, tum ad exemplar nostræ conversationis facit. 3. Cùm v.19. Christus addit, *eum, qui solverit mandatum unum ex minimis, minimum vocandum in Regno Cælorum*, non sic ad fideles universos legem extendit, ut obligationem non ex vi legis Mosaicæ, sed naturalis novæ arcessat. Quid quæso frigidius dici poterat? Scilicet lex Decalogi authoritate Divina per Mosen lata expirabit deinceps: at vigebit eadem jure legis naturalis. Quasi natura quicquam perfectius, quàm Deus per Mosen eam legem, quæ tot perfectionis suæ testimonia in Mose & Prophetis habet, rogans, præscribere possit. Sed quicquid sit, argumento meo constringeris. Nam quocunque jure Christus novam legem instituit, si perfectior est ea lege, quam etiam in minimis solvendam negat, & quæ non alia est, quàm ea, quam Divina authoritate Moses imperavit; tum legem eam vel in minimis, vel in magnis, vel in maximis solvit, hoc est, permutatæ ceu imperfectiori, novam & perfectiorem substituit. Hoc non Christus fecit, sed conatur facere Antichristus vester, qui non pauca legis præcepta (velut de imaginibus, adorando uno Deo &c.) & contemnit, & contemnere, sive contra, ac præceptum est, facere; vel id quod contra legem est, peccatum non reputare docet, & potestatem sibi dispensandi contra Divinam legem nefariè arrogat; atque sic, maximus licet in Regno Cœlorum, Ecclesia Christi, haberi velit, revera tamen se *ἐλάχιστον, minimum*, hoc est, minorem fidelibus, imò omnibus hominibus esse, demonstrat. 4. Verborum v.20. *Nisi abundaverit vestra justitia plus quàm Scribarum & Pharisæorum, nequaquam intrabitis*

Digitized by Google

in Regnum Cælorum; putida est tua interpretatio, *abundantiorem à fidelibus justitiam requiri, quàm quæ Pharisæorum non de facto fuit, sed jure legis esse debuit.* Non enim Christus dicit: *Nisi abundaverit justitia vestra magis, quàm Scribarum & Pharisæorum abundare debuit*; sed: Ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, *Nisi abundaverit justitia vestra magis, quàm Scribarum & Pharisæorum*, justitia scilicet. At justitia Scribarum & Pharisæorum non illa est, quam habere debent, sed quam habent, seu habendam docent: sicut ex adverso justitia fidelium N. Test. quam abundantiorem Christus requirit, non ea est, quam habere debent, sed quam habent. Non enim Regnum Cœlorum intratur per eam justitiam, quam quis habere debet, sed quam habet. Si Scribæ & Pharisæi eam justitiam, quam juxta legem Dei habere debuerant, habuissent, & habendam docuissent, an Regnum Cœlorum intrare non potuissent? Quomodo igitur in verbis *Fac hæc & vives*, facienti promittitur vita: & quomodo Christus Matth. XIX. 14. 15. &c. juveni quærenti, quid boni facere debeat, ut habeat vitam æternam, respondet, faciendum ei esse, quod lex omnes (adeóque Scribas etiam & Pharisæos) facere jussit: *Si vis ad vitam ingredi*, inquiens, *serva mandata: Non occides, Non adulteraberis, Non furaberis?* Manet ergo, perfectionem doctrinæ Christi Matth. V. VI. VII. elenchum habere non legis Mosaicæ moralis, ut minùs perfectæ; sed traditionum Pharisaicarum, & malæ ἐγχειρήσεως in docenda lege, qua illi neglecta ejus διανοίᾳ intelligentia & sensu genuino, vexabant τὸ ῥητὸν, & ad superstitionem usque consectabantur ceremonialia, non curantes τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου, *graviora legis*, judicium, misericordiam, fidem, Matth. XXIII. 23.

OBIECT. II. *Evangelium legis nomine venit tum in Veteri, tum in N. Test. nominatim Psal. XIX. 8. Esaj. II. 3. 4. Mich. IV. 2. Rom. III. 27. Ergo Christus author Evangelii Legislator est.* Resp. Concedimus, sed non alio sensu, quàm quo diximus in statu quæstionis. Evangelium nempe est lex fidei, non operum. Eodem sensu Christus Legislator est.

EXCIP. REDING: *Christus est Legislator fidei quà justificantis. At non justificat illa nisi per charitatem operans, adeóque cum operibus. Ergo sic est Legislator respectu fidei, ut simul sit Legislator respectu operum.* Ib. pag. 507. Resp. Et falsa dicis, quia fides non justificat respectu charitatis, per quam operatur non ad justificationem, sed ad justificationis factæ demonstrationem & sanctificationem: & ἀπροσδιόνυσον, quia si maximè fides per charitatem & opera justificaret, illorum norma non iccirco nova lex, sed vetus illa à Deo per Mosen data foret.

OBIECT. III. *Doctrina à Christo tradita non fidei tantùm, sed etiam operum est, adeóque legalis. Ergo Christus non redemptor tantùm, sed etiam Legislator est.* Resp. Christum non fidem tantùm, sed etiam opera inculcare concedimus. Sed negamus ipsum vel nova opera, singulariter & noviter ab ipso sancita inculcare, vel ex ejusmodi operum conditione justificationem suspendere.

EXCIP. REDING: *Si Christus non fidem tantùm, sed opera etiam inculcat, & quidem ex imperio authoritativo ac comminativo exclusionis à Regno Cælorum, quomodo non Legisla-*

tor

Digitized by Google

tor propriè dictus est etiam operum respectu. Ib. pag. 507. Resp. Quomodo non ideo sit, dixi. Addo, doctrinam Christi κυρίως fidei & gratiæ, non legis & operum esse. Nam juxta Thomam Aquinatem vestrum 1. 2. q.106. a. 1.2. (corrigatur modò ejus sensus de gratia, modo supra dicto) *unaquæque res illud esse videtur, quod in ea potissimum est. Potissimum autem & principale in N. Test. est gratia. Cætera in eo continentur secundariò, vel sicut dispositiva ad gratiam, vel sicut ordinata ad usum hujus gratiæ.* Nempe lex propriè dicta præcipuè in opere præscribendo & obedientia exigenda consistit. Quamvis autem in N. Test. quædam præscribantur, tamen non tam ut opera propriè, quàm ut media gratiæ à Christo instituta præscribuntur. Opera verò alia, quæ à Christo non sunt recens instituta, in N. Test. explicantur, determinantur, urgentur, non ibi primò præscribuntur. Comminationes verò & terrores in eo occurrentes non magis sunt pars Evangelii, quàm medicinæ pars est, si medicus mortem ex neglecta medicina obventuram indicet. Denique aliud sunt promissiones cum conditione obedientiæ, ut causæ juris, quam habemus ad rem promissam: aliud promissiones cum conditione obedientiæ, ut adjuncti aut effecti rei promissæ, vel donationis ejus. Hæ, non illæ in benignissimæ gratiæ Regno locum habent.

OBIECT. IV. *Evangelium habet conjunctas comminationes adversus contumaces, Matth. V. 22. VII. 19. XXIII. 38. XXV. 30. Ergo Christus ejus author propriè dictus Legislator est.* Resp. Comminationes ejusmodi vel non sunt Evangelicæ, sed legales propriè, adversus transgressores legis propositæ: vel si etiam contra incredulos diriguntur, per accidens Evangelio propriè dicto conveniunt, non per se. Quomodo Evangelium vocatur odor mortis ad mortem non per se, sed per accidens.

EXCIP. REDING: 1. *Comminationes, quæ contra incredulos diriguntur, expresso Evangelii textu continentur, quo damnatio omnibus non credentibus passim annuntiatur. 2. Sed & comminationes adversus eos, qui indignè edunt carnem Christi, directæ, fideles ipsos, seu baptizatos concernunt. Evangelicæ igitur sunt, non legales.* Ib. pag. 507. Resp. 1. Quo sensu comminationes, quas in N. Test. reperire est, intelligendæ sint, jam diximus. Non quicquid in libris N. Test. invenitur, propriè & per se Evangelicum est; sed id demum, quod lœtum nuntium peccatoribus miseris & sauciatis conscientiis affert. Comminationes adversus incredulos directos ab Evangelio per se arcessere velle, contradictorium est in terminis. 2. Neque etiam quicquid ad fideles, hoc est, uti interpretaris, baptizatos quosvis dirigitur, propriè Evangelicum est; sed id solum, quod ad fideles, & baptizatos, salvifica & justificante fide præditos, qui, viva Christi membra, meritorum ejus sunt participes, non ad fideles λεγομένους, qui tales videntur, non sunt; diriguntur. Ad has verò comminationes Christi non pertinent, quia nullum est κατάκριμα, nulla condemnatio iis, qui in Christo Jesu sunt, Rom. VIII. 1. Comminationes igitur universæ contra incredulos propriè vim suam à lege habent, quia lex iram transgressori præceptorum suorum, inter quæ etiam est fides Deo medium salutis revelanti habenda, comminatur: Evangelium credenti in Christum remissionem peccatorum & salutem promittit. *Si enim sermo per Angelos dictus fuit firmus, & omnis transgressio justam mercedis retributionem accepit. quomodo nos effugiemus, si tantam salutem neglexerimus?* Heb. II. 2. 3.

Digitized by Google

OBIECT. V. *Christus tulit novum præceptum dilectionis Joh.XIII.34.XV.12. Ergo novus legislator est.* Resp. Idem præceptum tum *vetus*, tum *novum* appellatur 1.Joh.II.8. *Vetus* nempe, quia inde à Patriarchis & à Mose auditum. *Novum* verò, quia in Christi exemplo renovatum, & per Spiritum S. cordibus fidelium insculptum est.

EXCIP. REDING: *Novum dicitur præceptum Christi vi non exempli & inscriptionis novæ, sed inprimis mandati. Mandatum novum do vobis, inquit Christus.* Ib. pag. 507. Resp. Præceptum Christi de diligendis invicem non aliud esse potest, quàm præceptum fœderis, quod irritum fecerunt Israëlitæ, Jerem. XXXI. 31. Præceptum porro fœderis illud est, quod Deus dedit Israëlitis, ut illud facientes Dei & sanctificationis, Dei, vitæ ac justitiæ participes essent. Atque illud jam accepit Adamus, accepit Abrahamus, audiverunt Israëlitæ in Ægypto, Ezech. XX. 6.7. post ad montem Sinai, Exod. XX. 1. 2. &c. Non potest enim præceptum Christi esse aliud, quia fœdus Dei non est aliud, hoc est, non alio atque alio modo Deus est Deus, vita & justitia peccatoris. Deus enim unus est, Rom III.30. & non mutatur, Mal. III. 6. Ideo S. Johannes 1. Epist. II. 7. disertè scribit: *Non præceptum novum scribo vobis, sed præceptum vetus, quod audivistis ab initio.* nempe ex quo præceptum audivistis. Non igitur sic præceptum de diligendis invicem novum est, ut vel quoad substantiam diversum; vel quoad accidentia in perfectius commutatum, & à Legislatore Novo eatenus Novum introductum sit; sed novum est, quatenus idem semper, exhibito & glorificato jam Christo nititur tamen veritate & gratia, opposita iræ per legem exercitæ, promissioni & umbris; adeóque jam in amore Dei, ut Dei sui, exigitur fides solida sive mera, agnoscens rem extantem, & habens consummationem quandam conscientiæ cum lœtitia & gratiarum actione, sine timore illo, quem Spiritus servitutis quondam operabatur. Novum proin dicitur, quia est verum in Christo & in nobis. *In Christo*, quia justitia seu debitum dilectionis per ejus, legi obedientis facti, dilectionem comprobatum est, & hunc etiam finem habet, ut nos ad diligendum invicem obliget. *In nobis*, quia credimus nos esse dilectos à Christo, & quidem ut diligamus invicem; atque adeò ipsa fides in Christum nos sic diligentem fortiter compellit nos, ut invicem etiam diligamus. Quomodo lex Jehovæ inscribitur cordi nostro, & fit lex cordis, mentis ac voluntatis ejus, cujus cordi inscribitur. Planum igitur est, licet mandatum dilectionis *novum* dicatur, non sic tamen dici, quasi perfectior dilectio à Christo, quàm à Deo per Mosen mandata sit; sed quia veteri præcepto, quoad substantiam eidem, accessit nova dilectio Christi, quæ & exemplar ac *ὑπόδειγμα* est dilectionis nostræ, & ratio summa diligendi invicem. *Dilexit enim nos, ut diligamus invicem.* ib. v. 34. Hoc proposuit Christus, hoc docuit, hoc præcepit, hoc morte sua quæsivit.

QUÆ-

QUÆSTIO XV.

An homo ſemel juſtificatus poßit gratiam amittere, adeóque in juſtificatione non perſeverare?

AFfirmat, Synodus Canone XVII. & XXIII. Fatemur, hominem juſtificatum graviter labi, Spiritum S. contriſtari, indignationem Dei paternam incurrere, & reatum damnabilem contrahere, imò ſibi relictum nil niſi peccare & deficere poſſe. Ipſe vigor & virtus, & conſolationum divinarum ſenſus interior varias habet eclipſes, & gradus tam remiſſionis quàm intenſionis. Conſtanter tamen negamus, juſtificatum, adeóque fide non tantùm ſimulatâ & dogmaticâ, ſed inprimis viva, radicata & ſalvifica prædítum, & Chriſto ſemel inſitum ita mutari poſſe, ut omnem fidei armaturam abjiciat, & univerſali apoſtaſia bonarum partium perpetuus deſertor fiat. Etenim

ARG. I. Qui juſtificantur, etiam prædeſtinati ſunt, teſte Apoſtolo in aurea catena Rom. VIII. 29. 30. Atqui decretum prædeſtinationis, quia nititur efficaci voluntate Dei, eſt prorſus immutabile, Matth. XXIV. 24. Rom. IX. 11. 12. XI. 29. 2. Tim. II. 16. Et cùm electio ordinet ad vitam, non poteſt non dici etiam ordinare ad media, quæ inter eſt perſeverantia. Unde etiam Gregor. de Valentia fatetur Tom. III. d. 3. q. 2. pag. 4. *certiſſimè futurum, ut prædeſtinati tandem ſalventur beneficio infallibilis prædeſtinationis.*

RESP. REDING: *S. Paulus Rom. VIII. 29. 30. aſſerit quidem, prædeſtinatos vocari & juſtificari. Sed omnes juſtificatos ſimul prædeſtinatos eſſe, non aſſerit. Sanè etiam S. Auguſtinus de Bapt. lib. I. 11. agnoſcit, Simoni Mago remiſſa eſſe peccata, ac proin juſtificatum eum eſſe. Unde etiam credidiſſe eum, Act. VIII. 13. dicitur. An iccirco prædeſtinatus fuit? Accedit, quòd etiam Judas proditor Joh. XVII. 12. à Patre Chriſto datus, adeóque per eundem juſtificatus periit. Hinc adeò S. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 8. disertè negat, Deum perſeverantiam dediſſe omnibus, quibus dilectionem dedit, quóſque adeò juſtificavit. Et mox cap. 9. idem diſtinguit duplicem filiorum Dei ſortem, alteram eorum, qui temporaliter duntaxat gratiam Dei ſuſceperunt; alteram eorum, qui in memoriali Dei Patris, inconcuſſa ſtabilitate, adeóque per prædeſtinationem, conſcripti ſunt. Prioribus, licet veram, non fictam fidem habentibus, perſeverantiam disertè negat. Et lib. de Perſev. S. cap. 8. utroſque juſtificatos ex impiis, & per lavacrum regenerationis renovatos fuiſſe, ſcribit, at priores electos & prædeſtinatos eſſe ſecundum propoſitum Dei, negat.* Tract. IV. Ss. 2. pag. 508. 509. Reſp. 1. Cùm in aurea S. Apoſtoli catena & vocatio, quæ eſt ſecundum æternum propoſitum, & glorificatio non ſint niſi præcognitorum & prædeſtinatorum,

stinatorum; cur solam justificationem commune prædestinatorum & non prædestinatorum beneficium facis? De vocatione sanè, sive voluntate efficaci regenerandi liquet, tum quia vocandi seu regenerandi voluntas in ipsa prædestinatione conformium imagini Filii continetur: tum quia κλῆσις τοῦ Θεοῦ ἀμεταμέλητος *vocatio Dei pœnitudinis expers*, & immutabilis est, Rom.XI.29. adeóque secundùm æternum propositum manet, & certò glorificat. De glorificatione dubitari nequit. Cúmque in ipsa etiam vocatione & in Christum translatione justificatio contineatur, nec vel vocatio sine justificatione, vel justificatio sine vocatione consistere valeat, manifestum est, æquè justificationem atque vocationem & glorificationem prædestinatione æterna latiùs non patere. Et sanè beneficia isthæc sic ex prædestinatione, ceu prima causa sua, Apostolus deducit, ut ad glorificationem eadem infallibiliter perducere astruat. Nam *quos justificavit*, prædestinatos ante, *eos glorificavit*. Hæc propositio juxta te falsa erit, quia, si vera scribis, multos, imò etiam Judam proditorem & Simonem Magum Deus justificavit, quos non glorificabit. Audes sic Apostolo, cui infensior es quàm tibi, uti Augustinus alicubi loquitur; in os contradicere, & ordinem annulorum aureæ hujus catenæ perturbare & luxare penitus? Et quomodo justificatio vocatur δικαίωσις ζωῆς *justificatio vitæ*, Rom.V.18. quomodo *in vita regnabunt, qui exuberantiam gratiæ & doni justitiæ acceperunt*, ib.v.17. si quidam justificantur, qui non vivent, non glorificabuntur, adeóque prædestinati non sunt? Solida utique est justificatio omnis, quia propter sponsionem testamenti, quam fecit Filius, & ejus sponsionis impletionem necessariò transit in glorificationem cum Christo. Atque id ipsum nobiscum S. Augustinus, ad quem hic provocas *de Prædest. cap.*17. asserit his verbis: *Non ergo alios, sed quos prædestinavit, eos & vocavit. Nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos etiam justificavit. Nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, eos etiam glorificavit.* At juxta te *alios* justificavit, quos nec prædestinavit, nec glorificabit; & alios prædestinavit, alios justificabit. Tam bellè cum S Augustino tibi convenit. Neque obstant loca à te citata. Nam si justificatum verè fuisse Simonem Magum, & tamen periisse, ibi asserit, quomodo non sibi ipse contradicit? At non contradicit sibi, sed Simoni Mago remissa fuisse peccata scribit, quia ceu baptizatus & fidem præ se ferens, remissionem consecutus videretur, & secundum charitatis canonem pro justificato haberetur, donec contrarium eventus prodidit. Non enim habuisse eum revera fidem justificantem, adeóque justificatum non fuisse, ex Act. VIII.21. *Non est tibi pars aut sors in hoc sermone. Nam cor tuum non est rectum coram Deo liquet.* Qualis sine rectitudine cordis est fides justificans: qualis justificatio? Additur v. 22. *Resipisce igitur ab ista malitia tua, & roga Deum, an fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui.* Nondum igitur resipuerat: nondum verè crediderat: nondum peccata ipsi remissa fuerant. Fides ejus fuit ἀργὴ, mortua, electio scilicet nominis Christi, sub quo vir bonus & alicujus pretii haberi posset. Id patefactum est ejus petitione, Spiritum S. pecunia licitantis. quæ ignorantia Dei & Christi pudenda fuit. Quo etiam jure Judam proditorem inter justificatos referas, ipse videris. Nam Joh.XVII.12. neque à Patre Christo datus dicitur, sed à datis & custoditis excipitur, cùm in verbis Christi vel sit usitata βραχυλογία hoc sensu: *Et nemo periit, nisi filius interitus: Ex iis autem, quos mihi dedisti, nemo periit*; vel particulæ εἰ μὴ adversativè ponantur: neque si datus à Patre Christo esset, magis per justificationem quàm per æternam electionem datus ei esset; & nonnisi per vocationem temporalem ad munus Apostolatus ei datus esset. 2. De S. Augustino jam diximus. Observarunt

præto-

præterea Viri doctissimi, nominatim Robertus Abbotius, Præsul Sarisburiensis, in Animadversione brevi, aliter de hoc argumento S. Augustinum contra Pelagianos, aliter contra Donatistas loqui. Contra Pelagianos populariter, & non aliter quàm ex eventu Ecclesiæ membra à cœteris eum distinguere, ut sic Naturalistas Sacramenta & cœteros Ecclesiæ ritus despicientes commodiùs retunderet: contra Donatistas verò, de Ecclesia sua nimiùm gloriantes, aliter inire rationem, qua ostendit, non factiosorum clamoribus, sed prædestinatorum numero Ecclesiam definiri. Verbo, distinguit inter Christianos, quorum alii fideles & justificati sunt *nomine*, quia pro justificatis se gerunt & Sacramenta participant; quibus etiam, ceu non inscriptis in libro vitæ, contra Pelagianos populariter agens, perseverantiam negat: alii vero tales sunt *re & veritate*, quibus ceu prædestinatis, perseverantiæ donum, contra Donatistas disputans ἀκριβέστερον, vindicat. De prioribus sic loquitur: *Temporaliter duntaxat gratiam Dei susceperunt*; & iisdem fidem non fictam ac dilectionem à Deo datam, affirmat, quia vel talem habere videbantur; vel habuerunt, & fidem non fictam, sed nec justificantem, electorum propriam; & dilectionem, sed non ex fide salvifica, & conscientia purificata. Habes sic *κλεῖδα γνώσεως clavim cognitionis*, qua Augustini mentem in locis, quæ pugnare & cum Scriptura, & cum ipso Augustino videntur, perspicere dabitur. Sanè etiam Gratianus, cùm plurima Patrum testimonia, quibus immutabilitatem gratiæ illi astruunt, collegisset, *de pæn. d. 2. ad cap. 12.* concludit his verbis: *Ex præmissis apparet, quòd charitas semel habita ulteriùs non amittatur. Qui enim charitatem semel habuerit, criminaliter ulteriùs peccare non poterit: ut ad Gratiam, & non ad naturam impossibilitas referatur.* Denique Gerh. Johannes Vossius, Vir in hoc quidem argumento, quo de S Patrum sensu agitur, perspicacissimus, *Histor. Pelag. lib. VI. ad thes. 13.* docet, quoties S. Patres fidem justificantem deficere posse, & re ipsa interdum deficere dicunt, *intelligere eos hoc ratione actuum, qui è potentia sive habitu fidei emanant.*

ARG. II. Fœdus gratiæ sancitum in Christo habet promissionem infallibilis perseverantiæ, Genes. XVII. 7. Psal. XXXVII. v. 24. Esaj. LIV. 8. Jerem. XXXII. 39. Hos. II. v. 20. 1 Cor. I. v. 8. 9. Hebr. VIII. 6. 7. 8. Quæ promissio Evangelium distinguit à lege. Lex enim nihil consummavit, nec gratiam perseverandi impertiit. Evangelium autem consummat, & gratiam perseverandi largitur, & iccirco præstantioribus promissis sancitum est. Unde fœdus illud vocatur διαθήκη αἰώνιος, *Testamentum æternum*, Hebr. XIII. 20. 21. 25. *Testamentum ratificatum*, quod nulla dispositione reddi potest irritum Gal. III. 15. Hebr. IX. v. 17. 18. 19. quod disponit de gratia firma ac constanti Psal. LXXXIX. 29. 34. 35. 36. Esaj. LV. 3. Quo fundamento nixus Paulus Rom. XI. 29. pronunciat, *dona gratuita & vocationem Dei* esse *ἀμεταμέλητα, sine pœnitentia.*

RESP. REDINO: 1. *Ex textibus illis hoc quidem colligi potest, Deum cum semine Abrahæ, & fidelibus universis fœdus gratiæ sempiternum iniisse, quod tum in seipso propter immutabilitatem Dei, tum ratione rei promissæ propter efficaciam Divinæ omnipotentiæ, & respectu seminis benedicti, promissionem infallibilis perseverantiæ importet. Sed justificatos semel, vi illius fœderis, gratia perseverantiæ potiri, non sequitur. Nuspiam enim Evan-*

gelium teſtatur, vel credentes omnes juſtificari, vel juſtificatos omnes perſeverare, & de ſtatu gloriæ certos eſſe. Si igitur fœdus illud comparetur ad univerſos fideles, quorundam reſpectu tantùm conditionata promiſſio eſt. Si ad electos, promittitur quidem iis abſolutè perſeverantia, ita tamen, ut ſtatu gratiæ excidere, & per pœnitentiam in eundem reſtitui poſſint. quo ſolo ſenſu dona & vocatio Dei eſſe ſine pœnitentia, Rom. XI.29. dicuntur. Ib. pag. 509. 510. Reſp. Eò tua reſponſio redit, quòd fides Dei, qua perſeverantia promittitur, abſolutè ſolos electos & juſtificatos perſeverantes; ſed conditionatè omnes quidem juſtificatos ſic concernat, ut alii juſtificati, qui electi ſunt, perſeverent; alii, qui electi non ſunt, non perſeverent. Quæ falſiſſima aſſertio eſt. Nam & juſtificatos omnes electos eſſe, jam aſtruximus: & fœderis gratiæ promiſſio reſpectu omnium, ad quos illud pertinet, abſoluta eſt, fœderatiſque omnibus perſeverantiam & ſalutem promittit. Exemplum eſto in fœdere Abrahamico. In eo ſemini Abrahæ, non carnali utique, ſed ſpirituali, quod non ſecundum generationem carnalem, ſed ſecundum promiſſionem & regenerationem provenit; Deus ſine diſcrimine & conditione ulla, eventus reſpectu incerta, promittit ברית עולם *fœdus æternum*, quod ſic ille *ſtabilire*, adeóque in æternum firmare velit, ut perpetim ei velit eſſe לאלהים *in Deum*, propitium videlicet in Chriſto, juſtitiæ & gloriæ æternæ authorem, Geneſ. XVII.7. Nulla fœderatorum & juſtificatorum duplicium, perſeverantium & non perſeverantium (reſpectu quorum fœdus nec æternum, nec ſtabile foret) mentio eſt. Quibus ſic Deus in Deum eſt, uti fœderato Abrahami ſemini ſe futurum Deus promiſit, iis ſimul promiſit cor novum, timorem in cor eorum, ne unquam deficiant. Verba clariſſima ſunt Jerem. XXXII. 38-41. *Ipſi erunt populus meus, & ego ero eorum Deus*, (planè ſicut in fœdere Abrahamico) *dabóque eis cor & viam unam, ut timeant me cunctis diebus. Feriam cum iis fœdus ſempiternum, quòd non retro ab iis abſcedam, quò minùs benefaciam iis: ſed timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non deficiant.* Similia ſunt illa Eſajæ cap. LIV.8. *Nam iſtud erit mihi ſicut aquæ Noæ. Ut enim juraveram, ne porro aquæ Noæ pertranſirent terram, ſic juravi, ne iraſcar tibi, aut te objurgem. Citiùs enim & montes locum deſerent, & colles nutabunt, quàm vel bonitas mea te deſerat, vel fœdus pacis meæ nutet.* Tam igitur non eſt promiſſio fœderis reſpectu quorundam conditionata, ut reſpectu omnium fœderatorum conditionem ipſam fœderis, puta & fidem, ac juſtitiam Chriſti fide apprehendendam, & perſeverantiam in eadem abſolutè promittat. In quem enim finem dabit Deus cor, timorem ſui cordi indet, ſuſtentabit manu, Pſal. XXXVII.24. exitum dabit tentationi, 1 Cor. X.13. confirmabit uſque ad finem, ib. cap. I.8.9. niſi ut voluntas naturâ in quodvis ſcelus & periculum præceps & cernua non ſuccumbat, nec à recepta gratia reſiliat? Quid denique multis? Juſtificati ſunt, quicunque per fidem juſtitiæ Chriſti ſunt participes. Quæ juſtitia non aliud eſt, quàm jus naſcens ex *ὁμολογίᾳ*, ſeu adſtipulatione ad id, quod Deus offerens fœdus obedientibus ſibi oſtendit. quod certè unio & communio cum Deo & vita æterna eſt. Hoc enim ipſe in fœdere ſuo promittens, quòd velit nobis eſſe in Deum, offert. Unde etiam imputatio illa juſtitiæ *δικαίωσις ζωῆς juſtificatio vitæ* Rom. V.18 appellatur. nempe quia in ea eſt addictio vitæ, & declaratio hæredis vitæ. Hinc juſtitia illa, quam Chriſtus adduxit צדק עולמים *juſtitia Seculorum* Dan. IX. 24. appellatur. Et in juſtitia illa ſtatus ac firmitas ponitur. velut Eſaj. LIV. 14. בצדקה תכונני *In juſtitia ſtabilieris.* Et juſtus dicitur יסוד עולם *fundamentum Seculi*, Prov. X.25.

ARG. III.

Digitized by Google

ARG. III. Deus Pater Christo animam suam pro reatu sacrificium ponenti, promisit Sacerdotium æternum, Regnum immutabile, perenne semen, & certissimam hæreditatem, ac peculium, Psal. II. v. 6. LXXVIII. 19. Esaj. XLIX. 4. 6. LIV. 10. 11. Hebr. I. 2. &c. Necessarium igitur, ut plurimi ejus subditi, filii, hæreditas, peculium fierent, quod citra perseverantiam iis destinatam non potuisset impleri.

Resp. Reding: *Stat æternum Christi Sacerdotium, & Regnum immutabile, licet quidam justificati è statu gratiæ iterum excidant. Qui enim prædestinati sunt, perseverant.* Ib. pag. 510. Resp. Quicunque semel justificati sunt, iis justitia Christi, morte ejus parta, imputatur; atque sic ii fiunt Christi hæreditas, peculium, semen, ídque propterea, quia animam pro iis posuit, adeóque semen isthoc, ceu magnum magnæ operæ suæ pretium, inde retulit. Quicunque enim credunt, Christi sunt, Gal. V. 24. Christum induerunt, Gal. III. 27. & in ipso sunt, 1. Cor. I. 30. Si igitur, qui sic Christi sunt per fidem, & quos sic sibi Christus promeruit, & peculium ac proprietatem suam emit, non perseverare, & perire possunt. Christo peribit sua hæreditas, suum peculium; atque eatenus Sacerdotii sui fructu is defraudabitur. Quomodo, respectu deficientium saltem, implebitur promissio Christo facta Esaj. LIII. 10. *Ubi posuerit animam suam sacrificium pro peccato,* יראה זרע *videbit semen* (nempe, pro quo is animam suam sacrificium posuit) *prolongabit dies suos, & beneplacitum Jehovæ in manu ejus prosperabitur?* Quomodo *semen* suum *videbit* eos, qui iterum à Diabolo rapti, in ejus potestatem postliminio concesserunt, & serpentis semen facti sunt? Atqui morte & merito suo nactus est jus à Deo Patre שאל *postulandi* hæreditatem gentes, & fines terræ. quibus διέθετο *testamento disposuit* Regnum, sicut ipsi Deus Pater Regnum & hæreditatem suam testamento priùs disposuit, Luc. XXII. 29. & quidem tali testamento & consilio, quod ἀμετάθετον *immutabile*, quippe juramento Dei corroboratum, Hebr. VI. 17. & morte Testatoris firmatum est, Hebr. IX. 15. 16. 17.

ARG. IV. Ipse etiam Christus pro filiis, quos Pater ipsi dedit, intercessit, ut unum sint cum Patre & à malo serventur Luc. XXII. 32. Joh. XVII. 11. 15. 22. Et fidelium omnium juge est sacrificium: *Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo*, Matth. VI. 13. Sicut autem Christi intercessio suo carere pondere minimè potest: ita nec fidelium preces irritæ esse possunt, juxta promissionem, quæ Johan. XVI. 23. extat.

Resp. Reding: *Diversimode Christus pro sibi datis intercessit. Aliter pro pereuntibus, quos inter etiam Judas fuit; aliter pro electis. Pro illis non absoluta voluntate, nec efficaciter: pro his & absolutè, & efficaciter, petendo finalis gratiæ pro iis perseverantiam. Nam Christi humanitas in verbo æterno Dei Patris consilia, & Prædestinationis Divinæ judicia perspecta habuit. quibus proin intercessionem suam conformavit. Nostra verò intercessio, quia in nomine Christi fieri debet, ejusdem intercessioni subordinata sit oportet.* Ib. pag. 510. Resp. Cùm Christus, qui in sinu Patris sui fuit, arcana Dei consilia, & æternæ prædestinationis decreta comperta maximè habuerit, pro nemine oravit, & intercessit, nisi pro iis, quorum salutem ab æterno definitam cognovit. Non oravit enim

contra

contra voluntatem Dei sibi cognitam: & oravit, nixus potestate sui meriti, postulando suam hæreditatem, quam Deus Pater ipsi obedienti promisit, & ipse obediens promeruit. Pro quocunque igitur orat, pro eo orat absolutè, & efficaciter, quia Deus Pater semper ipsum exaudit, Joh. XI. 42. Atqui oravit pro S. Petro, ne deficeret ejus fides, Luc. XXII. 31. oravit pro Apostolis, & omnibus in eum credituris, Joh. XVII. 11. 20. *Salvare potest εἰς τὸ παντελὲς in perpetuum eos, qui accedunt per ipsum ad Deum* (qui in ipsum credunt, Joh. VI. 35.) *πάντοτε ζῶν εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν, semper vivens, ut pro iis intercedat,* Heb. VII. 25.

ARG. V. Fideles obsignantur Spiritu adoptionis, qui est arrhabo hæreditatis ipsorum ad diem usque redemptionis Rom. VIII. 15. 16. Ephes. IV. v. 29. 30. 2. Cor. I. 22. Joh. XIV. 16. Hebr. VI. 18. 19. Non igitur deficiunt, multiplici ejus ope sublevati.

RESP. REDING: *Textus illi agunt non de credentibus universis, sed de filiis Dei adoptivis; seu filiis Dei, uti S. Augustinus distinguit, non temporaliter, sed æternaliter talibus.* Ib pag. 510. Resp. Filii Dei, & quidem *æternaliter* tales (nam *temporales* filii non filii Dei, sed abortus Sathanæ sunt) & soli, & omnes credentes sunt. Nam *quotquot* Christum *ἔλαβον acceperunt*, (acceperunt autem per fidem) *iis potestatem Deus dedit, ut Filii Dei fiant,* Joh. I. 12. Et *omnes nos Filii Dei sumus per fidem in Christo Jesu*, Gal. III. 26. In fide Filii Dei vivimus, & non nos, sed vivit in nobis Christus, ib. II. 20. Si igitur credentes filii Dei sunt, participes etiam sunt Spiritus Dei. Per fidem enim fiunt *σύσσωμοι concorpores* & membra Christi capitis. Quisquis autem Christi capitis membrum est, Spiritus etiam Christi particeps est, & eodem, ceu arrhabone hæreditatis suæ obsignatur. Si enim quis Spiritum Christi non habet, Christi non est, Rom. VIII. 9. Omnes igitur credentes & Filii Dei sunt, & in Christo sunt, & Christi Spiritum participant, & eodem obsignantur & unguntur. Unctio autem manet, 1. Joh. II. 27. Et quid expressiùs observationem perpetuam fidelium docet, quàm verba illa Apostoli, 2. Cor. I. 22. *Qui autem stabilit nos vobiscum in Christum, & unxit nos, est Deus. Qui & obsignavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.* Ex quibus verbis liquet, & Deum fideles in Christum inseruisse ac implantasse: & Christo insertos in eodem firmasse, stabilivisse, ut in eo maneamus, non excidamus iterum: & eos unxisse, hoc est, Reges & Sacerdotes cum Christo fecisse: & eos, uti Pastor oves suas solet, notasse, obsignasse, tanquam perpetim eos curaturum & observaturum: & denique dedisse iis Spiritum S. pro arrhabone & pignore, ex quo certi sint suæ hæreditatis, fructus redemptionis, & acquisitionis in peculium. Convenit cum his expressa Dei promissio, Esaj. LIX. 21. *Et ego, hoc fœdus meum cum ipsis, ait Jehova: Spiritus meus, qui est super te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent à te, neque de ore seminis tui, &c.* Non immeritò proin S. Patres Spiritum S. vocant *σφραγῖδα ἀκατάλυτον sigillum indissolubile* fidelium, ideo iis impressum, ut maneat in iis non *πρὸς καιρὸν ad tempus* duntaxat, sed ad diem usque redemptionis.

ARG. VI. In fidelibus manet semen Dei, sic ut peccatum non faciant, nec facere possint 1. Joh. III. v. 9. Quem locum difficilimum esse solutu agnoscit ipse Bellarminus. Semen illud, seu principium internum ob continuationem

Digitized by Google

nuationem fidei & gratiæ appellatur *radix insita*, Matth. XIII. 13. *semen immortale*, 1. Pet. I. 23. *unctio manens*, 1. Joh. II. 27. *Sermo insitus*, Jac. I. 21. *Spiritus inhabitans*, 1. Cor. VI. 16. *fons aquæ salientis ad vitam æternam*, Joh. IV. v. 14. Quæ περιφράσεις immobilitatem & constantiam gratiæ abundè docent.

Resp. Reding: 1. *Probanda est loci ejus expositio, quam S. Augustinus tract. 5. in Epist. Joh. & Hieronymus adv. Pelag. lib. 1. amplectuntur, nempe, quòd is, qui natus est ex Deo, non peccet, neque peccare possit lethaliter, dum perseverat filius Dei, quia semen ejus, id est, charitas, peccatis lethalibus contraria, in ipso manet. Non posse igitur ex Deo genitum peccare & deficere, verum est in sensu composito, non diviso. 2. Reliqui textus gratiæ in fidelibus immobilitatem probant, si videlicet à peccato contrario non expellatur.* Ib. pag. 511. Resp. 1. Insulsa equidem est hæc loci clarissimi explicatio, vel potiùs fœda perversio, quæ causalem particulam in conditionalem mutat. Non dicit enim S. Johannes: *Qui natus est ex Deo, non facit peccatum*, si semen Dei in eo manserit; sed, ὅτι σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει, *quia semen Dei in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo genitus est.* Qui igitur ex Deo natus est, non tantùm qua natus est ex Deo, adeóque in sensu composito, peccatum non facit; sed etiam peccatum non facit, nec peccare (nempe more impiorum, irregenitorum, qui ex Diabolo geniti sunt; & ad mortem) potest, quia habet semen Dei in se manens, & ex Deo genitus est. Semen Dei in eo manens constanter, & nativitas ex Deo, quæ aboleri nequit, conservat, custodit eum, quò minùs peccatum faciat, vel peccare possit. Et contrariatur scopus Apostoli, cui propositum est ostendere, quo criterio veri Christiani à cœteris secernantur. *Ex fructibus cognoscetis eos*, inquit Salvator, Matth. VII. 16. Ita hic ejus discipulus: Qui *ex Diabolo est*, inquit, *dat operam peccato*, securo impetu & pruriente desiderio: Sed *qui natus ex Deo est, peccatum non facit, quia semen ejus in eo manet*; hoc est, quia semper in renato aliquid latet, quod manum injiciat & retrahat, nempe semen ipsius cordi à Spiritu S. injectum. Semen igitur, hoc est indelebilis character, & hæreditatis arrhabo, quo renati ad redemptionem obsignantur. Unde autem vim obtinet contractus nisi ex sigillo; aut fructus effloreſcit, nisi ex semine in radice? Clarum porro est, impossibilitatem illam peccandi eo, quo diximus, sensu, non tenere se ex parte hominis, sed ex parte seminis, fidelem à tali lapsu præservantis; nec non ex parte genituræ spiritualis, quæ causa est istius perseverantiæ, & quæ apostasiam excludit. Ut sic & non posse peccare, & ex Deo nasci, ac semen manens habere, se ad invicem habeant ceu causa ad effectum. Juxta tuam verò expositionem propositio Apostoli planè foret identica; perinde ac si diceret: *Qui ceu natus ex Deo non peccat, non peccat.* Frustra verò inficetæ expositionis hujus authorem Augustinum facis, cui ne vel κατ' ὄναρ in mentem venit. Nam *tract. 5. in Joh.* illud, *non potest peccare*, paulò quidem angustiùs explicat de violatione fraternæ charitatis, neque ullo apice meminit ejus, quod ei ex Bellarmino impingitis, quòd videlicet *natus ex Deo non peccet, dum perseverat filius Dei.* Neque etiam semen regenitorum de *charitate*, sed de *verbo*, Evangelii scilicet, quo Spiritus S. nos regenerat, interpretatur. Hieronymi verò expositionem minùs textui consentaneam, eadem libertate rejicimus, qua tu, Bellarminum secutus, Ambrosii & Bernhardi interpretamenta sequiora rejecisti. 2. Semen porro illud, quod in regenitis manere Apostolus dixit, appellari *radicem insitam, semen immortale, unctionem manentem, sermonem insitum, Spiritum inhabitantem, fontem aquæ salientis ad vitam æternam*, ea scilicet lege, *si à contrario*

peccato non expellatur, iterum fàlſiſſimè aſſeris. Nam ſi generatio ex Deo, quàm primum facta eſt, potentiam elata ſcilicet manu, & *invcius voluntariè* peccandi excludit, & quidem ob ſemen generationis illius non periens, ſed manens, inſitum, immortale, inhabitans, (uti προφοραὶ à me allatæ indicant) quomodo peccatum contrarium vel habere locum, vel ſemen regenerationis expellere poteſt?

ARG. VII. Sed & alia expreſſa Scripturæ teſtimonia, veluti Pſal. I. 3. XXXVII. 23. 24. CXXV. 2. 4. Joh. X. 28. Rom. VIII. 29. eandem diſertiſſimis verbis arguunt.

RESP. REDING: *Non ſtringunt hi textus. Etenim* 1. *Pſal. I. 3. non quilibet juſtificatus, ſed cujus beneplacitum eſt in lege Dei &c. dicitur arbor ad rivos aquarum plantata.* 2. *Pſal. XXXVII. 23. 24. agitur de homine juſto, qui quamdiu talis eſt, non labitur. Poteſt tamen à juſtitia ſua ſe avertere, Ezech. XVIII. 24. &c.* 3. *Joh. X. 28. agitur de prædeſtinatis, non juſtificatis quibusvis.* 4. *Rom. VIII. 29. itidem ſermo eſt de prædeſtinatis.* Ibid. pag. 511. 512. Reſp. Quàm felix tua ſit textuum iſtorum ἐγχείρησις, videamus. 1. Pſal. I. 3. *is, qui non ambulat in conſilio impiorum, & non ſtat in via peccatorum, nec ſedet in cathedra deriſorum, ſed cujus voluntas in lege Domini eſt*, comparatur cum arbore plantata ſecus rivos aquarum, *quæ fructum ſuum ſuo fert tempore, cujus folium non decidit, & cui omnia proſperè cedunt.* Omnes porro fideles, juſtificati & ſanctificati ſemel tales ſunt. Per fidem enim & juſtitiam Chriſti, qua ſunt in Chriſto, ex conſilio impiorum, via peccatorum, erepti liberatique, lege Domini impensè delectantur. Hoc enim in iis fides, hoc juſtitia Chriſti, hoc Chriſtus ipſe, per fidem in cordibus eorum habitans efficit. Bellarminus ipſe *Comm. ad h. l.* cauſam cedit his verbis: *Juſti fundati & radicati in charitate* (tales ſunt juſtificati omnes) *propinqui ſunt per amicitiam fonti vivo, unde humorem gratiæ SEMPER trahunt, & opera bona tempore opportuno faciunt.* 2. Pſal. XXXVII. 23. 24. *A Jehova*, inquit David, *greſſus hominis confirmantur, & via ejus delectatur. Si cadat, non proſternetur, quia Jehova manum ejus tenet.* Tria Hieropſaltes innuit, *primò*, Sanctitatem & pietatem hominis non eſſe à nobis, ſed, quòd in vera via certa ponimus veſtigia, neque lapſamus, illud omne à Deo eſſe: *Secundò*, Deum propter propoſitum gratiæ in Chriſto velle iter piorum adjuvare: *Tertiò*, ſi contingat quandoque eos vehementiùs tentari, ut lapſu gravi præoccupentur, fore ut non collabantur penitus, ſed à Deo teneantur, & ex lapſu ſuo erigantur, Deo eum confirmante, dirigente & conſervante. Quàm igitur futilis tua exceptio eſt: *Agitur de homine juſto, qui quandiu talis, non cadit.* Imò clariſſimum eſt, agi de homine juſto, aliquando in graves tentationes, gravia peccata labente, non tamen ob Dei confirmationem & directionem collabente; ſic ut peccata etiam graviſſima perſeverantiæ juſtorum in gratia Dei non obſiſtant. Quomodo etiam Pſal. CXXV. 2. 4. idem confidentes Jehovæ comparat *monti Sion*, (non terreſtri, pereunti, ſed Cœleſti) *qui non commovetur.* Nemo autem confidit Jehovæ, niſi qui credit in Chriſtum & juſtificatur. Joh. X. 28. de ovibus ſuis Chriſtus ſic loquitur: *Ego do iis vitam æternam, & non peribunt in ſeculum, & non rapiet quis eas ex manu mea.* Occurris: *agi de prædeſtinatis.* Ita eſt. Atqui ſine æterna electione nemo ovis Chriſti eſt; neque adeò dantur duo genera ovium Chriſti, prædeſtinatarum & non prædeſtinatarum. Neque etiam oves quædam Chriſti degenerare poſſunt in hœdos. Sed cujusmodi oves intellexerit Chriſtus, ipſemet v. 27. explicavit his verbis: *Oves meæ vocem*

Digitized by Google

meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Quotquot autem in Christum credunt,& justitiæ ejusdem participes fiunt,vocem Christi Pastoris sui audiunt,eúmque sequuntur. Oves porro non prædestinatæ súntne in manibus Christi, nec ne? Si sunt, quis Christo potentior est, qui eas è manibus ejus rapiat? An peccata? At Christus salvat à peccatis,& tam potens est ad protegendas oves adversus hostes internos,cujusmodi peccata sunt,quàm externos,Sathanam,mundum. Si non sunt,nihil ad Christum faciunt,neque Christi sunt,quia vocem ejus non audiunt,adeóque nec credunt,nec justi sunt. 4. De loco Rom.VIII 29.30.supra fusiùs actum.

ARG. VIII. Quin & ecclesiæ veteris constans sententia fuit, semen fidei in electis nunquam omnino tolli,uti ostendit doctissimus Vossius in Hist. Pelag. lib.VII. Cúmque eandem in rem Patrum plurima testimonia allegâsset Gratianus, *de Pœn.d.2.cap* 12.concludit tandem: *Ex præmissis apparet,quòd charitas semel habita ulterius non amittitur.*

RESP. REDINC: 1. *Vossius nihil probat. Gratianus verò ex testimoniis Patrum non aliud evincit, quàm quòd is,qui charitatem habet, non possit in sensu composito, sive, ut Glossa loquitur, conjunctim; non verò in sensu diviso Criminaliter peccare; siquidem peccatum lethale cum charitate stare nequit. Ipse verò decreti illius compilator ex falso Patrum intellectu ad falsam illationem processit.* 2. *Ipsi Apostoli charitatem amitti posse, docent Hebr.X.22—29. 2.Pet.I.22. Apoc.II.4. Quibus concinere Augustinum, supra vidimus.* Ib. pag.512. Resp.I. Vossium fusè argumentum isthoc prosequentem si legisses, sentires aliter. Gratianum ex testimoniis Patrum id,quod contendo, elicuisse,negare non audes. Nimis enim aperta sunt,quæ supra posui, verba. Patrum verò eam fuisse,quam ponis,mentem, somnium tuum,non res est. Saltem id probandum tibi ex testimoniis à Gratiano compilatis incubuerat. Non posse eos,qui charitatem habent, seu in gratia sunt, criminaliter peccare, adeóque *in sensu composito*, uti tu loqueris,si per *criminaliter peccare*, intelligis peccata, quæ natura sua crimina sunt,falsum est. Vel sola Lothi, Davidis exempla loquuntur. 2. De S.Apostolorum doctrina jam satis vidimus. Locum 2.Pet.I.22. infra vindicamus. Hebr.X.26--29. agitur de *ἑκουσίως ἁμαρτανόντων voluntariè peccantibus.* quos fideles, justitiæ Christi revera quidem participes unquam fuisse, negamus. Sanguinem Testamenti profanum duxisse dicuntur,sed in quo non ipsi, sed Christus testamenti author,*ἡγιάσθη, sanctificatus est*,uti supra vidimus. Et qui Apoc.II. 4. *πρώτην ἀγάπην ἀφῆκαν primam charitatem reliquerunt*, non omnem utique charitatem,sed *primam* duntaxat, hoc est, eum charitatis gradum, quem Apostoli & primi Martyres,*ζέοντες τῷ πνεύματι spiritu ferventes* habuerunt, reliquerunt. Habet enim sicut fides,ita etiam charitas gradus, incrementa, decrementa, imò quandoque eclipses & deliquia. Hiemem suam pati potest,in quo fructus & folia non efflorescunt: imò & apoplexiam; ita tamen ut læto vere,& post paroxysmum reviviscat,non nova vitæ,quæ defuit, infusione,sed vitæ ejus,quæ inerat,diffusione. S. Augustini mentem supra quoque expendimus, & secum in speciem pugnantem conciliavimus. Paucis multa *de Doctr.Christ. cap.32.* dixit: *Non enim revera Domini corpus est,quod cum ipso non erit in æternum.* Quisquis autem credit, & per veram fidem semel justitiæ Christi consors est,in corpus Christi transiit,quia fides Christo unit. Tertullianus *de Præscript. adv. hær. cap.3.* *Nemo,* inquit, *Sapiens est, nisi fidelis; nemo major, nisi Christianus, nemo autem Christianus, nisi qui ad*

finem usque perseveraverit. Et mox: *Avolent, quantum volent, paleæ levis fidei quæcunque afflatu tentationum, eò purior massa frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab ipso Domino quidam discentium scandalizati diverterunt? Nec tamen cæteri quoque discedendum à vestigiis putaverunt: sed qui sciverunt* (verè crediderunt) *illum esse vitæ verbum, & à Deo venisse, perseveraverunt.* Et Cyprianus *Epist.55. ad Cornelium*, in edit. Rigaltii: *Significans & ostendens, eos, qui à Christo recesserint, culpa sua perire: Ecclesiam tamen, quæ in Christum credat, & quæ semel id quod cognoverit, teneat, nunquam ab eo omnino discedere: & eos esse Ecclesiam, qui in domo Dei permanent: plantationem verò plantatam à Deo Patre non esse, quos videmus non frumenti stabilitate solidari, sed tanquam paleas dissipantis inimici spiritu ventilari. de quibus & Johannes in Epistola sua dicit: Ex nobis exiverunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Item Paulus monet nos, cùm mali de Ecclesia pereunt, non moveri, nec recedentibus perfidis fidem minui.*

ARG. IX. Denique Concilii hæc sententia syrma absurditatum post se trahit. Suspendit enim Dei decreta & dona ἀμεταμέλητα ab incertissimo hominis arbitrio; catenam mediorum, quam Deus, Rom. VIII. v. 29. 30. in solatium fidelium contexuit inviolabilem, disrumpit; tollit distinctionem inter reprobos & electos, dum promiscuè hos vel illos admittit pro libitu ad salvandorum conditionem, vel excludit; numerum electorum ambiguum reddit vel ipsi Deo; certitudinem salutis afflictis conscientiis prorsus eripit; Evangelii doctrinam & fiduciam in lubricas quasdam conjecturas & titubantes theorias convertit, adducitque miserè fluctuantes à fidei in Christo anchora ad naufragas seducentium & seductorum Syrtes; denique suspicionem injicit, possibile esse, ut nulli omnino sint electi. Si enim unus excidet, quare non alter? Et eadem ratione cur non omnes?

RESP. REDING: 1. *Dona, quæ Prædestinationi Divinæ in se omnino certissimæ propria sunt, cum iis prædestinationis ejusdem donis, quæ ex creato libero arbitrio procedunt, confundis. Vocatio efficax ad fidem, ipsáque justificatio per regenerationem hominis ratione nec dum utentis contingens, electionis donum est, quod ab incerto hominis arbitrio non suspenditur. Alia Divina electorum dona ita ex causalitate Divinæ prædestinationis secundum se certissima fluunt, ut hominis cooperationem liberam supponant, vel involvant. cujusmodi sunt justificatio & glorificatio hominis adulti, nec non opera supernaturalia fidei, spei & charitatis. In his iterum duplex respectus est, alius quem habent ad Prædestinationis Divinæ causalitatem: alius, quem habent ad arbitrii cooperationem. Priori respectu dona isthæc certissima sunt: posteriori incerta, superanda tamen per Divinæ prædestinationis efficaciam. Proin illa mediorum salutis, Rom VIII. 29. 30. catena respectu Divinæ prædestinationis certissima; respectu cooperationis nostræ contingens, incertos nos relinquit gratiæ; sic tamen ut vincat prædestinatio, & fideles ejusmodi solatium ac fiduciam habeant, ut in se ipsos reflexi hæsitare, & sub manu Dei se humiliare debeant.* 2. *Manet igitur etiam distinctio electorum & reproborum, quorum illi donum perseverantiæ accipiunt, hi non item: & quoad sufficientiam gratiæ utrique ad electorum conditionem admittuntur,*

mittuntur, sed quoad efficaciam ejusdem conditione ipsa soli electi potiuntur. 3. *Doctrina quoque hæc conscientiis afflictis adimit præsumptionem, non perfectam in voluntatem Divinam, & absolutum ejus dominium resignationem.* 4. *Neque Evangelii doctrinam in lubricas conjecturas convertimus, sed ex parte Divinæ prædestinationis sic certam esse salutem statuimus, ut absolutam tamen ejus certitudinem non habeamus, & nonnisi per conjecturas, umbratica quadam certitudine, gloriam æternam nobis spondeamus.* 5. *Neque possunt ideo electi non salvari, quia electionem nulla arbitrii defectibilitate superari posse statuimus.* Ib. pag. 512. 513. Resp. 1. Distinctionum tuarum inane chaos nil absurditatum syrmati vobis objecto medetur. Illa enim cooperatio arbitrii vel intelligitur respectu initii conversionis, & donationis ipsius fidei, pœnitentiæ, spei, charitatis; vel respectu exercitii & progressus donorum illorum. Priori sensu nullam esse cooperationem arbitrii, supra ostendimus. Posteriori sensu sic cooperatur arbitrium, ut tamen dona isthæc semel collata per arbitrii cooperationem sese exerentia & exercentia, constanter maneant, nec ob incertitudinem arbitrii perire possint. Quos enim Christus semel diligit, eos diligit *εἰς τέλος usque ad finem*, Joh. XIII. 1. Et dona ac vocatio Dei sunt *ἀμεταμέλητα* pœnitudinis omnis expertia, Rom. XI. 29. Per veram fidem fimus Christi participes. Neque aliter Christi participes reddimur, quàm *fiduciam & gloriationem spei usque ad finem firmam retinentes*, seu *in fide fundati stabilésque permanentes*, Col. I. 21. 22. 23. Hebr. III. 6. Qui igitur non perseverant, in confessione & fiducia, nunquam illi Christi participes facti sunt; adeóque nunquam in Christum verè crediderunt, nunquam vera fide Christum, ejúsque justitiam participârunt, nunquam justificati sunt. Sive igitur ad prædestinationem æternam; sive ad cooperationem arbitrii in regenitis jam respicias, utriusque respectu dona, vocatio inprimis & justificatio; in aurea Apostoli catena cum prædestinatione æquè ac glorificatione connexa, manent, & perseverantia non contingens, sed certa & infallibilis est; ut verè fidelibus de salute sua hæsitandum non sit. Contra planè res apud vos habet. Si enim verè fideles & justificati (donum autem fidei & justificationis ab electione pendet) non perseverare & perire, adeóque non glorificari possunt; ob contingentem scilicet arbitrii cooperationem, nec dona fidei & justitiæ constantia sunt; nec ipsum æternum Dei decretum immutabile erit, stabítque; & disrumpetur catena aurea mediorum, quam Deus in suorum solamen inviolabilem contexuit. 2. Quin & eadem ratione peribit electorum & reproborum discrimen, quod ex consequentibus vel non consequentibus, vocatione & justificatione cognoscitur. Quomodo enim electi à reprobis discernentur, si utrisque vocatio & justificatio communis est, & ad salvandorum conditionem utrique admittantur? Quam tamen à prædestinatione sola Apostolus arcessit, adeóque electis eximiam facit. Cum donis autem vocationis & justificationis perseverantiæ donum conjunctissimum esse, sæpe probavimus, & Apostolus, justificatos glorificari asserens, dubitare non sinit. Vanum igitur est sufficientis & efficacis gratiæ auxilium, quod ingeris. Si enim vocati & justificati glorificantur, soli illi & sufficiens & efficax gratiæ auxilium obtinent. 3. Neque ulla conscientiis afflictis consolatio affulget à voluntatis suæ in Divinam resignatione, sine certa spe perseverantiæ. Qualis enim ab absoluto Dei dominio, cui etiam Diaboli & damnati subjacent, sine fiducia gratiæ perseverantis, & certitudine salutis, afflictis & à Sathana tentatis & cribratis consolatio oboriri potest? 4. Nec ex parte Divinæ prædestinationis certam electorum salutem facitis, quia vocatos & justificatos semel perire, adeóque non glorificari posse pertenditis: & ex parte hominis credentis & justificati, non

 aliam

Digitized by Google

aliam ei, quàm conjecturalem & *umbraticam certitudinem* (ita non sine horrore loqueris) indulgetis. Annon igitur, vel te ipso judice, verè dixi, vos doctrinam Evangelii in *lubricas conjecturas* & *titubantes theorias* convertere? Minus enim est *umbratica certitudo*, quàm lubrica conjectura & titubans theoria. Umbra nihil est. 5. Denique si electio à nonnulla arbitrii defectibilitate superari potest, salva res est. Justificati enim omnes electi sunt. Non possunt igitur eò usque deficere, quin *ἡ ἐκλογὴ ἐπιτυγχάνει, electio, seu electi assequuntur*, Rom. XI 7.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Deus ipse Ezechiel XVIII.24. inquit:* Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecit, non commemorabuntur. *Ergo justus potest se avertere à sua justitia. Aliâs inanis foret interminatio.* Resp. 1. Justus potest se avertere à justitia sua seu sanctitate inhærente, & in atrocia peccata incidere, sic ut in interstitio illo inter contractam labem & pœnitentiæ actum renovatum possit amittere aptitudinem suam ad Regnum Cœlorum, & eam ob causam puniri morte temporaria, sicut contigit Josiæ, Regem Ægypti in Megiddo contra voluntatem Domini aggredienti. Inde tamen non sequitur, illum justitiam Christi, sive fidei penitus excussisse. Ita leprosus apud Judæos cogebatur pro tempore domo carere; non tamen jus ad domum amisit, quia sanatus istam rursus possidere potuit. Itaque justitia non *imputatam* Christi, sed *inhærentem*; mors non *æternam* sed *temporalem* notare potest. 2. Potest etiam *justitia* notare *justitiam* legis seu operum, quam crepabant Judæi, & cujus indolem describit Deus; non *fidei*. Fatemur autem justitiæ legalis seu operum in fœdere operum eam conditionem fuisse, ut amitti potuerit. Sic cum Judæis tanquam justitiariis ex ipsorum hypothesi Deus ageret.

EXCIP. REDINO: 1. *Cùm justitiam inhærentem cum imputata indivulso nexu cohærere, supra statueris, non potest igitur justitia inhærens amitti, non amissa imputata. At inhærentem amitti posse, hic fateris. 2. Si anima per peccatum ita se à justitia avertere potest, ut in peccato moriatur, aptitudinem ad Regnum Cælorum amittat, privari igitur justus per ejusmodi mortem animæ, & ineptitudinem Regni Cælorum vita supernaturali, adeòque justificatione sua potest.* Ib. pag. 513. 514. Resp. Vellicas & detorques, non disputas viriliter, nec nervum responsionis meæ tangis. Etenim 1. Amitti penitus justitiam inhærentem, quoad radicem & habitum, nuspiam dixi. Aliud est, se ad tempus avertere à justitia; atque sic in grande peccatum præcipitem ruere; uti se Lothus, David, Petrus averterunt: aliud semen, habitum, radicem justitiæ excutere. Priore sensu justificatos se à justitia avertere posse, concessi; posteriori non item. 2. Animam sic se avertentem in peccato mori posse, ubi dixi? Calumnia hæc tua est. De *temporali morte* apertè, non de *morte animæ* & *peccati*, quæ spiritualis est, loquor. Et *aptitudinem ad Regnum Cælorum amitti* cum Dordracenis Theologis dico non perpetim, sed in interstitio

Digitized by Google

terstitio inter contractam labem & pœnitentiæ actum renovatum ; neque respectu gratiæ & justitiæ Christi, quæ manet, sed respectu se avertentis à justitia ad tempus. Detorsiones hæ tuæ desperatæ causæ tuæ indicium præbent.

OBIECT. II. *Matth. XIII. 20. 21. qui ad tempus credebant, erant veri fideles. At iidem à fide defecerunt.* Resp. Πρόσκαιροι illi esse potuerunt verè fideles, nempe fide *historica* vel *temporali* præditi. Non erant tamen verè fideles, hoc est, fide *salvifica* & *radicata*, quæ ab altera illa spetie differt, præditi. Ostendunt hoc oppositi effectus, qui ex eadem natura specifica non solent profluere. Etenim Sancti in ipsa parabola v. 21, 23. à προσκαίροις illis distinguuntur.

EXCIP. REDINO: *Qui cum gaudio verbum Dei recipit, fide salvifica & supernaturali præditus est, sive ad tempus duntaxat credat, sive perseveret. Nam ad credendum movetur ex ipsa prima veritate revelante. Tales autem sunt fideles, quos parabola describit.* Ib. pag 514. Resp. Non fuisse salvificam vertumnorum illorum fidem, rationibus probavi, ad quas nihil respondes. Gaudium porro illud, cum quo verbum Dei πρόσκαιροι illi exceperunt, non solidum, nec spirituale, sed repentinum, radice sua carens, & carnale fuit. *Cùm intrant Ecclesiam* (ita Thomas Aquinas in catena ex Cyrillo) *latanter attentant Divina mysteria, sed levi voluntate.* Et Glossa ordinaria: *Gratanter suscipiunt. sed superficie tenus, non interiori corde.* Ludovicus Grunatensis *Conc. 1. Seipsos, velut ultimum finem* statuerunt. Deum verò, cœteráque omnia ad seipsos, ceu ultimum finem referunt. Et *Conc. 2. Magis in amore Dei, quàm sui radices egerunt.* Jucunditas enim ex auditione verbi repentina, atque cum ea curiositas, zelus, gloriatio, phantasia à carne & à concupiscentia, non ab amore Dei sunt. Statim lœtari, audito verbo, tum malum signum est, quia verbum Dei, si rectè percipiatur, in homine primò displicentiam sui, angores, cor contritum & fractum spiritum, famem & sitim justitiæ, luctum, Christo, Matth. V. 2. 3. &c. teste, operatur: tum indicium arrogantiæ, quasi jam statim omnia perdidiceris, cùm plurima investigatione opus sit, & via pietatis ad dextram & sinistram multas tentationes & insidias Sathanæ quæsitissimas comites habeat. Non aliud igitur temporalis illa fides fuit, quàm convictio de veritate Scripturæ, & prima, uti tu loqueris, veritate revelànte, qualis etiam in Diabolo & damnatis obtinet; nec non nominis Christi & quarundam veritatum copulatio cum concupiscentia & opinionibus propriis, ad gloriandum coram Deo & hominibus. quæ hypocrisis est latens ipsosmet, qui illam habent. Tantum abest, ut fides justificans & salvifica fuerit.

OBIECT. III. *Paulus Hebr. VI. 4. 5. docet, eos qui participes facti sunt Spiritus S. gustaverunt donum illud cœleste, & virtutes futuri Seculi, prolabi posse. Ergo fideles deficere possunt.* Resp. Aliud est gustare gratiam & virtutes futuri Seculi, aliud radicatas habere in penetrali cordis: aliud gustare, aliud in succum & sanguinem convertere: aliud affici quocunque modo, aliud perfici & obsignari in vitam æternam. Ita distinguit ipse Gratianus *ad cap. 44. dist. 2. de pœnit.* Prius cadere potest in reprobos & προσκαίρους, posterius non item, tum quia verè sanctos peccare posse in Spiritum S. negat

negat Johannes 1 Joh.III.10. & v.18. tum quia ipse Paulus innuit v. 9. se à verè fidelibus & sanctis tale quid non expectare.

EXCIP. REDING: 1. *Apostolus de fide & supernaturali & Theologica, non igitur historica duntaxat, loquitur. Nam & donum Cœleste vocat, & per eam gustari Dei verbum, participarique Spiritum, qui charitatem in corda nostra diffundere & ad vitam æternam obsignare solet, asserit. 2. Idem Apostolus v.9. scribit, se meliora & viciniora saluti sperare de Hebræis, quàm de iis, quos prolapsos ante scripsit. Supponit ergo, eos etiam posse esse inter eos, qui à dono cœlesti & Spiritu S. prolapsi sunt, licet meliora speret. 3. Gratianum falsò citas. Clarè enim scribit, posse fieri, ut qui à charitate non alienus est, in ea radicem non figat.* Ib. pag. 514. 515. *Resp.* 1. Fidem Historicam Theologicæ & supernaturali malè opponis. Nam & illa talis est, quia vera esse, quæ Scriptura de Christo ejúsque justitia habet, etiam irregenitis non caro & sanguis, sed Spiritus Christi, illuminans omnem hominem, qui venit in mundum, & illuminatur, revelat. Sed non quævis illuminatio fidem, quæ salvifica & justificans est, parit; verùm illa demum, quæ renovationem cordis & amorem veritatis generat. Quo sensu prolapsi illi sine salvifica fide donum cœleste, bonum Dei verbum, virtutes futuri Seculi gustaverint, Spiritus S. participes facti sint, ostendi, nec tu refellere potes. Insuper Spiritus S. diversos effectus turpiter confundis. Neque enim ubicunque est, charitatem diffundit, vel obsignat ad vitam æternam, sed apud solos electos. Quomodo enim prolapsi ad vitam æternam obsignati sunt? Næ rerum sacrarum nimiùm es imperitus. Potest Spiritus Dei cum mundo disceptare, Genes. VI.2. mundum reprehendere ob peccatum, justitiam & judicium, Joh. XVI. 8. efficere etiam apud reprobos, ut Christum vocent Dominum, 1. Cor. XII.3. donis suis instruere ad ministerium Ecclesiæ, convincere de veritate verbi Divini, atque sic φωτίζειν *illuminare*, sine effectibus illis, quos exerit in regenitis, in quorum cordibus amorem Dei; quibus datur ut arrhabo & paracletus; in quibus efficit gratiam & precationes, Zach. XII. 11. qui baptizantur in unum corpus uno Spiritu, 1. Cor. XII. 13. quibus denique solis dat πίστιν *fidem*, ib. v. 5. non illam generalem duntaxat, quam vos profitemini, nempe Christum passum, mortuum ac sepultum esse, qualem etiam Diabolus cum omnibus reprobis habet; sed specialem, qua fideles promissiones gratiæ suas maximè faciunt. 2. De Hebræis fidelibus Apostolus v. 9. subjicit: πεπείσμεθα περὶ ὑμῶν, *Persuasi sumus de vobis, dilecti* κρείττονα καὶ ἐχόμενα σωτηρίας, *meliora & conjuncta saluti.* En talia habent Sancti, qualia non habent παραπεσόντες *prolapsi*; quæ meliora sunt, & cum salute cohærent. Non igitur, quæ de prolapsis affirmavit, meliora erant, non per se cum salute cohærebant. Qualiscunque eorum fides fuit, non fuit salvifica. Neque Hebræi illi dilecti & sancti æquè ac cœteri, prolabi potuerunt, quia non simpliciter Spiritus S. & aliorum donorum participes fuerunt, sed habuerunt & meliora, & cum salute connexa, qualia sunt fides, ad quam refertur ἔργον *opus*, & κόπος ἀγάπης *labor charitatis*, v. 10. Hæc iis Apostolus tribuit non incerta spe, uti tu pessimè innuis, sed πεπεισμένος *plenè persuasus*; saltem plena fide persuasus, eos, qui meliora illa & connexa saluti habent, prolabi non posse. Si enim prolabi adhuc possent, quomodo meliora illa essent ἐχόμενα σωτηρίας *connexa cum salute*, eique cohærentia. Non cohæret cum salute, quod ab eadem divelli potest. Nihilominus periculum illorum, qui ab agnita veritate deficiunt, non abs re Hebræis fidelibus Apostolus proposuit, tum quia commemoratio periculi τῶν ἀστηρίκτων *non confirmatorum* & apostatarum facit excutiendam fiduciam nostri, ad timorem

Digitized by Google

timorem Dei & horrorem peccati: tum ut eò magis redament Deum, qui ipsos dilexit,& assumpsit ab initio salvationem, quæ est in sanctificatione Spiritus & fide veritatis,2.Thess.II.13. tum denique, ut *idem semper studium ad plenitudinem spei usque in finem præstent*; uti v.11.subjicitur. 3. De Gratiano non ero multùm solicitus. Disertè tamen is *Dist.2. de pæn. cap.44.* inter *manducare* & *gustare* distinguit his verbis: *Aliud est bibere vel manducare, atque aliud degustare. Unde in Evangelio de Christo legitur: Et cùm gustasset, noluit bibere. Bibit ergo aquam vivam & manducat panem, qui de Cœlo descendit, qui in charitate radicem figit: degustat, qui ea aliquatenus communicat, à qua postea derelinquendo recedit. De quibus Apostolus dicit: Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, & gustaverint donum cœleste, &c.* Ad hæc ego digitum intenderam. Et tu hæc prorsus negligis.

OBIECT. IV. *Qui per agnitionem Christi effugerunt inquinamenta mundi, iis denuo implicari possunt, 2. Petr. II. 18-22. Ergo verè fideles possunt deficere.* Resp. Negari sequelam, quia πάθη illa seu effecta, prout à Petro enuntiantur, non sunt salvificæ fidei propria, sed communia temporariæ. Totum enim illud caput agit de temporariis, seu,uti textus loquitur v.14. ψυχὰς ἀστηρίκτους *animabus instabilibus.* Tribuitur equidem illis agnitio Domini & Servatoris Jesu Christi, hoc est, notitia doctrinæ Christi & viæ salutis v.20.21. non ea,à qua pendet vita æterna,& quæ est agnitio veritatis secundum pietatem,adeóque electorum propria Tit.I.v.1.

Excip. Reding: *Ea veritatis cognitio, quæ conformis est sancto mandato, & per quam effugiuntur pollutiones mundi, & quæ conducit ad peccatorum ablutionem, utique est agnitio veritatis secundum pietatem. At talem esse cognitionem illam Christi, ex v.20.21. 22. liquet.* Ib. pag.515. Resp. Etiam agnitio illa veritatis,quæ in damnatos & Diabolum cadit,conformis est Sancto mandato, quia ejus veritate convicti, non possunt non verba ejus approbare. Sed aliud est agnoscere veritatem & justitiam juxta sanctum mandatum, aliud viam veritatis & justitiæ sancto mandato præceptæ ingredi. Non nosse, sed facere sanctum mandatum, verè fidelis & justificati est. Sic etiam fatui aut *leves* dicuntur *non aberraturi*,cum *via sanctitatis fuerit patefacta*, Esaj XXXV.8. Est quædam cognitio superficiaria, quæ est absque συνέσει *intelligentia*,Matth XIII.23. & absque fructu.2.Pet.I.8. inflans, non ædificans. 1.Cor.VIII.1. Alia longè ratio est cognitionis salutaris,per quam Deum dare omnia, idem S Petrus 1.Epist.I.5. dicit. Cognitioni porro illi tribuitur fuga τῶν μιασμάτων τοῦ κόσμου *fuga inquinamentorum* seu *pollutionum mundi*, quia sic cognoscentes Jesum Christum Dominum & Salvatorem, inquinamenta mundi, hoc est, falsas doctrinas, & peccata crassiora, velut idololatriam, & impuritates, quibus gentes Deum non cognoscentes dediti erant, relinquunt. Neque eccirco fideles & verè justificati sunt, quia etiam in hypocritas,qui nunquam verè fideles fuerant, talia,imò majora cadunt. de quibus Apostolus dicit, illos μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας *speciem pietatis* habere, & ejus δύναμιν *virtutem abnegare*, 2.Tim.III.5. Denique agnitio illa Christi ad ablutionem peccatorum conducit equidem,at non sufficit. Neque enim Apostolus sic agnoscentium Christum peccata abluta esse testatur; sed eos cum *sue loto* comparat, non quòd ceu verè fideles peccatorum remissionem consecuti sint (nam sus

Digitized by Google

etiam lota sus est) sed quòd externam speciem mutaverint. Et quomodo qui cum canibus & porcis comparantur, unquam veri fideles, justitiæ Christi participes fuerunt? Leves paleæ fuerunt, non fidem, quam nunquam habuerunt, sed nomen duntaxat & societatem fidelium perdere potuerunt.

OBIECT. V. *David, Salomon, Petrus, Hymenaus & Philetus, Demas fuerunt verè fideles. At iidem illi à justitia fidei defecerunt*, 2.Sam.XI.XII. 1.Reg.XI.1.2. 1.Tim.I.18.19.20. 2.Tim.IV.10. Resp. 1. David, Salomon, Petrus aberrârunt à *Domini pascuis*, sed non à *pastoris protectione* recesserunt; pro tempore à fidei & virtutis *tramite*, sed non penitus à *scopo* defecerunt; in naufragio retinuerunt tabulam, in hyeme semen. Non simul cum actu periit habitus, nec cum affectu seducto redeundi propositum. 2. David etiam post lapsum rogavit Deum, Psal.LI.17. *Ne aufer à me Spiritum Sanctum.* Non igitur eum amisit, quia prorsus amissa adimi non possunt. Nec de Salomone dubitare patitur locus 2 Sam.VII.15. In Petro res est clarissima, utpote pro quo Christus oravit, ne fides ejus deficeret, qui tamen inde assecutus non est, ut eum non abnegaret. Unde liquet, actum negationis habitum non statim extinguere. 3. Hymenæus, Philetus, Demas verè fideles non fuerunt. Nam cùm verè fideles simul etiam sint electi, illi tamen electi non fuerunt, 2.Tim.II.17. &c. Fecerunt equidem naufragium fidei, nempe quam professi erant eousque, & aliis tradiderant. Etiam bonam conscientiam excusserunt, hoc est, studium bonæ conscientiæ, quod ante profitebantur, vitam suam utcunque doctrinæ conformantes.

EXCIP. REDING: *Horrendas tenebras tam diversa in unum chaos commiscendo, simplicioribus offundis. Etenim 1. quomodo à pascuis David, Solomon &c. non à Pastoris protectione recesserunt? An Pastoris protectio intrinsecum quid fuit? At justificationem in forma extrinseca, justitia imputata collocas. An igitur Petro Christum abneganti firmata fuit Christi justitia? Quomodo igitur Christus Matth.X.33. neganti se coram hominibus minatur, se eundem negaturum coram Patre? Quomodo Augustinus Petrum, abnegantem Christum, mortuum esse affirmat? Et de Davide de Corrept. & grat. cap.9. sic idem enuntiat: Non habebat hunc timorem & tremorem (David) qui dicebat: In abundantia mea non movebor in æternum? 2. Licet Petrus, pro quo Christus oravit, fidei habitum non amiserit, destitutus tamen fuit vita charitatis, & forma justificante. Idem accidit Davidi, qui propterea oravit, ne auferret Deus à se Spiritum; adeòque ejus nunquam amittendi certitudinem non habuit. 3. Hymenæum & Philetum non fuisse verè fideles, unde sibi constat? Atqui electos fuisse, Augustinus lib. de corrept. & gratia cap.7. docet. Et circa fidem naufragari non potuissent, nisi fide bonam conscientiam fundante præditi fuissent.* Ib. pag.515.516. Resp. Ego veros fideles ab hypocritis accuratè distinguens, horrendas tenebras simplicioribus offudi. Tu utrosque confundens imperitissimè, magnam scilicet lucem simplicioribus vestris, iis nempe, quorum, fidem esse ignorantiam jubetis, attulisti! Amo te, doctor illuminatissime; & amarem magis, si disputare ingenuè animum induceres.

Digitized by Google

teres. Nunc verò vellicas pro more, & intricas potiùs quàm extricas quicquam. Quæris enim 1. An Petro abneganti Christum ejusdem justitia firmata fuerit? Abnegatio equidem justitiam Christi non firmat, sed ejus tamen imputatæ manentis licet inconcussæ sensum minuit. Quomodo, instas, sic verum erit illud Christi: *Qui me coram hominibus abnegat, eum coram Patre meo abnegabo?* An igitur Christus Petrum coram Patre suo abnegavit? Annon potiùs pro eo Patrem suum rogavit, non, ut fides ejus amissa restitueretur (ita tuo sensu orandum fuerat) sed ne fides ejus deficeret? Disce igitur, Christum de iis loqui, qui eum abnegant non ex infirmitate sola, sed de iis, qui voluntate Christum abnegantes, honori & gloriæ ejus detrahunt, tum non credendo, nec amando eum; tum amorem & subjectionem ejus non profitendo. Talis abnegator Petrus non fuit, quem *in fidei substantia* perstitisse, ipsemet fateris. Non igitur sic mortuus est, ut fidem penitus amiserit, sed quia fidei fructum non reddidit. Ita semen moritur hieme, licet vita non planè disperdita quoad interiorem seu primum actum. Neque qui in abundandantia sua dicit: *Non movebor*; adeóque eatenus timorem & tremorem non habet, quod de Davide Augustinus dicit, fidei radicem & habitum, sed actum ad tempus perdit. 2. Petro, utpote charitate, quam formam fidei justificantis vocas, fidem, sed mortuam illam, tribuis. Atqui & fidei & amoris erga Christum habitum constanter retinuit. In pudorem te dabunt duo Episcopi Romani, Leo I. & Gregorius M. Ille *Serm. 9. de Pass. Dom.* sic Petrum alloquitur: *Adfuit dextera Domini Jesu Christi, quæ labentem te, priusquam dejicereris, exciperet, & firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti. Vidit in te Dominus fidem non fictam, non (NB.) dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundavit fletus, ubi non defecit affectus, & fons charitatis lavit verba formidinis, nec tardatum est remedium abolitionis, ubi non fuit judicium voluntatis.* Gregorius M. *Moral. in Job. lib XXV.* 11. Petrum non studio, sed infirmitate peccâsse docens, sic loquitur: *Petrus infirmitate peccavit, quando in eo omne robur fidei, quod Domino perhibuit, una vox puellæ concussit, & Deum, quem corde tenuit, voce negavit. Sed quia infirmitatis culpa eò faciliùs tegitur, quò non studio patratur, Petrus motam & (NB.) quasi arescentem jam radicem fidei lachrymis rigando solidavit.* En, Redingi, non S. Petri à fide vel charitate: sed tuam à fide priorum Romanorum Episcoporum insignem apostasiam! Imò tantum abest, ut abnegatione Petri ejusdem perseverantia sublata fuerit, ut potiùs, *quando rogavit* Christus (ita S. Augustinus *de corrept. & grat. cap. 6.* loquitur) *ne fides ejus deficeret, non aliud rogaverit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem.* Si idem Davidi accidit, non igitur perseverantiam amisit. Quin potiùs orans, ne Deus à se Spiritum auferret, testatus est, se nondum Spiritum Dei, adeóque veram fidem, nec justitiam amisisse. Quod nondum ablatum est, adest. Neque oratio supplex ad Deum, ne Spiritum à se auferat, incertitudinem perseverantiæ, sed mediorum, quibus perseverantia obtinetur, necessarium usum arguit. 3. Nam quibus Deus in isto Sathanæ insultu victoriam spondet, illos à mediis neutiquam eximit. 4. Hymenæum, Philetum, Demam electos cùm dicis, & tibi & veritati repugnas. Tibi, quia non semel jam ultro electionis constantiam fassus es. Veritati, quia electi certè glorificantur, nec seduci ad interitum possunt, Matth. XXIV. 24. Rom. VIII. 29. 30. Ad Augustinum audacter provocas. Ille enim *de Corrept. & gratia cap.* 17. non duo electorum, perseverantium scilicet, & non perseverantium; genera, sed vocatos & electos sic distinguit, ut neget, quosvis vocatos electos esse. *Quicunque electi*, inquit, *sine dubio etiam vocati, non autem quicunque voca-*

ti,consequenter electi. Illi ergo electi,qui secundum propositum vocati,qui etiam prædestinati atque præsciti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus. Sed nemo eorum perit,quia nulla re vincitur Deus. Subjicit quidem, electorum quorundam fidem *deficere.* Sed addit, *reparari, antequam vita ista finiatur.* Si in horum numero Hymenæus,Philetus,Demas fuerunt,verè igitur fideles & justi fuerunt,& perseverarunt,deficiente licet ad tempus,quoad actum secundum, fide, adeóque nihil exempla probant. Si non fuerunt,nihil Augustini verba probant. Fallis igitur,& falleris undique. Sed veram tamen fidem nunquam Ecoboli illi,Hymenæus,Philetus,Demas habuerunt; sed tum *bonam conscientiam repulerunt,*cogitationem suam avertentes à vero scopo præcepti,qui est *charitas ex puro corde & fide non ficta,& conscientia bona,* 1. Tim. I. 5. *περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν, circa fidem*(non fidei, utpote quam nunquam habuerunt) *naufragium fecerunt,*quia perierunt circa fidem,volentes videri fideles,& auditores verbi Dei, & sectatores se Regni Dei professi; frustra fuerunt. Tantum enim abest, ut tales ad vitam perveniant,ut ne quidem ad fidem pervenire valeant. quia id non habent, sine quo fides non habetur, bonam conscientiam scilicet. Similes loquendi modi in hac ipsa Epistola usurpantur. velut *ἀστοχεῖν* v. 6. *ἀποπλανᾶσθαι ἀπὸ τῆς πίστεως aberrare à fide,* cap. VI.10. *περὶ τὴν πίστιν ἀστοχεῖν aberrare circa fidem*, ib.v.21. *περὶ τὴν ἀλήθειαν ἀστοχεῖν, circa veritatem aberrare,* 2.Tim. II. 18. Quæ nec fidem, nec veritatem priùs habitam, & post deficientem arguunt.

OBIECT. VI. *Si fideles fatali necessitate perseverant, frustra ad eos diriguntur exhortationes,promissiones,comminationes, & Ministerium verbi ipsius prorsus est inutile, neque opus erit diligentiâ ullâ contra insultus Sathanæ.* Resp. Hæc est aranearum tela. Etenim quibus Christus spondet victoriam in insultu Sathanæ,illos à mediis, quibus victoria paratur,non eximit. Proinde perseverantiæ donum etiam media includit,quæ,ut disposuit decretum,exhortationes, promissiones, Ministerium verbi, preces, diligentia promovent.

EXCIP. REDING *Fateris sic,perseverantiam pendere à nostra diligentia. An hæc in quolibet justificato certa est? Et si est,an ex vi justificationis,an prædestinationis? Non prius, quia Adamus in gratia justificationis creatus non perseveravit tamen. Non posterius, uti ejusdem Adami exemplum docet.* Ib. pag. 516. 517. Resp. Herbam potiùs ingenuè porrigeres,quàm sic ineptè garrires! Cur de sola diligentia loqueris, & non de reliquis etiam,quibus media perseverantiæ promoveri dixi? Cur nihil de necessario mediorum perseverantiæ, & ipsius perseverantiæ nexu? Cui tamen præcipuè responsio mea innititur. Interim diligentia in auditu & meditatione verbi,precibus,&c. & perseverantiæ medium est: & certa etiam, licet non carens in hac imperfectione, infirmitate & remissione sua; tum vi prædestinationis, tum vi justificationis. Prædestinatio enim non supinis & oscitantibus,sed vigilantibus,diligentibus salutem decrevit; nec salutem sine mediis iis decrevit. Justificatio post se trahit *ἐνδείκνυσθαι σπουδὴν demonstrationem diligentiæ ad fiduciam spei usque ad finem; ne simus νωθροὶ socordes, imitatores verò magis simus per fidem eorum,qui promissionum hæreditatem adeunt.* Hebr.VI. 11.12. Adami exemplum alienum est. Creatus enim est cum justitia, adeóque etiam diligentia mutabili: neque in fœdere quidem operum vel ex prædestinatione, vel ex justificatione perseve-

Digitized by Google

perseverantiam habuit. Non ex illa, quia prædestinatio omnis certum eventum habet, & consilium Dei semper stat. Non ex hac, quia justificatus non fuit, sed justificandus demum, si mandato Dei, quo explorare illum statuit, paruisset. Alia ratio est fidelium, qui ex Deo geniti & per Christum justificati peccare non possunt, quia semen in iis manet. Quæ denique de Zwinglio in futili tuo corollario affers, responsionem nullam merentur. Similem apostasiam non à fide, sed à superstitione, idololatria, Simoniaca impietate utinam tibi largiatur Dei bonitas! Sed tum conclamatum esset de seculari tuo typho, quo sub religionis velamine insolescis, non *albo* certè dictante spiritu, quicquid de *atro* fiat; ac insuper captas superstitione mentes habere quæstui, falsarúmque mercium institorem agere desineres.

QUÆSTIO XVI.

An justificati infallibiliter esse certi possint, se magnum illud usque in finem perseverantiæ donum certò habituros?

NEgat disertis verbis Canon. XVI. quenquam de eo absoluta infallibili certitudine esse certum posse, nisi id ex speciali revelatione didicerit. Nos verò affirmamus. Etenim

ARG. I. Justificati de sua salute certi esse possunt, & simul per gratiam divinæ electionis, præsidium redemptionis Christi & efficaciam ac potentiam Spiritus Dei in gratia justificationis perseverant. Utrumque jam à nobis probatum. Qui autem certus esse de sua salute potest, is etiam de perseverantia, tanquam medio ejus certus esse potest. Et qui per gratiam Dei perseverat, is de perseverantia sua non potest non certus esse, quia dona Dei & charismata cum eorundem sensu necessariò conjuncta sunt.

RESP. REDING: 1. *Falsis hypothesibus argumentatio tua nititur.* 2. *Cùm perseverantia finalis non subsistat nisi pro ultimo vitæ instanti, quis hominum hujus instantis certitudinem nullam ordinariè habentium, de perseverantia hujus sensu certum testimonium feret?* Tract. IV. St. 2. pag 517. Resp. 1. Verissimis niti, demonstravimus. 2. Perseverantia intelligitur vel inde à tempore fidei & justitiæ acceptæ ad præsens usque momentum; vel à præsenti momento ad finem usque vitæ. De prioris perseverantiæ sensu quisque fidelis testis esse potest; exemplo S. Pauli Act. XXIII. 1. sensum suæ perseverantiæ sic proferentis: *Ἐγὼ πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ ἄχρι ταύτης τῆς ἡμέρας. Ego omni conscientia bona conversatus sum coram Deo usque in hodiernum diem.* Posterioris sensum tum habuerunt habéntque agonizantes fideles universi, qui cum eodem Apostolo dicere possunt: *Bonum certamen certavi, cursum absolvi, τὴν πίστιν τετήρηκα, fidem*

servavi, 2.Tim.IV.7. tum promissiones Divinæ luculentissimæ pollicentur. cujusmodi sunt, Deut.XXX.8. Hebr XIII.5. *Nunquam te deseram, nunquam te derelinquam.* Esaj. LIV.10. *Montes recedent, & colles amovebuntur. Attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ, inquit Jehova.* Hos.II 19. *Desponsabo te mihi in sempiternum.* Joh. X. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt. Et ego do eis vitam æternam, & in æternum non peribunt. Nemo eas rapiet ex manu mea.* Innumeræ sunt istiusmodi promissiones aliæ. veluti Esaj. LIX. 21. Jerem. XXXII. 39. 40. 1.Cor.I.9.X.13. Philip.I.6. 1.Thess.V.23.24. 1.Pet.I.5. &c.

ARG. II. Extat divina promissio certitudinis hujus, Jerem.XXXII.39.40. *Dabo eis cor, ut me timeant in perpetuum. Et pangam eis æternum fœdus, me ab eis non recessurum. Et ponam in cordibus eorum timorem meum, ne unquam recedant à me.* Quibus adde toties iteratam Christi promissionem, quòd dare nobis velit, quæcunque ejus in nomine petierimus, ac proinde etiam perseverantiæ donum, quod quotidie supplices expetere tenemur.

RESP. REDING: 1. *Si singuli fideles perseverantiæ suæ certi essent, locus non foret timori, quem Deus loco eo promittit.* 2. *Promissiones ejusmodi important certitudinem Divini fœderis respectu Ecclesiæ, seu fidelium collectim sumptorum; non singulorum in particulari.* 3. *Deus exaudit orationes fidelium in nomine Christi oblatas. At nunquam fideles certi sunt, orationes suas in nomine Christi factas esse.* Ib.pag.517.518. Resp.1. Quasi timor ille, quem Deus promisit, sit vel servilis timor, incertum de gratia Domini sui reddens; vel dubitatio de paterno affectu; & non potiùs reverentia & amor filiorum erga Patrem optimum, ob τιμια ἐπαγγελματα, *pretiosa promissa*, inter alia. Atqui timorem illum promittit Deus, *ne unquam recedant.* Est igitur Deo sic volente perseverantiæ medium; & par utriusque certitudo gliscit. 2. Bellè, Redingi. In castra nostra transis. Ubi enim Ecclesia vera est extra singulos fideles? Et promissiones Ecclesiæ factæ ad fideles omnes utique pertinent. Nisi fortè Ecclesia nescio quid chimæricum tibi sonat. 3. Tollis omnem precum fidelium consolationem & fructum. Et si certus nemo est, preces suas in nomine Christi fusas esse, vel inde illud est, quia verbum Dei non revelavit, quid sit in nomine Christi orare: vel inde, quia sensus orationis juxta præscriptum verbi in nomine Christi factæ haberi nequit. Illud verbo Dei iniquum: hoc insanum est.

ARG. III. Perseverantia Sanctorum nititur infinita Dei potentia, & divinis planè fulcris, qualia sunt immutabile Dei vocantis propositum, Christi Mediatoris meritum & potentissima intercessio, à qua ad certitudinem perseverantiæ argumentamur cum Apostolo, Rom.VIII.34. & Spiritus S. obsignatio & testimonium efficacissimum. Atqui de ejusmodi firmamentorum & præsidiorum divinorum effectibus, ubi voluntas revelata est, dubitatio prorsus impia & detestanda est.

RESP. REDING: 1. *Falsò supponis, voluntatem Divinam de prædestinationis proposito cuivis fideli revelatam esse.* 2. *Prædestinationis quoque justificationem, & finalem perseverantiam infallibiliter inferentis certitudinem in se spectatam, confundis cum certitudine quo-*

ad

Digitized by Google

ad nos considerata, sive cuique fideli revelata. Priorem concedimus, posteriorem negamus. Ib. pag. 518. Resp. 1. Quod omnibus fidelibus generali propositione revelatum est, ad singulos fideles applicandum pertinet. Absque quo foret, nulla esset Scripturarum consolatio, nullus usus ad doctrinam, redargutionem, correctionem & institutionem in justitia. Cùm igitur fidelibus omnibus ex revelatione Dei de electionis proposito immutabili, meriti Christi & intercessionis ejusdem efficacia summa, Spiritus S. obsignatione constet, his innixi fulcris, singuli perseverantiam sibi certissimam meritò promittunt. 2. Neque tantùm in se certum est, electos, redemptos & obsignatos à Spiritu S. perseveraturos (quanquam in superiore quæstione etiam hanc certitudinem labefactare moliebaris) sed etiam quoad nos ex sensu electionis per certa τεκμήρια se patefacientis, efficaciæ meriti & intercessionis Christi, de qua indubitabile Dei verbum fideles quosvis certos reddit, & Spiritus S. obsignantis testimonio, de eo penitus constat. de quo supra pluribus. Syllogismus practicus instituatur ejusmodi: Quicunque certi sunt, se electos, redemptos & obsignatos à Spiritu S. glorificatum iri, iidem certi sunt, se perseveraturos. Atqui ego certus sum, me electum, redemptum per Christum, obsignatum à Spiritu S. certò glorificatum iri. Ergo certus sum, me perseveraturum. Major nexu electionis, redemptionis, obsignationis & glorificationis cum perseverantiæ infallibilitate nititur. Saltem glorificandos quis neget non perseverare? Nam fideles perseverantes usque ad finem, non alii, salvantur, Matth. XXIV.13. Minor nititur tum sensu infallibili & experimentis effectorum electionis, redemptionis, obsignationis, tum beneficiorum horum cum glorificatione nexu certissimo. Adeóque conclusio ex fide, & fidei illius sensu deducta non fallit.

ARG. IV. Scriptura hominem vera fide præditum comparat ei, qui donum ædificavit super petras, quæ stat immota, nec ventorum impetu, nec fluminis exundantis allisione labefactari potest, Matth. VII.24.25. Et Psaltes Psal. I. & XCII. arbori nunquam φυλλοροούσῃ, & quæ fructum fert ad ultimam usque senectutem.

RESP. REDING: *Non discernis gratiæ Divinæ, & bonorum operum hinc profectorum efficaciam, & nostram in hac vita mortali defectibilitatem.* Ib. p. 518. Resp. Imò maximè discerno, quia efficaciam illam gratiæ cum totali & finali defectibilitate gratiæ consistere posse, nego. Quamvis enim semel ædificatus in petra, & plantatus ad rivos aquarum non propterea ab omni peccato liberetur, adeóque non semel cadat, tamen, sustentatus à potenti Dei brachio, non corruit & dejicitur, sed à quotidianis potiùs lapsibus erigitur, nec unquam vel petram, in qua ædificatus est, deserit, vel in δένδρον φθινοπωρινὸν, ἄκαρπον, δὶς ἀποθανὸν, ἐκριζωθὲν *arborem autumno marcescentem, infrugiferam, bis mortuam & eradicatam* (Jud. v. 12.) degenerat.

ARG. V. Universum illud de dubitatione decretum non aliò aurigatur, quàm ad lucrum, & ut clerus laicis obsequentioribus utatur. Experti enim sunt, trepidationem populi augere rem cleri, & populum imperitum, cujus æstuat anxietate conscientia, solere ad c eri authoritatem & præsumptam animo sanctitatem quasi ad sacram anchoram confugere: & hominem attonitum feliciùs argento emungi.

RESP. REDING: *Dixeras superiùs, fideles certos licet de salute ac perseverantia sua, non eximi à mediis, inter quæ sit Ministerium. Annon ergo id asseritis, ut laicis obsequentioribus utamini; atque sic ad lucrum aurigatur dogma vestrum? Ibi maximè, ubi securitatem de perseverantia profitemini, quæ Ministerii necessitatem prorsus elidit.* Ib. pag. 518. Resp. Non ut laicis, quos nullos nos habemus, minimè sueti hac contumelia Principes, Maxumos & Infumos nostros afficere, obsequentioribus utamur, vel eos, more vestro, ut Monachi licet, Principes tamen S. R. I. audire, imò *Regnum super Reges terræ habere* (Apoc. XVII. 18.) possitis, emungamus, vel fictis sermonibus, quales vestri sunt de Divina consecratione Sacelli nescio cujus, nundinemur: sed ut peccatores Deo reconciliemus, & nutantes in fide & amore Dei confirmemus, *ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύομεν, nomine Christi legatione fungimur*, 2. Cor. V. 20. Compara, si vis, Ministerium nostrum, & Ministrorum nostrorum lucrum, uti quidem tu appellas, cum cauponatione & nundinatione Cameræ, Datariæ, Rotæ, & trapeziticis vestris mensis. Ex eo porro, quòd reconciliationis Ministerium medium salutis & perseverantiæ, te ipso teste, statuimus, ejusdem necessitatem meritò veneramur.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECTIONES coincidunt cum iis, quibus incertitudinem salutis, prædestinationis & perseverantiam sanctorum oppugnatum superiùs iverunt.

QUÆSTIO XVII.

An justus in quolibet opere bono peccet, atque sic pœnas æternas mereatur?

NEgat Canon XXV. Nos distinguimus opera, quæ vel considerantur in legali & intrinseca dignitate, vel in paterna acceptatione Dei per respectum meriti Christi. Priori sensu statuimus, nullum opus tam perfectum esse, quin habeat admixtas scorias peccati, ob quas Deus in stricto judicio illud damnare possit. Posteriori modo Deo grata sunt, neque auctoribus infructuosa. Quæ autem adhæret labes, intuitu mortis Christi omnem noxam expiantis, non imputatur, sed remittitur. Priori sensu renatos in omni opere bono peccare, non bene agendo, sed à perfecta legis regula deflectendo, probamus.

ARG. I. Legis hoc est *ἀκριβοδίκαιον*, ut Deum diligamus ex toto corde, anima & omnibus viribus, corde puro, conscientia bona, Matth. XXII. 37. 38. 1. Tim. I. 5. Gal. III. 2. Atqui nemo justificatus in quocunque bono opere hoc

Digitized by Google

hoc perfectionis vestigium attingit. Ipse autem charitatis defectus in vitio est,& sua natura damnabilis.

RESP. REDING: 1. *Confundis statum perfectionis à lege intentæ, & substantiam quorumlibet operum Sanctorum à quovis particulari præcepto præscriptorum. Licet perfectionem à lege intentam non assequamur, defectus tamen aliquis non impedit bonitatem substantiæ operis, judice ipso S. Augustino de Spir. & lit. cap. ult. ubi negat culpæ deputandum, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta cögnitioni plenæ (in patria habendæ) perfectæque debetur. Interim talia etiam opera secundum legalem intrinsecam dignitatem suam bona esse, testatur S. Paulus Ephes. II. 10. ubi docet, opera illa, quatenus in iis ambulamus, à Deo præparari & creari. 2. Lex charitatis, seu diligendi Dei ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus, charitatis excessum appretiativum, non vel extensivum, situm in ejus duratione non interpolata, & charitatis in omnes hominis actus redundantia; vel intensivum, in summa intensionis augmento situm, præcipit. Ille enim solus ad charitatis substantiam pertinet, hi accidentarii sunt. Non igitur quilibet charitatis defectus actum operis vitiosum & damnabilem reddit.* Tract. IV. Ss. 2. pag. 519-520. Resp. 1. Quæstio tota est de perfectione operum à lege intenta; seu de legali & intrinseca operum dignitate & perfectione. Cùm igitur ipse fatearis, perfectionem eam non assequi opera nostra, nihil ultra satagendum tibi fuerat. Sed procedis ulteriùs, & defectum operis à lege præcepti in vitio ponendum esse negas. Quid verò aliud est *ἁμαρτία*, peccatum, quàm aberratio à lege, adeóque defectio quædam? Et si lex perfectam observantiam requirit, utique defectus perfectæ observantiæ est *ἀνομία* seu *transgressio legis*, adeóque peccatum veri nominis. Vel defectus ille legi contrariatur, vel non. Si contrariatur, peccatum est, quia peccatum est *ἀνομία*, seu id, quod legi contrariatur. Si non contrariatur, perfectio defectui opposita ad legalem perfectionem non pertinebit. Supra Thomam vestrum audivimus scitè asserentem, bonum esse ex integra causa, malum ex quolibet defectu. Quid tum igitur, si adsit operis substantia, seu materia externi actus; an defectus vel efficientis principii, vel formæ, finis, vel circumstantiarum in vitio non erit? Annon peccat, qui eleemosynas erogans dilectionem quoad substantiam operis externi exercet; at deficit, non ex vera fide, amore Dei, & ad gloriam Dei dilectionem referendo? Augustinum verò patrocinantem non habes, quia is *de Spir. & lit. cap ult* dilectionem illam minorem, quam in hac vita *habere*, juxta legem scilicet, *debemus*, non qualem habemus, comparatè ad eam quam in Cœlo habebimus, *culpæ deputandam* meritò negat: adeóque loquitur non absolutè, sed ex hypothesi; si daretur quispiam perficiens totam legem, tanta perfectione, quanta in hominem hac in vita integrum cadere potest. Vel certè quod culpæ deputari negat, seu culpam credentibus ad damnationem imputari negat verissimè. Nam fides in Christum peccati imputationem tollit. Sanè eodem capite ex defectu amoris, qui in mortali hac vita contingit, omnes homines peccatores esse, arguit. Et alibi *de perfect. just. resp.* 15. disertè: *Peccatum est, cùm vel non est charitas, vel minor est, quàm debet: sive hoc voluntate vitari possit, sive non.* Et S. Paulus Ephes. II. 10. scribens, nos esse *ποίημα facturam Dei, creatos in bonis operibus, in quibus præparavit nos Deus, ut in iis ambulemus*; finem novæ creationis nostræ indicat, ut in bonis operibus, in quibus, vel ad quæ ille nos præparavit, ambulemus, quò ita bona opera sint nobis via & initium vitæ æternæ. Sic enim *Deo fructificamus*, Rom. VII. 4. & *Deo vivo servimus*, Hebr. IX. 14. Sed præparatio ea in hac vita imperfecta, cum peccatis & defectibus nostris

 conjun-

conjuncta, in altera demum consummabitur. 2. Quæ de amoris excessu appretiativo, ad amoris substantiam; & extensivo ac intensivo ad ejusdem accidentia pertinente, iterum philosophatis, penitiùs supra discussimus. Ineptè excessum vocas, cùm amor Dei lege præceptus exedi non possit. Et appretiationem illam tuam non sinceri, casti & incorrupti, sed adulterini amoris indicium præbere ostendimus.

ARG. II. Extat ea de re querula vox populi Israëlitici, Esaj. LXIV. 6. Daniel. IX. 7. 8. quibus locis justitiam suam multiplici labe contaminatam deplorat.

RESP. REDING: *Locus Esajæ statum populi Israëlitici, ceremoniis suis confidentis, tanquam justitiæ, sed prava intentione corruptæ, deplorat. An idcirco nullum unquam justi opus extitit? Sanè etiam S. Augustinus de Unit. Eccl. cap. 12. ad talia loca observat, non obesse justis in medio impiorum constitutis, quicquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur.* Ib. pag 520. Resp. Loca illa jam *Quæst. XIII. arg. 3.* vindicata dedi. Si de populo Israëlitico in universum, nemine excepto, ab Esaja dictum pertendis, quòd ejus justitia similis sit panno immundo, justitiam ejus plus satis equidem traducis, & sententiam nostram confirmas. Sin excipis nonnullos, aberrare te manifestè ibidem probavi. Videretur sic Esajas Deum accusare injustitiæ, qui propter sceleratorum peccata insontes puniret, & quidem ejusmodi insontes, quorum bona opera juxta te legali & intrinseca dignitate pollentia severissimam Dei justitiam sustinere possent. Sed quid multis? Aperta phrasis est, כל צדקתינו *omnes justitiæ nostræ.* Et de justitia, & de omnibus, & de omnium justitiis loquitur. Non solet uspiam Scriptura voce צדקה *δικαιοσύνης, justitiæ* ceremonias legales significare, nedum ceremoniarum legalium per pravam intentionem corruptam observantiam; sed potiùs voce חקים quam LXX. *δικαιώματα* Vulgatus *justificationes* reddit. Sed esto, instituta legalia intelligantur. At de omnium omnibus justitiis loquitur, præfatus etiam his verbis: נהי כטמא כלנו *Facti sumus ut immundus nos omnes.* Mos quidem alicubi est SS. loqui de multis, quasi de omnibus, quia sic vulgò solent homines, quorum vocibus Scriptura contexta est. Sed nec id perpetuum est, nec hic obtinere potest, uti id, quod de pœna observavimus, evincit. Augustinum verò obtorto collo huc rapis. Is enim *de Unit. c. 12.* sapienter quidem adversus Donatistas monet, *non obesse justis in medio impiorum constitutis, quicquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur. Ut desinant,* inquit, *colligere testimonia quæcunque sive per Prophetas, sive per os Domini, sive per Evangelistas in zizaniam vel paleam orbis terrarum dicta inveniuntur.* Cæterùm id huc non quadrat, tum quia loci hujus Esajæ & Danielis expressè ne quidem ibi meminit: tum quia, quò minùs *in zizaniam* vel *paleam orbis terrarum* solam hæc ab Esaja dicta sint, allatæ rationes obstant. Bernhardi de fidelium justitia polluta expositionem supra laudavimus. Neque ille solus est. Consentit etiam Gerson vester *lib. IV. de Cons. Theol. pros. 1.* his verbis: *Quid Esajas se cum cæteris involvens, sibique vilescens humili confessione protulerit, legimus: Omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ. Quis ergo justitias suas velut gloriabundus ostentaverit Deo, plus quàm pannum confusionis suæ mulier viro.* Dionysius Carthusianus *in Psal. 142.* *Quid est,* inquit, *quòd Ezechias, Jeremias, Esther, Judith, alii multi leguntur suas coram Deo justitias atque perfectiones præcipuas allegâsse? Et respondendum, quòd non simpliciter, sed humano modo se justos dixerunt, scientes utique, quòd omnes eorum justitiæ essent coram Deo, sicut pannus menstruatæ.* Ἀξιομνημόνευτα inprimis sunt illa Adriani de Trajectis,

Papæ

Papæ facti, *in 4. Sent.* referente etiam Cassandro in Consultatione: *Sunt*, inquit, *merita nostra velut baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, confringitur, perforat manum innitentis, & quasi pannus menstruatæ sunt omnes nostræ justitiæ. Jugiter enim super pannum vitæ, quem justitiæ operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum. Quæ igitur ex eis fiducia poterit esse apud Deum, qui neminem diligit nisi ex toto corde conversum.* En, etiam Papæ vestro anathema Tridentini dixerunt, quia non dixerunt aliis, quàm vera amantibus, pronuntiantibus!

ARG. III. Quin & renati sanctissimi, quales David & Jobus erant, judicium Dei deprecantur, Psal. CXLIII. 2. Job. XI. 2. non deprecaturi, si rectitudinem operum suorum multis modis vitiatam non deprehendissent.

RESP. REDING: 1. *Si Davidis & Jobi opera Deo ex paterna acceptatione propter meritum Christi grata, uti tu confiteris, fuerunt, quomodo deprecari judicium Dei potuerunt? Num ipsa etiam deprecatio illa legali & intrinseca dignitate carebat, & peccati scorias admixtas habebat? Quomodo igitur ad judicium Dei avertendum valuit?* 2. *Sancti judicium Dei non ob bona opera sua, quasi polluta, sed tum ob peccata venialia; tum ob mortalia, ob quæ ad tempus statu gratiæ exciderunt; quæque remissa iis sunt quoad pœnam æternam, sed non temporalem; tum ob opera virtuosa, de quorum tamen rectitudine non omnimodam certitudinem habent, timentes, ne occultis & alienis peccatis infecta sint; deprecantur.* Ib. pag 521. Resp. 1. Vellicas, torques pro more. Licet David & Jobus non ingrata Deo esse bona opera sua in Christo noverint, judicium tamen Dei extra Christum, & propter solam operum suorum quasi legalem & intrinsecam perfectionem meritò deprecantur. Et grata Deo hæc ipsa deprecatio fuit, quia gratia Dei in Christo, non intrinseca operis sui dignitate nixa est. 2. Peccata venialia ex se nulla agnoscimus: per mortalia verò justificatos ex statu gratiæ excidere negamus: denique remissis peccatis quibusvis pœnas eorundem quasvis, & æternas & temporales remitti, pertendimus. Hoc unum igitur restat, quod & tu nobis, tua vineta cædens, cedis, deprecari Sanctos judicium Dei, quia licet conscii *virtuosorum operum* quorundam, *certitudinem tamen nullam habent, quòd occultis & alienis peccatis ac defectibus infecta non sint.* addo, infectorum multis modis bonorum operum suorum, quin & peccatorum gravium, ac sua natura mortalium (qualia utique Davidis erant) conscientiam intimam habent.

ARG. IV. Opera perfecta, & omnibus modis consummata manant ex perfectis principiis. Atqui principia actionum bonarum variè sunt corrupta. Nam & in intellectu manent tenebræ, 1. Cor. III. 9. & voluntas multiplicem patitur resistentiam carnis, Rom. VII. 17. Gal. V. 17. Lucta carnis cum spiritu motus spiritus retundit, contrariis suggestionibus retardat, & quandiu circumferimus hoc corporis ergastulum, bonis operibus nostris aliquid labis affricat.

RESP. REDING: *An vires gratiæ viribus carnis debiliores sunt, ut illæ his prævalere nequeant? Atqui per gratiam corruptio facultatum nostrarum sanatur, atque istæ sic sanatæ actiones supernaturales intrinsecè & essentialiter bonas reddunt.* Ib. p 521. Resp. Agnoscis igitur in homine regenito vires carnis cum viribus spiritus & gratiæ commixtas. Neque aliter potes, quia disertè in eo duo hæc actionum principia se mutuò oppugnantia

tia Apostolus Gal.V.17.ponit. Intelligis vel sic, facultatum nostrarum principia ita quidem in hac vita sanata esse,ut non penitus omnis earum ægritudo sublata sit, tum demum auferenda,cùm ultimus hostis noster,mors,debellatus & sublatus fuerit. Non igitur facultates nostræ in hac vita penitus spirituales sunt, nec caro, hoc est, nativa peccati labes, ab iis planissimè abstersa est : nec denique spiritus & caro in nobis vel separatas sedes habent, vel separatim operantur, sed mixtim. Consequenter nullum quantumvis præstans hominis regeniti opus datur, quod ab omni carnis peccatricis vitio ita purè presséque defœcatum sit, ut nihil residuæ & perpetim operantis carnis admixtum habeat. Typus ejus rei quondam fuerunt tum sacrificia, quæ sic suavissimis aromatis condiebantur,ut galbanum etiam fœtidissimum superadditum fuerit : tum Aaron, qui iniquitates eorum, quæ filii Israël in cunctis muneribus & donariis suis sanctificarunt, portare debuit, Exod.XXVIII.38. Hinc Solomon: *Quis potest dicere, mundum est cor meum*,(munditie perfecta legali)*purus sum à peccato*, Prov.XX.9. Et: *Non est homo justus in terra,qui faciat bonum,& non peccet*,Eccl.VII.21. 1.Reg.VIII.46. Ex quo loco sic Augustinus *Epist*.29.arguit: *Quandiu augeri potest,profectò illud,quod minus est,quàm debet,ex vitio est.Ex quo vitio non est justus in terra,qui faciat bonum & non peccet.* Sensus proin est, neminem sic bonum facere,quin in eo ipso bono,quod facit,peccet; non quòd bonum peccatum sit,sed quia auctior gradus, vel alia deficiunt. Et Jobus: *Quid est homo,ut immaculatus sit,& ut*(perfectè) *justus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos ejus nemo integer,& Cœli non sunt mundi in conspectu ejus? Quantò minùs abominabilis*(in se)*& putridus homo,qui bibit velut aquam iniquitatem?* Job.XV.14-17.

ARG. V. Perfectio omnimoda non viæ sed patriæ & immortalitatis comes est, 1.Cor.XIII.10.Phil.III.12. Res nostræ etiam optimè hic affectæ,in cœlo demum perficientur. Et sanctificatio seu regeneratio sanctorum justificatorum in hac vita est imperfecta, utpote quæ successivè per partes, & in morte demum perficitur,uti ex 2.Cor.IV.16.VII.1. Ephes.V.26.27. liquet.

RESP. REDING: *Ineptias meras spiras. Nam ex 1.Cor.XIII.10. Phil.III.12.non aliud sequitur,quàm consummatam visionis beatificæ perfectionem non viæ,sed Patriæ esse. 2.Cor. IV.16. justus dicitur renovari de die in diem; & cap.VII.1. jubemur perficere sanctificationem in timore Dei. An in tali renovatione,& studio perficiendi sanctificationem peccatum est, quod æternam pœnam mereatur? Denique Ephes. V. 26. 27. dicitur Christus sanctificare Ecclesiam,ut exhibeat eam sibi gloriosam,non habentem maculam. An hinc ritè infertur,justum in omni opere peccare?* Ib. p. 521.522.Resp. Quis verò te inepto judice sapere, quis non ineptus esse potest? Etenim ex locis 1.Cor.XIII.9.10. Phil.III. 12. illud quidem sequitur, visionem Dei non viæ,sed patriæ esse: sed simul tum illud, nos in hac vita *ex parte* tantùm *cognoscere*, adeóque non *καταλαμβάνειν comprehendere*; qualis autem cognitio & apprehensio, talis fides quoque & amor est: tum illud quoque, in hac vita nihil esse *τέλειον perfectum*, sed omnia *ἐκ μέρους ex parte*, ac proin *abolenda*. Omnis autem in fide, charitate regenitorum imperfectio vitiosa est, quia, S. Augustino etiam supra laudato monente, *illud quod minus est quàm debet, ex vitio est*. Et si justus *de die in diem renovatur*, 2.*Cor*.*IV*.16. sanctificationem non simul seméllque habet, sed *ἐπιτελεῖ perficit* indies, ib. cap.VII.1. denique Ecclesia non in hac vita *omni ruga & macula* caret, sed tum demum, quando Christo, in Cœlo scilicet

Digitized by Google

licet, ἔνδοξος *gloriosa* sistetur. Ephes. V. 26 27. Annon inde necessariò sequitur, regenerationem nostram in hac vita imperfectam & successivam, in Cœlo demum perfici? Hoc loca à me citata evincunt: & huic probationi responsio tua aptanda fuerat. Quod crescit indies, nondum summum amoris & legalis observantiæ gradum habet: & *quandiu aliquid augeri potest*, cum Augustino loquor, *illud quod minus est, ex vitio est.* Nam, uti idem Augustinus *de perf. just. resp.* 15. optimè judicat, *peccatum est, cùm vel non est charitas, vel minor est, quàm debet: sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit.*

ARG. VI. Ad boni operis legalem perfectionem requiritur etiam continuatus perseverantiæ tenor, Ezech. XVIII. 23. Jac. II. 10. Atqui nullus justificatorum est, quin aliquando labatur & legem divinam violet.

RESP. REDING: 1. *Si nullus homo est, quin labatur, quomodo supra dixisti, fidelem quemvis ædificatum esse supra petram? Et si aliquando duntaxat labitur, quomodo in quolibet bono opere peccat?* 2. *1. Joh. II. 10.* (*non* Jac. II. 10.) *& Ezech XVIII. 23. nihil ad rem faciunt.* Ib. pag. 522. Resp. 1. Homo fidelis peccans non sic collabitur, ut à petra, cui inædificatus est, excutiatur: quia petra, cui inædificatur, non propria, sed Christi justitia est. Et qui aliquando labitur, sic ut labendo nihil boni faciat, sed peccet duntaxat, ille bonum faciendo non perfectè, adeóque secundum legis rigorem peccat, non bonum faciendo, sed à perfecta bonitate deficiendo. Ergo quoties bonum quid operatur, peccat: non tum duntaxat, quando nihil boni operatur. Verbo, peccat semper omittendo, non committendo. 2. Loca citata quàm negligenter, aliis, nescio quibus, curis intentus tractas? Ego locum Jac. II. 10. cito disertè. Tu citas Jac. I. 10. & insuper non eum, ibi, sed qui 1. Joh. II. 10. extat, recitas. Tam studiosè in his versaris. S. Jacobus cap. II. 10. sic scribit: *Qui totam legem servaverit, lapsus autem fuerit in uno, factus est omnium reus.* Sensus est, perfectam legis obedientiam in omnibus præceptis eandem se præstare. Proin quæ in uno defitit, eam in reliquis omnibus similiter desitere: nec fieri posse, ut unicum præceptum servet perfectè, sicut oportet; qui in uno impingit, adeóque in omnium præceptorum tenore non perseverat. Eadem planè Deus ipse Ezech. XVIII. 21-25. docet, justitiam videlicet deficientem nunquam reputari pro ea, quam lex requirit: imò ne quidem recordationem suam subire.

ARG. VII. Hinc videlicet est, quòd etiam optimorum fides subinde pulsatur dubitationibus: quòd iis precantibus aliæ cogitationes obrepunt: quòd dantes eleemosynas charitate non ficta, restitant tamen, aut volunt aspici: quòd zelo domus Dei aliquid intermiscent de propriis commodis: quòd amissis bonis ob professionem Evangelii desiderant amissa, & cervicem ad relicta reflectunt. Alia atque alia ejusmodi ὑστερήματα quotidie experiuntur, qui in se seriò descendunt, & coram Deo humiliantur.

RESP. REDING: 1. *Siccine ergo etiam suam fidem dubitationibus pulsari experiris? Quomodo ergo supra dubitationem oppugnasti? Quomodo eleemosyna ex charitate non ficta procedit, si ex intentione vanæ gloriæ?* 2. *Nemo in hac vita sic perfectus est quin venialibus peccatis sit obnoxius. Non ideo in quolibet opere mortaliter peccat.* Ib. p. 522. Resp. 1. Utinam sinum potiùs tuum excuteres, quàm sic sophisticè disputares! Fidem dixi *sub-*

inde, non semper, *pulsari dubitationibus*, non vincentibus, sed vera fide vincendis. Quod supra etiam disertè dicere occupavi. Dantes eleemosynas charitate non ficta *resultare*, subinde scilicet, non semper, & *velle aspici*; veræ scilicet intentioni, quam fides dirigit, subrepente etiam carnis studio, quod paulatim domatur, dixi. An sic puram in omnibus tuis actibus intentionem sentias, si tu non dubitas, dubitabunt de te alii, fideles inprimis, qui Sathanæ insultus & tentationes nonnullos quotidie experiuntur, & cum iisdem strenuè luctantur. 2. Nemo sic perfectus est in quovis opere, quin peccatum se immisceat. Vocem modò *venialis* peccati, mortalis præsumptionis plenam, remove.

ARG. VIII. Consentiunt Patres, inprimis Augustinus Epistola 29. ad Hieronymum inquiens: *Plenissima charitas, quæ jam non possit augeri, quandiu hic homo vivit, est in nemine. Quandiu autem augeri potest, profectò illud quòd minùs est quàm debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est justus in terra, qui faciat bonum & non peccet, &c.* Confer Gregorium M. Moralium lib. IX. cap. 2.

RESP. REDING: *Augustinus intelligit de peccato, quod se ad charitatem habet concomitanter. Hoc non obstante charitas, quoad intrinsecam essentiam spectata nullatenus est peccatum. Alibi verò de Spir. & lit. cap. ult. defectum charitatis culpæ deputandum negat.* Ib. pag 522. Resp. Imò disertè de minore gradu ejus charitatis, quæ augeri potest, loquitur. De deficiente igitur charitatis gradu, adeóque peccato omissionis, non distincto aliquo peccato commissionis ad charitatem *concomitanter* se habente, loquitur. Locum alterum *de Spir. & lit. cap. ult.* supra *Arg. 2. Resp.* explicatum dedi. Gregorii M. *Moral. lib. cap. 2.* verba sic habent: *Sanctus vir, quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitrio districtè judicetur, rectè subjungit: Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Et *cap. 11. Ut sæpe diximus*, inquit, *omnis humana justitia injustitia esse convincitur, si districtè judicetur.* Iterum *cap. 19. Intentam Deo animam ipsa adhuc corruptibilis caro diverberat, ejúsque amoris pulchritudinem obscænis & illicitis cogitationum motibus fœdat.* Bernhardi calculum supra etiam posuimus.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Scriptura opera regenitorum passim absolutè vocat bona, veluti Matth. V. 16. 1. Tim. VI. 18. Ephes. II. 10. &c. Atqui si peccata mortalia forent, potiùs mala quàm bona dicenda essent, cùm juxta Areopagitam malum dicatur opus, quod non est integrè bonum.* Resp. 1. Loca allegata, non qualia sint sanctorum opera, sed qualia esse debeant, declarant. 2. Sunt tamen sanctorum opera etiam bona non ἁπλῶς *absolutè*, sed κατά τι, *secundum quid*; prout diversi sunt gradus bonitatis, quorum summus in hac vita nunquam attingitur. 3. Neque verò ob defectum gradus, aut interveniens vitium, *mala* dicenda sunt fidelium opera, quia quod malum est, gratiosè remittitur, quod bonum paternè acceptatur.

EXCIP. REDING: 1. *Si bonum, juxta illud Dionysii Areopagitæ, est ex integra causa, & uni ac indivisibili entitati duæ essentialiter oppositæ essentiæ non conveniunt; quomodo tu bonum & malum in unum chaos confundis? Bonum enim, quod tu paternè acceptari dicis, diver-*

Digitized by Google

diversum quid à malo, adeóque intrinsecè ab hoc affici nequit. 2. *Matth. V. 16. jubet Christus discipulos lucere, ut homines bona eorum opera videant, Deúmque glorificent. Quis verò neget, tales fuisse discipulos, quales gratiæ suæ efficacia Christus efficere voluit? Et 1. Tim. VI. 18. hortatur S. Paulus Christianos in Deo vivo, præstante iis omnia abundè ad fruendum, ut bene agant, & divites fiant in bonis operibus. Per gratiam igitur suam, ut hoc essent, præstitit.* Resp. Tu verò segniter responsionis meæ vestigia premis. Imò primam & secundam planè omittis. Sed nec cætera, quæ reponis, hilum valent. Etenim 1. Simpliciter, perfectè & absolutè bona sunt ex integra causa. Talia verò esse fidelium opera, probandum fuerat. Nam textus à te allati qualia debeant fidelium opera, non qualia sint, arguit. Neque etiam vel bonum malum, vel malum bonum dixi, vel alterutri oppositam essentiam tribui. Tua hæc deliria sunt. Bonum, qua tale, malum non est: sed bono qua tali, seu imperfectè bono adjacere potest defectus causæ & circumstantiæ vel unius vel plurium, qui & perfectionem boni operis tollit, & illud, si ad legis Divinæ amussim exigatur, ex accidenti malum reddit. Alia verò ratio est *ἐπιεικείας* Evangelicæ, qua imperfectè bonum acceptatur à Deo, & adhærentes maculæ ac defectus virtute meriti Christi remittuntur. Eadem corpora possunt esse & alba & nigra, & magna & prava. Crepuscula sunt & pars diei apud vulgus, & pars noctis apud astrologos; nimirum propter oppositarum qualitatum, lucis & tenebrarum concursum. Cur non eadem opera diverso respectu bona & mala esse possint? Bona ex se, quatenus habent aliquid conformitatis cum lege Dei: mala ex accidenti, quatenus minus habent ejus conformitatis, quàm oportuit. Nam juxta Nazianzeni illud *Orat. 1. Theolog. καὶ τὸ καλὸν οὐ καλὸν, ὅταν μὴ καλῶς γίνηται. Etiam bonum non est bonum, cùm non bene fit.* Et quæ in singulis operibus major erit contradictio, seu oppositarum essentiarum confusio, quàm in singulis hominibus? Conceditis enim, paucos justos esse sine peccato. An in homine aliquatenus justo, & aliquatenus peccatore oppositarum essentiarum confusio est? Et si in eo non est, cur in operibus aliquatenus bonis & aliquatenus malis nescio quod chaos tu fingis? Matth. V. 16. mandatum lego, sed perfectam operum bonitatem non lego. Gratiæ suæ efficaciâ voluisse Deum opera discipulorum absolutè & perfectè bona facere, probandum tibi, non cassa vel nulla ratione asserendum fuerat. Vel sola Petri abnegatio falsæ assertionis tuæ testis est. Sed & 1. Tim. VI. 18. divitibus Apostolus præcipit, *πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς, ut sint divites in bonis operibus.* At in bonis operibus sic divitem quenquam esse, ut nullo bonitatis defectu laboret, non asserit. *Sed paulò ante dixerat*, inquis, *Deum præstare omnia abundè ad fruendum. Ergo gratia sua sic divites facit.* Nugæ tuæ! Omnia, temporalia scilicet, seu *ἐπιτήδεια καὶ σύμμετρα apta* ad *corporis* sustentationem, Jac. II. 16. copiosè Deum nobis fruenda dare, Apostolus dicit. Gratiam dare, ut perfectè in hac vita bonum præstent, non dicit. Felicitatem eam Cœlo Deus reservat.

OBIECT. II. *Jobus cap. I. 22. dicitur in toto eo non peccâsse, nec insulsum quid fecisse. Et Paulus 1. Cor. VII. 28. Si duxeris uxorem, non peccâsti, &c. Petrus 2 Epist. I. 10. Hæc si feceritis, non peccabitis aliquando. Ergo justi certis in operibus non peccant.* Resp. 1. Non peccant justi in quibusdam operibus, nempe quoad *substantiam* operum, non quoad *gradus* rectitudinis & *modum* operandi. 2. De Jobo Scriptura pronuntiat non districtam judicii divini sententiam, sed indulgentis misericordiæ testimonium. Sicut enim justus secundum Augu-

Digitized by Google

Auguſtinum aliquando dicitur, qui perfectioni juſtitiæ proximus eſt: ita non peccâſſe dici poteſt, qui ad non peccandum proximè acceſſerit. 3. Qui ducit uxorem, non peccat, in eo nempe quòd uxorem ducit. Nihil tamen obſtat, quò minùs peccet, quia quod *bonum* eſt, non ſemper *bene* & *perfectè* facit.

EXCIP. REDING: 1. *In verbis Scripturæ, quòd Jobus in omnibus iis non peccaverit, univerſalis loquendi modus eſt, pertinens ad opera Jobi etiam in individuo ſpectata. Et quid indulgeret Deus Jobo in eo, in quo non peccavit? 2. Sed & S. Paulus 1. Cor. VII. 21. dicens: Si duxeris uxorem, non peccaſti; ſubſtantiam operis in eo quòd virgo nubat, planè peccati expertem ſtatuit. Nam teſte S. Auguſtino lib. de bono conjug. cap. 6. 7. 8. ſi vel ſola fiat intentione generandæ prolis, bonus eſt concubitus conjugalis: quanquam melior ſit continentia. Unde ſequitur, in bono morali ſic gradus diverſos dari, ut unum altero ſit melius, nec tamen ex defectu ſummæ perfectionis reatus contrahatur. 3. In verbis 2. Pet. I. 10. Non peccabitis, particula negativa diſtributiva eſt, adeóque peccati malitiam univerſaliter & à ſubſtantia operis, & à modo operandi excludit.* Ib. pag 523. 524. Reſp. 1. Sicut Auguſtino *lib. de perfect. juſt.* obſervante, *poteſt dici homo juſtus, qui perfectioni juſtitiæ plurimùm acceſſit, ita ut ei proximè fieret*: & plures in S. Literis memorantur *juſti, perfecti, integri, recedentes à malo, cuſtodientes legem, ſecundum cor Dei,* quos tamen peccati exſortes non fuiſſe, conſtat: ſic abſurdi nihil eſt, dici quandoque opera juſta, & in operibus *non peccari*, in quibus quis proximè acceſſerit ad non peccandum, etiamſi nonnihil peccaverit. Eodem modo Job ipſe à Deo ipſo cap XLII. 6. laudatur, quòd נכון *rectum* locutus ſit his verbis: *Deus dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Job.* Et tamen Jobum eſſe etiam locutum non recta, conſtat ſatis. Vides non diſtrictam judicii Divini ſententiam, *ſed indulgentis miſericordiæ teſtimonium!* Cœterùm in omnibus his nôn peccaſſe Jobum dicitur, non ſimpliciter, ſed prout ſtatim explicatur, ut non daret Deo תפלה *inſulſitatem*, hoc eſt, ut nihil Deo vel verbo attribuerit, in quo labes aliqua, & non potiùs ſumma ratio & rectitudo ineſſet. Neque enim de omni Jobi integritate hoc dicitur, ſed de certa cauſa, ut facilè appareat, copulam ו *Et* hic eſſe ſpecificativam, ſeu ἐξηγητικὴν. Neque alias dubitari poteſt, quin omnis illa Jobi conſtantia ac patientia multiplicem defectum habuerit. Non enim hoc criminatio Diaboli impugnabat, quòd Job ſine omni peccato eſſet, vel in nullo opere peccaret; ſed de hoc Deum inter & Diabolum contentio fuit, an Job hypocrita, & ſi affligeretur, Deum abrenuntiaturus eſſet? Si de ἀναμαρτησίᾳ Jobi controverſia fuiſſet, à Diabolo Deus (quod abſit) ſuperatus fuiſſet, quia peccavit. 2. Nubendo equidem non peccat homo. Neque enim nubere per ſe peccatum eſt. Et ſenſus verborum *qui nubit, non peccat*, duplicativus eſt, *eo ipſo* ſcilicet, *quòd nubit*; ſeu, *quatenùs nubit*. Ita de omnibus bonis operibus loquimur. Qui laudat Deum, qui eleemoſynam dat &c. non peccat. Sed qui ſic bona faciunt, & bona faciendo non peccant, poſſunt tamen peccare, quia non bene faciunt. Ita licet amor Dei non ſit peccatum, poteſt tamen in amore Dei peccari, ſi is non ſit perfectus. In Auguſtini verbis à te citatis diſtinguere ſtatum naturæ integræ & lapſæ debueras. In ſtatu naturæ integræ conjugalis concubitus omni pravæ concupiſcentiæ vitio caruiſſet, qui in ſtatu naturæ lapſæ ab inhærente prava concupiſcentia deformatur. Ridicula inſuper tua ratiocinatio

natio est: *Si nubere bonum, & virginem manere melius est, ergo ex defectu summæ perfectionis reatus non contrahitur.* quasi ibi vel de bono morali, vel de ejusdem sive operis, sive virtutis gradibus sermo esset. Nam aliud & diversum opus alio & diverso opere melius esse, sine vitio imperfectionis, quis negavit? Ita amare Deum melius est, quàm amare proximum. Nullum tamen in amore proximi vitium est. 3. S. Petri 2. Epist. cap.I.10. verba sic sonant: *Studete firmam vestram vocationem & electionem facere. Hoc enim facientes οὐ μὴ πταίσητέ ποτε non offendetis unquam.* Si particula negativa absolutè, uti tu pertendis, distribuit, & malitiam peccati universaliter & à substantia operis, & à modo operandi omni removet; quomodo igitur S. Jacobus asserit, *nos omnes in multis offendere?* Jac.III.1. Vos ipsos appello judices, qui non diffitemini, quandoque in bonis operibus peccari, sed tantùm, non semper. Igitur *πταῖσις casus* seu *offensio* S.Petro est universalis lapsus à justitia ad injustitiam, à Christo ad Sathanam, mundum, Antichristum; qualem & vos defenditis, & vocationem electionémque non *βεβαιοῦντες stabilientes*, tristem nimis, juxta vaticinium 1.Tim.IV.1. jam pridem experti estis. Electi autem hoc modo nec offendunt, nec seducunt, Matth.XXIV.24.

OBIECT. III. *Bona opera fidelium sunt simplicia ac perfectè lucida, Matth.VI.22. Luc.XI.14. Ergo perfectè bona.* Resp.1. Christus discipulos & auditores suos dehortatur ab invidia, & hortatur ad æquanimitatem. Perfectionem verò operum ne verbo quidem attingit. 2. Nec si opera fidelium simplicia ac perfectè lucida esse debent, ilico talia esse consequitur. Neque enim Christus dixit, in quoquam oculum esse totum lucidum, sed ὑποθετικῶς: *Si fuerit, &c.*

Excip. Reding: 1. *Christus à fidelibus suis opera perfectè lucida exigit. An fas est dicere, eum gratia sua non perficere, quod exigit? 2. Vel nullus dabitur actus secundum substantiam moraliter bonus, quod tu ipse negas: vel actus substantialiter bonus nulla ex parte formaliter peccaminosus esse potest, tum quia gratiæ puritas effectivè in actum peccaminosum non influit: tum quia circumstantia aliqua moralem malitiam suam nequit transfundere in actum, nisi ab hoc attingatur; attingi autem nequit, quia bonum est ex causa integra, malum autem ex quolibet defectu.* Ib.pag.524 525. Resp.1. An tu fas putas dicere, Deum debitorem esse perficiendi quicquid exigit? *Quis igitur ei dedit prior, ut reddatur ipsi,* Rom.XI.35? Cœterùm libenter do, Deum perficere in fidelibus, quod ab iisdem exigit, partim imputando justitiam Christi Sponsoris, partim sanctificationem in altera vita consummando. Quicquid verò tu argueris, Christus non dixit, esse in te, vel alio totum oculum lucidum; sed hypotheticè, *Si fuerit.* Proba, esse in aliquo totum oculum lucidum, & viceris. Non viceris tamen, nisi profligata priùs doctrina Catholica de peccato originali, quod & menti etiam regenitæ tenebras nonnullas offundit, & voluntatem ad malum inflectit. 2. Actum verò substantialiter perfectè, & omni ex parte debita bonum simul formaliter peccaminosum non esse, largior. At qui bonus est substantialiter, seu quoad substantiam operis; nec tamen perfectè & omni ex parte bonus est, aliena vi, seu ob perfectionis defectum, non per se, peccaminosus reddi potest, eo ipso, quia non est ex integra causa; & circumstantiæ vel causæ cujuspiam defectus obest, quò minùs substantia operis plenam cum lege conformitatem habeat. Neque idcirco gratiæ puritas in actum peccaminosum, qua talem, sed qua ex

parte moraliter bonum, influit: & non in hac, sed in futura demum vita omnibus numeris consummata peccatum quodvis à substantia boni operis tollet.

OBIECT. IV. *Quilibet justus comparatur cum arbore bona, Psal.I.3. XCII.13. At juxta effatum Christi, Matth. VII. 17. arbor bona non potest ferre malum fructum. Ergo justus in operibus bonis non peccat.* Resp. Omnis arbor bona fert bonos fructus, sed non perfectè bonos. Aliàs nunquam quisquam bonus peccaret unquam, quod ipsi adversarii inficias eunt.

EXCIP. REDING: *Homo secundum naturam suam spectatus non est arbor perfectè bona: est tamen spectatus secundum gratiam.* Ib. pag.525. Resp. Si secundùm gratiam spectati fideles perfectè bona arbor sunt, cur ergo nullus justus est sine peccato? Cur hic taces, & ne quidem oggannis aliquid?

OBIECT. V. *Sancti justificati provocant ad suam justitiam, & secundum eam judicari à Deo expetunt, Psal.VII.9.XVII.1.XVIII.21.XXVI.1. Ergo eorum opera sunt absolutè justa ac bona.* Resp. David in locis allegatis agit de justitia *causæ* in perduellionis crimine ipsi imputato à Saulitis; non de justitia *personæ*, utpote qui omnem justitiam operum in Dei judicio disertè repudiat, Psal. CXXX.3. CXLIII.2.

EXCIP. REDING: *Discerne inter opera justitiæ & iniquitatis. David reflectens super opera justitiæ ex gratiæ viribus patrata, eorum puritatem agnoscit. At reflectens ad se timebat, ne si Deus iniquitates observaret, judicium Dei sustinere non posset.* Ib. pag. 526. Resp. Gratias tibi, Redingi. Herbam porrigis. Non erat igitur vel in Davide, vel in quoquam alio justitia personæ, numeris omnibus consummata, quia in iisdem, te ipso arbitrante, erant iniquitates, ad quas reflectens judicium Dei deprecari necessum habuit.

OCIECT. VI. *Paulus 1.Cor.III.12. bona fidelium opera comparat cum auro, argento, lapidibus pretiosis, & illa in igne divini judicii manere ac mercedem accipere docet. Ergo perfectè bona sunt.* Resp.1. Opus dicitur vel pro *operatione* ipsa, vel pro *effecto* operationem consequente. Sæpe operatio mala opus bonum producit. Paulus opus accipit non pro operatione, sed pro effecto eam consequente, nempe doctrina sana, pura, uti fatentur Salmero & Justinianus, & ipsa id metaphora ostendit, cùm fundamento superædificentur non *operationes*, sed *opera*, puta lapides, aurum, argentum. Non sequitur autem, perfectè bona esse opera justorum, si perfectè bonæ sint doctrinæ, quas ex Dei verbo prædicant. 2. Neque aurum semper notat id, quod est sine peccato, sed quod maximè recedens à peccato ad puritatem accedit. Ita omnes fideles 2.Tim.II. 20. comparantur cum vasis aureis & argenteis, qui tamen sine peccato non sunt.

EXCIP. REDING: 1. *Siccine operibus malis efficaciam producendi bonum effectum tribuis: at gratiæ Christi vim voluntatem nostram purgandi negas? 2. S. Paulus v.13.14. sic inter-*

Digitized by Google

ter opera fidelium discernit, ut alia mercede digna, alia damnum allatura pronunties. Quomodo sic discerneret, si omnia opera fidelium essent peccata & pœnæ meritoria? 3. In loco 2.Tim.II.20. disertè S. Paulus bona opera à malis discernit, & eos, qui se emundant, non alios cum vasis sanctificatis comparat. Tu verò in unam peccati massam omnia cogis. Ib. pag 526. Resp. 1. Non opera mala, uti verba mea tu malignè pervertis; sed operationes malas sæpe bonum opus producere dixi. Sic gaudebat S. Paulus, cùm ex æmulatione à quibusdam prædicabatur Evangelium, Phil.I.15--19. Prædicatio ex æmulatione mala operatio erat: prædicatus Christus bonum opus. Sic in opere nuptiarum, cùm nunquam desit peccatum propter concupiscentiam, uti Augustinus passim docet, operatio, quæ mala esse ex accidenti potest, bonum opus, hominem, qui Dei creatura est, producere potest. Ubi filius est opus patris, nec tamen est peccatum patris. Pari ratione opera, quæ S. Paulus cum auro & argento comparat, hoc est, sanæ & pretiosæ doctrinæ ab architectis fundamento superstructæ, sunt bona opera, *κυρίως* quidem non hominis, sed Dei, qui principalis doctrinæ author est. Sed operationem seu superstructionem ipsam vitiosam esse posse, Apostolus loco citato Phil.I.15. &c. disertè docet. Ad hoc, si vir es, responde, & mitte nugas. 2. Neque etiam quia, qui opus bonum manens superstruxit, præmium accipiet, iccirco operationem seu superstructionem ipsam perfectè bonam fuisse sequitur. Nam præmium est operationis, quatenus illa bona est, non quatenus defectum habet. 3. Neque responsionis ex 2.Tim.II.20. petitæ nervum ullatenus feris. Nam ex eo unum hoc astruo, aurum non semper notare id, quod est sine peccato, sed quod maximè à peccato recedens, ad puritatem accedit proximè. Nam fideles, quos cum aureis & argenteis vasis Apostolus contendit, sine peccato omni esse, ne ipsi quidem asseveratis. Cur nihil ad hoc respondes? Licet verò fideles non perfectè boni, justi & mundi in hac vita sint, *expurgare* tamen se *ab hisce*, hoc est, non esse participes seu *συμμίτοχοι* eorum, qui non sunt *vasa ad honorem*, adeóque esse *vasa aurea & argentea ad honorem*, rectè dicuntur, sine ulla vasorum in unam massam confusione. Quod iterum vobis etiam judicibus comprobo, quia quenquam esse sine peccato, adeóque se perfectè expurgari, negatis, & tamen fideles omnes, qua tales, cum vasis argenteis vel aureis paria facere, neque adeò eosdem semper & esse peccatores, & simul esse vasa ad ignominiam, asseritis.

OBIECT. VII. *Bona opera Deo placent, Matth.III.4. Act.X.35. Phil.IV.18. 2.Pet. II.5. Ergo perfectè justa & bona sunt.* Resp. Placent Deo non tanquam *judici*, sed tanquam *patri* misericordi in Christo, cujus obedientiâ omnes eorum defectus teguntur, & condonantur. Ipsa misericordia Dei Patris supponit peccatum, quia Deus miseretur non justi, sed peccatoris.

EXCIP. REDING: *Approbatio bonorum operum in Deo, veritate nititur. In se ipsis igitur habent bonitatem, qua judicii Divini approbatione digna sunt. Aliàs Deus ex respectu meriti Christi approbabit tanquam bonum, quod in se ipso malum est.* Ib. pag. 526. 527. Resp. An igitur Divina fidelium in Christo approbatio, cujus testis est vox cœlitus audita: *Hic est filius meus dilectus, in quo beneplacitum habeo*, veritate destituitur? Nempe si vel Christus non est justus & sanctus sine omni labe: vel ejus justitia & sanctitas nihil ad fideles spectat, nec iis donatur. Væ nobis, si alterutrum verum est! Conclamata erit salus hominum omnium! Neque sic probat Deus id, quod malum est, uti ineptè infers;

Digitized by Google

sed probat opera, quorum defectu mala omnia per Christi justitiam nobis donatam remittuntur, teguntur & non imputantur.

OBIECT. VIII. *Opera Dei & Spiritus S. sunt perfectè bona. Atqui bona fidelium opera sunt opera Dei & Spiritus S. Ephes. II. 19. Ergo.* Resp. Opera Dei & Spiritus S. quæ & quatenus immediatè ab ipso manant, perfectè bona sunt. At opera fidelium non immediatè à Deo & Spiritu S. manant, sed à Spiritu S. luctante cum reliquiis carnis.

EXCIP. REDING: *At Spiritus S. gratia efficacia carnis reliquias superat.* Ib. pag. 527. Resp. Non sic ante finem vitæ & Seculi hujus superare vult, quin semper carnis reliquiæ Spiritui S. adversantes remaneant. Unde S. Paulus, regenitus licet, se *σαρκικὸν carnalem*, ex parte scilicet, agnovit, Rom. VII. 14.

QUÆSTIO XVIII.

An fides quæ à charitate separata, adeóque viva & formata non est, sed mortua & informis, vera sit, ita ut per eam verus Christianus aliquis esse posit?

AFfirmat Synodus cap. XV. & Canone XXVIII. Nos verò negamus, & illud fidei *mortua ac informis,* quam tamen aliquid dispositivè ad justificationem sive adeptionem charitatis conferre asserunt, spectrum debellatum imus sequentibus argumentis.

ARG. I. Scripturæ fidem describunt ut causam emanativam charitatis, 1. Joh. II. 29. V. 1. Ita ut quæ fides hunc effectum non præstat, fidei potiùs simulachrum & informe cadaver sit, Jac. II. 20. 1. Joh. I. 6. 7. Sicut igitur sol qui non illuminat, sol non est, nec aqua quæ non humectat: ita nec vera fides quæ charitatem non producit. Hinc est quòd Paulus Gal. V. 6. 1. Thess. I. 3. 1. Tim. I. 5. fidem docet per charitatem esse efficacem & actuosam.

RESP. REDING: 1. *Fides vera virtus est, distincta à charitate. Quod ipse fateris, appellando eam causam charitatis. Antecedenter igitur ad charitatem completam essentiam habet. 2. Quinimò etiam à charitate separari potest, quia Deus per suam omnipotentiam proprietatem à sua natura separare potest. uti ex vi ignis Babylonici liquet. Alias quotquot non diligunt, adeóque peccatores sunt, simul etiam infideles forent, & extra Ecclesiam relegandi. 3. Licet verò ejusmodi fides mortua sit, non tamen est simulachrum fidei, sed*

vera

Digitized by Google

vera fides, quæ propriè est Christianorum, Hieronymo lib.1. in Jovin. teste. Fides enim sic est forma essentialiter constitutiva in esse Christiani, ut tamen non sit constitutiva in esse Christiani integraliter perfecti. Tract IV. Ss.2. pag.527.528 Resp.1. Distincta quæ sunt, non icecirco separabilia sunt. In animæ rationalis potentiis Philosophi vestri Reales distinctionem ponunt, quas tamen inseparabiles esse iidem agnoscunt. Oculus vivens à corde vivente distinctus est; neque tamen cor vivens à vivente oculo, citra destructionem vitæ, separari potest. Par ratio fidei & charitatis. Licet enim essentia sua distinguantur, inseparabiles tamen sunt, perinde ac causa emanativa, quæ existendo causat, & effectus emanans. Nam *qui credit, quòd Jesus sit Christus, ex Deo genitus est*, 1. Joh. V.1. Nemo autem nisi *faciens justitiam*, adeóque diligens, *ex Deo genitus est*, 1. Joh.II.29. Ad quæ loca à me collata nihil respondes. 2. Cùm proprietatis à natura separatio sit naturæ ipsius destructio, Deus, manente natura, proprietatem separare nequit. Aliàs diceret naturam esse, quæ non est; adeóque idem esse & non esse, quod Deo veraci non convenit. Neque certè Babylonicus ignis proprietatem suam non urendo Viros Sanctos, quorum corpora Deus adversus vim ignis firmavit, amisit, uti ex ambustis ab eodem Babyloniis liquet. Et sanè non diligentes, etiamsi externo Ecclesiæ corpori simulata professione se agglutinaverint, separat tamen Deus ceu carcinomata ab eodem corpore vel in hac vita non raró, vel in altera certissimè. 3. Fides mortua juxta S. Jacobum non *propriè* Christianorum, verorum scilicet, sed Pseudochristianorum, imò Diabolorum est. cap.II.14.17.19. Talis vestra Papistica fides est, quam à charitate separatam disponere ad justificationem contenditis, nil nisi generalis assensus, quòd Christus pro credentibus mortuus sit, & si quid aliud. Quæ non minùs certa fide Diabolus, quàm homines Dei & proximi non diligentes, amplectitur. Hieronymo verò in loco à te citato *fides* externam veritatis Evangelicæ professionem, non quicquam aliud significat. Absit enim, ut fidem mortuam, quæ Diabolorum est, *propriè* Christianorum esse, senserit ille. Explicat mentem ejus S.Augustinus *in Epist. Joh. Serm.*10. his verbis: *Salvemur ab ipso, ambulemus per ipsum. Hoc est credere, quòd Jesus Christus est, quomodo credunt Christiani, qui non solùm nomine Christiani sunt, sed factis & vita: non quomodo credunt dæmones.* Fides ergo, quia nunquam à charitate separatur, Christianum, indivulso semper utriusque nexu, constituit. Separata verò à charitate, nec in *Esse Christiani*, nec in *Esse Christiani integraliter perfecti*, sed in Esse hypocritæ & filii Sathanæ, cujus similis fides est, constituit.

ARG. II. Fides vera est salutaris Dei notitia, quæ cum charitatis praxi indivulso nexu cohæret, 1. Joh.II.3.4. Quæ igitur à charitate separatur, vera non est, nec Christianum facit.

RESP. REDING: *Distinguere debueras duplicem fidei statum, alterum substantialem, qui subsistit in sola fide, vitæ principio & fundamento: alterum formalem, in quo fides supernaturalem vitam importat, & per charitatem constituitur. De hoc, non illo S. Johannes loquitur.* Ib. p.528. Resp. Distinguere non distinguenda non debui. Qualis enim substantiam inter & formam fidei differentia est? An à substantia rei, forma ejusdem excludi potest? Næ proximum hoc est insaniæ. Et sic fides vera supernaturalis vitæ principium est, ut ejusdem etiam pars sit, nec in quoquam, nisi in eo, qui vitam supernaturalem vivit, reperiri queat. Nam *quod vivimus, vivimus in fide filii Dei, qui nos dilexit, & semetipsum pro nobis tradidit*, Gal.II.20. Et *credentibus in nomen* Christi Deus *ignaviæ potestatem*

testatem, seu jus & dignitatem hanc *dedit*, *ut Filii Dei fiant*, seu pro iis se gerant, Joh. I. 12. Filius autem Dei ex Deo genitus, adeóque vitæ naturalis particeps est. Et quomodo, sodes, à fide vera ejúsque sive substantia, sive forma cognitio Christi divelli potest? Et tamen S. Johannes 1. Epist. II. 3. 4. disertè negat, quenquam Christum cognoscere, qui mandatum ejus non servat. Finis autem mandati quid nisi charitas est? 1. Tim. I. 5.

ARG. III. Qui charitatem non habet, is fidem abnegavit, 1. Tim. V. 8. At abnegatio fidei non potest cum ea fide, quæ verum Christianum facit, consistere.

RESP. REDING: 1. *Si vera fides sic cum charitate cohæreret, tum quoties adversus charitatem homo peccat, fidei etiam jacturam faceret.* 2. *Aliud est fidem abnegare formaliter in se ipsa, aliter in aliquo suo effectu, seu opere per fidem tradito. Qui suorum curam non gerit, abnegat fidem sensu posteriori, non priori; nec priori magis, quàm si aliud peccatum, quod fidei contrariatur, committeret.* Ib. pag. 528. Resp. 1. Peccatum contra charitatem vel oritur ex residua infirmitate carnis, & cum odio peccati conjunctum est: vel ex malitia, & amore ac delectatione peccati. Prius cum fide, quæ promissionem apprehendit, consistere potest: posterius non item. 2. Qui effectum cum causa necessariò connexum, seu à causa emanantem tollit, is causam ipsam tollit. Tolle lucem, tollis Solem. At charitatis, sive ea erga Deum, sive erga proximum fertur, habitus fidei veræ ejusmodi effectus est, quia fide corda purificantur, & purificata illa Dei & proximi amore imbuuntur. Et pari ratione quisquis alia peccata similiter, hoc est, malitiosè, & cum eorum amore & delectatione patrat, fidem abnegat. Nempe fides se exerit per confessionem oris & operis. Ubi vel utraque, vel alterutra abest, vera fides nulla adesse potest, adeóque etiam *formaliter* abnegatur.

ARG. IV. Fides vera nos inserit Christo, Joh. I. 12. XV. 5. Gal. II. 20. III. 26. 1. Joh. III. 6. Qui inseruntur Christo, charitatis exortes esse nequeunt.

RESP. REDING: 1. *Quis vestrum gloriari potest, se nulla in re charitatis ordinem violasse? Nemo igitur vestrum in Christo est. Et quid tegit justitia Christi imputata, si quodvis peccatum contra charitatem fidem ipsam tollit?* 2. *Loca citata nil ad rem faciunt. Joh. I. 12. credentibus potestas datur, ut fiant Filii Dei. Fides igitur non formaliter facit filium, sed est principium vitæ & una cum charitate vivificat. Joh. XV. dicitur facere fructum multum, qui in Christo manet. At nemo in eo manet nisi qui diligit, 1. Joh. IV. 16. Porro Gal. II. 2. III. 26. sermo est de fide per charitatem formata. Fidem igitur veram cum viva confundis.* Ib. pag. 529. Resp. 1. Studiosè omnia pervertis. Cum fide nos charitatis habitum, amorem, studium; non quemvis ejusdem ex carnis infirmitate pullulantem defectum copulamus. Etiam qui peccat fidelis, lege Dei delectatur, & quod facit, non vult, sed odit, Rom. VII. 15-23. Et tegit hos defectus justitia Christi donata, quæ fide vera & apprehenditur, & inter multiplices infirmitates conservatur. Nam etiam ægrota & infirma manus splendidissimum munus & eleemosynam accipere & custodire potis est. 2. A fide est potestas, hoc est, jus & dignitas filiationis, seu, ut pro filio Dei se aliquis gerere possit. Et principium utique, imò & prima pars vitæ spiritualis est; qua sic Christus apprehenditur, ut apprehendens non possit non esse Filius Dei, & qua Filius Dei, amore Dei flagrare. Et si fides Christo inserit, fideles in Christo manent. Si

in Christo ceu vite sua manent, fructum multum ferunt, Joh. XV. 5. Qui fructus est charitas, quia qui in charitate manet, is in Deo manet, & Deus in ipso, 1. Joh. III. 16. Tuum denique de fide per charitatem formata commentum Scripturæ inferis, non ex ea efferis. Nam id forma fidei est, per quod fides est id, quod est. At per charitatem, utpote necessarium effectum suum, non est id quod est, sed manifestat se esse id, quod est. Unde dilectionem esse *opus fidei* & Lombardus tuus *3. Sent. d. 23. lit. C.* dixit, & tu supra contra me ursisti, statuens eum, qui curam suorum non habet, fidem non *formaliter*, sed in *effectu* seu *opere* abnegare.

ARG. V. Fide vera corda purificantur, Act. XV. 9. Ad cordis autem puritatem inprimis pertinet charitatis habitus.

Resp. Reding: *Fides per charitatem formata, & conjuncta cum Spiritu S. purificat.* Ib. pag. 529. Resp. Fides, à Spiritu S. donata utique, corda purificando charitatem efficit. Qua enim in re purificatio cordis, nisi in sanctificatione, cujus charitas Dei & proximi compendium est, consistit?

ARG. VI. Credentes Spiritu S. obsignantur, Ephes. I. 13. & ejusdem sunt Templa, 1. Cor. VI. 19. Ubi Spiritus Dei est, ibi gratiosè charitatem operatur.

Resp. Reding: *Credentes per fidem vivam Spiritu S. obsignantur, adeoque mediante charitate Templa Dei viva constituuntur* Ib. pag. 529. Resp. Non alia vera fides est, quàm quæ viva est. Sicut non alius verus homo est, quàm qui vivit. Cadaver enim hominis propriè non est homo. Unde Christus ipse, Matth. XXII. 32. ex eo, quòd Deus se Deum Abrahami, Isaci & Jacobi declaravit, conclusit, illos non esse mortuos, & quoad corpus olim etiam resurrecturos esse. Si Abrahamus, Isacus, Jacobus quâ mortui veri homines fuissent, non strinxisset argumentum Salvatoris. Potuisset enim etiam esse Deus Deus Abrahami, Isaci & Jacobi mortuorum, utpote verorum hominum, non viventium duntaxat. Par ratio fidei, quam sine operibus mortuam esse perinde, atque corpus sine spiritu, seu spiraculo vitæ, mortuum est, Apostolus Jac. II. 26. arguit. Porro fidem per charitatem, ceu formam suam vivere, tam absurdum est, quàm quod maximè. Si ad formæ internæ & externæ latibulum cum Sophistis vestris te contuleris, nihil proficies. Nam in loco Jac. II. 26. πνεῦμα *Spiritus* sine quo corpus mortuum dicitur vel anima est, vel respiratio. Si *anima*, charitas non erit forma externa fidei, sed interna potiùs. Si, quod verius, *respiratio*, ἀναλόγως charitas erit effectum & signum fidei, non forma. Formæ enim proprium est informare; efficientis movere & agere. Et numquid fides vera justificans (nam de hac sola quæstio est) potest esse otiosa & torpida qualitas, quæ superventu charitatis demum sit excitanda, movenda & animanda? Imò res viva est, efficax & operosa per charitatem, Gal. V. 5. 6. quæ instar lucis spargit bonorum operum radios, Matth. V. 16. Jam ergo si vera fide, quæ itidem viva est per vitam & essentiam propriam, à charitatis vita & essentia non separatam equidem, sed distinctam, obsignamur Spiritu S. utique eam à charitate separari impossibile est. Spiritus S. enim ubique gratiosè est & habitat, ibi dilectio abesse nequit. Nam & ipse, sicut Deus charitas est, & eandem in fidelibus operatur.

ARG. VII.

ARG. VII. Fides denique mortua & informis nihil aliud eſt, quàm vel lætitia carnalis ob quædam audita : vel convictio de veritate auditorum, excludens gratiam Dei in Chriſto, quam vera fides apprehendit.

Resp. Redino : *Fides mortua in ſua intrinſeca eſſentia defectum nullum patitur, ſed in charitate tantùm ejus vivificatrice.* Ib. pag. 529. Crambes ſæpius cocta tibi mors. Sicut cadaver mortuum humanum veri hominis formam intrinſecam nullam habet : ita nec fides operibus & charitate deſtituta, & eatenus mortua, veræ fidei juſtificantis formam intrinſecam habet nullam. Eſt enim fides ſic mortua veræ fidei juſtificantis pura privatio.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Apoſtoli fidem depingunt ejusmodi, quæ poſſit eſſe ſine dilectione,* 1. *Cor.* XIII. 2. *ubi fides ſignorum eadem eſt cum fide promiſſorum ſpecie, gradu tantùm differens. Et Jac.* II. 15. *ubi de vera fide ipſum loqui palam eſt ex v.* 23. *ubi docetur, talem fuiſſe fidem ipſius Abrahami, quæ operibus ejus cooperata eſt; nec non ex v.* 24. *ubi fidei huic licèt non ſoli, juſtificatio tribuitur.* Reſp. 1. Paulus loquitur de fide miraculorum, non juſtificante. Quas easdem non eſſe, res ipſa oſtendit, cùm illa jam pridem in eccleſia perierit, hæc perpetim duret. Vel certè fidem intelligit perſuaſionem de Divinis promiſſionibus & Divina potentia. qualis in multis ſine fiducia, adeóque non juſtificans, eſſe poteſt. 2. Jacobus non veram fidem deſcribit, ſed inanem ejus larvam & jactantiam, πίστιν λεγομένην, *fidem quam quis dicit ſe habere* v. 16. qualis nempe etiam *dæmonum* eſt, v. 19. quámque *mortuam*, adeóque æquivocè talem vocat, v. 17. Fidem verò Abrahæ diſertè opponit fidei mortuæ, quæ erat ſine operibus, v. 21. adeóque hanc ejus exemplo tanquam contrario deſtruit, non illuſtrat.

Excip. Redino : 1. *In Eccleſia ea, quæ vera eſt, fides miraculorum extat. Veſtra igitur, in qua non extat, vera Eccleſia non eſt.* 2. *Eam fidem Apoſtolus* 1. *Cor.* XIII. 2. *intelligit, quam ibidem verſ.* 13. *una cum charitate & ſpe manere dicit, licet charitate minorem eſſe aſſerat. At quæ fides æquè ac charitas manet, vera fides eſt.* 3. *S. Jacobus cap.* II. 15. *&c. fidem ponderat in tota ſua univerſalitate, tum objectivè, tum formaliter in ratione virtutis ſpectatam. Illam eſſe in dæmonibus, hanc cooperari operibus, & per ea conſummari dicit. Certè v.* 20. *&* 26. *Apoſtolus fidem ſine operibus mortuam eſſe indefinitè & univerſaliter pronuntiat. Si de fide jactata & æquivocè dicta duntaxat id verum eſſet, abſolutè & indefinitè verum non eſſet, quòd fides ſine operibus mortua ſit.* Ib. pag 530. Reſp. 1. Eam Eccleſiam, in qua fides miraculorum noviſſimi temporis, adeóque perpetim manens jactatur, in S. literis eo charactere inſignitam reperio, quòd ſit Eccleſia Antichriſti præſentis *ſecundum operationem Sathanæ in omni potentia, & ſignis, & prodigiis mendacii, & in omni fallacia injuſtitiæ in pereuntibus. Quia enim amorem veritatis non receperunt, ut ſalvarentur; ideo mittet iis Deus efficaciam erroris, ut crederent mendacio,* 2. Theſſ. II. 8.-12. Hæc fides miraculorum poſterioris temporis eſt, quæ fidem veſtræ Eccleſiæ (nam aliam

Eccleſiam,

Ecclesiam, in qua posterioribus temporibus fides ejusmodi obtinuerit, vel obtineat, nominare nunquam poteritis, ut vel non impletam, vel unquam implendam, vel in Ecclesia vestra impletam & ulteriùs implendam prophetiam certissimè constet) vivis coloribus depingit. Nisi juxta eandem prophetiam, ob non receptum veritatis amorem Deus efficaciam erroris vobis, iis inprimis, quibus Tu & alii miraculorum mangones orbi nefariè illusistis hactenus, justo judicio immisisset, tremor extremus jam pridem artus & fibras vestras omnes occupavisset. 2. S. Paulus 1. Cor. XIII. 2. sic de fide signorum loquitur, ut de fide justificante planè non loquatur. Id tum *scopus* ejus, qui est, sic agere de variis donis particularibus, corúmque abusu, ut istis charitatem anteferendam pertendat: tum *præcedentia*, nempe 1. Cor. XII. 9. ubi fides inter charismata spiritualia, quæ non omnibus salvandis datur (justificans autem salvandis omnibus datur) numeratur: tum *phrasis* ipsa, *adeò ut montes transferam*, desumpta ex verbis Christi, Matth. XVII 26. ubi de justificante fide non agitur; validè demonstrant. Accedit consensus veterum. Oecumenius enim Gennadium κατὰ πόδα secutus; *πίστιν νῦν*, inquit, *οὐ τὴν τῶν πιστῶν τὴν κοινὴν καὶ καθολικὴν λέγει ἀλλὰ τὸ χάρισμα τὸ τῆς πίστεως. Fidem non eam, quæ fidelium communis & Catholica est, dicit, sed charisma fidei.* Eodem modo Chrysostomus *ad h. l.* & Theophylactus. Chrysostomi verba repetens. Possem consentientes vestros Arium Montanum *in Elucid.* & Antonium Scaynum *Annot. in 1. Cor. XII.* laudare. Neque te juvat, quòd v. 13. fides, spes, charitas conjunguntur, tanquam manentes. Nam & tu fidem signorum manere pertendis. Præterea sicut v. 12. mentio est cognitionis beatificæ, quæ alterius longè generis est, quàm illa *πᾶσα γνῶσις omnis cognitio*, quæ v. 2. memoratur: sic v. 13. nominatur *πίστις fides* alia longè virtus, quàm illa, quæ v. 2. memorata fuerat. prout etiam *ἐλπὶς spes*, nova virtus, cujus ante mentio nulla erat, ponitur. Sed esto, & v. 2. & v. 13. eadem fides nominetur. Non idcirco justificans v. 2. intelligenda fuerit; sed utrobique fides persuasionem de Divinis promissionibus & Divina potentia significaret. Qualis fides fuit in plerisque Israëlitarum, cùm exiverunt ex Ægypto & transierunt per mare rubrum; in quibus tamen Deus complacentiam non habuit. Talis etiam fuit fides illorum, qui in nomine Christi dæmonia ejecerunt, Matth. VII. 22. Ejusmodi fides est illorum, qui omnia, quæ prædicta & promissa sunt futura in Ecclesia, credunt, licet justificante fide præditi non sint. 3. In loco Jacobi turpissimè hallucinaris. Fides enim in omni sua universalitate etiam justificantem & salvificam fidem complectitur. At mortua fides, qualem & dæmones, & damnati omnes, & hypocritæ, nudè profitentes fidem revelatam, nec justificans certè, nec salvifica est. utpote quæ electorum & Christo insitorum propria est. Neque etiam, vel quoties absolutè & indefinitè fides nominatur, vera fides intelligitur: vel hoc loco absolutè fides nominatur. Non *prius*, quia etiam Simon Magus absolutè credidisse dicitur, Act. VIII. 13. nec tamen verè credidit, sed *simulatè & fictè*, uti disertè glossa interlinearis habet. Non *posterius*, quia S. Jacobus de fide disertè *κατά τι secundum quid* loquitur, non scribens, *si quis habeat fidem*; sed, *si fidem aliquis dicat se habere* v. 13. quod semel dixisse sufficiebat. Aliud sanè est, veram fidem habere; aliud *λέγειν dicere*, se veram fidem habere. Et ne quisquam absolutè & indefinitè hoc acciperet, disertè *πίστιν νεκρὰν fidem mortuam* v. 17. 26. appellat, eámque à fide *τοῖς ἔργοις συνεργούσῃ operibus cooperante*, ad demonstrationem scilicet acceptæ justitiæ, distinguit. Denique cùm fidem sine operibus mortuam esse dicunt. verba illa *χωρὶς ἔργων sine operibus* non cum prædicato *mortua est*, sed cum subjecto fidei cohærent, ut sensus sit *fidem,*

quæ sine operibus est, esse mortuam. quod longè aliud est, quàm, *fidem esse mortuam sine operibus;* quasi ab operibus vitam sumat. quod æquè absurdum est, ac si dicas, corpus esse mortuum sine sensu & motu, quasi sensus & motus sint vitæ causa; cùm dicendum potiùs sit, corpus, quod sine sensu & motu est, esse mortuum, quia ex necessariis effectis suis causa cognoscitur, & hæc opera veræ vivæque fidei non causæ, sed effecta & testimonia sunt.

OBIECT. II. *Principes Judæorum vera in Christum fide præditi, charitate tamen destituti fuerunt, Joh. XII. 42. 43. Ergo fides exsors charitatis esse potest.* Resp. Principes illos fuisse vera fide præditos, asserere non patitur gravis illa censura Spiritus S. quæ extat v. 43. Et eos vera fide præditos fuisse, non obscurè negat Christus Joh. V. 44. Phrasis verò illa *credere in Christum* v. 42. usitato Hebraismo notare potest simplicem assensum, ut Exod. XIV. 31. 2. Chron. XX. 20.

EXCIP. REDINO: 1. *Joh. V. 43. 44. sermo est de Judæis Christum non recipientibus, non de Judæis universim. Certè primores illi populi, Joh. XII. 42. in Christum crediderunt, adeoque eum receperunt; sed ob timorem confessi non sunt. Unde ob charitatem gloriæ Divinæ non conjunctam, fides eorum vera, sed non viva fuit. 2. Exod. XIV. 31. sermo est de toto populo Israelitico, credente Domino & Mosi servo ejus, ob visa in transitu maris Rubri prodigia. An ergo universus populus vera fide caruit?* Ib. pag. 530. Resp. 1. Loca Joh. XII. 42. & cap. V. 44. non absque ratione contuli. Sicut enim priore loco primores populi dicuntur credidisse quidem in Christum, sed eundem confessi negantur, quia magis gloriam hominum quàm Dei dilexerunt: ita posteriore negantur credere posse Judæi, gloriam à se invicem captantes, & à Deo solo gloriam non quærentes. Liquet ergo, fidem credentium quidem, at gloriam hominum magis quàm Dei diligentium, esse quidem fidem, puta historicam, seu simplicem assensum; sed non fidem veram justificantem, de qua quæritur. Cum hac enim ὁμολογίαν seu *confessionem* oris conjunctissimam esse, S. Paulus Rom. X. 9. 10. disertè docet. Et sanè neminem verè credentium Christus negabit coram Patre. At negabit omnes idem, qui coram hominibus eum confessi non fuerint, Marci VIII. 38. Quos inter etiam Cyrillus Alex. *in Joh. cap. 22.* Judæorum primores istos refert. Hinc adeò Chrysostomus primores illos *fidem contempsisse* statuit. 2. Licet in populi Israelitici mare rubrum transeuntis censu nonnulli etiam verè fideles extiterint; potiores tamen, quos Deo etiam & Mosi servo ejus credidisse, historia testatur, vera in Christum fide destituti fuerunt, teste Apostolo 1. Cor. X. 2. 5. ubi *Deum ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν in pluribus illorum beneplacitum habuisse*, negat.

OBIECT. III. *Multos in ecclesia verè fideles, charitate tamen vacuos esse, docent Parabolæ Matth. XIII. 18. XXII. XXV. Marc. XIII. 48.* Resp. Omnes in ecclesia fideles, hoc est, fidem oretenus profitentes, non statim veram fidem habent, uti liquet ex Esaj. XXIX. 13. Matth. XV. 9. Tit. I. 16. Et quis tandem ausit asserere, paleam, pisces putridos, hospites sine veste nuptiali, hædos, veros fideles & Christianos designare?

EXCIP.

Digitized by Google

EXCIP. REDING: 1. *Confundis virtutes voluntatis perfectivas cum fidei virtute intellectuali. Illis sublatis hæc non statim tollitur.* 2. *Matth. XIII. 18. per zizania posse intelligi malè viventes Catholicos, qui per unitatem fidei veræ Ecclesiæ membra sint, Augustinus lib. quæst. in Matth. cap. 11. monet. Vera igitur fides in iis extincta non est. Aliâs membra Ecclesiæ esse desinerent. Idem lib. de Unit. Eccles. cap. 18. in una Ecclesia esse triticum cum zizaniis, lilium cum spinis, pisces bonos cum malis, asseris. Ecclesiæ verò unitas nisi per fidei unitatem non subsistit.* Ib. pag. 531. Resp. 1. Fidem non intellectus solius, sed voluntatis etiam habitum esse, supra pervicimus. Et de eo quicquid fiat, nunquam tu fidem facies solidam, omnes eos veram fidem habere, qui veram fidem profitentur. Aliud enim est esse, aliud dici. 2. Siccine ergo æquo animo ferre potes, ut paleæ, zizania, putridi pisces, hœdi sint in verorum fidelium censu; sint veræ Ecclesiæ vera membra? Congruis sic cum Bellarmino, qui de Eccles. *Milit. cap. 2.* tradit, Ecclesiam eos comprehendere, qui spe aut timore aliquo temporali profitentur fidem, & in Sacramentis communicant sub regimine Pastorum, etiamsi nullam habeant virtutem, similésque sint capillis, unguibus, aut malis humoribus in humano corpore. Cœterùm Ecclesia talis malignantium est, non Catholica Christi, digna capite suo, nimirum homine peccati, & filio perditionis. Nos verò ex Scriptura didicimus, multos in externa Ecclesiæ communione versari, & fidem profiteri posse, qui verè fideles non sunt. Multi enim in die illo dicent, *Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, &c. Matth VII. 22.* qui & in externa Ecclesiæ communione fuerunt, & veri fideles nunquam fuerunt. *Corde* quippe *creditur ad justitiam*, Rom. X. 10. Isti autem non corde crediderunt, sed ore duntaxat dixerunt: *Domine, Domine, &c.* Quin & multos ore fidem profiteri, quam in corde nunquam habuerunt, ex Esaj. XXIX. 13. clarè constat, quia multi *appropinquantes labiis, corde remoti* dicuntur. An qui corde à Deo remoti sunt, & fidem non habent nisi in supremis labris, vera fide justificante, quæ juxta vos etiam intellectualis, non oralis duntaxat habitus est, pollent? Hoc tu cur non enodasti? Sed maluisti etiam veram fidem justificantem paleis etiam & hœdis tribuendo, lucem & tenebras, justitiam & injustitiam, Christum & Belialem in unum conflare. Nec tam horribile dogma ex Augustino didicisti. Ille enim in parabola Matth. XIII. 18. &c. per agrum totum mundum, non Ecclesiam: per paleas non *Catholicos malè viventes*, sed *hæreticos* disertè intelligit. Neque Catholicos malè viventes esse vera veræ Ecclesiæ membra, uspiam dicit. Tu ei affingis. Sunt quidem etiam illi in corpore externo Ecclesiæ, verùm non ut viva ejusdem membra, sed ut carcinomata, maligni humores, lumbrici, qui corporis integritatem non perficiunt, sed impediunt magis. Sic Ecclesiam Idem S. Augustinus vocat *proximam Christi in medio filiarum malarum, lilium inter spinas, pisces bonos inter malos, &c.* Ubi verò *mulieres malas, spinas, pisces malos &c.* vera & viva Ecclesiæ membra, fide vera justificante prædita esse, asserit? Fides vera non bonos & malos, sed bonos duntaxat unit. Malorum verò & bonorum unitas tam nulla est, quàm nulla est lucis & tenebrarum.

OBIECT. IV. *Si fides & charitas separari nequeunt, vel id ex eo fiet, quòd una sit de ratione alterius, vel quòd una ab altera nascatur. Atqui neutrum verum est. Non prius, quia sunt distinctæ virtutes 1. Cor. XIII. 13. 1. Tim. I. 5. Non posterius, quia licet charitas oriatur ex fide, non oritur tamen ut propria passio, sed ut virtus, ad quam alia in-*

 clinat

clinat & disponit. Resp. Virtutem & charitatem esse distinctas virtutes non negamus. At charitatem oriri ex fide, non ut disponente & inclinante duntaxat, sed ut *emanativè* causante & producente patet, quia cor ipsum repurgat à sordibus peccati, imbuit illud & accendit sincero ac serio amore Dei & proximi, efficitque, ut studiis ejus ac operibus exardescat, Joh. XV. v. 4. 5. Act. XV. 9. Rom. VI. 4. 5. 6. 2. Cor. V. 14. 15. Tit. II, 14. 1. Joh. III. IV. V. capp.

EXCIP. REDING: 1. *Fides viva per charitatem formata effectus illos præstat. Potest tamen vera fides absque iis subsistere. 2. Multa etiam emanant aliunde, separabilia tamen. Sic potentia visiva una cum debita organizatione sua ab anima: combustio materiæ ritè applicatæ ab igne. Quæ tamen per Divinam potentiam separabilia sunt.* Ib. pag 531. Resp. 1. Imò fidem veram justificantem, ipsam charitatem efficere, textus illi docent. Quomodo fides charitate formata charitatem efficit? Quomodo virtus à fide distincta & disparata eandem formare potis est? 2. Potentias à natura inseparabiles esse, supra asserui, & simul hasce ineptias tuas dilui. Neque scio, quæ te philosophia docuerit, organizationem corpori debitam ab anima sensitiva emanare. Si enim anima domicilii sui architecta est, utique causa organorum corporis non emanativa sed activa est. qualem ab effectu suo separari posse, dubium nemini est.

QUÆSTIO XIX.

An post acceptam justificationis gratiam cuilibet pœnitenti ita culpa remittatur, & reatus æternæ pœnæ deleatur, ut nullus maneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc seculo, vel in purgatorio?

Synodus negat Canone XXX. Nos ita limitamus. Pœna temporalis spectatur vel *quoad rem*, vel *quoad definitionem rei.* Nullus omnino fidelis est, quin crucem Christi cupidus suscipiat, & post remissionis gratiam pœnam temporalem exsolvere teneatur, quæ videlicet sit tum memoriale culpæ admissæ & adhærentis labis, tum testimonium contractæ æternæ miseriæ, tum frenum carnis luxuriantis, & remedium adversus peccatum & Sathanæ mundique illecebras. Hæc pœna est *quoad rem*, estque vel παιδεία, paterna castigatio; vel δοκιμασία exploratio fidei & obedientiæ, vel μαρτύριον testimonium confirmandæ doctrinæ per

Digitized by Google

per passiones vel mortem editum. Non tamen est pœna *quoad definitionem rei*, quia non infligitur animo vindicandi & compensandi propria satisfactione delictum, sed bonum in finem, adeóque ex fine novam relationem sumit. Sic sectio membri *quoad rem*, malum triste est; sed *quoad definitionem rei* vulnus si ab hoste, curatio si à medico instituitur, propter diversum finem, & ex eo diversam relationem. Sententia nostra sic probatur.

ARG. I. Qui culpam remittit, solvit ab obligatione ad omnem pœnam subeundam. Sicut qui causam tollit, eadem opera tollit effectum. Deus autem justificatis culpam remittit. Ergo etiam obligationem ad subeundam pœnam.

RESP. REDINO: *An ergo sublata causa nullus ampliùs effectus in rerum natura subsistere potest? Canon igitur ille non tenet, ubi effectus non dependet in conservari à principio ejusdem primo productivo, sed aliam causam conservantem habet. Ita hic pœna etiam temporalis post remissam culpam & æternam pœnam habet causam, voluntatem Dei, qua judicium cum misericordia sic vult temperare, ut culpam remittendo non omnimodam pœnam remittere velit.* Tract. IV. Ss. 2. pag. 532. Resp. Sublata causa non cessare effectum tum, quando ab ea causa est actu, seu extra causam suam exiit, vel pueris notum est. Ita Apellis tabulæ multis post eum seculis superstites fuerunt. nempe quas tum fecerat, cùm esset in vivis. Ast eo sublato nullæ ab eo fuerunt novæ tabulæ, ne eæ quidem, quas animò designarat. Hic verò pœnæ intelliguntur, quæ actu non fuerint, sed quæ nondum ullæ, cùm erat peccatum. imò ne tum quidem, cum esse desiit, hoc est, condonatum fuit. Iis verò, quæ hujusmodi sunt, omnibus universale est axioma: *Sublata causa tollitur effectus.* Tum pœnæ temporalis post sublatam propriam & unicam ejus causam, peccatum scilicet, conservans causa Dei voluntas esse nequit, tum quia illa ex revelatione demonstrari nequit: tum quia Dei judicium, peccatum vindicantis, supponit peccatum nondum condonatum. Justum enim apud Deum est *afflictionem reddere affligentibus*, 2. Thess. I. 6. adeóque peccanti pœnam. Ubi igitur afflictio & peccatum condonatione sublatum est, reddere afflictionem & pœnam, injustum foret. Hoc Dei *δικαίωμα jus* est, ut *qui talia faciunt*, peccant, sint *rei mortis*, Rom. I. 32. Quibus igitur ob condonationem peccatum non imputatur, adeóque pro non commisso habetur, illos morti pœnali sive æternæ sive temporali mancipare, non est *δικαίωμα τοῦ Θεοῦ jus Dei*, atque sic nec voluntas Dei.

ARG. II. In fidelibus post acceptam justificationis gratiam nulla ampliùs est condemnatio, Rom VIII. 1. Nulla igitur remanet pœna. Quippe condemnatio est pœnæ adjudicatio.

RESP. REDINO: *Apostolus non quamvis condemnationem, sed eam duntaxat, quæ à Regno Cœlorum excludit, intelligit.* Ib. pag. 532. 533. Resp. Atqui ille omnem condemnationem excludit, dicens: *οὐδὲν κατάκριμα nulla condemnatio*; vel, uti Latinus Interpres fortiùs reddit, *nihil condemnationis.* Universalium nempe negantium necessaria est veritas, non indefinita, ut plerumque affirmantium: imò etiam terminis reciproca. Sicut ut nullus

homo est lapis, sic nullus lapis homo: ita ut nulla condemnatio est iis, qui sunt in Christo, sic quibus aliqua condemnatio est, ii non sunt in Christo. Si igitur condemnationem distingui toleremus in condemnationem culpæ, & condemnationem pœnæ; & pœnam aliam temporalem, æternam aliam dicamus; non poterit excipi, nullam quidem esse condemnationem culpæ, sed aliquam tamen pœnæ: aut nihil esse pœnæ æternæ, sed tantùm aliquid temporalis. Singulæ enim ejusmodi exceptiones universali negativæ contradicunt.

ARG. III. Christus plenariam remissionem peccatorum sua morte nobis impetravit, Rom. III. 24. 25. Si temporalis pœna fidelibus exsolvenda restaret, remissio non plena, sed dimidiata foret, & injuria fieret Christo, si sufficientissimam ejus solutionem non acceptaret Deus, nec hæreditatem ei decerneret nisi sub conditione temporalis pœnæ à nobis datæ.

Resp. Reding: 1. *Christus plenariam omnium peccatorum remissionem promeruit. Sed meriti ejus effectus seu efficacia quoad actum secundum non subsistit pro quolibet instanti, sed pro tempore Divinitus præfinito. quod non est vita hac mortalis, in qua Deus misericordiam & judicium temperat, verùm cælestis demum. 2. Et tam nullo Christi merito perfectissimo fit injuria, quòd ad plenariam peccatorum remissionem, exclusa pœna temporali, in hac vita, à Deo Patre non acceptatur: quàm nulla ei fit inde, quòd satisfactio ejus pro omnibus sufficientissima ad actualem peccatorum omnium remissionem non acceptatur. Neque enim aliter acceptatum meritum suum voluit, quàm id in cognito decreto Dei æterno acceptatum iri novit.* Ib. pag. 533. Resp. 1. Atqui remissio etiam in hac vita perfecta est, quia Deus *una oblatione consummavit in sempiternum omnes sanctificatos.* Hebr. X. 14. Si εἰς τὸ διηνεκὲς *in sempiternum*, ergo *semper*. Neque τελείωσις *consummatio* sine efficacia meriti quoad actum secundum locum habere potest, quia consummatio omnis actualis, non potentialis est. Et cùm perfectæ sint causæ, Deus remittens, & justitia Mediatoris, etiam perfectum sit effectum oportet. Neque verò cum remissione judicium consistere potest. Qui enim remittit & condonat plenissimè, is non judicat. Judicare quippe est peccatum imputare, adeóque non condonare. Vel igitur non plenè remittit Deus, vel eos non judicat. Denique si in hac vita pœnæ peccatorum exiguntur, non igitur sensim peccatorum remissio, uti Sophistæ innuunt, procedit & perficitur: sed nunquam. Nam qui semel pœnas exigit, is nunquam, adeóque nec in hac, nec in altera vita eas remittit. Factum enim infectum fieri nunquam potest. Remissio autem opponitur pœnarum exactioni, uti patet tum in Baptismo, tum in iis exemplis omnibus, quibus Papistæ ipsi remissionem plenariam non denegant: tum denique inde, quia retentionem pœnæ tum fieri dicunt, cùm non perfectè Christi merita applicantur. Quamobrem si vel semel pœnæ exigantur, nunquam perficietur remissio, nunquam Christi merita perfectè applicabuntur. Et quidni summa sic injuria merito Christi perfectissimo inferatur? 2. Cui σοφὸν φάρμακον tuum neutiquam remedetur; quia Christi meritum à Deo Patre sic acceptari, ut actu applicetur omnibus, pro quibus redditum est, supra satis evicimus. Neque tu Christum in æterno Dei decreto meritum suum non acceptandum à Patre ad actualem applicationem, & condonationem pœnarum omnium fidelibus omnibus impertiendam, vidisse, vel cognovisse, probabis unquam. Futilis & evanida hæc tua speculatio est. Quomodo enim

Digitized by Google

nim Christi oblatio sanctificatos consummavit, si Deus eam ad plenissimam condemnationem non acceptavit? Et quidni justitiam perfectam ad vitam omnium eorum, pro quibus illa acquisita est, DEUS *δικαιοκρίτης justus judex* acceptarit?

ARG. IV. Deus se peccatorum à justificatis admissorum non recordaturum promisit, Esaj. XLIII. 24. Jerem. XXXI. 31. 32. Heb. X. 17. Deus autem in iis rebus, quarum non recordatur, nihil agit. Proinde peccata temporalibus pœnis & satisfactionibus in justificatis haud exequitur.

RESP. REDING: *Pœna temporalis non profluit per se immediatè à peccato, sed à judicio Dei peccatorum non recordantis ampliùs, sed ea per misericordiam suam delentis, justi tamen judicii partem sibi reservantis ad diem usque plenæ redemptionis.* Ib. pag. 533. 534. Resp. Satis desperatam esse causam tuam prodis, qui haud secus, ac infamis ille servus, ex Deo Optimo, etiam tum, cùm gratiosus est & peccata remittit, facis *σκληρὸν durum* & austerum dominum, ibi metentem, ubi non seminaverat; hoc est, ab eo pœnam exigentem, in quo pœnæ causam, præter voluntatem punientis, nullam reperit, Matth. XXV. 24. Cùm tamen pœnæ omnis formalis ratio sit passio mali ob actionem mali. Sed memento tamen, homines etiam duros, quorum prorsus non recordantur, in iis nihil agere. Ita in reconciliationibus si quis polliceatur, se non fore memorem offensæ, eo ipso certum facit, se nullam vindictam sumpturum. Unde celebre factum nomen *ἀμνησίας*. Sic quovis duro homine duriorem Deum facis, utpote non recordantem, adeóque *ἀμνησίαν* paciscentem, & simul vindicantem, subinde ferro flammáque, etiam ultra hanc vitam in purgatorio. Denique si Deus, quoties recordari dicitur iniquitatis, veluti Jerem. XIV. 10. pœnam minatur: ergo quoties se recordaturum iniquitatis negat, pœnarum omnium condonationem promittit.

ARG. V. Ab iis pœnis Christus fideles liberavit, quas ipse morte sua pertulit. Atqui pertulit Christus non æternas duntaxat, sed etiam temporales pœnas, utpote miser & abjectus in hac vita, persecutionibus mortíque obnoxius.

RESP. REDING: *Esto, liberavit à pœnis temporalibus. Non tamen liberatio illa primo statim justificationis instanti actu confertur.* Ib. pag. 534. Egregiam verò post pœnas temporales jam exactas simul atque datas, ab iisdem liberationem? Ubi verò liberatio ejusmodi, in hac, an futura vita contingit? Si in hac, cur pœnæ temporales etiam insontibus, hoc est, quorum iniquitates condonatæ sunt, in hac vita infliguntur? Si in altera, qualis liberatio ibi erit à pœnis temporalibus, quæ & in æternitate temporales esse non possunt, & in vita temporali jam solutæ sunt? En te scotomate percussum!

ARG. VI. Peccata nostra sunt debita, Matth. VI. 12. Pœna peccati est solutio debiti. Atqui Christus solvit debitum illud, & obliteravit expunxítque chirographum nobis subcontrarium Coloss. II. 14. Non expunxisset autem, si pars nondum soluta à nobis exsolvenda foret.

RESP. REDING: *Solutio pro peccatorum nostrorum debito præstita effectum suum sortita est non eo statim instanti, quo in cruce consummata est; sed quoad remissionem peccatorum*

in

In Sacramenti pœnitentiæ suscepti instanti: quoad remissionem omnimodam pœnæ temporalis in gloriosæ resurrectionis instanti. Ib. pag 534. Resp. Crambe bis cocta, tibi mors. Unde hæc didicisti? Scilicet in instanti gloriosæ resurrectionis solutio Christi semel in cruce præstita quoad pœnas temporales effectum sortietur, quando iis ab ipsis hominibus exantlatis, adeóque solutione non à Sponsore sed à reo peracta, effectum ampliùs sortiri nequit! Ingenuitatem tuam laudarem, si diceres, quod res est; nempe vestra quidem sententia Christum pœnarum temporalium debitum planè non solvisse, adeóque Redemptorem imperfectum esse. Sed id, ceu blasphemiam apertam redolens, dicere horres.

ARG. VII. Fideles passim appellantur filii, amici ac dilecti Deo, ipsi planè reconciliati Joh. I. 12. 13. XV. 14. 15. Rom. V. 8. 9. 1. Joh. III. 1. 2. Atqui tales qui sunt, pœnis propriè dictis non subjacent.

RESP. REDING: *Cùm pœnæ temporales sic sint effectus judicii Divini, ut cum peccato immediatam connexionem non habeant; cum statu essentiali amicitiæ & reconciliationis cum Deo non pugnant.* Ib. pag 534. Resp. Imò tantò magis hostiliúsque pugnant. Quid enim hostile, quid inimicum magis esse potest, quàm punire, & quidem atrociter, piacularibus etiam in purgatorio flammis per longissimi quandoque temporis tractum, mancipando, punire, sine respectu peccati, utpote jam condonati; sola voluntate judicandi, puniendi insontes? Næ tale quid ne tyranni quidem hujus mundi sine extrema infamia attentare ausint. nisi forte, Papa vestro applaudente, attentavit Carolus IX. Rex Galliæ, qui pace cum Protestantibus inita, eosdem ad Regales nuptias accitos, securósque adeò nefasta semper Bartholomæi feria, dirum in modum oppressit. Ejusmodi reconciliationes Papa amat, sed DEUS odit.

ARG. VIII. Sic ampliorem misericordiam Deus à nobis requireret, quàm ipse hominibus præstaret. Nobis enim ita remissionem peccati impetrat, ut ne pœnam quidem ullam à fratre exigamus.

RESP. REDING: *Deus imperando nobis condonationem mutuam, vindictam privatam, non publicam prohibet. Ipse verò cùm supremam authoritatem Majestatémque obtineat, quidni misericordiam suam in remittendo cum judicio in puniendo temperare possit?* Ib. pag. 534. Resp. Secare hoc nodum, an solvere, an neutrum est? Ego hominem condonantem cum Deo condonante comparavi: tu hominem publica authoritate vindicantem cum Deo condonante, & condonando misericordiam cum judicio temperante comparas. Tum homo condonans nullo modo vindictam exercet, sed in gravioribus injuriis quandoque vindictam alii, publicæ potestati commendat. Deus verò condonans quem præter se alium habet, cui vindictam alia authoritate exercendam committat?

ARG. IX. Dogma hocce Synodus determinavit ad defensionem purgatorii & humanarum satisfactionum, quas nullas esse, liquidò infra probabimus.

RESP. REDING: *Hoc alibi ex instituto discutiemus.* Ib. pag. 534. Resp. Et nos ibi te presso pede insequemur.

O-

Digitized by Google

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Deus condonato populo Israëlitico idololatriæ peccato, visitationem nihilominus in die ultionis, ipsi comminatus est Exod.XXXII.vers.34. Ergo remissa culpa remanet pœna.* Resp. Deus populo pœnitenti condonavit non culpam duntaxat, sed etiam pœnam in præsens. Supplicanti enim Mosi, ut Deus condonet populo, responsum est v.33. *Abi nunc, deduc populum &c.* Quòd autem alio tempore, nempe *in die visitationis* Deus percussit populum, illius judicii causa fuit continuata culpa τῶν ἀμετανοήτων, pœnitere nesciorum. Illis enim culpa idololatriæ in vitulo nunquam remissa est, sed tantùm ejus procrastinata punitio, læsâ Dei pœnitentiâ tantò vehementiùs exequenda.

EXCIP. REDING: 1. *Tibi contradicis insigniter. Primò enim dicebas, Deum populo pœnitenti & culpam & pœnam in præsens condonasse. Postea verò in populo illo culpam fuisse continuatam. 2. Exod.XXXII.34. Deus, postquam populo reconciliatus est, disertè minatur tamen, se eorum peccatum in die visitationis in iis visitaturum. Non aliud igitur peccatum patratum, sed hoc in individuo in die ultionis à Deo visitandum fuit.* Ib. pag.535. Resp. 1. Contradictionem fingis, quæ nulla omnino est. Nam culpam & pœnam populo pœnitenti in præsens remissam esse: non remissam, sed continuatam esse populo ἀμετανοήτῳ *pœnitere nescio*, apertè dico. Contradictio igitur nulla est, quia circa diversum subjectum, populum pœnitentem & impœnitentem, versatur. Illi & culpa & pœna omnis remissa est: huic neutra. In eodem nempe populo fuerunt pœnitentes & pœnitere nescii. Comminatio non illos, sed hos tangit. 2. Hoc ipsum utique peccatum individuum, quod μοσχολάτραι *vituli cultores*, idololatriam scilicet continuantes sine ulla pœnitentia, commiserunt, Deus procedente tempore, impleta peccati mensura, in iisdem, non in aliis pœnitentibus, visitavit. Et si quando eidem visitationi etiam pii & pœnitentes implicati fuerunt, uti solet Deus quandoque in temporalibus judiciis צדיק ורשע *justum & impium* exscindere, Ezech. XXI. 9. & Babylonem non impii duntaxat, sed pii etiam, Ezechiel, Daniel, aliique deportati sunt: non par tamen ratio utrorumque fuit. *Nam sicut*, ita præclarè S. Augustinus *de Civit.Dei lib.I.8.* scribit, *sub uno igne aurum rutilat, palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitur: ita una eadémque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos vastat, damnat, exterminat.* Boni igitur eadem temporalia judicia sustinentes non puniuntur, sed explorantur, purificantur: mali soli puniuntur, damnantur, exterminantur.

OBIECT. II. *Adam, David, Moses, propter offensam præfinitas à Deo pœnas ad ultimum usque vitæ spiritum pertulerunt. Ergo fideles remissâ etiam culpâ subsunt pœnæ.* Resp. Pœnas *impropriè, materialiter* ita dictas, hoc est, mala quædam suâ naturâ tristia, & carni adversantia pertulerunt: at non pœnas *propriè & formaliter* sic dictas, hoc est satisfactiones pro peccatis præteritis, ex justitia

vindicatrice profectas: pœnas *castigationis*, ne in licentiæ exemplum abiret scelerum impunitas, adeóque nomen Dei blasphemaretur; at non *vindictæ*, utpote quas solus Christus sustinuit.

EXCIP. REDING: *Mosen, Aharonem, Davidem, reconciliatos licet, pœnam temporalem, & quidem ad peccati præteriti vindictam sustinuisse, ex Num. XX. 12. Deut. XXXII. 48. 2. Sam. XII. 13. abundè liquet.* Ib. pag. 535. Resp. Pœnam sustinuisse *castigationis*, & quidem propter peccatum admissum, fassus jam ipse sum. Sic pater filium peccantem corrigit, tum præteritam culpam, seu efficientem, tum futurum emendationis fructum, tanquam finem respiciendo. At pœnam sustinuisse propriè dictam, hoc est, *vindictæ & satisfactionis* pro peccato, id verò nego. Nec tu probas. Vindicta propriè dicta illa est, quando malum alicui infligitur non in bonum, sed in malum ejus: non ex amore paterno, sed ex ira & furore judicis. cujusmodi malum à piis omnibus S. Paulus Rom. VIII. 1. removet. Discere hoc poteras à Guilhelmo vestro Parisiensi, antiquissimo & Scholasticorum gravissimo, cujus *de Sacram. in gen. fol.* 4. hæc verba sunt: *Pœnam ut pœnam & vindictam, impossibile est Deo amico jam facto recogitare. Aliud enim est dicere, quia Pater flagellat filium, aliud est dicere, percutit inimicum. Scimus enim, amicos Dei ab amantissimo & misericordissimo Patre Deo mala ista pœnalia recipere, & hic non ut pœnam, seu vindictam iracundiæ, sed magis ut correctiones & medicamenta stultitiæ, & adjumenta virtutis, ut malleationes, sive fabricationes, & tunsiones, sive ablutiones & candidationes. Hæc autem nisi delirus & insani capitis nunquam dicet persecutiones, seu vindictas.* Breviùs & nervosiùs sic Augustinus *Serm. de Pœnit.* rem explicat: *Quod pateris, unde plangis, medicina est, non pœna: castigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate.*

OBIECT. III. *Mors temporalis est pœna propriè dicta Genes. III. 19. Psalm. XC. 4. Rom. V. 12. Atqui fideles quique morti temporali sunt obnoxii.* Resp. Per se, & prima sui origine mors fuit pœna propriè dicta. In fidelibus tamen per accidens non ampliùs est pœna, aut pro peccatis satisfactio, sed peccati inhærentis depositio, & ad vitam meliorem transitus, Esaj. LVII. 2. Rom. VII. 24. Joh. V. 24. Atqui hinc est, quòd fideles cum Paulo Phil. I. 23. mori expetunt, minimè expetituri, si mors veri nominis pœna esset.

EXCIP. REDING: *Quatenus mors in homine sancto secundum se consideratur, rationem pœnæ habet, quia Deus etiam in morte justi judicium exercet; & mors à peccato Adami originem habet, Rom. V. 12.* Ib. pag. 536. Resp. Cur igitur etiam infantes recens baptizati moriuntur, quos tamen à pœna temporali ipsimet eximitis? Quid quòd fideles etiam *κρινόμενοι, dum judicantur, à Domino erudiuntur, ne una cum mundo condemnentur?* 1. Cor. XI. 31. 32. Ejusmodi ergo quale erga Sanctos, obdormientes etiam ipsos exercet Deus, judicium non aliud est quàm *παιδεία castigatio* paterna, non *κατάκρισις condemnatio*, seu pœna propriè dicta. Cedit enim & in bonum fidelium, qui moriuntur; & in morientium *παιδείαν eruditionem*, & in aliorum admonitionem correctionémque. Neque obstat, quòd à peccato mors originem habet, quia etiam paterna castigatio, quam vindictam nemo sanus dixerit, ob peccatum adhibetur: at insuper omnis fidelium castigatio,

Digitized by Google

tio, ob peccatum adhibita licet, non destructionem fidelium, sed *καρπὸν εἰρηνικὸν δικαιοσύνης fructum pacificum justitiæ*, parit, Hebr. XII. 11.

OBIECT. IV. *Per afflictiones fidelium resarcitur injuria ipsi Deo facta. Ergo sunt vera ac propriè dicta pœna.* Resp. Resarcitur injuria quoad abolitionem scandali in ecclesia, non quoad compensationem, utpote quæ fit per solius Christi meritum & satisfactionem.

EXCIP. REDING: 1. *Nequit fieri reparatio quoad abolitionem scandali in Ecclesia, quin resarciatur injuria Deo illata, quia scandalum hoc in Ecclesia importat transcendentaliter injuriam Dei. 2. Licet verò compensatio injuriæ Deo illatæ ad æqualitatem solius Christi propria sit; tamen recognitio juris Divini peccato læsi, seu imperfecta reparatio & compensatio injuriæ Deo illatæ ab homine ipso etiam requiritur.* Ib. pag. 536. Resp. 1. Sic scandalum Ecclesiæ datum ab homine per Canonicam pœnitentiam reparatur, ut injuria Deo illata à solo Christo Salvatore reparari potuerit. Scandalum enim Ecclesiæ datum ratione objecti finitum: injuria Deo facta infinita est. In eodem peccato alia ratio est noxæ in societatem humanam, politicam, ecclesiasticam, & privatum quemvis redundantis: alia injuriæ, seu juris à Deo præscripti, & ab homine peccatore violati. Illa deleri vel manere potest, non deleta vel non manente hac. Nec qui noxæ in homines redundanti satisfacit, ilico injuriæ Deo illatæ satisfacit. Sicut contra satisfieri potest per Christum injuriæ Deo illatæ, atque sic in foro Dei remitti peccatum seu facinus gravissimum: licet non ilico in humano foro remittatur noxa, imò capitali etiam supplicio vindicetur. 2. Compensatio injuriæ Deo illatæ, imperfecta, nulla à Deo acceptatur, quia cujusvis peccati stipendium, seu *ἀντάλλαγμα compensatio* peccati cujusvis mors est, Rom. VI. 23. & animæ per peccatum perditæ ab ipso homine fieri compensatio nulla potest, Matth. XVI. 26. & denique Christus una oblatione, omnes, qui sanctificantur, sic consummavit, Hebr. X. 14. ut imperfecta recognitio pœnalis humana & injuria sit perfectæ satisfactioni Christi, ac misericordiæ Dei; & denique nuspiam mandata est, adeóque acceptari à Deo nequit.

OBIECT. V. *Si remissâ culpâ ilico pœna remittitur, qui fit ergo, ut politicus Magistratus in facinorosos, etiam post recuperatam Dei gratiam acriter animadvertat?* Resp. Confunduntur, quæ maximè distincta sunt, peccatum adversus Deum, & adversus Deum simul ac homines admissum: & pœna utrique cum discrimine debita. Etenim divinum forum humano non præjudicat, & potest peccatum à Deo remissum retineri simul ac puniri ab hominibus æquissimo judicio.

EXCIP. REDING: *Non potest intelligi legis humanæ ad bonum publicum obligatio, quin propter essentialem hujus ab absoluto Dei dominio dependentiam lex Divina simul obliget. Non potest proin lex Politica violari, quin simul Divina violetur.* Ib. pag. 536. Resp. Sic est, uti pertendis. Sed unius ejusdémque peccati adversus legem politicam diversa est noxa, quæ in societatem humanam redundat, & iniquitas ac injuria, quæ in Deum Legislatorem summum committitur. Illa sine hac, & hæc sine illa compensari potest, & compensatur non rarò. Neque enim facinorosis omnibus, pœnas judici humano danti-

bus, Deus in suo foro peccatum remittit: nec quibus Deus perfectissimè propter Christum remittit, illi à debito luendæ pœnæ politicæ, non tam Deo, quàm humano judici, ex Dei tamen præscripto reddendæ, liberantur.

QUÆSTIO XX.

An justificatus peccet, cùm intuitu mercedis bene operatur?

NEgat Synodus Canone XXXI. Nos limitamus, ac simul Calvini nostri sententiam, quam criminosè hic insectantur Papistæ, explicatam damus. Fidelis in operibus suis primariò & principaliter spectat Deum & ejus gloriam, tanquam finem ultimum realem & personalem, eúmque amat propter se ipsum, quia est excellentissimum bonum. Itaque gloriæ divinæ respectus ita debet in animis hominum βραβεύειν *dominari*, & cæteris omnibus præponderare, ut illi nihil omnino ἀντιῤῥέπειν, nedum ἰσοῤῥέπειν statuant, sed ea animum subeunte cesset omnis alia consideratio, ipsa autem sola rationis clavum teneat ac moderetur. Minùs principaliter tamen & secundariò spectanda est etiam æterna salus nostra, Dei gloriæ subordinata & arctissimè conjuncta, ut merces quidem, verùm non *legalis* illa, quæ nitatur æqualitate nostri meriti, uti Tridentini somniant, verùm merè gratuita & *evangelica*, quæ imputatur non operanti, sed credenti. Etenim à dilectione Dei non potest secludi, ut habeatur Deus pro bono nostro, quin à gloria Dei, qui nos suis suavitatibus implere potest, plurimum decerpamus ac delibemus. Et promissa est nobis in Evangelio vita æterna, quam certa spe in hac vita præcipimus. Hinc Esajas dicit verbis Dei cap. XL. 19. *Non dixi domui Israël, frustra quærite me.* Et Moses respexit μισθαποδοσίαν *retributionem præmii* Hebr. XI. 26. Unde fidei hic tribuitur character, quòd Deum intuetur μισθαποδότην, Hebr. XI. 6. Cæterùm sensum Synodi, nimirum mercedis tanquam debitæ vel ex pacto, vel ex interna dignitate intuitu fidelem bene operari debere, ut sic mercenaria & servilis fiat obedientia, simpliciter rejicimus. Etenim

ARG. I. Nulla propriè & legaliter dicta merces operibus nostris debetur, quia nullum est operum nostrorum propriè dictum meritum, uti mox demonstrabimus.

RESP. REDING: 1. *Ratio falsa hypothesi nititur.* 2. *Christus ipse docuit nos obtutum figere ad quærendam salutem æternam, Matth. VI. 33. Quærite primùm regnum Dei. Et*

Luc.

Luc.XVI.9. jubet nos facere amicos de mammona iniquitatis,ut deficientes nos in æterna tabernacula recipiant. David quoque Psal. CXIX.112. inclinavit cor suum ad faciendas justificationes propter retributionem. Tract.IV.S1.2.pag.538. Resp. 1. Hypotheseos veritatem infra tuemur. 2. Sic primò jubemur quærere Regnum Dei & ejus justitiam,ut Christi Regis æterni gloriam & justitiam, per quam maximè gloriosum se gerit, ante omnia appetamus, hoc est, subjiciamur Regi Christo, & participes ipsius fiamus, non vel justitiam ejus nobis ad communionem cum ipso, vel salutem æternam, ceu mercedem quæstionis,appetendo. Qui enim quærit, inveniet,non ex merito quæstionis,sed ex dignatione ejus qui quæritur: quique etiam invenitur ab iis,qui ipsum non quærebant, Rom. X. 20. Tantum abest ut inventio sit merces quæstionis ceu meriti. Et quale quæso meritum est, ex mammona iniquitatis facere amicos? Hoc est, ex eo, quod nostrum est non jure ullo;sed usurpatione: & si maximè jure nostrum foret,gratuito jure foret nostrum. Denique David Psal. CXIX. 112. *cor suum inclinavit ad quærenda statuta Dei* לְעוֹלָם עֵקֶב *in seculum ad finem*,non,*in retributionem*, uti malè V. I. legit. Aliud quoque est *retributio*, aliud *retributio mercedis* propriè dictæ. De hac, non de illa quæritur.

ARG. II. Mercenarios nos esse Deus prohibet, Joh.X.12.13. Qui autem cœlum meritis suis mercari sustinent, & hoc intuitu laborant, verè mercenarii sunt.

RESP. REDINO: *Reus es criminis falsi,dum eum à Christo mercenarium Joh.X.12.13. dici asseris, qui vitam æternam, ceu mercedem ex meritis retribuendam docet.* Ib. pag. 538. Tu verò, nugigerule, potiori jure criminis illius reus peragi potes, affingens mihi, quæ nunquam dixi. Verba mea sonant: *Mercenarios nos esse Deus prohibet, Joh.X. 12.13.* An vel hoc falsum est: vel eum à Christo mercenarium eo loco dici, qui vitam æternam ceu mercedem meritis suis mercatur,ego assero? Annon igitur criminis mihi impacti reus ipse es? Mercenarios esse nos omnino Christus vetat. At qui vitam æternam, ceu mercedem mercari studet, mercenarius est, uti ex re ipsa liquet. Si Pastor, quia μισθωτὸς,*mercenarius*,hoc est,aspiciens non tam heri sui quàm proprium commodum,malus pastor est: pari ratione malus Christianus est,quisquis Christum sui commodi & mercedis(quæ tamen ne quidem obtinere potest)gratia diligit: seu,uti Christus ipse Joh.VI.26.loquitur,Christum *quæris, quia edis panes, & saturatus es.*

ARG. III. Justificati per adoptionem sunt Dei filii Joh.I.12. Rom.VIII.16. Servorum autem non filiorum est,mercedis debitæ intuitu obedire.

RESP. REDINO: *An filii adoptivi non sunt etiam Dei servi?* Ib. pag. 538. Resp. Non sunt,inquam, servi tales, quales ob mercedem Domino inserviunt. Non enim acceperunt πνεῦμα δουλείας *spiritum servitutis ad metum*, sed υἱοθεσίας *filiationis*, merum,Rom. VIII.15. Sunt igitur servi filii, non mercenarii. Parentem Optimum maximum amantes propter se,& ab eodem hæreditatem ex mera gratia,non merito ullo operientes.

ARG. IV. Renati Deo obsequuntur spontaneo spiritu, Psal.CXIX.108. 2.Cor.IX.7. Non igitur intuitu mercedis debitæ.

Digitized by Google

RESP. REDING: 1. *David Psal.CXIX.108. precatur; Fac voluntaria oris mei beneplacita. Quæ ineptia, hinc inferre, non licere intuitu mercedis operari?* 2. *S.Paulus* 1.*Cor.IX.17. dicit: Si ἑκὼν volens hoc facio, mercedem habeo. Ergo voluntarius cultus cum mercede non pugnat.* Ib.pag.538. Resp. 1. Sicut oris beneplacita, seu pronuntiationes oris, precationes נדיבות *spontaneæ* esse debent: ita pari ratione cultus universus, nisi spontaneus, Deo placere nequit. Populus enim Dei est נדיבות עם *populus voluntariorum* studiorum, Psal.CX.3. Cœterùm *ἑκουσίως lubentia*, promptitudo & voluntaria obedientia opponitur coactioni, qua subditi & servi solent compelli, & Sacramento, proposita vel mercede vel pœna, ad serviendum vel militandum adigi. 2. Paulus 1.Cor.IX.17. de mercede propriè dicta operum ne cogitavit quidem; sed alia omnia. Nam *μισθὸν mercedem* statim v.18. definit, hanc scilicet, *ut Evangelium prædicans ἀδάπανον gratuitum constituat Evangelium Christi, & potestate sua non utatur.* At qui mercedis gratia laborat, is nec prædicando gratuitum constituit Evangelium Christi: & potestate sua, petendi scilicet mercedem, utitur. Operanti enim merces ex debito imputatur, Rom.IV.4. Ergo *voluntariè* prædicans sibi promisit mercedem, hoc est, *καύχημα gloriationem* conscientiæ, quòd ministerium suum non reddiderit sumptuosum, abundè labores omnes suos compensaturum; non tamen *ἐξ ὀφειλήματος ex debito*, sed *κατὰ χάριν ex gratia; quia gratia erat, quod erat,* 1.Cor.XV.10. Ita virtus sibi ipsi magna merces est: & multò magis testimonium bonæ conscientiæ.

ARG. V. In parabola operariorum Matth.XX. ampliori fortuna exornantur, qui gratiam Domini non mercedem operiuntur, quàm qui mercedis intuitu laborant.

RESP. REDING: *Ex parabola illa constat, omnes illos operarios fuisse conductos ad elaborandam vineam Domini. Et vocati singuli acceperunt mercedem suam, denarium, cujus intuitu singuli laborarunt.* Ib.pag.538. Resp. Omnes fuerunt conducti: & singuli acceperunt mercedem, denarium, ultimi, qui unam horam laborarunt, æquè ac primi, qui totum diem laboribus improbis transegerunt. Quis verò ultimis mercedem propriè dictam ex merito datam dixerit? Enimverò ubi pro meritis merces datur, ibi pro inæqualibus meritis inæqualis merces datur. At in parabola non inæqualis merces data est. Ergo non data omnibus ex merito: non data merces propriè dicta. Ipsimet vos notare diligenter soletis, nullum esse meritum absque proportione, & inter meritum & mercedem attendi æqualitatem quantitatis, quemadmodum in commutativa justitia, puta, tantum quantum. Manifestum igitur est, mercedem ultimis solutam non propriè dictam, sed gratuitam esse. quam sic filii Dei respiciunt, ut in Dei gloriam lumina sua priùs validiúsque retorqueant.

ARG. VI. Sed & Philosphi ex lumine naturæ id perspexere, qui virtutem sibimet ipsi satis amplam mercedem esse statuunt.

RESP. REDING: 1. *Si virtus sibi merces est, licet igitur virtuti studere intuitu mercedis.* 2. *Imò hinc sequitur, cujuslibet virtutis honestatem independenter à motivo charitatis esse appetibilem, & subsistere ejus bonitatem moralem, etiamsi explicitè non referatur in gloriam Dei intrinsecam, ceu motivum charitatis proprium, dummodo in eam, tanquam finem operis, implicitè & virtualiter referatur. Illa ipsa verò virtutis honestas moralis ex lumine*

Digitized by Google

mine fidei ad altiorem finem, cœlestem beatitudinem, quæ ceu merces in Scriptura proponitur, reduci debet. Ib. pag. 538. *Resp.* 1. Licere, quis negat? Non tamen sic etiam virtutem, ut sui ipsius mercedem, amare licet, ut in ea ultimatè, ceu summo bono & ultimo fine appetitus, quod Philosophorum gentilium, Stoicorum & Peripateticorum inprimis dogma est, quiescat; sed ut omnia, quæ ex præscripto virtutis agimus, aliò, nempe ad gloriam Dei, referamus: neque etiam ab actione virtuosa sive aliò relata, sive in se quiescente, mercedem debitam & legalem expectemus. Ita in humanis conjugiis, lubet ab Augustino similitudinem mutuari, non diligit uxorem suam, qui propter dotem eam diligit; neque maritum castè diligit, quia aliquid donavit, vel multa donavit. Donavit enim & dives maritus, & pauper factus non desinit esse maritus. Quàm multi proscripti à castis uxoribus ampliùs dilecti sunt? Probata sunt multa casta conjugia calamitatibus maritorum, & ne aliud amare quàm maritum putarentur, non solùm non deseruerunt, sed ampliùs obsecutæ sunt. *Si ergo*, cum eodem S. Patre subsumimus, *maritus carnalis gratis diligitur, si castè diligitur, & uxor carnalis gratis diligitur, si castè diligitur: Deus quomodo diligendus est, verus & verax animæ maritus, ad prolem sempiternæ vitæ fœcundans, & steriles nos non esse permittens? Illum ergo sic diligamus, ut aliud præter ipsum non diligamus.* 2. Non igitur etiam ulla virtus per se vel appetibilis est, vel honestatem & bonitatem moralem habet, independenter à motivo charitatis, hoc est, sic, ut virtutem quamvis appetendo & amando, in ipsa appetitum terminemus, & non potiùs per eundem amorem eam ut finem ulteriorem ultimúmque, Deum & ejus gloriam referamus. Nam & ille virtutis amor adulterinus est, qui in ea quiescit, quia omnis virtutis habitus ad Deum amandum inclinat. Nihil enim virtus quævis aliud est, quàm charitas, seu amor Dei. Unde passim S. Augustinus virtutem definit *Summum amorem Dei*, uti fusè admodum Jansenius in Augustino suo *de Gratia Christi Salvatoris lib. V. 3.* ostendit. Christus quoque Matth. XXII. 38. charitatem *πρώτην καὶ μεγάλην ἐντολὴν primum & magnum præceptum* appellat. Et S. Paulus *præcepti finem esse charitatem*, 1. Tim. I. 5. & charitatem esse *πλήρωμα νόμου impletionem legis*, Rom. XIII. 10. docet. Ratio quoque ipsa id demonstrat. Omnes enim virtutes amore Dei & proximi constant. Sicut autem Deus propter se: ita proximus propter Deum amandus est. In amore proin proximi Deus ipse diligitur, quia eum amare est, velle eum esse, & quæ habet, habere ad gloriam Dei, & Deo bono suo potiri, atque ab eo impleri totum. Qui igitur amat Deum, etiam amat proximum propter Deum: & qui proximum amat, Deum in proximo propter se amat. Hæc licet conceptibus tuis Philosophicis & Scholasticis, quibus haud secus, quàm naufragus scopulo adhærescis, minùs vel concordent, vel sapiant, & clara tamen, verissima ac saluberima sunt, & tuos de virtute ad gloriam Dei explicitè non referenda, quinimò ad beatitudinem ceu mercedem debitam potiùs quàm ad Deum explicitè referenda, crassos errores validè jugulant.

ARG. VII. Denique τὸ ῥητὸν hujus anathematis ferit practicam Theologiam Papistarum de charitate seu amore DEI perfecto, de quo Albertus M. in Enchirid. Capitulo 1. *Delicatam animam quasi abominari, per modum commodi vel præmii Deum diligere.*

RESP. REDING: *Virtutes sic inæquales sunt, ut major omnibus sit charitas*, 1. *Cor.* XIII. 13. *Esto igitur charitatem sublimiùs ferri, quàm ut Deum diligat per modum præmii:*

an

an idem facies spes, cui Deus ipse, dicens ad Abrahamum: Noli timere; ego clypeus tuus, & merces tua magna, Genes. XV.1. mercedem proposuit. Ib. pag 539. Resp. Sic inæquales virtutes sunt, ut omnes tamen per amorem Dei ad Deum ejusque gloriam *ἐσχάτως ultimatè* referantur. Sicut charitas refertur ad Deum, qua is summum hominis bonum est: ita fides & spes fertur in eundem, prout is bonum nostrum vel est in præsenti, vel futurus est. In omnibus tamen illis virtutibus est amor Dei, quo is ultimò amatur propter se, & subordinatè propter communionem, quam nobiscum habet vel habiturus est & conjunctam cum eadem communicationem bonorum. Quo sensu sic Deus *mercedem* magnam se ipsum nobis promittit, ut tamen eo ipso demonstret, mercedem merè gratuitam se promittere. Quis enim Deum infinitum demereri potest? Quis ei dedit prior, ut reddatur ipsi?

OBIECTIONES conveniunt cum iis, quas pro meritis propriè dictis operum in medium afferunt, quásque in sequentibus dissolvemus.

QUÆSTIO XXI.

An justificati hominis bona opera ita sint dona Dei, ut simul etiam sint bona ipsius justificati merita?

ASserit Synodus Cap. XVI. & Can. XXXII. In eo tamen veteratoria calliditas Patrum se exerit, quòd conscii certaminum Scholasticorum de ratione & modo meriti, *utrum* videlicet *mereantur opera ex congruo, an ex condignitate interna, an pendeat meritum ab acceptatione & favore Dei, an à gratia unionis vel Spiritus S. an à pacto Dei*; nihil tamen pensi habuerunt hactenus pendentem litem decidere, & solitis adeò cothurnis ludere. Bellarminus equidem, aliique pertendunt, hanc Synodi mentem esse: *Bona opera mereri quidem ex interna sua dignitate, sed dependenter à pacto & promissione Dei.* Non constat tamen sibi ipse Bellarminus, dum *lib. V. de Justificat. cap.* 16. scribit, *quòd communis Theologorum sententia admittat simpliciter meritum de condigno*, alibi verò, nempe *in judicio de libro Concordiæ mendac.* 8. docet, juxta Scholasticos operibus, quæ fiunt ex fide & auxilio Dei, tribui meritum *non de condigno sed de congruo*, hoc est tale, cui debeatur merces non ex rigore justitiæ, sed ex sola æquitate & per *ἐπιείκειαν*. Nos nullum omnino meritum agnoscimus sive *de congruo* in justificando, sive de *condigno* in justificato. In reconciliatis equidem bona opera, quæ fiunt ex fide, habent præmia tum spiritualia, tum temporalia ex misericordia Dei & paterna acceptatione propter

pter Christum. Hoc appellârunt pii Patres *meritum*, meram nimirum consecutionem prœmii, sicut ipse Cassander docet. Et non inusitatum esse hunc in Latio significatum, doctissimus Casaubonus notis ad Plinium, & Capellus ad Sidonium Apollinarem demonstrârunt. De vero autem, proprio & legali merito, cui merces addicatur ex condignitate interna, sive dependenter sive independenter à pacto, disertè nos quæstionem negamus. Etenim

ARG. I. Electio ad vitam æternam est ex gratia, non ex merito operum. Ergo etiam electionis executio, quæ est in datione salutis, gratuita est, nullique merito obligata. Quippe constans est Dei voluntas. Dicere autem, mereri nos id, ad quod mera Dei gratia eligimur, perinde est ac si quis diceret, calefieri aliquem frigore, aut delbari nigredine.

Resp. Reding: 1. *Electio ad gloriam completè spectata non finis duntaxat gloriæ, sed etiam mediorum efficaciter præparativa est. Inter media illa sunt forma justificans, & bona opera in statu gratiæ elicita. In his mediis præparandis electio fundatur in misericordia Dei absque ullo ad meritum præcedens respectu; adeòque est puræ gratiæ. At hæc gratiæ electio in executione eo modo finem, gloriam, efficit, quo ea prædestinata est. Prædestinata autem est hominibus ratione utentibus, obtinenda per fidei & charitatis in statu gratiæ perficienda opera, quæ rationem subeunt meriti propriè dicti, quod nihil aliud est, quàm opus bonum à gratia Dei operatrice, & voluntatis humanæ liberè cooperantis motrice effectum, & ab hominis Divino auxilio cooperantis gratia sanctificante dignificatum, cui gloria cœlestis tanquam merces secundùm debitum, non ex vi operis, sed spontanea Dei promissione obligatoria, respondet. 2. Meritum ejusmodi & Scriptura passim agnoscit, & S. Patres prædicant; ex primo seculo Clemens Romanus Epist. 4. Dionysius Areopagita Hier. Eccl. cap. 7. Ex secundo Justinus Martyr Apol. 2. Irenæus adversus hæreses lib. IV. 72. Clemens Alexandrinus Strom. lib. IV. Ex tertio Tertullianus contra Marc. cap. 6. Cyprianus de Unit. Eccl. Ex quarto Hilarius in Matth. lib. 6. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. I. Basilius de Spir. S. Ambrosius de Offic. lib. I. 15. Gregorius Nazianzenus Orat. 40. in S. Baptisma. Ex quinto Chrysostomus homil. 4. de Lazaro, Hieronymus lib. II. adv. Jovin. Augustinus passim. Hi omnes agnoscunt, Sanctorum opera esse merita, quibus per modum præmii, mercedis, stipendii & coronæ justitiæ vita æterna respondeat.* Tract. IV. Ss. 2. pag. 539--542. Resp. 1. Tuam sententiam promere satis hic habes, omissa vi argumenti mei. Tuum verò erat nos edocere, quomodo Deus ab æterno nos ex pura puta gratia & misericordia ad gloriam eligere, atque nos simul gloriam eam meritis nostris promereri vel possimus, vel debeamus. Electos nos esse & ad gloriam ceu finem, & ad opera sanctificationis, ceu media, ultro constat. Electi enim sumus ad salutem *in Christo, ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus in charitate*, Ephes. I. 4. At gratuitò nos electos esse ad gloriam merito operum nostrorum promerendam, hoc verò *ἀσύστατον* esse pertendo. Nam *ἐκλογὴ electio* est *gratiæ*. *Si verò ex gratia, non ampliùs ex operibus. Aliàs gratia non esset gratia*, Rom. XI. 6. Intentionis & executionis Divinæ suavis sit harmonia oportet. Si igitur ab æterno Deus intendit ex mera gratia quosdam in tempore salvare, hoc est, ex gratia quosdam ad salutem elegit, in tempore, exequendo electionem, salutem ex eadem gratia, sine meritis operum, conferat oportet. Cœterùm

Digitized by Google

rùm definitio tua meriti propriè dicti & subdola est,& contradictoria,& absurda. *Subdola*, quia non candidè & apertè communem Papatus sententiam de merito propriè dicto operum explicat. Bellarmino quippe *de Justificat.lib.V.16.* teste, *communis Theologorum Pontificiorum sententia admittit simpliciter meritum de condigno.* Et plerique saltem statuunt, opera mereri *ex rigore justitiæ.* Divortia sententiarum ipse Bellarminus *loco cit.* non dissimulat. *Aliqui,* inquit, *censent, non esse utendum his vocibus,* de congruo,de condigno. *Ita docent Thomas Waldensis & Petrus Burgensis. Alii volunt, bona opera justorum esse meritoria de condigno, largo modo. Ita docent Durandus, & Gregorius Ariminensis, qui volunt, merita nostra ex gratia Dei procedentia, & posita promissione, adhuc non esse talia, ut eis ex justitia debeatur merces, sed ex sola DEI liberalitate.* Hos Bellarminus improbat. Alii in alterum extremum delapsi, cum Cajetano asserunt, *opera bona justorum esse meritoria vitæ æternæ ex condigno, etiamsi nulla extaret conventio Divina.* quod cum Bellarmino etiam Dominicus à Soto sensisse videtur. *Alii contra existimant, bona opera ex gratia procedentia non esse meritoria ex condigno, ratione operis; sed tantùm ratione pacti & acceptationis Divinæ. Ita docet Scotus, quem alii quoque sequuntur ex veteribus Scholasticis, & ex recentioribus Vega.* Hunc enormem dissensum vestrum non tantùm, Redingi, dissimulas: sed etiam, quæ sententia Tridentini Concilii definitioni sit conformis, vel saltem conformior, vel quæ communis Papistarum sit,& quare contrariantium de meriti definitione opinio in numerum haud perveniat, taces, & tandem in futili corollario dissentientes vestrorum sententias palliaturus, pro more tuo *dissensum in subtilitate scholastica versari* tricaris, quasi non de substantia sit dissensus, ubi altera pars dissentiens condignitatem operis impugnans, ipsam meriti propriè dicti substantiam abnegat. Neque quicquam hic fictitia conciliatio tua proficit, quia subscribentes tuis conceptibus repugnantes Theologos non invenies; atque alia etiam, quæ mox dicturi sumus, obstant. *Contradictoria* dein definitio tua est, quia meritum vocas *opus bonum à gratia Dei operatrice, & voluntatis humanæ liberè cooperantis motrice effectum, & ab hominis Divino auxilio cooperantis gratia sanctificante dignificatum.* Et tamen opus sic *dignificatum*, ad merendum scilicet, negas mereri *ex vi operis*, asserísque mereri *ex spontanea* duntaxat *promissione Dei.* Quæ opera intrinsecam merendi dignitatem habent, illa utique *vi operis*, non ex sola promissione merentur. Denique *absurda* insuper est pluribus modis. *Primò* quia definitio hæc meriti nec operi legali, nec Evangelico convenit. Non *legali*, quia illud viribus creationis homini integro collatis, non adjutorio *gratiæ sanctificantis*, quæ non cadit nisi in hominem peccatorem regenitum, peragitur. Non *Evangelico*, quia illud ceu imperfectum nec intrinsecam ad promerendum dignitatem habet, nec sic causa est salutis promerendæ, ut Deus ei propterea vel justificationem vel gloriam uspiam promiserit. Causa enim Evangelio & justitiæ & vitæ eadem est, Christi redemptio, sola fide acceptata, & operibus testificata. *Secundò* quia definitio gloriam cœlestem, *ceu mercedem debitam, ex promissione Dei*, seu, ut alii loquuntur, *ex pacto obligatoria* arcessit. Præterquam enim quod nulla potest esse condignitas operis, ubi tota meriti ratio à *spontanea promissione* suspenditur, uti supra notavimus: insuper etiam perperam Deum *ὀφειλέτην debitorem* homini operanti facit *ob promissionem.* Tametsi enim non diffitemur, Deum promissis suis teneri, quia verax est & fidelis; cùm tamen idem vitam homini promiserit sub conditione operum, seu perfectæ legis observantiæ; & nemo sit qui legem perfectè impleat, sequitur, Deum nullius hominis ex promissione, utpote

non

non impleta, debitorem esse. Si ergo Deus remuneratur hominis regeniti opera imperfecta, id gratuitò facit, non quòd teneatur, ne quidem ex pacto, jure stricto. Nullum enim sub Evangelio est pactum seu fœdus operum strictè & propriè dictum, sed gratiæ solius in solo Christo. Nec etiam si quis conditionem operum perfectè impleret, etsi Deus teneretur ex pacto, opus tamen haberet propriam rationem meriti, quia ad multa tenemur, quæ meriti antecedentis rationem non exigunt. Omnia autem Deo debemus; & qui omnia debet, imò seipsum, non propriè mereri potest ab eo, cui seipsum debet, & quicquid habet. In voce *meriti* sic accepti mera catachresis esset. Ita si in innocentia sua Adamus perstitisset, obtinuisset ille quidem vitam æternam ex operibus, sed non perinde ac si eam propriè, ex condignitate suorum operum meruisset: verùm ex eo duntaxat, quòd implevisset conditionem, quam Deus gratis promissioni suæ apposuerat. Nos verò, ceu peccatores, ne quidem in illo statu sumus. Quomodo igitur propriè opus nostrum promereri possit? Caveant modò, qui sic cum Deo rationes inire volunt, ne justitiæ ejus ἀπότομίαν severitatem sentiant, adversus eos, *qui non manserint in omnibus, quæ scripta sunt in Libro Legis, ut ea faciant, Deut. XXVII. 27. Gal. III. 10.* *Tertiò* illud quoque mali commatis est, quòd ad meritoriam perfectionem operis requiris *gratiam* Dei non tantùm *operantem & liberam voluntatem moventem*, sed post infusum scilicet charitatis habitum, *sanctificantem*, qua scilicet opus *dignificetur*, uti tu loqueris. Quomodo vulgò adversarii ad dignitatem & perfectionem meritoriam operum nostrorum asserendam, ea *gratia Divina animari & vivificari* statuunt. Præterquam enim quòd qualiscunque hæc gratia est, illa fundatur in libero arbitrio & cooperatione hominis, in qua radix Divinæ obligationis plantatur; etiam gratia illa *operans* quidem, & *movens*, quam ad disponentes actus requirunt, nullam dispositionibus, quæ formales & causantes nullæ sunt, dignitatem meritoriam conferre potest: *sanctificans* verò, quam infusionem habitus justitiæ excipere statuunt, nihil aliud quàm qualitas creata, adeóque finita est, & in anima, tanquam subjecto finito residet, quod actiones nullas nisi finitas, imò propter reliquam in eodem subjecto carnis & Spiritus pugnam, imperfectionem imperfectas producere potest. Unde sequitur, nullam inter ejusmodi opera & vitam æternam proportionem obtinere, adeóque merito propriè dicto locum omnino nullum esse posse. *Quartò* definitio isthæc tua præcipuas meriti propriè dicti proprietates, quibus solis perpensis merita omnia ruunt, omittit. Etenim meritum propriè dictum oportet sit *primò* opus planè nostrum, non debitum: *secundò* perfectum, *tertiò* cum mercede *ἰσόρροπον*, habens proportionem cum mercede, ex justitiæ commutativæ æqualitate. *Indebitum*, inquam, quia debitum qui solvit, nihil solvendo meretur novi juris, neque ei, cui solvendo, sic utilis est, ut prior det aliquid, cujus repetendi jus non habuerit ante, cui ille solvit. Quæ igitur opera homo Deo debet, sive ut creatura, sive ob gratiam faciendi à Deo acceptam, ea mereri propriè nequeunt: neque utilia sunt Deo, quasi priùs ipsi dentur, & iccirco reddere is aliquid debeat. *Perfectum*, quia imperfectum opus, idémque debitum, non tam meretur quicquam, quàm gratuita condonatione indiget; & lex ipsa Dei opus exigit perfectum, quoad perfectionem tum *graduum*, Matth. XXII. 37. Luc. X. 27. sine ulla conniventia, quia *lex non est ex fide*, Gal. III. 12. tum *partium*, ut sit justitia universalis, quæ ambitu suo omnem justitiam particularem complectatur, procul exceptione omni. Deut. XXVII. 26. Jac. II. 10. tum denique *perseverantiæ*, sine ulla obedientiæ incisione aut intercisione, seu totali aut finali defectione, Ezech. XVIII. 24. &c. Denique *ἰσόρροπον*, seu *habens proportionem cum mercede*,

de, ex justitiæ commutativæ æqualitate, quia dignitas intrinseca operis meritorii requirit *ἰσότητα*, *æqualitatem* dati & accepti, quæ sola meriti & mercedis propriè dictæ relationem fundat; & absque quo quod datur operi, non utique propriè dicta merces, sed gratia est. Quod etiam Bellarminus ipse, ex mente, uti ipse statuit, Concilii Tridentini, *de justificat. lib. V.* 17. agnoscit. Unde vera veri & propriè dicti meriti definitio ejusmodi prono alveo fluit, quòd scilicet sit *opus indebitum, perfectum, viribus propriis, saltem non datis ab eo, à quo merces exspectatur, præstitum, utile ei, qui remunerari debet, denique adæquatum mercedi, seu cum ea proportionem & condignitatem habens.* Hoc igitur sensu verissimo meritum est actio personalis solius Christi, membris ipsius incommunicabilis, ratione facultatis inprimis merendi, quæ consistit in virtute infinita personæ merentis, ponderi excellentissimæ illius gloriæ respondente. Proin etiam ne ipsius quidem Adami obedientia, si is omnibus numeris eam implevisset, meriti propriè dicti rationem perfectam subire potuisset, quia opus ejus mercedi vitæ æternæ *ἀντίῤῥοπον* quidem, sed non *ἰσόῤῥοπον* fuisset. Tantum abest, ut hominis peccatoris, quantalibet gratia præditi, opus ullum propriè dicti meriti rationem habere possit. Quæ paulò fusiùs prosequi placuit, quia in meriti veri definitione solida totius rei cardo verti mihi videtur; atque vel inde constabit liquidò, adversarios errore gravissimo meritum cum gratia confundere, & suis, suique arbitrii viribus id vindicare arrogantissimè, quod solius Christi est. 2. De testimoniis porro à te allegatis infra viderimus. S. Patres quod attinet, meriti quidem vox apud eos obvia est; at non res, eo quo diximus, sensu definita. De voce, quæ apud eos non malè sonat, lis nulla nobis est. De re, æterna erit. Paucis. Vel S. Patrum testimonia corrumpitis; vel solo nomine testes eos citatis. Testimonia illorum corrumpitis, quorum Græca verba perversè Interpretes vestri, suam iis mentem commodantes, reddiderunt. Ita Ignatius quoties habet verbum *ἐπιτυχεῖν consequi*, vel *assequi*, Interpres reddidit *mereri.* veluti *θεοῦ ἐπιτυχεῖν Deum promereri.* quod ipse Vaittemius, optimus Interpretum Ignatii, reddidit, *Deum assequi.* In Justino *ἀξιωθῆναι ἀναστροφῆς* Interpres, *meritis suis victuros.* quod Sylburgius rectiùs reddidit: *conversatione sua dignatum iri.* Basilius dixit: *Animam ἐπὶ τὴν πρέπουσαν αὐτῇ λῆξιν in convenientem ei requiem emisit.* Interpres: *In requiem ejus meritis convenientem.* Dionysius Areopagita dixit *κατ' ἀξίαν secundum dignitatem* præmia distribui. Interpres habet. *secundum merita.* quasi non alia esset quàm meritoria dignitas. In Origene pro *operibus*, Bellarminus legit, *meritis.* Alios verò Patres testes solo nomine vos citare, manifestum est; veluti cùm vel mercedem solam, vel coronam vel proemium secundùm opera datum, vel meritum latiori sensu, quomodo consecutionem, adeptionem ob antecedens aliquid, sine ulla tamen vel condignitate, vel merito propriè dicto, notat; (quem sensum ex innumeris Patrum & exoticorum locis pridem nostri, ne hiscentibus quidem adversariis, probatum dederunt) alicubi memorant. Omnia loca Patrum à te corrasa huc incidunt; nec quisquam eorum vel de merito, vel de mercede propriè dicta somniavit. Voces innocenter adhibitas vos sic vitiare, & pessimum in sensum detorquere consuevistis. Quamvis ipsimet vocis *meriti* abusum vestrum saltem in merito congrui, quod præter nomen nihil ibi habere conceditis, confiteri pridem coacti estis, & in orationibus Romanæ Ecclesiæ frequens sit vocis *meriti* pro *consecutione* usus. Ostendite autem vel unum S. Patrum, qui dixerit, *opera mereri ex rigore justitiæ, operum dignitate interna; mercedem dari ex debito strictè dicto: opera valorem condignum, convenientem proportionem æqualitatis & dignitatis habere proemio cælesti, etiam in se ipsis, absque ulla merito-*

rum

rum mortisve Christi ratione. quod dicere Suarez & Bajus vester non erubuerunt; vel *Christum meruisse, ut nos quoque mereamur propriè; & opus idem partim ex gratia, partim ex cooperatione arbitrii mereri propriè.* Quia verò hæresis in sensu, non in verbis est, & scimus, ex Divina ordinatione necessariam esse consequentiam, ut qui crediderit in Christum, *consequatur* vitam æternam; toleramus sanè in veteribus, magnis viris, *meriti* nomine opus bonum designari. Sed Papisticum dogma de condignitate operum eo verbali prætextu neutiquam admittimus; quinimò à veteribus severè explosum esse, infra manifestum faciemus.

ARG. II. Eo jure præmium vitæ æternæ accipimus, quo justificamur. Ubique enim eædem statuuntur causæ justificationis & salvationis; uti manifestum est ex Rom. III. & Eph. II. Atqui justificamur ex gratia, non jure meriti.

RESP. REDING: 1. *Justificatio ipsa est causa salvationis. An ergo sui ipsius causa est? Manifestum igitur, alias esse justificationis, alias salvationis causas.* 2. *Glorificatio quoque datur jure hæreditatis: justificatio non item. Non ergo eodem jure præmium vitæ æternæ accipimus, quo justificamur.* Ib. pag. 542. Resp. 1. Justificatio est causa salutis, qua scilicet gratuita est, Rom. III. 24. 25. Ergo eadem gratia & justificationis & salvationis, & justitiæ & vitæ causa est. Nempe Christus nobis *& justitia, & sanctificatio & redemptio* factus est, 1 Cor. I. 31. Sicut *gratis, gratia Dei, per redemptionem Christi justificamur,* Rom. IV. 24. sic τῇ χάριτι *gratia salvati sumus,* Ephes. II. 8. Sic causa causæ est etiam causa causati, uti Logicorum filii ajunt. An iccirco causa à communi causa pendens sui ipsius causa est? Deliras creberimè. 2. Quod datur jure hæreditatis, quomodo jure meriti datur idem? Sicut jure non meriti, sed ex gratia justificamur: sic jure non meriti, sed ex gratia hæredes efficimur: quia justificatio salvat per id, per quod homo justificatur. Ex gratia enim justitia Christi nobis imputatur ad vitam. Si vitam mereri ipsi necessum habemus, frustra Christus mortuus, frustra ejus nobis justitia imputatur.

ARG. III. Christus nobis meruit vitam æternam, & ejus merito constat omnis Dei benedictio spiritualis, Ephes. I. 3. Actor. IV. 12. Ergo nostræ obedientiæ nullum est meritum. Qui enim meretur, is novum jus acquirit, quod ante non habuit. Si igitur ex merito Christi jus habemus ad vitam, novo merito idem jus acquiri minimè potest vel debet. Contendendum igitur, ut inveniamur in Christo, non habentes propriam justitiam, sed illam, quæ est ex fide Christi, Phil. III. 9. 1. Cor. I. 30. Facessant propriæ justitiæ merita.

RESP. REDING: 1. *Perinde argumentum hoc habet, ac si ex eo, quòd Deus causa omnium effectrix est, concluderet alius, secundas causas nullam virtutem effectricem habere. Nempe meritum Christi est causa facultatis merendi, quæ in nobis est.* 2. *Sic igitur ex merito Christi habemus jus ad vitam, ut tamen idem habeamus ex meritis nostris merito Christi subordinatis, & per gratiam sanctificantem dignificatis. Proin non duo diversa, sed unum idèmque jus gloriæ homini, ex merito Christi, & propriis illi subordinatis, competit.* Ib. pag. 542.

Digitized by Google

1542. Resp. 1. Quid verò hoc est nisi fucum facere, & glaucoma oculis imperitorum objicere? Confundis, Redingi, immani errore, opera gratiæ cum ordinariis operibus naturæ; quorum differentia maxima est, quia gratia immediatè operatur. præsertim ubi agitur de merito salutis; & Christus neutiquam est causa universalis & remota salutis nostræ, cui opera nostra subordinata sint, tanquam causæ secundæ, quæ effectum proximè & propriè, & immediatè producant. Si meritum salutis operi cuipiam Divino in natura comparari potest, illud erit creatio. Sed opus illud cùm à Deo factum fuerit immediatè, & sine instrumentis, idem de Filio Dei in merito salutis judicandum est; utpote qui פורה דרך לבדי *torcular calcavit solus, nemine ex populis omnibus ei præsente*, Esaj. LXIII. 3. & teste S. Paulo Hebr. I. 3. *peccatorum καθαρισμὸν purgationem fecit per se ipsum.* Meritum propriè dictum esse personalem actionem Filii Dei, membris ejus, ratione facultatis merendi, in virtute infinita personæ merentis consistentis, incommunicabilem, supra ostensum. Cùm nulla creatura sit capax virtutis infinitæ, solus utique Christus meriti causa singularis, unica & proxima erit, qui perfectè & plenè omnia ad salutem necessaria promeruit. In causis dependentibus & subordinatis effectus non sequitur, nisi causæ omnes concurrant. Si ergo nos, tanquam causæ secundæ, salutem meremur, Christus non omnia in cruce consummavit, nec ibi vitam æternam, ceu perfectus Salvator, nobis acquisivit. Quid quòd effectus potiùs proximæ & immediatæ, quàm remotiori & universali causæ tribuitur? Non igitur sic Christus noster, sed nos nostri Salvatores erimus. Et cur Scriptura in salutis humanæ negotio ubique gratiam & opera opponit? Quomodo, *si per legem est justitia, gratis mortuus* dicitur *Christus*, Gal. II. 21. Si Christus mortuus est, ut per legem sit justitia & salus, quî operibus nostris æternam vitam mereri possumus? Certè nec S. Paulus, nec reliqui Apostoli hunc mortis Christi fructum intellexerunt. Docuerunt illi quidem, Sanguinem Christi abluere à peccatis, nos tingere, ut vestes nostræ dealbentur: nunquam tamen intellexerunt, merita nostra tingi, & colorem meritorium imbibere. Quasi scilicet Christus non solus esset Servator noster, qui in tanti muneris societatem asciverit hominem ipsum servandum. Annon igitur sic horrenda metamorphosi servandi fiunt suorum ipsorum Servatores? Et tot Servatores, quot boni sunt? Quæ enim facimus, nostra sunt: nostra sunt, quæ meremur, quisquis vel facere, vel mereri dederit. Et meruítne Christus, ut perfecta sint, quæ facimus? Quomodo ergo sic claudicant vel optimorum opera? Meruítne, ut dum imperfecta sunt, adhuc mereantur? Quæ hæc Deo injuria, quæ terminorum contradictio est? Denique an operum humanorum tinctura meritoria per Christum necessaria fuit, ut plebecula vestra paulatim in amore Christi languescat, & in Sanctulos suos majori feratur desiderio, utpote depulsores saltem per merita sua pœnarum temporalium, quarum metus & depulsio longè præsentior gratiórque est homini carnali, quàm metus & depulsio pœnarum infernalium? 2. Sic verò merita humana merito Christi subordinantur, & in eo fundantur, uti cerea domus ardentibus prunis superædificantur, vel domus ex sale in medio fluminis construitur. Certè meritum unum alteri subordinari nequit, quia meritum ex se non dicit ordinem ad aliud meritum, sed potiùs respectum ad mercedem. Et quis Christianus, qui Christi Redemptoris unici honorem salvum & illibatum cupit, te ferat cum Bellarmino statuentem, vel blasphemantem potiùs, hominem justum jus ad vitam cœlestem habere duplici titulo, subordinato tamen, uno ex meritis Christi sibi per gratiam communicatis, altero ex meritis propriis? Quasi non *stipendia peccati sint mors: donum autem Dei vita æ-*

terna,

Digi

terna, Rom. VI. 23. In quæ verba paulò sanctiùs sic Cajetanus vester *Comm. ad h. l.* commentatur: *Non dicit, quòd stipendia justitiæ sit vita æterna, sed donum Dei vita æterna: ut intelligamus, non ex nostris meritis, sed ex gratuito Dei dono assequi nos pro fine vitam æternam. Propter quod & subdit: In Christo Jesu Domino nostro. Ecce meritum, ecce justitiam, cujus stipendium est vita æterna, nobis autem donum ratione ipsius Jesu Christi.* Nihil planiùs Zwinglius vel Lutherus aliquis dixisset. Et quis de meritis passionum Christi interior sensus vester sit, spongia Hispanica, seu Index Expurgatorius Madriticus, perfidiosè expungens, quæ de iis veraciter & piè veteres dixerunt, abundè testatur. Nam ex Libro Veteri, qui inscribitur *Ordo baptizandi cum modo visitandi*, Venetiis A 1575. impresso, deleri jubet isthæc verba: *Credis, non propriis meritis, sed Passionis Domini nostri Jesu Christi virtute & merito ad gloriam pervenire? Et paulò post: Credis, quòd Dominus noster Jesus Christus pro nostra salute mortuus sit, & quòd ex propriis meritis, vel alio modo nullus possit salvari, nisi in merito passionis ipsius?* Nimirum, quod de Origenis erroribus Hieronymus, hi sunt scorpiones & colubri veterum, inter quos incedendum fuisset lectori, nisi probè sic incolumitati nostræ Senatus Inquisitorius illudisset.

ARG. IV. Quid quòd vita æterna est hæreditas, Rom. VIII. 17. Ephes. I. 14. Gal. III. 8. Col. III. 24. Atqui quod hæreditatis titulo obtinemus, operum merito non obtingit.

RESP. REDING: 1. *Annon etiam meritum Christi mercedem habuit hæreditatem gentium, Psal. II. 8? Et tamen veri nominis meritum fuit. 2. Vita æterna justo contingit & ut hæreditas, & ut stipendium ac merces, titulo justitiæ, quia Deus voluit filios suos otiosos esse, sed in virtutibus sanctis ad perfectum usque diem proficere, operibus eorum in statu gratiæ proponendo vitam æternam, in gradu abundantiori obtinendam.* Ib. pag. 542. Resp. 1. Dispar planè Christi & fidelium ratio est. Ille enim perfecta sua obedientia non meruit vitam, ceu hæreditatem, seu jure paternæ & gratiosæ hæreditatis (aliàs nihil propriè meruisset, nec legi nostro loco unquam satisfecisset) sed meruit sibi hæreditatem, hoc est, semen, hæredes, filios, quibus justitiam & vitam merito suo acquisitam ex consilio Dei Patris donaret. Fideles contra vitam æternam accipiunt ceu hæreditatem, hoc est jure hæreditario, quia hæredes Dei & Christi ex mera gratia adoptionis. An sic quoque Christus hæres Dei Patris est ex gratia adoptionis? Hæc scilicet hæresis fuit Felicis Urgelitani & Elipandi, in Francofurtensi Concilio, moderante Carolo M. repressa. 2. Si sic fideles hæredes Dei sunt, & vitam, ceu hæreditatem ex gratia adoptionis sortiuntur, ut simul necessaria sint merita operum, seu causa concurrens cum jure hæreditario, jus non acquireretur in hæreditatem, nisi concurrente & impleta illa causa, neque hæres quisquam esset, statim ac filius est. Atqui tam plenum jus hæreditatis est à filiatione, ut etiam nondum impleta conditione alia ulla, filius hæres dicatur. Nam *si filius, etiam hæres Dei per Christum est*, Gal. IV. 9. Et *infans quoque hæres, dominus omnium est*, ib. V. 1. Adduntur quidem conditiones filio, hæredi, sed non ut causæ hæreditatis, utpote quæ nisi supposita hæreditate & filiatione ne quidem conditiones essent. Ita adoptatus in hæredem adoptanti omne genus obsequiorum debet. Sed obsequiis ejusmodi neutiquam adoptionem ille meretur: sed potiùs ex adoptione obligatio obsequendi oritur.

ARG. V.

Digitized by Google

ARG. V. Vita æterna est *χάρισμα donum* Dei, sicut contra mors *ὀψώνια stipendia peccati*, ceu mortem merentis, Rom. VI. 23. Donum autem non æquè ac stipendium cadit sub meritum.

Resp. Reding: *Sic vita æterna est donum Dei, ut simul sit stipendium justitiæ, agnoscente Augustino Epist.* 105. *ubi sic ille:* Quare, ô homo, si accepturus vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est & ipsa justitia. *Similia habet lib. de gratia & libero arbitrio, ubi vitam æternam esse gratiam Dei, & simul operibus reddi docet, quia ipsa opera bona, quibus vita æterna redditur, ad gratiam Dei perineant.* Ib. pag. 543. Resp. 1. Cùm & donare meræ liberalitatis sit, & *χάρισμα*, quod idem est quod *χάρις gratia, ὀφειλήματι debito* opponatur, Rom. IV. 4. adeóque *χαρίζεσθαι* idem sit, quod *gratis largiri, gratificari*, seu, Phavorino etiam interprete, donum gratis in alium conferre: & denique *ὀψωνίου stipendii*, quale scilicet militibus pro mercede datur, nomen morti, quam peccatum meretur, at non vitæ æternæ imponatur, imò huic planè contrarium aptetur, & finium ultimorum, puta vitæ & mortis in acquisitionis modo planè diversa, imò contraria ratio & conditio sic significetur; manifestum est, sic vitam æternam esse donum, ut meritum hominis respectu nullatenus esse possit, quisquis etiam aliter docuerit. Quanquam S. Augustinus id nunquam docuit, qui *stipendii* æquè ac *mercedis* voce utitur impropriè. Potest autem etiam vita æterna dici stipendium fidei & operis nostri, non propriè sed impropriè. quia simul appellatur *χάρισμα* donum. Mors contra sic appellatur *ὀψώνια stipendia peccati*, ut ejusdem *χάρισμα* seu *donum* appellari nequeat, quia scilicet verè & propriè est stipendium, cui nihil cum gratia commune est. Ea igitur vita, quæ sic stipendium est justitiæ, ut etiam sit donum, alia ratione stipendium dicitur, quàm mors. Est autem ratio propria, propter quam mors stipendium dicitur, hæc, quia peccato, ceu merito ex condigno debetur. Non igitur vita sic stipendium est, ut justitiæ debeatur ex condigno. Aliâs æquè mors *χάρισμα* diceretur ac vita, quemadmodum æquè vita diceretur *ὀψώνια* ac mors. Sic ipse Augustinus *Enchir. cap.* 107. explicat: *Stipendium*, inquiens, *pro opere militiæ debitum redditur, non donatur. Gratia verò nisi gratis sit, gratia non est.* Ambrosius quoque *Epist. I. Alia*, inquit, *est merces liberalitatis & gratiæ: aliud virtutis stipendium, alia laboris remuneratio.* Ita veteres loquuntur, cùm stipendii vocem propriè accipiunt. Imò S. Augustinus *lib. de gratia & lib arb. cap.* 9. clarissimè mentem suam sic explicat: *Cùm posset* (Apostolus) *dicere, & rectè dicere; Stipendium autem justitiæ vita æterna: maluit dicere: Gratia autem Dei vita æterna; ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris nos ad vitam æternam, sed pro sua misericordia perducere.* Ergo & merita bona illi sunt Dei munera, & his ipsis meritis redditur vita ex gratia: & gratia, si non est gratis, non est gratia; adeóque ipsis meritis, quæ nobis nulla sunt nisi donata, ipsa vita æterna tanquam gratia redditur. Atque ita à Deo habemus gratiam geminam, unam in collatione bonorum operum, in largitione vitæ alteram.

ARG. VI. Salus nobis contingit ex mera Dei gratia & misericordia, Tit. III. 4. 5. Gal. VI. 16. Non igitur ex merito operum. Nam *operanti merces non imputatur in gratiam, sed in debitum*, Rom. IV. 4. Piè Bernhardus in Cant. Serm. 16. 3. *Merita mea miseratio Domini.*

Resp.

Resp. Reding: *Merita & gratiam non pugnare, idem Augustinus Epist. 105. docet, quia scilicet ipsa merita in nobis facta sunt per gratiam. Sunt ergo eodem sensu etiam miseratio Domini.* Ib. pag. 543. Resp. De mente Augustini satis jam diximus. Verba non flagellamus, re salva. Merita ipsi sunt opera fidelium per Dei gratiam facta; quibus, ceu gratuitis, ex mera gratia, vitam, ceu gratiam dari, ille docet. Sed ex operibus, ceu meritis propriè dictis, condignitatem cum vita habentibus, sic dari vitam, ut non detur ex sola gratia, sed ex meritis etiam hominum propriè dictis, nusquam Augustinus dixit; nec sic rationem inivit cum Deo, ut partiretur cum eo, sicut vos soletis, cum Pererio, *in cap. 6. ad Rom. disp. 10. num. 53.* asserentes, *per liberum nostrum arbitrium nos cooperari cum gratia Dei, & verè esse causas operum, quæ facimus, & opera nostra verè nostra esse, & merita esse apud Deum.* Dare aliquid ex gratia, & ex merito propriè dicto, planè ἀσύστατον est, quia meritum facit rem debitam, at gratia supponit indebitam. Quicquid ergo datur ex gratia, non potest dari ex merito. Aliàs gratia non esset gratia, Rom. XI. 6. Quod ipse Bellarminus fatetur *lib. V. de Justificat. cap. 14.* ubi dicit, in pensando merito, & retribuenda mercede debita justitiam quandam commutativam exerceri; hoc est, eam, in qua citra omnem personarum acceptionem servatur in dando & accipiendo debita æqualitas secundùm qualitatem. Ubi hoc fit, gratia exulet oportet.

ARG. VII. Opus meritorium oportet sit perfectum tum quoad gradus, tum quoad partes, tum quoad perseverantiam, indebitum, nostrum non alienum, & mercedi adæquatum. Omnes autem hæ conditiones nostris operibus desunt.

Resp. Reding: *Meriti conditiones ex descriptione meriti superiùs posita constant. Sanè Augustino in Psal. 83. teste, Deus se debitorem fecit ipse, non accipiendo, sed promittendo; cui non dicitur, redde, quod accepisti, sed redde, quod promisisti. Ibidem negat, præmium præcedere meritum, & priùs dari homini, quàm dignus est. Et Serm. 16. de verbis Apostoli ostendit, nos, ubi id fecimus etiam, quod Deus jussit, posse exigere præmium promissum. Actus igitur meritorius non sic noster esse debet, quin debitus etiam esse possit. dummodo noster sit per arbitrium viribus gratiæ effectivum.* Ib. pag. 503. Resp. Nos quoque tuam meriti propriè dicti definitionem superiùs ad incudem revocatam, esse subdolam, contradictoriam & penitus absurdam convicimus; conditionésque veras meriti propriè dicti hic repetitas solidis rationibus asseruimus. Etiam Thomas de Argentina, vester *Comp. Theol. lib. IV. 15. & V. 10.* meritum paucis definit *opus indebitum, de nostro præstitum, præmium ex indebito faciens debitum.* Qui debitum reddit, non meretur ille quicquam, sed satisfacit, servus de cœtero manens inutilis, Luc. XVII. 10. Qui largitur de eo, quod prior dedit, qui præmium reddit, ille quoque restituit acceptum, non meretur. Qui dat opus inæquale præmio, is præmium accipit ex gratia remittentis, non ex merito operantis. Augustinum frustra planè in subsidium advocas. Si opera debita ille propriè & ex condigno meritoria statuit, Christo contradixit, asserenti Luc. XVII. 10. ipsos, quos alloquitur, Apostolos, in statu gratiæ constitutos, si maximè omnia præcepta fecerint, profiteri debere, se servos esse inutiles, quia scilicet sic fecerint, quod debuerunt, adeóque nullum inde lucrum Domino accrevit. Qui verò propriè meretur, is & ei, cui meretur, & sibi utilis est. Deus igitur se *debitorem* facit ex pacto, sed non operibus vel indebitis, vel meritoriis; verùm fidelitati potiùs & veracitati suæ,

Digitized by Google

ob *dignationem* in Christo, non dignitatem intrinsecam & æqualem operis: & denique dat jus exigendi promissa sua, non ob ullam dignitatem meritoriam operis, sed ob fidelitatem propriam. Coronat enim in nobis sua dona, non nostra merita. Ita servus, si sibi operato, redeuntique ex aratione aut pastione, herus promisisset cœnam communem, nunquam diceret, se meruisse ex condigno, sed heri liberalitatem admiraretur. Hæc mens est Augustini, tam remota à mente Papistarum, quàm Cœlum à terra est.

ARG. VIII. Si ex merito operum salus contingit, tum in operibus nostris confidere possumus. Quisque enim niti & insistere potest suis meritis. Atqui in operibus confidere neutiquam licet. Et intutum id esse *propter incertitudinem propriæ justitiæ & periculum inanis gloriæ*, ipse Bellarminus *de Grat. justific. lib. V. cap. 7.* fatetur.

RESP. REDING: 1 *Si in operibus confidere non licet, quomodo S. Paulus 2. Tim. IV. 7. &c. dicere potuit: Bonum certamen certavi, &c. Reposita de cætero mihi est corona justitiæ &c. 2. Duos fidelis habet oculos, unum humilitatis, reflexum in se & proprias vires: alterum reflexum in gratiam Dei, quæ fretus certus est, vitam æternam operibus ex gratia editis tanquam justitiæ stipendium respondere.* Ib. pag. 543. Resp. 1. Sic S. Paulum nobis confidentissimum propinas, quem aliàs, quasi exemplar diffidentiæ, vestri opponunt. Et est sanè in verbis illis ejus: *Bonum certamen certavi, &c.* ingens & verè Christiana fiducia, digna, unde fideles omnes sui consolandi occasionem sumant. At fiduciam in operibus, fiduciam in meritis præ se omnino nullam ferunt. Certamen decertare, cursum consummare, fidem servare, bona opera sanè sunt. Sed propter ea tanquam merita, reddendam sibi esse justitiæ coronam, non dixit. Quippe nec perfecta illa opera fuerunt, nec qui ea fecit, S. Paulus peccati omnis expers fuit. Confisus ergo est in sola Dei gratia, ceu causa salutis unica, non in quoquam opere suo, qui & alibi testatus est, nullius se conscium, sed nec per hoc justificatum esse, 1. Cor. IV. 4. Per quod verò justificatus non est, in illo fiduciam collocare non potuit. Et aliud sanè est fiduciam collocare in opere, tanquam causa salutis: aliud fiduciam nasci in Deum solum ex operibus, ceu testimoniis gratiæ, & argumentis, quibus apprehensio justitiæ Christi confirmatur. Illud à Sanctis alienissimum semper fuit: hoc verò ad meritum nihil facit, quia effecta gratiæ & justitiæ ejus causa esse meritoria nequeunt, & ad meritum salutis bonæ conscientiæ, Christi sanguine aspersæ, testimonium nihil facit. 2. Cùm ipsemet fatearis, oculum alterum in solum Deum & gratiam ejus reflexum fiduciam parere, an igitur merita humana sunt Deus, sunt gratia Dei? Si ex gratia, an ex operibus? Bellarminus vester, postquam operosè disputavit, *fiduciam Sanctorum, quam in Deo constituunt, non ex fide sola, sed etiam ex meritis nasci*; &: *In bonis meritis quæ verè talia sunt, fiduciam aliquam collocari posse, modò superbia caveatur*; (scilicet qui sibi arrogat, quod solius Christi est, meritum, & in eodem confidit, superbiam egregiè cavet) concludit denique, *propter incertitudinem propriæ justitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutissimum esse fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere.* Sentit ergo, licere non in sola Dei misericordia, sed etiam in meritis fiduciam ponere: tutissimum tamen esse, in sola illa ponere. Qua postrema positione tamen usum omnem meritorum tollit, & ad gratiam solam confugit. Nam & incertam & periculo-

Digitized by Google

periculosam esse doctrinam de justificatione & meritis operum, quam hactenus tradidit, verè agnoscit: & vitæ speratæ communicationem misericordiæ, non justitiæ tribuit: & misericordiæ huic sic fiduciam affigit, ut nihil præterea intueri debeat, *totam*, inquit, *in sola &c.* & denique re ipsa officium & necessitatem collocandi fiduciam in sola Dei misericordia astruit, quia tutissimum est nobis fiduciam collocare in omni eo, quod Deus in verbo suo proposuit, ut salutis causam & fiduciæ fundamentum. Si igitur præter Dei misericordiam aliud quidpiam hujus generis esset, non esset tutissimum, totam fiduciam in hac sola collocare. Hoc tibi, Redingi, objectum meritò, diluere non potuisti.

ARG. IX. Opus ex pacto mereri non posse probat Gabriel Vasquez, tum quia per promissionem res non acquirit internam dignitatem: tum quia si Deus graviorem pœnam exigeret quàm peccatum postularet, non ideo augeretur demeritum: tum denique, quia eleemosynæ promittitur remissio peccatorum, Abrahamo promissus adventus Christi, cùm tamen nec eleemosynæ remissionem peccatorum, nec Abrahamus adventum Christi meruisse dici possit. Multò minùs opus aliquod meretur *ex condigno*, quia Deus nemini debitor est, neque inter opus & præmium ullus omnino commensus locum habet.

RESP. REDING: 1. *Vasquez hoc unum contendit, Gratiam sanctificantem habere intrinsecam condignitatis cum æterna gloria proportionem, atque hanc ad meritum vitæ æternæ condignitatem adeò necessariam esse, ut ne per absolutam quidem potentiam Dei ex sola Divinæ voluntatis ordinatione extrinseca suppleri possit.* 2. *Interim operum per sanctificantem gratiam sic dignificatorum Deus vi pacti sui aliquo modo constituitur debitor ad retribuendam vitam æternam ex justitia. Pactum enim hoc est ex conditione operis condigni, quod rationem gratiæ ab executione promissi in tantum excludit, ut S. Paulus Rom. IV. 4. 5. asserat, ei qui operatur, mercedem imputari non ex gratia, sed ex debito. Unde S. Augustinus in Psal. 83. dicit, Deum indulgentiæ largitorem, coronæ autem debitorem, indulgentiam tribuere ut Patrem, coronam ut judicem.* 3. *Illud tamen justitiæ debitum non sic rigorosum est, ut absoluto Dei dominio non sit commensuratum. Non potest igitur jus creaturæ inexistens voluntatem Divinam dominantem sic ligare, ut absque injuria contravenire nequeat. Aliàs dominio Dei nonnihil decederet. Quomodo rectè S. Bernhardus Serm. I. de Annunt. dixit, si Deus meritis negaret præmium, nulli facturum injuriam.* Ib. pag. 544. 545. Resp. 1. Ita est. Disputat Gabriel Vasquez *in 1. 2. Tom. II. Disp. 214.* adversus eos, qui docent, justorum opera solo pacto & promissione Dei dignitatem merendi obtinere. Quo in numero magna, ipsomet indice, nomina sunt, Scotus, Gregorius Ariminensis, Gabriel, Occamus, Alphonsus à Castro, Vega, Canonici Colonienses, Theologi Senonenses, & Wilhelmus Parisiensis. Et sunt Vasquezii argumenta, quæ iis opponit, oppido prægnantia, ex quibus meritò conclusi, opera vim merendi ex solo pacto nullum habere. Cùm igitur, quod mox addidi & probavi, nullam itidem ex condignitate interna habeant, quod ii ipsi Theologi verissimè affirmant, ex pugnantibus Scholasticorum illorum, in meritorum suorum ædificio non aliud quàm turrim Babel exstruentium, sententiis & argumentis colligo firmissimè, opera vim merendi omnino

Digitized by Google

mnino nullam habere. Nam Vasquezii quidem sententiam, quam ille ceu *Probabiliorem*, & *Catholicæ doctrinæ magis consentaneam* venditat, quòd scilicet *valor & dignitas vitæ æternæ absque ullo pacto & favore operibus justorum adscribenda sit, hoc ipso, quòd in statu justitiæ per auxilium gratiæ moventis facta sunt:* quódque (aures arrigite omnes) *operibus justorum NULLA ACCESSIO dignitatis proveniat ex meritis Christi, aut ex ejus persona, quod aliàs eandem non haberent ex eadem gratia à solo Deo liberaliter collata;* ipse tu, Redingi, despuis, qui nobis meritum ex omnibus illis, nempe dignitate operis ex gratia sanctificante & meritis Christi, arbitriique humani cooperatione, proveniente, nec non ex pacto ac promissione Dei liberaliter conflatum, hoc est, meritum monstrosum & ex contrariis, uti supra ostendi, compositum propinas. 2. Quid verò porrò ex te, Redingi, audio? Sic Deum constitui operanti homini ex vi pacti sui & operis condigni debitorem, ut pactum tale *ab executione promissi rationem gratiæ tollat.* O te Protheum magnum! Hactenus nil nisi gratiam operantem, moventem, sanctificantem, merita Christi te crepantem audivimus. Nunc verò etiam *gratiæ conditionem* ab executione pacti Divini penitus excludis. Sic tandem larvam ipse deponis, & animi tui sensa, recondita hactenus, promis. Frustra verò Apostolum, Rom. IV. 4. ubi dicit, *operanti mercedem imputari non secundùm gratiam, sed secundùm debitum,* appellas. Si enim nobis in statu gratiæ operantibus merces imputatur non secundùm gratiam, sed secundùm debitum: quinam ergo illi sunt, quibus non operantibus, sed credentibus in eum, qui justificat impium, imputatur fides ad justitiam? An iidem sunt operantes & credentes in Christum: iisdem & operantibus merces non ex gratia, sed ex debito imputatur, & credentibus in Christum fides, adeóque non ex debito, sed ex gratia, imputatur ad justitiam? Næ horrendo errore statum naturæ integræ, in quo homo operari potuisset, & Deus ob pactum operanti mercedem non utique ex gratia in Christo, sed secundùm debitum, non homini, sed fidelitati Dei obligatum, imputâsset; nec non statum Christi pro nobis propriè merentis, cum statu gratiæ, qui idem hac quidem in vita infirmitatis & imperfectionis status est, confundis. Augustinus quo sensu coronæ debitorem Deum dixerit, supra explicavimus. Debitor est ob promissionem merè gratuitam factam non operibus ut causæ vitæ, sed suæ fidelitati & veracitati. Quæ enim pietas, quæ verecundia foret, Deum facere propriè debitorem eorum, qui & se & sua omnia Deo Creatori & Redemptori suo debent? Et si non præstent vel ipsi, vel eorum loco sponsor aliquis, meritò puniuntur? Sin verò præstiterint, adhuc δοῦλοι ἀχρεῖοι *servi inutiles* manent, quia fecerunt, quod debuerunt? Quia scilicet operantes non operantur, ut domini actuum suorum, sed ut servi. Unde Dominicus à Soto pro libertate arbitrii sic arguit: *Ratio naturalis est, quòd mereri est aliquid dare alteri, & conferre in bonum ipsius. Nemo verò dat, nisi illud, cujus est dominus.* At ejus, quod debemus, domini non sumus. unde apud Latinos debita pecunia vocatur æs alienum. Ergo debitum meritum esse nequit. 3. Neque tandem mitigas horrorem sententiæ tuæ, dicendo, *illud justitiæ Divinæ debitum non sic rigorosum esse, quin absoluto Dei dominio sit commensuratum,* adeóque Deus sine injuria *debitum suum solvere non possit.* Si Deus debitum suum homini legis suæ transgressori solvere vellet, jam non Cœlum, sed infernum illi solveret. Sed postquam gratiam & salutem in Christo promisit credentibus, absoluto ejus dominio nunquam se cohiberi patietur, quò minùs promissorum suorum fidem liberet. Quanquam enim non liberando nullam homini injuriam faceret, faceret tamen sibi, fidelitati & veracitati suæ, adeóque se ipsum abnegaret. Non enim

Deus

Deus dominus duntaxat est, sed etiam sanctus, fidelis, verax & justus. Harum Dei proprietatum ea harmonia est, ut amicè conspirent omnes, nec una aliam labefactare possit.

ARG. X. Quid statuendum sit de fastuosa hac doctrina, colligitur ex ejus fructu & effectibus. Nam illi ipsi qui merita jactant, docent diffidentiam, & dubitationem suadent ut virtutem. Justa sanè est hæc diffidentia. Quæ enim fiducia niti potest tam fluxo & stabili fundamento? Falsam fiduciam sequitur justa trepidatio. Et in hoc oscillo penduli pœnas luunt arrogantiæ.

RESP. REDING: 1. *Sic ipsum S. Paulum Philip. II. 12. jubentem cum metu & tremore operari salutem, redarguis.* 2. *Nullius etiam fastus argui possumus, quia merita non ex nobis, sed ex Dei gratia & misericordia unicè derivamus.* Ib. pag. 545. Resp. 1. De loco Philip. II. 12. supra satis. Et paulò ante satis confidentem S. Paulum eundem ex 2. Tim. IV. 7. objecisti, scilicet & confidere suis meritis potuit, & timere ac trepidare perpetim debuit. Tum hoc persuaseris, cùm Papistam eum fuisse constiterit. 2. Tu verò ipse quoque jamjam nobis mussabas, operantibus vobis, hoc est, merentibus mercedem non ex gratia, sed ex debito imputari. Quomodo igitur in gratiam Dei merita vestra derivatis? Et quid merito cum gratia? Σιδηρόξυλον hoc pridem ab Apostolo confessum est, dicente: *Si ex gratia, non ex operibus. Aliàs gratia non esset gratia,* Rom. XI. 6. Denique undecunque merita derivetis, vestra tamen esse opera, vestra merita, liberi arbitrii potestate elicita jactatis. *Gratia servati estis per fidem, idque non ex vobis,* inquit Apostolus Ephes. II. 8. Vos verò: *Gratia Dei, sed tamen ex nobismet. Ubi gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? Operum? Non, sed per legem fidei;* inquit Apostolus Rom. III. 27. *Magis honorificum est habere aliquid ex merito, quàm ex donatione sola,* inquit contra Bellarminus: *Ratio est,* ait Durandus. *in 3. dist. 18. quia nobilius est aliquid habere à se & per se, quàm ab alio vel per alium. Qui autem aliquid habet per proprium meritum, quodammodo habet illud per se ipsum.* Et fortiùs Tapperus *Art. Lov. Tom. 2. a. 9. Absit, inquit, ut justi vitam æternam exspectent, sicut pauper eleemosynam. Multò namque gloriosius est, ipsos quasi victores & triumphatores ea possidere tanquam palmam suis sudoribus debitam.* Quæ hæc insolentia? Accersite sic vobis, Monachi Papales ultroneam paupertatem, qui, sordentibus vobis donis Dei, spirituales divitias, supra quàm Ezechias aurum & argentum, pomposè adeò ostentatis; & per talem scilicet paupertatem spiritus, & sui ipsius abnegationem ad perfectionem Evangelicam grassamini. Verè Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ: *Difficiliùs arrogantia, quàm auro caremus & gemmis.* His enim abjectis sunt qui gloriosis sordibus tumeant.

ARG. XI. Ecclesia Romana in Canone Missæ erubuit cantare meritum. Quippe in eo Deus oratur *non æstimator meriti, sed veniæ largitor.* Inter Scholasticos non defuerunt, qui meritum exploderent. Ad praxin verò quoties itum, nihil meritis, nihil non gratiæ concessum, uti patet ex Agendis Ecclesiasticis, & exhortatione, quæ Anshelmo tribuitur.

Digitized by Google

RESP. REDING: *Peccati quidem remissio veniæ largitore indiget. Sed remissis iis locus est meritis vitæ æternæ condignis, non ex naturæ viribus, quæ sola Scholastici contra Pelagianos explodunt, sed ex vi & efficacia gratiæ. uti Theologi orthodoxi cum Patribus docent.* Ib. pag. 545. Resp. Atqui sic Canon Missæ *veniæ largitorem* Deum orat, ut eundem *meriti æstimatorem* in universum deprecetur. Ex Scholasticis Thomam Waldensem Vega *Opusc. de merit. q. 4. p. 782.* sic loquentem inducit: *Ille est sanior Theologus, fidelior Catholicus, & Scripturis sacris magis consentiens, qui merita* SIMPLICITER ABNEGAT: *& cum modificatione Scripturarum agnoscit, quòd simpliciter nemo meretur Regnum Cælorum, sed ex gratia Dei & voluntate largitoris.* Subjicit Vega: *Loquitur ille sic de operibus justificatorum.* Non igitur de iis tantùm, quæ naturæ viribus fiunt, uti tu, Thomæ illius judicio, insanior Theologus, & infidelior Catholicus scilcis. Cajetani similem sententiam supra recensui. Et possunt huc referri etiam Scotus, Gregorius Ariminensis, Gabriel, Occamus, à Castro, alii, qui operibus fidelium cunctis dignitatem meritoriam simpliciter negant, & mereri ex sola promissione gratuita Dei, pertendunt. Quale meritum de solo nomine tale esse, ipse fortè judicabis mecum. Bellarminus quidem *de Justif. lib. V. 17.* eorum sententiam à nostra disparat, *eò quòd non censeant, sicut Lutherus, opera bona non esse verè bona, sed peccata.* At nec nos tam absurdi sumus, ut dicamus, bona opera esse peccata; sed, iis immisceri peccata, nec esse purè vel perfectè bona contendimus. Sed de Scholasticis quibusdam paulò modestioris ingenii quicquid fiat, certè S. Patres merita propriè dicta, & vel de congruo, vel de condigno talia, nulli agnoverunt. Possent eorum consignata testimonia plura in medium proferri. Sed ἀκροθινιάζειν malumus. Basilius in Psal. CXIV. ἀπόκειται γὰρ ἀνάπαυσις αἰώνιος τοῖς νομίμως τὸν ἐνταῦθα διαθλήσασι βίον. Οὐ κατ' ὀφείλημα τῶν ἔργων ἀποδιδομένη, ἀλλὰ κατὰ τοῦ μεγαλοδώρου Θεοῦ τοῖς εἰς αὐτὸν ἠλπικόσι παρεχομένη. *Manet sempiterna requies, qui in hac vita legitimè certaverint, reddenda non secundùm debitum operum* (Interpres reddit, *non ob eorum merita factorum*) *sed ex munificentissimi Dei gratia, in quo sperarunt.* Quanquam enim vox χάρις *gratia* ibi non exprimitur, tamen rectè eam Interpres addidit, quia hiatum illum ex sententia & antithesi Authoris supplere aliter non potuit. Et quicquid sit, Basilius disertè ὀφειλὴν ἔργων *debitum*, adeóque meritum operum removet. Chrysostomus *homil. 12. ad Rom.* ad verba illa S. Pauli, *stipendia peccati mors, donum autem Dei vita æterna, &c.* sic annotat: Εἰπὼν ὀψώνια ἁμαρτίας, ἐπὶ τῶν χρηστῶν οὐκ ἐτήρησεν αὐτὴν τὴν τάξιν. Οὐ γὰρ εἶπεν ὁ μισθὸς τῶν κατορθωμάτων ὑμῶν, ἀλλὰ τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, δεικνὺς, ὅτι οὐκ οἴκοθεν ἀπηλλάγησαν, οὐδὲ ὀφειλὴν ἀπέλαβον, οὐδὲ ἀμοιβὴν καὶ ἀντίδοσιν πόνων, ἀλλὰ χάριτι ταῦτα πάντα ἐγένετο. *Peccati stipendia cùm nominasset, de bonis verba faciens non eundem ordinem servavit. Neque enim dixit, merces rectè factorum vestrorum, sed gratia Dei, ostendens suo Marte illos liberatos non esse, neque debitum accepisse, neque retributionem, vel laborum remunerationem, sed omnia hæc ex gratia obvenisse.* En & sententiam, & argumentum nostrum, quo supra adversus merita operum pugnavimus. Idem *homil. 2. Epist. ad Coloss.* Διὰ τί κλῆρον καλεῖ; δεικνὺς, ὅτι οὐδεὶς ἀπὸ κατορθωμάτων οἰκείων βασιλείας τυγχάνει, ἀλλ' ὥσπερ ὁ κλῆρος ἐπιτυχίας μᾶλλόν ἐστιν, οὕτω δὴ καὶ ἐνταῦθα. οὐδεὶς γὰρ τοιαύτην ἐπεδείξατο πολιτείαν, ὥστε βασιλείας ἀξιωθῆναι. ἀλλὰ τῆς αὐτοῦ δωρεᾶς ἐστι τὸ πᾶν. Διὰ τοῦτό φησιν, ὅταν πάντα ποιήσητε, λέγετε, ἀχρεῖοι δοῦλοί ἐσμεν. ὃ γὰρ ὠφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν. *Cur vocat sortem, ostendens quòd ex bonis suis actionibus & rectè factis nemo Regnum assequitur. Sed quomodo sors est potius boni eventus: ita hic quoque. Nullus enim sic se vitam probavit instituisse, ut dignus habeatur Regno, sed*

quicquid

quicquid id est, ejus, donum est ejus. Propterea dixit: Cùm omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus, quia quæ debuimus facere, fecimus. Marcus Monachus *Serm. 2. contra eos, qui se ex operibus justificatum iri sperant, cap. 2.* Τινὲς μὴ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς, πιστεύειν ὀρθῶς νομίζουσι. Τινὲς δὲ ποιοῦντες, ὡς μισθὸν ὀφειλόμενον, τὴν βασιλείαν ἐκδέχονται. Ἀμφότεροι δὲ τῆς βασιλείας ἀποσφάλλονται. *Quidam non facientes mandata, rectè se credere putant: quidam verò ea facientes, Regnum, tanquam mercedem debitam exspectant. Sed utrique à Regno aberrarunt.* Et *cap.18.* παρὰ δεσπότου μισθὸς δούλοις οὐκ ὀφείλεται. οὐδ' αὖ πάλιν οἱ μὴ δουλεύοντες ὀρθῶς ἐλευθερίας τυγχάνουσι. *Servis* (mancipiis) *dominus mercedem non debet. Neque etiam, si ritè serviunt, libertatem consequuntur.* Similia plura eodem sermone legere est. veluti cùm *cap.54.* eum qui bonum opus facit, & retributionem quærit, ait οὐ τῷ Θεῷ, ἀλλὰ τῷ ἰδίῳ θελήματι δουλεύειν, *non Deo, sed propriæ voluntati inservire.* Photius *Schol. in Epist. ad Rom.* gratiam inter & opus hanc differentiam statuit, quòd illud sequatur merces, hæc verò non detur tanquam remuneratio, sed tanquam donum & honor. Hinc sic concludit: Τῆς χάριτος τὴν δωρεὰν παρεχούσης ἄν τις οἴηται διὰ τῶν ἔργων ταύτης ἀπολαύειν, ἀναιρεῖ τὴν χάριν, τὸ ὅσον γε ἐπ' αὐτῷ, καὶ οὐ μένει χάρις ἔτι ἡ χάρις. Τῆς χάριτος οὖν χορηγούσης τὴν δωρεὰν, κἄν τις δι' ἔργων ταύτης τυχεῖν πειραθῇ, εἰς μάτην ἔσται ἡ πεῖρα. *Quandoquidem gratia beneficium hoc exhibet, si quis existimet, se per opera ejus participem futurum, eum gratiam, quantum in ipso est, tollere, & gratiam non amplius manere gratiam. Cùm igitur gratia hoc beneficium exhibeat, etsi quis per opera illud consequi conetur, conatus frustraneus erit.* Theodoretus *de curandis affectibus Serm. 7.* Οὐ γὰρ δὴ ἔργων ἀξιεπαίνων, ἀλλὰ διὰ μόνης πίστεως τῶν μυστικῶν τετυχήκαμεν ἀγαθῶν. *Neque enim illis operibus bonis, seu laude dignis, sed per solam fidem mystica bona consecuti sumus.* Ex Latinis ὁμοψήφους paucos adducamus. Hieronymus *adv. Pelag. lib. 1.* commemoratis B. Virginis Mariæ verbis illis: *Ecce ex hoc beatam dicent me, &c.* Sic admonet: *In quo animadverte, quòd beatam se esse dicat non proprio merito atque virtute, sed Dei in se habitantis clementia.* Id si de Θεοτόκῳ verum: cur de reliquis hyperdulistis vos negatis? Idem ad Demetriadem: *Si humiliaveris te sub potenti manu Dei, & scriptum semper memineris: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ubi autem gratia, non operum retributio, sed donantis est largitas, ut impleatur dictum Apostoli: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Augustinus *in Psal. LXX Conc. 2. Tua,* inquit *peccata sunt, merita Dei sunt. Supplicium tibi debetur, & cùm præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.* Alibi *de grat. & arb. cap. 9.* loco sæpius à Redingio allegato: *Maluit dicere, Gratia Dei vita æterna, ut intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.* Quibus verbis merita gratiam & præcedentia & consequentia jugulare eum, clarum est, tum quia loquitur *de perductione ad vitam æternam,* adeóque non initiis duntaxat, quibus homo ad gratiam adducitur, sed de consummatione salutis: tum quia dicit, *cùm præmium* (non prima gratia, initium salutis, sed vita æterna, adeóque id ipsum, in quo merita Papistæ collocant) *venerit, sua dona coronabit, non merita tua:* tum quia alibi, veluti *de grat. & lib. arb. cap. 7.* sic idem scribit: *Non coronat Deus merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua;* ab operibus universis, quæ coronaturus Deus est, tollit respectum, quatenus sunt *merita,* & ponit respectum, quatenus sunt *dona;* ut sensus sit, Deum operibus hominis reddere coronam justitiæ, non tanquam essent merita hominis, sed quatenus sunt dona Dei: tum denique quia eorum etiam meritum, in quibus dispensationem salutis gratia inchoavit, alibi excludit,

Digitized by Google

cludit, puta *in Psal. CXLII.* ubi sic ille: *Cùm diceret Propheta, propter nomen tuum vivificabis (non vivificasti) me in justitia tua: In justitia tua, non in mea: non quia ego merui, sed quia tu misereris. Nam si meum ostenderem meritum, nihil abs te mererer* (NB) *nisi supplicium. Avulsisti merita mea, inseruisti dona tua: propter nomen tuum vivificabis me.* En & Prophetam, jam gratia Dei pollentem utique, & de futura sua vivificatione, æterna scilicet, loquentem inducit. Alibi *de Temp. Serm.* 151. *Tempus*, inquit, *mæstitiæ, laboris, miseriæ peccata nostra nobis repererunt. Tempus verò lætitiæ, quietis, felicitatis, non venit de meritis nostris, sed de gratia Salvatoris. Aliud meremur, aliud speramus. Meremur mala, speramus bona. Hoc facit gratia ejus, qui creavit me.* Cœcus sit oportet, qui in hisce merita salutis æternæ cuncta, gratiam & præcedentia & consequentia, abnegari non viderit: præfractus, qui negaverit. Ex Bernhardo pluscula afferri possent. Pauca sufficient. Sic ille *Serm.* 15 *in Psal. Qui habitat, &c. Totum hominis meritum est, si totam spem suam ponas in eo, qui totum hominem salvum fecit.* Alibi *Serm.* 68. *in Cant. Sufficit*, inquit, *ad meritum scire, quòd non sufficiat meritum.* Sed aliquod, inquias, verùm non sufficiens meritum ille agnoscit. Non dicam ego, meritum insufficiens meritum non esse. Ipsemet *de grat. & lib. arb. sub finem* sic mentem suam declarat: *Si propriè appellentur ea, quæ dicimus merita nostra, spei quædam sunt seminaria, charitatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, non causa regnandi.* Optimè, Bernharde! Utinam qui nævos tuos & sinistrè alibi de rebus aliis dicta, admirantur, aurea dicta tua admirarentur potiùs! Denique Anshelmi *de mensurat. crucis* cedro dignum illud est: *Si homo mille annis serviret Deo etiam ferventissimè, non mereretur ex condigno, dimidium diem esse in Regno Cœlorum.* Abi jam, Redingi, & indignum tuum de merito condigno, incongruum de congruo figmentum S. Patribus, ab eo toto pectore abhorrentibus, ampliùs imputa. Taceo publicas Agendas ante Reformationem adhuc usurpari solitas, librum inprimis illum, qui inscribitur *Ordo baptizandi, cum modo visitandi* supra allegatum, in quo morientes à propriis meritis ad passionis Domini nostri Jesu Christi meritum solum amandantur. Sed & in libro alio, cui nomen est *Hortuli animæ*, An. 1559. Plantinianis typis exscripto, in interrogationibus circa morientes *fol.* 210. sic interrogatur: *Tu credis, Jesum Christum pro te mortuum, & aliter salvari te non posse, nisi per meritum passionis ejus?* Resp. *Credo.* Interrog. *Agis ei de hoc ex toto corde gratias, in quantum vales?* Resp. *Ago. Si bono*, infertur, *corde responderit ad prædicta, signum est, quòd sit in numero salvandorum.* Si Dominus voluerit judicare, dicendum præscribit: *Mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter se & mala merita mea.* Similes formulas plures omne hominis meritum ejerantes, Eisengremius *tract. pro def. Conc. Trid.* recitat. Unde liquet, in ipso etiam Papatu, Majorum nostrorum tempore, electis in magno illo & decretorio certamine, in quo

———— labuntur frigida letho
Lumina, purpureus quondam color ora relinquit,

consolationem, in sola Christi passione fundatam non defuisse. Sed verba in *Ordine Baptiz.* præscripta, quibus fundamentum salutis nostræ continetur, Index Madriticus, uti supra diximus, expunxit, ut publicè constet, usum residuæ olim doctrinæ salutarem Majoribus nostris affulgentem, non Papæ & ejus asseclis, sed Divinæ providentiæ, & gratiæ Spiritus S. singulari acceptam ferendam esse.

OBJECTIO-

Digitized by

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Merces & meritum sunt relata, quæ se invicem ponunt. Atqui vita æterna vocatur merces Matth.V. 12. XX.8. quæ confertur secundum proportionem præcedentis operis Matth.XVI.27. Rom.II.6. Ergo meritum ponit.* Resp.1. Merces & meritum sunt relata inter nos & alios, quibus nihil debemus; non inter hominem & Deum, cui plus debemus, quàm præstare valeamus. 2. Neque merces fidelibus in Scripturis promissa intelligitur *legalis*, hoc est, stipendium debitum ex justitia propter meritum sive dignitatem operibus & passionibus justorum inhærentem; sed *gratuita* & *evangelica*, quæ notat præmium post præstitum laborem gratis collatum, quod datur ex pacto, non ex qualitate personæ. Quod manifestè indigetat Apostolus Rom. IV.4. ubi distinguit inter imputationem mercedis secundum *gratiam* & secundum *debitum*. Atque ita quod vocatur *μισθὸς merces* Matth.V.46. & VI.1. alibi nempe Luc.VI.31. vocatur *χάρις gratia*. Et Psal.CXXVII. 4. fructus ventris seu liberi vocantur שכר *merces*, cùm tamen sint donum Dei. Mercedem autem gratuitam intelligi in l.c. non patitur dubitare analogia fidei, quæ docet, bona regenitorum opera esse debita, imperfecta, multiplici labe contaminata, neque omnino præmio æternæ vitæ æqualia. 3. Datur autem hæc merces non *διὰ τὰ ἔργα propter opera*, sed *κατὰ τὰ ἔργα secundum opera*, quod qualitatem & testimonium, non æqualitatem & proportionem operum significat.

EXCIP. REDINO: 1. *Etiam Christo immortalitas & gloria corporis propter hypostaticam cum verbo unionem debita fuit. Eo non obstante morte sua eam promeruit. Sunt ergo merces & merita relata etiam inter Deum & hominem. Et numquid Christus idem simul Deo debuit obedientiam, simul meruit?* 2. *Neque in loco* Rom.IV.4.5. *Apostolus duplicem imputationem mercedis, unam ex debito, ex gratia alteram distinguit; sed ostendit, mercedem eo ipso, quòd imputatur, ex debito, non ex gratia imputari.* 2. *Quæ merces vocatur Matth.V.46. alibi Luc.VI. 31. vocatur gratia, quia nempe amicos diligentibus dari potest vel merces, si non tantùm ex gratitudinis naturalis motivo, sed etiam ex gratia supernaturali sanctificante diligantur: vel gratia, si tantùm ex naturali honestate eos dilexerint.* Ib.pag.545.546. Resp. 1. Si Christo debita fuit immortalitas corporis, verè utique eam meruit sua obedientia, & quidem obedientia indebita simpliciter. Nemo enim, qui ipse simpliciter *ὀφειλέτης debitor* est, spondere pro alio potest. Si igitur Christus simpliciter Deo Patri obedientiam (hoc est, subjectionem sub lege, qualis est merentium adhuc, non comprehensorum) debuit, jam spondere obedientiam talem pro nobis nullo modo potuit; adeóque salus omnium hominum deplorata erit. Debuit igitur ex voluntaria sponsione, cui semel susceptæ renuntiare non potuit, quia sponsio ea fuit *θέλημα πνεύματος αἰωνίου voluntas spiritus æterni*, quam immutabilem esse oportet, Hebr. IX.14. X.10. & *δύναμις ζωῆς ἀκαταλύτου potentia vitæ indissolubilis*, adeóque insuperabilis Hebr.VII.17. ac denique sponsionem deserere fuisset בגד *perfidia*, legi Divinæ con-

 traria

junctis. Hic verò eam ex causis non fieri, solidè probavi. Proportionem verò operis cum mercede, vel stipendii retributionem ne ipse quidem Argus viderit. Tu ostende. Qualis enim inter opera illa, quæ Matth. XXV. 34. & Apoc. VII. 14 15. qualia scilicet sunt, visitare ægrotos, famelicos cibare, nudos vestire, &c. vestimenta in sanguine Agni dealbare; (actus omnes & debitos, & ex gratia Dei provenientes & finitos;) & transcendentem ac finitam gloriam hæreditatis ab æterno præparatæ, & mansionis coram throno Dei, proportio, commensus qualis esse potest? Videris omni te à ratione destitutum penitus prodere.

OBIECT. III. *Vita æterna bonis operibus redditur ex justitia Dei*, 1.*Thess*.I. 4, 6, 7. 2.*Tim*.IV.7. *Ergo bona opera eam promerentur*. Resp.1. Redditur vita æterna bonis operibus ex justitia non *stricta* & *æqualitatis*, quomodo severum Dei judicium bona opera minimè sustinere queunt Job.IX.3. Psal.CXXX.3. CXLIII.2. sed *misericordiâ temperata, veracitatis* & *fidelitatis*, non quia justum sit merita nostra pensare mercede debita, sed quia justum est Deo stare promissis, & quia justitia ejus non patitur, ut redemptio Christi cassa sit & inutilis illis, qui eam fide apprehendunt. Unde appositè Johannes 1.Epist. cap.I 9. fidelitatem & justitiam in hoc negotio conjungit. 2.Ostendunt etiam ejusmodi textus, non *propter quid* salutem consequamur, sed *quales* coronemur; nec ingerunt causam regnandi, sed viam regni.

EXCIP. RADINO: *Distingue oculum unum ad nos ipsos reflexum, ab altero in gratiæ Divinæ puritatem retorto. In se reflectentes deprecantur sancti judicium Dei. In gratiam Dei figentes obtutum, petunt se judicari secundum justitiam suam, Psal.VII.9. alibique sæpius. 2. Fidelitas Dei non subit rationem justitiæ nisi ex parte operis, cujus intuitu repromissio fit, condignitas ad rem promissam subsit*. Ib. pag. 546. 547. Resp. 1. In quo sunt merita, in gratia, an in homine? In homine, dices. Nam in gratia quidem non sunt, sed à gratia esse pertenditis. Qui igitur in se reflectit, in merita sua reflectit. Qui si eatenus deprecari Dei judicium necesse habet, non igitur meritis ex justitia strictè dicta retributio debetur. Multò minùs habito ad gratiam Dei respectu humanis operibus ex justitia propriè dicta remuneratio respondet, quia si ex gratia, non ex operibus datur prœmium, Rom.XI.6. Et quamcunque dignitatem gratia operibus conciliat, manebit semper finitus eorum valor, cujus ad infinitam gloriam nulla est proportio; nec proin ex justitia strictè dicta remuneratio ulla. Quoties verò Sancti se judicari secundum justitiam suam petierunt, non se judicio Dei secundùm omnia opera sua judicandos stiterunt, sed in causa particulari cum hostibus intercedente bonæ causæ conscientiam testati sunt. 2. Fidelem & justum esse Deum, ut remittat peccata sua confitentibus S. Johannes 1. Ep. I.9. asseverat. Si in retributione confessionis justitiam intellexit strictè dictam & æqualitatis remissio igitur peccatorum, ceu merces propriè dicta, peccatorum confessione, ceu merito propriè dicto respondet. Quis unquam tale quid somniavit? Fidelitas igitur rationem justitiæ non particularis, in distributione prœmiorum ex æqualitate meritorum, sed universalis, quæ in rectitudine omnium Dei perfectionum consistit, subire potest. Unde justitiam quandoque *condecentiam Divinæ bonitatis* significare, Durandus *in* 4. *Dist*. 47. *q*. 3. monet. Justum igitur est, ut remittat

Deus peccatum confitenti illud, non propter ullum meritum hominis, sed quia Deus non potest abnegare sanguinem Filii sui, & testamentum, quod ipsi fecit, & legem, quæ redemptos redemptori addicit, & communionem, quam habemus, per Spiritum ipsius cum ipso, qui ingenuam hancce peccati confessionem operatur.

OBIECT. IV. *Pii dicuntur digni æternâ vitâ Luc.XX.35. 2.Theſſ.I.5. Apoc.III.4. Ergo eam operibus suis merentur.* Resp. Digni dicuntur, nempe ex *dignatione* divina, non ex interna *dignitate* operum: ratione *albæ vestis*, nempe justitiæ Christi, qua sunt induti, Gal.III.27. & divinæ adoptionis, non *inhærentis sanctitatis*, quæ in hac vita nulla perfecta est. 2. Hoc quicquid est sive dignitatis sive dignationis, Deo debent, qui ex indignis dignos facit, Col. I.12. Si quid dignum per se æterna gloria, utique passiones fidelium dignæ essent. At dignas esse negat Apostolus Rom.VIII.18.

EXCIP. REDING: 1. *Nugaris. Qui enim denominatio Digni formaliter derivari queat, à dignatione Divina? Hæc ex indignis facit dignos. At formalis denominatio Digni importat dignitatem subjecti in esse digni constitutivam. 2. Passiones quidem hujus mundi secundum se spectatæ non sunt dignæ gloria: dignæ tamen sunt, quatenus gratiæ sanctificantis dignitatem superinduunt.* Ib.pag.547. Resp. 1. Tandem ergo tu, nove Critice, nugari desiisti? Utinam! Annon sicut dignitas, ita dignatio derivatur à digno? Et an qui dignus est ex favore & gratia; is ex dignitate interna, an ex dignatione externa dignus est vel habetur? Sunt autem fideles digni ex gratia, non ex operibus, utpote quæ imperfecta universa sunt. Vocem verò Græcam ἀξιοῦν Luc.XX. 35.XXI. 36. & Act.V.41. non operis boni dignitatem, sed solam dignationem Divinam notare, & res ipsa loquitur, & Latinus Vetus Interpres testatur, qui religiosè semper *dignum haberi*, nunquam *mereri* vertit. Hinc quod Act.V.41. κατηξιώθησαν, id ipsum Phil.I.29. ἐχαρίσθη dicitur. Agnoscit etiam Salmero *ad Col.I.Disp.*2. quòd *digni* quandoque *dicantur, ubi hæreditas nullis nostris meritis obvenit.* Et de dignitate operum quo apice Scriptura loquitur? Personæ verò dignitas præcipuè & primariò in fide, quæ Christo credentem unit, consistit. Tibi, Redingi, dictum hic illud Bernhardi *in Dedic. Eccles.ser.*5. puta: *Si nos puerili animositate gratis salvari nolumus, meritò non salvamur. Dignatio locum non habet, ubi fuerit præsumptio dignitatis.* 2. Cùm Apostolus Rom. VIII.18 negat, passiones hujus vitæ esse dignas gloria revelanda in fidelibus, loquitur de passionibus, quatenus sunt à gratia Dei, uti continua textus series demonstrat. Agit enim manifestè de fidelibus, quatenus acceperunt Spiritum S. facti sunt filii Dei, cohæredes ea conditione, si unà patiantur. Quomodo possunt esse à Spiritu certitudo filiationis: ab hac certitudine hæreditas: hujus hæreditatis conditio patiendi: & tamen subitò passiones considerari *secundum se*, non prout sunt à Spiritu Dei, *à gratia sanctificante?*

OBIECT. V. *Deus est justus judex & non acceptor personarum Act X.34. Rom.II.11. Gal.II.6. Atqui acceptor esset personarum, si daret præmium sine meritis.* Resp.1. Deus dicitur justus judex, non quia propter merita vitam æternam dispensat, sed quia ex gratia propter Christi meritum fide apprehensum creden-

tes

tes justificat & salvat, ac certamina fidelium remuneratur. 2. Acceptio personarum non habet locum in *gratuitis*, sed in *debitis*. Deus autem nulli est debitor Rom. XI. 35. & miseretur cujus vult, Rom. IX. 18. Cui proinde licet de suo sic disponere, ut primi fiant ultimi, & ultimi primi, Matth. XX. 15. 16.

Excip. Reding: *Deus absque pacto nemini debitor est. Quia tamen in remunerandis Sanctorum operibus non tantùm respicit ad meritum Christi, sed etiam ad dignitatem status gratiæ sanctificantis, ideo eorum certamina rationem justitiæ superinduunt, ut gloria, seu corona justitiæ, meritis eorum respondeat.* Ib. pag. 547. Resp. Non tantùm, inquis, ad meritum Christi, sed etiam ad statum gratiæ sanctificantis Deus respicit. Meritum igitur Christi, & status gratiæ, sub quo cooperationem arbitrii liberi comprehenditis, causæ disparatæ salutis erunt. Quomodo igitur ex meritis Christi fluit vis meritoria operum? Et unde gratia sanctificans nisi à merito Christi? Electi enim sumus in Christo, hoc est, ejus merito justificandi, sanctificandi & glorificandi; Ephes. I. 4. Et quid Deum debitorem reddendi mercedem non ex pacto duntaxat, sed etiam ex condigno facit? Christi ne meritum, an gratia sanctificans? Atqui neutrum est opus vel meritum hominis; & gratia sanctificans non tantùm finita est, sed etiam in hac vita imperfectè sanctificat.

OBJECT. VI. *Mala opera merentur damnationem. Ergo bona merentur salutem. Contrariorum enim contraria sunt consequentia.* Resp. 1. Axioma illud suas patitur exceptiones. Ita non si solis ardor indurat terram, gelu eam iccirco molliet. 2. Dispar ratio est malorum & bonorum operum. Illa perfectè mala sunt, hæc perfectè bona: illa peccatoribus proficiscuntur, hæc à Spiritu Sancto promanant. Non igitur sicut illa perdendi, ita hæc salvandi vim obtinent.

Excip. Reding: *Calori solis non per se, sed per accidens inest vis indurandi terram, aquam mediante levitate per calorem producta è terra extrahendo, atque sic eam exsiccando. Contra malis operibus per se inest ratio demeriti; proin etiam vi contrariorum bonis ratio meriti.* Ib. pag. 547. 548. Resp. At bonis operibus fidelium vis merendi nec per se, nec per accidens inest, uti malis vis demerendi, quod argumenta à me allata, quæ silentio transvolas, comprobant.

QUÆ

Digitized by Google

QUÆSTIO XXII.

An augmentum gratiæ justificantis cadat sub meritum?

AFfirmat Synodus Canone XXIV. XXXII. nec non Capitulo X. Ubi justificationis *primæ* & *secundæ* à Scholasticis decantatæ commentum mira terminorum crypsi insinuatur. *Prima* illis est, quando quis ex injusto fit justus, ex peccatore bonus, ex inimico Dei amicus & filius Dei, quam fieri ex fide largiuntur. *Secunda* verò, quando justus amore Dei, justitia & sanctitate augetur, quam operibus peragi contendunt. Hanc secundam justificationem, seu justitiæ augmentum operum merito impetrari posse asserunt. Nos vero negamus. Etenim

ARG. I. Gratia justificans est velut *ἐν ἀτόμῳ in indivisibili* posita. Est enim absolutio à reatu, quæ à Deo judice fit simul semélque, sola donatione justitiæ Christi. Proinde nullum admittit in se augmentum.

RESP. REDING: *Primarius gratiæ justificantis effectus est, facere consortem Divinæ naturæ, 2. Pet. I. 4. Ex eo sequitur remissio peccatorum, secundarius ejusdem gratiæ effectus. Posterior hic consistit in indivisibili, non prior. Nam forma sanctificans, æquè ac habitus alii gradus intensionis admittit.* Tract. 121. Ss. 2. pag. 549. Resp. S. Petrus promissa Dei maxima & pretiosa facere, ut *participes reddamur naturæ Dei*, asserit; quia scilicet eò nos deducunt, ut habeamus communionem cum Deo in Christo, atque adeò cum vero Deo, ut ille sit in nobis, & nos in ipso, & in ipso unum simus, Joh. XVII. 21. 23. & ita nobis sit in Deum, & nos ipsius populus, Jerem. XXXI. 33. 34. quò sic in Deo ut nostro, & habitante in nobis gloriari possimus. Quæ communio cùm necessaria nobis sit tum ad justitiam, tum ad vitam & pietatem, diversimodè nobis & promittitur & præstatur. Nam in justificatione justitia Christi & jus vitæ: in sanctificatione novitas vitæ, pietas & sanctitas promittitur & præstatur. Illius respectu naturæ Dei participatio fit simul semélque, quia Christi meritum fide apprehensum justificat, hoc est, justitiæ Christi & juris vitæ participes ilico reddit simul ac justitiæ Christi & juris vitæ donationem consummat: hujus verò respectu augmenti & intensionis capax est, quia sanctificatio fit successivè, & internus homo *ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ renovatur de die in diem*, 2. Cor. IV. 16. Non igitur remissio peccatorum communionem naturæ Divinæ sequitur, uti imperitè statuis: sed rationem justificationis, quæ in peccatorum remissione & justitiæ imputatione consistit, ceu princeps gratiæ Divinæ effectus, ingreditur, & sanctificationem post se trahit. Quæ tu miserè confundens, in errore gravissimo versaris, & justitiam nonnisi propriam & inhærentem cum Judæis crepans erga Dei justitiam refractarium te geris, Rom. X. 3.

ARG. II.

ARG. II. Sicut initium, ita continuatio, & augmentum vitæ spiritualis pendet à gratia Dei, Rom. I. verſ. 18. 1. Cor. XV. 10. Phil. I. 6. Non igitur à merito.

RESP. REDING: *Totum id, quod in merito eſt, gratia eſt, quia gratiæ vires, per quas meritoriè operamur, & potentiam & actum ſupernaturaliter operandi conferunt, & condignitas omnis à gratia ſanctificante eſt.* Ib. pag. 550. Reſp. Hæc contradictoria & abſurda multis modis eſſe, ſæpe jam convicimus. Et tu ſupra aſſa voce dicebas, ſic mercedem fidelibus ex debito imputari, ut gratia omnis abſit.

ARG. III. Opera bona ſunt à prima gratia, & habent ſe ut actus ad habitum. Ergo non merentur gratiæ augmentum. Gratia enim non meretur gratiam.

RESP. REDING: *Si actus ab habitu naturali eliciti vim habent augmentandi habitum: cur non etiam opera à prima gratia promanantia, & ad hanc, tanquam habitum comparata, gratiæ augmentum mereantur?* Ib. pag. 550. Reſp. Actus ab habitu eliciti vim habent augendi habitum, qualis ab ipſo habitu manavit. Planè ſic opera à gratia elicita vim habent augendi gratiam ſanctificantem talem, qualis à gratia eſt. At per gratiam augere gratiam, quod Chriſtus vocat τῷ ἔχοντι δίδοσθαι *habenti dare*, Matth. XIII. 12. nullum meritum eſt. Aliàs nemo poteſt mereri augmentum ſtaturæ ſuæ, quæ res longè minoris pretii eſt. Quomodo igitur gratiæ ſemel ſibi collatæ augmentum merebitur?

ARG. IV. Juſtificatio hac ratione confunditur cum ſanctificatione. Nam quæ illis prima & ſecunda juſtificatio dicitur, qua videlicet aliquis & juſtus internè conſtituitur, & in juſtitia augetur, ſtylo Scripturæ potiùs eſt ſanctificatio & renovatio interior. Eſſe autem hæc duo diſtincta beneficia, patet, tum quia juſtificatio eſt actio judicis, & quæ fit extra nos, regeneratio autem habitus & qualitas ſingulis fidelibus inhærens: tum quia Paulus disertè diſtinguit 1. Cor. I. 30. tum quia in negotio juſtificationis opera excluduntur, quæ includuntur in ſanctificatione: tum denique quia illa fit imputatione juſtitiæ, remiſſione peccatorum, hæc vi arcana Spiritus S. agentis in fidelibus: illa apprehenditur fide, hæc apprehenditur charitate: illa eſt perfecta, hæc imperfecta. Non poſſunt igitur ſine Spiritu ad errorem obfirmato & manifeſta clade ſinceræ de juſtificatione doctrinæ tam diſtincta confundi & permiſceri.

RESP. REDING: 1. *Fateri ſic cogeris renovationem hominis interiorem qua quis juſtus internè conſtituitur, & in juſtitia augetur.* 2. *Juſtificatio cauſalis à formali ſanctificatione diſtincta eſt. Illa eſt actio Deo immanens, ex qua efficienter promanat gratiæ ſanctificantis infuſio; per quam formaliter fit renovatio interior. cujus augmentum ſub meritum cadit.* Hoc tu, næniis tuis intentus, non tangis. *Aliter S. Auguſtinus Epiſt. 106. ubi ſic ille: Non gratiam aliquid meriti præcedit humani: ſed ipſa gratia meretur augeri,*

Digitized by Google

geri, ut aucta mereatur perfici. Ib. pag. 500. Resp. 1. Non cogor ita fateri, sed fateor, & fassus semper sum libens. Tu deliras manifestè. 2. Nec de justificatione causali, sed de formali, quam Scriptura in imputatione justitiæ & remissione peccatorum collocat, locutus ego sum: nec causalis seu activa, prout in Deo est, proximè formam interioris renovationis, sed absolutionem à peccato & pronuntiationem justi, hoc est, per obedientiam Christi justificati, & habentis jus vitæ & communionis cum Deo; judicialem producit: nec denique argumenta mea de justificatione causali, sed de formali loquuntur. Tu verò cum iis, sive ob desperatam causam tuam, sive Monachalibus & Mariolatricis næniis tuis ad sordidum quæstum comparatis, intentior, propiùs congredi ne quidem sustines. In Augustini verbis nisi vocem *merendi* sumpseris impropriè, pro τυγχάνειν *consequi*, quomodo scilicet ipsamet Romana Ecclesia canit: *Felicem Adami culpam, quæ talem meruit habere Redemptorem*; absurdissimum Augustinum feceris: neque lucri quicquam inde feres, quia non si gratia meretur augeri, homo operibus suis ipse gratiæ augmentum meretur. Et S. Augustinus, negans *gratiam aliquid meriti præcedere humani*, meritum vestrum de congruo apertè conficit. Nam facientem quod in se est, mereri de congruo gratiam, asseritis vulgò. Quid quòd ipse Bellarminus *de Grat. & Lib. Arb. lib. I. 14.* fatetur Augustinum meritum solere appellare quemlibet actum bonum, ratione cujus aliquid aliud accipimus?

ARG. V. Sed & justificatio peccatoris à parte hominis in solidum pendet à fide. Ita tota S. Scriptura definit, inprimis Rom. III. IV. V. Gal. II. Joh. III. VI. alibique passim.

RESP. REDING: *A fide formata, non informi. Et aliud est justificatio, aliud ejus augmentum. Hoc, non illa sub meritum cadit.* Ib. pag. 550. Resp. A formata utique, sed per veram, non fictitiam formam. Si porro justificatio tota fit per solam fidem, tota meriti exsors sit oportet. Denique augmenti justificationem expertem esse omnis, jam probavimus.

ARG. VI. Est etiam planè ἀσύστατον dicere, quòd operibus mereri quis possit augmentum justitiæ, cùm meritum operis propriè dictum habeat σχέσιν ad mercedem vitæ, non sequentis justitiæ, juxta sententiam legis, *fac hoc & vives.*

RESP. REDING: *Merces vitæ in altiori gradu respondet gradui altiori justitiæ.* Ib. pag. 550. Resp. Quid inde? Ergóne sic ipse altior gradus justitiæ merces est propria gradus inferioris merentis. Atqui non opus ullum, non justitia, sed vita sola in lege operis merces constituitur. Hæc vis argumenti est, quam tergiversatione tua præteris.

ARG. VII. Faciunt huc omnia argumenta, quæ superiùs adversus merita operum produximus.

RESPONDERE REDING noluit.

OBJECTIO-

Digitized by Google

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Angeli verba sunt Apoc.XXII.11. Qui justificatus est, justificetur adhuc. Ergo datur augmentum gratiæ justificantis.* Resp.1. Non icirco augmentum illud cadit sub meritum. 2. Apostolus non dicit μᾶλλον *magis* justificetur, quod augmentum notare possit, sed ἔτι *iterum, porro.* 2. Justificatio eo loco non tam notat reputationem justitiæ, quàm declarationem & applicationem frequentatam reputatæ justitiæ, quæ in eo consistit, ut qui justificatus jam est, per fidem & illius exercitium ac testimonium verbi habeat consolationem de justitia indies magis magisque exuberantem. Posterior justificatio augmenti capax est, non prior, de qua quæritur.

EXCIP. REDING: 1. *Anne testimonium & consolatio de justitia indies magis magisque exuberans est unius cum vera justificatione generis? Si non est, quomodo in brevissimo eo textu justificationis vocem tam æquivocè sumere licet, ut & veram justificationem, & ejusdem duntaxat consolationem significet?* 2. *Ista verò justificatio iterata non potest non superaddere aliquod augmentum; quod mereri justificatum arguunt verba ejusdem capitis v.12. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, ut reddam unicuique secundum opera sua. Merces autem meritum supponit.* Ib.pag.551. Resp.1. Pulchrè sic tuo te gladio jugulas. Nam eodem argumento tuo primæ & secundæ justificationis, diversissimæ utique, vestra quidem sententia, cùm illam sola gratia, hanc meritis humanis impetrari statuatis, commentum eliditur. Cœterùm justificationis vox non bis, sed semel duntaxat in textu eo occurrit. Non enim dicitur: Ὁ δικαιωθεὶς *justificatus justificetur adhuc*: sed ὁ δίκαιος *justus justificetur adhuc.* Justus peccator simpliciter non aliter esse potest, quàm per justitiam Christi imputatam. Qui sic justus est, ille iterum iterúmque justificari, non per augmentum gratiæ justificantis, quæ indivisibilis est; sed per ejusdem justitiæ Christi crebrò repetitam applicationem, apprehensionem & sensum potest. Licet enim à parte Dei justificatio simul semélque fiat tum, quando à peccatis absolvit, & jus vitæ impertitur: à parte tamen nostri justitia Christi variis crebrísque actibus apprehenditur, dum per novos fidei actus Christi meritum nobis subinde applicamus in remedium quotidianorum peccatorum, in quæ incurrimus. Sic donum idem semel collatum, Panacea inprimis, identidem aspici, apprehendi, tractari ad uberiorem lætitiæ sensum & consolationem potest; & quoties usus fert, debet. 2. Non igitur iterata justificatio auget justificationem activam, seu à parte Dei; sed justitiæ Christi à parte nostri applicationem, sensum & consolationem continuat, & magis magisque intendit. Justitiam verò inhærentem proximè nec auget nec repetit, quia illa sub voce nec justi, nec justificationis intelligitur, imò ei sub vocibus *Sancti* & *Sanctificationis*, quæ inhærentes sanctitatis & justitiæ habitus includit, non obscurè contradistinguitur. De voce mercedis supra.

OBIECT. II. *Eccles.XVIII.22.* Ne veteris usque ad mortem justificari. *Ergo gratia justificans est capax augmenti.* Resp. 1. Textus est apocryphus. 2. Justificamur usque ad mortem per declarationem & apprehensionem crebram acceptæ semel justitiæ, quæ fit continuo exercitio fidei & pœniten-

tiæ. 3. Græca ita habent: Μὴ μείνης ἕως θανάτου δικαιωθῆναι. *Non expectes usque ad mortis tempus justificari*, sed *in tempore*, ut præcedentia habent, *peccatorum emendationem ostende*, hoc est, dum adhuc peccare potes, abstine à peccatis, ne peccata te, quàm tu ista, priùs deserant. Nihil hic de incremento justitiæ. Sive enim δικαιωθῆναι referatur ad justificationem, qua coram tribunali Dei absolvimur à peccatis, illam non differri postulat Sapiens: sive declarationem & applicationem ejus per fidem & opera, illa quotidie fieri, crebróque repeti debet.

EXCIP. REDING: *Tigurina versio sic textum illum reddit: Ne dubites justum te probare usque ad diem mortis. Ergo ipsa quoque textum de homine priùs justificato intellexit; quia se verè probare justum, nisi priùs justificatus, nemo potest. Sermo proin est non de prima, sed de secunda justificatione, quæ augmentum justitiæ infusæ importat.* Ib. pag. 551. Resp. Etsi nihil admodum ad rem facit, quicquid author ille apocryphus dicere voluerit: versio tamen nostra minimè figmento tuo patrocinatur. Nam qui justum, hoc est, semel Christi merito justificatum, se probat, per opera scilicet in sensus incurrentia, ejus vera justificatio, à parte scilicet Dei, non icirco augetur, nedum merito proprio locum facit: sed per certa testimonia à posteriori duntaxat ostenditur, declaratur & demonstratur. quod non semel duntaxat, sed per vitæ totius decursum facto opus est. Sensum igitur peregrinum secundæ justificationis, quæ aliud non sit, quàm sanctificationis augmentum, & textui ipsi, qui apocryphus est, & versioni nostræ imponis.

OBIECT. III. *Jacobus cap. II. 24. justificationem secundam innuit his verbis: Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm. Paulus contra solam fidem urgens insinuat justificationem primam.* Resp. 1. Nihil occurrit de justificationis secundæ merito. 2. Neque Jacobus dicit ex operibus hominem *magis* justificari, sed, *ex operibus hominem justificari.* Si dicere voluisset, operibus hominem magis justum reddi, voculam *magis* non omisisset. 3. Quo sensu Jacobus dicat, hominem ex operibus justificari, suprà explicavimus.

EXCIP. REDING: *Tu ipse supra arg. 3. concessisti, primam & secundam justificationem admittendam esse, eo sensu, ut homini per peccatorum remissionem justificato demum sanctificatio, qualitatem inhærentem importans, contingat. De posteriore hac S. Jacobus loquitur. Agitur enim de justificatione Abrahami per opera, postquam ille per fidem jam priùs justificatus erat.* Ib. pag. 551. 552. Resp. Somnia tua nobis narras. Ubi ego justificationem primam & secundam vestro sensu concessi? Sanctificatio enim, quam à remissione peccatorum distinxi, nec justificatio, nec secunda justificatio est. Neque etiam S. Jacobus vel primam vel secundam justificationem vestro sensu distinguit: vel alterutram in justitia inhærente consistere docet: vel planè justificationem sive Abrahami, sive fidelium quorumvis distinguit, sed de una eadémque loquitur, in qua scilicet *fides cooperatur operibus, & ex operibus fides perficitur*, v. 22. adeò quidem, ut tum, quando sic Abrahamus justificatus est, impleta dicatur Scriptura, quæ dicit: *Credidit Abraham*

Deo,

Digitized by Google

Deo, & imputatum ei est ad justitiam, v. 23. Unde loqui Apostolum non de justificatione per fidem, sed de ejus declaratione, impletione & demonstratione per opera, clarissimè liquet.

OBIECT. IV. *Justitiæ hoc incrementum petit sancta ecclesia, cùm orat: Da nobis Domine fidei, spei, charitatis augmentum.* Resp. 1. Justitiæ incrementum petit, at non meritum augmenti. 2. Fidei, spei & charitatis augmentum meritò petit ecclesia, quia omnes hi habitus augeri possunt. At gratiæ justificantis & à reatu nos absolventis, adeóque divini de absolutione nostra judicii dispar ratio est.

EXCIP. REDING: *Fateris, fidei, spei & charitatis augmentum dari. At eadem cum charitatis mensura crescit gratia sanctificans.* Ib. pag. 552. Resp. Sic amas ἀπροσδιόνυσα. Non de gratiæ sanctificantis, sed justificantis, & quidem cadente sub meritum, quæstio est.

QUÆSTIO XXIII.

An gloriæ augmentum cadat sub meritum?

ASserit Canon XXXII. & intelligit essentialis gloriæ præmium accidentale, quod consistat in erogatione aureolarum pro Martyribus, Virginibus & doctoribus, *juxta tres victorias privilegiatas*, uti loquitur Thomas. Nos fore in vita æterna gradus, ac Deum ex gratia non solùm temporalibus, sed etiam cœlestibus præmiis piorum labores & passiones remuneraturum, haud inviti concedimus. Synodi tamen & Scholasticorum sententiæ quò minùs suffragemur, sequentia faciunt.

ARG. I. Obstant omnia argumenta, quibus in universum meritum bonorum operum debellavimus.

RESPONDERE REDINCIUS SUPERSEDIT.

ARG. II. Meritum augmenti illius nititur operibus supererogationis. *Aureola*, inquit Bayus Instit. Relig. Christ. lib. 1. cap. 373. *de eorum præmio rectè intelligi potest, qui generalia Scripturæ S. mandata spontanea vitæ perfectioris electione transcendunt, ideóque specialem præ cæteris fidelibus retributionem voluntariæ absolutionis expectant.* At hoc figmentum Pharisaicum multis doctrinæ Christianæ capitibus è diametro oppositum, alibi ostendimus.

RESP. REDING: *Nos verò gratiæ sanctificantis incremento gloriæ essentialis, non accidentalis, augmentum attribuimus; & meritum ejus solis supererogationis operibus nisi negamus. Tract. IV. Sc. 2. pag. 552. 553.* Resp. Cùm gloriæ cœlestis essentia in visione & fruitione Dei consistat, & sive magis sive minùs sancti Deum videant, eóque fruantur,

tuum est, in diversis visionis & fruitionis gradibus essentiæ mutationem vel intensionem demonstrare. Alias enim essentias rerum consistere *ἐν ἀτόμῳ in indivisibili*, sapientes judicarunt. Si tamen is tibi,& tuis omnibus est *θυμὸς ἐν γνώσει*, quòd augmenti gloriæ seu aureolarum ab ipsa aurearum gloria differentia essentialis sit,est cur te rogem veniam, quòd mitiùs sententiam vestram explicavi. Nam ita delirare aureolarum Monachalium doctores, ut essentiale gloriæ discrimen astruerent non putavi. Quoad opera supererogationis,citavi Bayum, non nostrum utique,sed vestrum. Si tu seorsim sentis, nil nisi apertiores hiatus vestros prodis. Certè fidei,pœnitentiæ, charitatis intensioribus gradibus aureolas à vestris promissas nondum vidi; sed cœlibibus,hoc est, Monachis & Monialibus,doctoribus Angelicis puta,Seraphicis,&c.& Martyribus,non propter fidem & charitatem communem,sed propter alia omnia. Et de hoc quicquid sit,saltem operibus supererogationis partes præcipuas vos,Cœli diribitores & metatores magnos,decernere,dubium non est.

ARG. III. Sed & temeraria est hæc dicisio, quia sine peculiari revelatione & authoritate certis hominum generibus definiuntur præmia. Paulus 2 Cor.XII.3. in sua ἁρπαγῇ audivit ἄῤῥητα ῥήματα. Quæ ergo hæc temeritas, tam præcisè determinare, quæ Martyribus, quæ Virginibus, quæ Doctoribus expectandæ sint aureolæ? Quis Seraphicos istos Doctores cœlestium præmiorum diribitores constituit?

RESP. REDING: I. *Temerarius cælestium præmiorum diribitor non est,qui ex authoritate Divina,locorum inprimis Apoc.III.21. 1.Thessal.II.19. Sap.IV.1. certis hominum generibus sub obscuro fidei lumine, vel contemplationis depuratioris, ænigmati tamen adhuc immersæ face præmia Divinitus præparata definit.* Ib.pag.553. Resp. Authoritatem Divinam frustra te prætexere,infra probamus. Neque etiam loca hic citata quicquam tale innuunt. Nam Apoc.III.21. & victoria communis fidelium omnium,& commune præmium,sessio in throno Christi; non peculiaris Martyrum vel victoria,vel corona innuitur. Et Thessalonicenses S. Paulus 1.Thessal.II.19. *χαρὰν καὶ στέφανον καυχήσεως gaudium & coronam gloriationis suæ* nuncupans, non sibi ceu Doctori, nedum Magistris vestris aureolam cœlestem,sed fidelitatis suæ testes,& laboris sui fructus,ceu effecta non meriti ullius,sed gratiæ Dei,uti 1.Cor.XV.10. confitetur,in adventu Domini lætitiæ & gloriationi in Domino amplam materiem futuros,promittit. Denique Sap.IV.1.(ne authoritatem apocrypham sugillem) juxta vulgatam versionem *casta generatio* & virginum & sanctorum conjugum est. cui *immortalitas, corona & triumphus*, commune fidelium omnium prœmium,non quicquam præcellentius aliud promittitur. In Græco verò textu de *casta generatione* ne gry quidem; sed de *ἀτεκνίᾳ orbitate*, quæ cum virtute conjuncta laudibus extollitur. Ubi ergo revelatio? In obscuro fidei non Divinæ,sed carbonariæ,& contemplationis Sophisticis tenebris immersæ puteo latet.

ARG. IV. Si aureolæ consistunt in gaudio de operibus, quæ excellentis cujusdam victoriæ rationem habent,omnibus beatis debent esse communes. Omnes enim beati excellentem de Diabolo, peccato, mundo victoriam reportant.

RESP.

Digitized by Google

RESP. REDING: 1. *Cur non meministi victoriæ adversus carnem? An quia huic te succubuisse nosti? 2. Aureola præmium est, respondens actui heroico, per quem in certo spiritualis pugnæ genere summa victoria reportatur. Hostes verò humani generis tres sunt, caro, mundus & Diabolus. Caro, seu concupiscentia carnis per virginitatem: Mundus per Martyrium: Diabolus doctrina cælestis veritatis non tantùm in mentem propriam recepta, sed in alios etiam diffusa fortissimè debellatur. Proin Virginibus, Martyribus & Doctoribus præmia excellentia, cujusmodi aureolæ sunt, debentur.* Ib. pag. 553 554. Resp. 1. Ineptule, an qui de Diabolo, peccato & mundo victoriam reportat, non etiam de carne reportat? Frustra tibi S. Johannes 1. Epist. II 16. inter ea, quæ in mundo sunt, *ἐπιθυμίαν σαρκὸς concupiscentiam carnis* numerasse videtur? *Sed carni*, inquis, *te succubuisse nosti!* Si ego novi, unde tu? Nam *honorabile* quidem *inter omnes est conjugium* (quo solo nomine me carni succubuisse eadem ratione probas, qua sanctissimos quosque Veteris & Novi Testamenti Viros eidem succubuisse probare potes) *& cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros* (ne dicam cinædos & catamitos, quales multos fortè nôsti, & alii ante te etiam Romæ viderunt, quicquid tu ibi, Episcopi tui jugum nuper excussurus, videris) *judicabit Deus*, Hebr. XIII. 4. in die scilicet illo, quo Deus *κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων, occulta hominum*, quæ vos in mundo simulata sanctitatis specie externa artificiosè tegitis, vindicabit. 2. Unde hostium illam tuam divisionem hauseris, nescio. Etenim si ita partiri & secare lubet, Antichristum quoque, *ἀντικείμενον adversarium* Christi & Ecclesiæ, ex 2. Thessal. II. 4. addere poteras. Et debellato vel Diabolo, vel mundo, vel carne sola, reliqui debellati jacent. Ita caro & per castitatem quamvis, & per patientiam, & per sobrietatem doctrinæ, cui S. Paulus Gal. V. 19 20. hæreses, ceu fructus carnis opponit, debellantur. Similiter mundus: similiter Diabolus. Ruit igitur fictitiæ demonstrationis tuæ basis. Et cur heroicis castitatis, patientiæ, doctrinæ motibus aureolas adjudicas; nullas verò adjudicas vel heroicæ fidei Abrahami, vel flagrantissimo amori Dei, qualis in corde Davidis æstuavit; vel ferventissimo zelo gloriæ Dei, qualis in S. Paulo se exeruit? Noli quæso frigidis speculationibus tuis fidei dogmata, Scripturæ prorsus incognita, superstruere.

ARG. V. Excellens victoria non tantùm quoad rem, sed etiam quoad gradum rei in omni virtute reperitur, quæ sibi opposita vitia edomat. Totidem igitur aureolæ, quot virtutes, constituendæ erunt.

RESP. REDING: *Etsi singularum virtutum actus heroici sua in Cœlo præmia & gaudia accidentalia habent; nulla tamen ex actu virtutis victoria in certo portionis vel concupiscibilis, vel irascibilis, vel Rationalis genere consummatur, nisi aut per virginitatem, aut per Martyrium, aut per disciplinæ Divinæ doctoratum.* Ib. pag. 554. Resp. Scilicet in iis actibus consummatur victoria, quibus extra singularem vocationem fideles sine dispendio salutis carere & possunt & debent! Et non consummatur extra illos actus in actu fidei & charitatis quantumvis intensissimo, cùm tamen non aliud Deo acceptius esse, ubique Scriptura testetur. Sic vobis Monachi, Virgines, Doctores, perinde ut Martyres, lenocinari amatis.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Pugnæ debetur corona. Ergo speciali pugnæ specialis corona. Cúmque merito respondeat præmium, excellentiæ meriti utique respondere debet excellentia aliqua in præmio.* Resp. Pugna omnium Christianorum est debita, imperfecta, ex gratia depugnata, nec proportionata beatitudini. Corona itaque illi non debetur, sed gratis & promittitur & confertur. 2. Ut pugna quælibet ex gratia depugnatur, sic & specialis pugna ex speciali gratia. Tale itaque certamen certare non majoris meriti est, sed majoris gratiæ.

EXCIP. REDING: *Certaminis ex gratia depugnati honestati supervenit formæ sanctificantis dignitas, quæ pugnam ad esse meriti vitæ æternæ condigni elevat.* Ib. pag. 554. 555. Resp. Imbelle telum, sæpius à me retusum. An præterea formæ sanctificantis gratiosa communicatio opus ex debito indebitum, ex imperfecto perfectum, ex inadæquato gloriæ adæquatum, reddit?

OBIECT. II. *De Martyrum aureolis liquet ex Apoc. II. 17. ubi vincenti promittitur manna absconditum & calculus albus.* Resp. Promissio illa spectat omnes promiscuè fideles, quia omnibus omnino contra Diabolum, peccatum & mundum continuè decertandum. Rectè pii veteres dixére: *Sine ferro Martyres esse possumus, si patientiam fideliter custodiverimus.* Unde triplex spirituale martyrium constituit Gregorius, *tolerantiam adversorum, compassionem afflictorum, & dilectionem inimicorum.*

EXCIP. REDING: 1. *Victoria indigetatur, qualis erat Antipæ, fidelis testis, ibi occisi, ubi habitat Sathanas. Talis certè in fideles quosvis non cadit.* 2. *Nomen illud novum in calculo candido scriptum insignem victoriam pro Christo, in Verbo æterno intra animam pro Christo victricem repræsentat. Quid ni igitur singularis hæc Martyrum victoria singulare iisdem gaudium mereatur?* Ib. pag. 555. Resp. 1. Et talis victoria, qualis erat Antipæ: & talis, qualis est fidelium omnium, inprimis *resipiscentium* (v. 16.) intelligitur. Et qualis victoria, talis semper corona, differens gradu gloriæ; non acquisitione meriti. Specialis victoria à speciali gratia est. 2. Vincenti sic non aureola, sed *manna occultum*, panis ille, qui ex Cœlo venit, Joh. VI. 32. occultus, quia mundus eum non novit, & in Cœlo is asservatur, suo tempore manifestandus, Col. III. 3. planè sicut urnula Mannæ in intimo sanctuario juxta arcam erat reposita, Exod. XVI. 33. Hebr. IX. 4. nec non *albus calculus*, justificationis seu absolutionis à peccato symbolum; & in calculo eo inscriptum *nomen novum*, filii scilicet adoptivi Dei, *quod nemo novit nisi qui accipit*, quia fideles, filii Dei soli Dei sunt conspicui, habentes *παῤῥησίαν* coram Deo in bona conscientia, 1. Joh. III. 21. promittitur. Victoria igitur illa fides est, 1. Joh. V. 4. & promissum ei præmium communio cum Christo in Cœlo ad dextram Patris sedente, quem inde expectamus; nec non justificatio ad conscientiam credentium in occulto. Hæc quoad essentiam communia sunt fidelibus omnibus: quoad mensuram & gradum fidei magis vel minùs; merè gratuita universa.

Digitized by Google

OBIECT. III. *Virginum aureolæ describuntur Esaj.LVI.5.6.* Dabo Eunuchis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius, quàm filiis & filiabus. *Nec non Apoc. XIV.4.* Sequentur agnum quocunque iverit. Resp.1. Neuter locus meritum probat. 2. Locus Esajæ allegoricus agit non de præmiis virginum, sed de vocatione ecclesiæ gentilis, hactenus prorsus sterilis, & Deo filios non generantis. 3. Sed & in loco Apocalypseos Virgines, quales sunt Monachi & Moniales minimè intelliguntur, quia iis attributa ibi posita haud conveniunt: sed hieroglyphicè omnes illi, qui pollent columbina illa simplicitate, qua Christus ut solus ecclesiæ sponsus amatur & timetur, qua virginitate præstare possunt etiam, qui in conjugio vivunt, & Christo serviunt.

RESP. REDING: *A literali sensu ad mysticum & figuratum qua ratione fugis? Certè S. Patres, Basilius & Augustinus ad literam de Virginibus interpretantur.* Ib. pag. 555. Resp. In loco Esajæ LVI.4.5.6. סריסים *Eunuchi* non hieroglyphicè, sed ad literam & propriè non virgines, sed eunuchos, olim infames, & à populi privilegiis exclusos, Deut. XXIII. 1. significant. Translata autem significatione quivis non parientes, seu steriles notantur. Cùm igitur tales in V. Test. gentiles fuerint, & supra cap. LIV. 1. gentilis populus עקרה לא ילדה *sterilis non pariens* nuncupetur; atque cap. LVI.3.&c. cum *alienigenis* iidem conjungantur, non sine ratione gentiles ad Christum quandoque convertendos designari, innui. Neque aliter Sanctius. Si verò ad literam interpretari lubet, quid tum pro Virginibus faciet? Sensus erit, infamiam Eunuchorum in N. Test. cessaturam, neque ullum in Ecclesia Eunuchi & conjugum πολυτέκνων discrimen fore, quomodo etiam Cornelius à Lapide vestras explicat. Nomen quoque sempiternum, nunquam abolendum, quod Eunuchis illis sive in Ecclesia, sive in Cœlo promittitur, commune fidelium omnium prœmium, nihil ἐξαίρετον sonat. In loco verò Apoc. XIV. 4. παρθένοι *Virgines*, cùm opponantur non castis conjugibus, utpote qui & ipsi Agnum, quocunque iverit, individui comitantur; sed scortis & Babyloni, matri scortationum (ib. v. 8.) non utique cœlibes, (aliàs soli hi Agni comites & ab eodem redempti soli forent) sed fideles universos, Christo quam dederunt fidem, intemeratam servantes, notant.

OBIECT. IV. *Doctoribus etiam competere aureolas, ostendit locus Dan. XII.3. ubi fulsuri dicuntur quasi stellæ, qui ad justitiam erudiverunt multos.* Resp. Hinc probabiliter colligi possit nonnulla differentia gloriæ singulorum, quamvis sine invidia, & cum maxima gloriæ etiam capitis, redundatione in omnes. At differentiam illam futuram ex meriti diversa proportione, nullatenus sequitur. Potiùs dabitur secundum gratiam Dei, qua Christo datum est corpus, in quo se Dei πολυποίκιλος *multum varians* sapientia ostendet.

EXCIP. REDING: *Siccine tandem compelleris differentiam in gloria Beatorum agnoscere? Sed ex gratia eam pendere asseris. An verò in toto Sapientiæ Divinæ thesauro nulla extat gratia Dei ad extra producibilis, quæ cum gloria cælesti intrinsecam proportionem habeat? Si negas, temerarius es omnipotentiæ Divinæ censor. Si affirmas, juxta inæqualitatem condignitatis hujus etiam præmii cælestis inæqualitatem agnoscere debes.* Ib. pag. 555. 556.

by Google

555.556. Resp. Non compellis tu me id agnoscere, sed agnovi ultro, & disertis verbis statim initio quæstionis. Quod verò à gratia Dei est, quale & quantumcunque sit, cum gloria cœlesti intrinsecam proportionem habere nequit: quia hæc infinita est; opus verò humanum gratiæ viribus præstitum finitum semper. Non igitur sic temerarius sum omnipotentiæ Divinæ censor; sed tu humani operis temerarius præco, docens hominem sagenæ suæ sacrificare, & reti suo suffire. Denique si merita hominis proportionem intrinsecam habent cum gloria, æqualia erunt merita omnia, quia cum infinita gloria nonnisi infinitum meritum, cui nec addi quicquam, nec detrahi potest, commensum habere potest.

SESSIO VII.

Digitized by Google

SESSIO VII.

Decretum de Sacramentis Ecclesiæ,

Die 3. Martii 1547.

AD consummationem salutaris de justificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima Sessione, uno omnium Patrum consensu promulgata fuit, consentaneum visum est de sanctissimis Sacramentis Ecclesiæ agere, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel incœpta augetur, vel amissa reparatur. Propterea sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu S. legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ sedis Legatis, ad errores eliminandos, & extirpandas hæreses, quæ circa sanctissima ipsa Sacramenta hac nostra tempestate, tum de damnatis olim à Patribus nostris hæresibus suscitatæ, tum etiam de novo adinventa sunt, quæ Catholicæ Ecclesiæ puritati, & animarum saluti magnopere officiunt, sanctarum Scripturarum doctrinæ, Apostolicis traditionibus atque aliorum Conciliorum & Patrum consensui adhærendo, hos præsentes Canones statuendos & decernendos censuit, reliquos qui supersunt ad cœpti operis perfectionem, deinceps divino spiritu adjuvante editura.

Canones de Sacramentis in genere.

1. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum, Anathema sit.

2. Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta, à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, Anathema sit.

3. Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, Anathema sit.

4. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, Anathema sit.

5. Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, Anathema sit.

6. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam suam, non ponentibus obicem, non conferre, quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, Anathema sit.

Digitized by Google

7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant; sed aliquando & aliquibus, Anathema sit.*

8. *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis, ad gratiam consequendam sufficere, Anathema sit.*

9. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possint, Anathema sit.*

10. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, Anathema sit.*

11. *Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, Anathema sit.*

12. *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servavit, non conficere aut conferre Sacramentum, Anathema sit.*

13. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solenni administratione Sacramentorum adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, Anathema sit.*

De Baptismo Canon I.

1. *Si quis dixerit, Baptismum Johannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, Anathema sit.*

Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, Anathema sit.

3. *Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, Anathema sit.*

4. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, Anathema sit.*

5. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, Anathema sit.*

6. *Si quis dixerit, Baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere, Anathema sit.*

7. *Si quis dixerit, Baptizatos per Baptismum ipsum solius tantùm debitores fidei fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, Anathema sit.*

8. *Si quis dixerit, Baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ*

Digitized by Google

quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi sua sponte illis submittere se voluerint, Anathema sit.

9. *Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, aut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea & fidei quam professi sunt, detrahatur, & ipsi Baptismo, Anathema sit.*

10. *Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, Anathema sit.*

11. *Si quis dixerit, verè & ritè collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur, Anathema sit.*

12. *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, Anathema sit.*

13. *Si quis dixerit, parvulos eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cùm ad annos discretionis pervenerint, esse baptizandos, aut præstare omitti eorum baptisma, quàm eos non actu proprio credentes, baptizari in sola fide Ecclesiæ, Anathema sit.*

14. *Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos esse, an ratum haberi velint, quod patrimi eorum nomine dum baptizarentur, polliciti sunt, & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorúmque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, Anathema sit.*

De Confirmatione Canon I.

1. *Si quis dixerit, Confirmationem bapizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potiùs verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quàm catechesin quandam, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, Anathema sit.*

2. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui S. eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, Anathema sit.*

3. *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed simplicem quemvis sacerdotem, Anathema sit.*

Decretum secundum de Reformatione, in eadem septima Sessione.

Eadem sacrosancta Synodus inceptum reformationis & residentiæ negotium, ad Dei laudem & Christianæ religionis incrementum prosequi intendens, ut sequitur, statuendum censuit, salva semper in omnibus sedis Apostolicæ authoritate.

Digitized by Google

Cap. 1.

Ad Cathedralium Ecclesiarum regimen, nullus nisi ex legitimo matrimonio natus & ætate matura, gravitate morum, literarúmque scientia, juxta constitutionem Alexandri tertii, quæ incipit; Cùm in cunctis, in Concilio Lateranensi promulgatam, præditus assumatur.

Cap. 2.

Nemo quacunque etiam dignitate, gradu aut praeminentia præfulgens, plures Metropolitanas seu cathedrales Ecclesias in titulum sive commendam, aut alio quovis nomine contra sacrorum Canonum instituta, recipere; & simul retinere præsumat: cùm valde fœlix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam bene ac fructuosè, & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. Qui autem plures Ecclesias contra præsentis decreti tenorem nunc detinent, una quam maluerint retenta, reliquas intra sex menses, si ad liberam sedis Apostolicæ dispositionem pertineant, aliâs intra annum dimittere teneantur: alioquin Ecclesiæ ipsæ (ultimò obtenta duntaxat excepta) eo ipso vacare censeantur.

Cap. 3.

Inferiora beneficia, præsertim curam animarum habentia; personis dignis & habilibus, & quæ in loco residere, ac per seipsos curam ipsam exercere valeant, juxta constitutionem Alexandri tertii in Lateranensi (quæ incipit, Quia nonnulli) & aliam Gregorii decimi, in generali Lugdunensi Concilio (quæ incipit, Licet canon) editam conferantur. Aliter autem facta collatio, sive provisio, omnino irritetur. & ordinarius collator pœnas constitutionis Concilii generalis (quæ incipit, Grave nimis) se noverit incursurum.

Cap. 4.

Quicunque de cætero plura curata, aut aliâs incompatibilia beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine & titulo contra formam sacrorum Canonum, & præsertim constitutionis Innocentii tertii (quæ incipit, De multa) recipere ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis juxta ipsius constitutionis dispositionem ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore, privatus existat.

Cap. 5.

Ordinarii locorum quoscunque plura curata, aut aliâs incompatibilia beneficia Ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas obtinere districtè compellant, & aliâs procedant juxta Constitutionem Gregorii decimi, in generali Lugdunensi Concilio editam, (quæ incipit, Ordinarii) quam eadem sancta Synodus innovandam censuit, & innovat: addens insuper, quòd ipsi ordinarii etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruè protinus fructuum assignationem omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur,

gatur, & beneficia ipsa debitis obsequiis minimè defraudentur, appellationibus, privilegiis, exemptionibus quibuscunque etiam cum judicum specialium deputatione, & illorum inhibitionibus in præmissis nemini suffragantibus.

Cap. 6.

Uniones perpetuæ à quadraginta annis citra factæ, examinari ab ordinariis tanquam à sede Apostolica delegatis possint, & quæ per subreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ verò, quæ à dicto tempore citra concessæ, nondum in toto vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut aliàs rationalibus causis coram loci ordinario, vocatis quorum interest, verificandis factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur, ac propterea nisi aliter à sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

Cap. 7.

Beneficia Ecclesiastica curata, quæ Cathedralibus Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscunque perpetuò unita & annexa reperiuntur, ab ordinariis locorum annis singulis visitentur: qui sollicitè providere procurent, ut per idoneos vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertia partis fructuum, aut majori vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur, appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscunque in præmissis minimè suffragantibus.

Cap. 8.

Locorum ordinarii Ecclesias quascunque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, & opportunis juris remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur, & cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minimè defraudentur, appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præscriptis, judicum deputationibus, vel illorum inhibitionibus penitus exclusis.

Cap. 9.

Ad majores Ecclesias promoti, munus consecrationis intra tempus à jure statutum suscipiant, & prorogationes ultra sex menses concessæ, nulli suffragentur.

Cap. 10.

Non licet Capitulis Ecclesiarum, sede vacante, intra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut literas dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris com-

Digitized by Google

munis dispensatione, quàm cujusvis privilegii, consuetudinis vigore, alicui qui beneficii Ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat interdicto: & sic ordinarii, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudeant: in majoribus verò ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri prælati sint ipso jure suspensi.

Cap. II.

Facultates de promovendo à quocunque, non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam: & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.

Cap. 12.

Facultates de non promovendo, præterquam in casibus à jure expressis concessæ, ad annum tantùm suffragentur.

Cap. 13.

Præsentati seu electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam sedis Apostolicæ nuntii, ad quævis Ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur etiam prætextu cujusvis privilegii seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ: nisi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati & idonei reperti, & nullus appellationis remedio se tueri possit, quò minùs examen subire teneatur: præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum exceptis.

Cap. 14.

In exemptorum causis, constitutio Innocentii quarti (quæ incipit, Volentes) in generali Concilio Lugdunensi edita, servetur: quam eadem sacrosancta Synodus innovandam censuit & innovat, addendo insuper, quòd in civilibus causis mercedum & miserabilium personarum, clerici sæculares aut regulares extra monasterium degentes, quomodolibet exempti (etiamsi certum judicem à sede Apostolica deputatum in partibus habeant: in aliis verò, si ipsum judicem non habuerint) coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipsa sede delegatis, conveniri, & jure medio ad solvendum debitum cogi & compelli possint, privilegiis, exemptionibus, conservatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus, adversus præmissa nequaquam valituris.

Cap. 15.

Curent Ordinarii, ut hospitalia quæcunque à suis administratoribus (quocunque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis) fideliter & diligenter gubernentur, Constitutio-

Digitized by Google

stitutionis Concilii Viennensis (quæ incipit, Quia contingit) forma servata, quam quidem constitutionem eadem sancta Synodus innovandam dixit & innovat, cum derogationibus in ea contentis.

HISTORIA SESSIONIS VII.

DIe post Sessionem sextam proxima in generali Congregatione deliberatum est de materia digerenda in Sessionem sequentem. Cúmque Præsulibus visum esset, ut postulante ita Augustanæ Confessionis, quam hactenus sequebantur, ordine de Ministerio ecclesiastico, & prima Ministerii parte, ecclesiastica nimirum potestate ageretur, Theologis contra, utpote in hoc argumento Canonico potiùs quàm Scholastico minùs versatis, adlubesceret potiùs materia de Sacramentis, utpote doctrinæ de justificatione affinis, in horum potiùs, quàm illorum sententiam itum à Legatis, quibus semel propositum erat illam de Ecclesiastica potestate disceptationem, tanquam infamem scopulum, declinare. Gemina Congregatione instituta, altera ex Theologis constans, præsidente (siquidem utraque eodem die Congregatio haberetur) Cardinale S. Crucis, tractationem *de Sacramentis*; altera ex Præsulibus Canonistis conflata, præsidente Cardinale Montano, argumentum *Reformationis* continuandum suscepit. In re Sacramentorum à designatis formati articuli de *Sacramentis* in genere 14. de *Baptismo* 17. de *Confirmatione* 4. Hos articulos magno disputationum æstu discussos videsis apud Historicum *lib. II. pag.* 207. *usque* 218. Memoratu digniora in ipsis quæstionibus Theologicis repræsentabimus. Tandem Patres formandis fidei decretis destinati, expensis Theologorum tum considerationibus, tum conclusionibus, de quibus inter eos convenerat, de *Sacramentis* in genere anathemata quatuordecim, de *Baptismo* decem, de *Confirmatione* tria conficiunt, quæ omnia ea cura explicata sunt, ut opinionum Pontificiarum nulla censuræ subjiceretur, sed verbis expressæ communibus omnibus partibus, quamvis totis castris diffidentibus, satisfacerent. Verùm capita ad doctrinæ explicationem facientia ita concinnari, ut utrique parti satisfieret, non potuerunt, inprimis illud de modo, quo Sacramenta gratiam continent & consequuntur. Placuit igitur rem ad Congregationem generalem rejici. Cúmque eædem ibi difficultates se proderent, & schisma timendum esset, alii capita doctrinæ planè omitti, alii formari talia, quibus se subjicerent etiam dissentientes Theologi, alii authore Johanne Baptista Cigala Episcopo Albiganensi, opiniones dissentientes tolerari, procurarique, ne una alteram damnet, voluerunt. Ita Legati de eo, ut &

Digitized by Google

ut & aliis Pontificem consulunt, cujus authoritate tandem statutum, uti doctrinæ capita prorsus omitterentur. Alteram Præsulum & Canonistarum Congregationem, cui *Reformationis* negotium injunctum erat, quod attinet, primò inter eos non convenit de argumento, Episcopis inprimis Hispanis articulum *Residentiæ*, an videlicet ea sit juris divini, tractari & definiri cupientibus, Legatis verò id prorsus abnuentibus, ac tandem severè interdicentibus, ne ante Sessionem ullum ea de re verbum fieret, *eò quòd Papa id esset decretissimum:* emendandis autem incommodis, quæ abusui non residendi occasionem dederunt, utiliter ut incumberent, præcipientibus. Ita decretum, ut quæ superiori Sessione omissa essent, resumerentur, simúlque ageretur de impedimentis iis tollendis, quæ homines ad non residendum impellunt. Cúmque inter ea beneficiorum pluralitas principem locum teneat, quòd fieri nequeat, ut quis pluribus locis resideat, de ea inprimis uti tractaretur, constitutum est. Concinnatum ante omnia decretum Reformationis de Sacramentorum in genere abusu corrigendo, & quibusdam in specie: cujus sex erant capita, quæ extant apud Historicum lib. II. pag. 218. Primo capite sancitum erat, *ut Sacramenta ecclesiæ gratis conferantur, neque quicquam propter eorum ministrationem quovis prætextu exigatur aut petatur.* Sed hîc exorta inter Canonistas gravis disceptatio de tribus potissimùm. 1. *An propter Sacramentorum administrationem non tantùm nihil petendum, sed etiam accipiendum?* 2. *An ne quidem sub prætextu cujuscunque consuetudinis quidquam petendum vel accipiendum?* 3. *An decreto verba adjungenda, quibus appareat, Synodum oblationes voluntarias non vetare aut prohibere solùm, quando dantur intuitu Sacramenti, sed etiam quando dantur quolibet pietatis intuitu?* De quibus ζητήμασι cùm inter Canonistas non conveniret, eorum definitio rejecta est ad generalem Congregationem. Sed cùm ne ibi quidem difficultates obortæ conciliari possent, & graves disputationes denuo nascerentur, aliis contra consuetudinem aliquid dandi aut accipiendi pro spiritualibus declamantibus: aliis consuetudinem eam, qua aliquid accipiatur, non nomine *Sacramenti*, sed *ministerii*, ut legitimam defendentibus, adducto canone 4. Concilii Carthaginensis, & Innocentio III. in Concilio generali cap. 24. ubi ista consuetudo offerendi non tantùm præcipiatur, sed etiam sanciatur, ut qui eam mutare conantur, coërceantur: tandem Legati de ea quoque re Pontificem consulunt, & ab eo quid decernendum sit, exquirunt. Interea in nova Congregatione actum tum de *pluralitate beneficiorum*, tum de *qualitatibus & conditionibus Episcoporum.* Ubi in vitia & enormitates Præsulum & ordinis Ecclesiastici uno ore omnes declamitârunt, Johanne Salazare Episcopo Lancianensi culpam omnem in Aulam Romanam, aliis aliò derivantibus. De remedio pluralitati

Digitized by Google

litati beneficiorum opponendo variæ sententiæ in medium cùm afferrentur, quidam censuére, solum Pontificem huic malo posse providere, & Reformationem eam Pontifici esse propriam. Quæ sententia adeò grata Pontifici accidit, ut diploma statim consignaret de Reformationis negotio suum ad tribunal evocando. Id tamen diploma Tridentum missum promulgare Legati non sustinuerunt, Præsulibus Cæsaris etiam iis, qui antea causæ huic favere putabantur, palam dictitantibus, *id consilii eum opprobrio Concilii conjunctum esse*. Postea Præsules Hispani cum aliis suarum partium, duce Cardinale Pacieco, seorsim consultantes, eam rationem, quæ in Congregationibus hactenus habitis obtinuit, qua, si quid utiliter à quoquam dictum, ab iis qui Synodo præsunt, aut dissimuletur, aut spissa contentionum nube obscuretur, vehementer improbant, ac ita immutandum decernunt, ut postulata omnia scriptis mandentur. Censuram igitur super capitibus propositis undecim articulis comprehensam in Congregatione die 3. Februarii habita Legatis exhibent, qua illi supra modum offensi sunt, tum quòd in ea authoritatem Pontificiam restringi, Episcopalem verò extendi animadverterent, tum quòd insolens hactenus esset, postulata scripto consignata exhibere. Eam Præsulum censuram Romam à Legatis missam, jussu Pontificis delegati ad id examinant, quorum ad singulos articulos responsiones ab eodem Pontifice Tridentum mittuntur, cum mandato, *ut intra terminos à Deputatis Romanis fixos maneant, & Decretum de abusibus Sacramentorum Baptismi & Confirmationis penitus omittant.* Acceptis Papæ ea de re literis, & conciliatis Pæsulum variorum animis, Legati Decretum *de Episcoporum qualitatibus & pluralitate beneficiorum* constans XV. Capitibus formandum & in Congregatione proponendum curârunt. Quod etiam variis in ea Congregatione contradictionibus exagitatum, majoris tamen partis tandem calculos impetravit. Ita Sessio tandem successit die 3. Martii, missam celebrante Jacobo Caucho Archiepiscopo Corcyrensi, concione verò penitus omissa, eò quòd Cariolanus Martiranus D. Marci Episcopus, cui partes concionandi injunctæ erant, abesset, neque ex 60. Episcopis & 30. Theologis quisquam, dato ad præmeditandum quatuor horarum spatio, ejus vices obire sustineret.

Digitized by Google

NOTÆ
Ad Historiam & Decretum Sessionis VII.

PRimò libertatis Concilii oppressæ non unum in Sessionis hujus historia vestigium occurrit. Etenim Legati Præsules de potestate ecclesiastica & residentia tractaturos, nec non capita doctrinæ consignaturos cohibuerunt, & in dubiis casibus non aliunde, quàm ab ore & decreto Papæ definitionem expectârunt. Hinc in libris paulò post in vulgus emissis querelæ motæ sunt, quòd Legati quæstionem de residentia moveri vetantes, Concilii libertati derogârint. Ipse Pontifex conatus est universam Reformationem à cognitione Concilii suum ad tribunal evocare, quod cum opprobrio Concilii esse conjunctum, etiam qui ei favebant, agnoverunt. Atque eandem ob causam Hispani Præsules aliique censuram capitum quorumdam scriptam Legatis exhibere novo exemplo haud erubuerunt. Eodem pertinent responsiones Romæ ad censuram illam Delegatorum, quibus Papæ Legatos ita adstrinxit, ut extra terminos ibi fixos egredi haud liceret. Et ut suffragiis addictorum sibi mancipiorum vinceret, per nuntium suum novos Præsules Venetiis Tridentum excivit. Denique cùm in Sessione ipsa Præsules ii, qui in Congregationibus Decreto Reformationis formando refragabantur, verbis modestis peterent, *ut personarum capitibus illis comprehensarum gradus distincti exprimerentur*; Legati verba eorum non aliter acceperunt, quàm *voces hominum moribundorum & animam exhalantium*, ut; Historicus loquitur. *Secundò* libera confessio quorundam Episcoporum à Legatis apud Pontificem delatorum, *eò quòd de Beatitudine suâ minùs quàm decebat, loquantur reverenter, quæ verba tantùm dare studeat, & Synodum ad homines inani spe lactandos, non ad abusus seriò reformandos celebret*; Papæ Synodum gubernantis hypocrisin palam prodit. *Tertiò* de articulis fidei, velut de numero & institutione, necessitate, dignitate Sacramentorum, de opere operato, de modo, quo Sacramenta gratiam continent, de operatione Sacramentorum V. Test. de charactere Sacramenti, Ministro, &c. obortæ sunt in Synodo inter Theologos disputationes gravissimæ. Quis non earum controversiarum perspicuam definitionem & explicationem à Synodo expectâsset? Sed expectationem fefellit Synodus, quæ tum anathemata confecit ejusmodi, *ut opinionum Pontificiarum nulla censuræ subjicerentur, sed ut ea verbis expressæ communibus omnibus partibus satisfacerent*: tum capita doctrinæ, quæ plerique formari cupiebant eum in modum, quo id in tractatu de justificatione factum erat, jussu Pontificis, ne inter ipsos Pontificios novorum Schismatum

ſmatum ſemina ſpargerentur, planè omiſit. Conflictus de variis capitibus Cadmæorum Patrum in ipſis quæſtionibus Theologicis ſpecimina exhibebimus. *Quartò* variæ de *Reformatione* abuſuum Canoniſtarum ac Præſulum diſceptationes, & ipſum decretum tandem formatum eccleſiæ Pontificiæ, qualis olim fuit ante reformationem, faciem nobis depingit. Non dicam ipſoſmet Præſules in ordinis eccleſiaſtici enormitates & vitia palam detonuiſſe, aliis culpam corruptionis Cleri aulæ Romanæ imputantibus, aliis alia cauſantibus. Inprimis verò eccleſiæ Simoniam & peſtiferum morbum pandit materia hac Seſſione ventilata *de pluralitate beneficiorum*. De qua videſis M. A. de Dominis *lib.9. c.10.ſſ.29-39.* De eadem Hiſtorici digniſſima memoratu extat *lib.II.pag.223.* diſſertatio, cujus ſumma huc redit: *Initiò bona eccleſiaſtica ſpectâſſe ad omnes, & ex communi maſſa id ſumptum, quod ad victum veſtitúmque pauperum ac miniſtrorum ſufficeret, ita ut potior pauperum quàm miniſtrorum ratio habita fuerit. Deinde deſcenſum eſſe uno gradu, quando unica illa maſſa in quatuor partes tributa, & pauperum pars infimo loco collocari cœpit. Mox excluſo ab eccleſia nomine populo Chriſtiano, & ſolis clericis id ſibi nomen vendicantibus, & uſum fructum & dominium in paucos ceſſiſſe, quod prius erat omnium, & quæ priùs à cura ſpirituali miniſteria vocabantur, & officia ſecularia inprimis ſpectare, & beneficia nominari cœpiſſe. Vigentibus tamen adhuc antiquis canonibus, quibus non licebat unum in duos titulos ordinari, neminem unum potuiſſe niſi unicum beneficium obtinere. Attritis deinceps bellorum calamitatibus bonis eccleſiaſticis, ut ad victum miniſtrorum non ſufficerent, factum eſſe, ut beneficium conferretur in eum, qui jam aliud habebat, dummodo utrique commodè attendere poſſet. Idq́; factum non in favorem perſonæ, ſed eccleſiæ, quæ miniſtro proprio deſtituebatur. Hoc deinceps colore itum eſſe ad plura beneficia etiam non poſtulante neceſſitate uni concedenda, tandémque non puditum eſſe in gratiam ejus, qui Sacerdotium tenebat, id facere, quod ante fiebat bono eccleſiæ, adhibita ad fucum populo faciendum tum diſtinctione inter beneficia* incompatibilia, *in quibus erat reſidendum,* & compatibilia, *quæ reſidentiam non poſtulârunt, quæ & cum his & ſeorſim inter ſe retineri poterant: tum gloſſa illa Canoniſtarum,* plura uni beneficia deferenda non eſſe, niſi quando unum miniſtro alendo non ſufficit. *Quantum autem ſatis eſſet uni, largo pede illos metiri ſolitos, non perſonam, ſed qualitatem perſonæ, puta conſanguineorum familiam, equos, famulos, ſtatum, &c. reſpicientes. Ita Epiſcopo largiſſimam portionem aſſignatam, Cardinali verò Regiam. Sed & de beneficiis incompatibilibus diſpenſandi Papam ſibi poteſtatem reſervâſſe, atque inde viam factam eſſe* commendis, *primitus eccleſiæ bono inſtitutis, cùm bello aut peſtilentia graſſante eccleſia paſtore carentis cura commendabatur alteri, ut præter eccleſiæ propriæ curam, ſine poteſtate tamen in facultates eccleſiæ, eam etiam adminiſtraret, donec de proprio paſtore ei provideri poſſet: at temporis progreſſu fœdiſſimè degenerantibus, cùm nimirum*

Digitized by Google

commendatarii variis prætextibus usi fructus occupârunt ; & quò minùs ecclesia aliter prospiceretur, varia impedimenta objecerunt. Cui malo ut obviam iretur, statutum esse, ne commenda duraret ultra sex menses; reservata tamen Pontifici potestate multò longiori tempore ecclesias ejusmodi commendandi, & tandem etiam per totam vitam commendatariis data licentia præter impensas necessarias emolumentis omnibus fruendi. Subjicit, non puduisse Clementem VII. Anno 1534. Hippolyto Medicæo Cardinali nepoti suo, omnia per orbem beneficia secularia & regularia, dignitates & rectoratus, simplicia & curata vacantia commendare spatio sex mensium, cum potestate de fructibus omnium arbitratu suo disponendi. Et ad palliandam eam beneficiorum pluralitatem inserviit etiam *Beneficiorum unio*, qua videlicet in gratiam Cardinalis vel viri illustris 30. vel 40. beneficia, etiam in diversis orbis Christiani locis sita uniebantur. Ita in speciem uni unicum beneficium conferebatur, sed quod reapse plura secum traheret; *qua qui gaudebat*, inquit Historicus, *poterat ad eundem modum peccatum suum confiteri, quo is qui Patri fassus, se furto abstulisse frænum equi, reticens interim, fræno huic alligatum fuisse caballum.* Hæc illa est impietatis Simoniacæ lerna. *Quintò* decretum Reformationis, quod Simoniæ huic opponendum erat, nil nisi fumum imperitis excitavit. At gnari rerum fucum ludificationi nullo negotio deprehendunt. Etenim absolutum dispensationis jus Pontifici, Præsulibus verò multiplices exceptiones relinquuntur. Quam restrictionem *omnia labefactare*, ipsi in Synodo Præsules haud pauci confessi sunt. An etiam exinde melius ecclesiæ habuerint, cùm res ipsa loquatur, nihil attinet hic prolixè commemorare. Præterea cùm præcipui illi abusus hæreant in Papa & Cardinalibus, Synodus tamen vel illius vel horum mentionem facere in decreto, quamvis instantibus Episcopis, inprimis Hispanis, & monentibus, *ut in agro corpore sanando, ita etiam hîc malis gravioribus & partibus vitalibus potissimùm attendendum, reliqua sua sponte aut levibus remediis curari;* non sustinuit, frivolo prætextu usa, *non esse è dignitate ejus Ordinis, primum in ecclesia locum tenentis, & affluentis hominibus egregiè de ecclesia meritis, ut emanet in vulgus, in eo ordine non deesse abusus, qui emendationem requirant, neque ii ipsi per se emendandis incumbant.* Ita cleri sui capita videri pios, quàm esse maluerunt. *Sextò* notandum & illud, quòd capite 2. sancitur, ut tenentes plures Cathedrales ecclésias omnes exceptâ unâ dimittant, addita ratione: *cùm valde felix ille censendus sit, cui unam ecclesiam bene & fructuosè & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit.* Quis non arrepto hoc gladio statim jugulet Oecumenicum Romani Episcopi Papatum? Is enim omnium, quæ per universum orbem sparsæ sunt, ecclesiarum curam & jurisdictionem sibi vendicat. Quo verò jure, si valde felix censendus is, cui unam ecclesiam be-

ne &

ne & fructuosè regere contigerit? *Septimò* denique Decreto Reformationis insunt non pauca, quæ supremæ potestati architectonicæ præjudicant. Veluti quòd Episcopis tanquam Rom. Pontificis Legatis juris dicundi potestas datur, *non obstantibus omni appellatione privilegiisque in contrarium nitentibus.* In ipsa Gallia ejusmodi delegationes, seu potiùs extraordinariæ jurisdictiones, citra Majestatis Regiæ permissionem & approbationem curiarum supremarum, quæ ad prohibendos abusus ex Bullis & rescriptis Pontificis & Delegatorum ejus executionibus, nec non ecclesiasticæ jurisdictionis exercitio, appellationum *tanquam ab abusu* cognitionem retinent, non admittuntur. Eodem pertinet, quòd cap. 15. Episcopis Xenodochiorum & Ptochotrophiorum administratio tribuitur. Cui Decreto etiam Reges Galliæ intercesserunt, eam provinciam Civitatum majoribus, Consulibus & Civibus, controversiarúmque, quæ ex ea administratione nascuntur, decisionem ordinariis judicibus demandantes.

Ad Canones Sessionis VII.

DE SACRAMENTIS in genere.

QUÆSTIO I.

An Sacramenta N. Test. non sint plura vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium: & quidem singula à Domino nostro Jesu Christo instituta?

ASserit Canon 1. totidem ferè verbis. Nos ambiguitatem vocis *Sacramenti* ante omnia expedimus. Rectè jam olim Bonaventura docuit, *Sacramentum accipi tripliciter, communiter, propriè & propriissimè. Communiter pro Sacro secreto seu mysterio signato. Propriè pro quolibet signo rei sacræ. Propriissimè, pro signo gratiæ efficaci & certo.* Patribus in usu

fuit primus & ſecundus ſignificatus, qui proinde juxta utrumque Sacramenti nomine multa rectè inſigniverunt. Sed & vetus Interpres tum in V. tum in N. Teſt. translatione non ſemel Sacramenti nomine uſus eſt in prima & ſecunda notione. At Tridentina Synodus demum in tertio ſignificatu numerum ſeptenarium definivit. Nos contra pertendimus, in propriiſſimo ſignificatu Sacramenta non eſſe niſi duo, Baptiſmum & Euchariſtiam. Rationes nobis ſunt ſequentes.

ARG. I. Definitio Sacramenti propriiſſimè dicti non convenit niſi hiſce duobus. Synodus quidem ob diſcrepantes Theologorum ſententias Sacramentum propriiſſimè dictum definire non ſuſtinuit, ne videlicet illud ἱερὸν pomum è medio tollere neceſſum haberet. Nobis verò Sacramentum N. T. eſt *ſignum elementare inſtitutum à Chriſto, ſignificans & exhibens gratiam juſtificationis & ſanctificationis.* Ejuſmodi autem ſigna non ſunt niſi duo, Baptiſmus & Euchariſtia.

RESP. REDING: 1. *Quia notitia Sacramenti ex definitione Nominis elucet, non opus erat, ut Synodus definitionem Rei, & circa illam ſubtilitates Scholaſticas expediret.* 2. *Sacramenta quinque controverſa habere proprietates Sacramenti in definitione tua expreſſas, inductione ſingulorum probari poteſt.* Tomo II. Tract. V. Ss. 1. pag. 25. 26. 27. Reſp. 1. Nec nominis Sacramenti, nec rei definitionem Tridentini Patres attentare auſi ſunt. De utroque nihil certi unanimi conſenſu decernere poterant, ob ſententiarum divortia. Quoad definitionem *Nominis*, Bellarminus *de Sacram. in gen. lib. I. cap.* 8. velut propriiſſimam hanc ponit, quòd ſit *ceremonia initians conſecránſque hominem Deo*, ſive *ſignum rei Sacræ, ſacrantis & initiantis hominem*, quaſi in tua definitione ulla nominis vis aut etymologia exprimeretur; vel *ceremonia initians conſecránſque*, & *ſignum rei conſecrantis initiantíſque* æquipollerent: vel Sacramenta eſſent ſigna hominum, qui initiantur & conſecrantur; vel conſecrarent initiaréntque ea, quorum ſigna ſunt. Quæ cùm abſurdiſſima ſint, oportebat ſanè Tridentinos Patres certius aliquid edocere ſuos clientes. Sed circa definitionem *Rei* quantus quæſo eſt diſcordantium æſtus? Olim quidem S. Auguſtinus, laudante & Gratiano *de conſecr. diſt.* 2. *Can. ſacrificium*; & Lombardo 4. *Sent. Diſt.* 1. Sacramentum *inviſibilis gratiæ viſibilem formam* definivit. ubi *formam* intelligi pro ſigno ſenſibili, eo modo, quo imago Herculis forma Herculis dicitur, Scotus *in* 4. *Sent. Diſt.* 1. *q.* 2. *num.* 10. & *viſibile* pro ſenſibili ſenſu exteriori, maximè quantum ad duos ſenſus diſciplinabiles, Bonaventura *in* 4. *Sent. Diſt.* 1. denique *inviſibiler gratiam* pro effectu Dei gratuito interiori, ordinato ad ſalutem hominis viatoris, accipi, idem Scotus *loc. cit.* affirmant. Deſerta hac S. Auguſtini definitione, Lombardus 4. *Sent. Diſt.* 1. Sacramentum definit *ſignum gratiæ Dei, & inviſibilis gratiæ formam, ut ipſius imaginem gerat, & cauſa exiſtat.* Eam definitionem Hugo Cavellus, Scoti Scholiaſtes, rejicit, dicens, Magiſtrum hic non teneri. Thomas tamen *in* 4. *ſent. diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 3. eam probat & rationem Sacramenti completiſſimè deſignare, contendit. Aliam definitionem legere eſt apud Iſidorum Hiſpalenſem *Orig. lib VI.* 19. quòd nimirùm *Sacramentum ſit, in quo ſub tegumento rerum viſibilium virtus Divina ſalutem noſtram ſecretiùs operatur.*

Quam

Digitized by Google

Quam definitionem, utpote ex Augustino haustam Durandus *in 4 sent dist.1. q.1.* utroque pollice probat. Hugo de S. Victore *de Sacram. lib.1. par.9. cap.2.* hanc Sacramenti definitionem promit: *Sacramentum est corporale vel materiale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, & ex sanctificatione continens invisibilem gratiam.* Scotus *in 4. sent. dist.1. q.2. num.9.* sic definit: *Sacramentum est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum ex institutione Divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.* Aliter denique Catechismus Tridentinus, aliter alii, uti apud ipsum Bellarminum *de Sacram. lib.I.11.* videre est. Diversitatis hujus conscii Tridentini Patres nonnulli, Historico *lib.II. p. m.208.209.* teste, existimarunt, satius esse numerum Sacramentorum non definire, eò quòd *determinatio veræ ac propriæ essentiæ & definitionis Sacramenti res sit plena difficultatis, propter multiplices & discrepantes definitiones, non à Scholasticis modò, sed à Patribus etiam allatas, quarum unam qui respiciat, illud proprium Sacramentum dixerit, quod, aliam aspiciens, à Sacramento excluserit.* *Etiam inter Scholasticos adhuc controverti, an Sacramentum possit definiri,* (negantibus id Richardo, Occamo, Majore, &c.) *an unitatem habeat, an sit aliquid reale, an intentionale.* Neque oraculum Redingii, Pallavicinus, simpliciter contradicit, sed hoc duntaxat *Hist. C. T. lib.IX.4:3.* Redingio nostro κορυφαίῳ suppeditat, *aliud esse, ignorare, quid saltem extimè res quædam sit, & pro vulgari nominis significatione: aliud ejus intimam rationem haud penetrare. In priori sensu constare inter Scholasticos, quid sit Sacramentum, idque satis esse, ut enumerentur: quo pacto,* inquit, *ut enumerentur planetæ, opus non est, ipsorum naturam introspicere, sed sufficit nominis significationem percipere.* Sed verò aliud quoque est vulgariter rem appellare, aliud accuratè definire. Patres porro Tridentini accuratè definiendum Sacramentorum numerum susceperunt: neque sic accuratè nisi definita Sacramenti essentia, ut constare posset omnibus, quid rei nomini illi subsit, definire potuerunt. Ita si aliter atque aliter Planetam astrologi definiverint, non idem Planetarum numerus emergere poterit. Cùm igitur & Patres & Scholastici diversimode Sacramenti vocem acceperint, definiverintque, & pro diversa acceptione & definitione vocis numerum Sacramentorum auxerint minuerintque; neque Concilii Tridentini tempore communis aliqua definitio sive usu, sive Conciliari decreto quopiam recepta fuerit: non intempestivam fuisse crisin Theologorum quorundam in ipso Concilio, à Suavi memoratam, res ipsa loquitur. 2. Argumenta verò, quæ pro quinque controversis Sacramentis hic sine necessitate cumulasti, in loco penitiùs discutimus.

ARG. II. Sicut Sacramenta Vet. Test. duo duntaxat fuerunt, unum *initiationis*, circumcisio, alterum *progressus*, Pascha: ita in N. T. duo sunt, *initiationis* unum, Baptismus, *progressus* & *nutritionis* alterum, Eucharistia.

RESP. REDING: *In V. T. plura quàm duo Sacramenta fuerunt, Augustino lib.XVII.13. contra Faustum testanse, quòd Sacramenta N. T. numero pauciora sint, quàm Sacramenta V. T. Talia fuerunt circumcisio, Pascha, Sacerdotium, oblatio victimarum, esus panum propositionis, aspersio, aquæ ablutio manuum & pedum, &c. Et circumcisio quidem erat figura Baptismi, Pascha Cœnæ, Sacerdotium legale Sacerdotii Evangelici, Expiationes Mosaicæ Pœnitentiæ. Extremæ unctioni & confirmationi nullum respondebat vetus, quia lex Mosaica vacua & egena fuit Spiritus S. qui in confirmatione datur, & via ad salutem æter-*

nam

Digitized by Google

nam, cujus extrema unctio viaticum est, non patebat. Neque etiam Matrimonio analogum quid respondit, quia nondum tum facta fuit unio verbi cum humanitate, cujus signum Matrimonii Sacramentum est. Ib. pag.27. *Resp.* Veteris Testamenti Sacramenta duplicem differentiam recipiunt. Primò enim quædam latè & impropriè, quædam strictè & propriè talia fuerunt. Illa plura fuerunt, & tot ferè, quot signa, figuræ & mysteria veteribus Sacramentorum etiam nomine insignita fuerunt. Hæc longè pauciora, non figuræ duntaxat & rerum futurarum signa, sed etiam sigilla gratiæ remissionis peccatorum. Secundò Sacramenta illa posterioris generis vel ordinaria & perpetua fuerunt, vel extraordinaria & *πρόσκαιρα*. Hæc fuerunt potissimum *Nubes*, Dei ante castra Israelitarum procedentis sedes augustissima, Exod. XIII. 21. *Transitus per Mare rubrum*, 1 Cor. X. 2. *Manna*, Exod. XVI. *Potus è rupe*, Exod XVII. 16. *Serpens æneus*, Num. XXI. 4--10. Illa non alia fuerunt, quàm Circumcisio & Pascha. Frustra tu in eorundem censu Sacerdotium, Expiationes Mosaicas, esum panum propositionis, & similes V. T. figuras collocas, quia Sacramenta propriè dicta, seu talia, qualia Circumcisio & Pascha erant, neutiquam fuerunt. Inter sacrificia quippe & Sacramenta licet conveniat ratione finis, qui est fidei in Christum confirmatio; discrimen tamen est ratione tum *δόσεως καὶ λήψεως dationis & acceptionis.* quia in Sacramentis propriè dictis aliquid homines accipiunt à Deo; in sacrificiis veteres aliquid Deo obtulerunt: tum actionis externæ, quia in Sacramentis Deus cum hominibus agit; in sacrificiis homines egerunt cum Deo Frivola igitur tua comparatio est non Sacramentorum cum non Sacramentis. ne falsas hypotheses tuas, quòd fideles V. T. vel vacui fuerint Spiritu Dei, (quæ manifesta est in sanctissimos viros, veluti merè carnales & animales, imò irregenitos, injuria) vel exsortes cœlestis vitæ, attingam. Unum addo, te S. Augustinum perperam ad partes tuas vocasse. Is enim loco à te citato, Sacramenta Veteris legis Sacramentis Novæ opponendo, *Sacramenti* vocem latiori notione, uti sæpiùs Patres. Augustinus inprimis ipse, veluti *de Civ. D. lib. X. 5. ad Marcell.* faciunt, vel certè ordinaria æquè atque extraordinaria computant. Si enim propriè dicta & ordinaria V. T. Sacramenta propriè dictis & ordinariis Novi opponit, & hæc pauca, illa plura constituit, oporteret, tua quidem sententia, plura quàm Septem V. T. Sacramenta eum agnovisse. Tu tamen non ultra quatuor vel quinque nobis numerare potuisti. Quid verò multis? Ipsemet sensum animi sui alibi *de Doctr. Christ. lib. III.* 9. explicans, *pauca* illa *pro multis* non alia quàm *Baptismi Sacramentum, & celebrationem corporis & sanguinis Domini*, recenset.

ARG. III. Ex latere Christi fluxerunt *sanguis* & *aqua* Joh. XIX. 34. 1. Joh. V. 8. Hoc de Sacramentis ecclesiæ explicant Patres, & ipse Bellarminus.

RESP. REDING: *Ex hoc sanguinis & aquæ de Christi latere fluentis mysterio S. Patres S. Baptismi & Eucharistiæ Sacramenta illustrant; sed non icciro reliqua tollunt. Quomodo Augustinus de Symb. ad Catech. lib II. 6. etiam Eucharistiæ Sacramentum solo sanguinis nomine expressit. An icciro corpus Christi exclusit? Par hic ratio.* Ib. p. 27 28. *Resp.* Si nominatis iis reliqua ex propriè dictorum Sacramentorum numero non removent, alibi igitur reliqua illos includere proba. Certè S. Augustini verba in loco citato non sic se torqueri patiuntur. Sic enim habent: *Percussum est Christi latus, ut Evangelium loquitur, & statim manavit Sanguis & Aqua, quæ sunt Ecclesiæ gemina Sacramenta.* Baptismum & Cœnam innuens. quæ tamen non expressit, significans expressè, hæc gemina, non alia Sacramenta N. T. se agnoscere. Imponis igitur eidem S. Augustino pro impu-

impudentia tua, ſcribens, quòd *loco citato expreſsè meminerit Sacramenti Baptiſmi & Sanguinis duntaxat, non verò corporis Chriſti*, cùm tamen neutrius Sacramenti expreſsè meminerit, ſed tantùm *Sanguinem & aquam Eccleſiæ gemina Sacramenta*, hoc eſt, geminorum Eccleſiæ Sacramentorum, Baptiſmi & Euchariſtiæ figuras, vocaverit.

ARG. IV. Apoſtolus ſymbola Sacramentalia V. T. nobis accommodans 1.Cor.X.2.3. Col.II.11.12. hæc duo tantùm deſignavit, Baptiſmum & Cœnam.

RESP. REDING: *At alibi Col.II.11.12. Symbolum Sacramentale V.Teſt. nobis accommodans ſolum Baptiſmum deſignavit. An ideo præter Baptiſmum aliud N. Teſt. Sacramentum nullum eſt?* Ib.pag.28. Reſp. In loco Col.II.11. S.Paulum de unico Sacramento agere, clarum eſt. In loco verò 1.Cor.X.1.2.&c. demonſtraturus ſcilicet, Corinthios per cognitionem ſuam, & Sacramentorum ſuorum uſum, extra idololatriæ periculum non magis conſtitutos eſſe, quàm Iſraëlitæ olim fuerunt, qui non minùs ac ipſi, illuminati, & miraculis Dei ac Sacramentis firmati, tamen in talia peccata inciderunt, graviterque puniti ſunt; non alia N.Teſt.Sacramenta, quàm Baptiſmum & Cœnam adducit, atque illum nubi & aquæ; hanc verò cibo Mannæ, & potui ex Petra πνευματικῇ. Si plura Sacramenta S. Paulus à Chriſto inſtituta putaſſet, & typum Sacramenti cujusdam Ordinis & Pœnitentiæ in Sacerdotio Levitico & Expiationibus Moſaicis ita, uti Redingius noſter, reperiſſet, haud dubiè omiſſurus non fuerat.

ARG. V. Pœnitentia, ordo, confirmatio, matrimonium & extrema unctio Sacramentali inſtitutione Chriſti planè deſtituuntur. In ipſo Concilio non defuerunt, qui urgerent, quòd Lombardus extremam unctionem à Jacobo, Bonaventura & Alexander Pœnitentiam & Confirmationem à temporibus Apoſtolorum, alii Matrimonium à Deo in paradiſo inſtitutum pertendant.

RESP. REDING: 1. *Alexander Alenſis ſecundariam confirmationis inſtitutionem Concilio Meldenſi, primariam Spiritui S. acceptam refert.* 2. *Sic etiam Lombardus extremæ unctionis inſtitutionem principalem à Chriſto derivat, licet ejusdem promulgationem Jacobo acceptum referat.* 3. *Matrimonium in Paradiſo inſtitutum eſt, ſed non in eſſe Sacramenti.* Ib.pag.28.29. Reſp. 1. Alenſis ſententiam ex tuo ingenio fingis. Ille enim principalis & inſtrumentalis inſtitutionis monſtroſam diſtinctionem ignoravit penitus, quin potiùs in ſua Theologiæ Summa, quam Innocentii IV. Papæ juſſu ſcriptam Alexander Papa quartus diplomate ac ſeptuaginta virorum Eccleſiaſticorum ſyngraphis, uti Ant. Poſſevinus in Apparatu ſuo teſtatur, comprobavit, *pars.4.q.9.membro 1.* de inſtitutione Sacramenti confirmationis differens, disertè hoc Sacramentum à Deo vel Apoſtolis inſtitutum negat, & quantum ad formam verborum, ac materiam elementarem demum in Meldenſi Concilio inſtitutum eſſe, Spiritu S. ei virtutem ſanctificandi conferente, pertendit. Et *membro 2.art.1.Sr.3.* denuo Chriſtum vel Apoſtolos illud inſtituiſſe, vel *vim ei dediſſe* negat. 2. Eadem audacia ſententiam Lombardi pervertis, qui à Chriſto extremam unctionem inſtitutam eſſe pernegat. cui ſecundas fecit Hugo de S. Victore. Quos non de promulgatione, ſed de prima & propriè dicta inſtitutione loqui,

Digitized by Google

Bonaventura *in 4.Sent.dist.23.art.1.quæst.2.* affirmat. *Quomodo enim,inquit,probab le est,ut omnes Evangelistæ sic sub silentio tam nobilia Sacramenta(Confessionis & Unction :) pertransissent, si Christus instituisset ?* 3. Denique conjugium *in Sacramentum* plenè institutum fuisse in Paradiso, idem, qui supra, Alexander Alensis *Summ.p.4. q.2. memb.2. art.1.Ss.1.* affirmat,& *ib.q.9.membr.2.Ss.1.* Sacramentum hoc in Nova lege institutum esse,exertè negat. Tali,Punica scilicet fide, authores etiam vestros tractas.

ARG. VI. Tot sunt Sacramenta, quot nostræ cum Christo communionis tesseræ, & quot in se ipso usurpavit & sanctificavit Christus. At duæ duntaxat sunt ejusmodi tesseræ,quia omnes in unum corpus baptizati, & una potione potati sumus 1.Cor.XII.13.Et Christus sicut circumcisionem & Pascha in se sanctificavit: ita Baptismum ipse suscepit,Cœnam verè omnibus percipiendam præcepit.

RESP. REDING: 1. *Alibi in Vindic. ac Pereg. Relig. paradoxum plus quàm monstrosum esse ais, quòd Christus ipse Cœnæ particeps redditus sit.* 2. *Neque etiam Christus in se subjectivè usurpavit eum Baptismum, qui in se susceptus Sacramentum esset,sed Johannis Baptismum suscipiendo aquas ad Sacramentalis ablutionis virtutem elevavit : adeòque Baptismum quoad esse Sacramenti instituit.* 3. *Cùm non omnia , quæ ad substantiam Baptismi pertinent, formaliter in S. literis expressa sint, (uti vel inde liquet, quòd illam formulam ; Ego te baptizo in nomine Patris,&c.nusquam reperire est)mirum ne est,vel in loco 2.Cor.XII.vel alibi omnium Sacramentorum numerum non exprimi ?* Ib. pag.29. 30. Resp. 1. Tibi nunquam dissimilis es , fingens pro lubitu quidvis. Etenim Christum ipsum in Cœna sua symbolorum participem redditum esse , nec hoc loco affirmo , (quamvis id verum esse Scriptura Matth.XXVI.29. testetur) sed illud potiùs, eum *Cœnam omnibus percipiendam præcepisse :* neque in Vindiciis disertè nego, sed tuum duntaxat paradoxum,quod denuo monstrosum appello,*quòd Christus substantiam corporis sui manducaverit*,configo. 2. Cùm Johannis Baptismus & Sacramentum,& idem quoad substantiam cum Baptismo Christi fuerit (uti infra ostendimus) Christus illum in se suscipiendo,Sacramentum Baptismi,& à se quidem instituti suscepit. 3. Denique quæcunque ad substantiam Baptismi pertinent, scripta sunt. Unde enim alias Baptismi substantiam Ecclesia hausisset ? Impudentiam porro meram sapit, quòd verba: *Ego te baptizo,&c.* à traditione potiùs,quàm Scriptura arcessere videris; cùm tamen ipse Catechismus Concilii Tridentini *par.2.cap.2.Ss.13.* disertè doceat, hæc verba à Domino & Servatore nostro esse tradita, cùm Apostolis Matth. XXVIII. præcepit: *Euntes docete omnes gentes , baptizantes eos nomine Patris , Filii & Spiritus S.* Sicut qui exigunt Sacramenta à militibus Principis nomine, eum nominent necesse est : sic cùm militiæ Dei per Baptismum ascribuntur & initiantur Christiani , ascribentes eum nominent, quomodo ipse præcepit, oportet. licet necesse non sit,ut verba illa præcisè totidem literis & syllabis usurpentur , dummodo mandato satisfiat.

ARG. VII. Septem Sacramenta nemo numeravit ante Hugonem de S.Victore & Lombardum, qui floruêre seculo XII. Et sua authoritate eum numerum confirmavit Eugenius IV. post Concilium Florentinum , in

decreto

decreto super unione Armeniorum. Nondum tamen vel Scholastici vel Concilium omnia hæc septem esse verè & propriissimè dicta Sacramenta definierunt. Primi Tridentini Patres hoc sine ullo scripturarum præsidio determinârunt. Et fatentem reum habemus Bellarminum *de effect. Sacram. lib.* 2. 27. ubi fatetur, duo tantùm poni Sacramenta ex latere Christi profluentia, Græcis verè omnibus ut magis communia & principalia.

Resp. Reding: 1. *Quomodo igitur Calvinus Instit. lib. IV. 19: 1. illam de septem Sacramentis opinionem vetustate ipsa radices egisse scribit? Et quidem ibid. cap. 14. Sect. ult. vetustatem illam in Augustini tempora reducit?* 2. *Eugenii decretum super Unione Armeniorum ad ipsum Florentinum Concilium pertinere, aliàs diximus. Atque Sacramentorum numerum illum licet in actu signato ex Scriptura non hauserit, singula tamen illa Scripturis niti constat.* 3. *Græci duo illa Sacramenta ut magis communia & principalia recipiunt, non rejectis cæteris.* 4. *Ne ipsi quidem in numero Sacramentorum consentitis. Calvinus enim Instit. lib. IV. 14. 20. tria, Baptismum, Cœnam & manuum impositionem: Lutherani totidem, Baptismum, Cœnam & Pœnitentiam: & iidem Molliores in Concilio Lipsiensi septem agnoverunt.* Ib. pag. 30. 31. Resp. 1. Mendacia mendaciis cumulare, nullus tibi pudor est. Olim quidem Calvinum induxisti asserentem, quòd opinio de septem Sacramentis sese vetustate quinque primorum Seculorum commendet. Ego in Vindiciis Theologorum nostrorum fraudem tuam detexi. Sed nec dum ejus te pudet. Quin novam technam instruis, eidem Calvino imponens, quòd *Instit. lib. IV. 14. Sect. ult.* vetustatem eam ad tempora Augustini reduxerit. Sic autem Calvinus scribit: *Fortè miseros istos Sophistas* (verè miseros) *deceperunt immodica etiam Sacramentorum encomia, quæ de signis nostris apud veteres leguntur. Quale est illud Augustini: Quòd veteris legis Sacramenta Salvatorem tantùm promittebant, nostra verò dant salutem. Has & similes figuras cùm non animadverterent hyperbolicas esse, & ipsi hyperbolica dogmata sua promulgârunt; sed prorsus alieno sensu à veterum scriptis. Non enim aliud illic voluit Augustinus, quàm quòd idem alibi scribit, Sacramenta Mosaicæ legis Christum prænuntiasse: nostra verò annuntiare.* En, ne quidem de numero, sed de efficacia Sacramentorum Calvinus loquitur: & Augustini sententiam à Pontificiorum sententia manifestè disparat. Non decebat tam liberè mentiri hominem Christianum, nedum ascetam, imò ascetarum antesignanum, qualis tu haberi vis. 2. De Eugenii decreto planè spurio nos quoque alibi, inprimis adversus Lojolitam Ottonem & dicta & vindicata solidè, repetere hic supersedemus. Neque vel unum ex controversis Scriptura niti, procedente disputatione probamus; de numero signato minimè soliciti. Sufficit nobis, quòd ex Scriptura probari potest, Baptismum & Cœnam esse Sacramenta propriè dicta, cœtera, quæ vos additis, esse ἀλλότρια. quibus exclusis manifestè liquebit, duo, non plura esse. 3. Græcorum sententiam de Sacramentis principalibus exponit Bellarminus. Sed aliter longè Græci veteres intelligunt; quibus discrimen principalium & minùs principalium Sacramentorum ne quidem in mentem venit. Nam Justinus Martyr *Apol. II. pag.* 159. 160. 161. Gregorius Nyssenus *Orat. Catechet. cap.* 33. 35. Dionysius Areopagita *Eccl. Hier. cap.* 2. Cyrillus Alexandrinus *lib. XII. in Evang. Joh.* Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. Mystag.* 2. *pag.* 231. & *Catech.* 4. *pag.* 236.

 Chryso-

Chrysostomus *Homil. 85. in Joh.* in universum Sacramenta duo, nec plura,nec pauciora recensent. Dionysius etiam *cap. 5.* Sacerdotales ordines disertè à Sacramentis distinguit. Hinc adeò Arcudius vester Corcyræus *de Concord.Eccl. Or. & Occid. in septem Sacr.administratione lib.I.2.*bacchatus satis contra hæreticos,quos ita appellat, & consensum Græcorum jactans , nullum tamen ex veteribus pro septenario numero adducere potuit; contentus recentiorum quorundam, veluti Simeonis Archiepiscopi Thessalonicensis, Jeremiæ Patriarchæ Constantinopolitani, Gregorii Protosincelli, & nescio cujus Monachi Jobi suffragiis. quibus nos quoque recentiores alios, inprimis Cyrillum Patriarcham Constantinopolitanum,binarium numerum non nudè asserentem,sed fusè ex veteribus demonstrantem,opponere possumus. Omitto consensum Latinorum,Tertulliani inprimis & Augustini,à Cel.Chamiero *Panstrat.de Sacram.lib. IV.5.* adversus Bellarmini instantias solidè vindicatum. 4. Denique nostrorum dissensum frustra exagitas, oblitus infinitarum contentionum, quæ vestros circa doctrinam de Sacramentis exercent. quas Doctiss.Forbesius *Instruct.Historico-Theol lib.IX.*in apricum adduxit. Et tamen nullus nostros inter dissensus gliscit. Calvinus enim *Instit.lib.IV.8:19.*duo tantùm esse N.Test Sacramenta ordinaria & perpetua, de quibus solis quæstio est, diligenter inculcat. Ib.*cap.19:31.* addit temporarium & extraordinarium,manuum impositionem. Sed ordinariis & propriè dictis neutiquam illud accenset. Lutherani verò nonnulli Pœnitentiam annumerantes,de Sacramentis impropriè & latè dictis se loqui, testantur. Quæ de Concilio Lipsiensi narras,fabulam olent. Nam Lipsiense Concilium ne fando quidem auditum est.

ARG. VIII. Occasiones aucti Sacramentorum numeri observare operæ pretium est. Primò vetusti quæ per metaphoram singularem in Scripturis dicebantur,in ceremonias traducebant. Hinc *Chrismatio* seu *Confirmatio.* Secundò signa adhibita ad patrationem miraculi, cessante miraculorum spiritu,retenta,sed ad significandam spiritualem gratiam.Hinc *Unctio extrema.* Tertiò quæ fiebant in personæ præsentatione coram ecclesia,ad exaggerandam ministrorum potestatem & dignitatem,in mysterium & Sacramentum conversa sunt. Hinc Sacramenta ea, quæ χειροθεσία peragunt , *Pœnitentia & Ordo.* Denique ipsa vox Sacramenti alicubi usurpata, & utilitas aliqua inde accedens ad ecclesiam, numerum locupletavit. Hinc *Matrimonium.*

RESP. REDINO: 1. *Fateris sic, vetustatis testimonio numerum septenarium non destitui. Et sanè Patres quinque controversa inter Sacramenta propriissimè dicta retulerunt.* 2. *Catechismus verò vester, ad S.Biblia provocans licet, pro binario numero ne apicem quidem ex S. literis proferre potuit.* Ib.pag.31. Resp. 1. Egregiè sic ad mea respondes, vel potiùs altùm siles. Ego occasiones tibi opposui,raptas à vestris obtorto collo ad originem & patrocinium errorum vestrorum. Illæ vetustæ, hi mustei & recentiores sunt. Si quid igitur solidi dicere habes, rationem affer, quòd occasionibus ejusmodi incunabula sua auctior numerus vester non debeat. Hic rhodus, hic saltus ! De Patrum sententia diximus & dicemus porro. 2. Puerilis de Catechismo nostro querela tua est. Cùm enim utriusque Sacramenti Baptismi & Cœnæ institutionem ex S.lite-

ris

Digitized by Google

tis probaverit,neque aliorum in iisdem institutionem repererit,annon duo & non plura esse,solidè sic ex S.literis probavit? Non de nomine,sed de re lis est: quæ per consequentiam probata ex Scriptura probatur. Si numero numeranti inhæres,Sophistam agis, non disputas ingenuè. Et eadem ratione te, & inprimis doctores illos vestros, Valentianum,Suarez,Lancellotum, alios, qui numerum septenarium ex Scripturis arcessunt, urgeo, ex quo Dei verbo septem Sacramentorum numerum numerantem illi & Tridentini tui heroes deprompserint?

Tecum habita,& nôris,quàm sit tibi curta supellex.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Tot sunt Sacramenta, quot sunt remedia salutis & vitæ spiritualis. Atqui remedia ejusmodi sunt septem,*regeneratio *per Baptismum*, augmentatio *per Confirmationem*, nutritio *per Eucharistiam*, peccatorum incidentium purgatio *per Pœnitentiam*, reliquiarum peccati abolitio *per extremam Unctionem*, propagatio ecclesiæ *per Matrimonium*, gubernatio ecclesiæ *per Ordinem. Ergo totidem sunt Sacramenta.* Resp.1. Ut tot sint Sacramenta, quot remedia salutis,necessum non est. Sacramentorum enim numerus ex institutione & essentialibus requisitis, non ejusmodi analogiis,seu, uti vocant,*congruentiis* accersi debet. 2.. Neque difficile esset salutis remedia vel arctiorem vel latiorem in numerum expandere. Christus enim *unum* necessarium esse ad salutem docet,Luc.X.42.sub quo uno pro diversis necessitatis gradibus plura vel pauciora continentur. Salutis remedia omnibus fidelibus conveniunt. At juxta adversarios clerici & monachi excluduntur à Matrimonio, fœminæ ab Ordinibus; & extrema Unctio si tolleret omnium peccatorum reliquias, nihil in purgatorio expiandum relinqueret.

EXCIP. REDING: 1. *Suppositis Scripturæ & Patrum testimoniis quid prohibet congruentias etiam & analogias in subsidium vocare, & per easdem rem priùs probatam elucidare magis?* 2. *Etsi Deo difficile non foret, salutis remedia alio numero arctare, non tamen ei placuit etiam illa ad unitatem redigere.* 3. *Sacramenta quidem omnia Ecclesiæ conveniunt pro singulis, sed non in singulis.* Ib. pag.32. Resp.1. Malè posita, & nunquam probata pejùs adhuc supponis. Et congruentiæ ac analogiæ si quam vim illustrandi habere debent, non fictæ illæ & desultoriæ,sed veræ & in Scriptura fundatæ esse debent. Alias ratio per se luxurians vagabitur in infinitum, & congruentias incongruas sine fine dabit. Vos autem supposito numero septenario demum, congruentias ejusmodi excogitastis, & figmentis vestris adaptastis, imò iis figmenta vestra,cùm aliunde fulciri non possent,audacter inædificastis. 2. Et hoc numero Deum arctasse,unde probas? Annon remedia salutis omnia ad unum Christus restrinxit, dicens: *Ἑνὸς ἀνάγκη, unum necessarium*,Luc.X.42? Sub quo *uno* pro diversis necessitatis gradibus plura vel pauciora contineri, denuo assero. Unum etiam salutis remedium Christus S.Paulo 2.Cor.XII 8. revelavit,dicens: *Sufficit tibi gratia mea.* Annon gratia Dei regeneramur,crescimus, nu-

trimur, peccati reliquias paulatim exuimus, in Ecclesia denique propagamur gubernamúrque? Et quid quæso salis est in enumeratione remediorum salutis, ubi peccatorum & reliquiarum peccatorum sanatio distinguitur, Matrimonio propagatio filiorum spiritualium adscribitur, Pœnitentiæ remedium contra morbos tanquam proprium assignatur, & tamen non tantùm omnia dicuntur remedia contra peccata, sed etiam ipsi pœnitentiæ peculiariter peccata actualia assignantur: generatio & augmentatio, omissa conceptione, animatione, quas natura etiam tempore discrevit, recensetur: denique sic Reipublicæ consulitur, ut familia negligatur? 3. Ecclesia vestra Sacramenta illa supernumeraria non à Christo, sed à Lombardo; nec singula pro singulis, nec singula in singulis accepit. Et tamen salutis remedia omnibus fidelibus ex æquo conveniunt. Si igitur pro numero mediorum salutis Sacramenta numeranda sunt, jam singulis, qui in Ecclesia sunt, applicanda eadem fuerint. quod vos negatis.

OBIECT. II. *Quot sunt virtutes & peccata, tot sunt Sacramenta, utpote remedia contra peccata, & adjutoria virtutum. At septem sunt virtutes,* fides, *cui Baptismus*; spes, *cui Confirmatio*; charitas, *cui Eucharistia*; justitia, *cui Pœnitentia*; fortitudo, *cui extrema Unctio*; prudentia, *cui Ordo*; *&* temperantia, *cui Matrimonium inservit. Totidem sunt peccata,* originale, *cui Baptismus*; actuale mortale, *cui Pœnitentia*; veniale, *cui extrema Unctio*; ignorantia, *cui Ordo*; infirmitas, *cui Confirmatio*; malitia, *cui Eucharistia*; concupiscentia, *cui Matrimonium tanquam remedium opponitur. Ergo.* Resp. 1. Supponitur Sacramenta occulta vi delere peccata, quod falsum. 2, Sacramenta metienda sunt ex institutione Christi, non congruentiis ab hominibus effictis. 3. Unum quoque veri nominis Sacramentum inservit omnibus virtutibus, & opponitur omnibus peccatis, non particularibus duntaxat. 4. Nec virtutes & vitia septenario numero comprehenduntur.. Fides, spes, charitas omnes reliquas, eásque plurimas sub se complectuntur. 5. Nullum ex quinque controversis Sacramentis vel occurrit ambitioni Papali, vel fidem promovet ad justitiam. 6. Nec ordo doctos facit: nec cœlibatus efficit, ut Monachi & Sacerdotes sint castiores.

EXCIP. REDING: 1, *Sacramenta metienda sunt ex Divina institutione, ut eam vim per eam habeant, per quam gratiam sanctificantem, omnésque eidem connexas virtutes supernaturales, unà cum donis Spiritus S. ad evitandum quodvis peccati genus conferant. Effectus tamen ille ita transcendens & communis est omnibus Sacramentis, ut cuique tamen illorum sua specifica significatio conveniat. 2. Virtutes illæ septem sunt tres virtutes Theologicæ, & quatuor Cardinales, quas tu per ignorantiam numerare non potuisti.* Ib. pag. 33. Resp. 1. Nihil ad mea respondes, sed partim falsa denuo supponis, partim iisdem cerebri tui somnia superstruis. Proba ex institutione Divina, Sacramenta singula singulis virtutibus opitulari, & peccatis singulis opponi. In regeneratione enim singularum virtutum habitus conferuntur, & in Baptismo obsignantur: quarum etiam singularum incrementa Eucharistia sola repræsentat. 2. Scholæ vestræ doctores tres virtutes Theologicas ex Paulo, & quatuor Cardinales ex Aristotele, Deastro suo numerare, quis tam rerum rudis est ut ignora-

Digitized by Google

ignorare possit? Sed vos pridem ludibrium cordatis & sapientibus debetis, sic Paulum & Aristotelem combinantes, & Theologiam cum Ethica Philosophica commiscentes. Annon enim tres illæ virtutes Theologicæ, fides, spes & charitas etiam Cardinales, quas Spiritus S. in regenitis operatur, complexu suo involvunt? Consule sis Augustinum potiùs quàm Aristotelem (cujus non ea me religio tenet, quæ te & Scholam vestram, inprimis in Ethicis ejus, quæ tota ferè saniori Theologiæ contrariantur) vel Lombardum, & videbis, quemadmodum ille ad fidem, spem, charitatem seu amorem Dei & proximi, omnes virtutes reliquas referat, &, quas vos Cardinales dicitis, unius ejusdémque virtutis, charitatis inprimis non diversas species, sed affectiones constituat. Sed edic porro, Redingi, in distribuendis virtutibus genera, an species secteris? Si species, jam longè plures erunt virtutes, sub Theologicis & Cardinalibus illis comprehensæ: pluráque adeò quàm septem Sacramenta. Sin genera, repugnantem habes Thomam Aquinatem 3. *p. q.* 72. *art.* 1. ubi sciscit ille, *Sacramenta novæ legis ordinari ad speciales gratiæ effectus: & ideo ubi occurrit specialis gratiæ effectus, ibi speciale Sacramentum ordinandum esse.* Et cur sic non potiùs duo Sacramenta, pro ratione duplicis generis virtutum, Theologicarum & Cardinalium, constituis?

OBIECT. III. *Numerus septenarius in sacris celebris est, velut in expiationibus, Exod. XXIX. Levit. IV. VIII. Ita Naaman septies jussus est lavari ad purgandam lepram. Ergo idem numerus Sacramentis convenit.* Resp. 1. Puerilis est argumentatio, cujus si qua vis est pro Sacramentorum N. Test. numero, eadem erit pro numero Sacramentorum V. T. 2. Numerus septenarius celebris est ex creatione, quâ intra ἑξαήμερον peractâ Deus septimo die quievit. Sed non minùs celebres sunt numerus ternarius, binarius, atque ipsa etiam μονάς. Quid enim perfectius Deo uno? 3. Poterant addere ex Apocalypsi septem tubas, tubarum septem iræ Divinæ phialas, septem bestiæ capita, quæ æquè hunc Sacramentorum numerum concludunt.

EXCIP. REDING: *Cur ergo tu ipse supra ex binario Sacramentorum V. T. numero binarium Sacramentorum N. T. collegisti?* Ib. pag. 33. Resp. Non collegi ex numero numerante, nedum ex numero à Sacramentorum ratione alieno; sed ex re, analogia in Scripturis fundata, denique succenturiatione Sacramentorum N. T. in locum veterum. De cætero ringi potuisti, at non respondere.

OBIECT. IV. *Tot sunt Sacramenta, quot novi fœderis sigilla, septem nimirum, Apoc. V.* 1. Resp. 1. Ex symbolis argumentari non licet. 2. Liber iste septem sigilla complexus non Sacramentalis est, sed præscientiæ & decretorum Divinorum.

EXCIP. REDING: *Veritate jam probata, ad exornandum mysterium symbolis uti licet.* Ib. pag. 33. Resp. Nec probare potes, quod falsum est: nec quæ probata sunt, symbolis alienis & analogiam nullam habentibus illustrari possunt.

OBIECT. V. *Scholastici hunc numerum ex antiquitate repetierunt, & Concilium Florentinum in institutione Armeniorum eundem definivit.* Resp. 1. Scholastici ab Hugone

Hugone & Lombardo, non à Patribus hunc numerum hauserunt. 2. Nec veterum Scholasticorum eadem, quae Concilii, mens fuit. 3. Institutio Armeniorum post finitum Concilium Florentinum cepit initium. Non igitur Concilii authoritate nititur.

EXCIP. REDING: *Quæ de Armeniorum institutione, quasi post finitum Concilium Florentinum initium cepisset, comminisceris, historiæ repugnant. Nam Cervinus Legatorum in Concilio Tridentino princeps d. 26. Jan. An. 1546. in Concilio eodem demonstravit, Florentinum Concilium non An. 1439. sed demum A. 1442. (intra quod tempus Armeniorum Instructio concepta est) exitum suum Florentiæ habuisse, atque inde Romam translatum esse.* Ib. pag. 34. Resp. Totum hoc Cardinalium duorum, Pallavicini scribentis, & Cervini in Tridentino Concilio ita narrantis, fide nititur. Sed aliud longè ex publica rerum gestarum fide constat. Et nos in scripto vernaculo Instructionis illius pro Armeniis authentiam argumentis irrefragabilibus oppugnavimus, atque adversus Pallavicinum in loco denuo, σὺν Θεῷ, oppugnabimus.

QUÆSTIO II.

An Sacramenta V. & N. Testamenti hactenus differant, quòd illa quidem figuraverint gratiam Christi, hæc eandem conferant & obsignent?

SIc malumus formare controversiæ statum. Synodus equidem Canone II. anathema iis intonat, *qui dicunt, novæ legis Sacramenta à veteris legis Sacramentis non differre, nisi quia ceremoniæ sint aliæ & alii ritus externi.* Sed hæc ceremoniarum & rituum differentia est specifica, quæ singula Sacramenta à se invicem distinguit. Ubi autem quæritur differentia veterum & novorum Sacramentorum, de communi & generica differentia contentio est. Hanc autem determinare Patres neglexerunt scientes & prudentes, propter notorias Scholasticorum circa differentiam Sacramentorum V. & N. Test. velitationes. Nempe cùm articulus VI. à Scotistis ita conceptus fuerit: *Sacramenta immediatè post Adami prævaricationem à Deo fuisse instituta, & per ea collatam esse gratiam*; lis orta est in Concilio inter Thomistas & Franciscanos seu Scotistas. Thomistæ articulum eum oppugnantes asseruerunt, Sacramenta V. Test. non contulisse, sed præfigurâsse gratiam, adeóque gratiam ab iis nequaquam obtentam esse virtute Sacramentorum, sed devotionis. Franciscani contra Bonaventuram & Scotum suum secuti tenuerunt, circumcisionem contulisse gratiam ex opere operato, imò statim

Digitized by Google

tim post peccatum Adami institutum fuisse Sacramentum, quo infantibus data fuerit gratia ipsius Sacramenti virtute ex opere operato; adeóque articulum retinendum & confirmandum esse statuerunt. Hasce contradictionum syrtes evitaturi Patres concluserunt, articulum eum tanquam probabilem omittendum esse, & neglecta veræ differentiæ determinatione anathema tantùm vibrandum esse in eos, qui negant utriusque Testamenti Sacramenta aliter quàm ritibus externis differre. At nos ultro concedimus, Sacramenta V. & N. Test. non solis ceremoniis differre. Differunt enim κατὰ τὴν οἰκονομίαν καιρῶν, *secundùm administrationem temporum*, etiam in eo, quòd Sacramenta N. T. plus habent claritatis & facilitatis, & sunt πληρέστως, *spem meliorem obsignantia, per quam approximamus Deo*, Hebr. VII. 19. At re signata & effectu ita differre, ut Sacramenta V. T. gratiam præfigurent tantùm, at Sacramenta N. T. eandem exhibeant & obsignent, uti jam ante Florentinum Concilium definivit, & communior hodie sententia fert, negamus. Etenim

ARG. I. Patres V. Test. habuerunt verbum promissionis gratiæ justificantis, per quod sunt salvati, Genes. III. 15. XVII. 7. Actor. II. 38. 39. X. 15. Rom. IV. 10. 11. Gal. III. 29. Ergo etiam signa Sacramentalia habuerunt gratiæ justificantis, quæ eam non nudè præfigurarent, sed etiam obsignarent, & in legitimo usu exhiberent.

RESP. REDING: *An Sacramenta V. Test. in usu legitimo sic gratiam justificantem contulerunt, ut eam ex opere operato Christi exhibuerint? At tu hanc vim etiam Sacramentis N. Test. negas. 2. Loca citata de differentia Sacramentorum V. & N. Test. non agunt.* Tom. II. Tract. V. Ss. 2. pag. 35. Resp. 1. Exhibuerunt in legitimo usu per obsignationem, non physicam vel moralem efficientiam, ex opere operato non hominis, sed Christi jam tum spondentis, & in plenitudine temporum solutionem præstituri; eadem gratia, sed non eadem quoad gradum efficaciæ. Neque verò hoc unquam Sacramentis N. Test. excepto efficaciæ gradu, negavimus. 2. Loca à me citata probant, V. Test. Patres habuisse verbum promissionis gratiæ justificantis. Promissus enim illis est Christus, *contriturus caput serpentis*, Genes. III. 15. fœdus æternum, *quòd Deus illis velit esse in Deum*, (nulli autem non justificato per gratiæ fœdus æternum in Deum est) Genes. XVII. 7. Quæ *promissio* ad eos & *semen* eorum pertinuit, Act. II. 38. 39. Denique *per gratiam Jesu Christi salvati sunt sicut & nos*, Act. XV. 11. (quem locum quia eludere non potuisti, omisisti perfidè.) Nemo autem non justificatus salvatur. Quid autem Sacramenta aliud significare, & obsignare, quàm gratuitam Dei promissionem possunt? Unde circumcisio tam clarè Σφραγὶς δικαιοσύνης πίστεως *sigillum justitiæ fidei*, hoc est, ejus justitiæ Christi, quæ per fidem apprehensa justificat, Rom. IV. 11. dicitur. Ad hæc præter nihil, nihil respondes.

ARG. II. Paulus 1. Cor. X. 1-4. veteribus Baptismum & Cœnam nostram suo modo tribuit, docétque ipsis id significâsse nubem & transitum per

mare, quod nobis Baptiſmus, nec non mannam & aquam petræ, quod nobis Euchariſtia. Proinde re ſignata & effectu conveniunt.

RESP. REDINO: *Tranſitus per mare rubrum & Manna fuerunt typi Baptiſmatis & Euchariſtiæ præfigurativi. Diverſæ igitur rationis fuerunt à Sacramentis N. Teſt. quatenus ſcilicet illa figuræ fuerunt (unde v.6. typi vocantur)* hæc rem *continuerunt.* Ib. pag. 35. Reſp. Præpoſterè inſtituis. Vis enim argumenti noſtri non in figuris ſignificantibus, quales & Vet. & N. Teſt. Sacramenta pariter fuerunt; ſed in re ſignificata eadem per diverſas figuras conſiſtit. Nam S. Paulus quidem duobus N. Teſt. Sacramentis, Baptiſmo & Cœnæ typos veteres bis binos comparat: Baptiſmo nubem & mare, Cœnæ mannam & aquam ex petra. Comparationis objectum notat participationem rei ſignificatæ, utrinque ejuſdem. Ait enim, Iſraëlitas in mari & nube fuiſſe baptizatos: in manna & aqua ex rupe ediſſe & bibiſſe eandem nobiſcum eſcam potúmque ſpiritualem, Chriſtum. Manifeſtum hinc argumentum noſtrum eſt. Baptiſmus enim eſt Sacramentum remiſſionis peccatorum non ſignificandæ duntaxat, ſed etiam Sacramentaliter conferendæ. At nubes & mare Iſraëlitis fuerunt Baptiſmus. Ergo iis fuerunt Sacramentum remiſſionis peccatorum non ſignificandæ duntaxat, ſed etiam Sacramentaliter conferendæ. Rurſus. Euchariſtia eſt communio corporis & ſanguinis Chriſti. At manna & aqua ex rupe fuerunt Iſraëlitis Euchariſtia. Ergo fuerunt iis communio corporis & ſanguinis Chriſti. Denique eandem eſcam, eundem potum ſpiritualem, Chriſtum, ediſſe & bibiſſe dicuntur. Et ſi quoad efficaciam non eadem ibi S. Paulus Sacramenta vetera cum noſtris ſtatuiſſet; quænam in argumento ejus conſecutio foret: Si eorum Sacramenta ſine fide & obedientia eos Deo gratos non reddiderunt; Ergo nec noſtra? Sic ergo Sacramenta illa præfigurarunt & typi fuerunt, ut tamen ſimul ſignificaverint, obſignaverint, & in legitimo uſu exhibuerint id ipſum, quod noſtra, Chriſtum videlicet, cujus corpus & ſanguinem futurum licet, quoad conſummationem præſentem, tamen quoad virtutem pretioſam, valorem & acceptationem, vera fide æquè ac nos illi ederunt & biberunt. Si Chriſtus eſca & potus noſter eſt, etiam illorum fuit, quia v.4. *Petra fuit Chriſtus*, communis adeò utrorumque. Neque verò ſpiritualis vocatur cibus, ſpiritualis potus propterea, quia uterque per miraculum productus erat, uti Bellarminus fingit, quia ſic non major in Apoſtoli argumento vis eſſet, quàm ſi illud ab eſca corvina, quæ opera corvorum Eliæ parabatur, petiiſſet; ſed inprimis propter ſignificationem, nempe Chriſti, quæ vera cauſa ejus appellationis dicitur, uti ex verbis illis, *Petra fuit Chriſtus*, hoc eſt, ſignificavit Chriſtum, liquet. Optimè Auguſtinus *in Pſal. 77. Omnes quidem eundem cibum ſpiritualem manducarunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt, id eſt, ſpirituale aliquid ſignificantem.* Et alibi *in Joh. tract. 26. & 45.* ſic paucis argumentum noſtrum confirmat: *Spiritualem eandem, quam nos etiam manducaverunt. In ſignis diverſis eadem fides. Sacramenta illa fuerunt. In ſignis diverſa ſunt, in re, quæ ſignificatur, paria ſunt. Specie quidem viſibili aliud nos, aliud illi, tamen hoc idem ſignificante virtute ſpirituali.*

ARG. III. Circumciſio Sacramentum V. Teſt. non figuravit tantùm gratiam dandam, ſed in legitimo uſu etiam contulit, Geneſ. XVII. 7. Rom. IV. 11. ubi vocatur σφραγὶς τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, *ſigillum juſtitiæ fidei.* Sigillum autem non nudè figurat, ſed in rei ſignatæ poſſeſſionem mittit.

RESP.

Resp. Reding: 1. *Quomodo igitur circumcisionis præcipua utilitas, Rom. III. 1. in eo constituitur, quòd circumcisis credita sunt eloquia Dei: imò circumcisionem justificare Paulus Rom. IV. 10. &c. negat; & 1. Cor. VII. 19. nihil esse, asserit?* 2. *Sacramenta vetera contulerunt gratiam ex opere operato, non formaliter spectata, prout ad legem veterem, quæ figura tantùm fuit, & nihil consummavit, pertinebant; sed quatenus ex institutione Divina virtutem passionis Christi futuræ continebant. Hinc Paulus Rom. IV. 11. non obscurè probat, justitiam, quæ est ex fide, per Christum, ejúsque merita etiam ante legem Divinitus concessam esse, ut propterea circumcisio esset signaculum justitiæ jam priùs sub præputio per Christum venturum acceptæ.* 3. *Proin antiquæ legis Sacramenta non ex propria virtute sua per se formaliter immediatè gratiam contulerunt, sed tum ex meritorum Christi virtute concomitanter se ad illa habente, tum ex vi sua figurativa solùm mediatè.* Ib. pag. 35-37. Resp. 1. Inter *τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ eloquia Dei* Israëlitis credita præcipuum fuit eloquium promissionis gratiæ justificantis per Christum. Malè igitur hæc tu opponis. Circumcisio verò cùm fuerit signum fœderis, & sigillum justitiæ fidei, utique in legitimo usu, & tempore legitimi usus, nec nihil, nec egenum mundi elementum fuit. qua de re infra. 2. Nec Novi, nec Veteris Testamenti Sacramenta vel conferunt, vel contulerunt gratiam ex opere operato; sed utrobique eam obsignant & obsignarunt, ac in legitimo usu, ex opere, seu fide & devotione operantis, exhibuerunt. Ita circumcisio fuit signum fœderis illius, quo fiebat, ut Deus esset Deus Abrahami & seminis ejus; Genes. XVII. 7. Qua phrasi denotatur amor & gratia Dei, cujus effectus est remissio peccatorum & vita æterna, teste ipso Christo Matth. XXII. 32. ubi ex verbis illis: *Ego sum Deus Abrahami, Isaci & Jacobi;* colligit eorundem vitam post mortem, & resurrectionem gloriosam; nec non S. Paulo Ephes. II. 12. ubi gentes simul fuisse exsortes fœderis & atheos ac sine spe in mundo pronuntians, per oppositum indicat, Judæos, utpote pacti & circumcisionis participes, spem æternæ vitæ habuisse. Hinc adeò S. Paulus Rom. IV. 11. circumcisionem vocat *sigillum justitiæ fidei.* Quomodo, si justitiam fidei, hoc est, justitiam Christi fide apprehensam, non obsignavit, hoc est, non & significavit & confirmavit authenticè? Hic enim, non alius sigillorum usus est. Obsignavit igitur circumcisis justitiam fidei, non illam ex opere operato formaliter efficiendo vel conferendo, quod ultro tibi largior; sed eam per gratiam Dei, ob valorem & virtutem meriti Christi jam tum vigentem & retroactam jam acceptam & imputatam, ei, tanquam rem propriam confirmando, ejúsque sic acceptæ sensum & consolationem roborando. 3. Denique tecum omnino consentio, Sacramenta V. T. non ex propria virtute sua per se formaliter & immediatè gratiam contulisse, (nam hoc nulli omnino Sacramento competit) sed ex sola meritorum Christi efficacia gratiam remissionis & juris vitæ iis collatam esse. Sed habuisse se Sacramenta & virtutem meritorum Christi concomitanter, vel Sacramenta non aliam vim quàm figurativam mediatam habuisse, Apostolo repugnat, cui circumcisio sigillum justitiæ est. Omne autem sigillum re posterius est; & rem non figurat tantùm, sed ceu jam præsentem significat, confirmat & obsignat. Hæc vis argumenti nostri est, ad quam nihil respondere potuisti. Lubet tamen ἐκ περιουσίας vim argumenti nostri verbis S. Augustini *de nupt. & concupisc. lib. II. 11.* illustrare, quæ sic habent: *Tunc dissipavit testamentum Dei, non de hac imperata circumcisione, sed illud de ligni prohibitione, quando per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines transiit, in quo omnes peccaverunt. Et hoc in illo significabatur expiari circumcisione octavi diei, hoc est, Sacramento Mediatoris in carne venturi: quia per eandem fidem venturi in carnem Christi*

 & mori-

Digitized by Google

& morituri pro nobis &c. etiam justi salvabantur antiqui. Ex quo enim instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ad significationem (alii, *sanctificationem,* legunt) *purgationis valebat, & parvulis originalis veterisque peccati, sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutus.*

ARG. IV. Scriptura fidelibus V.Test. tribuit Sacramenta N.Test. 1.Cor.X. 1-4. Ephes.IV.4. & vicissim fidelibus N.Test. 1.Cor.V.7. Col.II.11. Id fit ratione vel signi, vel signati. Non ratione *signi*, quia signa diversa sunt, & circumcisio dicitur ἀχειροποίητος Col.II.11. Ergo ratione *signati*.

RESP. REDING: 1. *Loca 1.Cor.X.1. &c. Ephes.IV.4.5. nihil ad rem faciunt. 1.Cor.V.7. & Col.II.11. circumcisio & pascha figuræ baptismi & Christi declarantur. Nec hoc ad rem facit. 2. Concedi sano sensu potest, V.T. Sacramenta obsignâsse eam ipsam Christi gratiam, quam N.Test. Sacramenta ex opere operato conferunt. Sed Sacramenta Vetera cùm ex vi Divinæ institutionis non demonstrativa, sed figurativa duntaxat fuerint, formaliter spectata virtutem gratiæ immediatè non effecerunt, sicut nostra solent.* Ib. pag. 37.38. Resp. 1. Non amas admodum ponderare Scripturæ textus. Etenim 1.Cor. X. 1-4. veteribus manifestè Baptismus in nube & mari, nec non Eucharistia in pane spirituali, seu manna, & potu ex petra spirituali, tribuitur. Id verò cùm fiat non ratione signorum, quæ diversa planè fuerunt, necessum est fiat ratione rei significatæ ejusdem, quæ Christus & ejus justitia est. Et quomodo S.Paulus 1.Cor.V.7. Christus, Pascha nostrum, pro nobis mactatus dicitur, si vetus Pascha non fuit Sacramentum Christi, ceu agni ante jacta mundi fundamenta, in consilio Patris, mactati, & quoad virtutem mactationis illius applicati, Apoc.XIII.8. adeóque Christum mactatum non figurans duntaxat, sed quoad meriti virtutem obsignans? Quomodo fideles N. T. circumcisi dicuntur circumcisione non facta manibus, depositione corporis peccatorum, in circumcisione Christi, Col.II.11. si vetus circumcisio non fuit sigillum remissionis peccatorum renovationis vitæ? Hæc tibi, Redingi, expedienda fuerant. 2. Sacramenta V. T. & figurativa & demonstrativa fuerunt. *Figurativa*, quia figurarunt & præsignificarunt meritum Christi futurum, atque declararunt, non expiatum actu esse peccatum, nondum hæreditatem terræ cum spiritu filiationis meræ datam esse. Quomodo non consolationi duntaxat, sed etiam oneri fuisse, concedimus. Contra Sacramenta N. T. satisfactionem præstitam, Regnum Christi patefactum, hæreditatem mundi dari cœptam proclamant, adeóque animum nostrum provocant, ut per Spiritum filiationis dicamus, Abba Pater. In quam sententiam si explicaretur veterum phrasis illa, *quòd Sacramenta V. T. gratiam significarint, N. T. Sacramenta eandem conferant*, nulli certè pugnaremus. Interim etiam *demonstrativa* fuerunt, quia virtutem meritorum Christi in promissione oblatam, & vera fide acceptatam, causam justitiæ & vitæ unicam, æquè ac Sacramenta N. T. significarunt, obsignarunt & in legitimo usu exhibuerunt. Ideo enim circumcisio, & ἀναλόγως etiam Pascha, reliquáque Sacramenta σφραγῖδες sigilla justitiæ fidei fuerunt. Quòd verò sic demonstrativa fuisse, *ut ex opere operato justificarent*, hoc est, tanquam pars obedientiæ veræ justum constituerent; negas, nos consentientes habes. Sed sic etiam Sacramenta N.Test. justificare, æquè negamus. Sin justificare dicis ex opere operato, quia tanquam sigilla data à Deo justitiam & hæreditatem obsignant; par certè ratio eatenus est Sacramentorum

Digitized by Google

cramentorum utriusque Testamenti. licet phrasis illa humana ob ambiguitatem & erroris periculum segniter nobis placeat.

ARG. V. Sacrificiis V.Test.tribuitur ἱλασμὸς, *expiatio* passim, eò quòd præbuerunt conscientiæ fidelium consolationem de remissione peccati. Quantò magis eadem vis tribuenda Sacramentis efficaciùs adhuc gratiam explicantibus?

Resp. Reding: *Aliter S.Paulus Hebr. IX. 13. docens, Sacrificia V.Test. per se immediatè non aliam quàm carnalem expiationem produxisse, licet præfigurativam expiationis per Christum.* Ib.pag.38. Resp. Sic præfigurarunt expiationem actualem per sanguinem Christi, ut in legitimo fidei in Christum usu, utentes de justificatione & reconciliatione sua cum Deo certos reddiderint. Ratione quidem ceremoniæ externæ & per se immediatè non aliud quàm puritatem carnis, Apostolo teste, contulerunt; atque hoc insuper, ut Israëlitæ in externo cultu Deum adire, ac in sanctuario ipsius versari possent. Ratione verò δηλώσεως seu *manifestationis* mysterii & Sapientiæ in occulto tum Christi sacrificium, & expiationis ejus & veritatem, & necessitatem significarunt, tum adminicula fidei in Christum fuerunt, tum denique, typicè, inquam, non realiter, expiarunt, hoc est, fidelibus peccati sui per Christum expiationem significarunt, certósque eos condonationis peccati sui reddiderunt. Hoc enim passim iis tribuitur; veluti Levit I 4.IV.20. XVI. 6. 11. 14. 30. Quò inprimis יום הכפרים *dies expiationum* Levit. XXIII. 27. pertinet.

ARG. VI. In Concilio, ut supra diximus, Franciscani à veritatis partibus steterunt.

Resp. Reding: *Ita est. Sed non repugnantibus Thomistis, quoad rei substantiam.* Nam Thomas *3. p. q. 11. a. 4. ipse quoque agnoscit, quòd in circumcisione fuerit collata gratia, non quidem ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio.* Ib. pag. 38. Resp. Ergóne Andabatarum more in Concilio Franciscani & Thomistæ depugnarunt? Magna certè Concilii felicitas fuisset, si tibi ei interesse integrum fuisset. Eo enim acumine, ea dexteritate præditus tibi videris, ut facilè hostiliter etiam pugnantes, & sententiarum manifestis divortiis distractos conciliare possis. Omnibus enim litigiosæ Scholæ vestræ contentionibus tu Palæmon intercedis, & quidem unius distinctionis, quam ubique pariter jactas, præsidio: *Non de substantia rei, sed de subtilitate Scholastica disputatur.* uti etiam in Corollario hujus quæstionis loqueris. Quasi scilicet Scholastica subtilitas nunquam in rei substantia, sed semper extra eam versaretur. Sed fucus fucum ubique facis. Nam etiam verba Thomæ à te recitata disertè innuunt, quòd gratia, quæ in circumcisione conferebatur, non à circumcisione, qua Sacramentum est, sed à virtute fidei passionis Christi collata fuerit. Quid hoc aliud est, quàm asserere, Sacramentum circumcisionis, adeóque reliqua etiam V. Test. Sacramenta gratiam non contulisse? Quæ genuina Thomæ sententia fuit. Nam ille sic *p.3.q.62.art.6.* quæstionem figit: *Utrum Sacramenta veteris legis gratiam causarent?* Respondet negando, hoc potissimùm argumento fretus, quòd *cùm causa suo effectu posterior esse non possit, Sacramenta legis veteris Christi passionem, quæ causa est nostræ justificationis, antegressa, nullam in se virtutem ad conferendam gratiam*

justificantem habuerint, sed sola fides Patres justificaverit. Quomodo etiam ipse saltem ratione justificationis Patrum V. Test. *Solifidianus* fuit. Negat igitur Thomas in universum, Sacramenta V. Test. gratiam justificantem conferre potuisse. At in Concilio quoad circumcisionem constanter Franciscani & Scotistæ universi contradixerunt. Negas, Redingi? Atqui hodiéque fervet inter vos contentio. Thomistis enim se opponunt reliqui Scholastici ferè omnes, circumcisioni, etiam qua Sacramentum erat, justificationem ex opere operato adscribentes. Hanc enim sententiam olim propugnarunt Alexander Alensis, Bonaventura, Scotus & Biel, uti Bellarminus *de effectu Sacr. lib. II. 13.* fatetur. Quibus se hodie Franciscani omnes, & qui eorum partibus addicti sunt, adjungunt. quorum sententiam cumprimis strenuè Josephus Angles in *Flor. in 4. sent. q. 3 de causal. grat. art. ult. concl. 3.* tum Ecclesiæ authoritate in genere, tum in specie Augustini, Gregorii & Bedæ consensu tuetur.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Sacramenta V. Test. vocantur umbra: at N. Testamenti corpus Col. II. 17. Hebr. X. 1. 1. Pet. III. 21.* Resp. 1. Sacramenta V. Test. ita fuerunt umbra, ut ipsum etiam corpus, Christum cum beneficiis suis suo modo exhibuerint & applicaverint. 2. Proinde Sacramentorum V. T. corpus fuerunt non Sacramenta N. Test. sed Christus, ipsa veritas Joh. I. 17. XIV. 6. &c. 3. Petrus equidem 1. Ep. III. 21. Sacramenta nova appellat *antitypa* veterum, nimirum quia sunt similes typi illis respondentes & subrogati.

EXCIP. REDING: *1. Loca Joh. I. 17. XIV. 11. Christum per V. Test. Sacramenta realiter exhibitum esse, minimè probant. 2. Quis unquam corpus & umbram ejusdem essentiæ esse dixit? At vetera illa cum umbris comparantur. 3. Contra 1. Pet. III. 21. Baptismus eatenus umbraticis illis figuris successisse dicitur, ut nos salvet. Salvant igitur Sacramenta Novi, non Veteris Testamenti.* Ib. pag. 38. 39. Resp. 1. Ex locis Joh. I. 17. & XIV. 6. hoc unum probo, Sacramentorum V. Test. corpus non fuisse Sacramenta N. Test. sed Christum & veritatem, oppositam umbris. Quid quæso clarius? Nam Joh. I. 17. legi per Mosen datæ gratia & *veritas* per Christum data opponitur: & cap. XIV. 6. Christus *ἀλήθεια veritas* dicitur. *Umbræ* igitur Sacramenta, inprimis V. Test. suam *veritatem,* corpus suum non in Sacramentis N. Test. sed in Christo habuerunt. Perperam igitur ex eo, quòd Sacramenta V. Test. umbræ fuerunt, differentiam inter ea & N. Test. Sacramenta probas. cùm non aliud, quàm Sacramentorum V. Test. & Christi, signi & rei signatæ differentia inde probari possit. Amas sic vim argumentorum meorum declinare, imò fugere. 2. Corpus & umbram ejusdem essentiæ esse, nemo nostrûm dixit. Aliâs idem essent Sacramenta seu signa, & res Sacramentis seu signis figurata, Christus. Tu Sacramenta V. & N. Test. differre, ut umbram & rem; signum & rem signatam, & ratione rei signatæ, proba. Vetera Sacramenta erant umbræ Christi venturi, cujus est corpus. Nova sunt *ἀναμνήσεις, memorialia* dati corporis. Utraque sigilla justitiæ, quæ est in Christo. Illa hanc, actu scilicet impletam flagitantia: hæc asserentia. Virtutem verò justitiæ impletæ significantia, obsignantia & exhibentia utraque. 3. S. Petrus 1. Epist. III. 20. 21. Arcæ, in qua octo animæ per aquam urgentem scilicet, ut in arcam confugerent; salvatæ sunt, & diluvio opponit Baptismum, tanquam

& ἀντι-

& *ἀντίτυπον conformem*, quia videlicet similis typus, non veteris typi, ratione quidem signi, corpus est; quatenus sicut arca & diluvium similitudinem habet cum mysterio salutis, sic etiam Baptismus: & *σώζοντα salvantem*, non quòd arca & aquæ diluvii non etiam salvaverint; (nam certè per aquam *διεσώθησαν salvatæ octo animæ* v. 30. dicuntur) sed quia utræque, & diluvii & Baptismi aqua salvarunt. Illæ vel corporaliter, quatenus octo animæ in arcam receptæ aquarum & mortis periculum effugerunt; vel Sacramentaliter, quatenus ceu Sacramentum extraordinarium, bonitatem Dei & consilium gratiæ de humano genere, denique constantiam fœderis Divini testabatur, ejúsque pignus & sigillum erat. Hæ verò, non quatenus gratiam & salutem ac vitam efficiunt, sed quatenus sunt *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, bonæ conscientiæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi*; hoc est, quatenus Baptismus à Deo traditus est signum & sigillum, quo possimus uti ἐν παῤῥησίᾳ, & ad Deum accedentes ἀφόβως petere ab ipso, quæ sunt salutaria, & gloriari in Deo per Christum. Unde Oecumenius ἐπερώτημα interpretatur *ἀῤῥαβῶνα, ἐνέχυρον, ἀπόδειξιν, arrhabonem, pignus, demonstrationem*, & tale *ἐπερώτημα, interrogationem* talem esse Baptismum, monet. En igitur, Redingi, exactam Sacramentorum V. & N. Test. ratione rei significatæ, convenientiam à S. Petro assertam. Arca & aquæ diluvii salvarunt. Salvat etiam Baptismus. Arca & aquæ non ipsa causa salutis, sed Sacramentum, pignus, demonstratio fuerunt constantiæ fœderis, per quod salvati sunt Patres. Baptismi aquæ pariter salvant, non ut causa salutis, sed ut Sacramentum, interrogatio bonæ conscientiæ, arrhabon & pignus, quo freti Deum interrogamus, alloquimur, & ab eo omnia, quæ pacis, justitiæ, vitæ, μακαριότητος sunt, flagitamus.

OBIECT. II. *Sacramenta V. Test. dicuntur nihil esse, 1. Cor. VII. 19. Nibil valere, Gal. VI. 15. Esse infirma & egena mundi elementa, Gal. IV. Non igitur exhibuerunt gratiam.* Resp. Ita appellantur, partim quia abrogata erant: partim, quatenus pseudapostoli contra Divinam institutionem & legitimum eorum usum errore exitiali iis per se gratiam, quæ morti Christi & Spiritui S. transcribenda erat, alligabant.

Excip. Reding: *Atqui S. Paulus Gal. IV. 9. Galatas increpat, quòd iterum ad egena mundi elementa converterentur. Sic igitur de veteribus Sacramentis loquitur, non qualia tantùm erant post abrogationem sub Evangelii statu; sed etiam qualia erant sub statu legis Mosaicæ.* Ib. pag. 39. Resp. Annon potuerunt Galatæ *πάλιν ἐπιστρέφειν iterum converti* ad *elementa*, quæ antehac quidem in statu etiam vigoris sui elementa fuerunt, sed demum Galatarum tempore, post eorum abrogationem, facta sunt ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ *infirma & egena*, quia præstito & exhibito eo, quem præsignificabant, nihil ulterius significare poterant? Imò quæ etiam ante Christum, in statu vigoris sui, tum per se, sine applicatione ad legitimum usum per fidem, *infirma & egena* fuerunt, hoc est, non fuerunt per se pars cultus & obedientiæ, vel causa vitæ: pro qualibus qui ea habebant, perinde faciebant, ac si alienis Diis inservirent: tum in legitimo etiam usu, & cum fide conjuncta egena & infirma fuerunt, quia gratiam licet & significarunt & obsignarunt, tamen πλήρωσιν seu *consummationem* gratiæ, per exhibitionem causæ ejus, nec significare, nec obsignare præsentem potuerunt; quod Sacramenta N. Test. demum faciunt.

OBIECT. III.

Digitized by Google

OBIECT. III. *Sacramenta N. Test. expiârunt peccata, Actor. II. 36. XXII. 16. At id Sacramenta V. Test. non præstiterunt, teste Paulo Hebr. IX. 10:* Resp. Sacramenta N. Test. expiant peccata non realiter, cùm solus Christi sanguis id præstet: sed ratione Sacramenti, convenienter obsignando & applicando. Atqui id ipsum ea ratione præstiterunt etiam Sacramenta V. Test. Levit. I. 14. IV. 26. XVII. 11.

EXCIP. REDING: 1. *Si Sacramenta V. Test. non tantùm præfigurarunt gratiam, sed etiam vi Divinæ institutionis applicarunt, remissionem peccatorum obsignando, tum gratiam vi Divinæ dictionis, & quidem ex operato sanguinis Christi opere, effecerunt. Id verò repugnat Apostolo* Hebr. *IX. 8. 9. 10. &c. ubi negat, stante priore tabernaculo manifestatam fuisse viam Sanctorum. 2. Cùm testamentum vetus à novo differat tum formaliter, quoad substantiam, quatenus illud promissiones habuit de Christo ex semine Abrahæ propagando, & gentibus benedicendis, nec non terrestribus bonis; hoc de remittendis peccatis per oblationem Christi in cruce factam: tum virtualiter, quoad efficaciam gratiæ causatricem: tum extensivè, quoad majorem vel minorem temporis durationem; clarum est, easdem differentias etiam in Sacramenta V. & N. Test. cadere.* Ib. pag. 39. 40. 41. Resp. 1. Quasi verò applicatio per obsignationem rei efficientiam inferret. Atqui obsignatio re effecta posterior est, neque adeò eam efficit, sed confirmat. Neque ejusmodi applicatio virtutis meritorum Christi, quæ causæ & justitiæ, remissionis peccatorum & vitæ, repugnat Apostolo Hebr. IX. 8. neganti, stante priore tabernaculo patefactam fuisse viam Sanctorum; quia patefactio illa viæ Sanctorum non est applicatio virtutis meritorum Christi, vel remissionis peccatorum, vel ipsius Cœli; sed liber & rectus accessus ad Deum cum tranquillitate conscientiæ, utpote jam per oblationem sacrificii illius, quod solum Deo placere poterat, consummatæ; seu, uti ipse Apostolus cap. IV. 16. explicat, *accessus ad thronum gratiæ μετὰ παῤῥησίας cum fiducia, &* ὡς ἐν φανερῷ *in aperto.* Qualis accessus licet, stante priore tabernaculo, non patuerit fidelibus, non tamen illis vel accessus omnis ad thronum gratiæ, vel pretiosa virtus meriti Christi ad illorum justitiam, remissionem peccatorum & gloriam defuit, vel per Sacramenta obsignari non potuit. Non enim qui liberè, rectâ, manifestè Deum, & thronum gratiæ ejus adire non potest, is nullo modo adire potest. Nec cujus conscientia consummata & plenè tranquillata non est; ejus conscientia nullo modo tranquillata & sic purificata est, ut justitiæ & gloriæ particeps esse nequeat. 2. Veteris & Novi Testamenti differentiam satis imperitè & ἀθεολόγως explicas. Non distinguis enim testamentum, ex quo fœdus gratiæ fluit, æternum & immutabile, à testamento typico; neque etiam illius diversam ante & post Christum œconomiam, non essentia, sed rebus ascititiis disparatam. Sicut enim fœdus gratiæ quoad substantiam unum idemque & immutabile est: ita etiam Testamentum, seu æterna & immutabilis Dei voluntas de hæredibus bonorum suorum instituendis unicum est, βουλὴ ἀμετάθετος *consilium immutabile,* quod Deus κληρονόμοις τῆς ἐπαγγελίας *hæredibus promissionis abundantiùs demonstrare* constituit, (Hebr. VI. 17.) unicum est & æternum. Unde διαθήκη αἰώνιος *Testamentum æternum* Hebr. XIII. 20. nuncupatur. Eadem enim bona, reconciliatio cum Deo in hac vita, in altera verò κληρονομία ἀμάραντος *hæreditas immarcessibilis* legata sunt iis, quos Deus ab æterno immutabili voluntate hæredes in libro vitæ scripsit. Quotquot in V. & N. Test. salvati sunt, *per gratiam Domini Jesu Christi,* Act.

XV.

Digitized by Google

XV.11. & *ἐν αἵματι διαθήκης αἰωνίου per sanguinem Testamenti æterni* (Hebr.XIII.20.) salvati sunt. Unici & æterni hujus gratiæ Testamenti diversa ante & post Christum œconomia, diversus applicandi & dispensandi modus fuit: gratia verò justificationis, sanctificationis & glorificationis applicata & dispensata quoad substantiam utrobique eadem fuit. quod alibi *Phar. Bibl. cap.6.* à nobis probatum fusiùs heic non repetimus. Quod igitur utrobique gratia Dei contulit, id Sacramenta, gratiæ, promissionis, justitiæ collatæ utrobique sigilla, signis licet & modo significandi variantibus, obsignarunt. Atqui utrobique gratia Dei eandem quoad substantiam virtutem meritorum Christi, justificationem, sanctificationem & glorificationem contulerunt. Ergo eandem Sacramenta utrobique, signis licet & modo significandi variantibus, obsignarunt. Hoc ad præsens quidem institutum sufficit.

OBIECT. IV. *Sacramenta V. Test. non habuerunt annexam absolutam promissionem gratiæ, Hebr. VIII. 6.* Resp. 1. Imò promissio gratiæ annexa Sacramentis V.Test. æquè absoluta erat, ac ea, quæ Sacramentis N. Test. annexa est. Fuerunt enim signa fœderis æterni, Genes. XVII.7.10. Quòd verò N.T. sancitum dicitur præstantioribus promissis, non ad præcipua & essentialia promissa, quæ utrobique fuerunt eadem, sed ad accidentalia, prærogativas nimirum & bona N.T. pertinet.

Excip. Redino: *Concedis sic, N. Test. Sacramentis annexam esse promissionem gratiæ. At promissionis Divinæ vis propria est Divinæ dictionis, per quam quicquid Deus dixit, in ejus efficacia jam factum dicitur. Nolens volens ergo fateris, Sacramentis novæ legis vi Divinæ promissionis efficaciam gratiæ causatricem inesse. At similem efficaciam Sacramentis veteris legis insitam non fuisse, arguit Apostolus Hebr.VIII.6. asserens, Novum Testamentum melioribus promissis sancitum esse. quæ promissa v.10. recensentur, quòd Deus legem velit mentibus eorum inscribere, iis esse in Deum, peccatis eorum esse propitius. quod per gratiam justificantem & sanctificantem perficitur; quæ bona propria N.T. sunt.* Ib. p. 41. 42. Resp. Promissionem gratiæ annexam fuisse Sacramentis utriusque Testamenti, denuo assero; sed annexam iis fuisse ut causæ ejus efficienti, pernego. Nam effectus à causa pendens non annectitur, sed causam consequitur. Promissio Divina dictionis Divinæ vim habet, fateor. Sed dictio ea non est à signis, ut causa, sed à Deo promittente & per Sacramenta, ceu signa sua applicante. Quid igitur circumcisis, pascha manducantibus Deus dictione sua promisit? Fœdus utique suum, justitiam fidei, regenerationem, manducationem Christi, veri paschatis, hoc est, participationem meritorum ejus. Quæ singula Sacramenta utriusque Testamenti non effecerunt (neque enim hæc Sacramentis efficientibus Deus uspiam promisit, sed gratis se collaturum recepit) sed aliunde jam effecta & collata obsignarunt & confirmarunt. *Præstantiora* porro *promissa*, quibus *Novum Testamentum sancitum* esse. Apostolus Hebr.VIII.6. asserit, sunt utique bona illa N. Test. quæ ib. v.10.11.12. exprimuntur, *inscriptio legis Divinæ, gratia, qua fidelibus Deus in Deum est, non recordatio iniquitatum, &c.* Sed quoad rem beneficia illa in utroque Testamento locum habuerunt. quod de remissione peccatorum, seu justificatione Bellarminus *de Sacram. lib.I.cap.16.* concedit, & tu ipse non dissimulas. Prærogativa igitur beneficiorum illorum sub N. T. non in re, sed in rei ejusdem dispensatione & applicatione præstantiore consistit. Promissa utrobique, eadem, eadem utrobiq; bona fuerunt, sed hic *ᾳχὶ ... meliora*.

 liora.

litera, ob collationis & dispensationis modum meliorem. Nam in N. Test. est spiritus amplior, isque non servitutis, sed filiationis, ablatio jugi, in quo erat vindicta quædam peccati. quæ beneficia illa quoad sensum, consolationis gradum, suavitatem & efficaciam, quin & promissa ipsa *κρείττονα meliora* & præstantiora reddiderunt. Alias enim annon Abrahamo etiam & semini ejus Deus fuit in Deum? Annon idem, & credentes omnes, condonatis iniquitatibus justificati sunt? Annon etiam Deus solus docuit populum suum? Annon legem fidei spiritus Dei cordibus fidelium, fidem & pœnitentiam illis donando, inscripsit?

OBIECT. V. *Post Philonem & Josephum idem sentiunt Patres, nominatim Augustinus in Psalm. 73. ubi docet, Sacramenta V. Test. promisisse Salvatorem, sed Sacramenta N. Test. dare salutem.* Resp. Josephi & inprimis Philonis frivolæ de fine institutæ circumcisionis opiniones corrigendæ sunt ex Mose & Paulo. 2. Patres sicubi ita loquuntur, vel per *Sacramenta* non propriissimè, sed latè ita dicta: vel per *gratiam* non tam remissionem peccatorum, & salutarem fructum ac efficaciam mortis Christi, quàm opus redemptionis, & promissionum Divinarum complementum intelligunt.

EXCIP. REDINO: *Si gratia, quam ex sensentia Patrum novæ legis Sacramenta conferunt, est opus redemptionis, & Divinæ promissionis complementum, quomodo non per ea gratia justificans & sanctificans confertur, & per Sacramenta V. Test. complemento eo destituta, eadem gratia non conferebatur?* Ib. pag. 42. Resp. Quid per gratiam, quam V. T. Sacramenta, juxta Patres, præsignificaverint, illi intellexerint, explico: non quid Sacramenta N. Test. contulerint, ceu causæ scilicet, doceo. Tu ergo sic mihi imponis. Et tamen neutrum à te illatum sequitur. Non prius, quia non, si Sacramenta N. Test. gratiam operis redemptionis & complementi promissionum Divinarum conferunt, statim conferunt, ut ejus causæ efficientes, nedum physicæ, uti vestri loqui amant. Possunt enim conferre & applicare alio modo, puta significando & obsignando. Non posterius, quia Sacramenta V. Test. destituta licet complemento promissionum, & opere redemptionis actu præstito, poterant tamen effectus ejusdem complementi & redemptionis actualis conferre æquè ac Sacramenta N. Test. Alia nempe est ratio causarum physicarum, alia moralium. Illarum effectus ante causam actu existentem applicari & conferri nequeunt: harum possunt, sive earum causa futura est, sive præterita. Ita domus empta habitari & possideri potest ante solutionem pecuniæ, quæ possessionis causa est. Atque id in contractibus vulgare esse nôrunt omnes, & apud Deum maximè fieri potest, quia ei omnia præsentia sunt. Christi verò passio, redemptionis actualis & complementi promissionum omnium causa non physica, sed moralis est, quippe meritoria. quæ sicut non ampliùs existens actu nobis, qui posteriores sumus, applicari; sic nondum actu existens, sed futura demum, applicari Patribus V. Test. ob sponsionem ejus, quæ bonæ fidei erat, potuit. Hinc *Agnum occisum ab origine mundi* audimus Apoc. XIII. 8. Et Christum *præstituit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus, ad demonstrationem justitiæ ejus, διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων propter remissionem,* vel *transmissionem præteritorum peccatorum,* Rom. III. 25. Sic revelationes Patribus factæ non poterant aliter Christum significare, quàm futurum. Et tamen adeò efficaces fuerunt, ut Abrahamus jam tum dicatur vidisse diem Domini & gavisus, Joh. VIII.

Joh. VIII. 56. Et sic eidem Abrahamo reapse collata est justificatio per circumcisionem, quamvis justificationis fundus Dominus Jesus longè post futurus esset.

QUÆSTIO III.

An Sacramenta Novi Testamenti ita physicè operentur gratiam, ut eam ex opere operato, sive adsit fides & devotio, sive non, efficiant & contineant: an potius sint signa & sigilla efficaciæ gratiæ?

ITa formamus controversiæ statum. Synodus enim in hac controversia pro more cothurnis lusit. Canone VI. anathema dicit iis, qui dixerint, *Sacramenta non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre.* Sed quo modo Sacramenta *contineant* vel *conferant* gratiam, cùm de eo Schola Pontificia jam pridem abiverit in partes, non definivit. Franciscani nempe in ipso Concilio asserebant, Sacramenta continere gratiam *tanquam in signo efficaci, non vi ac virtute sua, sed Dei ministerio huic operam indubitatam pollicentis.* Sic igitur Sacramenta *efficere* gratiam non vi sua, sed Divinæ promissionis de gratia in tempore donanda. Quam sententiam confirmârunt authoritate tum Scoti & Bonaventuræ, tum Bernhardi, agnoscentis, gratiam per Sacramenta ad eum modum percipi, quo *Canonicus per librum, & Episcopus per annulum* in possessionem mittuntur. Juxta hanc sententiam Sacramenta esse causam gratiæ non *physicam*, sed *moralem* docent Scotus, Bonaventura, Durandus, Marsilius, & ex recentioribus Ledesmius & Canus. Dominicani contra statuebant, Sacramenta *continere gratiam*, non quòd sit in ipsis, sicut medicina in vase, sed ut effectum in sua causa instrumentali & effectiva, quæ in anima operatur dispositionem ad eam recipiendam. Alii tamen etiam docent, Sacramenta continere gratiam per inhærentem creatam qualitatem, sicut medicina continetur in vase. Juxta hanc igitur posteriorem Dominicanorum & Thomistarum sententiam Sacramenta sunt causa *physica* gratiæ, quæ communis hodie opinio. Alii etiam, uti Becanus, Sacramenta ex pacto, tanquam conditiones requisitas, aut causas morales adducere gratiæ effectum docent. De quo dissensu videsis doctissimum Forbesium *Instruct. lib. IX. 2.* Intererat

 sanè

Digitized by Google

ſanè modum hunc,quo Sacramenta continent & efficiunt gratiam,haud indeciſum relinqui. Cæterùm ne damnanda eſſet aliqua Scholaſticorum ſecta,ſuaſerunt Præſules nonnulli,cùm utrique de concluſione idem ſentiant, nimirum *Sacramenta continere gratiam & ejus eſſe cauſas*,ut id demum definiatur,quod factum eſt. Eodem pertinet Canon VIII. quo anathema dicitur iis, *qui per nova legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem Divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere ſtatuunt.* Sed verba canonis illius cùm ſint ambigua,Gropperus ſic interpretatus eſt, quaſi non aliud innuerit, quàm *Sacramenti veritatem non eſſe æſtimandam ex miniſtri dignitate, ſed ex operatione DEI.* Scilicet puduit illum aliόſque veri ſenſus barbararum vocum,quem Synodus intendit. Revera enim Synodus excluſit ab operatione Sacramenti non Miniſtri tantùm dignitatem,ſed etiam accipientis fidem & devotionem. Nam ita intellexerunt Scholaſtici ante Synodum, nominatim Albertus *in cap. 6. Johan.* Petrus de Palude in 4. *ſent. diſt.* 1. *q.* 1. Ita intellexit ipſa Synodus. Patres enim in ea præſentes inter eas actiones,quibus pietas excitatur,quáſque gratiam parere *ex opere operantis*,hoc eſt,non ex ipſius operis,ſed ex operantis viribus & devotione docebant: & eas, quæ gratiam procurant *ex opere operato,* hoc eſt, uti ipſi explicârunt,teſte Hiſtorico,non ex operantis vel opus recipientis devotione,ſed operis ipſius virtute, diſtinxerunt, & poſterioris generis eſſe Sacramenta Chriſtiana declarârunt. Quòd ſi eo Canone non aliud quàm Miniſtri dignitatem excluſit Synodus, cur idem repetiit Canone XII. peculiari? Nos Sacramenta operari gratiam vel phyſicè vel moraliter, quaſi videlicet ad illorum poſitionem Deus velit gratiam operari,vel ex opere operato,negamus,aſſerimúſque,eorum efficaciam totam in eo conſiſtere,quòd ſunt ſigna & ſigilla fœderis per gratiam Spiritus S. partim invitantia ad fidem in Chriſtum,& eam moraliter operantia ad communionem cum ipſo,quatenus unâ cum verbo ſunt apud Eccleſiam,& docent,in quo nomine oporteat nos ſalvari; partim credentibus gratiam ſignificantia,commemorantia, & propter veritatem Dei iis bona ſpiritualia promiſſa ſiſtentia,ut iis utentes firmiſſimam ſpem & conſolationem obtineant. Ut ita tota eorum efficacia non ſit vel phyſica vel effectiva,ſed objectiva & moralis. Rationes nobis ſunt

ARG. I. Sacramenta diſertè vocantur *ſigna* & *ſigilla* fœderis ac gratiæ, Geneſ. XVII.10. Rom.IV.11. At ſignorum & ſigillorum ea indoles eſt, ut nihil in ſe contineant vel inhærente virtute conferant, ſed gratiam jam fortè allatam,vel etiam poſt conferendam ſignificent & obſignent iis,ad quos

quos pertinet. Ita iris, vellus Gedeonis, horologium Ezechiæ nihil in se continebant vel operabantur physicè, sed significabant & obsignabant.

Resp. Reding: 1. *Textus à te citati de veteribus, non de novis Sacramentis loquuntur. Non par autem utrorumque conditio est. 2. Falsum est, eam esse signi naturam, ut rem signatam nec virtualiter nec causaliter in se contineat, seu virtute inhærente conferat. Nam etiam causa est signum naturale effectus in ea virtualiter contenti. Et verbum æternum, quo omnia in tempore facta sunt, & signum creaturarum expressivum, & causa earundem fuit. Ita quoque iris, vellus Gedeonis, horologium Ezechiæ erant signa ex institutione Divina, quæ dictionem Dei signum instituentis importat. At dictio isthæc Dei simul est causa rei, quam dicit. Habuerunt igitur etiam hæc signa efficaciam rei signatæ effectivam; non inhærentem, sed ex vi promissionis Divinæ assistentem. Pari ratione Sacramenta N. Test. vi Divinæ institutionis seu pacti, per voluntatis ac dictionis Divinæ efficaciam fœcundata, ex opere operato, hoc est, meritis Christi, seu pretio sanguinis ejus, ex Divina institutione Sacramentis annexa, si obex non ponatur, suscipientibus gratiam conferunt. 3. Conferre porro Sacramenta N. Test. gratiam, liquet, tum quia institutio eorum habet rationem dictionis, quæ gratiam salutarem ex meritis Christi promittit; & semper essentialiter vera, ac effectus promissi causativa est: tum quia singula Sacramenta sic gratiam conferunt: tum denique quia S. Patres, Clemens R. Justinus Martyr, Dionysius Areopagita, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Ambrosius, Optatus, Augustinus ita docent.* Tom II Tract. V. Sf. 2. pag. 43-46. Resp. Multa hic velut per saturam cumulas, ut aliquid egisse videare. Sed nihil profectò agis. Etenim 1. Novi æquè ac V. Test. Sacramenta signa & sigilla fuisse, rusticè nimis negas. Sanè Catechismus vester Romanus sic Parochos vestros instruit: *Ex Scripturis etiam apertè colligitur, Sacramenta inter signa numeranda esse. Apostolus enim de circumcisione, veteris legis Sacramento, quæ Abrahamo patri omnium credentium data erat, ita ad Romanos scribit: Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ.* Audin argumentum à specie ad genus! Gregorius de Valentia *Tomi IV. disp. 3. q. 3. p. 1.* disertè: *Fatemur,* inquit, *Sacramenta novæ legis esse signa seu sigilla quodammodo prommissionis Divinæ.* Clariùs iterum idem Catechismus Romanus: *Quemadmodum in V. Test. Deus fecerat, ut magni alicujus promissi constantiam signis testificaretur: ita etiam (NB) in nova lege Christus Salvator noster cùm nobis peccatorum veniam, cœlestem gratiam, Spiritus S. communionem pollicitus est, quædam signa oculis & sensibus subjecta instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum dubitare nunquam possemus.* 2. Signi porro & sigilli eam naturam esse, ut rem signatam nec contineat in se, nec inhærente virtute conferat, signorum omnium introductio probat. Sunt enim signa vel miraculosa, vel non. Neutra efficiunt, quod significant. Non *miraculosa,* veluti vellus Gedeonis, umbra horologii Achazi. Neque enim vel illud liberationem effecit, sed tantùm in Gedeonis intellectum egit, ut sciret liberationem ita futuram: vel hæc vim ullam ad sanitatem Ezechiæ contulit. Et si non miraculosa, multò minùs reliqua. Quis enim iridem non futuri diluvii efficientem causam dixerit? Proin etiam circumcisionem eo ipso quòd signum & sigillum justitiæ fuit, non fuisse causam justitiæ ejusdem, Thomas Aquinas monet. Denique de sigillis seu signaculis res clarissima est. Vocis enim hujus usus ab humanis commerciis, in quibus plurimus est usus sigillorum, translatus est. Solent nempe adhi-

beri pactis, seu promissionibus, velut Regiis diplomatis, ídque certitudinis gratia, ut quæ verbis nudis concepta sunt, hoc signo in oculos incurrente firmentur. Sic planè Sacramenta verbo Dei salutem gratuitam promittenti addita sunt. ubi promissio sive verbum est instar diplomatis, Sacramentum instar sigilli. Quis verò unquam ita insanivit, ut sigillo res in diplomate comprehensas effici dixerit? Neque tuæ *ἐνστάσεις* titivillitio dignæ sunt. Neque enim unquam causa naturalis, qua signum effectus sui, effectum suum efficit. Ita homo generans hominem, in se habet similitudinem hominis. unde genitus gignentis imago dicitur. Non tamen similitudo illa gignit filium; aliâs nunquam non tu gigneres filios; sed gignens secundum imaginem seu similitudinem suam gignit. Sic quoque verbum æternum, quo omnia facta sunt, causa rerum fuit, non qua signum rerum expressivum. Aliâs rerum productio, sicut idea mentis Dei, æterna fuisset; & cujuscunque rei idea in mente Dei est, eo ipso actu existeret & à Deo produceretur, ipsúmque adeò peccatum, quod Deus ab æterno cognovit, & sine signo non cognovit. Non igitur signa in mente Dei, sed intellectus, voluntas & potentia Dei junctæ rerum causa sunt. Institutio quoque Divina signorum dicit utique dictionem Divinam, sed non, ut res per signa illa efficiantur (aliâs tibi fatendum foret, etiam Sacramenta V.T. utpote secundùm Divinam dictionem instituta, gratiam effecisse) sed ut effectæ significentur & obsignentur. Quomodo vellus Gedeonis, umbra horologii, iris, signa Divinitus instituta, non effecerunt rem significatam, sed effectam vel efficiendam significarunt. Miserabilis causa vestra sit oportet, quam statuminare nisi sophismatis talibus, quorum falsitas non potest non conscientiæ tuæ obstrepere, non conaris. Et quomodo signa vim effectivam habere per virtutem assistentem possunt? Etenim unaquæque causa virtute inhærente, non aliena & assistente effectum suum producit. Nam qui effectus ab aliena & assistente virtute producitur, is alienæ etiam & assistentis causæ effectus est. Tam inepta ubique effutire cogeris. Nos quoque cum signis veram possessionem & fruitionem ejus rei, quæ ibi offertur, & quidem ex opere operato meriti Christi, vera fide apprehensi, conjungimus. At conferre ea gratiam ex pacto, sive inhærente, sive assistente virtute, ita ut Sacramenta sint conditio vel causa rei, quæ antea non extiterat, producendæ, id verò negamus, & asserentes Evangelium ac fœdus Dei corrumpere, ac Sacramentis nefariò abuti, pronuntiamus. 3. Neque verò erat, cur hic argumentorum tuorum aciem instrueres. Respondisse ad argumentum meum, sufficere poterat. Cæterùm malè respondes, malè probas. Nam rationem ficulneam ab institutione, Divinam dictionem importante, jam discussimus. Inductio verò Sacramentorum singulorum nihil hic ad rem facit, quia Baptismi & Cœnæ efficacia in objectionibus ponderatur. supernumeraria verò ne quidem Sacramenta esse, procedente disputatione probamus. Denique Patrum suffragia nihil te juvant, quia probant illa quidem Sacramentorum efficaciam, éamque magnam atque mirabilem. quam nulli nos vel negamus, vel impugnamus. Sed definitior debuit esse tua disputatio, ut inducerentur loci, quibus hæc efficacia demonstraretur esse physica potiùs quàm moralis; insita potiùs quàm adsita; denique signorum, non ab assistente virtute vel ante signa non efficiente, vel nonnisi per signa efficiente. Hoc enim, non aliud *τὸ κρινόμενον* est. Aliâs eadem *διαγωνίως* Concilium Nicænum non tantùm *ἐν τοῖς ὕδασι κεκρυμμένην τοῦ Θεοῦ δύναμιν in aquis absconditam virtutem Dei* observat. sed etiam eam probat ex verbis Johannis: *Ille baptizabit vos Spiritu S. & igne.* Et Gregorius Nyssenus Oratione in Baptismum Christi: *Ταύτην δὲ τὴν ἐνέργειαν*

ἐργάζεσθαι ὃ τὸ ὕδωρ χαρίζεται. Ἦν γὰρ ἀπάσης τῆς κτίσεως ὑψηλότερον. Ἀλλὰ Θεοῦ πρόσταγμα, καὶ ἡ τοῦ πνεύματος ἐπιφοίτησις, μυστικῶς ἐρχομένη πρὸς τὴν ἡμετέραν ἐλευθερίαν. ὕδωρ δὲ ὑπηρετεῖ πρὸς ἔνδειξιν τῆς καθάρσεως. Hoc autem beneficium non aqua largitur, esset enim omni creatura sublimior; sed Dei praeceptum, & Spiritus, qui mysticè ad nostram libertatem venit, adventus. Aqua verò subservit ad indicationem purgationis. Unde satis liquet, illam, quæcunque est, efficaciam Sacramentis attributam, non esse illam inhærentem elementis, instar physicorum instrumentorum, quam impugnatum imus. Singula porro Patrum loca, quæ ex Bellarmino compilasti, doctissimus Chamierus *Panstrat. de Sacram. lib. II. 6.* cùm jam solidè discusserit, labore supervacaneo libens supersedeo.

ARG. II. Causa gratiæ justificantis & sanctificantis est Spiritus sanctus & fides. Unde contingere potest, ut ab iis causis gratia jam producta sit ante usum Sacramentorum, uti liquet exemplo Abrahami, Eunuchi, Centurionis & Auditorum Petri adultorum & infantum baptizandorum. Atqui quod supervenit rei alicui jam productæ, eam physicè non operatur.

Resp. Reding: *1. Perinde argumentaris, ac si quis inde, quòd Deus sit causa rerum omnium, contenderet, nullam creaturis virtutem effectricem inesse. Est sanè Spiritus S. principalis gratiæ causa; sed Sacramenta ejusdem gratiæ causa subordinata & instrumentalis sive physica, sive moralis sunt. Quomodo etiam tu fidem una cum Spiritu S. gratiæ justificantis causam facis. 2. Fides in infantibus locum non habet. Sacramentum igitur supplet. In adultis præter fidem etiam Sacramenta requiruntur. 3. Neque obstat, quòd subinde gratia præexistit Sacramentorum usui, quia tum gratiæ augmentum operatur.* Ib. pag. 46. Resp. 1. Causæ principalis & minùs principalium subordinationem in gratiæ & salutis negotio nos non ignoramus. At post Spiritus S. à parte Dei, & fidei à parte hominis, efficientiam Sacramenta gratiæ causam esse per inhærentem signis quandam sive principalem sive instrumentalem efficaciam, id verò negamus, eo argumento freti, quòd gratia sæpe Sacramentis præexistat. In causis verò physicis, seu quasi physicis, quæ per inhærentem qualitatem operantur, nunquam effectus causam præcedit. Nam non existentium nullæ sunt qualitates, nulla proin efficacia, operationes nullæ. Alia ratio est causarum moralium, quarum nondum existentium effecta quædam esse, nihil obstat, quia talia effecta existentiam suam physicam obtinent ab alia causa physicè agente. Quomodo in humanis contractibus dos est morale effectum matrimonii: quæ tamen ante ipsum existens matrimonium, in gratiam scilicet futuri matrimonii, constitui, imò numerari etiam potest. At hic sermo est de Sacramentis per inhærentem efficaciam, adeóque physicè, uti plerique vestri pertendunt, agentibus. Hoc enim in controversiæ statu manifestè expressimus. Si igitur sic Sacramenta physicè, & per inhærentem vim gratiam instrumentaliter, uti tu contendis, efficiunt, vel in nobis sine nobis, vel in nobis per nos eam efficiunt. Non *prius*, tum quia gratia prior esse potest Sacramentis, & revera adoptio, amor Dei, conciliatio per mortem Christi Sacramentis priores sunt: tum quia non agunt vel in Deo, vel in homine. Non in Deo, quia absurdum nimis in Deo agere Sacramenta physicè. Non in homine, quia nec gratiam, quæ est amor Dei in nos, seu voluntas Dei, cujus præter ipsum causa nulla est; nec qualitatem gratiæ præviam operantur, quia sic in gratia Dei

Digitized by Google

Dei non esset prima causa salutis; & dispositionis ejusmodi ad gratiam Christi institutio nuspiam meminit. Non *posterius*, quia in nobis per nos nec justificationis sensum, nec sanctificationem sive principaliter sive instrumentaliter operantur. Non illum, quia soli fidei justificatio tribuitur. Non hanc, tum quia sanctificationis causa est Spiritus Dei: tum quia corda fide purificantur: tum quia nullum instrumentum physicè agens, uti vos Sacramenta facitis, adhibetur ad effectum priùs productum, quomodo sanctificatio Sacramenta, te ipso fatente, præcedere potest, & præcedit subinde, uti Cornelii centurionis exemplum fidem facit: tum denique, quia omne instrumentum physicè agens, & quidem immediatè, semper agit in præsenti, cùm Sacramenta, Baptismus inprimis infantum, sanctificationem serò post se trahant. 2. Non Sacramentum in infantibus fidem supplet, sed potiùs gratia fœderis. Et in adultis Sacramenta sic requiruntur, ut sine iis, in privationis, non contemptus casu, fides sufficere possit. Hæc igitur solam gratiam Christi apprehendit: apprehensam Sacramenta significant & obsignant. 3. Sicut denique sanctificationem Sacramenta non operantur physicè, uti demonstravimus: ita nec, ob easdem rationes, sanctificationis augmentum. Præterea, ut physicè non operari constet, satis est, quòd gratia & justificationis & sanctificationis præcedere potest. uti exempla à me allata, ad quæ respondendi inopem te ostendis, fidem abundè faciunt.

ARG. III. Quæ baptismi, eadem eucharistiæ ratio est. At baptismus salvat non physica efficientia operis operati, hoc est, ut Apostolus loquitur, 1. Pet. III. 21. *non depositio sordium carnis*, sed συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, *interrogatio bonæ conscientiæ apud Deum*, argumentum nimirum & fundamentum conveniendi, interrogandi, & fiducialiter compellandi Deum ut Patrem nostrum. Et sanè nuda elementa supernaturalis gratiæ debitum subjectum, seu vehiculum ad animi sordes eluendas, sine Spiritus S. & fidei operatione esse minimè possunt: perinde ac verbum Dei nisi fide temperatum, & ipsa caro Christi nisi fide manducata, nihil operantur.

RESP. REDING: 1. *Illa bonæ conscientiæ interrogatio, quam Baptismo S. Petrus tribuit, non est formaliter Sacramentum Baptismatis, sed ejus duntaxat effectus. Unde sequitur, Baptisma ex vi Divinæ institutionis habere virtutem conferendi gratiam justificantem, qua peccata remittuntur, & bonæ conscientiæ interrogatio acquiritur. 2. Effectus hosce supernaturales non tribuimus nudis elementis; sed ea vis iis ex vi Divinæ institutionis supervenit.* Ib. pag. 46. Resp. 1. Sit ne interrogatio bonæ conscientiæ forma, an effectus Baptismi, non quæritur; sed, an Baptismus salvet physica efficientia operis operati. Hoc verò negat S. Petrus, ajens salvare, sed non, ut est depositio sordium carnis. Si verò signa Sacramentorum efficerent id, quod significant, vi aliqua inhærente, tum in baptismo ablutio sordium carnis baptizatum salvaret, quia in eo externum signum non aliud est quàm ablutio corporis. Sacramenta enim non elementa tantùm, sed etiam ritus, seu elementa certo modo usurpata, sunt, qui modus in Baptismo non est nisi ablutio corporis. Ergo vel ablutioni externæ efficientia hæc physica insit oportet, vel visibili signo planè non inest. Quo verò sensu Baptismus sit ἐπερώτημα *interrogatio bonæ* conscientiæ, supra explicavimus. Nec refert, ejus forma, an effectus sit; quia non de quavis efficientia,

tia, ſed de ea quæ fit per inhærentem cauſæ vim, quæſtio eſt. Quomodo verò eam interrogationem efficit Baptiſmus per inhærentem ſigno vim, cùm ſigno efficientiam S. Petrus negaverit? Quanquam Baptiſmi effectus ſtatuitur *σώζειν ſalvare*, & quidem qua is eſt interrogatio ejuſmodi. ita ut interrogatio non effectus Baptiſmi, ſed cauſa potiùs ſalutis manifeſtè conſtituatur. Eſt enim pignus & arrhabo, ſive ſigillum, dans libertatem interrogandi ſive ſtipulandi gratiam. Salus verò ceu effectus propriè non baptiſmo, ſed reſurrectioni Chriſti tribuitur. 2. Effectus hoſce tribuitis tamen elementis, ceu cauſis minùs principalibus & inſtrumentalibus, inhærente vi efficiendi gratiam pollentibus. Ergo virtus & illa inſtitutio Dei debet virtutem aliquam in elemento, ſeu re illa corporea conſtituere, quæ proportionem habeat ad animam, in quam gratia introduci debet. Nam agens influens in patiens, virtutem homogeneam aliquo modo in ſe habere debet. Fieri autem nequit, ut Sacramenta, quæ ſunt res craſſæ & materiales, ad animam penetrent, & ibi quaſi creando ingenerent Divinam ac ſupernaturalem virtutem ſdque in momento. Rectè Canus *de Sacram. p. 4. Sacramentum*, inquit, *non attingit vi ſua inſtrumentali & ſupernaturali qualitatem, quæ eſt gratia, quia tum vel produceretur nova qualitas in Sacramento ad attingendum hunc effectum, vel non. Primum eſt ridiculum. Secundum eſt abſurdum, ſine nova virtute addita Sacramenta id efficere, quod ante non poterant.* Relinquitur ergo, quicquid Sacramenta efficiunt, illud omne non per inhærentem qualitatem, ſed Spiritus S. & fidei, illius ut producentis, hujus ut recipientis gratiam, ope efficere.

ARG. IV. Sacramenta phyſicè operantur vel gratiam ipſam, vel qualitatem ei præviam. Non prius, quia gratia adoptionis & reconciliationis noſtræ eſt à Deo, & in Deo. Non poſterius, quia aliâs gratia non eſſet prima cauſa ſalutis, nec aptaret hominem, ſed eum aptatum aliunde admitteret.

Resp. Reding: 1. *Deflectis à centro quæſtionis à Synodo Tridentina definitæ, quæ in eo ſe tenet, quòd Sacramenta contineant & conferant gratiam ex opere operato; abſtrahendo, an ea vis gratiæ cauſativa ſit purè moralis, an etiam phyſica. quod poſterius, ceu Scholaſticam ſubtilitatem, Synodus intactum reliquit, ut Theologorum ingeniis liberum eſſet, aciem ſuam ad utramvis partem intendere. 2. Cæterùm non eſt improbabilis ſententia, quæ Sacramentis negat vim inſtrumentariam gratiæ phyſicè cauſatricem: & non minùs probabilis ſententia, quæ vim eam iis attribuit. Et inter duas illas ſententias poſterior, affirmans vim inſtrumentalem phyſicam, veriſimilior eſt, quia res creatæ habent potentiam obedientialem, per quam Divinitus elevari poſſunt ad effectus naturæ ſuæ improportionatos phyſicè producendos. Quomodo ignis infernalis quamvis corporeus aſſumitur à Deo, tanquam inſtrumentum, ad ſubſtantiam merè ſpiritualem torquendam. Actu autem elevari teſtimonia Scripturæ & Patrum, nec non dignitas Sacramentorum novæ legis, evincunt. 3. Operantur verò hac ratione Sacramenta aliquid prævium gratiæ, quod ad hanc diſponat, non ex parte rei operatæ, ſed modi operandi, quatenus principalis agentis Dei actionem modificant, ut gratia, ceu effectus Divinæ virtutis proprius, eique unicè proportionatus non ex ſolo Deo, ſed ex naturali quoque Sacramenti entitate phyſicè efficienter procedat.* Ib. pag. 47-50. Reſp. 1. A centro quæſtionis à Tridentinis definitæ deflectere equidem non potui, quia nullum ejusmodi centrum boni illi Patres fige-

re ausi sunt, contenti verborum generalitate & cothurno tali, quem dissiti & dissentientes plurimùm suo quisque pedi aptare possent. *quò* videlicet, uti tu loqueris, *Theologi aciem suam ad utramque partem intendere;* hoc est, scepticè disputare, & res fidei libidini, qua flagrant, contradicendi subjicere possint. Unde sic librarunt verba, ut nulla pars, nec Franciscani, nec Dominicani, sibi præjudicatum conqueri posset; tam molles in suos videlicet, quàm in alienos crudeles. Atque hic tu rursus *de subtilitate Scholastica* vestros inter dissensum esse, non de fide, in qua à Tridentinis definita consentiant omnes, clamas. Suetus ita fidem metiri præjudicii tui decempeda, non ullo certiore canone. Si quid igitur nondum habetis constitutum satis apud vos, id negas eo ipso esse de fide, ne videamini de fide contendere. Quicquid autem nobiscum discrepantiæ est, tam leve & exiguum esse nequit, quin gravissimo hæreseos nomine veniat in anathema. Interim si Tridentini verbis suis, *quòd Sacramenta contineant gratiam, & eandem ex opere operato efficiant*, non hoc definiverunt, quòd habeant vim efficiendi gratiam physicè, quomodo tu ipse *pag.47.Sr.1:* hanc ipsam sententiam Florentini & Tridentini Concilii authoritate probatum ivisti? An sic Tridentini aliud asseruerunt, definiverunt aliud? Vel tu de corio Tridentinorum ludis? Et sanè cùm quæstio isthæc citra modum causalitatis definitum accuratè tractari nequeat, & in rebus fidei piè & ingenuè, non subdolè & astutè versandum sit, Tridentinorum erat, modum istum claris verbis asserere; agnoscente jam olim Melchiore Cano, *de Sacram.par.4.* quæstionem hanc de modo causalitatis Sacramentorum *dignam esse definitione Concilii, dignam Sanctorum omnium authoritate, dignam tandem fide nostra & sacrarum literarum testimoniis.* 2. Tibi sententia, quæ moralem efficientiam Sacramentis tribuit, *non improbabilis;* & quæ physicam iis vendicat, *non minùs probabilis* est. adeóque duæ sententiæ oppositæ æquè probabiles sunt. Ita in rebus fidei ludis, & quadrata rotundis mutas. Neque hoc satis. Cùm enim supra *Resp. ad arg. I.* asserueris, *Sacramenta vim effectivam non inhærentem, sed vi pacti Divini assistentem habere* (quæ sententia omnium vestratum maximè probabilis, neque, si dextrè explicetur, à nostra abit, olim Bonaventuræ, Scoto, Durando, Bieli & Bernhardo quoque placuit) nunc subitò versoriam facis, & crassiori illi, quæ Sacramentis efficientiam physicam instrumentalem vindicat, ceu *verisimiliori,* calculum tuum addis; Polypo vel chamæleonte mutabilior, & ad pejora proclivior semper. De potentia obedientiali rerum creatarum disputare nihil attinet. Ex Scripturis modò causalitatis huncce modum proba. At probare nequis, ut infra videbimus. Et Scotum habes reclamantem, negantémque, *in 4. Sent. dist.1.* quòd res corporea immediatè in anima hominis ullo modo effectum spiritualem producere possit, quódque gratia ex quavis potentia materiæ educi queat. Cum illo & asseclis transige. 3. Et cur non sine ambagibus, cùm stet tibi sententia, Tridentinos modum causalitatis physicum asseruisse, argumento meo, quod modo huic directè oppositum est, satisfecisti? Nam asseris quidem *Sacramentum aliquid gratiæ prævium operari, quod ex modo operandi ad hanc disponat, actionem Dei modificando, ut gratia non ex solo Deo, sed ex naturali quoque Sacramenti entitate physicè efficienter procedat.* Cæterùm nec insulsæ, imò impiæ sententiæ tuæ, quæ Deum ipsum in quem ne umbra quidem mutationis cadere potest, & actiones ejus creaturarum modificationibus subjicit, & Sacramenta primam causam salutis, saltem disponentem, facit; ulla ratione fidem facis: nec argumentis meis horridæ illi sententiæ oppositis, respondere conaris. Quomodo amavit nos Deus tum, cùm essemus impii, si sic Sacramenta causæ principalis actionem modificant, & ad recipiendam

dam gratiam subjectum disponunt? Manétne homo sic per Sacramenta dispositus adhuc impius? Taceo argumenta reliqua, in tractatione etiam argumenti secundi à me assertioni tuæ obducta.

ARG. V. Si Sacramenta physicè gratiam in se continent, & insita virtute conferunt, tum Sacramentis gratia alligata est. Atqui hoc absurdum, tum quia Deus est agens liberrimum: tum quia conferre gratiam insita virtute solius Dei proprium est: tum quia sine Sacramentis multi salvantur, & cum iis multi damnantur.

Resp. Reding: 1. *Deus quidem Sacramentis suis gratiam non alligavit. Interim illa in Sacramentis secundùm instrumentalem virtutem, ipsius gratiæ ex Divinæ, ceu principalis virtutis motione instrumentariè effectricem, ex passione Christi ceu opere operato, acceptam, continetur. 2. Sitne verò physica illa instrumentaria virtus qualitas actioni Sacramentali superaddita, nec ne, certant Theologi. Et probabilius est, superadditam esse.* Ib. pag. 50. 51. Resp. 1. Quomodo Deus Sacramentis gratiam non alligavit, si, quod tu statim asseveras, illa in Sacramentis, & quidem per qualitatem actioni Sacramentali superadditam ac Divinitus impressam, continetur? An quod in Sacramentis; Baptismo inprimis, cujus absolutam necessitatem propugnatis; continetur, iis non alligatur? Cur igitur ad argumenta mea non respondes? Cur Deum sic exteriùs symbolis vices suas resignâsse, nos non edoces? 2. Sententiæ vestræ absurditas in has vos angustias conjecit, ut disputare necessum habeatis, an physica illa instrumentalis efficientia fiat per qualitatem superadditam, nec ne? Quam disputationem tu nobis repræsentare debuisti, ne hac etiam in re vestra conflictatio nobis clam esset. Nos verò eam, ceu otiosam, & nihil ad nos pertinentem, ad Sophistarum subsellia amandamus.

ARG. VI. Ad efficaciam Sacramenti requiritur fides, devotio, & interior animi motus, tum quia id disertè asserit Scriptura Marc. XVI. v. 16. 1. Cor. XI. v. 27. Act. XI. v. 38. tum quia sine fide nihil Deo placet, Hebr. XI. 6. tum quia promissio, quæ in Sacramentis continetur & fides sunt correlatæ: tum quia ipsimet adversarii fatentur, ad efficaciam Sacramenti in adultis requiri statum gratiæ, qui sine fide & devotione non est.

Resp. Reding: *Licet fides & gratiæ status ad effectum Sacramenti percipiendum in adultis prærequiratur, non ideo tamen ex opere operato Sacramenta gratiam non conferunt. Nam per Sacramenta ex opere operato (meritorum scilicet Christi, independenter à fide tanquam merito, non verò in adultis tanquam dispositione) per se ac immediatè suscipienti, & obicem non figenti gratia justificans & sanctificans confertur. Cùm enim, juxta te, in Sacramentis contineatur promissio gratiæ, & promissio Divinæ dictionis efficaciam contineat, utpote relationem habens ad fidem, quæ Divinæ dictionis certitudine nititur; oportet etiam Sacramentis competere eam dictionis Divinæ efficaciam, quæ gratiam promissam intuitu meritorum Christi ex opere operato efficiat.* Ib. pag. 51. 52. Resp. Fidem primò intelligis generalem duntaxat, quæ sit dispositio ad gratiam, non instrumentum, quo eadem apprehenditur. Tum eam præsupponis æquè ac statum gratiæ, extra quem nulla fides est. Ita unam ad gratiam dispositionem conferet fides, alteram immediatam

 etiam

Digitized by Google

etiam Sacramenta, & quidem ex opere operato, adeóque seorsim à fide operantia in subjecto dispositionem ad recipiendam gratiam. Nos verò ad efficaciam Sacramenti non tantùm prærequiri, sed ut operantem actu & immediatè requiri fidem, & eam per Sacramenta gratiam repræsentantia & obsignantia excitari confirmaríque, & asserimus, & probamus. Nec tu ad argumenta respondes. Synodum verò phrasi illa *ex opere operato*, à Sacramenti operatione accipientis fidem & devotionem exclusisse, initio quæstionis hujus probavimus. Neque tu dissimulare potes. Si enim, uti pertendebas supra, Sacramenta per insitam & superadditam virtutem physicè & per modum instrumenti immediatè dispositionem gratiæ in subjecto producunt, utique partibus suis ex opere operato defunguntur, neque id, quod fides & devotio efficiunt, eadem, sed diversa causalitate efficiunt. Cùm igitur Sacramenta *ex opere operato meritorum Christi gratiam efficere* vis, æquivocè loqueris. Nam vel omnem causalitatem gratiæ merito Christi ceu operi, quod ipse solus operatus est, acceptam sic refers; vel insitam Sacramentis causalitatem à meriti Christi virtute arcessis. Si prius, tibi contradicis apertè. Si posterius, præterquam quòd Christus nihil meruit Sacramentis, sed homini Sacramentis utenti, nec meriti sui virtutem Sacramentis impertitur, sed nobis ea per Sacramenta communicat; manet insuper, Sacramenta efficaciam suam instrumentalem immediatam, sine respectu fidei & devotionis, ex opere operato ipsius Sacramenti habere. Quæ vestrorum sententia est, quicquid eam occultare & incrustare satagas. Si Sacramenta ex opere operato sic justificarent, non indigerent meritis Christi. Sed dum non justificant, sed passionem Christi justificantem monstrant, meritis Christi indigent. Denique in Sacramentis contineri promissionem, eámque efficacem & certam, dixi. At in Sacramentis sic contineri, ut ad gratiam promissam physicè instrumentaliter, seu per inhærentem qualitatem, Sacramenta disponant, non dixi. Quin potiùs in Sacramentis promissionem significantibus & obsignantibus contineri, & vera fide, quam Sacramenta ipsa excitant & confirmant, recipi, statuimus. Sic namque, ut à terminis Scholasticis abstrahamus, res habet. Christus mortuus est pro electis. Deus illius sacrificium publicè proponit, jubens omnes credere, se, si confugiant ad ipsum, in Christo justitiam & vitam habituros. Hoc verbum, hoc Sacramenta dictitant. Cùm igitur homo invitatione hac excitatus ad Christum confugit, tum ei demum Sacramentis uti licet. Ibi consideratur Deus non tantùm indefinitè invitans, & sub conditione promittens, sed venientem in fœdus, amicitiam recipiens, justitiámque & omne jus justorum ei assignans. Qui igitur ante indefinitè omnibus loquebatur, *venite omnes onerati*, is quemadmodum in corde per Spiritum suum loquitur, ita foris per Sacramentum privatim fideli dicit: *Ego sum Deus tuus, justus es, tua est promissio.* Ita Sacramentum fit morale medium certitudinis. Ita promissionem continet. Neque ibi se gratia sistit, ut nihil consequatur ampliùs. Consequitur enim bonum, quod Deus paravit filiis suis & justis, de quo bono per Sacramentum certi simus. Atque ita Sacramenta in fide suscipere, est tantundem atque videre & audire Deum imperantem, ut bona illa in nos deriventur, non quòd tum demum Deus id imperet ac decernat, sed quia id nobis intimatur non modò in genere, sed privatim fideli cuivis. Quomodo Sacramenta sunt signa practica, quia vi verbi Dei promittentis de gratia justificationis, & justificationem consequente, certos reddunt. Pontificii verò justificationem in regenerationem vertentes, fidémque generalem tantùm, dispositionem ad regenerationem tantùm, unam; altera Sacramenta statuentes, & renovationis hujus efficientiam Sacramentorum operi operato, ceu conditioni, adscribentes, Evangelium & fœdus

fœdus Dei penitus corrumpunt; & Sacramentorum verum uſum tollunt, falſum ponunt, denique Teſtamento Dei *ἐπιδιατάσσεται* diſpoſitionem peregrinam ſuperaddunt. Deus enim per Sacramenta propriè non regenerat, ſed regenitis jam per ea gratiam obſignat.

ARG. VII. Sic Sacramenta hodie in profanitate vitæ & morum ſunt & habentur fiducia carnalis, impia hominum carnalium κρησφύγετα, & tantùm ſpeluncæ latronum.

Resp. Reding: 1. *Calumnias ſpiras, adverſus ipſam etiam antiquitatem orthodoxam. Fatetur enim Calvinus Inſtit.* 'V. 14:17. *veteres ad ampliandam Sacramentorum dignitatem quædam paulò magnificentiùs ſcripſiſſe. Noſtra igitur de virtute Sacramentorum doctrina, vel ipſo fatente, in orthodoxa antiquitate fundata eſt.* 2. *Vos potiùs profani eſtis, qui Sacramenta veritate Divinitus promiſſa orbatis; atque ſic Dei promittentis veracitatem in dubium vocatis. Obſignatio enim & ſignificatio gratiæ, quæ reali gratiæ collatione deſtituitur, illam non verè præſtat. An enim ſi Magiſtratus Tigurinus fide ſua & ſigillo publico tibi centum florenos promiſerit, ſola illa obſignatio ſummam eam tibi præſtat? An ſola obſignatione contentus eam exigere negligis?* Ib. pag. 52. Reſp. 1. Non calumniæ hæ, ſed res ſunt. Et docet veſtra inprimis praxis. Annon enim Sacramentorum etiam fictitiorum, quale præprimis eſt abſolutio Sacerdotis, uſus jam pridem apud vos carnalem ſecuritatem genuit, dum virtuti in Sacramentis latenti ſtolidè confidentes, licentiùs veſtri graſſantur, & licentiam eam Sacramenti inſita virtute expiari perſuaſum habent? Inprimis id attritio, ſeu metus pœnæ, quam ſejunctam ab omni amore Dei, accedente ſolo Sacramenti uſu, juſtificare & ſalvare aſſeritis, jubare meridiano clariùs arguit. Qualis inſuper conſecutio eſt: *Calvinus ſcribit, de Sacramentis veteres magnificentiùs quædam ſcripſiſſe, ad ampliandam eorum dignitatem. Ergo, Calvino fatente, conſentiunt, Sacramenta virtute inſtrumentali phyſica ex opere operato gratiam conferre?* Diſputare hoc, an ſtupere eſt? In orthodoxa antiquitate non magis vocem barbaram *operis operati* quàm hæreticorum illud Abraxas, aut Hacamot, aut Caulacan, Saulauſan, aut ſimilia; nedum rem ipſam reperies. Licet enim Sacramentorum dignitatem phraſibus hyperbolicis quidam alicubi ampliarunt, unde errori veſtro præſidium vos quærere, Calvinus innuit: nullos tamen errori veſtro conſentientes habetis. Ubi enim Deum ſolam gratiæ cauſam faciunt, & efficientiam Spiritus ac elementi diſparant? Poſſem plures, & ex pluribus plura heic repræſentare; niſi Celeb. Chamierus *Panſtrat. de Sacram. lib. II.* 10. 11. id jam ſolidè, vix ſpicilegio poſt uberem meſſem relicto, egiſſet. 2. Deus verax quicquid in Sacramentis promittit, id omne præſtat; ſed non per latentem virtutem Sacramentis annexam & affixam. de quo ſolo quæſtio eſt. Atque hic conſentientes habemus doctores veſtros inclytos, Bonaventuram, Scotum, Bielem, alios, aſſerentes ſtrenuè, Sacramenta gratiam non virtute inſita, ſeu inſiſtente, ſed aſſiſtente operari, ceu gratiæ ſigilla. An etiam illi profani ſunt? Si illi non, cur nos? Audi Bonaventuram *in 4. d. 1. q. 2.* ubi tali exemplo rem illuſtrat: *Rex ſtatuit, ut qui habet tale ſignum, habeat centum libras. Poſt inſtitutionem illam ſignum illud, quia habet efficacem ordinationem, dicitur habere virtutem, ut faciat aliquem habere centum libras.* Comparatio igitur tua frigida & inepta eſt. Non enim ſicut Magiſtratus ſigillo promittens prœmium in futurum demum ſolvendum, efficaciter promittit, at non ſimul ſolvit: etiam Deus in Sacramentis ceu ſigillis gratiam obſignans,

non simul confert; imò potiùs jam ante contulit, & collatæ certitudinem per sigillum firmat. Ergo sigilla confundis. Alia enim rerum promissarum, & in futurum præstandarum: alia rerum jam præstitarum, & in ipso sigilli usu, ac deinceps etiam præstandarum certitudinem confirmant. Quomodo in rebus civilibus alia ratio est sigillorum, quæ certos reddunt hæreditatis demum adeundæ, vel rerum in futurum præstandarum: alia eorum, quæ certos reddunt de jure rerum jam actu præstitarum & collatarum; hoc est, quæ legitimum rerum jam possessarum jus obsignant & confirmant. In posteriore genere sigillorum obsignantium esse Sacramenta, demonstrat circumcisio, quæ sigillum fuit justitiæ fidei non accipiendæ, sed in præputio jam acceptæ. Cæterùm sigillum Magistratus mei Optimi & Munificentissimi de futuro beneficio, etsi in præsens beneficium non confert, non tamen nihil confert vel efficit. Nam & jus ad beneficium consequendum, & de futura consecutione certitudinem confert. Magna vis est relatorum, inprimis ubi Deus ipse fidem obstringit, S. Paulo Hebr. VI. 17. 18. teste. Ipsa fabula dedicationis vestræ Angelicæ, & fictitia Deiparæ miracula tibi & Monachis tuis Principale fastigium & divitias amplissimas, luxuriæ & secularis typhi instrumenta parere, non jure equidem, sed fraude potuerunt. Quid ergo non promissio facta ab iis, qui & jus promittendi, & potentiam implendi habent, præstare poterit?

ARG. VIII. Genuina dogmatis hujus causa est, ut celent errorem perniciosissimum, quasi videlicet Deus Sacramenta instituerit in *signa, miraculi* quod velit facere in sanctificatione eorum, qui Sacramentis utuntur, ut ita sacrificuli Sacramenta administrantes tanquam θαυματουργοὶ, *miraculi effectores* (revera φαρμακεῖς *incantatores,* utpote qui etiam verba precum non intellecta quoad efficaciam eorum, cum efficacia carminum & fascinorum comparare audent, uti ex Origine Bellarminus *de verbo Dei* II. 16.) sui existimationem & potestatem, cùm de cætero honorabile officium nec faciant & collutulent potiùs, augeant.

RESP. REDING: *Calumniæ & blasphemiæ hæ sunt.* Ib. pag. 297. Resp. Cur igitur non ostendis? Nam rem quidem ego authorem dedi. Annon ipsemet statuis, elementa à Deo elevari per impressam virtutem ad effectum longè naturam suam transcendentem? Efficiunt igitur non per naturam, sed supra naturam, adeóque per miraculum? Sacrificuli vestri annon Sacramenta administrant? Sic ergo erunt θαυματουργοὶ miraculorum effectores. Imò revera *φαρμακεῖς incantatores.* Nam φαρμακεία incantatio & magia est usurpatio signorum tanquam habentium virtutem & quidem physicam ad operationes supernaturales, quam ea vel à natura, vel à Deo supra naturam operante habere, non probatur. Adeóque ex Sacramento facitis carmen magicum, & à fœdere Dei receditis. Nullum enim est pactum Christi, ex quo symbola vim justificandi habeant.

ARG. IX. Denique colluctatio Scholasticorum de modo continendi & efficiendi gratiam superiùs indigitata, dogmatis incertitudinem prodit.

RESP. REDING: 1. *Vertiginoso spiritu iterum dogma fidei cum subtilitate Scholastica confundis.* 2. *Potest etiam asseri, Sacramenta novæ legis esse morales gratiæ causas, non*

quòd

Digitized by Google

quòd in ordine ad gratiæ causationem se non habeant aliter, quàm per modum chirographi, merita Christi pro nobis exhibita continentis, uti quidam recentiores apud Amicum docent; sed in ordine ad gratiæ productionem, quia in quavis actione Sacramentali reperitur honestas moralis, saltem inchoata & completa, in qua fundari possit causalitas moralis Sacramenti, quæ per modum inchoati meriti simul cum meritis Christi movere valeat Deum ad gratiam retribuendam. Ib. pag 52-54. Resp. 1 Vestram potiùs vertiginem supra *Arg.* 2. prodidi. Luditis inter vos in capitibus fidei, neque in eundem finem tenditis, sed singulis suæ somniationes placent. Vasquez octo enumerat opinionum capita, omnia sibi improbata. Primum est eorum, qui gratiam contineri in Sacramentis sicut medicina in pixide continetur; Secundum eorum, qui Sacramenta conferre gratiam non ratione sui, sed orationum additarum, sive à Ministro, sive ab Ecclesia; Tertium eorum, qui ea esse causas seu conditiones, sine quibus non conferat gratiam Deus; Quartum eorum, qui peculiarem assistentiam Dei, atque ideo operationem, quasi cùm Deitas conjuncta humanitati operabatur miracula; Quintum eorum, qui non gratiam, sed proximam dispositionem causari ab assistentia Divina propter verbum & promissionem; Sextum eorum, qui physicè produci qualitatem quandam præviam, sive is ornatus quidam sit, sive character; Septimum eorum, qui Sacramentum non attingere proximè productionem gratiæ, sed tantùm efficere, ut homo recipiens sit gratus Deo; Octavum denique eorum, qui ipsam gratiam physicè produci à Sacramentis, statuunt. His omnibus rejectis Vasquez nonam sententiam proponit & tuetur, quòd Sacramenta sint instrumenta moralia producendæ gratiæ. Interea dum ita inter vos luditis, tyrannicè vultis dominari nobis, & in nos nulla satis sunt vobis anathemata; licet plures, iíque non postremi doctores vestri in explicanda sua de efficacia Sacramentorum sententia parum vel nihil admodum à nobis dissentiant. Certè Gregorius de Valentia Jesuita *lib. de efficac. Sacram. cap.* 2. dissimulare non potuit, *multos non modò ex hæreticis, sed etiam ex Catholicis doctoribus eos* (efficaciæ Sacramentorum) *modos assignare, qui non immeritò tollere videri possint id ipsum, quod secundùm fidem certum esse debet, scilicet, Sacramenta esse causas gratiæ.* Et recitata Bonaventuræ, Scoti, Durandi, Occami, Gabrielis & Richardi opinione, quòd Sacramenta non producant gratiam, sed conferant, quatenus Deus secundùm promissionem in usu eorum gratiam confert; hoc est, virtute non inhærente, sed assistente, addit: *Hæc opinio nihil ampliùs Sacramentis tribuit, quàm hæretici.* Omnes hi stant à nostris partibus, qui intelligere non potuerunt, quò ulla creatura ad novæ creaturæ productionem instrumentaliter concurrere possit; & quòd res corporea immediatè in anima hominis effectum spiritualem & prorsus supernaturalem producere queat, qualis est gratia, quæ, ut Scotus loquitur, *non est educibilis de potentia materiæ*; allegato etiam S. Augustini *Quæst. lib.* 83. dicto *quædam esse, quæ Deus efficit per se ipsum, sicut illuminare animas & creare gratiam.* Sed & Ægidius Conink *Tom. I. Sacram. q* 6. *art.* 4. negat, quamlibet rem à Deo ad quidvis producendum elevari posse. *Quod si fieri posset,* inquit, *negandum tamen esset, id fieri posse in Sacramentis, utpote quæ maxima ex parte consistant in sua significatione & significando, sive virtute significationis agant, quia si nihil significarent, nihil agerent. Cùm autem significatio sit tantùm ens morale, non posse ullo modo agere physicè. Hinc Patres dicere, non naturam aquæ, sed Divinam virtutem, sive Deum nos lavare & regenerare.* A partibus igitur nostris stant Pontificii doctores celeberrimi, quibus impunè licet veritatem tueri. nobis verò id facere nefas censetur anathemate

nathemate piandum. Interim ex dissensu doctorum Scholæ proclive est cudere argumentum adversus Tridentinos irrefragabile. Si enim Sacramenta continent & conferunt gratiam ex opere operato, tum continent vel conferunt gratiam, vel quia operantur virtute assistente, vel quia insistente seu inhærente, eaque instrumentali vel physica, vel morali. Atqui nullo horum modorum operantur. Non virtute assistente, uti id negant Thomistæ, & plerique hodie doctores, eo potissimùm argumento, quòd ita nihil efficerent, atque hæretici ita doceant. Non inhærente physica, negantibus id Scotistis, aliisque, eò quòd nulla creatura corporea elevari ad eam potentiam possit, ut gratiam vel supernaturalem effectum producat. Non denique virtute morali, negantibus Gregorio de Valentia, Bellarmino & Jesuitis plerisque, aliisque etiam, eò quòd isto modo etiam V.Test. Sacramenta gratiam contulerint; necessum autem sit, præsertim post Concilium Florentinum & Tridentinum, fateri, Sacramenta novæ legis alio modo præstantiori & veriori gratiam conferre. Ergo Sacramenta nullo modo gratiam continent, vel ex opere operato conferunt. 2. Sed Redingius noster elabetur fortè, quia omnes illos modos defendit. Nam primò dixerat, Sacramenta conferre gratiam virtute assistente. Post, virtute inhærente physica. Demum nunc, virtute morali. O Sacerdotem verè Babylonium, confusum doctorem, & confusionis magistrum! Et parum aberat, quin Sacramenta Mediatores nostros constitueret, asserens scilicet pag. 53. Sacramenta operari moraliter instrumentaliter *in ratione meriti*, sicut passio Christi operatur moraliter principaliter *in ratione meriti*. Quò non impietatis errores semel placiti abripiunt errantes?

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Sacramenta remittunt peccata, salvant, regenerant, Act. II. 38. XXII. 16. Ephes. V. 26. Tit. III. 5. 1. Petr. III. 21. Ergo gratiam salutis in se continent, & ex opere operato producunt.* Resp. Sacramenta remittunt peccata, regenerant, salvant non *propria, immediata, & interna* vi, uti patet tum ex 1. Petr. III. 21. tum quia remissio peccati in sententia Dei offensi consistit, adeóque internæ ceremoniæ propriè tribui non potest; sed *sacramentaliter & impropriè*, quia sunt signa efficacia, quibus ea beneficia significantur, obsignantur, & in legitimo usu exhibentur; Semen regenerationis, & ἐνέχυρον, σφραγὶς ac ἐπερώτημα.

EXCIP. REDING: 1. *Quod ergo medium ex sacris literis affers, quo mediante Sacramenta illa effectus causent? An gratia & passio Christi? At illa vi promissionis Divinæ per Sacramenta applicari debent. 2. Remissio peccati causalis consistit in sententia Dei offensi, non formalis, quæ ita est Sacramenti effectus, ut sententia Dei peccatum causaliter remittens Sacramentum formaliter denominet, & in esse signi merita Christi applicantis constituat. 3. Textus allegati causalitatem eorum effectuum Sacramentis absolutè & simpliciter sine ullo tropo tribuunt.* Ib. pag. 54. 55. Resp. 1. Medium est à parte Dei Spiritus meritum Christi, ejúsque effectus omnes donans; à parte hominis fides, quæ ceu manus, Christum à Deo donatum accipit & apprehendit. Sacramenta verò non immediatè applicant, quia Christus & fœdus Dei nostrum esse potest ante Sacramentorum usum; sed fidem adjuvant, & obsignatione sua, ceu signa & sigilla efficacia, certitudinem

Digitized by Google

nem gratiæ collatæ & ad nos pertinentis efficiunt. Ita sigilla propriè nec efficiunt, nec applicant res in diplomate comprehensas, sed earum ad nos pertinentium & applicatarum jus & certitudinem muniunt. 2. Remissio peccatorum quid aliud formaliter est, quàm sententia Dei offensi, qua non imputat, sed condonat peccatum? Causa verò ejus est justitia & meritum sanguinis Christi. Quomodo verò sententia Dei offensi externæ alicui ceremoniæ nisi sub ratione signi aut sigilli, sententiam illam testatam reddentis, tribui potest? 3. Falsum est, simpliciter & absolutè effectus illos elementis tribui. Nam & alibi peccatorum remissio & salus non alii rei quàm gratiæ Dei in Christo tribuitur: & disertè S. Petrus salutem baptismo, non qua est depositio sordium carnis, sed qua est interrogatio bonæ conscientiæ, hoc est, qua est sigillum, dans jus stipulandi & flagitandi, adeóque impropriè; propriè autem resurrectioni Christi tribuit. Dicit enim baptismum salvare *δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, per resurrectionem Jesu Christi*, hoc est, meritum Christi patientis & resurgentis. Et nihil tropo isthoc, quo res significata tribuitur signo, in Sacramentis frequentius est.

OBIECT. II. *Sacramenta conferunt id quod promittitur, quia quotquot baptizantur, Christum induunt, Gal. III. 27. & peccata abluunt, Act. XXII. 16. Ergo ex opere operato ista perficiuntur.* Resp. 1. Perficiuntur ex opere operato *interno* Spiritus S. non *externo* Ministri conferentis. 2. Sacramenta conferunt quod promittitur *objectivè & moraliter*, fidem excitando ad complectendam gratiam & eandem obsignando: non *effectivè* qualitatem aliquam de novo producendo, educendo vel imprimendo, uti fit per motionem in projectis.

EXCIP. REDING.: 1. *Si sic Sacramenta gratiam conferunt, qui igitur effectus hujusmodi per baptismum conferri poterit infanti, in quo fides ob defectum rationis excitari nequit? 2. Quid est internum Spiritus S. opus operatum? Forma increata, an creata supernaturalis? Non prius, quia effectus Deum transiens increatus esse nequit. Si posterius, sic interno operi Spiritus S. tribuenda est, ut externo etiam Ministri operi tribuenda sit. 3. Unde S. Augustinus lib. 2. & 3. contra Cresconium asserit, rem Sacramenti dare Deum, Sacramentum dare malos & bonos; sic in Deum reducens causalitatem principalem gratiæ, ut exerceatur mediante lavacro baptismi. Idem Tract. 8. in Joh. aquæ baptismatis tribuit vim abluendi cor; faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Sic ergo verbum vitæ (objectivè, radicaliter) creditum virtus manens est, ut ex hujus informatione aquæ baptismatis conveniat vis non principalis, sed instrumentalis cor abluendi, seu interiùs sanctificandi.* I. pag 55. 56. Resp. 1. Respondeat tibi Bonaventura *in 4. d. 1. q. 2.* ubi sic ille: *Sicut parvulo sufficit fides aliena, ita sufficit, quòd significetur ipsi parvulo in alio.* Id est, significatur intelligentibus, & in illis infanti, gratia, quam Deus infanti communicat. Sed de ea re nos statim fusiùs. 2. Opus interius Spiritus S. operatum, Christum induens, peccata abluens, quatenus in induente & abluto recipitur, est forma creata. quia operis increati & infiniti recipiendi creatura capax non est. Ita fides, justificatio, sanctificatio, effectus Spiritus S. in homine finiti sunt, licet infinitum est meritum Christi, infinita gratia, qua illa dantur. Et tribuitur eadem à peccatis ablutio, & Christi receptio etiam Ministri externo operi, sed non ut causæ insita quapiam & impressa virtute operanti. Nam *nihil est qui plantat, nihil qui rigat, sed Deus, qui dat incrementum*, 1. Cor. III. 7. Ministri externum opus est administratio Sacramentorum,

ceu signorum & sigillorum. quæ quicquid efficiunt, significando & obsignando, non ex virtute intus latente, sed ex institutione & ordinatione Dei in verbo patente, efficiunt. 3. In citando S. Augustino & ad partes tuas trahendo, non credidi, tam altè stertere te potuisse. Etenim in locis à te citatis totus partium nostrarum est. *Rem Sacramenti dat Deus: Sacramentum dant mali & boni,* inquit ille, *contra Creston. lib. III.* Quid *res Sacramenti* aliud quàm gratia est? At illam, inquit, dat Deus, oppositè ad ministros Sacramentum dantes; adeóque solus. Ministri verò Sacramentum dant, non rem. Si Sacramenta habent vim insitam producendi gratiam, quomodo Ministri Sacramentum dantes non simul, sive ut causæ principes, sive ut instrumenta, dant rem? Sed in altero loco *tract. in Joh.* 80. (non 8. uti falsò citas,) clariùs sic ille scribit: *Quare non ait, mundi estis per baptismum, quo loti estis; sed ait, propter verbum, quod locutus sum vobis? Nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam & hoc utique dixerat, quando pedes discipulis lavit. Qui lotus est, non indiget, ut pedes lavet, sed est mundus totus. Unde ista vis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo: Non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus: quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Unde in Actis Apostolorum legimus, fide mundans corda eorum. Et in Epistola sua S. Petrus: Sic & vos, inquit, Baptisma salvos fecit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus: quo sine dubio, ut mundare posset, consecratur & Baptismus.* Integrum locum oculis lectoris subjiciendum putavi. Comparat sic Augustinus Sacramentum & verbum; & Sacramenti efficaciam totam assignat verbo; Verbo autem, non quatenus sonat exteriùs, sed quatenus creditur interiùs. Quæ causa appellandi verbum fidei. Efficaciam proin Sacramenti non derivat nisi à verbo credito, ac proin per fidem. quod ex verbis Pauli & Petri additis liquet. Ubi ergo Augustinus dixit, exercere Deum causalitatem principalem gratiæ, mediante lavacro Baptismi, tanquam instrumentali causa? Ubi ex verbi crediti informatione aquam vim abluendi insitam instrumentalem haurire, dixit? Frustra enim verbum creditum *objectivè* interpretaris. Non enim Augustinus dicit, *verbum, quod creditur;* sed virtutem aquæ esse *faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Imò uti vidimus, omnia alia Augustinus dixit. Et tu ad suffragandum somniis tuis obtorto collo rapere non dubitas!

OBJECT. III. *Sacramentum baptismi collatum etiam infantibus, qui credere & significationem percipere non possunt, prodest. Ergo gratiam efficit virtute physica & ex opere operato.* Resp. Infantibus obsignatur promissio gratiæ in fœdere ipsis facta, Genes. XVII. 7. Neque obest, quòd fide in præsens non accipiatur, tum quia actualis fidei capaces non sunt: tum quia adveniente usu rationis etiam actuali fide apprehenditur: tum quia, ut Bonaventura loquitur in 4. d. 1. q. 2. *Sicut parvulo sufficit fides aliena, ita sufficit quòd significetur*

tetur ipsi parvulo in alio, hoc est, significatur intelligentibus, & in illis infanti, gratia, quam Deus communicat infanti.

Excip. Reding: *Cùm intelligentibus gratia significatur, pro tunc fides actualis gratiæ in parvulis non est. Pro tali igitur instanti gratia non mediante fide, sed Sacramenti immediatè, id est, ex vi promissionis seu institutionis Divinæ elementum sensibile ad esse formale Sacramenti elevantis, meritorum Christi applicatoriæ, efficacia perficitur.* Ib. pag. 56. Resp. Nec fides actualis propria in parvulis esse potest; nec Baptismus insita efficacia gratiam in iis unquam, ne adultis quidem, operatur. Ubique enim gratia Sacramenti, non insistens, sed assistens operatur. quod etiam Scotistæ vestri fatentur. Neque etiam Sacramentis illam solam efficaciam inesse, ut fidem moveant, excitent, vel generent, dicimus. Quin potiùs geminam in iis agnoscimus efficaciam, utramque Dei, sed alteram sine nobis; alteram per nos. Ad illam nos passivè, ad hanc activè habemus. In illa promittitur & exhibetur gratia reconciliationis sine nobis. In hac agit nos Deus, ut internis animorum motibus & per fidem gratiam accipiamus. Utraque non signis inhæret, sed moraliter assistit. Denique illa efficacia Sacramentis respectu infantum: hæc respectu adultorum inest. Sic circumcisio & sigillum fuit, signúmque, & simul infantibus significationem nondum intelligentibus, sed intellecturis collata fuit.

OBIECT. IV. *Sacramenta sunt signa non theoretica, ad significandum tantùm instituta, sed practica ad significandum simul & efficiendum ordinata. Ergo.* Resp. Bellarminus fatetur, signa illa vocari practica, quæ referuntur ad opus, sive id fiat mediatè sive immediatè. Practica igitur signa etiam Sacramenta quamvis non physicè operantia gratiam, & in significando tantùm & obsignando posita dici possunt, quia versantur circa opus non quidem immediatè illud efficiendo, sed mediatè illud operando, ultra repræsentationem etiam per efficacem ordinationem, & assistentiam Dei: uti Magistri docent apud Bonaventuram in 4. *d.* 1. *q.* 1. Ita percussio petræ baculo facta Exod. XVII. fuit signum practicum miraculi, quod sequebatur, etsi immeditatè & sua virtute illam praxin non exercuit.

Excip. Reding: *Signum, cui ex instituto Divino assistit efficax Dei ordinatio gratiæ operativa, non tantùm gratiam obsignat, sed etiam realiter effectivè eam confert.* Ib. pag. 56. 57. Resp. Damus totum. Sacramenta gratiam obsignando realiter effectivè eandem conferunt, sed non virtute inhærente physica & immediata, sed assistente mediata, puta promissionis, quam in Sacramenti usu ex institutione & ordinatione Dei significatam & obsignatam fides applicat.

OBIECT. V. *Christus Joh. III. 5. docens renasci nos ex aqua & spiritu, aquam seu baptismum manifestè facit causam regenerationis.* Resp. 1. Si rigidè urgeantur hæc verba, dicendum esset, ipsam materiam baptismi, aquam videlicet, esse regenerationis causam. 2. Baptismum esse regenerationis causam instrumentalem non negamus, quatenus nimirum est sigillum & instrumen-

tum propriæ causæ & ejus effecti, non quatenus proximè, propriè & immediatè regenerationem efficit. quomodo etiam verbum causa est ejusdem effecti, sed non propria, proxima, immediata. 3. Aquam illic notare baptismum, incertum est. De quo alibi.

EXCIP. REDINO: 1. *In verbis illis: Nisi quis regenitus fuerit ex aqua, &c. τὸ ex aqua, tribuit aquæ regenerationis causalitatem productricem.* 2. *Fateris, baptismum esse regenerationis causam instrumentalem. Atqui formali causæ rationi ac quidditati essentiali repugnat, esse sigillum duntaxat obsignativum; sed est signum effectus per eam repræsentati productivum.* Ib. pag. 57. Resp. 1. Proba τὸ *ex aqua* tribuere aquæ causalitatem productricem immediatam & inhærentem. De hoc enim quæstio est. An enim aqua regenerationis immediata causa est? Atqui soli Spiritui S. regenerationis causalitatem immediatam Christum tribuere, liquet, tum quia proximo versu, 8. cùm de eadem regeneratione, ut effecto, Christus loquitur, aquæ non meminit, sed spiritus tantùm; *Quod genitum est ex Spiritu, Spiritus est:* tum quia idem v. 12. declarat, se regenerationis causam & modum terrestri signo & phrasi exposuisse ad captum hominis, dicens: *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?* innuens scilicet, illud, quod de aqua dixerat, non esse crasse intelligendum: tum quia graviter arguitur Nicodemus, quòd ceu doctor Israëlis, non noverit illa, quæ dicta sunt. qui tamen tum temporis, quando Christus baptismum nondum instituerat, intelligere non potuit, quomodo aqua propria & immediata gratiæ causa esse possit. Inprimis cùm ne hodie quidem post institutum & usitatum à longo tempore baptismum Seraphici doctores vestri hoc explicare potuerint. *Difficile est valde,* sic Bonaventura *in 4. d. 1. q. 4.* scribit, *intelligere, qualiter virtus detur Sacramento, sicut qualitas absoluta: difficilius, quando detur. Difficile est etiam, cui detur; verbo, an elemento. Difficile est etiam, quandiu duret. Difficile est similiter valde intelligere, quomodo influat. Difficile etiam, cujus naturæ sit in se ipsa, & multa talia.* Taceo argumenta plura, alibi allata. 2. Baptismum esse causam instrumentalem regenerationis, fateor: sed proximè & immediatè eam efficere, iterum nego. Neque causæ mediatæ repugnat esse sigillum duntaxat. quia etiam significando & obsignando efficere potest.

OBIECT. VI. *Signum & sigillum promissionis gratiæ ipso promissionis verbo notius & efficacius esse debet. At Sacramenta verbo promissionis non sunt notiora & efficaciora, quia ex eo cognoscuntur & probantur. Ergo non sunt signa & sigilla tantùm.* Resp. Verbum promissionis *absolutè* & *in se* notius est Sacramentis. At *relatè* & καθ' ἡμᾶς, *quo ad nos* notiora sunt Sacramenta, quia Spiritualia sub rerum terrenarum symbolis percipimus faciliùs, teste Christo Joh. III. 12. Ita magis confirmat nos promissio sigillo roborata, quàm verbis tantùm prolata. Unde præter symbola etiam Juramentum Deus promissionibus suis adhibuit Hebr. VI. 17. non quòd certior illis quàm his insit veritas, sed quia nobis inesse videtur.

EXCIP. REDINO: 1. *Christus Joh. III. 12. sic loquitur: Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo, si dixero vobis Cælestia, credetis? Tu quoque cælestem Divinæ ordinationis efficaciam,*

Digitized by Google

efficaciam, Sacramentis assistentem & gratiæ causatricem non credis. 2. *Sacramenta innotescunt ex fide. Fides est ex auditu verbi. Quomodo igitur Sacramenta quoad nos sunt signa verbo Dei notiora? Oportet igitur non signa duntaxat sint gratiæ, sed etiam causæ.* Ib. pag. 57. 58. Resp. 1. Proh scelus! Non credo terrena illa, quæ Redingius dixit, & non probavit. Ergo nec cœlestia credo. Si terrena tua universa credere à *Canonicis* mihi incumberet, cœlestia potiùs amitterem. 2. Sacramenta, & eorum usus, non tantùm ex fide innotescunt, adeóque eatenus, qua Sacramenta significantia, & in verbo Dei instituta, absolutè & *in se* verbo ignotiora sunt: sed etiam fidem promissionum Divinarum movent, excitant & confirmant: atque sic relatè & *quoad nos* verbo promissionis, & fide confirmanda notiora sunt. Par ratio est verbi & Sacramenti. Sicut igitur promissio, quæ verbo profertur, per se verbo, utpote voluntate promittentis posteriore, notior, quoad nos verò verbum notius est: sic promissio per se sigillis suis prior & notior est Sacramentis; at Sacramenta, quatenus promissionem roborant firmántque, quoad nos notiora sunt.

QUÆSTIO IV.

An in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione & Ordine imprimatur character in anima, hoc est, signum spirituale & indelebile?

AFfirmat Canon IX. Synodus quidem studiosè rursum celavit, & definire omisit tum essentiam, tum proprium subjectum characteris, quia de utroque miris modis & pertinaciter digladiari Scholasticos non ignoraverat. In ipso Concilio variatum est sententiis. Nam quod *essentiam* characteris attinet, alii pertendebant esse *qualitatem*, qui quatuor in partes, secundum quatuor qualitatum species distrahebantur: alii esse relationem *realem*: alii relationem *notionalem*, quibus sanè id erat declarandum, quàm prope abesset à nihilo. Quoad *subjectum*, alii eum collocarunt in essentia animæ, alii in intellectu, alii in voluntate, nonnemo etiam in manibus & lingua. Peculiarem etiam sententiam tenuit Hieronymus Lusitanus Dominicanus, de qua videsis Historicum lib. 2. p. 213. Communior sententia est illa Gabrielis Biel, quòd character necessarius sit, ut suscipiens Sacramentum cognoscat, se esse in tali statu, ut configuret & assimilet nos Christo, ut distinguat nos ab aliis Sacramentum non suscipientibus, ut disponat ad gratiam Sacramenti gratum facientem, ut suscipiens adducatur in memoriam Sacramenti suscepti, ut sit signum obligatorium ad observantiam Divinæ legis, denique ut cùm indelebilis sit, Sacramentum irreitera-

irreiterabile reddat. Nos characterem illum velut phantaſticum Sophiſtarum commentum rejicimus & explodimus. Etenim

ARG. I. Scripturæ eum eſſe ignotum,& ſolius eccleſiæ Pontificiæ nimirum authoritate invaluiſſe, olim ipſe Scotus faſſus eſt. Et ſanè cùm non Divinitus inſtitutus ſit,uti patet ex formula inſtitutionis, nec pertineat vel ad *ſignum*,cùm elementaris & ſenſibilis non ſit ; vel ad rem *ſignatam*, cùm juxta ipſos à gratia diſtinguatur,patet eſſe merum *Non ens*.

RESP. REDING: 1. *Scotus negavit quidem , verba Scripturæ & ſententias Patrum tam claras eſſe,ut character ex iis demonſtrativè evinci poſſit,niſi accederet Eccleſiæ authoritas & verbum traditum ac in Eccleſia propagatum. Attamen in Scripturis virtualiter contineri non negavit.* 2. *Sanè characterem S.Patres non pauci, inprimis Dionyſius Areopagita de Hier.Eccl cap.2. Baſilius Exhort.ad Bapt. Cyrillus Hieroſ.Præfat.Catech. Chryſoſtomus homil.2 in Ep.ad Epheſ. Ambroſius de Spir.S.lib.I.6. Auguſtinus de Baptiſ. lib. VI.1. aſſerunt.* Tomo II.Tract.V.Ss.2.pag.58-60. Reſp. 1. Imò characterem à Scholaſticis venditatum nec ex Scripturis,nec ex Patribus probari, Scotus, aliíque affirmant. Ille enim *in 4.Sent.diſt.4.q.9.* ſic ſcribit: *Nec ſacra Scriptura iſtud exprimit eſſe neceſſarium in baptiſmo : nec Sancti explicitè : nec ſequitur evidenter ex veritate baptiſmi credita, &c. Hic reſpondetur, quod Sancti tradunt de charactere ſecundùm illum modum, quo loquimur, ut adductum eſt de Dionyſio & Damaſceno. Sed illæ authoritates videntur tantùm eſſe vocales,& non ad intentionem eorum.* Infra: *Tamen aliquæ allegantur, non concludentes ex Auguſtino de Baptiſmo contra Donat. cap. 6.* (quem locum etiam Redingius citat) *In iſta authoritate ſæpius nominat characterem. Sed apparet, quòd nihil ad propoſitum ſecundùm ſignificationem characteris, de quo loquimur.* Tandem concludit : *Propter ergo ſolam authoritatem Eccleſiæ, quantum occurrit ad præſens,eſt ponendum,characterem imprimi.* Gabriel Biel *in 4.Sent.diſt.6.q.2. dub.6.* ſatis ingenuè: *Omnia quæ de charactere dicuntur,pro magna parte ſunt voluntaria, & modica ratione fulta.* Ibidem: *In toto canone Bibliæ non invenitur , niſi Apocal. XIII. & ſeq. ubi fit mentio de charactere Beſtiæ.* Qualis ergo,ſine teſtimoniis Scripturæ & Patrum traditio? Quod argumentum,ſine iiſdem,& in *voluntariis* ac *modica ratione fultis*,Eccleſiæ præbet authoritas? Quæ humana, ſine demonſtrata revelatione, ſi quid ad fidem pertinens definit, Antichriſtiana, quæ characterem etiam ſuum jactat, non Chriſtiana eſt. Et cur non potiùs ad quæſtionem meam, *an character ad ſignum, an ad rem ſignatam pertineat*, reſpondes ? Nempe tibi aqua hæſit. 2. De Patrum teſtimoniis jam Scotus reſpondit. Et author Lexici Theologici Johannes Altenſtaig,ab Aria Montano Antverpiæ probatus,in vocabulo *Character* negat,*vel authoritates S.Scripturæ,vel Patrum teſtimonia originalia cogere ponere characterem ad hunc intellectum , in quo à recentioribus doctoribus accipitur.* Neque ſanè characterem Patrum teſtimonia quicquam fulciunt , tum quia de Baptiſmo ſolo illi loquuntur, cùm Tridentini eundem confirmationi quoque & ordini imprimi definiverint : tum quia vos verborum ſtrepitus nimium titillat, utpote qui apud Patres à te citatos pleroſque *ſignaculum* vel *obſignationem*, vel *ſignum* legentes, ſtatim exclamatis, vos reperiſſe, quòd pueri in faba; cùm tamen iis locutionibus non aliud quàm ſymbolum externum Baptiſmi, ejúſque actio & Sacramentum univerſum,quod quoad rem ſignificatam in anima, quoad ſignificantem

ficantem sensibile & corporeum est; describatur: tum denique quia de Spiritu S. nos interiùs signante & obsignante dicta ilico ad commentum characteris sacramentalis stabiliendum rapitis.

ARG. II. Confirmatio & ordo non sunt Sacramenta. Baptismus quidem Sacramentum est, sed non determinatus à Deo ad eam, quam ei affingunt adversarii, operationem. Nullus ergo per ea character imprimitur.

Resp. Reding: *S. Augustinus ex charactere impresso Baptismi irreiterabilitatem probavit. Cùm ergo etiam confirmatio & ordo irreiterabilia sint, pari ratione characterem imprimunt.* Ib. pag. 60. Resp. S. Augustinus baptismum ipsum characterem appellat, nuspiam baptismi effectum; & quidem diversum à baptismi gratia. Et sic appellat, disputans contra Donatistas, iterationem Baptismi ab hæreticis collati præscribentes. Ille verò negans hæreticorum baptismum iterandum, urget passim, agnoscendum esse characterem. Ita ille *de Bapt. lib. VI. 1. Ovem*, inquit, *quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus prædatoribus suis acceperat.* Ita *Epist.* 23. 50. 204. *Quæ consecratio reum quidem facit hæreticum extra Domini gregem habentem Dominicum characterem. Plus habet juris, quòd in eis character agnoscitur. Et vos oves Christi estis, characterem Dominicum portatis in Sacramento quod accepistis.* Sic in *Joh. tr. 6. Non mutatur, sed agnoscitur. Character est Regis mei: non ero sacrilegus. Corrigo desertorem, non immuto characterem.* Ubique character ipsi Baptismus est. neque uspiam disparat. Profer, si potes, locum unicum, quo is characterem ceu effectum, à Baptismo, ceu causa, distinguat. Sermone *de gestis cum Emerito* dicit: *Si Donatus nomine Donati baptizaret, Donati characterem infigeret.* An sic censuit, Donatum impressurum fuisse animo aliquam qualitatem? An potiùs notam externam, seu tesseram suæ communionis? Si igitur Baptismo character à se diversus, & à Sacramento effectus non inest: multò minùs Sacramentis fictitiis inerit.

ARG. III. Neque etiam, quod pertendunt adversarii character potest esse διακριτικὸς Christianorum, eo utentium. Discerneret enim nos vel apud Deum, vel apud homines. Non discernit autem nos *apud Deum*, quia is scrutator cordis & renum ad cognoscendum suos charactere non indiget. Non *apud homines*, quia id faceret vel in hac, vel in futura vita. Non *in hac*, quia character spiritualis esse dicitur. Unde in turba hominum ignotorum baptizatum à non baptizato, confirmatum à non confirmato talis characteris indicio nemo discernet. Non *in futura*, quia in ea nec damnati nec glorificati hac discretione indigebunt.

Resp. Reding: *Etsi Deus non indiget charactere tanquam medio baptizatum à non baptizato distinguendi, eo ipso tamen, quòd in essentia sua omnium ad extra causatrice, characterem baptizato impressum noscit, eum à baptizato discernit. Nisi characterem in te agnoscat Angelus, (ita Basilius loquitur) quomodo pro te pugnabit? Homines verò etsi characterem intuitivè discernere nequeunt, supposito tamen verbo Dei, quo certi sunt, Baptismum ob characterem non esse iterandum, abstractiva cognitione judicare possunt, hunc non illum baptismi capacem esse.* Ib. pag. 60. Resp. Videris mihi disputare satis pallidus,

dus, & parùm artibus tuis confidens. Nihil enim præter falsas hypotheses tuas reponis; nempe quòd Deus characterem baptizato impresserit, atque sic eum à non baptizato discernat; (cui verò bono, cùm sine charactere discernat infinita sua scientia, quæ γνωρίσματα, fictitiis inprimis, non indiget) quòd character, quem Angelus in fideli agnoscit, sit aliquid à Sacramento distinctum: quòd ex revelatione Divina character abstractiva cognitione videri possit. cùm nulla tamen uspiam revelatio extet. Verbo dicam, fidei vividæ opera, confessio, vitæ novitas, doctrinæ veritas, & subinde Sacramenta, non character, utpote & rationis & fidei oculis ἄδηλο-, fidelem ab infideli discernunt.

ARG. IV. Sacramentorum eadem est operatio, eadem efficacia, saltem quoad speciem. Sed Eucharistia in N. Test. juxta illos nullum characterem imprimit aut relinquit.

RESP. REDING: *Falsum est, Sacramentorum eandem esse operationem, quoad speciem. Eucharistia verò, utpote iterabilis, charactere non indiget.* Ib. pag. 60. Resp. Etsi non idem in Sacramentis quoad speciem est operandi modus: eadem tamen est res, quam obsignando operantur; Christus, gratia fœderis, justitia. Cùm igitur ab his discrepet character, quem Sacramentorum nonnullorum effectum statuitis, planum est, illum non rem, sed chimæram esse. Neque irreiterabilitas Sacramenti à charactere pendet, uti infra probamus.

ARG. V. Character ille sacramentalis, quem fingunt, in nonnullis inducitur & aboletur. Docent enim, tum omnem internam gratiam animis inditam sæpe amitti, semper autem amitti posse; tum pro merè laicis habendos esse, qui olim in ecclesia Romana Sacerdotio functi, Evangelium inter Reformatos prædicant; tum tria illa officia, quorum gratiâ character confertur, in hæreticis & apostatis planè cessare. Ergo non est indelebilis.

RESP. REDING: *Aliter nos docemus; nempe & Sacerdotes apostatas quoad substantiam Sacerdotes esse, & validè Eucharistiam celebrare, licet jurisdictione per Ecclesiam concessa priventur: & officia illa tria, quorum gratia character confertur, in hæreticis, quoad valorem ordinis & potestatis non cessare.* Ib. pag. 61. Resp. Nulla est Ministrorum Ecclesiæ jurisdictio propriè dicta. Hæc enim vel Divina est respectu spiritualium, vel humana respectu civilium. Illa solius Dei est; hæc ex delegatione Divina potestatum in mundo eminentium. Quid igitur hæretici, apostatæ amittunt, si potestatem ordinis non amittunt? Egregios verò Sacerdotes, qui quoad substantiam & valorem officiorum manentes tales, apostatæ & hæretici esse possunt! Consortibus vestris gaudete sacrifici!

ARG. VI. Non alium in finem character hic sequioribus temporibus, post Gratianum & Lombardum, uti prætenderunt nonnulli in ipsa Synodo, inductus est, quàm ut Sacramenti certitudo fluxæ arenæ inædificetur, & consolatio vera, quæ ex Sacramentis hauriri debet, tollatur.

RESP.

by Google

Resp. Reding : *Non sic Sacramenti certitudo fluxæ arenæ inædificatur, sed potiùs Sacramenti irreiterabilitas confirmatur.* Ib. pag 61. Resp. Non figmento characteris, sed solidiori fundamento Baptismi irreiterabilitas nititur. *Magis ignotum est, Baptismum imprimere characterem, quàm iterari non posse*, inquit Gabriel Biel loco supra citato. Idem Scotus *in 4. dist.6.q.7.* judicavit.

ARG. VII. Haud obscurè character ille traducitur Apocal.XIII.17.XIV.11, sub nomine characteris bestiæ & nominis ejus.

Resp. Reding: *Hunc characterem impressum video fronti tuæ, eò quòd adores bestiam hæreseos, & imaginem ejus. Christi characterem ex Baptismate acceptum superinducto Bestiæ charactere deformare non cessas, quousque bibes de Apocalyptico vino iræ Dei.* Ibid. pag.61. Resp. Bona verba, Redingi! Tolutim modò badiza-Babylonicum prostibulum Bestiæ inequitans, Romæ vel stabulatum esse, vel stabulaturum quandoque, vestri doctores pridem definiverunt: ego hodiéque stabulari, alibi demonstro. Ubi prostibulum equitans est, ibidem est Bestia, quæ inequitatur. Ergo & hæc Romæ, & in ditione universa Babylonis est. Mihi verò cum Roma nihil unquam, laus sit Deo, commercii fuit. Tu nuper Romam equitasti, & bibisti ex aureo poculo plenis faucibus. Sed doluit fortè, quòd fictitio Sacerdotii tui charactere acquiescere jussus, sublimiorem, tuis in suffulcienda dominatione Archimystæ vestri meritis dignum, non retulisti. Sed ad argumentum. Bestiæ datum est, ut faceret omnes, parvos & magnos, divites & pauperes, liberos & servos characterem habere in manu dextra & in fronte, & ut charact[illegible]o destituto nec emere nec vendere fas sit, Apoc.XIII.16.17. Cùm Bestia æquè ac Mulier Babylonica ei insidens Romæ sit, characterem Roma dependere sequitur. Imprimit autem Roma *fronti* quidem characterem per Exorcismum baptismalem, & confirmationis Sacramentum, aliáque hujusmodi præstigiarum Pontificiarum amuleta: *dextræ* verò characterem indelebilem itidem per Sacramentum ordinationis, in quo ordinandi omnes manu dextra signantur. Vis characteris est, ut sic signati domino Romæ obnoxii sint toti, & jus emptionis ac venditionis acquirant. Atque vos jus illud characteristicum interdum ita urgetis, ut præ vobis feratis apertè, *Infantem, dum à Romano Sacerdote baptizatur, Pontifici Romano obligari, ut contra talem, si deinceps deficiat, actio perjurii sit.* Et constat satis, Romam non aliud esse quàm Emporium, ubi non aliud ferè agitur, quàm quòd emitur & venditur. Cujus etiam officiarii, ceu Publicani, hoc agunt, ut beneficia, quæ redemerunt, quàm carissimè vendant, secundùm illud Jer.XXII.17. *Nec oculi, nec cor tuum aliud, quàm avaritiam meditantur.* Audes ne hæc, Redingi, inficias ire? Et an Spiritus S. Sedis Romanæ characteribus hisce fictitiis sese proferentis, & nundinationem spiritualem insatiabiliter exercentis designationem vivis magis coloribus depingere potuit? Non igitur calumniandi animo, sed vaticinii impleti evidentia motus ex locis allatis argumentum texui. Cui enim bono prophetiæ, si eventu facem præferente eas applicare non licet?

ARG. VIII. Denique in ipsa Synodo multi eum in dubium vocârunt, eò quòd nec Gratianus, nec Lombardus ejus meminisset, imò Scotus diceret, *neque Scripturæ, neque Patrum verbis necessariò esse ponendum.* Imò Biel post longam de charactere disputationem subjicit: *Omnia quæ de charactere dicuntur, pro magna parte esse voluntaria & modica ratione suffulta. Neque*

authoritatem Scripturæ, neque Sanctorum Patrum cogere, ut ponamus characterem hoc modo intellectum.

RESP. REDING: *Ex Suavis Polani commentis agis. Et de Scoto supra diximus. 2. Etsi quæ de charactere ex subtilitate Scholastica disceptantur, non obligent fidem; Dogmatica tamen veritas à Concilio tradita obligat.* Ib. pag. 61. Resp. 1. Suavis, non contradicente Pallavicino, recensuit. Et de Scoto nos quoque supra. 2. Plerique ante Concilium Tridentinum emunctiorum narium doctores, uti supra dicere occupavimus, sic de charactere disputârunt, ut parùm à negantibus eum absuerint. Etsi enim non reluctati sint temporis sui tyrannidi, tamen obliqua quadam elusione eam infirmatum iverunt. velluti cùm quis igni violento lignum subducit. Certè magna est præscriptio adversus ea, quæ docentur, quomodocunque doceantur, sed maximè in Ecclesia; cùm nec ratione necessaria, nec authoritate sive Divina, sive humana niti arguuntur. Et tamen non tantùm nihil larvæ Tridentinæ docuerunt, sed anathematismo tantùm, perinde ac si certissimus & antiquissimus fidei articulus esset, subjecerunt id, quod ante id temporis, hoc est, nudius tertius aut quartus neque ratione ulla, nec authoritate idonea constabat. Perinde ac si fides Christiana semper esset, uti loquuntur illi, in fieri, quotidie articulis dotanda. Et, quod majus est, figmentum hoc otiosorum Monachorum ita seriò definitum non aliò ferè conducit, quàm ut per illud testimonia Scripturæ & veterum de vera Christianorum signatura detorqueantur. Unde mirum non est, varias dissidentésque sententias subtiles illos Scholæ Magistros exercuisse olim, & hodiéque exercere. quod solet accidere novis commentis, quorum pro temporis brevitate, nondum est excocta, purgatáque materia. Litigant enim ad nauseam usque, *an character idem sit cum gratia, nec ne*, affirmante Scoto, negante Biel, & sequacibus: *sitne genus entis absolutum, an relatum*, asserente illud Bellarmino, hoc Soto, & Durando, Rubeo: *in quo subjecto consistat, an in animæ substantia*, uti Bellarminus, Suarez; *an in facultatibus animæ*, uti Thomas; *& in qua facultate, intellectu*, uti Thomas; *an in voluntate*, uti Turrecremata, Cajetanus, Soto Vasquez; *quodnam sit qualitatis genus, an dispositio, vel habitus*, uti Alexander Alensis, Suarez; *an potentia*, uti Thomas, Turrecremata, Soto, Rubeus, & cum his Redingius: *an passio*, uti alii; *an figura*, uti Marsilius; *an sit qualitas univocè, an reductivè*, quarum prius Suarez, posterius Thomas censent. Hæc illi in suis gurgustiis, non inter se æquiores, quàm iniqui nobis. Et cùm nihil inter se liquidi constitutíque habeant, à se tamen cuncta arcana postulari, & velut à talpis oculos mutuari jubent. Cùm verò in Scriptura tradi, nec in Patribus commendari, nec à ratione fulciri characterem, cum veteribus, Scoto, Durando, Biele, Cajetano, aliis consentiamus: adeóque non alia quàm Ecclesiæ Tridentinæ novissimæ authoritate nitatur, nos eum explodimus meritò, & Theologastros in mustaceo lauream quæritantes cordatè ridemus.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Unctio & obsignatio fidelium per Spiritum S. est character Sacramentalis & indelebilis, 2. Cor. I. 21. 22. Ephes. I. 13. 14. IV. 30. Apoc. VII. 3. At illa contingit in tribus illis Sacramentis, utpote in quibus Spiritus S. confertur.* Resp. Unctio & obsignatio illa per Spiritum sanctum cum Sacramentali illo charactere nec nomine, nec re convenit, Non *nomine*, quia nomen *characteris* ibi non occurrit,

Digitized by Google

currit, neque etiam de Sacramentis ibi sermo est. Non *re*. Nam unctione illa & obsignatione per arrhabonem Spititus S. metaphoricè declaratur communicatio gratiæ spiritualis, & confirmatio cordium de adoptione nostra filiali ac salute æterna. Utraque propria est fidelium. Tum non minùs ad V. quàm N.T. pertinet. Utrobique enim idem fidei Spiritus obtigit 2.Cor.IV.13. Nihil horum dici potest de fictitio charactere. 2. Accedit, quòd etiam Cajetanus, Dionysius Carthusianus & Thomas in locis allegatis alia omnia, quàm characterem ejusmodi intelligunt.

EXCIP. REDING: 1. *In loco 2. Cor. IV. 13. hoc unum asseritur, Apostolos inter se eundem Spiritum habere. An inde sequitur, si in N.Test. character est, etiam esse in Veteri? Ineptiæ! Et annon spiritum Prophetiæ habuerunt veteres, quo spiritus Calvinisticus caret? 2. Falsò id Thomæ, Cajetano, Dionysio imponis. Thomas enim 3.p.q.63.a.1. probante Cajetano ib in Com. ex loco 2.Cor.I.21.22. astruunt.* Ib.pag.62. Resp. 1. Non sequeris me presso pede. Aqua tibi hæret. Denuo pertendo, in locis allegatis nec nomen, nec rem characteris perspici. Tu ostende. In loco 2. Cor. I 22. 23. vera Christianorum omnium signatura docetur, quibus attribuitur tum *χρίσις unctio*, seu cordis per spiritum fidei purificatio; tum *βεβαίωσις confirmatio in Christum*, & *σφράγισις obsignatio*, quia per unctionem & cum unctione illa Deus confirmat & obsignat suos, & quasi notam in illis ponit, dum non tantùm illis dat Sacramentum, quod est *ἐπερώτημα καλῆς συνειδήσεως interrogatio bonæ conscientiæ*, sed etiam dat *συμμόρφωσιν conformationem cum Christo in passionibus*, (ib.v.6.7.) per quam & mundo & fidelibus conspicabiles sunt: tum denique *ἀῤῥαβῶν πνεύματος arrhabo spiritus in cordibus eorum*, hoc est, Spiritus S. tanquam pignus, dictans spiritui nostro, quòd simus filii Dei. Quo spiritu obsignati *πιστεύσαντες credentes* dicuntur, Ephes. I. 13. quia nemo sine Spiritu promissionis in Christum credit. Et Spiritu S. ceu arrhabone etiam obsignatos sic fuisse Veteris Testamenti fideles, quibus characterem non tribuitis, an negare ausis? Certè 2. Cor. IV. 13. Apostolus dicens: *Habentes eundem Spiritum fidei, sicut scriptum est*, (Psal. CXVI. 10.) *credidi & locutus sum; etiam nos credidimus & locuti sumus.* Ex identitate Spiritus, quem David & Apostoli habuerunt, identitatem fidei utrorumque probat. Proin τὸ *αὐτὸ πνεῦμα idem Spiritus* V. & N.Test. fidelium spiritum eundem notat. quasi dicat, habentes eundem cum Davide Spiritum, cum Davide credidimus & locuti sumus. Si de eodem, Apostolorum duntaxat, uti tu textum pervertis, Spiritu loqueretur, nulla esset ex fide & loquela Davidis ad fidem & loquelam Apostolorum illatio. Unde eundem V. & N. Test. Spiritum fuisse, contra Manichæos ex eo loco docuerunt veteres, & Interpretes etiam vestri; Estius inprimis, & alii apud eundem. Dispar ratio est spiritus prophetiæ. qui singularis olim fuit, non communis est fidelium utriusque fœderis. Quo si caret spiritus Calvinisticus, qui prophetiam obsignatam credit; multò magis caret Papistico-Monasticus, quia mundus Spiritum Dei in universum, nedum propheticum, non capit. Thomam, Cajetanum, Dionysium Carthusianum citavi. Nam in commentariis ad loca citata per *σφράγισιν* seu *signationem* illam Apostoli Thomas *signum fidei Christi, item signum crucis & gloriæ consequendæ*; Cajetanus, *sigillum Apostolicæ gratiæ in testimonium verorum Ministrorum Evangelii*; Dionysius Carthusianus *scriptionem in libro vitæ*, intelligunt. characteris mentione nulla. In Summa verò à te

allegata Thomas locum illum inter repugnantia argumenta quidem narrat; sed in conclusionis probatione ejus non meminit. certo argumento, quòd ad probandum characterem infirmum nimis judicaverit. Par ratio est loci Ephes. I. 3. ubi per *obsignationem*, quæ fit spiritu, Cajetanus *Spiritum & gratiam Dei, signaculum adoptionis & hæreditatis æternæ*, Dionysius *Divinæ prædestinationis indicia*, Thomas *charitatem in cordibus nostris effusam* interpretantur. In loco verò Ephes. IV. 30. quem Bellarminus ad characterem Baptismi trahens, manifestè corrupit; iidem consentientes *gratiam salutiferam* intelligunt.

OBIECT. II. *Circumcisio fuit baptismi quidam typus & figura. Sed illa in corpore relinquebat quoddam resecti præputii cauterium. Ergo etiam baptismus relinquit signum, juxta vaticinium Esaj. LXVI. 19.* Resp. 1. Baptismus circumcisioni respondet non ut res signata, sed ut novus typus respondens veteri. 2. Figuræ nihil probant, nisi ex sensu literali firmum priùs positum sit fundamentum. 3. Esaj. LXVI. 19. *Signi* voce non character animi intus latens, sed fidei Christianæ professio & prædicatio intelligitur. Ita in portubus ad mare collocatur conspicuum aliquod signum, ad quod nautæ cursum dirigant.

EXCIP. REDING: 1. *Epiphanius hæres. 8. circumcisionem & Baptismum sic comparat.* 2. *S. Paulus 1. Cor. X. 11. docet, in V. Test. omnia in figura contigisse.* 3. *Esaj. LXVI. 19. character Dominicus intelligitur.* Ib. pag. 62. Resp. 1. Epiphanii hæc verba lego: Ἡ περιτομὴ σαρκικὴ ὑπηρετήσατο χρόνῳ ἕως τῆς μεγάλης περιτομῆς, τουτέστι τοῦ βαπτίσματος, τοῦ περιτέμνοντος ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτημάτων, καὶ σφραγίσαντος ἡμᾶς εἰς ὄνομα Θεοῦ. *Circumcisio carnalis inservivit tempori, ad magnam usque circumcisionem, hoc est, Baptismum, qui circumcidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei.* nempe quomodo idem *hær. 30.* Baptismum ὅλον σῶμα σφραγίζειν καὶ περιτέμνειν ἀφ' ἁμαρτίας *totum corpus signare, & circumcidere à peccato* dixit. At signari Baptismo corpus, quis negavit? Et quid hoc ad characterem, cujus subjectum animam facitis? 2. S. Paulus 1. Cor. X. 11. ταῦτα πάντα *hæc omnia*, quæ *typos illis*, veteribus, *contigisse* ait, disertè refert ad typos, quos in præcedentibus expressit. Ibi, si potes, characterem monstra. 3. Locus Esaj. LXVI. 19. sic sonat: *Venient & videbunt* (gentes) *gloriam meam.* ושמתי בהם אות *Et ponam in iis signum, & mittam ex eis, qui evaserunt, ad gentes Tharsis, Pul & Lud. &c. quæ non audiverunt prædicationem meam.* Character hic Dominicus traditur, inquis. Nemo te ineptior, pertinacior nemo. Characterem imprimi Christianis universis, sive ex Judæis, sive ex gentibus conversis, & quovis Ecclesiæ N. T. tempore asseris. At signum illud in loco Esajæ promittitur quibusdam ex gentibus, quæ congregandæ videbunt gloriam Dei; & novissimo tempore Ecclesiæ N. T. quod & textus docet, & Hieronymus, aliíque affirmant. Signum ergo *crucis* Tirinus, aliíque: *charismata Spiritus S.* Menochius: *vexillum*, quod unum omnibus proponitur, Emmanuel Sa; alii vestrûm aliter explicant. Quibus etiam præferendam esse explicationem nostram, vel solum id arguit, quòd idem Propheta cap. XI. 10. *Radicem Jesse*, Christum in Evangelio prædicatum, stare לנס עמים *in signum*, seu *vexillum populorum*, eodem, quo diximus, sensu, scripsit.

OBIECT. III.

OBIECT. III. *Deus quos diligit,ijs certas infundit qualitates fidei, spei & charitatis. Ergo etiam ijs,qui Sacramentis utuntur,certum characterem imprimit. Absque eo enim apti non forent ad percipienda Sacramenta, aut alia præstanda officia.* Resp. 1. A genere ad speciem affirmativè non rectè concluditur: multò minùs ad speciem controversam & commentitiam. 2. Deus omnes, qui Sacramentis utuntur, non diligit ad salutem. 3. Neque gratia interior disponens & aptos reddens utentes Sacramentis, semper conjuncta est cum externo signo, cùm potiùs eam Deus liberè dispenset, ubi, quando & quantum vult, Rom.IX.14.

EXCIP. REDINO: 1. *Dialectices universale principium est, quòd quicquid dicitur de omni,dicatur etiam de quolibet sub eo contento. Hujus ergo imperitus es,asserens, à genere ad speciem non rectè affirmativè concludi. 2. Si Sacramenta sigilla sunt,gratiam obsignantia,quomodo Deus non omnes iis utentes diligit? 3. Sacramentorum percipiendorum aptitudo non est formaliter gratia sanctificans. Nam & apud vos qui ad Eucharistiam admittitur, aptus ad eam esse debet per acceptum priùs baptismum. Neque iccirco gratia sanctificante pollere quemlibet Sacramentis utentem, conceditis. Illa verò aptitudo non aliud quàm character est. Quicunque enim, uti rectè Thomas arguit,ad aliquid deputatur,consuevit ad illud consignari, sicut milites, qui ascribebantur ad militiam antiquitus, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eò quòd deputabantur ad aliquid corporale. Cùm ergo homines per Sacramenta deputentur ad aliquid spirituale, pertinens ad cultum Dei, consequens est,ut per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur.* Ib.pag.62.63. Resp. 1. Tene, Philosophorum ocellum, adeò pueriliter nugari? An ergo si corpus est, corpus animatum: si animal est, homo est? Et erit tamen, si à genere ad speciem affirmativè argumentum currit. Quod omni inest,cuivis sub omni contento inest, & de eo rectè affirmatur. Non ideo à genere ad speciem affirmativè arguimus,quia genus per differentiam modò ad hanc, modò ad illam speciem oppositam restringitur, & sic oppositæ species disjunguntur. Sed hæc ad tyronum subsellia relego. 2. Sacramenta ex Dei institutione sunt sanè sigilla gratiam obsignantia; sed non cuivis,verùm iis,qui jam filii Dei, & justitiæ Christi participes sunt. Aliis enim, qui extra Christum sunt, Sacramenta usurpata licet,non gratiam, sed damnationem potiùs,quandiu vera fide Christo insiti non sunt,obsignant. Non igitur quosvis Sacramentis utentes Deus diligit. 3. Cùm Sacramenta ex Dei institutione ad solos fideles & justificatos pertineant, quotquot fide & justitia, adeóque gratia etiam sanctificante destituuntur, ad eorum usum aptitudinem nullam habent. Et quid tamen hæc argutatio tua ad rem? Ego gratiam interiorem disponentem & aptos reddentem utentes Sacramentis conjunctam semper esse cum externo signo; adeóque à Sacramenti charactere aptitudinem ejusmodi pendere,nego. Hoc tibi oppugnandum fuerat. Neque nova illa,quam ex Thoma urges, ratio stringit,tum quia non si *consuevit* ita fieri, necessum est, ut semper fiat: tum quia exempla contraria prostant,cùm ille ipse militum consignandorum mos nec semper obtinuerit,quippe ab Imperatoribus demum Romanis introductus,nec apud omnes, certè non apud Græcos: tum quia in ipsa Ecclesia Romana minores ordines, etsi destinentur ad aliquid spirituale, pertinens ad cultum Dei, nullum tamen characterem habent: tum quia in omnibus Sacramentis destinantur homines ad ali-

Digitized by Google

quid spirituale, pertinens ad cultum Dei; nec tamen omnia Sacramenta characterem imprimere, vos conceditis: tum denique quia non de quocunque charactere, sed de charactere, qui re differat à gratia Sacramenti, & sit indelebilis, quæritur. Aliàs fideles σφραγίζεσθαι *consignari* largimur, sed S. Paulo teste, longè alio characteris genere, Spiritu S. qui & in Baptismo, & in Eucharistia datur.

OBIECT. IV. *Nulla sufficiens reddi potest ratio, cur Baptismus non reiteretur, nisi Character.* Resp. Imò firmiora longè & solidiora firmamenta inferiùs depromemus.

EXCIP. REDINO: *An tu firmioribus firmamentis niteris, quàm olim S. Augustinus nixus est, qui irreiterabilitatem Baptismi à charactere inamissibiliter impresso derivat.* Ib. pag. 63.-66. Resp. Augustini *contra Parmen. lib. II. 13.* hæc verba sunt: *Si fortè militiæ characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa, & impetrata jam venia, militare cœperit: numquid homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potiùs agnitus approbatur? An fortè minùs hærent Sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota, cùm videamus, nec apostatas carere baptismate; quibus utique per pœnitentiam redeuntibus, non restituitur, & ideo omitti non posse, judicatur.* Quæ postrema verba Gratianus *de Consecrat. dist. 4. cap. nullus autem,* citat. Sed nihil verba hæc vos juvant. Neque enim verba hæc ulteriùs extendi debent, quàm quòd, uti in desertore, jam olim nota militari signato, si, venia ab Imperatore impetrata, militare iterum sub veteri domino cœperit, non repetitur militiæ character: similiter nec repeti debeat Baptismus, qui est militiæ Christianæ character. Ergo character ipsi est Baptismus, non aliquid realiter à Baptismo distinctum; quem iterandum non esse, illustrat à simili, non probat. Cùm verò Theologia figurativa non sit argumentativa, clarum est, irreiterabilitatem Baptismi similibus quidem ejusmodi illustrari, sed argumentis etiam priùs probari debere. Id verò Augustinus his verbis non instituit: multò minùs à charactere, distincto à Baptismo, argumentum arcessit. Aliis igitur firmioribus longè fundamentis dogma isthoc innititur. Vera enim ratio non iterandi Baptismi est voluntas Divina, uti rectè Scotus *d. 6. q. 7.* & Biel docent. Esse verò hanc Dei voluntatem, constat, tum quia nec in loco proprio, ubi baptismus à Christo instituitur, nec alibi usquam baptismum iterare jubemur, secus ac Eucharistiam 1. Cor. XI. 25. repetere jubemur: tum quia cùm tot baptizatorum exempla in Scripturis legamus, neminem tamen etiam in peccata gravia post baptismum collapsum, rebaptizatum legimus; (quod de Baptismo saltem Christi vos ipsi conceditis) quo etiam argumento Hieronymus *adv. Lucifer. pag. 146.* utitur: tum quia circumcisio, cui Baptismus initiationis æquè atque illa Sacramentum, successit, non iterabatur: tum quia fideles Christum, quem semel in Baptismo induerunt, non exuunt, sed semel in Christo nascuntur, seu renascuntur, neque nati, uti scitè S. Augustinus *tract. 11. in Joh.* loquitur, uterum repetunt; & dona Dei, vocatio inprimis quæ per regenerationem fit, est ἀμεταμέλητος Rom. XI. 29. (qua ratione etiam Thomas *in 3 q. 66.* v. g. utitur) tum quia ea est natura novi fœderis, quod Baptismus ceu sigillum ejusdem obsignat, ut non fiat caducum, hoc est, per peccata hominis succedanea non tollatur, utpote quod peccatorum quotidianorum remissionem credentibus & pœnitentibus, non denuo baptizatis, promittit. quomodo cùm maritus reconciliatur conjugi adulteræ, eam non novo matrimonio sibi copulat, sed ad prius fœdus

dus

Digitized by Google

dus revocat: tum quia Baptismus significat gratiam per modum mortis, qua morimur peccato; quæ cùm non repetatur, nec signum repetendum esse, idem, qui supra, Thomas, rectè conclusit: tum denique quia iterato baptismo abnegaretur is, in quem dominum & caput initiò baptizati sumus. Has veras & solidas ob causas Ecclesia Catholica Anabaptismum & Hemerobaptismum constanter rejecit.

QUÆSTIO V.

An ad essentiam & efficaciam Sacramenti in Sacerdote Sacramentum conficiente requiratur intentio saltem faciendi id, quod facit ecclesia?

Canon XI. desumptus ex decretis Eugenii IV. ad Armenos in Concilio Florentino anathema dicit iis, qui dixerint, *in ministris dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia.* Quæ verba per se ambigua (pro more enim etiam hic Patres ludunt cothurnis) duplicem habere sensum possunt, nempe requiri intentionem faciendi id, quod facit ecclesia, vel *ex debito ministrantis*, vel *ex necessitate Sacramenti.* Priorem sensum tanquam orthodoxum admittimus. Debet enim minister quilibet Sacramentum administrans habere intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia Christi ex instituto Domini. Qua intentione destitutus graviter peccat. Sed posteriorem sensum, quo intentio statuitur necessaria ad integritatem, efficaciam & validitatem Sacramenti, amplexam esse Synodum patet, tum quia secuta est in sua definitione Eugenium IV. in decreto super unione Armeniorum, ubi is docet, Sacramenta tribus perfici, *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia, quorum si aliquid desit*, inquit, *non perficitur Sacramentum:* tum quia anathema oppositum est Evangelicis, qui posteriorem, non priorem sensum impugnant: tum quia Ambrosii Catharini Episcopi Minorensis sententiam posteriorem illum sensum impugnantem Synodus rejecit: tum denique quia id ipsum Papatus propugnat, uti liquet ex Bellarmino *lib. 1. de Sacramentis cap.27.* ubi mentem Concilii declarans, ait primò, *melius quidem esse, ut quis habeat intentionem particularem, id est, conferendi Sacramentum Baptismi, interim sufficere intentionem generalem faciendi quod facit ecclesia*; secundò *non opus esse intendere, quod facit ecclesia Romana, sed, quod facit vera ecclesia, quæcunque illa sit, vel quod Chri-*

stus

stus instituit, vel quod Christiani faciunt; tertiò *non requiri necessariò intentionem actualem, nec sufficere habitualem, quia illa possit esse in habente contrariam intentionem, sed requiri & sufficere virtualem, qua quis intentionem quidem baptizandi non habet actu in præsenti ob evagationem mentis, sed ante habuit, & aptus est habere.* Nos intentionem ejusmodi requiri ad integritatem Sacramenti negamus, asserimúsque, ad integritatem Sacramenti sufficere ejusmodi administrationem, quâ servatur Christi institutio, & minister baptizans v. g. exteriùs profitetur, neque vulgarem se intendere lotionem, nec puerilem lusum, aut mimicam irrisionem, aut qualemcunque mysterii profanationem per jocularem & irrisoriam verborum recitationem, sed seriam executionem illius, quod Christus instituit, idque re ipsa quoad externum actum ritu, verbisque præscriptis exequitur, quicquid tandem minister intus apud se sentiat, aut animo volvat. Rationes nobis sunt firmissimæ sequentes.

ARG. I. Efficacia Sacramentorum dependet à solo Deo, Eph.V. 26. Tit. III.5. Non igitur ab intentione ministri.

RESP. REDING: *In locis citatis Deus quidem dicitur per lavacrum regenerationis mundare, sanctificare, salvare: sed non exclusis Ministris. Etenim tu ipse ad Sacramenti integritatem requiris administrationem, qua Christi institutio servatur. Et verò de natura dispensationis est, ut nisi fiat cum animo dispensandi, ejus valor non subsistat.* Tomo II. Tract.V.Ss. 2. pag.67. Resp. An verò Ministri ipsi quoque baptizantes v. g. à peccatis mundant, lavant, sanctificant? Non puto equidem. Dispensant externa signa ex institutione Christi. Sed efficacia signorum sicut non procedit ab inhærente signis qualitate: ita nec à Ministri actione, nedum interna intentione. Aliàs à Ministris baptizati à peccatis mundarentur, lavarentur, sanctificarentur omnes. Contrarium exemplo Simonis Magi constat. Rectè Lombardus *lib.4. d.5. cap.2.* Sacramentum Baptismi à bonis & malis juxta dari probat, *quia ministerium tantùm habent, non potestatem Baptismi. Quod novit Johannes, cùm vidit columbam descendentem super Christum. Unde Augustinus: Quid noverat Johannes Baptista? Dominum. Quid non noverat? Potestatem Dominici Baptismi in nullum hominem à Domino transituram: ministerium planè transiturum: potestatem à Domino in neminem; sed ministerium in bonos & malos.* Cùm igitur efficacia Baptismi ad ejusdem potestatem pertineat, si à Sacerdotis ministri intentione efficacia Sacramenti pendet, non ministerium duntaxat, dispensandi externa signa; sed potestas etiam efficiendi rem significatam in eum transiverit oportet. Requirit sanè dispensatio voluntatem dispensandi in causa principe, at non ministra. cui satis est ad efficaciam dispensationis, si partibus mandatis ritè defungatur.

ARG. II. Eadem est ratio Sacramenti, quæ verbi prædicati, cùm utrumque sit organum Dei, & illud quidem verbum visibile, hoc audibile. Atqui verbi prædicati efficacia non pendet ab intentione ministri, Rom.I.16. Phil.I.16.17. Ergo nec Sacramenti.

RESP.

Digitized by Google

RESP. REDINO : 1. *Annon etiam in Ministro prædicante verbum intentio prædicandi verbum requiritur? Annon Phil.I.16.17. τὸ ex charitate, ex contentione indicat intentionem? 2. Cùm natura verbi, qua locutio humana est, exigat, ut proferatur ex intentione loquendi, seu sensum suum alteri manifestandi; verba autem Sacramentalia debeant esse formaliter humana, quibus gratia vi Sacramenti conferenda significetur, de eorundem essentia esse intentionem, sequitur. Atque id inductio Sacramentorum omnium probat.* Ib. pag. 67.68. Resp. 1. Intentionem prædicantium verbum requiri quis negat? Sed ex *officio prædicantis*, hoc est, ut ille sincerè agat, fidelis sit, & non histrio vel irrisor; non impunè certè laturus hypocrisin; non *ex necessitate & efficacia verbi*. Ita præconis verbum ex præscripto Principis summi pronunciatum efficax est, quicquid ille animo occultet, vel intendat. Par ratio est Sacramenta dispensantium. Neque natura verbi humani significantis, & à Ministro proferendi in eo consistit, ut ex Ministri intentione proferatur. Quid enim si Minister verbum sibi à Principe præscriptum, *Absolvo te*, contraria intentione proferat? An tum verba, *Absolvo te*, efficaciam contrariam, damnandi scilicet, habebunt, & Principis voluntas, per verba illa à Ministro prolata absolvere intendentis, irrita cadet? Par iterum verborum Sacramentalium ratio est.

ARG. III. Defectus probitatis, & peccatum mortale in ministro non impedit, quò minùs verum Sacramentum conficiatur juxta Canonem XII. ubi anathema dicitur iis, qui negant, *ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum pertinent, servaverit, conficere aut conferre Sacramentum.* Ergo nec defectus intentionis, qui improbitas & peccatum mortale etiam censetur, id impediet. Nam quod de genere verum est, id etiam de specie affirmari potest.

RESP. REDINO : 1. *Si quod de genere verum est, etiam de specie verum est, quomodo supra à genere ad speciem affirmativè concludi posse, negasti? 2. Sacramentum ex defectu intentionis non ideo invalidum est, quia defectus ille reatum peccati mortalis importat; sed quia tunc deficit signi, qua humani, ratio.* Ib. pag. 68. Resp. 1. Supra jam te ita pueriliter nugari dedocui. Quicquid generi univoco nominis & rei inest, cuilibet ejusdem subjectæ speciei æqualiter inest. Sed non vicissim, quia species per accedentem differentiam constituitur & contrahitur. 2. Ridiculum planè est, deficiente intentione interiore, signi, qua humani, rationem deficere. Nam ratio signi ex Divina institutione tota, non ex qualitate vel intentione ulla Ministri, cui signi dispensatio credita est, pendet. Destituit te & ratio & pudor omnis, qui absurda adeò proferre audes.

ARG. IV. Hac ratione incredulitas hominum veritatem ac fidem DEI redderet irritam, siquidem absente intentione Dei veritas & fides in Sacramentis abolebitur. At prius Apostolus Rom.III.3. disertè negat.

RESP. REDINO : *An fides & veritas abolebitur, si, quam normam in Sacramentis Dei institutio exigit, eam nos dicamus necessariam? At tu supra fassus es, ad integritatem Sacramenti verba Divinitus præscripta requiri, quæ significativa esse debent. De signi autem*

tem humano modo significativi natura est, ut proferatur ex intentione significandi id, ad quod institutum fuit. Ib. pag. 68. 69. Resp. Proba tu, institutionem Divinam hanc normam exigere, ut Sacramentum validum, nisi accedente intentione & voluntate Sacramentali, esse nequeat. Ita à nutu vestro pendebit Deus, & vos vices Dei geretis, Deus vestras geret. Et vobis per contrariam intentionem infidelibus (nam & contigisse id aliquando novimus, & contingere crebrò, ob humanæ voluntatis flexibilitatem posse, quis negare potest?) veritas ac fides Dei; qua ritè utentibus Sacramentis gratiam promisit, præsentissimum discrimen incurret. Quid verò mihi verba Divinitus præscripta occinis? Præscriptam pariter sic esse intentionem, ut absque ea invalidum sit Sacramentum, proba. Tabulas petimus, non lubrica tua verba.

ARG. V. Si efficacia Sacramenti pendet ab intentione ministri administrantis, pendebit etiam ab intentione suscipientis. Quippe actio Sacramentalis complectitur non tantùm δόσιν, sed etiam λῆψιν. At intentio suscipientis, saltem in infante baptizando, non requiritur.

RESP. REDING: 1. *Unde probas, intentionem suscipiendi in infante non requiri? 2. Saltem in adultis intentionem suscipientis necessariam esse, ex Concilio Arausicano I. cap. 2. decernente, quòd obmutescens baptizari possit, si voluntatis præteritæ aliorum testimonium habeat, liquet. 3. Ad valorem Sacramenti in suscipiente non requiritur nisi habitualis intentio: in Ministro verò Sacramenti insuper virtualis. Quia enim ejus est instrumentaliter Sacramentum causare, ideo intentio ejus in actionem Sacramentalem influere debet. At intentio præterita, qualis est in habituali, nequit influere in aliquem effectum, nisi maneat saltem in aliqua sua virtute, adeóque virtualiter perseveret.* Ib. p. 69. Resp. 1. Res clarissima & ex solis terminis manifesta probatione non indiget. Intentio rationis exercitium est. quod in infantibus nullum. 2. In adultis intentio suscipientis necessaria est; neque tamen ad efficaciam Sacramenti ita illa requiritur, ut, quo tempore Baptismus v. g. administratur, sine suscipiendi ejus, tempore administrationis, intentione, nulla deinceps Baptismi efficacia esse possit. Satis est, intentionem illam per veram fidem obtinere tum, quando baptizatus ante in nomen Christi seriò ad Deum convertitur, neque tantùm ore Christum profitetur, sed verè eum cognoscere & amare incipit. cui sic demum Baptismus fit sigillum & pignus justitiæ ad consolationem efficax, qui ante fuerat tessera obligans ad hunc Dominum rectè cognoscendum, eique credendum. Ita & iis, qui in infantia Baptismum acceperunt, quando juvenes aut viri incipiunt credere, demum fit Baptismus *σφραγὶς δικαιοσύνης sigillum justitiæ.* 3. Intentionis sive in administrante, sive in suscipiente Sacramentum distinctio in habitualem, actualem & mediam, seu virtualem, distinctio vestra sophisticandi, & errores palliandi ingenio, non rei veritati, originem debet. Et olim quidem habitualis & actualis duntaxat intentionis distinctio innotuit. Ac sufficere habitualem etiam in administrante, Thomas definivit. *Licet ille,* sic enim 3. *q.* 64. *a.* 8. loquitur, *qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti.* Sed Scotus, subtilis ille, addidit tertiam intentionis speciem, virtualem scilicet. Sic enim ille 4. *in d.* 6. *q.* 6. scribit: *Ille dicitur actualiter intendere, qui habet actum elicitum respectu ejus, quod intendit. Iste autem habitualiter, qui habet habitum inclinantem ipsum ad talem actum. Sed aliquis est minùs perfectè intendens,*

Digitized by Google

dens, quàm primo modo: & perfectius quàm secundo modo. Ergo est medium inter ista duo membra. Assumptum probatur: quòd si aliquis intendit in principio Missæ celebrare Missam, si postea est distractus, non habet actualem intentionem, quando est distractus: patet, cùm non intelligat tunc illud in actu: nec habet tantùm intentionem habitualem, quòd talem habet dormiens. Habet ergo se medio modo. Cùm verò inter actum & habitum nihil detur medium, quomodo intentio media, seu virtualis, ad neutrum pertinens, detur, equidem nescio. Potest esse habitualis intentio in dormiente. Sed non propterea intentio hæc alia est ab ea, quam virtualem dicunt. Nam etiam virtualis esse in dormiente potest, velut in eo, qui proficiscatur ad S Jacobum, (hoc enim illi exemplo utuntur) & fatigatus labore somnum capiat ad vires itineri perficiendo reparandas. Et poterat Scotus minùs ineptè intentionem habitualem distinguere in dormitivam & virtualem; ac tum demum dicere, virtualem esse mediam inter dormitivam & actualem. Sed sic profectò agitis, ac si diceretis, mulierem esse mediam inter hominem & pecudem; quæ ipsa tamen homo etiam est. Et quæ intentio manet in habitu, in virtute etiam, habitus scilicet, manet, adeóque simul virtutis est. Nos verò & in administrante & in suscipiente Sacramentum requiri intentionem actualem, quæ hoc agat, non tantùm virtualem, quæ primò quidem cogitaverit de actu Sacramenti vel administrandi, vel suscipiendi, at mox in campos Utopicos divagetur & erret. Qui intentionis vagantis, vel etiam dormientis, error haud dubiè peccatum est, militans contra præceptum dispensandi Sacramenti, cui nunquam animi sensum subducere licet, & ardorem amoris Divini; licet quoad administrantem, dum partibus in institutione mandatis ritè defungatur, efficaciæ Sacramenti, quippe à solo Deo pendenti nihil obstet: quoad suscipientem verò, dum ille vera in Christum fide præditus sit, inter Sanctorum infirmitates deputandus veniat.

ARG. VI. Sed & tollitur hac ratione à Sacramentis vera consolatio, quæ est ex certitudine efficaciæ Sacramentorum. Posita enim necessitate hujus intentionis, quia ea in ministris est impervestigabilis, nemo mortalium infallibiliter esse certus potest de Sacramentorum effectu. Ita nemini mortalium, an verè baptizatus sit, citra extraordinariam revelationem constare poterit. At Sacramenta cùm sint signa & sigilla gratiæ, apta nata sunt certitudinem gignere.

RESP. REDING: *Deus in hac vita vult, ut cum timore & tremore salutem operemur, nescii, amore an odio Dei digni simus. Non incongruum igitur est, asserere, neminem extra revelationem extraordinariam ob impervestigabilem Ministri intentionem de Sacramento validè collato certitudinem, nisi moralem, habere posse. Metaphysicam autem & infallibilem habere nequit.* Ib. pag. 69. Resp. Horret animus talia legere. Non satis erat salutis & gratiæ Divinæ certitudinem convellere: nisi sigillorum etiam gratiæ & salutis certitudo ex lubrica sacrificulorum voluntate suspensa convelleretur penitus. Et qualia justitiæ sigilla sic Sacramenta erunt? Quomodo obsignabuntur, si ipsamet incerta sunt? Et quæ sic Sacramentorum apud suscipientes efficacia sese proferet? Et cùm oporteat effecti interioris Sacramentorum certitudinem esse Divinam, (propterea enim institutio est, & prædicatur omnibus Dei revelatio & voluntas, unde certus quisque esse possit, his adhibitis ritibus externis, (equi hos effectus internos) nulla hæc esse unquam potest, nisi posi-

si posito ejus fundamento, actione externa. Sicut nulla potest esse lux Solis, nisi posito Sole: nullus calor ignis, nisi posito igne; sic neque ullus effectus Baptismi, nisi posito Baptismo. Si igitur dubium sit Baptisma, uti ob defectum cognitæ intentionis nunquam non dubium erit, nulla etiam Divina certitudo effectus Baptismi esse poterit. Atque sic periit omnis fructus, efficacia omnis Sacramentorum. Denique frustra certitudinem moralem urges. Cùm enim illa duplex sit, vel conjecturalis, quæ nititur solis conjecturis in utramque partem disputandis, utpote quæ non magis in unam, quàm in alteram partem inclinent: vel indubitata, quæ nititur sensu & experientia, quæ non possunt esse rei non existentis; quam tu intelligis? Si priorem, dubium semper & incertum erit, an baptizatus sis, nec ne. Suppetent enim usque argumenta in contrarium, cùm multos ex iis, qui Sacramenta administrant, esse homines vanos & planè nequam, constet. Quod ad Scepticorum potiùs quàm ad Christianorum subsellia pii omnes relegabunt. Neque sanè quælibet præsumptio in quæstione de medio ad salutem necessario, ad conscientiæ pacem sufficit. Posterior verò locum hic habere nequit, quia interior intentio & abstrusa Sacrificuli voluntas nec sub sensum & experientiam cadit, & certitudine dubitationem omnem excludente cognosci & penetrari nequit. Ergo ne morali quidem certitudine cuiquam constare potest, se validè baptizatum esse, vel Sacramentum ullum percepisse.

ARG. VII. Eadem intentionis necessitas totum Papatum & dubium reddit, & periculo idololatriæ exponit. *Dubium reddit*, quia posito, non quotidie quidem, sed semel tantùm contingere, ut Sacerdos baptizans intentione requisita destituatur, evenire poterit, ut baptizatus ille evadat Sacerdos vel Episcopus, & Sacerdos ille quotidie Sacramenta administret, Episcopus verò magno numero Sacerdotes instituat. Hic necessariò dicendum, Episcopum talem non rite bapizatum non potuisse ordinari vel ordinare, consecrari vel consecrare, ac nihilo magis eos, quos sacris his ille initiatus fuerit. Ita unius Ministri in unica actione malitiâ, infinitæ Sacramentorum nullitates evenient. Quis autem identidem ita non evenisse certus esse potest? Urget hoc argumentum graviter Episcopus Minorensis, Ambrosius Catharinus apud Historicum lib.II. pag.215. *Periculo idololatriæ Papatum exponit*, in adoratione videlicet hostiæ, cum propter intentionis defectum non modò in Presbytero consecrante, sed in Episcopo, qui ipsum ordinavit, nec à Presbytero, nec ab ullo alio sciri possit, vel panem transsubstantiatum in corpus Christi, vel ab ullo homine transsubstantiari potuisse.

RESP. REDING: *Pericula isthæc non nostræ, sed vestræ ecclesiæ imminent. Vos enim merè laici, rejecto Episcopatus ordine, validè baptizare vel Eucharistiam celebrare nunquam potestis. atque adeò quisquis Eucharistiam vestram colit, qua Sacramentum, idololatriæ reus erit. Et quis vestrorum Ministrorum nos assecurabit, Baptismum sub forma à Christo præscripta à se collatum esse, cùm Zvvinglius ipse de vera & falsa relig. cap. de Bapt. negaverit, certam verborum formam in Baptismo esse necessariam!* 2. *Negamus ea de nullitate*

Sacra-

Sacramentorum dubia in Ecclesia nostra locum habere. Non enim dubitare licet, ubi ratio stat in contrarium, & certitudo si non Metaphysica, saltem moralis adest; inprimis cùm Ecclesia nostra promissam Providentiæ Divinæ pro se curam, & insuperabilem pro electis solicitudinem habeat. unde nefas foret timere tot mala ex unius Ministri culpa in omnes fideles citra eorum culpam redundatura. 3. Nec etiam in particulari licet dubitare rationabiliter de intentione Ministri, ubi hujus malitiæ argumentum non habetur, quia intentio Ecclesiæ de faciendo Sacramento catenus exprimitur in verbis, quibus Sacramentum perficitur, ut eo ipso moralis certitudo sit ex parte Ministri, quòd agat in persona Ecclesiæ. Implicita enim faciendi Sacramentum intentio, teste D. Thoma. 3. q. 64. a. 8. in ipsis verbis Sacramentalibus continetur, imò exprimitur, dum Minister agit in nomine & persona Ecclesiæ. Ib. pag. 69. 70. Resp. 1. Frustra de nobis solicitus es. Nondum in illis, quibus vos impliciti hæretis, syrtibus, nondum in charybdi versamur. Si Ministri nostri etiam cùm baptizant, laici sunt, ac ieciteo invalidum est, quod illi administrarunt, Sacramentum, cur ergo à nostris baptizatos, & in castra vestra quandoque transeuntes non rebaptizatis? Annon sic efficaciam Sacramenti à nostris administrati agnoscitis taciti; & quidem sive adsit intentio, sive non, utpote quam nos ad validitatem Sacramenti non requirere, haud ignoratis? Neque nos Episcopatus ordinem rejecimus unquam; sed veros Episcopos à Summo animarum nostrarum Pastore & Episcopo juxta institutionem verbi ejus ordinatos ipsos, & ordinantes alios per Dei gratiam habemus. Vobis autem Episcopos vestros, carnales statuas, non Christi Ministros, sed Romani Pontificis in terrestri ejusdem, spiritualium externa specie fucato Regno vasallos, non invidemus. Et laicos à vobis nos censeri, amplum nobis & gloriosum ducimus, cùm nihil probrosius Deo & Sanctis omnibus, quàm Romanensis Clericus, quâ talis, esse possit. Inprimis cùm ipsos etiam Imperatores & Reges, qui Dei clerus esse debuerant, ad laicorum subsellia etiam detrusos, una nobiscum plorare jubeatis. Certam verborum formam in Baptismo non esse necessariam, Zwinglium *loc. cit. Tom. II. pag.* 201. 202. dixisse, non reperio. Tantùm id observat, multò vividius esse, quod Matth. XXVIII. 19. habetur, *Baptizantes eos in nomen Patris &c.* quàm *in nomine Patris*, quemadmodum Latini habent, *quia in nomen baptizari* est *in fidem in Deum inseri.* Quid hoc, Redingi, ad rem nostram? Imò vestram potiùs verborum Christi παρερμηνείαν corrigite. 2. Nec vel moralis, hoc est, indubitata de sacrificuli intentione certitudo vobis affulget, uti supra probavi: nec Ecclesia Romana, quæ particularis fuit olim, & hodie ne quidem vera Ecclesia est; promissionem ejusmodi Providentiæ Divinæ pro ea perpetim invigilaturæ accepit unquam; nedum sacrificuli, quorum potissimùm intererat, promissione ejusmodi mactari, ne aberrante intentione, siquidem ea ad Sacramenti efficaciam necessaria foret, Ecclesiam seducerent, imò pessumdarent. 3. Desperatam denique prodis causam tuam, dum horrore tot gravissimorum periculorum, quæ tibi ob oculos posui, eò tandem te recipis, ut asseras, *implicitam faciendi Sacramentum intentionem in ipsis verbis Sacramentalibus contineri, imò exprimi, dum Minister agit in nomine & persona Ecclesiæ*, & quidem juxta ductum, uti ais, Thomæ, cujus loco à te citato hæc verba sunt: *Alii meliùs dicunt, quòd Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est Minister. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum.* Jam ergo actum est de intentionis ad efficaciam Sacramenti necessitate, si in ipsis verbis Sacramentalibus nomine Ecclesiæ prolatis continetur. Verba enim nomine Ecclesiæ (dicere potiùs debebas,

Digitized by Google

bebas, Christi, cujus nomine & authoritate dispensatores mysteriorum Dei in Ecclesia agunt) prolata, intentionem Ecclesiæ, vel potiùs Christi, qui *ἀψευδὴς mentiri nescius* est, non sacrificuli administrantis, propalant. Et Eugenius IV. in decretis ad Armenos, ex quibus suum Canonem Tridentini cuderunt, disertè Sacramenta tribus, *rebus tanquam forma, & persona Ministri, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*, perfici asserit, adeóque intentionem Ministri à verbis, ceu forma Sacramentorum, distinguit. Atque id ipsum Thomas agnovit. Nam cùm *3. q.64. a. 8.* intentionem partim astruxerit, partim sibi contradicens in verbis, quæ supra posui, destruxerit; alibi *in 4. Sent. d 6. q.1. a.2.* disertis verbis eorum astipulatur sententiæ, qui dicunt, *non requiri in baptizante mentalem intentionem; sed sufficit* (inquit) *expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta. Et ideo si forma servatur, nec aliquid exteriùs dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est.* Priùs ergo communem errorem secutus Thomas, in conflictu, videns se inevitabilis teli violentiam aliter declinare non posse, manus victas veritati dedit. Et necessum fuit vos in determinanda quæstione tam latè producere intentionis nomen, ut jam vix ullus sit motus exterior circa externas Sacramentorum ceremonias, ut intentio dici nequeat: atque adeò dormientis, etsi nominatim excipiatis; dicendo, sic interpretandam intentionem, uti in viatore eunte Hierosolymam, cui cùm in tam longo itinere crebrò accidat, ut Hierosolyma ei ne quidem in mentem veniat, tamen dicatur habere intentionem Hierosolymam eundi, quòd eam ob causam ab initio ei sit susceptum iter, quod in ipsis dormientibus negari nequit.

ARG. VIII. Crypsis hujus dogmatis est tum dubitationis de gratia justificante dogma, tum incrementum authoritatis sacrificulorum, ex quorum intentione ceu fatali crine, quicquid Deus contra decreverit, quicquid piæ animæ fidei & charitatis conatibus annitantur, salutem populi pendere hac ratione creditur.

RESP. REDING: *Nos ad Sacramentorum valorem nihil exigimus, quod ex S. literis non probetur conforme Divinæ institutioni, & Dei decreto. Non igitur larvata illa crypsis dogmatis nostri causa est.* Ib. pag. 70. 71. Resp. Nihil Divinæ institutioni, nihil decreto Dei conforme probasti; sed alia omnia. Et dogma vestrum de dubitatione huic dogmati affine esse, ipse tu non dissimulasti. Magnámque esse Sacrificulorum authoritatem oportet, si ex arcana illorum cogitatione & nutu Sacramenti fructus, & salus hominum pendet.

ARG. IX. Orthodoxam sententiam jam olim pluribus in locis Augustinus defendit, inprimis lib. 7. de baptismo c. 53. Et constat Athanasii adhuc pueri per ludicram imitationem illius, quod fieri in Ecclesia videbat, pueros ritu Ecclesiastico baptizantis actionem ab Alexandro Episcopo Alexandrino ex cleri sui consilio ratam habitam esse, eo solo nomine, quòd externus ritus κατὰ πάντα τὴν ἐκκλησιαστικὴν τάξιν administratus fuerit. Adeò procul antiquitas à Papistico dogmate abfuit. Etiam post Lombardi tempora Innocentius docuit, *ad Sacramentum non pertinere, quid Minister sciat, sentiat vel credat de effectu Baptismi.* Ipsi Sententiarii & Papistæ, quod

eis

Digitized by Google

eis ſemel excidit de neceſſitate intentionis miniſtri ad veritatem Sacramenti, ita timidè languidéque defendunt, ut eos effati ſui ſuppudere ſatis appareat. Id ex Thoma & Scoto inter ſe commiſſis demonſtrantem vide doctiſſimum Forbeſium *Inſtruct. Hiſt.Theol. lib.X.1.* Denique Catharinus in Concilio orthodoxam ſententiam defendit, & poſt Concilium peculiari libro *de Intentione* in vulgus edito, Concilii Canonem controverſum ſuas in partes pertrahere conatus eſt.

Resp. Reding: 1. *Auguſtinus validum judicavit Baptiſmum procedentem ex joco, quando proficiſcebatur ex anima repræſentandi id, quod fit in Eccleſia; ut re ipſa tamen intenderit facere id, quod facit Epiſcopus vel Sacerdos.* 2. *Athanaſius facto ſuo ita repræſentavit id, quod fit in Eccleſia, ut nihil ſimulaverit, ſed intentionem requiſitam ad valorem Sacramenti habuerit.* 3. *Innocentii dictum non facit ad rem, quia loquitur non de intentione ex parte voluntatis, ſed de ſcientia & credulitate ex parte intellectus ſe tenente.* 4. *Scholaſtici circa dogmaticam hujus rei veritatem conſentiunt. Et Catharinus ſuam ſententiam ex S.Thomæ verbis ſupra laudatis firmavit.* Ib. pag. 71.72. Reſpy. S Auguſtinus *de Baptiſ. contra Donat. lib.VII. cap.53.* quærenti, *quid ſi in Eccleſia Catholica ita celebretur ritu Evangelico Baptiſmus, ut ambo, tum dans, tum accipiens fallaciter agant, non credentes, ſed animo ſimulato irridentes*; reſpondet; *Nihil intereſſe ad integritatem Sacramenti in ipſa Eccleſia Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cùm tamen hoc idem utrique agant.* Eodem capite ad quæſtionem: *An ſi neque in Eccleſia Catholica, neque in hæreſi, ubi res ſeriò agi conſuevit, ſed tantùm ludicrè & joculariter in mimo res agatur; atque ſi accipiens inter agendum repentina pietate moveatur, ſit verus Baptiſmus, quem accipit?* reſpondet: *Suo quidem judicio verum videri Baptiſmum, ſi verbis Evangelicis & ritu Evangelico celebratus ſit, ſine ſimulatione accipientis, & cum aliqua ejus fide.* Idem *lib.2. contra Creſcon. cap.30.* ait: *In Deum credentem non ex occultis hominum pendere volumus, ſed in Domino gloriari, de quo certus eſt, admonemus.* Alibi *contra lib. Petileoni cap.7.* ſic ille: *Sæpe mihi ignota eſt humana conſcientia; ſed certus ſum de Chriſti miſericordia.* Ex quibus liquet, mentem Auguſtini eſſe, in univerſum ſufficere ad Baptiſmi veritatem, ſi ritu Evangelico celebratus accipiatur ubicunque, & à quibuſcunque, ſine accipientis ſimulatione & cum aliqua ejus fide; neque ullo modo certitudinem Sacramenti ab occulta diſpoſitione (adeóque nec ab intentione) hominis pendere, ſed ſufficere, ut poteſtatem habeat adminiſtrandi, & externo ritu Evangelico utatur, ſive fallaciter, ſive veraciter, ſive joculariter, ſive ſeriò agat. Qui verò fallaciter, qui joculariter agit, quomodo intentionem ille habere Sacramentum adminiſtrandi, judicari poteſt? Certè id ipſum Bellarminus *de Sacram. lib. I.27.* Auguſtino in os contradicens negat his verbis: *Qui intendit facere externum actum, ſed non ſeriò; is non intendit facere, quod facit Eccleſia, ſed intendit ſimulare, quod facit Eccleſia.* 2. Athanaſium puerum non intendiſſe niſi ludicram imitationem illius, quod in Eccleſia fieri viderat, Ruffinus *Hiſtor. Eccleſ. lib.X.14.* Sozomenus *Hiſtor. Eccleſ. lib.II.17.* & Nicephorus *lib.VIII.44.* teſtantur. Neque rem ludicram pueri illi, & cum iis Athanaſius, egerunt ſeriò, uti tu cum Bellarmino deliras. Neque enim ſeriò Athanaſius putabat, ſe eſſe Epiſcopum, aut ſeriò putabat, eſſe verè baptizatos, aut verè Presbyteros, quos baptizaverat, aut ordinaverat; ſed tantùm παιδιὰν, & μίμησιν quandam παιδικὴν intendebat, non id agens, quod intendit agere Eccleſia, ſed tantùm intendens id ſimulare, ſeu joco-

Digitized by Google

ſo ludo repræſentare, ac mimicè imitari, quod agit Eccleſia. Sive autem rectè, ſive perperam Alexander de Baptiſmo illo judicavit, declarat tamen hiſtoria rei geſtæ, eum & clericos ejus de neceſſitate intentionis, quam Tridentini hodie prædicant, non cogitâſſe. 3. Innocentii IV. (quem ego tamen hic non citavi) apud Angelum de Clavaſio *in Summa Angel. verbo Baptiſmus, diſt. 4.* hæc verba ſunt: *Non neceſſe eſt quoad effectum Baptiſmi, quòd ſciat, quid ſit Baptiſmus, ſcilicet quòd infundatur gratia, vel quòd ſit Sacramentum. Nec etiam oportet, quòd credat hoc ipſum, imò ſi contrarium credit, & reputat truffam & deceptionem; baptiſmus tamen habet effectum ſuum: non requiritur tamen, quòd baptizans ſciat, quid ſit Eccleſia, nec quòd gerat in mente facere,* (NB. quid enim eſt intentio aliud, quàm gerere in mente aliquid facere? Non igitur de ſola ſcientia & credulitate ex parte intellectus loquitur.) *quod facit Eccleſia: Imò ſi contrarium gereret in mente, id eſt, non facere quod facit Eccleſia, nihilominus baptizatur, dummodo baptizare intendat.* Quid verbis his diſertius? Nam clauſula illa, *dummodo baptizare intendat,* non intentionem conferendi Sacramenti importat, (nemo enim intendit fieri, quod credit non poſſe fieri. Ille autem Miniſter ſupponitur credere, Sacramentum eſſe truffam vel deceptionem. Ergo ultra exteriorem ritum ſupponitur intendere deceptionem, non Sacramentum) nec intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, quia ſupponitur contrarium gerere in mente: ſed eum tantùm, quæ actu externo exprimitur, puta ſervandi formam illam externam, quam ſervant alii baptizantes. Ita Eugenius IV. & Innocentius IV. Pontifex uterque (uter ex cathedra definiverit, tu divina) circa dogma ipſum diſſentiunt. 4. Quod ipſum etiam Scholaſtici faciunt; Thomas inprimis, quem intentionis neceſſitatem & aſſerentem, & negantem ſupra vidimus. Et ſi conflictus eorum reputetur animo, dogma ipſum non parùm periclitari neceſſe eſt. In objecto, *facere id, quod facit Eccleſia*, diſſenſus eſt, Eccleſia Catholica, an hæretica intelligatur. In eo quod facit Eccleſia, alii aſſerunt, requiri voluntatem faciendi actiones externas lavandi, & verba proferendi: alii Sacramentum faciendi: alii neceſſum eſſe, ut faciat, quod facit Eccleſia materialiter, alii, quod facit formaliter: alii, intendendum eſſe actum duntaxat Sacramenti: alii inſuper finem; & finem alii propinquum, alii remotum, ſtatuunt. De gradibus intentionis non mitior diſſenſus; aliis habitualem, virtualem aliis intentionem flagitantibus. Denique ſicut in rebus fictitiis, & nulla idonea revelatione nixis fieri ſolet, contentionum nec finis, nec modus ullus. De Ambroſii Catharini ſententia, qua ille & in Concilio, & extra illud intentionis neceſſitatem oppugnavit, plura dicemus, ubi cum Pallavicino congrediendum fuerit. Juvabit tamen heic inter ſe paucis committere fratres Cadmæos, duos Cardinales, Bellarminum & Pallavicinum, & unum Non-Cardinalem Redingium. quorum circa Epiſcopum ſuum Catharinum confuſa admodum labia ſunt. Nam Bellarminus *de Sacram. lib. I. 27.* de Catharini hujus opinione ſic loquitur: *Hæc opinio non video quid differat à ſententia Chemnitii, & aliorum hæreticorum, niſi quòd Catharinus in fine opuſculi ſubjicit ſe Apoſtolicæ Sedi & Concilio: illi autem rident utrumque.* quaſi ſcilicet non æquè Catharinus & Papalem Sedem & Tridentinum Concilium riſerit, quando & in Concilio, & poſt Concilium ſententiam Chemnitii & hæreticorum, uti vocant, à Concilio damnatam ſeverè propugnavit; & pòſt honoris gratiâ vel potiùs per illuſionem, ſententiam ſuam acerimè defenſam Papæ & Concilio ſubjecit. Alter Cardinalis Sforcia Pallavicinus, Pſeudo-Politices Romanæ conſultiſſimus, *Hiſt. Concil. Trident. lib. IX. 6* cenſet quidem, Catharini ſententiam eſſe falſam; ſed *per Tridentinos Canones di-*

ferrè

seriò damnatam, adeóque hæreticam esse, negat, adeóque fas ei etiam post Concilium fuisse affirmare,quòd sententia sua Concilio non contradicat; secutum in eo duos eximios Ordinis sui Scriptores,Petrum Paludanum,& Silvestrum Prieratem,quibus illa opinio pariter post Florentinam Synodum probata sit. Addit, postremis etiam his annis Marium Scribonium, Doctorem Gallicum in sua Panalethia plurimis argumentis eam tueri conatum esse. Quinimò cùm Sacri Palatii Magister Catharinum opposito libello refutasset, rogatum à Legatis esse Pontificem, Palatii sui Magistrum moneret, ut ab inferenda Catharino molestia desisteret, affirmantibus, vitam & doctrinam ejus ab omnibus commendari,idem affirmat. Denique contendit idem,Tridentinis non aliud constitutum fuisse,quàm hoc definire, quòd Sacramentum efficaciam nullam consequatur,si Minister simulet vel jocetur. Id verò tum falsissimum est: tum etiam si verum foret,ipsum Augustinum,cujus ea doctrina fuit,anathemati Concilii subjiceret. Denique Redingius utrique Cardinali huic,imò & sibi ipsi discors,Catharinum,utpote sententiam suam ex Thoma confirmantem,penitus absolvit.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Ministri Ecclesiæ Sacramenta administrantes,sunt instrumenta Dei animata & ratione utentia , quorum in arbitrio est remittere peccata vel non, Joh. XX.23. Veluti cùm Rex constituit Præsides & judices in urbibus,qui nomine suo jus dicant. Atqui in talibus instrumentis requiritur etiam voluntas & intentio exercendi actiones, sine qua rationalia instrumenta esse desinunt.* Resp.1. Eadem ratione evinceretur , ministri etiam prædicationem sine intentione auditori prorsus esse inutilem : & intentionem requiri non tantùm operis , sed etiam finis.quod Bellarminus aliique Sophistæ negant. 2. Etiam servi sunt dominorum suorum rationalia instrumenta. Neque tamen in familia attenditur,quo animo,quàve intentione exequantur heri mandata, dummodo constet heri mandata esse,quæ exequuntur. Quot Confessores audientes miserorum confessionem non aliud quàm lucrum suum vel curiositatem intendunt? An iccirco pœnitentem fructu confessionis suæ privari statuent? 3.Ingens discrimen est inter judices Politicos & Ecclesiæ Ministros.Judicibus suis & Præsidibus Rex,cùm actionibus adesse semper non possit , dominium communicat. At Christus perpetuò gratiâ & Spiritu suo cum Ecclesia conjunctissimus dominium earum rerum,quas administrant,penes se totum retinet.Deficiente igitur intentione ministri,non deest intentio Christi Domini,qui per ministrum ipse præsens Spiritu suo baptizat, eucharistiam confert,donat. Sicut igitur negligentia vel odium servi non præjudicat liberalitati domini : ita nec prava intentio ministri juxta institutionem administrantis promissionem Christi irritam reddit.

EXCIP. REDING: 1. *Si Minister quispiam absque ulla intentione veritatis S. literis contentæ significandæ, verbum Dei prædicaret, tum ex defectu intentionis non ageret in nomine Christi & Ecclesiæ, quamvis verbum sic prædicatum, posset etiam sine intentione prædicantis, vel contra eam cum veritate sub eo Divinitus revelata ad cor audientis penetrare. At Christus in instituendis Sacramentis nec scripto, nec inanimato, seu intentione faciendi id, quod ipse instituit, destituto verbo contentus esse voluit; sed in formam Sacramenti statuit verbum, qua humanum & rationale, ex potestate à Christo communicata, nomine ejus proferendum. Cujusmodi verbum à Ministro, Christi instrumento rationali, sub intentione saltem implicita faciendi, quod Christus instituit, manare debet. Et sufficit hic intentio operis, sine intentione finis. velut in famulo, in quo satis est, si opus ab hero præscriptum exequitur. quocunque fine id faciat. 2. Licet verò Christus Spiritu & gratia sua Ecclesiæ præsens sit, ob subtractam tamen præsentiam visibilem Ministros substituit, per quos, seu visibilia organa, actiones Sacramentales exercet, potestate sua iisdem communicata. quomodo afflans discipulos suos, eundem Spiritum suum, seu potestatem Ecclesiasticam communicavit. Si igitur in Politicis à Rege constitutis ad actiones nomine Regis exercendas intentio requiritur; etiam in Ministris verbi Dei requiri eandem sequitur.* Ib. pag. 72. Resp. 1. Ministri verbum prædicantis, & Sacramenta administrantis par ratio est. Utrobique Minister Christi est, & nomine Christi agit. Si igitur, cùm prædicat sine intentione, verbum modò Dei prædicet, verbum ad aures penetrat, &, Scriptura teste, fidem generat; cur non idem in Sacramenti administratione, quoad externum actum legitima, deficiente etiam intentione, obtineat? Nam signorum æquè Sacramentalium, ac verbi prædicati efficacia non aliunde, quàm à solo Deo, pendet. Instrumento rationali æquè in præconio verbi, ac in administratione signorum Christus utitur. Utrobique Ministris potestatem, seu potiùs ministerium, puta & prædicandi verbum, & signa conferendi, æqualiter mandavit. Formam verò Sacramenti consistere in verbis, quatenus illa à Ministro cum intentione pronuntiantur, probare, non nudè edicere debueras. Imò verba, v. g. *Ego te baptizo*, non intentionem Ministri, sed operationem externam significant. Aliàs sanè intentio non operis duntaxat, sed etiam illius, propter quod Sacramentum institutum est, requireretur. Nam ecclesia, cujus nomine intendere Sacerdos dicitur, non actum duntaxat materialem vel formalem Sacramenti, sed ejusdem quoque finem & effectum intendit. Id tamen Bellarminus negat: affirmantibus licet aliis, inprimis Gregorio de Valentia, statuente, *necessarium esse, ut intentio pertineat & referatur aliqua ratione non modo ad ipsam operationem Sacramentalem externam, sed etiam ad effectum seu finem illius, agnoscente id ipsum Scoto in 4. d. 2. q. 5. a. 8.* Sicut verò in famulo satis esse, ut ex præscripto heri agat, quemcunque finem propositum habeat, ipsemet agnoscis: sic in Sacramenti Ministro ad ejusdem efficaciam satis est, ut ex præscripto Christi agat, quocunque fine agat, seu quicquid ille ex præscripto Christi agens, intenderit. 2. Ministros verbi & Sacramentorum omnino Christus instituit. Sed sic instituisse, ut impertitus iis fuerit potestatem aliam, quàm verbum prædicandi, & signa dispensandi, id verò negamus. Ita afflatis Apostolis dedit Spiritum, & potestatem remittendi, & retinendi peccata; sed ut præconibus meris, sententiam à Deo in verbo ejus latam præconiantibus. Quæ potestas merè ministerialis, diversa longè est ab ea, quam Rex vel Princeps Politicus absens Judicibus & Præsidibus suis dissitis delegat. utpote quæ in judice & Præside circa actiones ab ipsis exercendas verum dominium statuit. Ministri verò Christi dispensatores meri

sunt

Digitized by Google

sunt earum rerum, quarum dominium totum in Christo solo, eóque præsentissimo semper (nam carnis absentia nec dominium, nec potestatem minuit) manet.

OBIECT. II. *Verba Sacramentalia sunt varia & ambigua significationis, proinde ad veram significationem determinandam aliquid requiritur. At nihil fingi potest, quo determinetur, nisi intentio ministri.* Resp. 1. Futili ratiocinationi respondeat Scotus. *In signo,* inquit, *ad placitum instituto possunt multa concurrere ad rationem unius signi propter actum instituentis, licet nihil aliud sit, propter quod habeat unitatem.* 2. Numquid non Christus ipse Sacramenta instituens mysterium determinavit? Ita non solemus inquirere in præconis intentionem, cùm aliquid denuntiat alterius jussu. Satis est intelligere intentionem authoris jubentis.

EXCIP. REDING: *Scotus asserit, ex solo actu instituentis signum habere posse suam unitatem, nempe in actu signato, non exercito, in quo intentio determinare debet, quia Christus non immediatè, sed per ministros iudem subordinatos, communicata ad hoc potestate, administrat.* Ib. pag. 73. Resp. Actus exercitus non aliam determinationem requirit, quàm signatus. Minister enim exercens Sacramentalem actum omnia ex institutione & præscripto Christi agit & exercet. atque sic agens determinatè agit. Cur enim mandatum & institutio Christi præcisè observata actioni formam determinatam, per quam ab alia omni discerni queat, suppeditare nequeat: at queat intentio, hoc est, opus hominis? Quis in præconis intentionem inquirit, cùm is aliquid alterius jussu promulgat? Sufficiet ex verbis ab ipso promulgatis authoris jubentis intentionem vestigare. Et numquid consentis, ab eo determinari Sacramentum, à quo fit Sacramentum? Si ergo fit à verbis, juxta receptum illud; *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum;* etiam determinatur à verbis. Et proinde ipsa quoque verba veluti illa: *Ego te baptizo, &c.* determinata sint oportet. De potestate Ministris à Christo communicata supra.

OBIECT. III. *Verba Sacramentalia sunt Practica, quæ efficiunt id, quod significant. At verba practica non habent efficaciam, nisi dicantur ab eo, qui habet potestatem & voluntatem faciendi, quod significant.* Resp. Sunt verba practica, sed quorum vis, ἐνέργεια & πρᾶξις pendet à potestate & intentione Christi Domini, cujus nomine verba proferuntur. Ita edictum præconis practicum est. Neque tamen ejus vis ab intentione præconis, sed potiùs ejus, qui summam potestatem habet, pendet.

EXCIP. REDING: 1. *Cur Baptismus à laico legitimè administratus non validus? Annon ibi quoque usurpantur signa ex intentione Christi practica? 2. Etsi igitur verba Sacramentalia sic practica sunt, ut eorum vis principaliter ab intentione Christi Domini pendeat; tamen executio eorum etiam à Ministri, ejus nomine agentis, & cooperantis subordinatione pendet. At cooperatio illa intentionem saltem implicitam se conformandi cum intentione Christi exigit.* Ib. pag. 73. Resp. 1. Invalidus est laici baptismus non ob defectum intentionis (nam & in laico esse ea potest) sed authoritatis Sacramenta dispensandi.

Digitized by Google

sandi. Nam prædicandi & dispensandi potestatem disertè Christus Matth. XXVIII. 19. 20. conjunxit. 2. Concedo subordinationem ministri: sed nego cooperationem cum intentione illa quæ ad efficaciam Sacramenti requiritur. Nuspiam enim Christus declaravit, suam intentionem sine subordinatæ intentione Ministri invalidam futuram esse. Neque id necessitas verborum jussu Christi proferendorum exigit, quia alia vis verborum est, cùm dicuntur ab eo, qui summam & primam imperandi authoritatem habet: alia, cùm ab eo dicuntur, quo principalis causa, ut instrumento, utitur. Cùm à priori dicuntur, intentionem ejus exigunt: cùm à posteriori, non item. Principalis enim causæ imperia etiam deferuntur ab instrumentis, quorum nulla esse intentio potest, uti testis est Lacedæmoniorum σκυτάλη; & testes sunt Regum quotidianæ literæ, quæ prorsus inanimatæ imperia referunt. Verba verò Sacramentalia non ab eo dicuntur, cui jus primum & summum imperandi, sed ab eo, cui instrumenti natura est. Etiamsi igitur verba practica essent, vim tamen suam habere possent, intentione Ministri nulla addita. Quanquam propriè verba non aliam efficaciam immediatè quàm significandi, neque aliter practica, & speculativa prorsus nulla, dici possunt. Quod etiam S. Augustinus *de Doctr. Christ. lib. I. cap.* docet his verbis: *Sunt & alia signa, quorum omnis usus in significando est; sicuti sunt verba. Nemo enim utitur verbis, nisi aliquid significandi gratia.*

OBIECT. IV. *Sequeretur hac ratione, validum esse vel baptismum, quo pater filium lavat in balneo, utens his verbis: Ego te lavo in nomine Dei Patris &c. vel eucharistiam, cùm Sacerdos in mensa legit Evangelium & recitat verba: Hoc enim est corpus meum.* Resp. Imò verò funis ejusmodi nectitur ex arena. Baptismus talis & eucharistia verum Sacramentum non est, non quia deficit intentio operativa administrantium, sed quia non observatur institutio Christi, juxta quam ea Sacramenta in cœtu publico solenniter & debita reverentia administrari debent.

EXCIP. REDINO: *An ergo si actiones ea dicto modo in cœtu publico peragantur, Sacramentum validum reddent? Ad extremas angustias redactus fateri cogeris intentionis necessitatem in Ministro.* Ib. pag. 73. 74. Resp. O angustias, quas à puerilibus delirationibus tuis patior! Tales scilicet, quales equus in latissimo campo liberè decurrens à formica transeunte patitur. Atqui nôsse debueras, in statu quæstionis nostræ supponi actum externum legitimum, & solam internam Ministri intentionem in ambiguo esse. In his autem, quæ objicitis vos, absurdis nullus est externus actus legitimus, quia vel nullus Minister legitimè vocatus, sed pater familias, privatus homo, privatam actionem sive privatim, sive in publico cœtu exercens absque ullo mandato, vocatione Divina ullas vel Sacerdos quidem, sed mensarius, de quali S. Paulus: *Cùm convenitis in eundem locum, non hoc est Cœnam Dominicam comedere*, 1. Cor. XI. 20. Ergo ne quidem ullum hic Sacramentum est, etsi intentio adesset, & defectus totus non intentionis, sed actus interni legitimi est. cùm tamen ille, uti dixi, in hac quæstione supponatur.

QUÆ

QUÆSTIO VI.

An recepti & approbati Ecclesiæ Pontificiæ ritus, in solenni administratione Sacramentorum adhiberi soliti, sine peccato omitti, aut in alios mutari poßint?

NEgat sub anathemate Canon XIII. Ritus Sacramentales sunt alii essentiales aut expresse mandati, quos retinendos docemus. Alii expressis verbis non mandati, qui tamen in genere nituntur testimonio Scripturarum, & Apostolorum exemplo. quò pertinet explicatio doctrinæ Sacramentorum, exhortationes, preces, gratiarum actiones. Etiam hos retinemus, quia Sacramenta non sunt muta & otiosa spectacula. Alii à viris ecclesiasticis superadditi sunt ad tuendum magis decorum & ordinem ecclesiæ. Horum utpote adiaphororum observantia vel mutatio judicio & libertati ecclesiæ Christianæ permittitur. At Pontificios ritus Sacramentales sine discrimine retinendos esse, & quidem sub anathemate, negamus, rationibus inducti sequentibus. Etenim

ARG. I. Ritus plerósque tuentur authoritate non legitima, puta traditionum Apostolicarum, vel ecclesiasticarum, nec non plenitudine potestatis ecclesiæ. Atqui de vero Dei cultu Christus nos plenissimè instituit, neque particulari, uti Bellarminus contendit, institutione cultus alicujus indigemus. Hanc enim quisquis desiderat, dimidiatum cum Christo Regnum & potestatem ambit, & Novum Testamentum imperfectionis arguit. Imò si Christus tantùm generaliter, ut illi volunt, ecclesia verò specialiter cultum instituit, tum potiores in illo cultu sunt hominum partes quàm Christi, quia specifica natura semper excellit generali. Deinde Scriptura sufficienter & plenissimè eas quas Christus instituit ad salutem necessarias ceremonias complectitur, ut traditionum supplemento non indigeamus. Imò ab hominibus petendam esse veram de cultu Dei doctrinam, negat Apostolus Coloss. II. 22. ex Esaj. XXIX. 13. Matth. XV. 9. Denique; Ecclesiæ in instituendo Dei cultu authoritas nulla est.

Digitized by Google

RESP. REDING: *1. Si de cultu Dei Christus nos plenissimè instituit, ita ut particulari cultus institutione non indigeamus; quomodo ipse tu asseris, ritus quosdam Sacramentales expressis Scripturæ verbis non mandari, licet in genere Scripturarum testimonio nitantur? 2. Si traditionum supplemento Ecclesia non indiget, neque in instituendo cultu authoritatem aliquam habet, quomodo statuis, retinere vos ritus Sacramentales Apostolorum exemplo & traditione nixos? Quomodo viri Ecclesiastici ad tuendum ordinem & decorum Ecclesiæ ritus quosdam superaddere potuerunt? 3. Cùm Ecclesiæ præpositi potestatem habeant leges ferendi, cultui Divino convenientes, uti ex Scriptura, exemplo Apostoli & Augustini doctrina liquet, non peccamus, cùm accidentarias Sacramentorum ceremonias, salva eorundem substantia, cultúmque adeò aliqualem determinamus, vel potiùs exornamus. 4. Baptismi Ceremoniæ apud nos receptæ orthodoxæ antiquitati haud incognitæ fuerunt.* Tom.II. Tract. V. Ss.2. pag.74-76. Resp. Artificium tuum vellicandi & torquendi rectè dicta crassius est, quàm ut causæ vestræ inclinatæ succollare posset. Etenim 1. & de cultu toto nos plenissimè Christus instituit: & Ecclesia ritus quosdam, non speciali, sed generali Scripturarum testimonio nixos, servat. Neque enim hæc pugnant, tum quia aliud est cultus substantiæ; aliud sunt ejusdem circumstantiæ, pro ratione loci, temporis, aliorúmque adjunctorum cultus mutabiles, quæ specialibus legibus non facilè determinantur: tum quia generale Scripturarum testimonium, quo scilicet Ecclesia cuncta decorè & secundùm ordinem gerere 1.Cor.XIV.40. jubetur, ad ipsum cultum à Christo institutum pertinet. 2. Ritus Sacramentales, quos Apostolorum exemplo niti asserimus, cujusmodi sunt doctrina de Sacramentis, exhortationes, preces, gratiarum actiones &c. non à traditione non scripta, sed tum à generali Scripturarum testimonio, quo Ecclesiæ Ministri passim jubentur docere, exhortari, precari, gratias agere &c. tum ab exemplo Apostolorum non tradito ore duntaxat, sed inprimis scripto arcessimus. 3. De potestate legislativa Ecclesiæ infra. Ceremonias verò Sacramentales à vobis invectas, vel ad cultum *aliqualem*, uti timidè satis loqueris, vel ornatum Sacramentorum facere, neutiquam etiam probas. Rectè Ambrosius *de Offic. lib.II.28.* sic de ornatu illo fictitio judicat: *Aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur.* Id universo ceremoniarum vestrarum splendori refellendo satis est. Neque potest quisquam instituere ullam ceremoniam ad repræsentandum mysterium, & conscientiam immediatè obligantem, (quales supponitis vestras omnes, de quibus heic anquirimus) præter solum Deum, utpote qui solus potestatem habet in religionem, conscientiam & mentes hominum, ad illas illustrandas, quando & quomodo ipsi placet, & sibi ac institutis suis subjiciendas. 4. De ceremoniis Baptismalibus vestris, ut & Sacramentalibus reliquis specialibus, quas improbamus, in loco.

ARG. II. Pontificia Ecclesia tantùm non abrogatis ritibus essentialibus & Divinitus institutis, alios adoptavit ex antiquitate, sed superstitione contaminatos, vel recens etiam instituit. Ita abrogavit ritum substantialem communicationis sub utraque specie. In Canone suo expunxit verba, *quod pro vobis traditur.* Negligit commonefactiones & exhortationes. Canonem secretò demurmurat.

RESP.

Digitized by Google

RESP. REDING : 1. *Nonnisi convitia hic spirat. An nostri in canone omittentes verba, quod pro vobis traditur, magis redarguendi sunt, quàm Matthaeus, qui haec duntaxat verba habet : Hoc est corpus meum. 2. Si canonis secreta recitatio displicet, cur vos orationem Dominicam in cœtibus publicis à singulis proferendam secreta intra pileum mussitatione statuitis ? 3. Neque nos commonefactiones & exhortationes omittimus.* Ib. pag. 76. Resp. 1. Scripsi, quod res est. Sacrilegium calicis Ecclesiæ subrepti nunquam excusabis. Et tamen communio calicis essentialis ritus est æquè ac communio panis. Si illa non est, nec hæc erit, cadétque Sacramentum penitus. uti sanè Eucharistiam pridem, signa & rem signatam exterminando, sustulistis, eique Missaticum drama nescio quod substituistis. Cúmque in Canone vestro non ex Matthæo, sed ex Luca verba Christi mutuari vobis placuerit, mutilare verba Lucæ non oportuit. 2. Secretæ in cœtibus nostris preces nihil cum secreta Canonis mussitatione vestra commune habent, tum quia non funduntur peregrino idiomate, sed quisque eas sibi ad commendandas Deo publicas & privatas necessitates, nec non præconii successum, nota lingua & cum Spiritus attendentis fervore, dictat : tum quia preces etiam publicæ & intelligibiles funduntur : tum denique quia per secretas ejusmodi preces non administratur Sacramentum, uti vos secreto vestro murmure Sacramenti notitiam, usum & fructum miseris animabus vestris intercipere soletis. 3. Doctrinam salutarem de Sacramentis, commonefactiones & exhortationes vulgo intelligibiles in usu Sacramentorum planè omittitis. Extra usum verò Sacramentorum nec eandem efficaciam habent, & ad corruptionem potiùs doctrinæ salutaris instituuntur.

ARG. III. Ritus etiam Sacramentales Ecclesiasticos iidem præferunt ritibus essentialibus in Dei verbo mandatis, quasi hi non satis dignitati Sacramentorum responderent.

RESP. REDING : *Quomodo ergo subsistet tua assertio, quòd ritus à viris Ecclesiasticis superadditi sint ad tuendum magis decorum & ordinem Ecclesiæ ?* Ib. pag. 76. Resp. Firmissimo talo; quia supperadditi à viris Ecclesiasticis ritus circa ordinem & decorum Ecclesiæ nec ii sunt, quos in vobis vituperamus; nec ita necessarii, ut sine peccato à nulla Ecclesia omitti possint, quod de vestris Tridentini sanxerunt; nec denique essentialibus & necessariis adæquantur, nedum præferuntur.

ARG. IV. Ritus eorum quidam sunt impii, quidam superstitiosi, quidam etiam Idololatrici, quod inductione eorum demonstrari potest. Pertinent huc imprimis consecratio aquæ, salis, cerei benedictio; agni Dei, signum crucis, aqua lustralis, similésque quisquiliæ, quæ nomine Sacramentalium veniunt : preces pro defunctis, invocatio Sanctorum, exorcismus, peregrinæ linguæ usus &c.

RESP. REDING : *Exorcismi, signi crucis, aquæ lustralis, quæ maledicta tua Reformatio sustulit, usum nunquam non in administratione Baptismi Ecclesia adhibuit.* Ib. pag. 76–78. Resp. Parum etiam benedicta fuit vestra deformatio, quæ tum ex temporario exorcismi dono perpetuum & magicum in Ecclesiam ritum, imò & Sacramentalem ordinem introduxit : tum signi crucis sine oleo tamen & chrismate, & in fronte tantùm expressi,

expressi, usum adiaphorum & innocuum quondam non solùm in necessarium convertit, sed etiam ei, ut & aquæ lustrali, Alexandri Papæ authoritate nequicquam velatæ, effectus, verbo Dei neutiquam testatos, imò contrarios, nullius vel rationis vel revelationis præsidio attribuit. Quod de singulis in loco ἀκριβέστερον demonstrabimus.

ARG. V. Cùm essentiales ritus utrámque paginam facere debeant, perquam sit absurdè, quòd multitudine, splendore & pompâ rituum merè humanorum ritus Divinitus mandati obscurantur, & obruuntur. Etenim si jam olim Augustinus Epist.119. conquestus est, *multitudine Ceremoniarum ita aliquos suo tempore Ecclesiam oneravisse, ut tolerabilior sit conditio Judæorum*: quam non, si revivisceret hodie, querelam contexeret? Et sanè qui expenderit illud Pontificiarum Ceremoniarum onus & chaos, & cum Judæorum veterum ceremoniis contulerit, nullo negotio apud se statuere poterit, pædagogiam Judaicâ graviorem in ecclesiam Christianam inductam esse. Quod ipsum etiam Bellarminus non dissimulat, frivola usus exceptione, *hoc interesse, quòd cultus Judaicus, quatenus talis, fuerit principaliter externus & corporalis: Christianus autem sit principaliter internus & Spiritualis.* Atque ita omnes veteres ceremoniæ continuari poterunt, hac sola lege, ut cultui spirituali subijciantur.

RESP. REDING: 1. *Ipse S. Augustinus ritus Baptismales nostros approbavit. In loco igitur à te citato non de ritibus in Ecclesia Romana vel universali receptis, sed de aliis loquitur.* 2. *Eo ipso quòd, juxta Bellarminum, Christianorum cultus spiritualis & internus est, nullum onus ex ceremoniarum multitudine ei oboritur. Cùm enim Spiritus ad interiora reducatur, quale onus est, ceremoniis sacris ad interiorem devotionem excitari? Contra Judæos ad exteriora intentos non potuerunt non ceremoniæ plures onerare.* Ib. pag.78. Resp. 1. Non approbasse ita, ut eandem necessitatem & vim iis tribueret, alibi demonstramus. Locus à me citatus sic Epist.exig.19. sonat: *Quod instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio Sacramenti sit, approbare non possum. etiamsi multa hujusmodi propter nonnullarum vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda liberiùs improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa, quæ in Divinis libris saluberima præcepta sunt, minùs curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut graviùs corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque Scripturarum authoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quo modo contra fidem sint, ipsam tamen religionem, quàm paucissimis & manifestissimis celebrationem Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam, multáque zizania constituta multa tolerat, & tamen, quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non*

appro-

Digitized by Google

approbat, nec tacet, nec facit. Hæc sanè rituum vestrorum pædagogiæ immani, & onerosissimæ multitudini apertè refragantur. Rejicit ille, nullo Ecclesiæ hujus vel illius discrimine notato, nedum indicio ullo apparente, quòd de ceremoniis à privatis excogitatis ei sermo sit, uti Bellarminus vester contenderat, ritus non scriptos, in Conciliis Episcoporum, veterum puta, non firmatos, consuetudine *universæ*, adeóque etiam Apostolicæ Ecclesiæ non roboratos. Tales sunt vestri, quatenus inprimis iis singularia mysteria, vim meritoriam, necessitatem & supernaturales effectus, sine ulla verbi revelatione, affingitis. Hæc enim potissimùm sunt, quæ in ritibus plerisque vestris impugnamus, & quæ nulla vel Scripturæ, vel Conciliorum veterum, vel consuetudinis universæ Ecclesiæ authoritate nituntur. Tum S. Augustinus superfluos ritus rejicit eo argumento, quòd *Dei misericordia religionem paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis esse liberam voluerit.* Et apud vos ceremoniæ in religione utramque paginam faciunt; non *paucissimæ*, non *manifestissimæ*, sed plurimæ & ob mysteria, quæ iis affingitis, abstrusissimæ. Denique vetat idem religionem *premi oneribus servilibus*, quas Ecclesiæ Christianæ quàm Judaicæ, utpote *legalibus sarcinis, non humanis præsumptionibus subjectæ*, minùs tolerabilem conditionem efficere statuit. Manifestum est ejus argumentum. Nam Ecclesia Judaica sarcinis legalibus, hoc est, ritibus in lege à Deo mandatis: at Christiana humanis sic præsumptionibus oneratur. Tales pleræque vestræ ceremoniæ sunt, humanis præsumptionibus inventæ amplificatæque. Quòd si, uti contendis tu, tolerabiliores sunt multiplicatæ Christianorum ceremoniæ, quia eorum cultus spiritualis est, quid vetat ergo omnes Judæorum ceremonias in orchestram Christianæ Ecclesiæ reducere, adeóque jugum discipulis denuo imponere? Ut verò cultus aliquis sit corporalis principaliter, & minùs principaliter spiritualis ac internus, qualem Judaicum fuisse, & hanc solam ob causam populum Judaicum onerasse, cum Bellarmino nugaris, prorsus impossibile est, quia spirituale cum corporali conjunctum principatum semper obtinet. Corporalis enim exercitatio non relata ad spiritualem cultum, ceu unicum & principalem finem, πρὸς ὀλίγον *ad pauca* utilis est, 1. Tim. IV. 8. Tantum abest, ut ullus cultus principaliter corporalis esse queat. Imò corporales vestræ ceremoniæ eò onerosiores sunt, quàm Judaicæ fuerunt, quò magis illas mysteriis obscuris & difficulter cognitu repletis. Atque eam etiam ob causam cultum spiritualem tam non promovent, ut potiùs sufflaminent. Id quod Author Consultationis *de horis Canon. cap. 3.* agnoscit & deplorat his verbis: *Ceremoniarum copia largior & operosior observatio eorum, qui Divina efficacia celebrant, animos adeò detinent, ut sæpissime suis precibus nequeant attendere, Deúmque interiùs adorare, veluti ceremoniis istis externis eum venerari videntur. Adeò quoque spectantium animos occupant, ut dum illis curiosiùs forte quàm opus est, attendunt, minùs orationibus suis attendant.* Denique externam rituum vestrorum humanorum observantiam non minori, si non majori rigore exigitis, quàm in Judæis Deus ipse rituum à se mandatorum observantiam exegit. Qua in re impietatem proditis, cùm mandata hominum Divinis mandatis præferre, & illorum obtentu hæc negligere, religioni non ducatis.

ARG. VI. Accedit, quòd ritus plurimi non ex Christianæ Ecclesiæ, sed Judaismi & Paganismi imitatione processerint. Ab Ægyptiis plures ceremonias desumptas esse post Beroaldum fatetur Johannes Bohemus Aubanus lib. 1. de moribus gentium cap. 1. Baronius etiam, Bellarmi-

nus, aliique fatentur, ceremonias nonnullas Pontificias, similes esse ritibus gentilium veterum; sed addunt *materialiter*, non *formaliter*. Intentionem & finem Pontificiarum esse, colere verum Deum; Paganorum verò cultum Dæmoniorum. Sed finem & intentionem diversam non ponere sufficiens discrimen disertè testatur Moses Deut. XII. 31. *Non facito sic Iehovæ Deo tuo.* Ubi, observante Cajetano, *præcipitur ad literam, ne colat Deum similibus ceremoniis & ritibus, quos servârunt Ethnici colentes Elohe suos.*

RESP. REDING: 1. *Jam olim Judæis licuit servata lege Divinæ integritate materiales quosdam ritus, veluti cælaturas, ornatum Templi, festum sortium, dati ignis &c. addere. Apostoli quoque abrogata Lege Mosaica fidelibus abstinentiam à sanguine & suffocato injunxerunt. Cur ergo non liceret Ecclesiæ ceremonias, Gentilium ritibus materialiter haud absimiles, sub Divini erga verum Deum cultus fidei congrua formalitate statuere? 2. Deut. XII. 31. vetat Deus cultum sui per abominationes gentilium.* Ib. pag. 79. Resp. 1. Nihil ritus à Judaica Ecclesia instituti perpauci, & quidem etiam, uti festum Purim, politici potiùs quàm Ecclesiastici, cum vestris commune habent. Tales enim, verbo dicam, fuerunt, quales in Ecclesia Christiana cultui Christiano conformes non improbaremus, instituti nec ut pars cultus, nec opinione vel necessitatis vel meriti, nec mysteriis & effectibus nescio quibus, certè à Deo nuspiam promissis, vel revelatis, imprægnati. Neque Apostoli sanguinis & suffocati interdicto esu ceremoniam novam instituerunt; sed in veteri ceremonia pro tempore toleranda, scandalo prospexerunt, caventes enixè, ne libertatis usu, nondum ejusdem gnari, à Christi doctrina averterentur. Nihil hoc ad controversas ceremonias vestras, quæ, uti laudatus supra Author vestras loquitur, mollissimè loquendo, *plus fastus, superstitionis, aut simulatæ, ne dicam, ridiculæ religionis, quàm veræ ac sinceræ pietatis præ se ferunt.* Quòd si, uti tu pertendis, fas est, ceremonias Gentilium ritibus materialiter haud absimiles sub congrua erga cultum veri Dei formalitate retinere, cur igitur Deus Exod. XXXIV. 13. Deut. XII. 2. 3. vetuit quicquam earum rerum, quibus ad cultum idolorum suorum abusi sunt gentiles, ad cultum veri Dei traducere; jubens etiam desolari loca ipsa, in quibus idololatriæ Diis suis litarunt? 2. Et sanè diserta nimis sunt verba Dei Deut. XII. 30. 31. *Quando succiderit Dominus Deus tuus ante te Gentes, ad quas tu venies, ut eas possideas, cave tibi, ne quando sectando eas illaqueeris, &c. Nequaquam sic* (ut illæ) *facies Domino Deo tuo. Quicquid ego vobis præcipio, id observabitis.* Quid est כן עשות ליהוה *sic facere Domino* Deo suo, sicut gentiles fecerunt Diis suis, quàm ceremoniis, gentilium ceremoniis materialiter similibus, relatis ad veri Dei cultum, Deum colere? Si hoc licet, fas piùmque erit, in honorem veri Dei filios & filias per ignem traducere. Contra Deus in cultu suo observari, nempe ceu partem cultus, qualem vestras ceremonias facitis, jussit, quæ ipse præcepit, non quæ in cultu suo gentiles adhibuerunt.

ARG. VII. Quid quòd ceremonias suas faciunt partem necessariam & immutabilem Divini cultûs, eásque omitti etiam sub anathemate vetant, quod est contra libertatem Christianorum, & primitivæ Ecclesiæ, quæ libertate abrogandi, corrigendi, mutandi, alios substituendi, postulante

Digitized by Google

lante ita ædificatione, constanter usa est, praxin? Quòd iis tribuunt effectus spirituales, & quidem ex opere operato resultantes, specialem nimirum energian sive physicam sive moralem, (variant enim sententiis,) uti vocant, tum sanctificandi ea, quibus adhibentur; tum terrendi, coërcendi & fugandi dæmones, magiam, veneficia; tum morbos, aliáque corporis & animæ mala curandi? Ita rebus naturalibus sine Dei verbo, quod solum est ministerium *Spiritus*, effectus spirituales tribuentes, religionem tantùm non in histrioniam & φαρμακείαν convertunt. Denique iis tanquam externis actibus à virtute religionis imperatis vendicant vim satisfaciendi, merendi, impetrandi. Quæ omnia tum apud alios, tum apud Tirinum Controv. 18. videre est.

RESP. REDING: 1. *An ergo ritus etiam accidentarios cuivis fidelium immutare fas est? Si fas non est, sed soli Ecclesiæ Christianæ id licet, non utique libertas Christiana per anathema Tridentini Concilii, licentiam privatorum coërcens, violata est. Sanè ipse S. Paulus Rom. XIII. 5. obedire non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam jubet. Et qui Ecclesiam non audit, instar Ethnici & publicani habendus est, Matth. XVIII. 17. Ipsi vos licentiam mutandi ritus ejusmodi privatis non indulgetis. 2. Exorcismis, alilsque rebus per crucem & Ecclesiæ preces benedictis, virtutem moralem depellendi dæmones, aliósque spirituales effectus impetrandi, etiam vetus Ecclesia assignavit. Nempe non corporalibus hisce elementis, sed precibus Ecclesiæ ad res illas naturales moraliter applicatis virtus isthæc tribuitur. 3. Cùm res ejusmodi benedictæ in virtute precum & benedictionis Ecclesiæ operentur per assistentem virtutem Divinam, independenter à merito hominis ritibus illis utentis, effectus illos non ex opere operantis, sed ex opere operato consequi necessum est. Non aliam igitur ob causam Sacramentales ritus habent ejusmodi virtutem, quàm quia per preces Ecclesiæ iis virtus Divina assistens conciliatur. 4. Sicut oratio exterior participat moralem religionis honestatem, quatenus imperativè ex religione manat: sic ritus accidentarii etiam honestatem religionis, ex cujus imperio manant, participant, ut satisfacere & gratiam promereri valeant.* Ib. pag. 79. 80. Resp. 1. Nec cuivis fideli ritus ritè institutos immutare fas est, quia cuncta in Ecclesia ordine agi Scriptura præcipit: nec Ecclesia particularis, qualis Romana est, aliis Ecclesiis particularibus vel suos ritus obtrudere, vel ritus novos ad ordinem externum cultus instituendi, institutos mutandi, facultatem, quod vestra Ecclesia facit, adimere potest. Hic vos libertatem Ecclesiæ lædere, & tyrannidem pridem invexisse, denique humanos ritus, qui ordini externo forte inservire poterant, in partem cultus Divini necessariam, immutabilem & universalem convertisse, meritò conquerimur. Et sanè Tridentini non ritus cujusvis particularis Ecclesiæ mutabiles anathemate suo constituerunt, sed Romanæ suæ particularis ritus sacrosanctos & immutabiles, nisi ea sola pro lubitu mutante, esse jusserunt. Atqui Romana Ecclesia particularis, non est, nedum sola est, vel illa *ἐξουσία ὑπερέχουσα potestas supereminens*, cui propter conscientiam obedire Apostolus Rom. XIII. 5. jubet: vel Ecclesia, quam solam audire omnes aliæ, in rebus cumprimis adiaphoris, quarum materia verbo Dei definita non est, teneantur. 2. Exorcismorum, quos vetus Ecclesia adhibuit, & quos vos adhibetis, immane discrimen est. Veteres

enim exorcistæ dæmonia uno verbo ejecerunt, pro imperio & potestate in spiritus immundos Divinitus concessa. Fuit enim primis Christianis potestas concessa calcandi serpentes & scorpiones, & supra omnem vim inimici, ut nihil eis noceret, Luc.X.19. quod ad miraculosa Dei dona pertinebat. Clemens igitur Constit. lib VIII. 27. Ἐξορκιστὴς, inquit, ὀ χειροτονεῖται. *Exorcista non fit ordinatione. Est enim liberæ voluntatis proemium, & gratiæ Divinæ per Christum & adventum Spiritus S. Siquidem qui donum acceperit sanitatum, per revelationem declaratur à Deo, cum gratia, quæ in eo est, sit in omnibus manifesta.* Charisma istud cùm in Ecclesia non vigeat ampliùs, exorcismi in preces piè convertuntur. Suspecti ergo nobis meritò estis, quicunque inermes, hoc est, dono miraculorum destituti, non tantùm exorcisticam vobis potestatem arrogatis, verùm etiam certos ritus, certa carmina, sine ullo verbo, revelatione & promissione Dei, constituitis, atque sic dæmones adjuratis, & in Baptismo inprimis Salem, aquam & oleum solenniter exorcizatis. nullo penitus Exorcistas vestros inter & Magos famosos quosvis agricolas & mulierculas incantatrices discrimine, quam quòd Sacrificuli vestri publica Ecclesiæ Romanæ authoritate, hi arbitrio privato nituntur. Sicut igitur quondam pirata ab Alexandro Macedone captus, & qua authoritate fretus piraticam exercere auderet, interrogatus, respondit masculè: *Ego quoniam id unico navigio facio, vocor pirata; Tu cùm idem facias magna classe, Rex appellaris:* Sic agricolæ & mulierculæ ἀθεϊστεγοι vobis respondere possent: *Nos cùm vel febrim, vel vaccæ aut equi læsionem, optimis etiam verbis & preculis exorcizamus, vocamur incantatores & incantatrices; vos cùm idem facitis in Sale, aqua, oleo, imò & anguillis, sanguisugis, bruchis* (uti quondam ab Episcopis Lausanensibus, Curiensibus, Constantiensibus factitatum est) *Sancti & venerandi Patres auditis.* Denique nemo ceremoniam ullam ad curandos morbos, pellendos dæmones, peccata purganda instituere potest, nisi potestatem habeat hæc, quomodo illi libet, vel faciendi, vel impetrandi, ut fiant. Potestne, Redingi, Ecclesia instituere somnium, ut significet quietem à peccato, depellat dæmones, peccata purget? Somnia hæc planè delira sunt. Qui hæc possunt, eadem opera somnia in Sacramenta, imò majus quid (nam ne ipsis quidem Sacramentis vis hæc competit) convertere possunt. 3. Si Sacramentalia ex opere operato effectus suos producunt, quomodo tu supra iis efficaciam nonnisi moralem adscripsisti? Sed pridem efficaciam ceremoniarum ex opere operato exploserunt vestri etiam Scholastici doctores, Paludanus, Prierias, Biel, Abulensis, Soto, Mariana, alii. uti videre est apud Azorium *lib.IV.*11. ubi etiam, quales tabulæ pro hac Ecclesiæ authoritate afferri possint, idem Azorius his verbis ostendit: *Controversia est*, inquit, *unde habeat Ecclesia facultatem, qua remedia (Sacramentalia) constituat ad remissionem venialium peccatorum consequendam? Ad quam respondeo; ex iisdem verbis habere, ex quibus habet authoritatem à Christo, qua possit extra Sacramenta concedere condonationes peccatorum, quas indulgentias vocamus.* Assumat Durandus *in 4. d.20 q.* his verbis: *Scriptura non loquitur expressè de indulgentiis.* Ergo ex Scripturis non habet Ecclesia facultatem ceremonias ex opere operato efficaces instituendi. Tum si efficacia Sacramentalium à precibus Ecclesiæ pendet, ex opere operantis, non operato efficaces erunt. Præterea ubi precibus Ecclesiæ promissa est virtus Sacramentalibus ad supernaturales effectus producendos assistens? Priùs tibi, Sacramentalibus virtutem ejusmodi Divinam assistere, docendum fuerat. Nam preces fidelium verbo & promissione Dei nituntur. Denique plus sic ceremoniis vestris, quàm Sacramentis V. Test. Divinitus institutis tribuis. Nam hæc ex opere operato effecisse quicquam,

superiùs

Digitized by Google

superiùs negasti. Imò etiam Sacramento extremæ unctionis negatis quoad corporis sanitatem efficaciam ex opere operato. Huic igitur Sacramento vestro Sacramentalia etiam anteferenda fuerint. 4. Neque precum vis ulla meritoria est: neque religionis bonitas vel honestas in rituum humanorum nedum inutilium, & superstitionis morbo nimis pallentium observantia consistit: neque denique ritus humani etiam utiles ad decorum & ordinem, & quatenus non pars cultus Divini, sed externum ejusdem, & natura sua indifferens ac mutabile adjunctum habentur, ex religionis dictamine aliter fluunt, quàm quatenus religio in genere ordinem externum in Ecclesia sancit, & confusionem prohibet.

ARG. VIII. Non defuerunt in Concilio saniores, qui duos canones confici suaderent, quorum priore hæreseos damnarentur asserentes, formam à Christo institutam mutari posse; posteriore verò sanciretur, ritus accidentales etsi mutationem recipere idoneos, si introducti sint authoritate publica, aut usu recepti & confirmati, à quolibet sine ecclesiæ consensu immutari non posse. Quæ sententia sanior vincere non potuit.

Resp. Reding: *Mirum, ita te cæcutire. Annon enim Canon 13. de Sacram. in genere, nec non Sess. XXI. cap. 2. expressis verbis Synodus definivit, Ecclesiam in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, posse statuere, vel mutare, quæ velit; eosdem tamen ritus semel ab Ecclesia probatos non posse à quolibet Pastore omitti.* Ib. pag. 80. Resp. Nondum me, Deo sit laus, lumina deserunt. Plura video, quàm tibi & causæ tuæ expediat. Mutationem sibi *Sess. XXI. cap. 2.* ceremoniarum etiam Divinitus institutarum, qualis est communio sub utraque specie, Ecclesiam Romanam reservasse, non ignoraveram, sed damnaveram magis. At posse Ecclesiam particularem hanc vel illam, inscia vel invita, vel non consentiente, imò non dictante Romana, ritus natura indifferentes in cultus externo ordine vel liberè instituere & figere, vel institutos, ubi ratio & tempora sic exigunt, eadem libertate mutare & refigere, id verò Tridentinos, quod prudentiores in Concilio pertenderant, definivisse non video. Tu, qui plura, quàm Serpens Epidaurius vides, ostende. Imò alia omnia canon *13. de Sacram. in gen.* Ecclesiam, Romanam scilicet, quæ particularis merè est, & Pastores, seu rectores Ecclesiarum particularium, à Romana distinctarum, opponens, definivit.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Ceremonias aliquas Christus vel Apostoli instituerunt, quas non ex Scriptura sed sola traditione habemus, uti liquet ex 1. Cor. XI. 24. v. 40.* Resp. 1. Atqui Medina *in 1. 2. q. 108. c. 2.* fatetur, in Evangelica lege nulla Sacramentalia à Christo instituta esse, propter dignitatem nimirum & excellentiam Sacramentorum, quæ tam præclara sint, ut etiamsi nuda & nullis Sacramentalibus suffulta proponerentur, omni veneratione digna essent. Id si de Christo valet, non minùs valebit de Apostolis, qui non aliud se tradidisse, quàm quod à Domino acceperant, 1. Cor. XI. 23. fatentur.

Digitized by Google

2. Neque etiam ulla traditio præter Scripturam certos nos reddere potest certitudine fidei de Christi & Apostolorum institutis. 3. Apostolus 1.Cor.XI.24. promittit se cœtera,nempe jam instituta,dispositurum, ordinaturum,cùm advenerit. Aliud est disponere,aliud instituere. Cúmque ceremoniam religiosam nullam Apostolus toto eo capite instituerit,patet per λοιπὰ *cætera* Sacramentales ceremonias non intelligi. 4.Unde tandem fidem facient, innumeros ritus controversos, in quibus illi proram & puppim religionis collocant, pertinere ad illa *cætera?* 5. Non improbamus, ut omnia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. Sed idem ille ordo & honestas exigunt,tum ut simplicitatem Christianam solicitè sectemur, tum ut institutioni Divinæ in iis, quæ ad cultum Dei per se spectant,acquiescamus.

EXCIP. REDING: 1. *Si Sacramentorum ea dignitas est, ut etiam nuda omni veneratione digna sint,cur tu Sacramenta publicè celebranda esse, aliquos ritus à Domino non præceptos exemplo Apostolorum niti, ad Baptismi valorem determinatum verborum formam requiri, à viris Ecclesiasticis ritus institutioni Christi supperaddi posse, supra asseruisti.* 2. *Etsi Sacramenta absque ullo Sacramentalium comitatu per se veneratione digna sunt: eorum tamen reverentia ornatum ac decus* (non decorem) *ex Sacramentalibus provenientem non respuit. Huc pertinent illa Reliqua Apostoli, quæ non essentiales, sed accidentales ab Apostolis & Ecclesia institutos ritus significant.* Ib. pag. 81. Resp. Jejunè nimis,præcipuis omissis,respondes,vel nugaris potiùs. Etenim 1. non tam mihi,quàm Medinæ vestro respondere debueras. Quid verò Sacramentorum dispensatio publica, sive in privato, sive in publico loco (utrobique enim legitimè obita actio publica est) Scripturarum testimonio nixa: ritus expressè licet non mandati à Christo, generali tamen verbo & Apostolorum Spiritum Domini habentium (1.Cor.VII.40) exemplo superstructi: determinata verborum in Baptismo formula, quæ vel verbis Christi quoad sensum (nam & ipse Papa vester Nicolaus I. pridem pronuntiavit, *institutionem Christi non de vocibus, sed de rebus intelligendam esse*) consentanea esse, vel rejici planè debet: denique ritus per se adiaphori & mutabiles,ordini externo in Sacramentorum dispensatione inservientes; quid, inquam, cuncta hæc cum Sacramentalibus vestris, quibus rationem mysterii, satisfactionis, meriti, nec non supernaturales effectus, vos homunciones miseri, sine ulla voluntatis Divinæ testificatione induere & tribuere ausi estis, negotii habent? His ego, Medinæ lectis vestigiis, non prioribus illis supra assertis, Sacramenta *nuda* opposui. Videre potuisses, nisi responsionis tuæ inopia te ad vellicandum compulisset. 2. Eadem Sacramentalia vestra à nobis improbata non tam ad ornatum, quàm ad dedecus & profanationem Sacramentorum pertinent. Præterquam enim quòd iis sanctitatem, religionem, cultum, necessitatem,meritum (quæ pudenda Sacramentalium dedecora sunt) affingitis, & à Judæis ac gentilibus pleraque illa petita esse,ne ipsi quidem dissimulatis, fatentes etiam reos habemus viros inter vos gravissimos,quòd plura ex iis cultum Dei potiùs corrumpant, quàm exornent. uti supra ostendimus. Documento etiam esse potest, quod Ludovicus vives *in August. de Civit. D. lib.VIII. cap. ult.* reliquit his verbis: *Mos nunc est, quo tempore sacrum celebratur mor-*

tis

tis Christi, ludos nihil prorsus à scenicis illis antiquis differentes populo exhibere. Turpe est ludos fieri in re maximè seria. Peraguntur autem cum magno scelere atque impietate, non tam eorum, qui vel spectant, vel agunt, quàm Sacerdotum, qui ejusmodi fieri curant. Et pompa hæc ac ingens multitudo ceremoniarum, quam tu *ornatus* ac *decoris* in Sacramentorum dispensatione fuco illinis, Judaicam potiùs, Ethnicam vel Turcicam superstitionem, quæ spirituali vero cultu destituta sibi in corporali exercitatione delicias facit, quàm Christianam simplicitatem, humilitatem, simplicitatem & virilem perfectionem decet. Semper superstitio ceremoniarum fœta & sumptuosa mater fuit, ubi verbi Divini fax non alluxit. Id enim spiritualis scortatio cum corporea commune habet, quòd utrique fuco, ornamentis & illiciis opus est, quæ sine sumptu comparari nequeant. Ecclesia verò illis non sufficit, utpote quæ in sublevandis vivis Christi imaginibus occupata, figuras & imagines inutiles fingere, easque exornare pensi moderatíque nihil habet.

OBIECT. II. *Etiam Apostoli Actor. XV. 29. novam gentibus ceremoniam, abstimendi nimirum à sanguine & suffocato præscripserunt. Ergo idem licet præposito ecclesia.* Resp. 1. Nullum ibi ceremoniæ Sacramentalis indicium: Interdictum tantùm temporarium ex generali de vitando scandalo mandato conclusum occurrit. Inde rectè conficitur, licere ecclesiæ prævio generali mandato de custodiendo ordine & vitando scandalo, constituere διατάξεις indirectè conscientiam obligantes. At Pontificiorum Sacramentalia controversa nec ad ordinem custodiendum, nec ad vitandum scandalum faciunt. 2. Apostoli nihil definiverunt ex plenitudine potestatis & motu proprio, neque suum placitum conjungunt cum Spiritus S. dogmate, ut æqualis efficaciæ. Alia enim sunt *δόγματα πνεύματος ἁγίου*, quæ sunt ἐπιταγαί: alia *δόγματα ἀδελφῶν*, quibus datum est in Domino esse fidelibus, qui per Spiritum charitatis & prudentiæ dirigunt conscientiam etiam in liberis, ut sine scandalo libertas usurpetur.

EXCIP. REDING: 1. *Ordo circa Sacramentorum administrationem, te ipso fatente, conjunctus cum ornatu non materiali duntaxat, sed etiam formali & mystico esse debet.* 2. *An dogmata ab Apostolis & Senioribus decreta Act. XV. 20. 28. ex potestate ab ipso Christo Apostolis collata non processerunt? Si negas, blasphemè eos usurpatæ potestatis insimulas. Si affirmas, ex plenitudine potestatis manaverint oportet.* 3. *Disertè Apostoli Act. XV. 28. sic concludunt: Visum est Spiritui S. & nobis; illi puta principali, his instrumentali authoritate. Adeòque Apostoli sibi vendicarunt authoritatem Spiritus S. assistentia munitam, eámque obligatoriam, quia ejus vi decretum necessitatis legem habuit.* Ib. pag. 81. 82. Resp. 1. Imponis mihi turpiter. Ubi ita fassus sum? Profer testimonium, nisi falsus testis audire vis. Ego verò constanter nego, Ecclesiam ritus cum ornatu mystico, in verbo Dei non definitos, sancire posse. Ratio manifesta est, quia nemo ceremoniam mysticam, hoc est, mysterium repræsentantem instituere potest præter eum, qui primitus voluntatem Dei revelare potest, & in religionem ipsam, mysteria ac conscientias hominum potestatem obtinet. 2. Dogmata Hierosolymitanæ Synodi, quatenus

Digitiz

quatenus ab Apostolis emanarunt, in iis non tam plenitudinem potestatis ad definiendos ritus mysticos, quàm fidelitatem in commendanda & determinanda ceremoniæ veteris, jam ante à Deo ipso institutæ tolerantia temporali, donec scandali periculum evanesceret, arguit. Planè sicut S. Paulus 1. Cor. VII. 25. scribit: *De virginibus mandatum Domini non habeo. Consilium tamen do* ὡς ἠλεημένος ὑπὸ κυρίου πιστὸς εἶναι, *tanquam consecutus misericordiam à Domino, ut fidelis essem.* 3. Sic planè interpretari convenit decretum Synodi Act. XV 28. ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, *visum est Spiritui S. & nobis, nullum ampliùs imponere onus, præter subnecessaria hæc, ut abstineatis ab idolothytis, à sanguine, &c.* Frustra hic plenitudinem potestatis & Spiritui S. & Apostolis, illi ut causæ principali, huic ut instrumentali vendicas. Quis enim unquam causæ instrumentali plenitudinem potestatis tribuit? Annon hæc est contradictio in terminis? Et quis demum suum placitum sic cum Spiritus S placito sociare ausit, ut in eadem re, & quidem in præcipuo fidei capite, quod erat de jugo discipulis non imponendo, se Spiritui S. conjungat? An enim Spiritus S. placitum, non accedente Apostolorum placito, futurum erat invalidum? Vel eidem ex consensu Apostolico robur accedere debuit? Planum est, sic discernenda esse δόγματα *placita* Spiritus S. & Apostolorum, ut Spiritui S. tribuatur δόγμα κατ' ἐπιταγὴν *placitum imperium*, seu ex plenitudine potestatis, de jugo non ampliùs discipulis imponendo, quod erat necessarium & perpetuum, juxta posterioris temporis œconomiam, dogma fidei; Apostolis verò δόγμα κατὰ συγγνώμην *placitum secundum* fidele *consilium*, quod illi ceu misericordiam consecuti, ut essent fideles in domo Dei; circa veteris ceremoniæ usum & continuationem temporalem, non cultus, mysterii vel significationis, sed scandali charitatis studio averruncandi gratia, sine ulla arrogata sibi potestatis plenitudine, impertiti sunt.

OBIECT. III. *Ceremoniæ Sacramentales faciunt ad Sacramenta commodiùs & utiliùs administranda. Non igitur nefas ecclesiæ est eas instituere.* Resp. 1. Ecclesia propria authoritate novum cultum instituere non potest. 2. Ceremoniæ carnales, Spiritu destitutæ, quales sunt humanæ, infringunt perfectionem Novi Testamenti. 3. Neque etiam ceremoniæ humanæ efficaciùs quàm eæ, quæ à Christo institutæ, & ab Apostolis usurpatæ sunt, ad Sacramenta faciliùs & commodiùs administranda faciunt, perinde ac humana dogmata minimè faciunt ad fidem à Christo revelatam commodiùs illustrandam. An enim putabimus, homines quosdam novos meliùs exploratum habere, quibus ceremoniis in Sacramentis uti commodum sit, quàm Christum & Apostolos?

EXCIP. REDING: 1. *Carnales ceremoniæ nostræ non sunt, utpote mysteriis spiritualibus impraegnatæ.* 2. *Tu ipse agnoscis, ritus quosdam à viris Ecclesiasticis ritibus à Christo & Apostolis institutis esse superadditos, atque eos ad ordinem & decorum cultus spectare. An etiam ii vel carnales sunt, vel ad Sacramenta commodiùs & efficaciùs administranda non faciunt?* Ib. pag. 82. 83. Resp. 1. Mysteriis spiritualibus impraegnati à quo spiritu? Casto, an adultero? Christi an Antichristi? Prius, si potes, ostende. 2. Ritus adiaphori ab Ecclesia instituti ordinis & decori gratia nec carnales sunt, nec mysteriis, qualia Spiritus Papæ excogitavit, impraegnati; & faciunt ad cultum, cujus celebratio circumstan-

cumstan-

cumſtantias loci, temporis, perſonarum, & alia ejuſmodi περιστατικὰ exigit, commodiùs & ordine adminiſtrandum. Per ſe tamen, & extra relationem ad ſuum finem nihil vel efficaciæ, vel myſterii, vel ſignificationis, nedum eam efficaciam, quam ritus à Chriſto inſtituti, obtinent. Et ad pleraque mea quàm frivolè reſpondes?

OBIECT. IV. *Eccleſia poteſt applicare merita Chriſti etiam ex opere operato. Poteſt igitur etiam inſtituere ceremonias, quæ vi meriti Chriſti producant effectus ſpirituales, puta tum ad ornandum & repræſentandum myſterium aliquod religionis, tum ad juvandos rudiores, ad morbos pellendos, Dæmones averruncandos &c.* Reſp. 1. Poteſtas applicandi merita Chriſti, non Eccleſiæ, ſed ſoli Chriſto competit. Is nobis merita ſua donat per Spiritum ſuum, & fidem variis modis excitatam in nobis & roboratam. 2. Si Sacramentalia producunt effectus ſpirituales ex opere operato, major igitur fuerit eorum efficacia, quàm Sacramentorum V.T. quibus non aliam energian, quàm ex opere operantis tribuunt. Hinc eſt, quòd efficaciam Ceremoniarum ex opere operato jampridem exploſerunt Scholaſtici plurimi, uti apud Azorium Lib. IV. 11. videre eſt. 3. Eccleſiæ non eſt applicare merita Chriſti faciendo inſtituta, ſed potiùs inſtituta obſervando. 4. Neque etiam ceremoniam aliquam inſtituere ad repræſentandum religionis myſterium poteſt quiſquam præter eum, qui habet poteſtatem in religionem, in mentes & conſcientias hominum, ad illos ſibi & ſuis inſtitutis ſubjiciendos, hoc eſt, præter ſolum Deum. 5. Denique ceremoniam ad curandos morbos, averruncandos Dæmones, inſtituere non poteſt, niſi is, qui hæc ipſa, quando & quomodo libet, facere poteſt.

Excip. Redino: 1. *Quoties Eccleſia pro dono ſpirituali fidelibus impetrando ſuas preces Deo offert, ad effectum eum Chriſti merita applicat. quæ applicatio independens à merito ejus, cui impetratio hæc fit, adeóque ex opere operato eſt.* 2. *Abſurdum non eſt, Sacramentalia N. Teſt. quoad meritorum Chriſti efficaciam applicatoriam ſuperare virtutem Sacramentorum V. Teſt. ſi formaliter, quâ legis Moſaicæ ritus, ſpectentur. quamvis concomitanter per Chriſti meritorum applicationem anticipatam non minorem, quàm Sacramentalia, efficaciam habuerunt.* Ib. pag. 83. Reſp. Nimis iterum jejunè. Omittis præcipua. Et quæ reponis, rancidæ hypotheſes tuæ ſunt, non aliud. Etenim 1. Merita Chriſti nemini niſi credenti in Chriſtum applicari, & ſua, non aliena fide juſtum vivere, adeóque Chriſti meritum ſibi applicare, Scriptura teſtatur. Quid ad hoc & vox & res barbara operis operati? 2. Imò abſurditatis omnes numeros implet, humana inſtituta, in quorum cenſu Sacramentalia veſtra ſunt, Divinis præpollere. Neque juvat tuum κενοφώνημα. Nam & veteris & Novi Teſtamenti Sacramenta commune id habent, ut nonniſi *concomitanter*, hoc eſt, virtute meriti Chriſti, quod in Sacramentis offertur & obſignatur, operentur. Sacramentalia verò veſtra nec formaliter, nec concomitanter quicquam boni operantur, ſed cultum potiùs humanarum inventionum multitudine, onere, ſuperſtitione, & tributis iiſdem ſine ulla voluntatis Divinæ teſtificatione ſupernaturalibus effectibus, polluunt.

Digitized by Google

Ad Canones Sessionis VII.

DE S. BAPTISMO.

QUÆSTIO I.

An Baptismus Johannis habuerit eandem vim cum Baptismo Christi?

NEgat Canon I. *de Baptismo*, & asserentibus anathema dicit. Nos baptismum Johannis à baptismo Christi distinguimus, tum modo patefactionis, tum collatione donorum. *Modo patefactionis*, quia Johannis baptismus Christum nec procul absentem, nec præsentem mortuum, sed mox passurum significavit: Christi verò baptismus, saltem ille, quem post ejus ascensionem in cœlum ejusdem jussu administrârunt Apostoli, Christum jam passum obtulit. *Modo collationis donorum* differunt, quia Johannis Baptismus non administratus fuit in tanta copia & ubertate donorum spiritualium tum visibilium, tum invisibilium. Asserimus tamen, utrinque æqualiter obsignatam esse gratiam remissionis peccatorum, adeòque quoad essentiam, nucleum, & præcipua, eandem utriusque vim extitisse. Synodus contra, negans eandem utriusque vim fuisse, juxta Scholasticorum tum veterum, tum recentiorum doctrinam, id de baptismi ipsius essentia intelligit. Nam Lombardus 4. Sent. dist. 2. lib. 8. ait, Johannis baptismum corpora mundâsse, at à peccatis non mundâsse. Salmero ait, discrepâsse baptismum Johannis à baptismo Christi *formâ, verbis & fructu gratiæ.* Barradius baptismum Johannis dicit fuisse *rudimentarium*, deducentem ad pœnitentiam, *& gratiæ præludium.* Nos eandem utriusque quoad essentiam vim fuisse, probamus. Etenim

ARG. I. Non minor fuit vis & efficacia baptismi Johannis, quàm verbi ab ipso prædicati, cùm inter doctrinam verbi & Sacramenta perpetua σχέσις obtineat. Atqui verbum à Johanne prædicatum erat spiritualis gratia per Christum, Matth. III. 2. Marc. I. 1-3. Luc. I. 77. Ergo id ipsum quoque baptismus ejus obsignavit.

Resp.

Digitized by Google

RESP. REDING: 1. *Quam gratiam verbum Dei repræsentat, eandem Christi Sacramenta realiter effectivè conferunt. Johannis verò Baptismus æqualem cum verbo vim & efficaciam, merè repræsentativam & præfigurativam, ac insuper spei de gratia per Christum & ejus Baptismum excitativam, moraliter excitativam, non verò æquè, uti Baptismus Christi, remissionem peccatorum contulit.* Tomo II. Tract. V. Ss. 3. pag. 84. Resp. Sacramenta Christi gratiam realiter & effectivè Pontificio sensu, non conferre, supra evicimus. Neque quicquam ad argumentum meum solidi respondes. Sacramenta cùm sint sigilla verbi promissionis, non aliud obsignare possunt, quàm quod verbo promittitur. Atqui Johannes Baptista verbo à se prædicato Christum, ejúsque gratiam, remissionémque peccatorum Matth. III. 12. Marc. I, 1--3. Luc. I. 77. apertè promisit; denique *Agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi*, quantum lateribus valuit, inclamavit. quæ ipsa quoque summa est totius doctrinæ Christi. Causam igitur nobis edissere, cur eandem baptismo suo non etiam obsignaverit. Nam inter verbum promissionis & Sacramenta eidem annexa perpetuam σχέσιν esse, denuo contendo.

ARG. II. Convenit baptismus Johannis cum baptismo Christi omnibus causis. *Efficiente* Deo, qui baptismum eum instituit, Joh. I. 33. Luc. III. 3. 4. Hebr. II. 30. Matth. XXI. 25. *Materia*, tum *externa*, videlicet elemento aquæ, Matth. III. 11. Joh. I. 33. tum *interna*, videlicet promissione gratiæ de remissione peccatorum, ac regeneratione Spiritus, Matth. III. 7. 8. Marc. I. 4. Luc. III. 3. Act. XIX. 5. *Forma*, puta testificatione & obsignatione promissionis per aquam & immersionis, vel ablutionis ritum, quam declarant partim phraseologia Scripturæ Marc. I. 4. Luc. III. 3. partim promissionis ipsius cum elemento hoc ejúsque ritu copulatio, ibid & Luc. VII. 30. Denique *fine*, qui est confirmatio baptizatorum de Gratia Dei, eorum segregatio ab infidelibus & Pharisæis hyprocritis, & in cœtum Ecclesiæ receptio, Act. II. 38. &c. Omnes istæ causæ etiam in Christi Baptismo reperiuntur.

RESP. REDING: *Negamus, Baptismum Johannis æquè ac Baptismum Christi, gratiam per Christum dandam demonstrasse, & realiter effecisse.* Ibid. pag. 84. 85. Resp. Nudam negationem contemnimus meritò. Etsi verò Johannis Baptismus Christum passum non demonstravit, sed passurum; demonstravit tamen Agnum Dei tollentem peccata mundi, adeóque virtutem & efficaciam passionis Christi, qua peccata remittuntur, æquè obsignavit. Gratiam verò ipsam æquè non effecit per inhærentem elementis virtutem, ac non Baptismus Christi.

ARG. III. Neque eædem tantùm causæ, sed etiam eadem utriusque effecta fuerunt, tum quia eosdem causæ diversos effectus producere non possunt: tum quia baptismo Johannis æquè ac Christi tribuitur *resipiscentia*, Marc. I. 4. & Actor. II. 38. *remissio peccatorum*, Luc. III. 3. & Actor. XXII. 16. *fides in Christum*, Act. XIX. 4. 5. & Marc. XVI. 15. 16. *Spiritus S. quoad dona ordina-*

Digitized by Google

ria, Act. XVIII. 24. & II. 38. 39. *segregatio ab infidelibus & hypocritis*. Matth. III. 6. 7. Luc. III. 7. & Act. II. 38. 39. &c.

RESP. REDINO: 1. *Textus à te citati hoc unum evincunt, quòd Baptismus Johannis habuerit vim moraliter excitativam ad fidem in Christum, & ad pœnitentiam ac remissionem peccatorum hac mediante, non verò ex Baptismo illo per se ac immediatè obtinendam. quo suscepto Christi Baptismus suscipiendus adhuc fuit, ut ex eo gratia salutis ac remissionis peccatorum obtineretur. 2. Hinc adeò, non obstantibus illis textibus, S. Patres differentiam illam inter Johannis & Christi Baptismum passim docent.* Ib. pag. 85. 86. Resp. 1. Somniis tuis adaptas Scripturæ loca, sed meris verborum næniis, non demonstratione ulla. Neque enim Scripturæ loca illa vel vim moraliter ad fidem in Christum excitativam, & remissionis peccatorum collativam; vel immediatam & mediante Baptismo Christi operantem efficaciam distinguunt. Imò remissio peccatorum vel utriusque Baptismi, vel neutrius immediatus effectus fuit, eodem sensu. Si enim intelligas effectum immediatum, ut fiat etiam nulla posita pœnitentia in adultis, falsum est, sic remissionem peccatorum esse effectum immediatum Baptismi Christi. Nam utrinque similiter *μετάνοια pœnitentia* requiritur. Non tantùm enim Johannis Baptismus fuit pœnitentiæ, adeò ut qui accederent, confiterentur peccata sua; sed etiam Petrus Act. II. 38. accessuros ad Baptisma Christi jussit resipiscere; & Paulus similiter. Sin aliter, ut supposita pœnitentia remissio sit à gratia Baptismi, negamus hoc modo remissionem peccatorum non æquè immediatum esse effectum Baptismi Johannis. Nam in eo ipso peccatorum remissio & promittebatur & dabatur. Rursus igitur discrimen nullum, quia nec Baptismus Christi promittit remissionem peccatorum, nisi supposita pœnitentia: & Baptismus Johannis hac supposita remissionem peccatorum dedit. 2. Quoad doctrinam de hoc argumento Patrum, nihil nos movet, si aliter quidem docuerint. Non enim præcipui momenti quæstio est, sed talis, in qua non iniquam libertatem existimamus. Neque litem magnopere cuiquam nos intentaremus, nisi Tridentini superbissima tyrannide & anathematismis suis nos etiam patientissimos irritassent. Nunc verò sepositis personis, rationibus nobis adhærere integrum est. Quanquam nec omnes Patres vestrarum partium sunt. Nam Basilius *Orat. Quomodo aliquis baptizetur baptismate, quod est in Evangelio Christi*, sic scribit: Τὸ δὲ Ἰωάννου βάπτισμα πολυπλάσιον εἶχε τὸ πλεῖον. Οὐδεμίαν γὰρ ἐποίει διάκρισιν τῶν ἡμαρτηκότων. οὐ διαφορὰν ἐπεζήτει θυσιῶν. οὐκ ἀκρίβειαν ἐπόθει ἁγνισμοῦ, οὐ παρατήρησιν εἶχεν ἡμερῶν ἢ ὡρῶν. καὶ καθ' οὐδὲν τὴν μελλὸν ἀναβολῆς γενομένης ἐπὶ τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ. Ἅμα τε προσῆλθε τις ἐξομολογούμενος τὰς ἁμαρτίας, ὅσας δήποτ' ἦν. Καὶ ἐβαπτίζετο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ, καὶ εὐθὺς ἐλάμβανε τὴν ἄφεσιν τῶν ἡμαρτηκότων. *Johannis Baptisma multis modis excelluit* (Mosis baptisma.) *Nullam enim prorsus faciebat peccatorum differentiam. Nullum exigebat sacrificiorum discrimen. Purificationem studiosè non efflagitabat. Nec dierum aut horarum habebat observantiam. Nec ullam prorsus faciebat ad gratiam Dei & Christi ipsius perveniendi dilationem. Simul atque accesserat quis, & peccata sua, quantacunque & qualiacunque fuissent, confessus fuerat; in Jordanis flumine baptizabatur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat.* Quid pro sententia nostra dici efficaciùs poterat? Etiam Cornelius Jansenius in Concordia Evangelica *cap. 13.* fatetur, hanc fuisse sententiam Prudentii *Cathemer. hymno 7.* & Ambrosii *de Spiritu S. lib. I. 3.* Imò Augustinus, diversæ licet sententiæ favens, tamen cum diversum sentientibus pugnaciter se

conten-

contendere nolle, testatur, *de Baptismo contra Donat. lib. V.* 10. ubi sic ille: *Ne quisquam contendat, etiam in Baptismo Johannis dimissa esse peccata. Sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos Paulus denuo jussit baptizari, per Baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.* Possem consentientes alios, inprimis Cyrillum Hierosolymitanum *Catech.* 3. Eulogium Patriarcham Alexandrinum apud Photium *Biblioth. cap.* 280. alios adducere. Et observatu haud indignum est, quòd iidem fere Patres, qui Baptismum Johannis non contulisse Spiritum S. & remissionem peccatorum docuerant, idem de Apostolorum ante resurrectionem baptismo pronuntiaverint. quod non absolutè, sed comparatè, non de substantia, sed de efficaciæ gradibus intelligendum; quomodo Johannis cap. VII. 39. dicitur: *Nondum datus erat Spiritus S. quia Jesus nondum glorificatus erat.*

ARG. IV. Sed & ipse Christus non alio baptismo, quàm Johannis baptizatus est, hoc videlicet fine, ut baptismum nostrum sanctificaret & purificaret, & baptismo ejus remissio peccatorum sanguine ipsius parta ecclesiæ, cujus vicem sustinebat, obsignaretur. Neque possunt baptismus, quo Christus caput nostrum baptizatus est, & is, quo nos membra ejus baptizamur, essentia tota differre, tum quia baptismus est symbolum veritatis fidelium in uno corpore mystico, non tantùm inter se, sed etiam cum Christo tanquam capite, Gal. III. 27. tum quia nec circumcisionis Christi & populi essentiale discrimen fuit.

RESP. REDING: 1. *Baptismus Johannis per Baptismum Christi accepit virtutem sanctificandi, quatenus hic capit gerere vices sanguinis Christi, & in hujus virtute in se obsignatam peccatorum remissionem causaliter recepit. Tum ergo demum Baptismus ad esse signi Sacramentalis, in cujus virtute peccatorum remissio causaliter obsignaretur, elevatus est. Antehac igitur Baptismus Johannis sub virtute signi Sacramentalis, cum efficacia peccatorum remissionem obsignandi, non substitit.* 2. *Atque sic Christus & fideles caput & membra, eodem Baptismo, sed à Christi contactu efficaciam suam sortiente, tincti sunt.* Ib. pag. 86. Resp. 1 Christum baptismo suo baptismum nostrum sanctificasse, certum equidem est. Neque adeò malè Scholastici vestri, Alexander Alensis *p.* 3. *q.* 8. *m.* 4. Thomas Aquinas 3. *q.* 39. Cajetanus *in Matth. III.* ex Patribus repetunt, *Baptismum vim & efficaciam suam habere à contactu carnis Christi.* Sicut verò id de baptismo, post Christum baptizatum, ita non minùs certè de Baptismo Johannis, utpote quo ipse Christus baptizatus est, & quos is ante Christum baptizavit alios, valet. Nam tum demum, cùm Christus aquis à Johanne tinctus est, ejus Baptismum *ad esse Signi Sacramentalis* elevatum esse, propudiosum figmentum tuum est, nullo verbo, nulla antiquitate, ratione nulla suffultum. Quid enim baptismo Johannis etiam ante baptizatum Christum ad rationem veri Sacramenti defuit? 2. Cùm Christum caput & fideles membra eodem baptismo tinctos esse concedas, etiam fideles Christum profitentes ante baptizatum Christum eodem, quo Christus tinctus est, baptismo baptizatos esse, consequitur.

ARG. V. Sed & Apostoli plerique non alio baptismo quàm Johannis baptizati videntur. Quòd si tantum inter utrumque discrimen fuit, nul-

Digitized by Google

la igitur Apostolos inter & à Christi discipulis baptizatos communio fuit, cùm baptismo in unum fœdus uniamur. Et de suo baptismo gloriatur Petrus 1. Pet. III. 21. *Baptismus nos salvat.*

RESP. REDING: *Unde probas, Apostolos non alio quàm Johannis Baptismo baptizatos esse.* Ib. pag. 86. Resp. De plerisque nemo nisi rerum ignarus dubitare potest. Nam baptizati utique plerique fuerunt ante resurrectionem Christi. At baptismus Christi demum à resurrectione ejusdem sua auspicia habuit.

ARG. VI. Baptismus Evangelii seu N. Test. est *unum baptisma*, Ephes. V. 5. At Johannis baptismus est baptismus Evangelii seu Nov. Test. tum quia principium Evangelii disertè ponitur in ministerio Johannis, Marc. I. 1. tum quia baptismus Johannis testabatur de Christo jam exhibito Act. XIX. 4. 5. quod testimonium Novi Test. proprium est: tum quia omnes Prophetæ & lex prophetâsse usque ad Johannem dicuntur, Matth. XI. 12. cui consequens est, Vetus Test. in Johanne desiisse.

RESP. REDING: 1. *Johannis Baptisma non fuit formaliter Novi Testamenti, sed hujus duntaxat umbra & figura. Unde Chrysostomus homil. 2. in Matth. monet, Christum in eodem flumine conjunxisse umbram & veritatem, baptismum scilicet Johannis cum baptismo suo. 2. Prædicatio Johannis Baptistæ fecit Evangelio initium, præparando viam ante Christum, & prædicando baptismum pœnitentiæ, asseverando, se baptizasse in aqua, sed Christum Spiritu S. baptizaturum. 3. Actor. XIX. 3. 4. 5. contrarium potiùs asseritur, nimirum baptizatos à Johanne denuo Paulum baptizasse. 4. Christus etiam post Johannem ceremonias legales, velut esum agni paschalis, usurpavit. Non igitur sub Johanne Vetus Testamentum expiravit.* Ib. pag. 86. 87. Resp. Elumbes nimiùm, nimiúmque elumbes responsiones tuæ sunt. Nam 1. nil nisi quæstionem petis, & Chrysostomum detorques. Is enim umbræ & veritatis nomine non Baptismum Johannis & Christi opponit, (tua hæc glossa est) sed in eodem Johannis Baptismo, quo Christus baptizatus est *umbram*, hoc est, aquam, elementum externum, & *veritatem*, seu rem elemento externo significatam, hoc est, Christum opponit. Quid hoc ad rem? Nam etiam in Baptismo Christi oppositio hæc procul omni dubio locum habet. 2. Quod Evangelio initium fecit, illud ad Evangelium, non ad legem pertinuit. Testem omni exceptione majorem habemus Christum Luc. XVI. 16. *Lex & Prophetæ usque ad Johannem.* Ἀπὸ τότε ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ εὐαγγελίζεται. *Ab eo tempore Regnum Dei evangelizatur.* Ergo Johannes evangelizavit. Quomodo igitur baptismus ejus, doctrinæ ejusdem sigillum, evangelicus non fuit? Neque in Johannis duntaxat, sed Christi etiam baptismo Minister aqua, Christus verò ipse Spiritu baptizat. 3. De loco Act. XIX. 4. 5. infra. Hoc saltem ex eo liquet, quòd Johannes baptizaverit in Christum jam revelatum, licet per passiones nondum consummatum, adeóque eatenus *venturum*, (venturus verò & qui venit, non sunt essentiales differentiæ, sed tantùm modales) imò simpliciter εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ *in nomine Domini Jesu.* 4. Nec Johannes, nec Christus novas ceremonias legales instituit. tametsi ceremoniis sub lege institutis simul uti Christus, ut justitiam omnem impleret, simul, ceu corpus umbris, finem imponere debuit. Neque de

usu

Digitized by Google

usu ceremoniarum, sed de institutione novæ ceremoniæ Evangelicæ, non legalis per Johannem argumentum loquitur.

ARG. VII. Denique ipsa circa hanc differentiam varietas Scholasticorum dogma hoc suspectum reddit. Lombardus baptismum Johannis refert ad Sacramenta V. Test. Bellarminus eam sententiam vocat erroneam. Idem Lombardus, Alexander Alensis, Petrus de Palude, Thomas, alii statuunt, baptismum Johannis fuisse administratum cum certa forma. Id negat Durandus. Utrumque probabile esse Scotus & Biel statuunt. In causis etiam baptismi Johannis assignandis multùm differunt. Denique à Deo fuisse baptismum Johannis asserit Lombardus, Bellarminus negat.

RESP. REDING: *Disputatio est de accidentariis duntaxat circa Johannis baptisma differentiis, non de essentia.* Ib. pag. 87. Resp. Imò disputatio est & de institutione, & de forma Baptismi Johannis. quæ utraque ad essentiam Baptismi Johannis pertinet.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Baptismus Johannis non à Christo; sed à Johanne institutus erat. Unde baptismus Johannis passim vocatur & divinæ institutionis formulâ caret. Non igitur eandem vim habuit cum baptismo Christi.* Resp. 1. A Deo institutum esse supra probavimus. 2. Appellatur equidem baptismus Johannis, tum *absolutè*, quatenus is fuit primus ejus in N.T. administer, Joh.I.33. tum *relatè* ad baptismum Christi per Apostolos administratum, quatenus non iisdem, quibus hic, visilibus Spiritus S. donis abundavit. Hoc non prohibet, quò minùs a Deo immediatè institutus sit. Unde Alexander Alens. *p.4. q.6. n.8.* ait, *à Johanne quidem ministerio, sed à Deo authoritate & præcepto* institutum esse. Et Bellarminus scribit, *vocari baptismum Johannis, sicut lex Israëlitis lata Mosis.* 3. Institutio baptismi Johannis eadem fuit quæ ministerii ejus: sub qua formula institutionis implicitè continetur, postea repetitione declarata à Christo, & expressiùs tradita Matth.XXVIII.19. Marc.XVI.16.

EXCIP. REDING: *Ritus quidem baptizandi à Johanne usurpatus authorem Deum habuit. Sed efficacia, seu formalis ejus quidditas non eadem Divinitus ei concessâ est, quæ baptismo Christi.* Ib.87. Resp. Extra chorum saltas. Argumentum vestrum cui aptata responsio mea est, de institutione Divina Baptismi Johannis, non de ejus efficacia loquitur. A Deo fuisse, negabat Bellarminus. Tu, Bellarmino discors, à Deo authore esse, largiris. Nulla igitur hic tecum mihi lis est. Causam enim deseris vestram.

OBIECT. II. *Baptismus Johannis non administratus est invocatione SS. Trinitatis, sed ad summum in nomine Christi venturi, Act.XIX.4. Non igitur eandem vim, habuit*

habuit cum baptiſmo Chriſti. Adminiſtratus eſt invocatione SS.Trinitatis ſaltem implicitè. Patet enim ex baptiſmo Chriſti, Johannem prædicaſſe doctrinam de tribus perſonis Divinis. Atqui ſuam is doctrinam baptiſmo confirmavit.

RESP. REDING: *An ergo Chriſti Baptiſmus ſub implicita Trinitatis invocatione collatus ſufficeret? Ita perfidè Calvinus Inſtit. lib.IV.15:6. affirmat, ſcribens, fieri non poſſe, quin Patris ſimul & Spiritus S. nomen invocet, qui in Chriſto baptizat. Atqui Chriſtus expreſſè explicitam Trinitatis invocationem præcepit.* Ib. pag. 88. Reſp. Sicut Johannes Trinitatem prædicavit, ita in ejuſdem nomine haud dubiè quoque baptizavit. Explicitè verò an implicitè id fecerit, non conſtat. Neque tu implicitè id feciſſe eum, probare potes; nec ego, explicitè feciſſe. Aſt, inquam, nihil refert. Sufficit, baptizaſſe eum in nomine veri Dei, qui eſſentia unus, perſonis trinus eſt. Si perfidus fuit Calvinus, ita aſſerens, an etiam perfidi fuerunt Apoſtoli, baptizantes ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ *in nomine Jeſu Chriſti*, Act.II.38. & S Paulus Act.X.48. jubens baptizare ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου *in nomine Domini.* Quæ tua effrons impudentia, & ſupina ignorantia eſt? Baptizarunt tamen ſicut Apoſtoli, ita etiam Johannes in nomine Chriſti immergentes, etiam in Trinitatis nomine, quia, uti ſcitè Ambroſius, Chriſti nomen complectitur tum Patrem, qui *unxit* Filium *oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis*, Pſal.XLV.8. tum Filium, cui *Pater dedit Spiritum non ad menſuram*, Joh.III.34. tum Spiritum S. qui eſt ipſa *unctio*, 1. Joh.II.27. Quem ſecutus Nicolaus I. (cui eo nomine, ſi vis, perfidiæ labem aſperge) pronuntiat, legitimum fore Baptiſmum, etſi in formula ſolius Jeſu mentio fieret, quia videlicet *inſtitutio Chriſti non de vocibus, ſed de rebus ſit intelligenda.* Qua de re etiam vide Cajetanum in Thomam *p.3.q.66. art.6.*

OBIECT. III. *Baptiſmus Johannis nec vi ſua & ex opere operato remiſit peccata, nec gratiam ſanctificantem contulit, ſed tantùm diſpoſuit, excitavit & invitavit ad pœnitentiam, ſeu contritionem concipiendam, qua peccata remitterentur, Matth. III.* 11. *Marc.I.8. Luc.III.v.16. Unde Johannes non aliud fuiſſe dicitur, quàm præcurſor Chriſti, viam ei præparans.* Reſp. 1. Operis operati figmentum ſuperiùs eliſimus. 2. Imò Johannis baptiſmus non tantùm diſpoſuit ad pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, ſed etiam eam obſignavit. Sicut enim in miniſterio ſuo legem & Evangelium prædicavit: ita Evangelicas quoque promiſſiones baptiſmo ſuo obſignavit. 3. Dicta, quibus Johannes baptiſmum ſuum à Chriſti baptiſmo diſtinguit, non derogant ei efficaciam, ſed partim diſcernunt perſonas in ordine cauſarum efficientium, & principalem ſtatuunt Chriſtum authorem gratiæ, miniſterialem verò Johannem, per cujus miniſterium Chriſtus in largitione Spiritus S. fuit liberè efficax; partim verbum baptizandi tribuunt utrique alio atque alio ſignificatu, Johanni adminiſtro baptiſmi propriè; Chriſto ejus authori, qui *propriè* nunquam baptizavit aquâ, Johan.IV.2. multò minùs igne, ſed *metaphoricè.* 4. Præcurſor Chriſti fuit Johannes, & viam ei paravit.

Digitized by Google

ravit. Sed id non de toto Johannis ministerio, sed ejus duntaxat parte, videlicet prædicatione pœnitentiæ accipiendum. Præterea etiam fidem in Christum & peccatorum remissionem docuit, Act. XIX. 4.

RESP. REDING: 1. *Cùm obsignatio gratiæ non fiat nisi per Spiritum S. & Johannis Baptismus Spiritum S. non contulerit, quomodo igitur gratiam remissionis Baptismus ille obsignare potuit? 2. Imò Johannes Baptismum, quo Spiritus confertur, prædicavit ut futurum. Quomodo igitur in ejus quoque Baptismo Christus, ceu causa principalis, Spiritum S. conferre potuit? 3. Baptismatis saltem ministerium in Johanne fuit ad parandam Christo viam, sed virtutem Baptismo Christi propriam non attigit.* Ib. pag. 88-89. Resp. Paucis te expediam, Prima & secunda exceptio, quæ eodem redit, confundit Spiritum S. cum ejusdem operationibus; & operationes ejus communes fidelibus omnibus cum extraordinariis & singularibus quibusdam ejusdem. Promisit igitur Baptista Matth. III 11. Spiritum S. in futurum demum, non vel ratione *ὑπάρξεως existentiæ* ejus, quomodo nunquam non fuit; vel operationum communium, quomodo nunquam non, adeóque etiam in Johannis Baptismo fidem, pœnitentiam, remissionem peccatorum operatus est; sed operationum singularium & extraordinariarum, quomodo visibili modo, in Pentecostes festo Spiritus S. datus & effusus in Apostolis linguarum & eloquii fervidissimi donum operatus est, Actor. II. 3. Hujus interpretationis quem certiorem laudare testem possumus, quàm Salvatorem & Apostolum Petrum? Christus ipse enim Actor. I. 5. post resurrectionem dixit Apostolis: *Johannes quidem baptizavit aqua. Vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos dies.* Petrus verò Actor. II. 16. *Recordatus autem sum,* inquit, *verborum Domini, sicut dixit, Johannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu S.* Baptismatis verò ministerium obivisse Johannem ad parandam duntaxat Christo viam, & non ad remissionem peccatorum obsignandam, nimis profectò dilutum est. Quasi non ipsa etiam V. Test. Sacramenta remissionem peccatorum obsignaverint, vel Johannes ita fuerit præcursor Christi, ut non doceret totam salutis rationem, & pœnitentiam, inquam, Matth. III. 2. & fidem in Christum, Joh. I. 29. & studium bonorum operum, Luc. III. 8.

OBIECT. IV. *Post Johannis baptismum necessariò suscipiendus fuit Christi baptismus, Act. XIX. 4. 5. Ergo non eadem utriusque vis fuit.* Resp. 1. Si maximè Ephesii discipuli denuo fuissent baptizati, non sequeretur inde differentia baptismi utriusque quoad speciem, sed tantùm quoad gradum. Etiam Lombardus & Alensis docent, rebaptizatos esse, nempe quia spem in illo baptismo posuerint, & fidem SS. Trinitatis non habuerint, non quòd utriusque bapismi dispar quoad essentiam vis fuerit. 2. Unde verò rebaptizatos esse fidem facient? Nam particulæ illæ μὲν & δὲ in sermone Pauli v. 4. & 5. non divelli, sed inter se connecti, ac sibi mutuò respondere debent, ut sensus sit, eos, qui audito Johanne acceperant baptismum, fuisse baptizatos in nomine Christi. Sunt igitur verba Pauli. Lucas verò sermonem continuat v. 6. & eum v. 3. & 4. per conjunctionem

Digitized by Google

nem καὶ connectit, narrans videlicet, Paulum audito, quòd à Johanne baptizati sint, manus iis imposuisse, planè ut Act. VIII. 14-18.

EXCIP. REDING: 1. *Nuspiam Lombardus & Alensis docent, Johannis & Christi baptismum eundem essentiâ & efficaciâ fuisse.* 2. *Ex loco Actor. XIX. 1. &c. consentientibus etiam Græca, Hebraica & Septuaginta Interpretum editionibus, ad oculum patet, baptizatos à Johanne, à Paulo rebaptizatos esse. Nimis clarè textus ille prodit, verba illa; Audientes baptizati sunt in nomine Jesu; esse non Pauli, sed Lucæ referentis.* Ib. p. 89. 90. Resp. 1. Neque diversæ essentiæ fuisse, usquam iidem docent. Saltem baptismi repetiti causas longè alias, & à me positas, quàm essentialem baptismatum illorum diversitatem fuisse, quod solum hic ego urgeo, tum Lombardus 4. *Sent. d.* 2. tum ad eundem Alensis afferunt; asserentes scilicet, solos eos, qui à Johanne baptizati, spem in eo baptismo posuerunt, nec fidem Trinitatis habuerunt, denuo baptizatos esse; reliquos non item. Quo igitur vero Baptismi Sacramento reliqui hi gavisi sunt, si essentiale, juxta eosdem, inter Baptismum utrumque discrimen intercessit? Addo ego, rebaptizari potuisse non ob essentialem differentiam, sed ob diversitatem nonnullam accidentalem, quoad obsignationem donorum Spiritus S. quæ copiosiora Baptismum Christi, quàm Johannis, obsignasse, ultro largimur. 2. Quis verò stupendam & crassam inscitiam vel oscitantiam tuam satis demiretur, qui ad consensum editionum loci Actor. XIX. 1. &c. *Græcæ, Hebraicæ & Septuaginta* provocare non dubitaveris? Quæ enim *Septuaginta* Interpretum *editio* Actuum Apostolicorum prostat? An Septuaginta Interpretes Actus à Luca scriptos post non unius Seculi intervallum videre, &, cùm Græci etiam iidem fuerint, interpretari potuerunt? Hic, si usquam plus quàm Monachalem inscitiam tuam prodis. Quomodo verò verba illa, *Audientes baptizati sunt in nomine Jesu*; Lucæ esse, non Pauli, clarè constat? Imò contrarium clarissimè constat ex relatione particularum μὲν & δὲ, quam à me observatam tu ne attingere quidem ausus es. Quæ particularum relatio à Latino Interprete (tu verò ad Græcam editionem provocare non dubitasti) neglecta, orationem ambiguam reddidit, multósque in errorem abripuit. Græca enim sic v. 4. 5. sonant: Εἶπε δὲ Παῦλος. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε βάπτισμα μετανοίας, τῷ λαῷ λέγων, εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν ἵνα πιστεύσωσι, τουτέστιν, εἰς τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν. Ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. Quæ ad verbum sic sonant: *Dixit autem Paulus: Johannes quidem baptizavit baptismum pœnitentiæ, dicens populo, ut in eum, qui veniebat post ipsum, credant, hoc est, in Christum Jesum. Audientes verò baptizati sunt in nomen Domini Jesu.* Quis exactè perpendens relationem tum particularum μὲν & δὲ *quidem* & *verò*; tum verborum λέγων τῷ λαῷ, *dicens* (Johannes) *populo*; & ἀκούσαντες *audientes* (idem scilicet populus, cui Johannes dixit, ut in Christum credat) vel tantillum dubitaverit, annon ejusdem Pauli verba hæc versus quarti & quinti omnia sint? Et, annon hoc sibi S. Paulus clarissimè voluerit, eos, qui baptismum Johannis accepissent, ritè fuisse baptizatos in Christum, atque novo baptismo neutiquam indigere?

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

An in ecclesia Pontificia obtineat vera de Baptismi Sacramento doctrina?

Affirmat sub anathemate Canon V. Veritas doctrinæ de baptismo spectatur vel quoad *essentiam* baptismi, vel quoad ejus *accidentia*, puta ritus & variantes de baptismi administratione, ritibus, effectu, fine opiniones. Priori sensu concedimus, in ecclesia Pontificia singulari Dei providentia remanere veram de Sacramento Baptismi doctrinam. Retinet enim ecclesia Pontificia materiam veri baptismi, aquam: nec non institutionis verba, quia baptizat in nomine SS. Trinitatis. Sed posteriori sensu negamus, tribus potissimùm argumentis. Etenim

ARG. I. In vera & pura de baptismi Sacramento doctrina necessaria est informatio de recto usu baptismi. quò facit tum promissio salutis, tum fides, quæ promissionem apprehendit. Utrumque sincerum videlicet & incorruptum deest baptismo Pontificio, & in ejus locum inducta est opinio operis operati & physicæ efficientiæ.

RESP. REDINO: *Nec opus operatum pugnat cum promissione, & fide ac spe eandem apprehendente: nec nos in promissione ac fide illa instruenda ullatenus deficimus. uti ex decretis Synodi Tridentinæ Sess.VI.cap.6. & XIV.cap.4. liquet.* Tomo II. Tract. V. §s.3. pag. 90. Resp. De opere operato & physica efficientia Sacramentorum omnium supra satis. Doctrinam porro de usu & virtute vera Baptismi, pertinente ad totam hominis Christiani vitam, in Regno Pontificio partim silentio sepultam, partim depravatam esse, res ipsa loquitur. Cùm enim Scriptura in doctrina de salutari usu Baptismi præcipuè hæc duo urgeat & inculcet, promissionem scilicet salutis, quæ ceremoniæ Baptismi Divina voce annexa est; & fidem, quæ promissionem illam apprehendit, amplectitur, retinet & conservat, in tot immensis librorum quæstionum, & summarum plaustris de Baptismo, promissionis Divinæ & fidei salutaris vix alicubi mentio fit; & eorum loco operis operati opinio utramque paginam facit. Frustra tu Tridentinos Canones in subsidium advocas. In neutro enim fides justificans promissionem Evangelicam in verbo oblatam & in Baptismo obsignatam amplectens tangitur, nedum ex Dei verbo explicatur, vel explicanda injungitur. Prolixè quidem Tridentina Congregatio promiserat, se coiisse ad eliminandos errores, & extirpandas hæreses, quæ circa Sacramenta pullularunt. Sed postquam ad rem ventum est, & omnium animi expectatione restituendæ sanioris etiam de Baptismo doctrinæ suspensi tenebantur, ipsi præteritis vivis fontibus partim recentes fodiunt cisternas, partim exoletas monstrant lacunas, ut scilicet,

Digitized by Google

cet.sepoſita norma & regula Scriptura,ea ſola & ſimpliciter cenſeatur eſſe vera de Baptiſmo doctrina,quam Romana,hoc eſt,Pontificia Eccleſia,Eccleſiarum ſcilicet omnium mater & magiſtra,(hoc Gorgonis caput,quo ſe illa tuetur,) tenet. Et gladio Spiritus, ſeu verbi Divini teſtimoniis, anathematum ſuorum umbones obvertere ſatis habet, definiens ſcilicet, *anathema eſſe, quiſquis in Eccleſia Romana non eſſe veram de Baptiſmo doctrinam,dixerit.* Plaudite nunc omnes! Sic veritas docetur.

ARG. II. Errant perniciosè circa virtutem baptiſmi,quam reſtringunt ad peccata antebaptiſmalia, cùm tamen fœdus baptiſmo obſignatum ſit perpetuum.

RESP. REDING: *Annon ſaltem infidelitas poſt baptiſmum contracta fœdus in Baptiſmo pactum rumpit? Atque ſic pro peccatis poſt-baptiſmalibus aliud medium requiritur?* Ib. pag. 60. Reſp. Cùm fœdus in Baptiſmo obſignatum æternum & immutabile ſit, utpote Divina fidelitate nixum,vel planè in Baptiſmo illud non obſignatur,iis ſcilicet, qui in eo nec inpræſentiarum, nec in futurum quicquam præter externum elementum accipiunt, vel ſemel obſignatum infidelitatem tollit, adeóque per eam abrumpi nequit. In fœdere enim Dei diſerta promiſſio extat, quòd Deus legem ſuam, quæ fidei eſt, cordibus inſcribere fœderatorum velit, Jerem. XXXI. 31. &c.

ARG. III. Aſſuerunt etiam ritus, quos faciunt partem Sacramenti, & quibus myſterium affingunt,eóſque partim ſuperſtitioſos, partim ſordidos & impios,partim mimicos,partim non neceſſarios,quibus ipſi eſſentiales ritus baptiſmi obſcurantur, & primæva ſimplicitas, & ἀκλικρίνεια inſtitutionis Chriſti & praxeos Apoſtolorum faſtidiosè rejicitur. Bellarminus plures ceremonias narrat tum antecedentes, tum comitantes, tum ſequentes baptiſmum, quos inter maximè improbamus toties iteratam ſignaturam crucis oleo vel chriſmate factam, quâ vim dæmonum retundi putant: ſcenicum illum apparatum,quem ſacrifico præſcribit Rituale Romanum: ſcrutinium,ſeu examen competentium: abrenuntiationem,fidei profeſſionem,qui ritus olim in baptiſmo adultiorum rectiſſimè adhibiti, ridiculè retinentur in baptiſmo infantum rationis exortium & fœderatorum: ſordidas illas actiones,veluti cùm ad pellendum dæmonium ſacrificus ter exſufflat in faciem infantis, & accipiens de ſaliva oris ſui tangit ejus nares & aures, quam ceremoniam à Meſſalianis ſeu Euchetis mutuati ſunt; perinde ac ſi Diaboli ſint ſcorpiones ſalivâ extinguendi: cereos ſplendente ſole accenſos, conſecrationem fontis bis in anno, ut de pluribus aliis,quæ *Sacramentalium* nomine inſigniunt, taceam. Quantò rectiùs inſtitutioni Chriſti & Apoſtolorum praxi inhærêrent? Sanè etiam Catharina Medicæa, Franciæ Regina, Caroli IX.mater, ac Regni tum temporis *Regens,* literis ad Pium IV. A.1561. datis, ex Johannis Monlucii Valentini Epiſcopi,uti creditur, conſi-

Digitized by Google

consilio, inter alia Reformationis capita petiit, *ut in baptismo exorcismi & certæ precum formulæ, quæ extra ejus institutionem sunt, omittantur, ac sufficiat, ut aqua & verbum tantùm juxta Dei præscripum adhibeantur; sputi in infantuli os injectionem non solùm necessariam non videri, sed etiam periculo non carere.* Quam Catharinæ Epistolam ex Thuano deleri Hispani Bibliomastiges jusserunt.

RESP. REDING: 1. *Ceremonias ejusmodi nos non ut partem Sacramenti, sed ut mysteriosum ejusdem ornatum, & quidem convenienter orthodoxæ antiquitati, uti supra Sect. 2. q. 6. cap. 1. n. 6. &c. demonstratum est, retinemus. Inprimis Tertullianus lib. de corona Militis, ritus baptismales nostros ex traditione ecclesiastica arcessit. 2. Quale verò argumentum est à fæminea Reginæ Franciæ, Hugonotici spiritus sibilo nonnihil commotæ, infirmitate petitum?* Ib. pag. 91. Resp. 1. Cùm mysterium omne nonnisi à Divina revelatione originem habeat, ritus mystici Divinitus revelati & mandati sint oportet. Qui porro ejusmodi sunt, Sacramenti partem necessariò constituunt. Nam Sacramenti pars est, quicquid in Sacramento faciendum Deus revelavit & mandavit. Vel igitur ritus vestri, de quibus nobiscum contenditis, mystici non sunt, vel pars Sacramenti sunt. Quòd verò ad antiquitatem orthodoxam sic præceps deflectis, satis te verbo Dei parùm confidere, prodis. Sed age, etiam hic tecum experiamur. Ut igitur tela tua ex antiquitate petita obtundam, satis erit paucis demonstrare, partim ritus in Veteri Ecclesia receptos plures vos liberè sustulisse, (unde prono alveo fluet, non tantùm Tridentinos Veteris Ecclesiæ praxi suam non conformare, sed etiam nobis æquè integrum fuisse, quosdam antiquitus receptos in Baptismo ritus humanos inducere) partim de ritibus quibusdam veterum testimonia à vobis allata neutiquam ad rhombum facere; partim denique maximè controversos ritus primæ saltem antiquitatis testimonio destitui. Quoad *primum*, negari nequit, antiquissimam de solennibus Baptismi temporibus fuisse legem, ut non aliis toto anno diebus, (si nulla necessitas urgeret) quàm Paschæ & Pentecostes vigiliis baptizarent. Hanc quintam Baptismi Veterum ceremoniam fuisse, Bellarminus fatetur. Siricius Papa *Epist.* 2. non parùm indignatur, quosdam aliis quàm his diebus solennem baptismum celebrare. Leo Papa commotior etiam *Epist.* 4. *cap.* 1. adversus Siculos, Epiphaniæ insuper diem Baptismo consecrantes, propterea eos *ab Apostolicæ institutionis consuetudine discrepasse*, queritur. Apostolicam authoritatem ubique ille prætendit; minatus etiam Siculis iisdem *cap. 6. inultum esse non posse, si quisquam Apostolicas regulas in hoc negligendas curaverit.* Legem tamen hanc Siricii & Leonis circa Seculi decimi tertii initia abrogatam & sepultam esse, nemo ignorat. Sed & lactis & mellis post tinctionem & unctionem usitata delibatio, lavacri abstinentia octo diebus à Baptismo, interdictum tangendi terram nudis pedibus totidem diebus, ritus sistendi se ante sanctuarium, lotio pedum, trina infantum immersio; ritus antiquissimi, pridem in Romana Ecclesia expirarunt. Falsa igitur vestra de reverentia in antiquitatem, & consensu cum eadem rituum vestrorum gloriatio est. Quoad *secundum*, constat ex Bellarmini recensione, viginti duos ritus in Baptismo Pontificio plerosque quidem usitatos, quosdam etiam obsoletos numerari. Ex his duodecim excludi possunt, quorum alii Scriptura nituntur; alii non sunt veri Baptismi ritus, sed ei aliis de causis accidunt; alii denique apud veteres nunquam in usu fuerunt. Sunt autem

Digitized by Google

ceremoniæ hæ sequentes, puta Nominis competentium indicatio; Scrutinium, quo catechumenorum fides ac vita explorabatur & probabatur; Abrenuntiatio Sathanæ & operum ejus; Symboli recitatio; Susceptorum sive Patrinorum officium; Manus impositio, seu oratio super baptizatum; Abstinentia vini, carnium & rei uxoriæ; Impositio nominis; Osculum; Tempus administrationis; Vestis candida, & lactis ac mellis delibatio. Assero autem, veterum de his ceremoniis (excepto osculo, quod nec apud veteres in usu fuit, nec hodiéque in Ecclesia Romana retinetur) testimonia planè esse ἀναντίῤῥητον, quia de iis nulla contentio est. Quædam enim ut convenientes in quovis Baptismo retineri possunt; quædam olim in adultorum duntaxat Baptismo retenti sunt, neque nisi ineptè ad Baptismum infantum trahi possunt: quædam denique in Papatu ipso obsoleverunt. Omitti igitur jam securè de his duodecim veterum testimonia possunt. Quoad *tertium*, restant decem ceremoniæ Baptismales controversæ; puta Signum crucis in fronte & pectore; Exorcismus; Exsufflatio; Narium & aurium ex saliva contactus, cum Ephata; Salis gustatio; Unctio ex oleo in pectore & scapulis; Consecratio aquæ baptismalis; Unctio Chrismatis in vertice; Cereus accensus à Neophyto gestandus; & Vestis candidæ indumentum. De his ceremoniis nonnihil dicere Juvabit cùm universis, tum singulis. In universum eas non esse Apostolicæ originis, tum ex Christianismi primitivi simplicitate, Mosaicorum rituum multiplicitati opposita: tum quia vel ob materiæ raritatem ac pretium, vel ob indecorum à Christianismi genio alienæ sunt: tum quia frustra Divinæ, adeóque absolutissimæ institutioni adjectæ reperiuntur: tum quia nullos rituum horum vel in Johannis, vel in Apostolorum Baptismo receptos fuisse constat: tum quia Christus credentes simpliciter baptizare, non ungere, sputo fœdare, exsufflare, crucis signo notare, &c. jussit: tum quia de ritibus hisce in actibus Lucæ, & cœterorum Novi Testamenti scriptorum Libris: nec non apud scriptores antiquissimos, Justinum Martyrem cumprimis *Apol.* 2. ubi Christianorum Baptismum accuratè describit, altissimum silentium est: tum denique quia ipsa traditionis rituum horum ratio id ipsum demonstrat. Quæ enim certò & indubitatè à Christo & Apostolis tradita sunt, ea statim apud omnes extant, & quidem ubique eadem; ut aqua in Baptismo, panis & vinum in Eucharistia, quæ apud omnes Christianos in Sacramentorum horum administratione ab ipsis rei Christianæ initiis inveniuntur, & deinceps apud posteros ad nostra usque tempora manserunt. Quæ verò post Apostolos à Viris Ecclesiasticis reperta sunt, eorum dispar ratio fuit. Hæc enim neque ab ipsis suis initiis pariter apud omnes extant, neque ubique, neque semper eadem, sed nonnihil ferè diversa sunt, ut locorum, vel temporum, in quæ incidunt, ingenium, status atque conditio fuit. Atque hæc controversis hisce Rogationibus accidisse, satis constat. Lubet audire vel unum Valafridum Strabonem, sic *de Reb. Eccles. cap.* 26. hoc differentem: *Sciendum autem, primò simpliciter in fluviis vel fontibus baptizatos credentes. Et sicut cæterarum institutionum ecclesiasticarum decus; ita & hujus mystici lavacri gradatim per temporum augmenta celebrationem in majus crevisse. Addiderunt alii chrismatis unctionem, quam ex veteri* (Mosaica) *sumptam consuetudine nemo est qui dubitet; cùm primis temporibus impositione manuum Baptismus confirmari soleret, quod in Samaria Petrum fecisse & Johannem legitur. Alii addiderunt in Baptismalis Sacramento Exorcismos; alii consecrationem frontis; alii salis, alii salivæ infusionem; alii catechumenorum ordinabilem instructionem; alii scrutinia diligentissima ad tantum mysterium præparationis statuerunt. Sed & multa alia, quæ & exemplis Divinorum*

moriùm actuum vel dictorum inventa, & congruentissimis spiritualium profectuum plenæ noscuntur. Liquet igitur abundè, quæcunque sit rituum horum origo, Divinam & Apostolicam neutiquam esse, sed merè humanam. Constantérque profitemur, nec ritè & prudenter primò fuisse inductos cumulatóve; & deinceps meritò à piis rejectos & abrogatos. Quo enim prætextu Pontificii abrogarunt tempora stata Baptismi, lactis, mellis degustationem, pedum lotionem, vestem candidam; osculum pacis, abstinentiam carnium & vini; eodem nos reliquos, quibus non minus, si non plus indecori inest, abrogavimus. Neque enim tam tyrannicè orbi Christiano Sophistæ hi imperitare debent, ut nisi se solos, neminem liberum, vel non talpa cœciorem esse, patiantur. Inprimis cùm in confesso esse debeat, Sacramenta nihil esse nisi ab institutione & quidem Divina; ac proin ad Sacramentum necessariò non pertinere, quæ humanitus inventa sunt. De singulis ritibus maximè controversis dici multa possent. Pro iis ex Bellarmino multa veterum testimonia Redingius *pag. 75. 76.* corrasit, quæ sigillatim discutere, otiosum & inutile foret; cùm ab hominibus inventos esse singulos, jam constet & probari insuper nequeat, veteribus eam sedisse sententiam, quòd vel singuli ii necessarii sint, vel effectus ejusmodi, quales hodie iis asseruntur, habeant. Benedictionem aquæ, ante ipsam Sacramenti præsentémque celebrationem nemo prorsus veterum vel nominavit vel indicavit. Dionysius Areopagita à te citatus *Hier. Eccl. cap. 2.* aquæ sanctificationem nullam describit, nisi in procinctu, & cùm datum est nomen, imò & ipse catechumenus signatus, idque *μυστικῶς.* Sic reliqui. Quid hoc ad benedictionem aquæ extra Baptismi celebrationem? Exorcismorum nulla planè apud Justinum & Tertullianum, ubi ex professo veterum baptismum describunt, mentio est. Neque ullus eorum, quos tu ex Bellarmino citas, scribit, Exorcismos vestris similes in Baptismo super Catechumenis à presbyteris quibuslibet, etiam nullo dono præditis, jam tum factos esse. Hoc ex testimoniis veterum probandum fuerat. Signi crucis plurima apud veteres mentio est. Sed vel oleo, vel chrismate factum illud esse, nemo eorum, quos tu citas, dixit, dixit; excepto fortè Areopagita supposititio, qui notavit, Pontificem inchoare unctionem *διὰ τῆς σφραγῖδος τρὶς, ter repetito signaculo,* quod tamen aliò Vasquez refert. Tertullianus certè *de Cor. cap. 3.* Christianos *frontem crucis signaculo terere* dixit *ad omnem progressum atque promotum; ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque eos* conversatio exerceret. At inter hæc sacros Evangelici ministerii actus nullos numerat; in Baptismo, Eucharistia, prædicatione signum hoc frequentari, nullo apice memorat. Neque enim veteres signo crucis, ut operativo ex opere operato, (uti Bellarminus *de imag. cap. ult.* existimat) sed ut externa professionis tessera, commixti infidelibus, usi sunt. Salis & salivæ tantundem apud veteres, quantum in ovo pilorum est. Originem & Augustinum pro iis falsò allegari, ipse Vasquez non dissimulat: De saliva, & ceremonia tangendi per eam nares & aures, unum Ambrosium Bellarminus, & ex eo Redingius nominat. Sed ingenuè idem Vasquez fatetur, nihil de saliva Ambrosium dixisse. De unctione sic Tertullianus *de Bapt. cap. 7.* scribit: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium solebant, ex quo Aaron à Mose unctus est. Unde Christus dicitur à chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritualis; quia spiritu unctus est à Deo Patre.* A pristina disciplina, Mosaica, unctionem hancce derivat, atque eo ipso à Christo, vel ejus Apostolis institutum negat. Et ante Tertulliani ævum unctionem ejusmodi in Baptismo receptam non

Digitized by Google

non fuisse, satis inde liquet quòd nec Justinus, nec anteriorum temporum scriptores, baptismi ritus edisserentes, ejus nulli meminerunt. Quid quòd Latini plerique Tertulliani locum illum non de baptismate, sed de confirmativa unctione acceperunt: quódque unctio illa Tertullianea non ex chrismate, sed ex simplici oleo, neque in vertice, sed in fronte facta est? Quod à moderna praxi abludit. Mitto reliquas ceremonias singulas; hoc unum addens, testimonia antiquitatis pro ceremoniis non Divinis, sed humanis, nihil aliud quàm antiquitatem erroris & præsumptionis humanæ arguere. 2. Non igitur à fœminea Reginæ Franciæ, Catharinæ Mediceæ, infirmitate, sed à plus quàm virili ejusdem prudentia & magnanimitate profecta sunt seria illa postulata, quibus à Patribus Tridentinis contendit inter alia, ut jugo illo ceremoniarum Baptismi Sacramentum liberarent. Atque utinam zelum suum à Sophistis eam obsidentibus & serpentino sibilo afflantibus sufflaminari passa non esset! Meliùs deinceps in Francia Christianæ religionis res sese habuissent.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Vel vera est Pontificia de baptismo doctrina, vel falsa. Si vera, etiam Papatus doctrina vera est, quia Sacramenti veritas pendet à veritate doctrinæ. Si falsa, Reformatores & reformati in papatu baptizati rebaptizari debuerunt.* Resp. 1. Et vera & falsa est, diverso respectu, Pontificia de baptismo doctrina. Vera est, quoad *essentiam* institutionis, elementum visibile, & institutionis verbum. Falsa est quoad *accidentarias* opiniones & ritus. 2. Neque iccirco inde veritas doctrinæ Pontificiæ rectè evincitur, æquè ac Pharisæorum, Sadducæorum doctrina non ideo vera fuit, quia externum circumcisionis ritum legitimè administrârunt. Nempe dogmata fidei non semper respondent rectitudini externæ administrationis. Fieri enim per accidens, vitio nimirum administrantium, potest, ut qui legitimè Sacramentum externum administrat, ipsum Sacramentum perversis opinionibus, & fidem erroribus in fundamentum arietantibus pervertat, & concutiat.

EXCIP. REDING: *Argumentum hoc pro nostro non agnoscimus; gnari, Sacramenti veritatem à veritate doctrinæ non pendere. Etiam Arianorum baptismus formulam à Christo præscriptam servans validus foret. Unde vestrum quoque baptismum non rejicimus, licet perniciosissimas de Baptismi essentia hæreses foveatis.* Ib. p. 91. 92. Resp. Solent tamen vestri argumento isthoc Baptismi sui veritatem tueri. Cujus infirmitatem bene est quòd mecum agnoscis. De Arianorum baptismo nimis molliter sentis. Baptizarunt illi in nomine Filii & Spiritus S. illius ut hominis nudi, hujus ut virtutis Dei, non personæ. Unde tu ipse supra *Quæst. 3. ad Bullam Indict. Resp. ad arg. 5.* contenderas, Concilium Nicenum *Can. 19.* jussisse *ἀναβαπτίζεσθαι rebaptizari* Paulianistas, ob Divinitatem Christi abnegatam. Quomodo ergo tibi constas? Etiam Athanasius *Orat. 3. contra Arian.* baptismum eorum irritum declarat, eò quòd, baptizantes licèt in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptizant tamen juxta tenorem doctrinæ suæ *εἰς κτιστὴν καὶ κτίσμα, καὶ εἰς ποίημα καὶ ποιητὴν, in Creatorem & Creaturam, facturam & factorem.* Si porrò perniciosas de essentia, hoc est, materia & forma Baptismi hæreses nos fovemus, pessimi estis omnium, qui nostros in castra

ſtra veſtra profugos non iterum baptizatis. Nam bapiſmi eſſentia hæreſi infecta baptiſmi inſtitutionem neutiquam ſervat, adeóque baptiſmum irritum reddit.

OBIECT. II. *Eccleſia primitiva ritibus baptiſmalibus Divinitus inſtitutis adjunxit alios non inſtitutos. Ergo ritus eos retinere, vel novos inſtituere æquè liberum eſt Eccleſiæ Romanæ.* Reſp.1. Ritus veteris Eccleſiæ adiaphoros ad uſum & ædificationem accommodatos retineri, ſalva tamen libertate, non vetamus. qua quidem libertate ipſi Pontificii uſi ſunt in abolendo *oſculo baptiZandi*, cujus meminit Cyprianus lib.3. cap.8. *ablutione pedum*, quam ab æterno receptam eſſe, ait idem Cyprianus *libro de Unctione Chriſmatis*: aliis ritibus, quorum meminit Auguſtinus *de Symbolo ad Catech.lib.4.1.* ac imprimis *prægustandi mellis & lactis uſu*, Tertulliani tempore recepto. Tutiſſimum tamen arbitramur, ſimpliciter inſtitutionem ſequi. 2. Improbamus verò vehementer, tum quòd obtentu traditorum rituum, ut olim Scribæ & Phariſæi, mandatum Dei transgrediuntur, adminiſtrantes baptiſmum in lingua peregrina, & tribuentes humanis ritibus, quod baptiſmo ſoli tribuendum fuerat: tum quòd mutatis circumſtantiis eosdem ritus & diverſiſſima opinione retinent: tum quòd novos eósque ſuperſtitioſos & abſurdos, antiquitatis titulo fucatos, invexerunt. Quò pertinent benedictio aquæ ante celebrationem, Signum crucis chriſmate factum, ſalis & ſalivæ uſus, cerei poſt baptiſmum &c. de quibus vide Chamierum *de Baptiſmo lib.6.* ac inprimis Dalleum *de Ritibus Religioſis Latinorum*, libro primo toto.

EXCIP. REDING: 1. *Nos quoque mutandorum rituum libertatem competere Eccleſiæ, ſed non Paſtoribus ſingulis, ſtatuimus.* 2. *Quos tu ritus à nobis retentos improbas, à veteri Eccleſia receptos fuiſſe, ſupra firmavimus.* Reſp.1. Eccleſiæ, ſed Romanæ ſoli, ceu reliquarum omnium Matri & Magiſtræ libertatem ejuſmodi competere, Tridentinus Canon veſter ſanxit; adeóque oppoſitè non ad Paſtores quoſvis, ſed particulares Eccleſias omnes, quas ſic affectato dominio ſuperbiſſimo libertate ſua defraudatum ivit. 2. Veteris Eccleſiæ ſcutum prætenſum diſcuſſimus abunde ſuprà.

OBIECT. III. *Ipſi quoque heretici (ita nos inſignivit Bellarminus) nonnulla baptiſmo adjungunt, quæ nec præcepta, nec exemplo in S. Literis tradita ſunt. Ita infantem ad baptiſmum adducunt die Dominico vel alio, quo concio habetur. Interrogant ſponſores, an ſpondeant ſe infantes inſtituturos in doctrina fidei & morum. Denique infanti nomen imponunt.* Reſp. Ita qui accuſantur hominem occidiſſe, objiciunt, nos quaſi acu eum pupugiſſe. Atqui quæ nos ſic obſervamus, non Sacramenti ſunt partes, neque iis myſterium affingitur & ſignificatio eorum effectuum, qui pertinent ad aquam baptiſmi; ſed honeſtæ celebrationis circumſtantiæ, eccleſiaſticæ prudentiæ & libertati re-

lictæ, quæ pro re nata ad tuendum decorum & ordinem institui, vel mutari possunt.

EXCIP. REDING: *Honestæ illæ celebrationis circumstantiæ præferre debent honestatem decori Baptismi tuendo convenientem. Necessum igitur est eas procedere ex motivo virtutis, quæ religio est.* Ib. pag. 92. 93. Resp. Religio quidem externum ordinem & decentiam imperat, sed ritibus decoris eò facientibus & ab hominibus institutis, nec rationem mysterii vel significationis, nec effectus supernaturales, nec dispositionem ad gratiam justificantem tribuit. Hoc enim non recta religio, sed magicum studium, rebus humanis vendicans, quod nec à natura, nec à Deo habent, committit.

OBIECT. IV. *Ceremoniarum quarundam in ipsis S. literis mentio est.* Exsufflationis *Joh. XX. 22. ubi Christus insufflavit in Apostolos*; Exorcismi Act. XIX. 13. *ubi exorcistarum mentio*; Unctionis, *à qua ipse Christus nomen accepit*; Sputi *Marc. VII. 33. & Joh. IX. 6.* Vestium candidarum, *Apoc. III. 4. ubi vestimenta candida promittuntur vincenti*; *denique* Cereorum *Matth. XXV. 1. 2. 3. ubi virgines inducuntur cum cereis.* Resp. 1. Illa omnia in Scriptura legimus, sed non ut pertinentia ad baptismum vel baptismi celebrationem, sed ut plurimùm ad miraculorum patrationem, quorum ratio alienissima à Sacramento. Certè etiam adversarii oderunt eos, qui baptismo ignem addunt. Quanquam habeant Matth. III. 11. Christum baptizaturum Spiritu & igne. Quantò minùs tolerandi sunt ii, qui longè leviore prætextu corradunt ex Scripturis quidlibet? 2. Christus non tantùm *sputo*, sed etiam *luto* usus est. Quæ ratio, cur priori tantùm, non etiam posteriori utantur? 3. Quæ verò ratio consecutionis; Christus ab unctione dictus est: Christiani Lux oportet luceat: Saliva à Capite descendens sapientiam significat: Vestes candidæ promittuntur vincenti; Ergo in baptismo necessarius est usus chrismatis, sputi, salivæ, cereorum, vestium candidarum? 4. Exorcistæ dicti, non quicunque in Spiritus immundos potestatem habuerint, sed qui ex corporibus obsessis eos pepulerint. An igitur, si maximè largiremur penes Ecclesiam potestatem exorcizandi adhuc residere, infantes quivis baptizandi corpore tenus à Dæmone obsessi sunt?

EXCIP. REDING: 1. *Atqui nos in baptismi administratione utimur igne, accenso scilicet cereo. Non igitur eos, qui Baptismo ignem addunt, odimus.* 2. *Licet ritus hi ex institutione Christi ad Baptismum non pertineant, idoneos tamen esse ad repræsentandum aliquod mysterium, inde evincitur.* 3. *Etsi infantes corporaliter obsessi non sunt à dæmone; tamen sub Sathanæ potestate sunt ob reatum peccati originalis.* Ib. pag. 93. Resp. 1. Utimini igne, sed peregrino, qui vos consumet. Sicut autem spiritu baptizare non potestis: ita nec igne. quo utroque solus Christus baptizavit. 2. Quomodo ritus controversos idoneos esse ad repræsentandum illud mysterium, quod vos per eos repræsentari statuitis, inde evinces, quia aliquod mysterium in iis Christus repræsentavit? An enim idem jus repræsentandi mysteria Dei habent Deus & homines? Quis sic repræsenta-

tionum

Digitized by Google

tionum finis, quis modus erit? Cúmque diversissima sit Sacramentorum & miraculorum ratio; atque ritus hi universi in miraculorum ferè patratione à Christo adhibiti fuerint, quomodo vos eosdem in aliud planè forum traxeritis, & mysteriis pro libitu vestro impraegnaveritis, videritis ipsi. 3. Infantes fidelium natura quidem in peccato mortuos, & Sathanae potestati obnoxios esse, constat. Sed gratia Dei eosdem, utpote à foederatis & fidelibus parentibus natos, Divini foederis & promissionum participes reddit. Unde Deus se Abrahami & seminis ejus Deum in foedere gratuito declaravit, priusquam Sacramentum circumcisionis iisdem revelavit. Et fidelium Parentum liberos eo ipso, quòd à fidelibus parentibus nati sunt, *Sanctos* esse Apostolus, 1. Cor. VII. 14. declarat. Quomodo igitur Sathanae mancipia iidem sunt? Et sunto sanè. Non ideo exorcistae vestri in Baptismo Sathanam pellunt, quia exorcistae sunt, non quicunque in spiritus immundos potestatem habuerint, sed qui ex corporibus obsessis eosdem pepulerint, uti ex Act. XIX. 13. ubi *Exorcistarum* mentio est, liquet.

QUÆSTIO III.

An baptismus ita necessarius sit ad salutem, ut quicunque eo nullâ culpâ suâ privantur, aeternam damnationem incurrant?

SYnodus Canone V. anathema dicit asserentibus, *baptismum liberum esse*, hoc est, *non necessarium ad salutem*. Si Anathema diceret iis, qui statuunt, nullo modo necessarium esse ad salutem, ne praecepti quidem Divini necessitate, quae Socinianorum haeresis est, consentientes nos haberet. Fatemur enim, ita necessarium esse ex Divina institutione, ut quisquis eum vitio & culpa sua omittit, peccatum aeterna morte dignum committat, quoniam, ut Augustinus loquitur libr. contra Cresc. cap. ultimo, *sanctissima significatione praepollet*. Sed sensum anathematis per se ambigui aperit Catechismus Romanus, cujus haec verba sunt: *Nihil magis necessarium videri potest, quàm ut doceamur, omnibus hominibus baptismi legem à Domino praescriptam esse; ita ut nisi per baptismi gratiam Deo renascantur, in sempiternam miseriam & interitum à parentibus, sive fideles, sive infideles sint, procreentur.* Neque aliter Scholastici, quos inter Suarez inquit: *Simpliciter dicendum est, baptismum esse medium necessarium ad remissionem peccatorum & ad gratiam ac gloriam consequendam. Conclusio est de fide.* Alii tamen modestiores exceptiones quasdam indicant. In hac ipsa Sessione Canone IV. de Sacramentis in genere anathema dicitur iis, *qui dixerint, Sacramenta novae legis non esse necessaria & ad salutem superflua, & sine iis aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam justifica-*

justificationis adipisci, licèt omnia singulis necessaria non sint. Ubi notandum ex Historico, fuisse in Concilio alios, qui distinguerent inter Sacramenta, quorum alia absolutè necessaria sint, alia non. Alios verò, & potiores quidem, damnari voluisse eos, qui indefinitè assererent, Sacramenta non esse necessaria, eò quòd unius Sacramenti necessitas sufficeret ad eos falsi redarguendos, & omnia quidem necessaria sint, sed unum absolutè, reliqua ex hypothesi. Quæ sententia vicit, *non sine stupore quorundam,* inquit Historicus, *existimantium, tam multiplicem æquivocationem stabiliendis fidei articulis non convenire.* Patet tamen inde, quam baptismi necessitatem propugnaverint Patres. Cæterùm præcipua, quibus absoluta illa & rigida Baptismi necessitas infringitur, argumenta attulimus superiùs pag. 175. 176. 177. Pauca his addimus.

ARG. I. Canon. IV. *de Sacramentis in genere* anathematizat eos, qui dicunt, sine Sacramentis, *aut eorum voto*, per solam fidem homines gratiam justificationis accipere. Concedit igitur, sine baptismi Sacramento, dummodo ejus votum Sacramento successerit, hominem justificari posse. Proinde necessitas ejus absoluta non est. Unde etiam Thomas in cap. 3. Johannis ait, *baptismum necessarium esse vel in se, vel in voto, vel in figura.* Idem etiam docet Lombardus *Sent. lib. 4. dist. 4. lit. D.* ubi sententiam suam tuetur testimonio Augustini dicentis, *gratiam Dei invisibiliter impleri, quomodo mysterium non contemptus religionis, sed articulus necessitatis exclusit.* Et concludit: *Constat ergo, sine baptismo aliquos justificari & salvari.* Illud quoque observandum. Votum quidem Sacramenti sufficere ad justificationem, at non *fidem* decernunt Patres. Ita non Sacramenti tantùm, sed etiam voti Sacramenti major efficacia statuitur, quàm fidei, cui tamen justificationem in solidum sacræ literæ acceptam referunt.

RESP. REDING: *1. Votum Baptismi & perfecta contritio saltem non cadit in infantes. Etsi verò ii capaces sint Martyrii, per quod sine Baptismo justificari possent, illud tamen merè extraordinarium est. 2. Lombardi sententia est, quòd secundum viam extraordinariam, quando Baptismi copia haberi nequit, sufficiat martyrium, vel contritio charitate formata, seu votum Baptismi. Extra casus illos Baptismus simpliciter necessarius est, id ipsum Augustino Epist. 28. ad Hieron. agnoscente. 3. Fides formata charitate, seu perfecta contritione ipsum Baptismi votum includit.* Tomo II. Tract. V. Ss. 3. pag. 96. 97.

Resp. 1. Sive in infantibus sive in adultis votum vel Martyrium Baptismi defectum supplet, absoluta Baptismi necessitas cadit. Et quo jure Deus optimus infantes ob defectum non suum, puta tum Baptismi, quem sibi ipsi conferre non potuerunt, tum rationis, qua destituti nec votum concipere, nec perfectè conteri potuerunt, puniat, ratio neutiquam apparet. 2. Si extra ordinem Martyrium, vel contritio charitate formata, & votum sufficit ad salutem non baptizatorum, annon æquè in casu privationis Spiritus S. gratia sufficere potest? Ubi enim magis martyrium, vel contritio votúmque, quàm Spiritus S. gratia

excipi-

excipitur? De Augustini sententia supra satis. 3. Si fides votum includit, cur igitur Baptismum suppleri posse per fidem, non asseritis? Quomodo Scholastici, nominatim Lombardus 4. *Sent. dist.*1. Bonaventura *in* 4. *Sent. dist.*1. *pag.*2. *a.*2. *q.*2. secutus uterque Bernhardum *Epist.*77. & ipsum Hugonem de S. Victore, ad quem ibi Bernhardus scripsit, asserunt, in lege naturæ nec non apud nationes, & fœminas post institutum circumcisionis Sacramentum, adultis propriam solam, infantibus fidem Parentum ad justificationem & salutem sufficeisse. Non minor autem est vis fidei post Christum, quàm ante eum fuit. Quæcunque enim factæ sunt fidei veterum promissiones Divinæ spiritualium ejusmodi bonorum, seu salutis ac æternæ beatitudinis, promissiones, inquam, toti Ecclesiæ omnibúsque credentibus communes, eædem in sua latissima amplitudine factæ sunt fidei Christianorum sub Evangelio degentium, uti ex Rom. IV. 6. XV. 4. 2. Cor. VI. 18. VII. 1. Gal. III. 24. Hebr. XI. 39. 40. 2. Pet. I. 3. 4. liquet; agnoscentibus etiam Thoma *in* 4. *Sent. d.*1. *q.*6. & Bonaventura *loc. cit. q.*2. fidem antiquis illis temporibus non fuisse majoris efficaciæ, quàm nunc est; nec fidem hoc tempore deterioratam esse. Si verò N. Test. adjunctum aliquid sit, quod sit ita necessarium necessitate medii, ut simpliciter absque ea fides ad salutem non prosit, haud deterior fides N. T. dubiè facta est, quia non ampliùs præstare potest, quod olim præstitit.

ARG. II. In Concilio ipso Marinarus rigidam illam non tantùm Sacramentorum, sed etiam voti Sacramentorum necessitatem oppugnavit, adductis exemplis tum Cornelii Centurionis, cujus orationes Deo gratæ fuerint, antea quàm is Sacramentum baptismi cognovisset: tum universæ ejus familiæ, quæ audita Petri concione receperit Spiritum S. priusquam naturam Sacramentorum edocta esset: tum latronis in cruce jam moribundi, & Martyrum in ipso persecutionis ardore ad Christum conversorum, qui solius Christi virtute illuminati, ne quidem cognitionem ullam Sacramentorum habuerint. Quæ quidem argumenta ita moverunt Patres, ut propter eorum difficultatem decisionem ad generalem Congregationem differendam putârint. Et extra Concilium jam olim Gerson *Serm. de nativ. virg. Mariæ*, negavit, Deum gratiam ita alligâsse Sacramentis, *quin absque præjudicio legis suæ posset pueros nondum natos extra uterum intus sanctificare.* Eadem sententia fuit Gabrielis Biel, Cajetani, Dominici à Soto, Tilemanni Sigebergensis, Thomæ Elicii, Cassandri, aliorum, quos propterea Vega *de justif. lib.* 5. 16. *tanquam nimium erga infantes misericordes* traducit. Atque hinc etiam Scholasticorum recepta inter baptismum *fluminis* seu aquæ, *flaminis* seu Spiritus S. & *sanguinis* seu Martyrii distinctio. Ubi concedunt baptismum flaminis & sanguinis supplere defectum baptismi fluminis.

RESP. REDING: 1. *Quæ circa votum Baptismi à nonnullis Theologis in Concilio oppugnatum affers, à Pallavicino refutantur.* 2. *Gerson eo casu, quo respectu infantis in utero mortui Baptismus adhiberi nequivit, aliud salutis remedium superesse, docuit.* *Hoc ad*

Digitized by Google

quæsvis casus extendi non debet. 3. Triplex salutis via distingui debet; absoluta, de qua rectè Gerson dixit, Dei gratiam non ita alligatam esse Sacramentis, quin etiam infantem extra casum quoque Martyrii, modo invisibili justificare possit: extraordinaria, qua Baptismus Fluminis per Baptismum vel Sanguinis, hoc est, per Martyrium, vel Flaminis, seu per contritionem charitate formatam, cum votum Baptismi, suppletur: vel ordinaria, juxta quam parvulis carentibus usu rationis, adeóque conteri & vovere non valentibus, Baptismus aquæ prorsus necessarius est; agnoscente etiam Confessione Helvetica cap. 20. Baptismum esse signum populi Dei, per quod electi primò in Ecclesiam inserantur. Proin non baptizati extra Ecclesiam sint oportet. extra quam salutem & vitam esse eadem Confessio cap. 17. negat. Ib. pag. 97. 98. Resp. 1. Pallavicinus conflictum Theologorum in Concilio de necessitate voti Baptismi in dubium vocare ausus non est, te omnia pernegante, & quidem sine ratione, candidior. Tantùm voti necessitatem urget, & Marinari argumenta frigidè solvit. 2. Si Deus Sacramentis non sic alligavit gratiam, quin absque præjudicio legis suæ possit pueros nondum natos in utero sanctificare, quod Gerson dixit, causam igitur idoneam afferre debes, cur legi suæ, quam non sibi, sed hominibus dixit, præjudicet sanctificando extra uterum eos, qui nulla culpa sua, sed vel necessitate, cujus author ipse Deus est, vel culpa merè aliena baptismo privantur? Nam lex Christi, cujus obtentu necessitatem Baptismi defenditis, tam non infantes in utero morientes, quàm non extra uterum nulla culpa sua Baptismo privatos excipit. 3. Distinctionem tuam probo, atque ex eadem infero, *ordinariè* hominem per Spiritum S. & Baptismum Fluminis regenerari; *extraordinariè* per Baptismum Flaminis & Sanguinis; *absolutè* simul & *extraordinariè* sola voluntate Dei, Sacramentis non alligata, in casu privationis culpa vacantis, sive infantum vel utero inclusorum, vel extra eum vagientium; sive adultorum respectu; non tamen sine Baptismo Flaminis, seu Spiritus S. per quem tum in infantibus pro modulo tenellæ ætatis, tum in adultis pro liberrima sua voluntate operatur. Atque eodem etiam sensu Confessio nostra, (quam perfidè citas, tribuens ei verba, quòd sit *signum populi Dei, per quod electi à Deo recipiantur, & primò in Ecclesiam inserantur*, quæ verissima licet, nusquam tamen in Confessione reperire est. (ita oculis alienis cernens falleris & fallis) vocat *initiale signum populi Dei, utpote quo initiantur Deo electi Dei.* quia Baptismus est ordinariæ initiationis Sacramentum, citra quod in privationis casu extra ordinem Ecclesiæ electorum solo Spiritu suo inserere Deus, quoscunque vult, potest.

ARG. III. De judicio veteris Ecclesiæ Catholicæ videatur Forbesius *Instruct. Histor. Theol. lib. X. 5. 6.* Augustinum quidem, aliósque nonnullos contra Pelagianos pro ostensione peccati originalis à necessitate regenerationis & baptismi ipsis etiam infantibus in remissionem peccati originalis conferendi, invictum argumentum depromentes, fervor disputationis & bonæ causæ fiducia eò abripuit, ut alicubi de necessitate Baptismi æquo loquerentur incautiùs. Alicubi tamen, nimirum *contra Donatistas de Baptismo lib. IV. 22.* ait, sufficere fidem conversionémque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest, cùm mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus

lus necessitatis excludat. Subjicit cap.25. *Conversio enim cordis potest quidem inesse non percepto baptismo; sed contempto baptismo non potest.* Ante Augustinum Ambrosius concione funebri in obitum, Valentiniani junioris, qui ex Gallia in Italiam cogitans, missis jam ad Ambrosium nuntiis, qui eum Viennam in occursum ejus, ut ab eo baptizaretur, accerseret, sine baptismo discessit, de salute ejus adeò non desperavit, ut potiùs asserere non dubitaverit, eum *jam vitâ æternâ frui.*

RESP. REDING: 1. *Augustinum in fervore disputationis de Baptismo incautiùs locutum esse, protervè asseris. Etiam reliqui S. Patres, Clemens Romanus Epist. 4. Justinus Martyr q. 56. Martialis, Tertullianus lib. de Baptismo cap. 15. Origenes, Cyrillus, alii, Baptismi necessitatem una nobiscum agnoscunt. 2. Valentinianum Baptismo privatum licet, Baptismi votum salvavit.* Ib. pag. 98 99. Resp. 1. Non quicquam protervi asserui, sed verbis ipsius Augustini recitatis, ad quæ nihil respondere potuisti, ejus in hoc dogmate inconstantiam probavi. Cœterùm qua libertate & reverentia nos docuit Augustinus non accipere, quod Cypriano visum est de baptizandis hæreticis, eadem neque hoc accipimus, quod alibi ipse Augustinus, & nonnulli eidem consentientes de absoluta necessitate Baptismi nimio rigore pronuntiarunt. Cui si veriorem, & S. literis convenientiorem sententiam, salva charitatis & pacis compage, & servato reverentiæ debitæ officio, anteposuerimus, ipse nos Augustinus sic ab omni protervia & temeritatis crimine *Epist.* III. absolvit: *Neque enim quorumlibet disputationes (quamvis Catholicorum & laudatorum hominum) velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, Divino adjutorio vel ab aliis intellecto, vel à nobis. Talis ergo sum in scriptis aliorum: tales volo esse intellectores meorum.* Licuit etiam Scholasticis excogitato pœnæ damni, non sensus, non baptizatis infligendæ temperamento, rigorem Augustini, aliorúmque, infantes non tinctos æternis cruciatibus mancipantium, infringere. Nobis igitur cur nefas sit, nimiam doctrinæ eorundem asperitatem, non fictis opinionibus, sed certis Scripturarum testimoniis corrigere? Multa interim à Patribus dicta, & à Pontificiis obtorto collo ad erroris sui patrocinium rapta, Celeb. Forbesium *loc. cit.* in benigniorem castiorémque sensum scitissimè interpretantem vide. 2. Valentinianum Imp. supra fidei Divinæ charitate formatæ lumine fulsisse, negasti. Nunc eundem votum Baptismi testatum, atque eodem voto salvatum esse, contendis. Quàm pulchrè quæso tibi constas? Atqui S. Ambrosius in funebri ejus non voto Baptismi, sed Spiritui S. & gratiæ Dei salutem ejus acceptam refert.

ARG. IV. Nulla ratio est, cur in adultis invisibilis sanctificatio peragi possit absque Baptismo, quod concedunt illi; at in infantibus id ipsum fieri non possit. Obtendunt quidem, infantum ætatem talis sanctificationis & regenerationis capacem non esse. Atqui ipsi docent, parvulis per baptismum realiter infundi habitum fidei, spei & charitatis, & in iis vi baptismi peccatum originale non modò remitti, sed etiam penitus expungi & obliterari, denique Sacramenta novæ legis ex opere operato justificare.

RESP.

RESP. REDING : *Nos, adultos utpote capaces actus fidei & contritionis, sine Baptismo, solo ejusdem voto salvari posse, docemus. An etiam infantes actus ejus capaces sunt?* Ib. pag. 99. 100. Resp. Cùm infantes baptizatos, ob infusos fidei & charitatis habitus, sine eorundem actibus salvari asseratis; & constet, similes habitus Spiritum S. etiam in iis infantibus, qui nulla sua culpa Sacramento privantur, operari sine Baptismo posse, imò propter sanctitatem eorundem fœderalem operari actu, cur actualis fidei & charitatis privatio, quæ nulli eorum culpæ, sed Divino ordini imputanda est, innocentissimos eatenus in æterni exitii barathrum præcipites agat?

ARG. V. Præterea pertendunt, parvulos in Baptismo credere vi susceptorum, & alienam iis fidem etiam informem, uti statuunt Bonaventura, Thomas & Richardus de media Villa, imputari. Cùm igitur Synodus statuat, voto suppleri posse baptismum, nulla ratio est, cur non statuat etiam, votum alienum, æquè ac fidem alienam, iis imputari posse. Atque sic etiam servari poterunt infantes voto à parentibus eorum vice suscepto.

RESP. REDING : 1. *Contritionem non alienam, sed propriam justificare, Scriptura passim docet.* 2. *Sed & fidem alienam, etiam informem, imputari iis, qui baptizantur, statuimus eo sensu, quatenus fides Ecclesiæ in forma Baptismi expressa, ex Divinæ institutionis efficacia, infantis incapacitati ita prævalet, ut Baptismus ratus habeatur.* Ib. pag. 100. Resp. 1. Eadem ratione etiam fides propria in adultis requiritur. Nam *justus sua fide vivet*, Habac. II. 4. Reddenda igitur adhuc tibi ratio est, cur fides aliena, & non votum alienum imputari possit? Nullam prorsus ex Scriptura reddere potes. 2. Fides igitur aliena, Ecclesiæ scilicet, efficit, ut Baptismus ratus sit, adeóque effectum regenerationis consequatur. Dic iterum : cur in casu privationis non idem præstat votum alienum? Addo, ante instituta Sacramenta parvulis utilem & efficacem fuisse fidem veterum sine Sacramento : neque debilitatam esse vim fidei sub Evangelio. quod supra astruximus.

ARG. VI. Sacramenti Baptismi necessitas omnis est à præcepto divino positivo & non naturali. Proinde ejus carentia non est exitialis nisi iis, qui præceptum illud transgrediuntur. Atqui pueri, quibus Divina & arbitraria institutio non innotescit, quique per naturam capaces non sunt obedientiæ vel transgressionis actualis, utpote quæ rationis & liberæ voluntatis usum requirit, præceptum positivum transgredi dici non possunt.

RESP. REDING : *Baptismi necessitatem esse ex jure Divino duntaxat positivo, non etiam naturali, falsò supponis. Atqui juris naturalis necessitas non tantùm naturæ, sed etiam fidei ac revelationis principiis nititur. ad quæ etiam Baptismi præceptum pertinet.* Ib. pag. 100. 101. Resp. Plus quàm pueriliter deliras, castigandus ab indoctis etiam tyronibus vestris, quorum vix unus ignorare potest, Sacramenta & ritus omnes à positivo seu constituto, non naturali jure & præcepto arcessi debere. Liberè enim à Deo instituuntur, & liberè mutantur : atque à solius voluntatis liberimæ imperio, non naturæ Divinæ necessitate ulla fluunt. Si quælibet revelatio Dei à naturali Divino jure manat, qua ratione

Digitized by Google

ratione ceremoniæ Judaicæ mutari abolerique potuerunt? Nam quæ à naturali præcepto Dei proficiscuntur, tam immutabilia sunt, quàm ipsa naturalis sanctitas Dei immutabilis est.

OBIECTIONES discussæ sunt pag.182.183.184. Proinde hic operam non ludimus.

QUÆSTIO IV.

An baptizati per baptismum in conscientia liberentur ab ecclesiasticis mandatis, sive scriptis, sive traditis?

NEgat Canon VIII. qui sententiam hanc ex Lutheri libro de *captivitate Babylonica* repetitam anathemate notat. Nos quidem baptismum authoritatem vel reverentiam Ecclesiastici Ministerii abolere, quasi baptizati vel Ecclesiam non audire, cùm monendi sunt, vel ei, quoties in nomine Dei monentur aut corripiuntur, non obedire teneantur, haud statuimus. Neque etiam negamus, baptizatos debere omnibus & singulis fidelibus, nedum ecclesiæ reverentiam, obedientiam & subjectionem, ut videlicet pareant admonitionibus in nomine Dei factis, & ordinem actionum toti cœtui communi consensu non contra verbum Dei injunctarum, constitutum non turbent, & congregationem non relinquant, quæ quidem ex Ecclesiastico præcepto non Divino cultui, ut pars quædam, adjungatur, sed ad præceptorum Divinorum executionem. Sed aliud est, quod intendit anathema. Hoc nempe vult, esse in Ecclesia potestatem quandam *αὐτοκρατορικὴν* & *νομοθετικὴν*, *ἀρχὴν* & *βασιλείαν principatum* & *regnum* hominum, propter quod aliis liceat leges verbo Dei æquipollentes, utpote à Spiritu S. Ecclesiæ assistente profectas, & quidem plerumque de rebus carnalibus & terrenis condere, dummodo, ut videri quidem volunt, nihil præcipiant Dei verbo contrarium; aliis verò necessum sit propter conscientiam & sic in judicio Dei obedire. Quam potestatem extendunt ad omnes actiones, corpora & bona baptizatorum, etiam Regum summorum & Principum, saltem *indirectè*, ut loquuntur. Cujus quidem dominationis exemplum est in interdicto ciborum, conjugii &c. Rectè igitur Lutherus dixit, Baptismi Sacramento Christianos liberari à traditioni-

ditionibus ejuſmodi & mandatis hominum, imperium in conſcientias, ſive merum, ſive mixtum ſibi arrogantium. Etenim

ARG. I. Per baptiſmum transſcribimur in nomen & familiam Dei, obligamúrque in conſcientia ad obedientiam non aliis, quàm Divinis mandatis præſtandam, Matth. XXVIII. 19. ubi Chriſtus jubet non aliud docere baptizatos, quàm quod ipſe præcepit.

RESP. REDING: *Sic Chriſtus juſſit docere, quæ ipſe mandavit, ut etiam audire Eccleſiam, quæ jus etiam ligandi in terris habet, juſſerit, Matth. XVIII. 17.* Tomo II. Tract. V. Ss. 3. pag. 101. 102. Reſp. Sic eſt. Audire Eccleſiam juſſit, reprehendentem fratrem, qui alterum fratrem offendit. Atqui reprehenſio non fit lata lege humana, conſcientiam obligante, ſed ex lege verbi Divini jam lata, & Divinitus omnibus præſcripta. Neque quenquam Eccleſia in terris ex lege humana, ſed Divina ſola, ligare ita poteſt, ut ligatio in Cœlo rata ſit. Aliàs homines ſalutis & damnationis hominum authores arbitríque forent.

ARG. II. Baptizati per baptiſmum Chriſto induuntur, & filii ejus evadunt, Gal. III. 26. 27. At filiatio ea nos eximit à ſervitute hominum in conſcientias noſtras ſibi dominium arrogantium.

RESP. REDING: *Filiatio Dei non eximit à ſalutari legis Eccleſiaſticæ obligatione, quæ ab authoritate ab ipſo Chriſto Eccleſiæ collata, Matth. XVIII. 17. 18. manat. Verba enim illa: Quæcunque ligaveritis, &c. omnem ligandi modum comprehendunt. In hiſce autem modis unus eſt per præceptum, ſeu legem, juxta illud Matth. XXIII. 4. Alligant onera gravia, &c.* Ib. pag. 102. 103. Reſp. Non eximit ab obligatione legis Eccleſiaſticæ, quatenus illa verſatur circa res indifferentes ſeu medii generis, puta determinationes circumſtantiarum primæ tabulæ circa cultum Dei externum, de ordine & decoro in verbi & Sacramentorum diſpenſatione obſervando; & quatenus illa præcipitur non ut virtute ſua, per ſe ac in ſpecie ſua conſcientiam obligans. De hac enim, non quàlibet lege vel humana, vel Eccleſiaſtica quæſtio eſt. Neque jus ligandi Eccleſiæ à Chriſto collatum jus leges conſcientiis imponendi, ſed peccata retinendi & Cœlum claudendi impœnitentibus; idque miniſteriali, non prætoria, quæ ſolius Dei eſt, poteſtate, ſecundum doctrinam Evangelii, notat. quod Matth. XVIII. 15. & Joh. XX. 22. 23. apertiſſimè docetur. Si ligandi poteſtas in Miniſtro Verbi Divini omnem ligandi modum comprehendit, an etiam principalem? Atqui illa ſolius Dei eſt. An inſtrumentalem exequentem? Atqui illa ſolius Diaboli, ceu carnificis, eſt, qui ligat impios catenis caliginis. En quàm turpiter te des. Neque tandem Papæ & Hierarchis veſtris invideo laudem, qua eos mactare videris, comparans ſcilicet eos cum Phariſæis, *δεσμεύουσι φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, alligantibus onera gravia & portatu difficilia,* quibus humeros hominum illi onerarant, cùm tamen ipſi ne digito quidem ea attigerint; Matth. XXIII. 4. Tales revera veſtri ſunt: talia eorum præcepta: tales ligationes ſunt; ſed quæ non à poteſtate clavium Regni Cœlorum, ſed potiùs clavium abyſſi genuinam originem habent.

ARG.

Digitized by Google

ARG. III. Per baptismum complantamur similitudini mortis Christi, Rom.VI.5. At qui cum Christo mortui sunt, liberantur ab elementis mundi, imperio & decretis hominum, nequicquam eos mandatis suis obstringentium, Coloss.II.20.22. Non igitur ejusmodi potestati νομοθετικῇ, in conscientias amplius obnoxii sunt.

Resp. Reding: 1. *Quomodo ergo civilis Magistratus decreta & mandata in foro etiam externo obligant?* 2. *Elementa ergo mundi, & mandata seu decreta hominum, à quibus per Baptismum Christo commortuos liberari Apostolus Col.II.20.22. docet, involvunt malitiam, utpote quæ dicuntur esse in interitum. verbo, carnalia Philosophorum principia, & dogmata mundana fidei veritati adversantia; nec non ceremoniæ Judaicæ jam abrogatæ. Talia non sunt mandata Ecclesiæ.* Ib. pag. 103. Resp. 1. Obligant conscientiam non per se, ratione materiæ & specialis mandati, sed per accidens, virtute mandati generalis, quo omnis anima jubetur obedire potestati supereminenti, Rom.XIII.1.&c. Et jus νομοθεσίας Magistratui civili Deus communicavit, ib. & 1.Pet.II.13. Ministerio Ecclesiastico non communicavit, Esaj. XXXIII.22. Jac.IV.12. sed præcepit prædicare mandata Dei, Matth.XXVIII.19. atque ita prædicantibus obedire, Hebr.XIII.17. Leges Ecclesiasticæ obligant ob scandalum non parentium: Politicæ etiam extra scandalum. Denique quæstio nostra tota est de decretis religionem & cultum, non civilem societatem concernentibus. 2. S Paulus v.20.&c. vetat δογματίζεσθαι κατὰ τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας ἀνθρώπων, *dogmatizarè secundùm præcepta & doctrinas hominum*, hoc est, placita ex hominum arbitratu & potestate in cultu Dei (de hoc enim solo ibi sermo est) fluentia, atque sic conscientiis hominum imposita sequi. Exempla hujusmodi δογμάτων seu *placitorum* ponit v.21. *Ne contingas, ne gustes, ne attrectes.* Talia sunt dogmata seu placita Ecclesiæ Pontificiæ, inprimis Cœlibatus, delectus ciborum in certis diebus, & voluntariæ paupertatis. Annon enim in iis maximè conspicua sunt placita: Ne *contingas* uxorem, clerice, Monache: Ne *gustes* hunc vel illum cibum certo, vel omni tempore: Ne *attrectes*, nempe bona ut tua, quæ tua sunt, habendi & retinendi causa, sed omitte, & alios habere sine. Dogmatis ejusmodi obsequi vetat v.20. eo argumento, quòd Christiani *cum Christo mortui sint ab elementis mundi*, adeòque eos non amplius *ut viventes in mundo dogmata decernere* aut *suscipere* deceat. Ante Christum mortuum homines vixerunt in mundo, vixerunt elementis mundi, quia facti servi elementorum mundi, utpote subjecti terreno pignori, cujus purificatio per sacrificia pecuina & alias istiusmodi res fieri debuit; qui cum oblationibus suis poterant declarari immundi; quibus denique & res quædam & cibi potuerant dici impuri tanquam inquinantes & reos facientes. Sed in Christo mortui ab elementis mundi non amplius iis, vel similibus etiam, servire & subjici debent, quia accedunt ad verum sanctuarium, seu in Christo immediatè ad Deum, neque stant apud tabernaculum prius, vel impuri adhuc legaliter declarantur. At uxores, cibi quidam, bona ceu propria, velut impura adhuc & polluentia, ipsique nonnulli iisdem à Christo permissis utentes impuri declarantur. Annon vides, Redingi, leges vestras Ecclesiasticas præcipuas διαπλοιδήκτως notari? Denique v.22. de dogmatis seu placitis ejusmodi dicit Apostolus: ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει, *quæ omnia sunt ad corruptionem usu.* hoc est, quæ consumuntur, & ad hoc ipsum facta sunt. Talia nempe sunt *elementa mundi*. Qui eis utitur, nihilo plus ha-

bet. Qui eis non utitur, nemini prodest rebus illis non consumendis. utpote quæ sua sponte consumuntur. Nulla iis vel sanctitas, vel fœditas inest. Sunt enim ejusdem naturæ cum rebus omnibus, quibus homo utitur. Ideóque usus vel abstinentia nos Deo non commendat. Nihil minùs igitur vel dogmata, vel elementa mundi, quàm Philosophorum principia, notare, ipsa series textus evincit. Neque malitiam ullam elementis illis insitam Apostolus notat. nisi quatenus iis homines abutuntur.

ARG. IV. Baptizati in Christum vindicantur in libertatem, Joh. VIII. 32. 36. Hæc libertas obstat, quò minùs conscientia mandatis hominum, quomodocunque se illi jactent, subesse debeat. Libertas Christiana est soli Deo viventi servire. Hinc Ecclesia Novi Test. vocatur *regnum DEI*, quia solus Deus in eo regnat: Et *regnum cælorum*, quia πολίτευμα ejus est cœleste & non est ampliùs Ecclesiæ διαστροφὴ in rebus terrenis & eorum tractatione.

RESP. REDING: 1. *Non obstante ea libertate & Magistratui civili, & Ecclesiæ potestas præcipiendi competit.* 2. *Leges humanæ justæ potestati legislativæ Divinæ subordinantur; atque versantur insuper in materia legi æternæ consentanea; denique iis lex Divina æterna se insinuans, firmitatem obligationis conscientiam afficientis, iisdem imprimit. juxta illud Solomonis: Per me Reges regnant, &c. Prov. VIII. 15.* Ib. pag. 103. 104. Resp. 1. Quæstionem mendicas, nihil respondes. De Magistratus etiam civilis decretis supra. 2. Neque de obligatione legum humanarum civilium, vel ecclesiasticarum etiam qualicunque disputamus; sed de ea, qua conscientia per se, & sanctionum humanarum virtute obligatur. Atque quoad obligationem ejusmodi leges quascunque humanas potestati legislativæ Divinæ subordinari, vel impressam obligationis talis firmitatem habere, otiosè asseris, non probas. Per Sapientiam æternam regnant equidem Reges, Prov. VIII. 15. quatenus scilicet omnes throni, potestates, principatus in Christo conditi sunt, & in ipso consistunt, Col. I. 16. adeóque omnis ordo, qui est in mundo, omnísque ejus pulchritudo & jucunditas ex eo proveniens, nec non Sapientia & prudentia omnis civilis, amor ordinis, consensúsque populorum ad parendum legibus & Principibus, Sapientiæ Dei donum est. At humanas leges quascunque, sive civiles sive ecclesiasticas eam Dei Sapientiam, quæ conscientias hominis sibi obligat, participare, nemo nisi rationis impos ex verbis illis extundere conabitur.

ARG. V. Eodem baptismo subjicimur illi, qui est εἷς νομοθέτης *unicus legislator, qui solus potest servare & perdere*, Jac. IV. 12. Sicut igitur nemo præter solum Deum potest servare & perdere totum hominem: ita nemo legem conscientiis hominum imponere potest talem, quâ observatâ homo servetur, violatâ perdatur, à solo Deo si discesseris.

RESP. REDING: *Deus unicus legislator est principalis, & judex primarius. Habet tamen sibi subordinatos Ministros, vera legislativa & conscientiæ obligatoria potestate præditos. quibus qui resistunt, ipsi Deo resistunt, quia potestas eorum originaliter Divina est.* Ib. p. 104. Resp. Subordinatio illa efficit, ut homines in societate civili communicata à Deo potestate imperare aliis, & legibus propriè dictis eos obstringere possint: non ut conscientiis

Digitized by Google

conscientiis hominum, soli Deo obnoxiis, Rom. II. 14. 15. dominari valeant. Hoc enim προνόμιον est illius *Unius Legislatoris* Dei, quod tam non hominibus unquam communicavit quàm non potestatem creandi, vel æternùm salvandi perdendíque. Aliâs leges humanæ æquales Divinis, adeóque homo par Deo foret. Et sanè leges ac judicia, ecclesiastica cumprimis, longè inferiora sunt conscientia hominis, teste Apostolo, 1. Cor. IV. 3. 4. *Mihi minimum est, ut à vobis judicer, vel ab ulla humana die.* Cúmque leges ecclesiasticæ de adiaphoris merè externæ sint, conscientiæ, quæ tota interna est, dominari nequeunt. Denique sic Deum unicum Legislatorem esse, S. Jacobus pronuntiat, ut inde nemini fas esse judicare alterum, concludat. Manifestè igitur legislationem & judicium in conscientias, hominibus abrogat.

ARG. VI. Sed & Baptismus fidelibus inter alia Novi Test. bona obsignat fiduciam filialem, παῤῥησίαν *libertatem loquendi* coram Deo, Rom. V. 12. Hebr. III. 6. cap. X. 19. Quòd si fideles ad hominum præcepta, quæ non possunt cadere nisi in elementa mundi & res terrenas, obligantur, & ex illis judicandi sunt, impeditur eorum fiducia, & retardatur παῤῥησία, donec ejusmodi δικαιώματα σαρκὸς impleverint. Præterquam quòd invehitur illa in judicium ecclesiasticum corruptio, ut qui ea diligentissimè fecerint, nomen & opinionem filiorum Ecclesiæ veris filiis præripiant.

Resp. Reding: *Quicquid sit, vox Dei est, ut audiamus Ecclesiam, ligandi potestate præditam. Non ergo obligatio ejusmodi cum fiducia filiali pugnat.* Ib. pag. 104. Resp. Præceptum audiendi Ecclesiam Divinum est, & conscientiam obligat. Sed non quicquid Ecclesia in rerum adiaphorarum usu ordinat, eadem ratione conscientiam obligat. Ecclesia enim vel ex Dei verbo pronunciat, atque sic conscientia hominis non dicto hominis, qua tale est, sed verbi Divini obligatur: vel præcipit aliquid in Dei verbo non præceptum; atque etiam sic audienda est, si præceptum faciat ad ordinem & decorum cultus exercendi, non virtute præceptorum ejusmodi humanorum specialium, sed præcepti generalis Divini, qua Ecclesiam ordinem & decorum ejusmodi præscribentem audire jussit. Aliâs fiduciam & libertatem filiorum multùm minui necessum foret, si in Regno Christi imperia hominum, & non solius Christi suspicere, servi hominum fieri, in hominibus gloriari, quod S. Paulus, 1. Cor. III. 21. & VII. 23. vetuit, necessum haberent.

ARG. VII. In Vet. Test. præcepta carnalia & terrena maximam habuerunt utilitatem. Nam sapientiam Dei ostendebant in mysterio Christi exhibendam, & in expectatione Christi peccatum accusabant sive commemorabant. Et tamen ea præcepta erant חקים hoc est, *statuta* certis limitibus finibúsque adstricta, ad quæ tanquam cultum Dei nihil addere, nec ab iis quidquam detrahere licebat. Quomodo igitur in N. Test. ubi causa ea sublata est, potest Ecclesia præcepta similia carnalia, quæ Deus nunquam imperavit, fidelibus baptizatis imponere?

Resp. Reding: 1. *Calumniosè Ecclesiæ præcepta, mysteriosis significationibus fœcundata, carnalia vocas.* 2. *Annon Israëlitis licuit instituere festum sortium?* 3. *Etiam Sa-*

 cerdotibus

Digitized by Google

cerdotibus V. Test. fas fuit imperiis suis obligare populum, juxta illa Deut. XVII. 12. Si quis contumaciter & superbè egerit ita ut nolit audire Sacerdotem, qui astat coram Domino Deo tuo, ut ibi ministret, morte moriatur. Ib. pag. 105. Resp. 1. Res corporales mysteriis impraegnare nemo nisi Deus potest, cujus propterea epitheton est אל מסתתר *Deus mysteriorum*, Esaj. XLV. 15. Præcepta igitur humana, per quæ rebus corporalibus spiritualia mysteria attribuuntur, non aliud sunt quàm cultus carnalis, non inutilis duntaxat, sed perniciosus, utpote quo, ceu jugo humano, filii Dei in Regno Christi onerantur, & in spirituali ac simplici cultu Dei multùm præpediuntur. 2. Festum sortium politica potiùs, quàm ecclesiastica sanctio communi consensu populi prolata fuit, neque aliud fuit quàm solennis commemoratio ingentis beneficii Dei temporalis. Quid hoc ad leges humanas Papæ, quibus ceu mysteriosis, & inconsulta plebe ac fraternitate, sancitis in cultu Dei hominum conscientias, ceu Princeps ac dominus supremus Ecclesiasticus, devincit? 3. Neque Deut. XVII. 10—12. Sacerdoti vel Synedrio tribuitur potestas ferendi novas leges, sed indicandi leges Divinas, & controversias ex iisdem, utpote ex quibus omnis authoritas pendebat, decidendi. Disertè enim dicitur v. 9. 11. *Indicabunt tibi verbum judicii*, hoc est, verbum Divinum, quod judicat, quo judicium determinatur; *Juxta legem, quam monstrabunt tibi*, docebunt te; *& ad judicium, quod dicent tibi, facies. Non recedes à verbo, quod indicabunt tibi, ad dextram, vel ad sinistram.* Sacerdotes igitur inducuntur non judices, vel legislatores novi; sed indices legum Divinarum, earúmque doctores; pœna mortis indicta iis, qui contra facerent בזדון *per proterviam* nempe tum, cùm quis dicere non posset: *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.* Aliàs tum Jeremias cap. XXVI. 11. tum Christus ipse Joh. XVIII. 20. &c. sententia Synedrii stare renuentes; proterviæ ejusdem rei fuissent.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus quidem Matth. XXVIII. 19. 20. Apostolis injunxit, ut baptizatos docerent servare, quæ ipse mandavit. Sed ex affirmatione unius non sequitur negatio alterius, nisi sit affirmatio identica. Proinde positâ doctrinâ præceptorum Christi, non tollitur doctrina præceptorum Ecclesiæ.* Resp. Imò dum præcipit Christus Apostolis, ut doceant sua mandata, tacitè prohibet, ne doceant mandata hominum. Etenim si præter ea, quæ Christus præcepit, alia essent tradenda Ecclesiæ, ut observarentur, sequeretur nihil esse definitum à Christo, quod in Ecclesia observandum doceatur. quod absurdum. Tum Paulus 1. Cor. VII. 10. 12. 25. distinguens inter ἐπιταγὴν κυρίου & suam γνώμην, inter suum dictum & dictum Christi, profitetur sibi non licere loqui ἐξ πάσης ἐπιταγῆς, nisi quæ Dominus dixit. Is nempe solus præceptor noster est, Matth. XXIII. 8. 10. Cæteri verò omnes sunt *fratres*, & qui inter fratres maximi sunt, omnium ministri esse debent, ibid. v. 11. Quod verum esse nullo modo potest, si alii in alios habent potestatem, ut novis præceptis eos onerare & obligare possint. Denique legati sive Apostoli munus est, hoc agere & loqui, quod Dominus injunxit agendum & loquendum. Atqui Christus mittens & ablegans discipulos in totum mundum,

Digitized by Google

dum, jubet, ut doceant omnes observare ea, quæ ipsi iis præceperant. Proinde hoc fine & limite potestas eorum circumscribitur.

Excip. Redino : 1. *Dialectices principia infringis, ex affirmativa negativam, & ex particulari affirmativa universalem negativam inferens.* 2. *Hominum mandata quæ Christi mandatis adversantur, non alia tacitè prohibentur.* 3. *In loco 1. Cor. VII. ubique ex particulari affirmativa universalem negativam sic infers : Christus præcepit matrimonii indissolubilitatem : Christus mandat, ut fidelis infideli conjugi cohabitet : Paulus non habuit præceptum Christi de virginibus, sed consilium suum dedit : Ergo præter verba Christi loqui nihil fas est.* 4. *Matth. XXIII. 11. inter fratres mentio est unius, qui vocatur Maximus ; hoc est, Petrus, ejúsque successor Papa. Tu hoc subdolè taces. Christus verò solus Præceptor vocatur absolutè & primariò : Apostoli secundariò & participativè.* 5. *Inter mandata, quæ Christus legatis suis imposuit, etiam hoc est : Audi Ecclesiam.* Ib. pag. 105. 106. Resp. 1. Fas est contra Pontificios hagiolatras, & Sathanam sui adorationem à Christo solicitantem sic arguere : Deus adorandus, invocandus est : Ergo non Sancti, nedum Sathanas. An sic arguens Christus ipse Matth. IV. 10. etiam contra Dialectices principia impegit? Pontificiæ sanè, nec non Sathanæ ; sed non vel rationalis vel Christianæ. Nosse potiùs debueras, affectionem propriam de subjecto affirmatam, negationem ejusdem de quolibet alio subjecto inferre. Est autem docere & ferre præcepta in cultu Dei necessaria, & conscientiæ obligatoria, sic Deo, Christo proprium, ut nulli subjecto alii communicari possit. quod abundè jam probavimus. Et sanè, quod à me objectum diluere non potuisti, si præter ea, quæ Christus præcepit, alia Ecclesiæ tradenda essent, nihil à Christo definitum esse, quod in Ecclesia observandum doceatur, consequens foret. 2. Jam ergo tu ipse in Dialecticæ tuæ principia incurris, sic inferens : Christus præcepta sua doceri jussit : Ergo nulla præcepta præceptis Christi adversantia doceri possunt. Ego addo : Ergo nulla, nisi quæ Christus docuit, sive diversa sint, sive contraria. Dixit enim Christus : Docete eos servare omnia ea, quæ ego vobis præcepi. perinde ac si Rex subditis diceret : Facite (in civili societate) quæ ego vobis præcipio. Atqui Christus sicut non contraria, ita etiam non diversa à suis præceptis, præcepit. Quinimò cultum & præcepta conscientiam obligantia solus instituere Deus potest. 3. In loco 1. Cor. VII. 10. 12. 25. enucleando pueriliter te geris, tum quia *ἐπιταγὴν Κυρίου mandatum Domini*, & *γνώμην sententiam* seu *consilium* Pauli, à me accuratè distincta, & necessariò distinguenda, non distinguis : tum quia sententiam Pauli v. 12. ineptè Christo, ceu mandanti, tribuis. Nihil enim pensi habes, quidvis dicere. At perstat argumentum meum adamante fixum : S. Paulus distinguens inter mandatum Christi, & suam sententiam seu consilium, clarè innuit, non licuisse sibi, adeóque non licere cuiquam, *μετ' ἐπιταγῆς cum imperio*, seu *mandato* dicere, quæ Dominus non dixit. Aliâs cur sibi tantùm *γνώμην consilium*, non etiam *ἐπιταγὴν mandatum* tribueret? Non igitur particularis, sed universalis isthæc affirmativa est : Quicquid Christus mandavit, præcepit, mandandum, præcipiendum est : Ergo nihil præter mandatum Christi præcipere convenit. Ratio, quia quæ ipse S. Paulus præter mandatum Christi dixit, non mandati, sed consilii forma proposuit. 4. Ergóne Matth. XXIII. 11. ille *μείζων Major*, non *Maximus*, solus Petrus, & ejus successor, Papa, est? Citiùs ex pumice aquam. Nam ut de S. Petro nihil dicam quem æquè ac reliquos Apostolos, nec non fideles humiliter se gerentes universos, ejúsmodi *μείζονας Majores* suspicio ; at quid inter

ter Prophetas hosce Saul? Quid inter hosce *διακόνους ministros*, vel, uti cap. XX. 27. *δούλους servos*, inter quos qui maximè servus est, vocatur *πρῶτος Primus*, & *μείζων Major*; quid, inquam, inter servos hosce, Dominus Dominorum, & Rex Regum? *Ἄνω ποταμῶν*, sursum torrentem niti quondam Diogenes Cynicus, cùm se inter servos venales proclamari audivisset, vociferatus est. qui se dominum potiùs, quàm servum putaret. Idem meritò Romanus ille Diogenes clamaret. Sed noveris sanè, Christum tales *μείζονας Majores*, seu, uti Judæi vocabant, Rabbinos (est enim רב *μείζων*) tanquam cum fratrum æqualitate minimè convenientes, & pestilentia Ecclesiæ sidera explodere. Tantùm enim abest, ut permittat Christus cuiquam, esse Principem fidelium, ut nec doctoribus esse permittat, nempe præter doctrinam Christi; imò servos esse jubeat omnes, & in maxima servitute dignitatem maximam collocet. An verò servi est mandare, an potiùs heri imperata facere? Sunt ergo in Ecclesia præceptores, sunt doctores; non *primariò*, sed *secundariò* tales, uti rectè tu; sed præcipientes, docentes, velut ad cultum Dei pertinens, non aliud, quàm quod præcepit, docuit Christus. Si enim aliud sive diversum, sive contrarium iis præcipere, docere integrum foret, jam *absolutè* & *primariò*, saltem quoad ea, quæ præter Christi mandata & doctrinam mandant docéntque, præceptores doctorésque essent. Atqui qui in N. Test. Doctores & præceptores sunt, non aliud præcipere vel docere possunt, quàm quod Christus antea præcepit & docuit, quódque et ámnum præcipit docétque per verbum suum omnes, quibus ex illo demonstratio fit. quod non aliud esse potest, quàm verbum Scripturæ. 5. Non Apostoli, sed Christus ipse jussit audire Ecclesiam. eo sensu, quem sæpe jam reddidimus.

OBIECT. II. *Jacobus cap. IV. 12. unius quidem legislatoris meminit, nempe qui possit servare & perdere. Id non obstat, quò minùs cum illo uno agnoscantur plures, qui servare quidem & perdere sicut ille unus, non possint, veri tamen legislatores sint.* Resp. Atqui Jacobus manifestè ex eo, quòd nemo potest servare & perdere nisi unus, probat unitatem legislatoris. Quid enim ad rem, quam tractabat, pertineret, si non est unus absolutè legislator, dicere, unum esse legislatorem talem, ut possit salvare & perdere?

EXCIP. REDING: *Ex verbis Jacobi rectè infers, esse unum absolutè legislatorem. Hoc non impedit, quò minùs dentur alii inferiores, ab eo dependentes.* Ib. pag. 106. Resp. An ergo etiam dantur inferiores legislatores, potentes æternùm servare & perdere? Si ita est, potest in religione unus *κρίνειν τὸν ἕτερον judicare alterum*, quod S. Jacobus negat. Planum est, Legislatorem intelligi, qui jus ferendæ legis, quæ æternùm salvat præstita, & perdit neglecta, adeóque in animas scilicet & conscientias, meritò sibi vendicat. qualis nemo est, ne dependenter quidem & secundariò, nisi Deus.

OBIECT. III. *Paulus ad Coloss. II. 16. agit de festis Judaicis, & iis rebus, quæ sunt umbra futurorum. Id non pugnat cum mandatis Ecclesiasticis hodiernis, cùm ipsi Apostoli Act. XV. 20. 29. condiderint decretum de non gustandis idolothytis, sanguine & suffocato.* Resp. 1. Præcepta carnalia non cadunt nisi in umbras futurorum, proinde deficientibus umbris, legislatio carnalis tanquam planè inutilis cessat. 2. Paulus procedit ab umbris ad totum genus præceptorum

Digitized by Google

rum humanorum, & illa quidem exempla affert, quæ exprimunt naturam præceptorum Ecclesiæ Romanæ. Qualia sunt ταπεινοφροσύνη, ἀφειδία σώματος, θρησκεία ἀγγέλων, & μὴ ἅψῃς *ne tangas*, (uxorem) μὴ θίγῃς *ne contrectes*, (habendi causâ, veluti pecuniam & proprium quid) μὴ γεύσῃς *ne gustes* (carnes in jejunio.) Clarè indigetantur consilia perfectionis de obedientia, cœlibatu, paupertate, jejuniis piscariis, & judicio secundum illa quoad coronam & βραβεῖον. 2. Apostoli in decreto Synodico ajunt: *Visum est Spiritui S. & nobis,* Nullum *amplius vobis imponere onus, præter hæc necessaria.* Quo igitur jure Ecclesiæ Præpositi sibi arrogant potestatem legibus suis obligandi conscientiam, adeóque jugum imponendi in ulla re non scripta? 3. Apostoli de cibis aliquid statuerunt pro illius temporis necessitate, ita ut non voluerint ulterius nos obligari. Quia igitur & tempus illud abiit, & causa, & Apostoli nullum onus fidelibus imponere vel imponi voluerunt, non licet igitur cuiquam de cibis & ejusmodi rebus ampliùs præcipere.

Excip. Reding: 1. *Quo jure jejunia, & consilia Evangelica, quibus caro mortificatur, carnalia dicas, videris ipse.* 2. *Col. II. 16. dogmata & mandata hominum cum fide pugnantia prohibentur; qualia sunt legalia V. Test. post eorum abrogationem.* 3. *An Præpositi Ecclesiæ, legibus suis conscientias alligantes, jugum imponunt? Sanè onera ab Apostolis imposita erant leges, post abrogatas ceremonias legales, non scriptæ.* Ib pag. 106. 107. Resp. 1. Leges circa res carnales, pro nutu hominum, & non ex Divino imperio conscientiis impositæ, carnales omnes sunt. Certè spirituales esse nequeunt, quia nec à Spiritu Dei, nec circa materiam, nec circa finem spiritualem imponuntur. 2. De loco Col. II. 16. fusè supra egimus. Omnia hominum circa fidem & cultum dogmata, quibus fidei & conscientiis dominari nituntur, cum fide pugnant. Et repeto, Paulum ab umbris ad totum genus præceptorum humanorum procedere, & ejusmodi exempla proferre, quæ naturam præceptorum Ecclesiæ Romanæ planissimè referunt. Nihil ad hoc respondere potes. Res sole meridiano clarior est. 3. Jugum Præpositi Ecclesiæ imponunt, quoties leges pro imperio conscientiis dictant, vel cultum non necessariis, nedum superstitiosis vel impiis legibus onerant, adeóque nescio quos πλάνας inducunt. Nihil tale Apostoli in Hierosolymitana Synodo, sed in casu tantùm scandali Ecclesiæ consuluerunt, uti comparatio loci 1. Cor. X. 25 27. perspicuè docet, & nos peculiari scripto jam pridem apertissimæ veritati per argumenta inconcussa dedimus. Neque etiam quicquid Apostoli, ratione officii proprii, & peculiaris instinctus Spiritus S. potuerunt, alii quoque Pastores, ratione officii communis, possunt.

OBIECT. IV. *Christus Joh. XX. 21. emittit Apostolos eo modo, quo ipsum misit Pater. Sicut igitur Pater ipsum mittens potestatem condendi leges ei communicavit: Ita Christus mittens Apostolos similem potestatem condendi leges conscientias obligantes, tum ipsis, tum eorum successoribus communicavit.* Resp. Christus iis verbis non exæquat sibi vel Apostolos, vel quoscunque alios Ecclesiæ ministros,

nistros,nec idem utrisque munus competere asserit,sed potestatem duntaxat, gratiam, instructionem & finem filii & Patris, hujus in missione filii,illius in missione Apostolorum comparat. Christus à Patre missus est ut servus: Ita etiam Apostoli à Christo. Christus accepit à Patre mandatum,quid loqueretur ipse, quid loquendum præciperet aliis. Ita Apostoli à Christo acceperunt mandatum, quid loquerentur ipsi, quid loquendum præciperent aliis. Non licebat legationem egredi. Pater misit filium ut ministraret. Ita Christus misit Apostolos ut ministros. Christus à Patre missus est ad annuntiandam pacem & libertatem. Idem prædicari voluit ab Apostolis. Pater misit filium,quem prædicavit Dominum unicum. Apostoli mittuntur,ut Dominum unicum prædicent. Aliter si esset, non esset talis missio Apostolorum,qualis erat Christi.

EXCIP. REDING: *Atqui in legationis Apostolicæ tabulis comprehensum est, ut quæcunque in terris ligarent, in Cœlis ligata intelligerentur, Matth.XVIII.18.* Ib. pag.107. Resp. Ad nauseam tuum illum cothurnum repetis,non semel à nobis discussum. Proba tandem, in potestate ministeriali ligandi potestatem prætoriam instituendi pro lubitu leges circa cultum Dei conscientias obligantes. perinde videlicet ac si ἀμέσως Divinæ & à Spiritu S. profectæ forent, contineri.

OBIECT. V. *Paulus Hebr.XIII.17.jubet obedire præpositis, iisque subjacere. Proinde ex vi relatorum præpositi habeant oportet potestatem legibus suis obligandi conscientiam subjectorum.* Resp. Obedientia debita pastoribus non est obedientia relata ad ipsorum leges. Deus quippe ministris ecclesiæ dedit mandatum,ne quid aliud, quàm verbum ipsius loquerentur,cum ἐλέγχῳ & φανερώσει ad ipsorum conscientiam. Id qui facerent,iis obedientiam deberi, declarat Apostolus. Qui verò omisso Dei verbo,aut sub illius regimine, & præter illud verbum quodcunque loquuntur,& profitentur se habere in conscientias imperium,ut Domini in servos,ii non sunt ἡγούμενοι ductores Ecclesiæ,quibus parendum sit,sed seductores, alieni, fures, prædones,hostes,Joh.X.

EXCIP. REDING: 1. *Tu seductor, fur, prædo, hostis censebere meritò, si deprehensus fueris præter vel contra Dei verbum loqui, quo Ecclesiæ præpositis potestas ligandi datur, & iisdem obedire jubentur omnes, in ordinationibus scilicet non alienis à verbo Dei, sed in eodem virtualiter contentis. 2. Ubi Scriptura asserit, Ministris Ecclesiæ non licere aliud, quàm verbum Domini loqui: vel seductores esse, qui in conscientias habere se imperium ministeriale & vicarium Domini profitentur: vel sanctiones Præpositorum Ecclesiæ examini subditorum subjectas esse?* Ib. pag.107.108. Resp.1. Convitium & maledictum est,quod iis,qui eo indigni sunt,dicitur: benedictum, quod iis,qui digni sunt. juxta scitum illud Comici. Tu tibi & tuis dominium in conscientias arrogans, atque sic jurisdictionem Divinam,cui uni solique conscientiæ humanæ parent, involans, seductor, ne quid gravius dicam, audis meritò. Benedictum igitur est,quod dixi. Tuum verò maledi-

Digitized by Google

maledictum & convitium est; quia jus vestrum tyrannicum oppugnans nihil præter vel contra verbum Dei dixi. Nam loca abs te citata nihil cum potestate legislativa in conscientias hominum commune habere, non nudè asserui, sed probavi. Cur rationes meas non infringis? 2. Quæstiones tuas Antichristianas solvat tibi Spiritus Dei, talia in Scripturis prolocutus: *Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum*, Matth. XV. 9. *Hic est Filius meus dilectus, in quo beneplacitum habeo. Hunc audite.* ib. cap. XVII. 5. *Nemo glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollos, sive Cephas, &c.* 1. Cor. III. 21. *Pretio redempti estis. Ne fiatis servi hominum.* ib. cap. VII. 23. *In libertate, in quam vos Christus asseruit, perstate, & nolite denuo jugo servitutis implicari*, Gal. V. 1. *Nemo vos judicet, brabeo defraudet, &c.* Col. II. 16. 18. *Unus est Legislator, qui potest servare & perdere*, Jac. IV. 12. *Probate Spiritus, an ex Deo sint, quia multi falsi Prophetæ in mundum exiverunt*, 1. Joh. IV. 1. *Omnia probate, quod bonum est, retinete*, 1. Thess. V. 21.

QUÆSTIO V.

An Baptismi efficacia se extendat etiam ad remissionem eorum peccatorum, quæ post baptismum committuntur?

NEgat Canon X. diris devovens eos, qui statuunt, peccata post baptismum admissa sola fide & recordatione baptismi suscepti condonari. Ad remissionem autem peccatorum post baptismum requirunt ὡς ἐξ ἐναντίας Sacramentum pænitentiæ, *secunda*, uti ex Hieronymo appellant, *post naufragium tabula*. In eo autem sive imponit imperitis, sive hallucinatur Synodus, quòd *recordationem & fidem* Baptismi interpretari videtur nudam suscepti semel baptismi reminiscentiam, sine alio motu animi. Nos verò docemus remitti peccata per solam Dei gratiam. Ejus porro Sacramentum esse Baptismum, quo obsignetur remissio non præteritorum duntaxat & præsentium, sed futurorum etiam peccatorum, ita tamen ut pœnitentia non Sacramentalis illa, sed in Evangelio mandata, ac inprimis salvifica fides non excludatur, sed ut medium salutis nostræ Divinitus constitutum baptismo suo loco, uti etiam in baptismo Johannis disertis verbis factum, coordinetur. Synodo igitur opponimus argumenta sequentia.

ARG. I. Talis est in suo genere baptismus, quale est fœdus gratuitum, per cujus gratiam baptismus est efficax. Baptismus enim & fœdus ad se mutuò referuntur, ut signum & res signata. Atqui fœdus gratuitum

est perpetuum, extendens se ad remissionem peccatorum non præteritorum duntaxat, sed etiam futurorum, Genes. XVII. 7. Levit. XXVI. v. 9. Esaj. LV. 3. Jerem. XXXII. 39. Hos. II. 19. Rom. III. 3. Quòd si fœdus gratuitum non sufficeret ad remissionem peccatorum postbaptismalium, oporteret secundùm numerum peccatorum multiplicari fœdus ipsum.

RESP. REDING: 1. *Si fœdus gratiæ ad solum Baptismum coarctatum est, quid ergo de eo Eucharistia participat? Quid pœnitentia, fides? Diversimode igitur fœderis gratia communicatur Sacramentis, & Baptismo quidem, quoad remissionem peccatorum præteritorum: Pœnitentiæ, quoad remissionem sequentium. Aliàs frustra Apostolis potestas remittendi ac retinendi peccata post Baptismum commissa concessa esset. Cui enim bono jam ante in Baptismo remissa remitterent denuo? Id ipsum Græci juxta atque Latini Patres docuerunt. 2. Confundis Baptismi causam, fœdus Dei perpetuum, cum ejusdem effectu, remissione peccatorum, qui posterior perpetuus non est, vobis etiam fatentibus, Baptizatos fide posse excidere. 3. Neque iterato secundùm numerum peccatorum postbaptismalium fœdus ipsum multiplicari necessum est, quia licet fœderis Divini intrinseca efficacia se ad omnium peccatorum remissionem extendat, tamen ejus applicatio diversimode fit per diversa media.* Tomo II. Tract. V. Ss. 3. pag. 108-111. Resp. 1. Fœdus unum idémque Dei, comprehendens promissionem remissionis peccatorum à fidelibus commissorum & committendorum, adeóque sine discrimine omnium, verbo promissionis offertur, à parte Dei Spiritu S. à parte nostra fide salvifica, comitem & fructum certissimum habente Evangelicam pœnitentiam, applicatur: denique in Sacramentis obsignatur. Quamvis verò fœdus ipsum unum, ejusdémque promissiones eædem sint, diversimode tamen per diversa Sacramenta illas obsignare Deus voluit. Sic Baptismus, æquè ac circumcisio, est sigillum fœderis, eique connexæ remissionis peccatorum omnium, Genes. XVII. 10. Esaj. LV. 3. Jerem. XXXII. 39. Hos. II. 19. Act. II. 38. Aliter tamen initiatio fœderis, aliter progressus ejusdem obsignatur. Sicut enim homo naturalis non nascitur tantùm, sed etiam natus nutritur & incrementa sua habet: ita planè homo spiritualis in æternum fœdus gratiæ primò Spiritu Dei recipitur & adoptatur; post receptus & adoptatus, spirituali cibo & potu alitur, atque sic læta incrementa in eodem fœdere capit; manentibus utrobique iisdem bonis & donis spiritualibus, remissione inprimis peccatorum omnium. Ita igitur Baptismo obsignatur initiatio & receptio in fœdus Dei: Eucharistia nutritio & incrementa hominis spiritualis in eodem fœdere. Fœdus, annexam habens promissionis remissionem peccatorum omnium, utrobique idem est: obsignatio pro diversitate applicationis ejusdem, per fidem puta tum incipientem, tum crescentem, variat. Sicut autem fides & regeneratio sive incipiens, sive crescens, non aliorum atque aliorum peccatorum, sed omnium (fœdus enim applicatum remissionis omnium sine discrimine peccatorum promissionem complectitur) remissionem apprehendit, sibique applicat: sic obsignatio & confirmatio fœderis, fide incipiente & progrediente applicati, varians licèt, peccatorum tamen remissionem neutiquam distinguit, neque discreta illa, sed eadem & quidem universa remissa obsignat. Obsignat enim fœdus idem æternum & perpetuum, annexam habens promissionem peccatorum omnium. Tu igitur in obsignato eodem fœdere, non diversum duntaxat obsignationis modum, sed diversam etiam rem obsignatam; hoc est, remissionem aliorum pecca-

torum

Digitized by Google

torum in Baptiſmo, aliorum in Euchariſtia, aliorum in Pœnitentia (quam Sacramentalem falsò ſupponis, & in adultis Baptiſmum comitari, conſtat) oſtende. Non poteris ex verbo Dei, quod nuſpiam ſic beneficia fœderalia ſecat & diſcerpit, oſtendere unquam. Neque enim Apoſtoli, quocunque etiam modo peccata remiſerint, ea ſic diſtincta & diſſecta remiſerunt, ſed credentibus ex Dei verbo peccatorum omnium & ſingulorum remiſſionem prædicarunt. Aliàs quomodo conſcientias ſaucias & laborantes pacare potuiſſent, ſi peccata iiſdem alia ſe remittere, alia retinere, declaraſſent? Atque ſic credentibus in Chriſtum ſalutem neutiquam certam, ſed perpetim nutantem, uti vos dubitantii ſoletis, annuntiaſſent? De Patrum ſententia infra. 2. Ex iis, quæ jà me jam dicta ſunt, liquet, non me Baptiſmi cauſam, fœdus Dei, & effectum, remiſſionem peccatorum, (cùm tamen propriè nec fœdus Dei ſit Baptiſmi cauſa, ſed antecedens adjunctum, atque illud liberum; nec remiſſio peccatorum ſit Baptiſmi effectus, ſed ab eo obſignatum quippiam, adeóque prius) ſed te potiùs diverſum applicati & obſignati ejuſdem fœderis modum cum re applicata & obſignata, quam ob diverſum modum diverſam nequicquam ſtatuis, turpiſſimè confundere. Neque nos baptizatos ſalvifica fide ſemel præditos, eadem excidere unquam poſſe, ſtatuimus, ſed tu falsò id nobis impingis. 3. Cùm fœderis Divini intrinſecam efficaciam ſeſe ad remiſſionem peccatorum omnium extendere fatearis, & in Baptiſmo æquè ac Euchariſtia intrinſeca fœderis efficacia, adeóque res utrobique & ubique eadem; variante licet obſignationis æquè ac applicationis modo; obſignetur, planum eſt, non alia peccata in Baptiſmo, alia poſt Baptiſmum remitti. Aliàs ſanè pro numero peccatorum poſtbaptiſmalium fœdus ipſum, & media applicantia ac obſignantia multiplicari debere, planè, quod ego urgeo, conſequeretur.

ARG. II. Scriptura Baptiſmo tribuit remiſſionem peccatorum omnium, & *præteritorum* quidem, Tit. III. 5; Gal. III. 27. *præſentium*; 1. Pet. III. 21. ubi Baptiſmus dicitur ſalvare *vũr impræſentiarum*, denique *futurorum*, Marc. XVI. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Unde etiam baptizari dicimur in mortem Chriſti, Rom. VI. 3. Mors autem Chriſti non præterita duntaxat, ſed etiam futura peccata expiat.

RESP. REDINO: 1. *Ineptè ex verbis Chriſti; Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvabitur; elicis, Baptiſmum valere ad remiſſionem peccatorum non extantium.* 2. *An mors Chriſti etiam infidelitatis peccatum expiat? Non ergo mors Chriſti futura peccata omnia expiavit.* Ib. pag. 111. Reſp. Scripturam peccata in Baptiſmo remiſſa non diſtinguere, certum eſt. Nec tu aliud oſtendere potes. Sine omni indicata temporis differentia Scriptura ſic loquitur: *Baptizabat Johannes in deſerto, & prædicabat baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſſionem*, Marc. I. 4. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomen Jeſu Chriſti, ad remiſſionem peccatorum*, Act. II. 38. Cur indefinitè ſic Scriptura loquitur, neque uſpiam præterita à futuris peccatis diſtinguit, ſi dogma veſtrum Spiritus S. dogma eſt? Dicunt Juriſconſulti; Ubi lex non diſtinguit, ne nos quidem debere diſtinguere. Et tam audaces ſimus nos, ut generalem hanc enuntiationem contrahamus, & dicamus, nonniſi præteritorum peccatorum remiſſionum in Baptiſmo eſſe? Atqui ſic fiet, ut infantes non baptizentur in remiſſionum peccatorum, ſed tantùm unius, nempe originis. Neque enim illi peccata multiplicaverunt. Cœterùm 1. ex verbis Chriſti: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvabitur*, neutiquam ineptè, uti tu pro more tuo ineptis, collegi, Baptiſmi

Qqqq 3

Digitized by Google

ptiſmi efficaciam ad futura etiam peccata extendi. Licet enim illa Baptiſmi tempore nondum extiterint,eorum tamen remiſſio eodem baptiſmo obſignari potuit. Aliâs non qui baptizatur,ſalvaretur, quia nemo ſalvatur, niſi cui peccata omnia, etiam futura remittuntur. Si enim futura non remittuntur, retinentur. Si retinentur, non ſalvatur is, qui baptizatur, ſed damnatur. Sive enim verba illa Chriſti intelligantur de ſalute *in ſpe*,uti Bellarminus contendit; ſive *in re*, certum eſt,ſalutem in re & in ſpe, non re ipſa,ſed ſola ratione differre. Eandem enim,quam nunc ſpe concipimus,olim adepturi ſumus. 2. Mors Chriſti quidni peccatum etiam infidelitatis expiaret, Redingi? Eorum videlicet, qui ab æterno electi, in tempore ſalvantur? Quot enim infidelium, ab infidelitate ſua converſorum, infidelitatis peccata expiavit? *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; neque pro noſtris tantùm, ſed etiam totius mundi,* 1.Joh.II.2. Ergo baptizatorum, eorum ſcilicet, qui electi ad ſalutem ſunt, peccata omnia mors Chriſti piat. An hoc tibi inſolens, qui ſupra Chriſtum etiam pro reprobis mortuum eſſe,ſeverè contenderas?

ARG. III. Baptizati ſumus in Chriſtum, nempe ut paracletum & interceſſorem noſtrum, Matth. XXVIII.19. Gal.III.27. Joh.XI.1.2. Divinâ potentiâ oves ſuas conſervantem, Joh.X.20.1.Pet.I.5. Cujus proinde gratiâ & potentiâ futura peccata nobis remittuntur.

RESP. REDING: *Baptiſmi quidem efficacia à Chriſto dependet. Sicut autem Divina omnipotentia cum potentiarum noſtrarum viribus juncta, iis non communicat totam ſuam virtutem, ſed in menſura determinata duntaxat: ſic licet in Chriſtum baptizemur, non tamen Chriſtus huic baptiſmo omnem in remittendis peccatis etiam futuris virtutem ſuam indidit.* Ib. pag 111. Reſp. Inepta tua comparatio eſt. Deus enim vel potentiam, vel omnipotentiam ſuam nulli prorſus creaturæ communicavit; ſed per potentiam ſuam vires agendi, quas voluit, creaturis impertitus eſt. Quid hoc ad Chriſtum peccata remittentem,ſuos potenter cuſtodientem & ſalvantem; adeóque peccatorum remiſſionem & ſalutem plenam ſolidámque impertientem, & eandem in Baptiſmo obſignantem? Annon enim baptizamur in Chriſtum Salvatorem perfectum, principem & conſummatorem fidei ſalutiſque noſtræ? Atqui ſi in Baptiſmo quædam is peccata remittit, alia retinet, jam non in ipſum ut perfectum Salvatorem baptizamur,neque totum Chriſtum,omniáque ejus beneficia, fundum & fructum Baptiſmus obſignat.

ARG. IV. Per baptiſmum ſalvari dicimur, Marc. XVI.16. Tit. III.5. 1.Pet. III.21.Ergo ejus efficacia etiam ad futura peccata ſeſe extendit. Abſque eo enim per baptiſmum non obtingeret ſalus, ſed potiùs ea ſequentibus poſt baptiſmum peccatis impediretur, & infringeretur.

RESP. REDING: 1. *Baptiſmus ſalvat, cum conditione perſeverantiæ uſque ad finem.* 2. *Gratia univerſa,adeóque etiam baptiſmalis,peccatis ſubſequentibus extincta, per pœnitentiam poſtea ſubſecutam reviviſcit. In eo proin, qui cum finali perſeverantia ex hac vita diſcedit, Baptiſmus in æternæ ſalutis conſecutionem influit. Unde filio perdito pœnitenti paterfamilias Luc.XV.22. primam ſtolam, hoc eſt,primam gratiam ex Baptiſmate acceptam, proferri juſſit. Baptizatus quippe ſtola illa, ſeu prima gratia, per ſubſequens peccatum*

Digitized by Google

peccatum mortale exuens, & per pœnitentiam justificatus denuo, mediante habituali gratia, jus ad gloriam æternam accipit. haud dubie puniendus pœna damni, nisi Baptismi gratia cum primo gloriæ æternæ jure restitueretur. Ib. pag. 111. 112. Resp. 1. Sic est. Sicut Baptismus non sine fidei, ita nec sine perseverantiæ conditione salvat. Atqui certam esse justificatorum in fide & justitia semel accepta perseverantiam, suprà asseruimus. Neque obstant quotidianæ incursionis peccata, quia una eademque gratia in Baptismo obsignata jam remissa sunt. Atque ideo Baptismus salvare dicitur. 2. Frustra gratiam baptismalem, hoc est, inhærentem quandam baptismo efficaciam supponis. Nulla enim gratia baptismo propria, adeóque, uti vocas, baptismalis datur. Imò gratiam jam ante existentem baptismus obsignat. Tum gratiam eam, quam Baptismus obsignat, sic in quoquam fideli extingui, ut per novum Sacramentum reviviscere debeat, atque sic reviviscens una cum Baptismali gratia salvet, inane, Scripturæ universæ, quæ gratiæ & fœderis Divini constantiam ubique, uti supra ostendimus, inculcat, penitus adversans figmentum est. Quomodo *fœdus sempiternum, Gratiæ Davidis fideles,* Esaj. LV.3 *misericordia Dei sempiterna, bonitas Dei, quæ nunquam deserit, fœdus pacis, quod nunquam nutat,* Esaj. LIV.7.9. semen Dei regenerantis *manens,* 1. Joh. III 9. & *incorruptibile,* 1. Pet. II. 23. mori & extingui; quomodo mortuum & extinctum reviviscere potest? Argumentum ex stola filio perdito reddita petitum, utpote symbolicum humanum, nihil probat. Et ratio subjecta hypotheses falsas, sæpiusque elisas, supponit.

ARG. V. Non minor est efficacia baptismi, quàm olim fuit circumcisionis. Atqui circumcisionem valuisse etiam in futurum, liquet ex 1. Sam. XIV.6. & XVI.26. Quid ni igitur etiam baptismus in futurum valeat?

RESP. REDING: *Circumcisio ad legalium Sacramentorum & sacrorum usum equidem supponebatur, ut ad horum mysticam significationem applicandum prodesset. Sic quoque Baptismus. Sed neutrum Sacramentum futura peccata remisit.* Ib pag. 112. Resp. Israëlitis circumcisionem fuisse pro Baptismo, quia & Sacramento N. Test. majoris longè efficaciæ & virtutis esse, quàm Sacramenta V. Test. passim asseritis. Cùm igitur circumcisio valuerit etiam in futurum, & ex ea adulti, veluti Jonathan, 1. Samuel XIV.6. David, ib. cap. XVI. 26. validissimas consolationes petierint, utique etiam Baptismus in futurum proderit, consolationes efficaces suggeret. Quomodo verò proderit, quomodo suggeret, si per quælibet peccata postbaptismalia fœdus Dei interrumpitur, & efficacia Baptismi infringitur? Quomodo prodest ad applicationem sequentium Sacramentorum, quod quovis peccato sequente interciditur, & ad restaurationem sui novo Sacramento, veluti secunda post naufragium tabula, indiget?

ARG. VI. Quid quòd idem baptismi Sacramentum obsignat gratiam justificationis? Atqui gratia justificationis absolvit justificatum non à præcedentibus duntaxat, sed sequentibus etiam, adeóque in universum omnibus peccatis.

RESP. REDING: *Sic Baptismus gratiam justificationis obsignat, ut tamen à futuro infidelitatis peccato non absolvat. Aliàs hæretici baptizati, & in hæresi perseverantes, nulli damnarentur. Non igitur sic Baptismus justificationis gratiam obsignat, ut quævis peccata futura tollat.* Ib. pag. 112. Resp. Quid sic tricari amas? Cùm gratia justificationis

nis

nis non quædam peccata remittat, quædam non, sed omnia sine discrimine, adeóque etiam infidelitatem, eorum scilicet, qui per fidem in Christum justificantur, planum est, Baptismo, justificationis gratiam, in legitimo scilicet ejus usu, obsignante, omnium peccatorum remissionem obsignari. Vel igitur nullorum peccatorum remissio, iis scilicet, qui signum baptismi, sed non rem signatam; vel omnium sine discrimine, iis, qui & signum, & rem signatam, sive ante signum, sive unà cum eo, sive post illud, participant, obsignant. Frustra nobis hæreticos baptizatos, & rei Baptismi vel participes jam actu, vel participes futuros, ac simul in hæresi usque ad finem perseverantes fingis. Tales enim in Baptismo præter nuda signa nihil accipiunt, neque unquam justificati sunt, vel justificantur. Bellarminus ipse *de Bapt. lib. I. cap.* 18. ingenuè fatetur, si nos justificemur non per inhærentem, sed per imputatam justitiam Christi, propter quam scilicet peccata non quædam, sed omnia simul semélque credenti non imputantur, sed remittuntur, sententiam nostram de justitiæ nobis in Baptismo obsignatæ perpetuitate verissimam fore. Error igitur vester de justificatione *πρῶτον ψεῦδος* & fons est erroris vestri de effectu Baptismi.

ARG. VII. Qui post baptismum peccant, efficaciam tamen baptismi non enervant. Sicut navi aliquis excidere potest, ipsa navi manente, incolumi. Is autem qui navi excidit, per gratiam Dei ad eandem, quippe integram, reverti potest, adeóque nova tabula haud indiget.

RESP. REDING: *An qui navi excidit, retinet sui ex navi sustentationem?* Ib. pag. 112. Resp. Retinet utique, si sint in navi, qui sustentent, & postliminio in navim vindicent. Sic planè in Baptismo obsignatur gratia Dei sustentans perpetua, quæ patitur justum sibi quandoque relictum labi, sed non collabi, *καταβαλλόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι, projici, sed non perdi*, 2. Cor. IV. 9. cadere septies uno die, non tamen corruere, quò minùs resurgat, Prov. XXIV. 14.

ARG. VIII. Sententiam Concilii jam olim pia antiquitas damnavit in Messalianis. Et pro orthodoxa sententia testimonium Theodoreti in Epitome de *divinis decretis* c. de *baptismo*, nec non Isidori Pelusiotæ 3. *Epist.* 159. videsis apud Vossium *disput.* 5. *de baptismo th.* 3. Augustinus etiam Ep. 50. ait, propter lavacrum baptismi dimitti, *quicquid ab iis, qui post baptismum acceptum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcunque culparum.* Quin & in eo nobis suffragata est pia antiquitas, cùm hæreticos redeuntes ad Ecclesiam sine novo baptismo in gremium suscepit, innuens eorum peccatis etiam post baptismum admissis præteritum baptismum prodesse.

RESP. REDING: 1. *Veteres nobis potiùs suffragantes supra attulimus.* 2. *Theodoreti sententiam corrumpis. Hoc sibi vult, Baptismum non veterum duntaxat peccatorum remissionem polliceri, sed spem quoque promissorum bonorum ingerere, & mortis ac resurrectionis Dominicæ participes reddere.* 3. *Augustini sententia est, non aliter pœnitentiam ad peccatorum postbaptismalium remissionem efficacem esse, quàm si Baptismus præcesserit.* 4. *Cùm, teste Augustino Epist.* 23. *si parvulus baptizatus, grandævus factus propria in*

ceperit

Digitized by Google

asperis habere peccata, illa non regeneratione, sed alia curatione resarciantur; etiam hæreticorum peccatum non baptismo, sed alia curatione Ecclesia vetus resarcivit. Ib. pag. 112.113. Resp. 1. De testimoniis veterum à te citatis infra. 2. Messalianorum seu Euchetarum veterum, Theodoreto *Hist. Eccl. lib. IV.* 10. teste, dogma fuit, μηδεμίαν ἐκ τοῦ βαπτίσματος ὠφέλειαν τοῖς ἀξιουμένοις γίνεσθαι, λέγειν δὲ τὴν σπουδαίαν εὐχὴν τὸν δαίμονα τὸν ἐνοικοῦντα ἐξελαύνειν. *Divini baptismatis lavacrum his, qui eo tincti erant, nihil omnino prodesse; sed solas preces ardentes dæmonem in animis habitantem expellere.* Eos sic Theodoretus idem *Epit. de Div. decr. cap. de Baptismo* refellit: οὐ γὰρ ὡς οἱ φρενοβλαβεῖς Μεσσαλιανοὶ ὑπολαμβάνουσι, ξυροῦ μόνον μιμεῖται τὸ βάπτισμα, τὰς προγεγενημένας ἀφαιροῦμενον ἁμαρτίας. *Non enim, ut dicunt amentes Messaliani, baptismus novaculam imitatur, quæ præcesserunt, peccata auferens: hoc enim ex superabundanti largitur. Si enim hic solus esset Baptismi effectus, cur pueros baptizemus, qui peccatum nondum gustarunt? Non enim hoc solum pollicetur Sacramentum, sed his etiam majora & perfectiora. Est enim arrha futurorum bonorum, & futuræ resurrectionis typus, & passionis Dominicæ communicatio, & Dominicæ resurrectionis participatio, & pallium salutaris, & tunica lætitiæ, & stola luminosa, vel potius lux ipsa.* Annon vos Baptismum novaculam facitis, tollentem peccata præsentia, sed non futura? Quomodo futurorum bonorum arrha idem est, si futuris malis mederi nequit? Imò si per futura peccata gratia amitti potest? Quomodo per baptismum passionem Dominicam & resurrectionem participamus, si ejusdem fructum post baptismum amittere possumus? Si peccatorum passione Dominica obliteratorum omnium remissionem in baptismo non accipimus? En hæresin vestram, una cum hæresi Messalianorum, piæ antiquitatis rationibus prægnantibus prostratam! Proclive foret adductis variis veterum testimoniis in aprico collocare, nobilissimos ab iis S. Baptismo effectus tribui. cujusmodi sunt regeneratio, adoptio, receptio in fœdus gratiæ, peccatorum, sine ullo eorum discrimine, remissio, sanctificatio, sive renovatio nostri, quæ mortificatione veteris, & vivificatione novi hominis absolvitur, salus & vita æterna. quæ singula beneficia quomodo locum sine Baptismi in futuris peccatis remittendis efficacia habere possint, nunquam nos, Redingi, edocere poteris. S. Patrum Græcorum dicta plura Celeb. Collega noster Casparus Schwizerus *Thesauro Eccl.* sub voce Βάπτισμα; Græcorum verò & Latinorum Cl. Vossius *de Bapt. Disp.* 3. & 4. repræsentant. 3. Augustini verba augustiora sunt, quàm ut ea Sophistica tua obscurari queant. Recitasse ea sufficiat. Verba ejus ex *Epist.* 50. argumentum ipsum suppeditat. Alibi *lib. I. de nupt. & concupisc. cap.* 26. sic scribit: *In eis, qui regenerantur in Christo, cùm remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus, licet adhuc* (post baptismum) *manentis, concupiscentiæ, remittatur, ut in peccatum non imputetur.* Clarissimè autem sic se *ibid. cap.* 33. explicat: *Quòd ait Apostolus, Mundans eam lavacro aquæ in verbo, sic accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis, omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur, atque sanentur; non solùm præterita peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo; sed etiam, quæ posteriùs humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non ut baptismus, quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datum est, fit, ut non solùm antea, verùm etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Et paux illò ante: *Eadem regeneratione, quæ fit per lavacrum aquæ, usque in finem, cuncta hominis mala purgantur atque sanantur.* Idem *Tract.* 124. *in Joh. Credentes*, inquit, *in Christum, per lavacrum regenerationis soluto reatu omnium peccatorum (& originalis videlicet, contra*

Digitized by Google

quod maximè regeneratio est instituta, & cæterarum, quæ malè agendo contracta sunt) liberantur à damnatione perpetua. Quæ Augustini loca citantur etiam ab Alphonso Salmerone *Tom.13.pag.487.* qui & inde concludit, *Baptismo non tantùm præterita, sed etiam futura peccata remitti.* Simpliciter igitur Augustinus peccata etiam futura, adeóque in universum omnia *remitti, curari, sanari, purgari* dixit. 4. Neque sibi repugnat, alibi *Epist.23.* sic scribens: *Semel acceptam parvulus Christi gratiam non amittit nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus evaserit. Tunc enim etiam propriè incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur.* Hoc enim sibi vult, infantem, qui propria impietate gratiam Baptismi amisit, eandem recuperare *non per regenerationem,* nimirum repetitam, quasi iterum baptizandus esset, sed *per aliam curationem,* superadditam scilicet, & ex vi Baptismi. Hoc nos quoque docemus, memoriam Baptismi fidei & pœnitentiæ conjungentes. Non igitur hæreticorum peccata non baptismo curari, sed non baptismo repetito, vi tamen Baptismi, fide & pœnitentia accedente, curari, Ecclesia vetus sensit. Sicut Baptismus pœnitentiam sequens: ita etiam eandem præcedens, ad remittenda peccata confert, quantum quidem Sacramentum conferre potest.

ARG. IX. Denique Dominicus Sotó *in quartum dist. 6. quæst. 1. art.8.* docet, non Augustini duntaxat sententiam, sed omnium Doctorum *universalem conclusionem esse,* iis, qui fictè susceperunt baptismum, remota fictione prodesse baptismum. Quomodo autem iis prodesse potest, si nulla est baptismi in futurum efficacia? Nam in præsens quidem nulla est ejusmodi baptismi efficacia, quia juxta Augustinum impeditur ablutio peccatorum, quandiu fictio durat.

RESP. REDING: *Augustini & Veterum mens est, Baptismi efficaciam fictione præpeditam, subsistere eatenus moraliter in acceptatione Dei Patris, ut remota in futurum fictione producat effectum remissionis peccatorum non cujusvis, sed illius, quæ per fictionem impediebatur. Atqui impediebatur remissio peccatorum præteritorum, non futurorum.* Ib. pag. 112. 113. Resp. Non tangis nervum argumenti: sive illud non intelligis, sive declinas. Verissimè S. Augustinus, Veteresque alii docuerunt, iis, qui fictè baptismum receperunt semel, remota fictione baptismum semel susceptum prodesse. Aliàs enim hæretici, aliique obicem peccati mortalis operi operato Baptismi, cùm illud recipiunt, ponentes, remota hæresi & impietatis obice, nullam baptismi initiò suscepti efficaciam sentirent, adeóque denuo baptizandi essent. Consequens est, Baptismi efficaciam non in præteritum vel præsens tantùm, sed in futurum etiam se extendere, adeóque eadem ratione futurorum etiam peccatorum remissionem obsignare posse. Cur enim Baptismus pridem susceptus finitúsque, post longum demum tempus efficaciam suam exerere ad remissionem peccatorum, quæ Baptismum præcesserunt, & ad tempus conversionis usque exceperunt, potest: ad remissionem verò sequentium conversionem peccatorum exerere non potest? Et si in futurum operari, cur in futurum non etiam peccata remittere potest? Denique fictio remissionem peccatorum & baptismum præcedentium, & eundem consequentium, adeóque in universum omnium præpedit. Remota igitur fictio remissionem peccatorum omnium, & præteritorum & futurorum promovet. Dominici à Soto vestri verba, ex quibus argumentum nectebam, *in 4. dist.6.q.1.a.8.* attexere

Digitized by Google

re non pigebit. Sic enim ille : *Remota fictione per pœnitentiam baptiſmus ſtatim conſequitur ſuum effectum. Probatur authoritate Auguſtini prima de Baptiſmate contra Donatiſtas, c.12. Tunc enim, inquit, valere incipit ad ſalutem Baptiſmus, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ in corde malitia vel ſacrilegio perſeverante peccatorum ablutionem non ſinebat fieri.* Et paulò poſt : *Concluſio hæc omnium eſt doctorum univerſalis.*

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Paulus Hebr.VI.3.4. negat eos, qui ſemel φωτισθέντες illuminati, hoc eſt, baptiZati ſunt, ſi prolabantur, renovari poſſe ad pœnitentiam, puta baptiſmalem. Ergo peccata poſt baptiſmum commiſſa non remittuntur recordatione & fide baptiſmatis ſuſcepti.* Reſp. Paulus nec de baptiſmo, ſed de φωτισμῷ *illuminatione*, quæ & ante & poſt baptiſmum contingere poteſt: nec de quolibet peccato poſt illuminationem illam commiſſo, ſed de peccato ad mortem & in Spiritum S. commiſſo, quod prorſus irremiſſibile eſt, loquitur. 2. Diſtinctio pœnitentiæ baptiſmalis & poſtbaptiſmalis, in qua videlicet nullum baptiſmi recordatio habeat momentum, non Scripuræ dogma, ſed humani cerebri commentum eſt.

EXCIP. REDING : 1. *Si Baptiſmo obſignatur gratia remiſſionis peccatorum Baptiſmo etiam poſteriorum, quî locus eſſe poteſt peccato ad mortem, quod prorſus irremiſſibile eſt? 2. Hebr.VI.3.4. S.Paulus univerſaliter negat, eum qui ſemel illuminatus prolabitur, poſſe per pœnitentiam innovari. Non igitur id ad finale duntaxat infidelitatis peccatum coarctari poteſt. Quia proin quæpiam per pœnitentiam innovatio in ſemel illuminato impoſſibilis pronunciatur, oportet illuminatio illa ſit irreiterabilis, adeóque baptiſmalis. uti etiam Chryſoſtomus in loc.cit. agnoſcit. 3. Idem S. Pater aſſerit, ei qui poſt baptiſmum relapſus eſt, non eſſe pœnitentiam ex altero baptiſmate, ſed ex confeſſione peccatorum. Datur ergo pœnitentia baptiſmalis & poſtbaptiſmalis.* Ib.pag.113.114. Reſp. 1. Quis noſtrûm quolibet quorumlibet Baptiſmo obſignari baptizatis quibuslibet omnium peccatorum remiſſionem dixit? Fingis tibi, quæ magnus heros debelles, ſpectra. De iis loquimur, qui & ſignum & rem ſignificatam participant. quos inter nullus eſt, qui peccati ad mortem, adeóque irremiſſibilis, reus eſſe poſſit. 2. S. Paulus illuminatum non quemvis, ſed *παραπεσόντα prolapſum*, ad pœnitentiam renovari poſſe, negat. Aliud ſanè eſt *πεσεῖν lapſus*, aliud *παραπεσεῖν prolapſus.* Prolapſos ad pœnitentiam non vel novam baptiſmalem, vel pœnitentiam ſine baptiſmo, (nulla enim in textu diſtinctionis nota apparet) ſed quemvis renovari poſſe, ſimpliciter negat. At lapſos poſt baptiſmum pœnitentiam agere, atque ſic ad pœnitentiam renovari poſſe, ipſi vos inficias non iveritis. Non igitur *prolapſi* ſunt quivis baptizati peccatores, ſed peccatores ad mortem, ſeu in Spiritum S. quos ſolos ad pœnitentiam renovari impoſſibile eſt. Eſt ſanè illa illuminatio prolapſorum irreiterabilis ; at non neceſſariò propter Baptiſmum præcedentem, (quanquam hoc parum, vel nihil omnino ad rem facit) ſed propter *παράπτωμα prolapſum.* Hanc enim ſolam cauſam Apoſtolus reddit. Ideo non ampliùs pœnitere, non denuo illuminari poteſt. Sive igitur *φωτισμὸς illuminatio* eſt baptiſmus, ſive non eſt, hoc tibi probandum incumbit, illuminatos ex mente Apoſtoli, ſi prolabantur, poſſe innovari ad pœnitentiam quandam, ſed non baptiſmalem. Nam S.Paulus non

Digitized by Google

unam speciem pœnitentiæ, puta baptismalis, excipit, sed universaliter pœnitentiam tollit. Aliàs dicendum fuerat, impossibile esse, ut semel illuminatus, hoc est, uti tu vis, baptizatus, si prolabatur, iterum illuminetur, vel baptizetur; non, iterum ad pœnitentiam innovetur. Hic rei nervus est, quem nisi incideris, nihil agis. 3. Dari pœnitentiam baptismalem, seu cum baptismo conjunctam, vel antecedentem, & postbaptismalem, nulli negamus. Sed postbaptismalem dari, in qua nullum Baptismi recordatio momentum habeat, adeóque Baptismus semel susceptus efficaciam nullam exerat; hoc verò negamus.

OBIECT. II. *Johannes I. Ep. cap. I. agens de remedio peccatorum post baptismum admissorum, non recordationem baptismi, sed confessionem, quæ pars est Sacramenti pœnitentiæ, v. 8. suadet.* Resp. 1. Johannes cap. II. 2. præcipuum, imò unicum illud remedium facit Christum tanquam *ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν propitiationem pro peccatis nostris.* Cùm igitur baptismus propitiationis illius Sacramentum sit, ejus utpote subordinati implicitè etiam meminit. 2. Confessionem laudat Apostolus, non Sacramentalem illam, quæ demurmuratur in aures Sacerdotis: sed Evangelicam, eámque non vel Christi merito, vel baptismo oppositam, sed subordinatam utrique. Unde etiam in adultis cum baptismo eam conjunctam fuisse, liquet ex Matth. III. 6.

EXCIP. REDING: *Implicita, si qua est in verbis S. Johannis, Baptismi mentio extendi non debet ad peccata futura, sed præterita. Aliud proin ad futura expianda Sacramentum requiritur, puta confessio, Baptismo non opposita, sed, ceu pars Sacramenti, subrogata.* Ib. pag. 114. Resp. De peccatis & præcedentibus & sequentibus Baptismum, adeóque in universum omnibus, S. Johannes loquitur: iísque, si humili confessione, qualis & in Baptismo, & post eum æqualiter requiritur, agnoscantur, Christum *ἱλασμὸν propitiationem* pro peccatis nostris, ejúsque sanguinem à peccatis omnibus purificantem opponit. Si ergo implicita ibi Baptismi mentio continetur, Baptismus ad obsignandam remissionem peccatorum non præteritorum duntaxat, sed futurorum, imò omnium, (de his enim S. Johannes loquitur) valeat oportet. Ei verò confessionem Sacramentalem subrogari à S. Johanne, putidum commentum est. Sic enim respectu peccatorum saltem sequentium Baptismum penitus aboleret. Neque ullus Sacramentalis confessionis apex apparet.

OBIECT. III. *Si peccata post baptismum admissa suscepti baptismi recordatione remitterentur, æquè facilis via reconciliationis daretur peccantibus ante, & post baptismum. Atqui id iniquum esset, cùm illi Deum ignoraverint, hi verò noverint.* Resp. 1. Quid apud Deum æquum iniquúmve sit, non frivola imaginatio hominum, sed Divina liberimáque voluntas pandit, uti in parabola Matth. XX. ipse Christus nos docuit. 2. Remissio peccatorum cùm ex mera Dei gratia & Christi merito proficiscatur, ex peccatorum vel qualitate vel quantitate haud dimetienda est. Unde Spiritus S. tum ante tum post baptismum lapsos non aliò, quàm ad Christi satisfactionem in ara crucis

crucis propositam revocat, neque uspiam hanc differentiam statuit, ut peccata ante baptismum patrata gratiâ Dei solâ, bost baptismum verò admissa pœnitentiæ, hoc est, humanarum satisfactionum pretio diluantur & expungantur. Et qualiscunque est peccatorum remissio, sive facilis sive difficilis, tamen remissio est, neque alia remissio, quàm quæ promissa & obsignata in baptismo. 3. Denique etiam Catechumeni ante baptismum Deum noverunt.

EXCIP. REDING: *Peccata post Baptismum commissa gratiam in eodem collatam temerè prodigunt, adeóque justitiam Dei longè graviùs concitant. Æquum igitur erat, præter Baptismum aliud remedium pro iis diluendis instituere. Licèt enim per absolutum dominium aliter agere Deus potuisset, prævalet tamen semper ejus voluntas. Velle porrò Deum non Baptismi, sed Pœnitentiæ Sacramento ejusmodi peccata expiare, Patres agnoscunt.* Ib. pag. 114. 115. Resp. Frigidissima somnia tua, non aliud, nobis propinas. Voluntatem Dei expiandi peccata postbaptismalia per humanas satisfactiones cur ex Dei verbo non demonstras? Nam Patrum loca à te citata pœnitentiam quidem (Evangelicam, non Sacramentalem) commendant, sed Baptismi fructum & efficaciam in diluendis peccatis iis non extenuant: nedum satisfactionis humanis ea in foro Dei purgari statuunt. non laudandi, sed improbandi potiùs, si aliter docuissent. Scriptura enim solo Christi sanguine peccata piari tradit. Eadémque peccata justificatorum, adeóque amicorum faciliùs, non difficiliùs, quàm non justificatorum seu inimicorum remitti, testatur Rom. V. 9. 10. *Justificati nunc ejus sanguine, servabimur multò magis per eum ab ira illa. Si enim, cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii sui, multò magis reconciliati servabimur in vita ejus.* Nam & sic usus est; ut difficilior sit prima reconciliatio cum inimicis, quàm postea in reconciliatos indulgentia.

OBIECT. IV. *Patres olim peccantibus post baptismum graves labores imposuerunt antequam eos in gratiam reciperent. Non igitur apud eos sola baptismi recordatio sufficiebat.* Resp. 1. Non iccirco baptismi efficaciam ad sequentia se se extendere peccata negârunt. Unde Augustinus *lib. I. de Nupt. cap. 33. Quid prodesset vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur: vel postea, nisi præcederet?* 2. Difficilimos labores imposuit vetus Ecclesia, nimiam quandóque σκληραγωγίαν sectata, non ut promererentur peccatores Divinam peccatorum remissionem, sed ut Ecclesiæ satisfacerent, & objectum scandalum expiarent, uti idem Augustinus *Enchirid. ad Laurent. cap. 65.* testatur. 3. Sed & in eo dissimilimi sunt Patribus Papistæ, utpote qui & reconciliant ante labores impositos, & non tam labores, quàm quisquilias ineptiarum imponunt.

RESP. REDING: 1. *Si Baptismi efficacia ad sequentia peccata se extenderet, tum & culpam & pœnam eorum remitteret. Quomodo ergo locus esse potuit gravibus adeò laboribus, quos Patres peccantibus post Baptismum in vindictam scelerum imposuerunt? 2. Augustinus pœnitentiæ Sacramentum innuit.* Ib. pag. 115. Resp. 1. Nihil respondes. Proba-

ba, imposuisse labores ejusmodi veterem Ecclesiam ad remissionem peccatorum in foro Dei? Hic sudare, hic occare debes. Tota illa veterum παιδαγωγία, nescio an conformis satis Dei verbo, non ad satisfaciendum Deo pro peccato, sed Ecclesiæ pro scandalo; nec non ad internum animæ dolorem externis pœnitentiæ exercitiis testificandum, comparata fuit. Non obscurè id tradit Hieronymus *in Matth. cap. 6.* ubi sic ille: *Fateor longè aliam esse rationem de criminum pœnitentia & satisfactione, de qua Ecclesia, quando læsionem accepit, & offensa est, publicè suum judicium interponit, indicens satisfactionem publicam & graviorem, ut innotescat omnibus verè pœnitere, qui prompto animo suscipiant, quicquid Ecclesia decreverit.* Augustinus *Enchirid. cap. 65.* *Quia*, inquit, *plerunque dolor alterius cordis occultus est alteri &c. rectè constituuntur ab his, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata.* 2. Augustinus idem quomodo pœnitentiam illam, quam sine Baptismo nihil prodesse dixit, Sacramentalem esse statuerit, cur nos non doces? Ejus rei nec volam nec vestigium reperio. Imo clarissimè ex verbis Augustini sequitur, labores pœnitentibus reconciliandis impositos, similes esse iis, qui baptizandis imponebantur, etsi fortè graviores; & utrosque Baptismum supponere, alios futurum, alios præteritum; utrinque efficacem.

OBIECT. V. *Hieronymus aliique Patres disertè vocant pœnitentiam secundam post naufragium tabulam. Ergo peccata post baptismum admissa non baptismi recordatione & fide, sed pœnitentiæ succenturiatæ subsidio deleri asserunt.* Resp. Dictum illud veterum cum grano salis accipi debet. Neque enim eo pœnitentiam tanquam Sacramentum baptismo succenturiârunt in foro *poli*, sed tantum ostendere voluerunt in foro *Soli* seu *Ecclesiæ*, jus communionis & Synaxeos peccato enormi post baptismum commisso, non aliter quàm pœnitentiâ publicâ seu canonicâ recuperari. Secus quàm Novatiani, qui ejusmodi canonicæ pœnitentiæ locum omnino nullum concesserunt. Aliter si quis interpretetur dictum, dissentientes nos habet. Etenim qui per peccatum excidit navi gratiæ, seu potiùs sensus ei per baptismum obsignati, ut tantisper tentationum fluctibus percellatur, is secunda tabula haud indiget, cùm navis semper infracta & salva maneat, ad quam proinde baptismo veluti munitam & obsignatam sine novo Sacramento reverti ipsi integrum est.

EXCIP. REDINO: *Hieronymus Epist. ad Sabin. sic Deum loquentem inducit:* Quòd si nec pœnitentiam vult agere, &, fracto navigio, tabulam, per quam salvari poterat, non retentat, cogor dicere, &c. Nónne aversabor eum? *Ergo fractum gratiæ naufragium pœnitentia, seu secunda tabula, reparari posse, docet.* Ib. pag. 115. 116. Resp. Atqui de Baptismo ne quidem Hieronymus ibi agit, neque planè cum eo pœnitentiam comparat. Invehitur in Sabinianum Diaconum, impurum hominem, cui suadet, ut, ingressus monasterium aliquod, pœnitentiæ laboribus commissa sua expiet. Declamatoria ratione, uti argumenti Epistolæ illius scriptor loquitur, usus, inter alia cum fracto naufragio tabulam, pœnitentiam, per quam salvari queat, retentare, nomine Dei, jubet. quod vel cum grano salis recipiendum, vel repudiandum esse, monui. Tu ad ea, quæ cum ratione

Digitized by Google

tione dixi, taces. Ex figuratis ejusmodi veterum dictis an vobis dogmata fidei ἄγραφα & ἀνέγγραφα cudere licet?

QUÆSTIO VI.

An vota Pontificia detrahant voto & promissioni in Baptismo facta?

NOn immeritò jam olim conquestus est Lutherus *Lib. de Babylonica Captivitate*, Pontificiorum votorum farraginem multùm detrahere voto in baptismo emisso. Quasi enim baptismi votum non satis sit vel præstans vel sufficiens, conquiri & cumulari alia, quibus conscientiæ ita occupentur, ut & memoria baptismi obruatur, & dignitas ejus extenuetur. Huic verissimæ querelæ obliquè opponitur canon IX. qui anathema vibrat in eos, *qui vota post baptismum facta, vi promissionis in baptismo ipso facta, irrita esse pronunciant.* Nos equidem quælibet post baptismum specialia vota promissioni in baptismo factæ inservientia haud condemnamus, & quædam legitimè voveri posse, ultro profitemur. Cœterùm Pontificia vota pleraque, qualia sunt vota religionum, peregrinationum, aliorúmque ejusmodi operum, baptismi voto detrahere, adeóque eam ipsam ob causam irrita esse, asserimus. Etenim

ARG. I. Regulâ & norma voti, quod in professione baptismi emittimus, est sententia Christi Matth. XXVIII. 19. quâ jubemur servare ea, quæ ipse præcepit: nec non illa Pauli Rom. VI. 17. ubi per baptismum servi dicimur facti Deo traditi in formam doctrinæ Apostolorum. At vota Pontificia ejusmodi pleráque sunt, ut homines non tam Divinis præceptis mancipentur, quàm humanis, superstitione dictante, traditionibus. Neque enim Christus uspiam religiosos ordines, peregrinationes, cœlibatum, paupertatem, cœcam obedientiam, opera supererogationis præcepit.

RESP. REBING: *Christus ipse Matth. XIX. 17--21. duo genera doctrinæ Christianæ, alterum consistens in præceptis, alterum in consiliis, distinguit. At Matth. XXVIII. 20. de priori locutus, posterius non excludit.* Tomo II. Tract. V. ss. 3. pag. 116. 117. Resp. De verbis Christi Matth. XIX. 21. viderimus alibi, ubi ex professo tractabuntur. Hoc unum hic contendo, cœlibatum, paupertatem, derelictionem omnium, &c. quæ consiliorum à præceptis distinctorum fuco commendatis, vel esse in censu præceptorum Christi, non communium quidem, sed personalium; adeóque Matth. XXVIII. 20. subintelligi: vel votivè

tivè Deo,uti adversarii temerè solent,promissa nec in præceptorum, nec in consiliorum Christi numero putanda esse, adeóque Baptismi voto planè derogare.

ARG. II. Cùm Christus unico voto,quod in Baptismo nuncupamus,nos obligaverit, credibile non est, ipsum infinitum illud votorum chaos, quod in Papatu obtinet,acceptum habere, inprimis cùm votum in Baptismo emissum prorsus obscurent & imminuant,perinde ac si sequentia illa & arbitraria vota illud planè irritum redere debuerint.

RESP. REDING : *Quomodo ergo tu ipse vota quædam specialia superiùs commendasti? Et cur vota nostra votum in Baptismo emissum obscurare asseris? An quia arbitraria sunt? Atqui vovere arbitrarium quidem est, sed tamen verbi Divini commendatione probatum.* Ib. pag. 117. Resp. Distingue votum, quod in Baptismo nuncupare Christus jussit, ab iis, quæ libertati fidelium relicta legitimè nuncupari possunt,ut voto Baptismali inserviant, non repugnent, vel certè detrimentum aliquod faciant. Illa negamus voto Baptismali prohiberi; hæc, adeóque vestra, prohiberi asserimus, non quia arbitraria (nam ne semper quidem arbitraria sunt) sed quia baptismale votum infinita sua multitudine obruunt, & irritum fere reddunt; & aliis etiam modis, uti sequentes rationes produnt, delinquunt.

ARG. III. Pontificia vota pleraque ita comparata sunt,ut & in materia, quæ vovetur, peccent, & tantùm non directè Sacramento Baptismi opponantur. In *Materia* peccant ea,quæ verbo Dei repugnant. Veluti quòd vovetur cœlibatus,cujus observantia non est in potestate cujusquam; paupertatis non divinitus immissæ, sed consultò delectæ, & fucatæ status; obedientia hominibus devincta; superstitiosæ peregrinationes &c. Quæ ipsa etiam vota faciunt meritoria, & partem Divini cultus, non quoad *actum* duntaxat, sed etiam quoad *speciem*. Sed & *Baptismo directè opponuntur*. Etenim in scholis statuitur,opus aliquod intra votum factum esse præstantius & infinitis modis præferendum ei, quod ex simplici Dei mandato præstatur. Imò perfectionis Evangelicæ statum in iis collocant, adeóque fidelium Baptismo non obscurè eum derogant. Deinde asserunt, religionis suscipiendæ votum esse ad instar *novi Baptismi*, quem deinceps liceat toties renovare,quoties de integro religionis propositum renovatur. Ne dicam, Baptismi votum non alii quàm Deo nuncupari, cùm Pontificia pleraque nuncupentur sanctis, tanquam, uti blasphemat Cajetanus,Diis per participationem. Etiam baptismi votum uni religionis voto nos obstringit. Pontificia verò variis diversisque, & quandóque hostiliter invicem pugnantibus. Quales sunt religiones Francisci, Dominici, Augustini, Lojolæ &c. quas *fictitias religiones* meritò jam olim Anselmus & Gerson appellârunt.

RESP.

Digitized by Google

RESP. REDING: *1. An ergo consilium S. Pauli 1.Cor.VII.25. de non quærenda uxore, est materia peccati cum verbo Dei pugnans? Omnium votorum nostrorum materia similiter verbo Dei conformis est. 2. Materiarum illarum vota ex ipsomet consilio Christi conducunt ad cultum Dei in semetipso magis promovendum. Sunt ergo pars Divini cultus, & quidem meritoria. 3. Status supponens præceptorum Dei observantiam, ac præter hanc inducens ad statum perfectionis Evangelicæ, simplici præceptorum Evangelicorum statui præferendus est. Cúmque juxta vos sola fides ac recordatio Baptismi eandem efficaciam habeat, quam Baptismus ipse; cur fidei ad consilia usque Evangelica, perfectionisque adeò statum amplectendum, per charitatem succensæ proportionaliter, ad instar Baptismi, non responderet vis interiorem spiritum depurandi? Verùm de his alibi.* Ib. pag. 117. 118. Resp. Potuisses planè huic operæ parcere, quia nos quoque alibi singula hæc accuratiùs discutimus. Paucis igitur te expedire lubet. 1. Consilium S. Pauli 1.Cor. VII.25. de non ducenda uxore, non est consilium de vovendo perpetuo cœlibatu. Nam de voto nullus apex loquitur. Frustra igitur voti vestri materiam ex S Paulo arcessis. Par ratio est votorum vestrorum omnium. 2. Neque quicquid ad cultum Dei conducit, cultus pars est, nedum meritoria. Ita sine externo ordine, & circumstantiis loci ac temporis cultus exerceri nequit. Neque tamen in iis pars cultus ulla consistit. Et quomodo cultus Dei necessarius in votis arbitrariis consistere potest? 3. Status verò ille, in quo & præcepta Dei perfectè observentur, & ultra ea consilia perfectionis Evangelicæ, seu supererogatoria opera præstentur, Utopicus est. Non tantùm enim in militante Ecclesia nemo eò perfectionis assurgit, ut perfectè legem impleat, uti supra evicimus: sed etiam supererogatio impossibilis est, quia amore Dei & proximi, quam lex præcipit, nihil majus est, neque etiam ullum officium Deo placens excogitari potest, quin ad amorem Dei vel proximi referri debeat, adeóque eatenus debitum sit. Ineptè etiam asseris, memoriæ Baptismi eandem nos efficaciam tribuere, atque Baptismo quasi alia memoriæ, alia Baptismi efficacia sit. Nos verò Baptismi efficaciam unam eandémque, sed continuatam, quæ sine pia recordatione vim suam non exerit, statuimus. Tu verò impia vota vestra, Evangelicæ perfectionis axiomate nequicquam fucata, Baptismi voto vel adæquans, vel præferens, Baptismi Sacramentum nefariè deprimis.

ARG. IV. Sed & votum Baptismi uni Deo & Christo nos devincit, & libertatem Christianam, ac exemptionem plenissimam à mandatis & traditionibus hominum confert. Cum qua libertate laquei illi, vincula & leges votorum Pontificiorum è diametro pugnant.

RESP. REDING: *Libertas Christiana per Baptismum collata non absolvit à mandatis humanis, legitima per Deum ordinata authoritate nixis. Votorum verò vinculum Divinum etiam, non humanum est.* Ib. pag. 118. Resp. In cultu Dei ab humanis mandatis omnibus conscientiam obligantibus absolvere, supra vidimus. Voti porro legitimi, à quo leges humanæ, & laquei absunt, vinculum Divinum esse, neque adeò libertati Christianæ illud præjudicare, largimur.

ARG. V. In Baptismo abunde & plus quàm exsolvere possimus, vovimus; satis etiam negotii habituri, si per vitæ nostræ decursum uni illi voto liberando fuerimus intenti. Quantò igitur rectiùs Christiani indu-

cuntur, ut omissis votis, quæ nec Dei mandatum, nec Scripturæ exemplum habent, Baptismi voto præstando animum unicè applicent? Bellarmini porro argumenta, quibus hoc Concilii anathema adversus Lutherum propugnat, frivola planè, paucis etiam excutiemus.

RESP. REDING: *Cur verò Christiani in Baptismo votum Deo nuncupant, si illud exsolvere nequeunt? Quomodo sic Christi lex jugum suave, & onus leve est?* Ib. pag. 118. Resp. Quia sic Christus voluit, sic jussit. Est ei pro ratione voluntas. Sibi nos, tanquam pretio emptos, obligavit mancipavítque totos. Imperfectioni verò nostræ in solvendis votis clementer idem indulget, qui defectus nostros omnes sua perfectione tegit. Christi dictum de jugo suavi suprà quoque explicatum dedimus.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *In Baptismo non est votum propriè dictum, tum quia sic omnia baptizatorum peccata essent duplicia, nempe & contra legem & contra votum, adeòque etiam sacrilegia, utpote contra voti religionem pugnantia: tum quia fideles, quando baptizantur, nullam habent explicitè intentionem obligandi sui, nisi quantum obligantur ex legibus ipsis: tum denique, quia quod promittunt parentes loco infantum, hi adulti ratum habere tenentur nolentes volentes, cùm tamen votum non sit necessitatis, sed liberæ voluntatis. Ergo vota Pontificia Baptismi voto non detrahunt.* Resp. 1. Atqui in Baptismo quisque se, fidémque suam Deo obstringit, tum Diabolo & mundo renuntians, tum se Deo subjiciens. Proinde etiam Lombardus & Aquinas votum commune vocant illud, *quod in Baptismo omnes faciunt, cùm spondent renunciare Diabolo & ejus pompis.* Et Nazianzenus Orat. 40. agnoscit in baptismo esse ὁμολογίαν *professionem*, tum συνθήκην πρὸς τὸν Θεὸν *pactum cum Deo.* 2. Peccata baptizatorum esse duplicia, & sacrilegia, quid vetat dicere? Sanè Paulus fornicationem eo nomine indignissimam vocat, quod violet *templum Dei*, quod est ἱεροσυλεῖν. 3. Numquid verò non intentio obligandi sui, quando lex requirit, quando firmatur promissione sacra, est explicitum votum? Quæ enim expressior promissio esse potest, quàm quæ ex Evangelici fœderis formula à fideli, stipulante pastore, emittitur? 4. Denique vota libera, quæ non fiunt ex obligatione legis, pro aliis facta vota non sunt, nisi libera voluntate rata habeantur. Ita liberi olim à parentibus Deo consecrati, tenebantur ipsi se ipsos Deo consecrare, ut Samson, Samuel.

EXCIP. REDING: *Voluntas sive implicita, sive explicita servandi omnia Dei præcepta, dici potest transcendentaliter votum, quia non specificam ex pacto in vi debiti erga Deum homagii resultantem propriam, sed universæ Divinæ legis communem obligationem importat. Quo sensu etiam universa baptizatorum peccata sunt sacrilegia. Voti verò specicè sumpti propria obligatio ex spontaneo pacto resultat.* Ib. pag. 119. Resp. Quasi scilicet in baptismo non sit obligatio erga Deum ex pacto. Annon enim sicut olim circum-

circumcisio, ita hodie Baptismus est sigillum fœderis, seu pacti, quod Deus cum homine inivit. Estque illius obligatio & propria, quia tum infantes baptizati, quando adolescunt, tum baptizati adulti propria, non aliena voluntate se obligant: & spontanea, quia naturali obligationi Deo Creatori, jure creationis debitæ sponte superadditur. Si votum est propriè & specificè dictum vestrum coecæ obedientiæ votum, quo homini sponte delecto religiosam in omnibus, quæ ille præcipit, obedientiam vovetis, quidni votum propriè & specificè tale erit Christianorum omnium, Christo Redemptori in Baptismo sponte, ultra debitam ob beneficium Redemptionis obligationem, religiosam obedientiam, seu officium obsequendi ei in omnibus, quæ ipse præceperit, voventium?

OBIECT. II. *Vota sunt de jure naturæ. Non igitur baptismo detrahere possunt.* Resp. At vota Pontificia, de quibus suscepta est hæc disputatio nostra, & verbo Dei & juri Naturæ, & Baptismi adeò Sacramento adversantur, utpote quæ non soli Deo, sed etiam Sanctis, & in re vel illicita, vel nostræ potestati haud subjecta nuncupantur, & Christianæ libertati repugnant. Proinde veri nominis vota non sunt.

EXCIP. REDING: *Nec antecedens, nec consequentiam negare potuisti, sed ad calumniandum te convertis.* Ib. pag 119.120. Resp. Vota legitima ab illegitimis, cujusmodi vestra, quæ oppugnamus, sunt, distinguere debui. Illegitima, adeóque etiam Pontificia, juri naturæ repugnare cùm dixi, clarè satis antecedens *ἀκρίβως* acceptum negavi. Neque per calumniam à me quicquam dictum esse, in loco probabitur.

OBIECT. III. *Falsum est, in Baptismo plus nos promittere quàm præstare possimus, cùm Christus ipse legem suam vocet jugum suave.* Resp. Quo sensu Christus jugum suum suave vocet, superiùs vidimus.

EXCIP. REDING: *Supra dicebas, vota Pontificia eo etiam nomine cum verbo Dei, jure naturæ, & Baptismo pugnare, quia sunt de re potestati nostræ non subjecta. At hic tacitè fateris, quod priùs expressè negabas, rem in Baptismo promissam à nobis præstari non posse. Anne ergo secundum tuum malignandi spiritum etiam Baptismi votum est de re pugnante cum verbo Dei, jure natura, & Baptismo? En apertam Spiritus tui turpitudinem?* Ib. pag.120. Resp. Distingue impletionem præceptorum Christi fidelem, sinceram, seriam, ab eorundem impletione absoluta numeris omnibus: nec non ea, quæ in potestate sunt fidelium omnium propter commune spiritus regenerantis donum; &, quæ in potestate sunt quorundam duntaxat, propter singulare charisma; & malignantis Spiritus tui stoliditatem apricaberis ipse. Quæ baptizati vovent, possibilia sunt, & in potestate voventium eatenus sunt, quatenus pro modulo gratiæ & spiritus regenerantis sincerè & integro corde Christo uni Domino suo adhærere, ejúsque imperata facere possunt. Si enim sic non possent, temerè voverent. At iidem infirmitatibus suis circumvallati non rarò impingunt, adeóque absolutam omnibus numeris obedientiam præstare in hac vita nequeunt. Quia tamen ad perfectionem niti & contendere omnibus viribus tenentur, hoc potiùs illos agere, & non novis ac non necessariis votis se constringere, cursúmque voti baptismalis sufflaminare debere, rectè & ordine monui.

nui. Alia longè votorum vestrorum, cœlibatus inprimis, ratio est. Ibi enim Monachi vos vovetis perpetuam continentiam, quæ, ceu *ἴδιον χάρισμα proprium & singulare*, adeóque quorundam, non omnium fidelium, *donum* in voventium quorumvis potestate non est; & de quo saltem dono ad vitæ usque finem continuaturo nemo Mortalium certus esse potest. Vestrum ergo isthoc votum prorsus temerarium est, quia de re quibusdam impossibili, omnibus incerta nuncupatum: Baptismi verò votum legitimum planè, quia de re & licita & possibili per Spiritus S. gratiam omnibus fidelibus, eatenus ut sincerè & fideliter Christo Domino suo adhæreant, ejúsque jussa faciant. gratiam faciente eodem Domino, si quando extra orbitam mandati officii aberraverint; & manente semper promptitudine spiritus, cùm caro residua infirmitatem suam exerit.

OBIECT. IV. *Baptismus est sufficiens ad suum finem, nempe ad salvandum hominem. At vota baptismo addita efficiunt, ut faciliùs & excellentiùs aliquis salvetur.* Resp. Ita Bellarminus vota Baptismo jam non exæquat, sed ut excellentius salutis medium, supra illum extollit. De quo judicent piæ mentes. Si facilius excellentiúsque salutis medium sunt vota, utique Christus de electorum omnium salute æquè solicitus, vota æquè ac Baptismum, imò magis omnibus commendâsset.

EXCIP. REDINO: *Bellarminus, cum quo malitiosè hic agis, Baptismum cum votis non seorsim spectatis, sed cum eo conjunctis comparat. Annon verò S. Paulus continentiam laudavit eo nomine, quòd sic expeditiùs facere liceat, quæ sunt Domini?* Ib. pag. 120. Resp. Neque aliter Bellarmini verba explico, nempe *de votis Baptismo additis*, non seorsim spectatis. Quid ergo tu paratragœdiaris? Manet, Bellarminum vota Baptismo juncta, supra Baptismum simplicem extulisse; cùm tamen vota, si quid efficiunt, nonnisi Baptismo inservire ad consequendum proprium finem debeant. Neque S. Paulus continentiam votivam, sed quorumdum, singulari ejus dono gaudentium, laudavit.

Ad

Digitized by Google

Ad Canones Sessionis DE CONFIRMATIONE, QUÆSTIO UNICA.

An Confirmatio baptizatorum sit verum & propriè dictum Sacramentum?

AFfirmat Canon I. Definitionem ante omnia confirmationis Pontificiæ ponemus verbis Petri de Aliaco, Cardinalis Cameracensis in 4.q.4. *Confirmatio est*, inquit, *unctio hominis Viatoris, viri scilicet vel mulieris, nec actualiter nec habitualiter dissentientis, facta in fronte, in figura crucis cum chrismate sanctificato, & hoc à ministro idoneo, simul cum intentione debita in ungente, certa verba proferente ex institutione Dei, significans unionem animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum fiducia fidem Christi.* Eodem recidit definitio Gabrielis Biel. Constat autem confirmatio signo crucis, chrismate ex oleo olivarum & balsamo, alapa, quæ non ab alio, quàm Episcopo, confertur his fere verbis: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, Filii & Spiritûs S.* Confirmationem ejusmodi vel veri nominis Sacramentum, vel utilem Ecclesiæ ritum esse, negamus. Etenim

ARG. I. Sacramenta N. T. à Christo institui debuisse, & instituta esse, fatetur Synodus ipsa *Can. 1. de Sacr. in gen.* Nec ab aliis institui potuisse agnoscit Suarez, *tum quia institutio Sacramenti pertinet ad potestatem excellentiæ, quam solus Christus habuit: tum quia solus Christus effectum Sacramenti in visibili signo infallibiliter promittere potuit.* At Christus confirmationis Sacramentum nec mandato nec actu uspiam instituisse legitur. Neque verò ratio ulla erat, cur Christus hoc Sacramentum institueret, cùm *spirituale robur & argumentum*, quod hic prætexitur, Baptismo, Eucharistiâ, precibus, Sanctitatis quotidianæ exercitio, ac inprimis Spiritûs S. gratiâ abunde acquiratur. Non esse à Christo institutam confirmationem, ut Sacramentum, fatetur Alexander Alensis in *Summa Theologia*, jussu Innoc. IV. scripta, & ab Alexandro IV. diplomate munita. Dicit autem esse institutum hoc Sacramentum

in Concilio Meldensi, quantum ad formam verborum & materiam elementorum.

RESP. REDING: 1. *Confirmationem esse Sacramentum, ex Scriptura & veterum testimoniis liquet.* 2. *Alexander Alensis Concilio Meldensi Sacramenti hujus institutionem secundariam, non primariam tribuit. Canon enim Meldensis in cap. Ut Episcopi dist. 5. relatus sic habet:* Nonnisi jejuni per impositionem manuum Spiritum S. tradunt. *Noverat autem Alensis, quòd Spiritus S. non possit dari per sensibile aliquod signum, nisi efficaciam ex Divina institutione habeat.* Tomo II. Tract. V. ss. 3. pag. 121. 122. Resp. 1. Et Scripturæ & veterum testimonia à vobis obducta infra expendemus. 2. Institutionis primariæ & secundariæ absurda distinctio nunquam Alensi in mentem venit. Ille enim *Part. 4. q. 14. membro* 1. vel à Christo, vel ab Apostolis institutum hoc Sacramentum esse, simpliciter negat, & quidem his argumentis inductus, *quia non legitur in Scriptura, quando, vel ubi confirmatio instituta fuerit; & quia nec Christus, nec Apostoli usi sint hac vel materia, vel forma, sed sola impositione manuum.* Unde concludit: *Sine præjudicio dicendum, quòd neque Dominus hoc Sacramentum instituit, neque dispensavit, neque Apostoli.* Et Apostolos quidem vim ac robur Spiritus S. accepisse in plenitudine, adeóque confirmatos esse, confitetur; sed ab ipso Spiritu S. *immediatè sine Ministro & Sacramento*; & ipsos deinde pariter quoque sine Sacramento confirmasse. Postquam verò Apostoli, Ecclesiæ bases, *defecerunt, tum*, inquit, *demum institutum est hoc Sacramentum Spiritus S. instinctu in Concilio Meldensi, quantum ad formam, & materiam elementarem, cui etiam Spiritus S. contulit virtutem sanctificandi.* Soto *in 4. d. 7. art. 1.* ait, alios Aurelianensi, non Meldensi Synodo institutionem hanc tribuisse. Bonaventura hanc Præceptoris sui sententiam ipse quoque sequitur: & cum eodem Jacobus Cardinalis à Vitriaco, Alensis σύγχρονος *Histor. Occid. cap. 37.* paria facit. ut & Aureolus & Cardinalis Contarenus. Valentia *T. 4. in Thom. disp. 5. q. 1.* ait, hanc istorum opinionem *omnino falsam esse, & jam post tot alias Ecclesiæ declarationes esse planè erroneam & hæreticam.* His enim verborum flosculis veterum, etiam eorum, quos ut cœlites colunt, (talis Bonaventura est) sententias novitii Jesuitæ conspergunt. Neque sanè, quod tu sciole ariolaris, Alensis novit, *sensibile signum nonnisi ex Divina Christi & Apostolorum institutione efficaciam habere.* sed sufficisse putavit instinctum Spiritus S. quo Patres Meldensis Concilii agitati fuerint, uti verba ejus superiùs recitata innuunt.

ARG. II. Veri nominis Sacramentum administrari debet à ministro divinitus ordinato. Jam de ministro confirmationis in Concilio gravis equidem disputatio est oborta. Franciscani, Bonaventuram & Scotum secuti, soli Episcopo ministerium hoc sacrum esse volebant: Dominicani verò cuilibet Sacerdoti, cui id Papa permiserit. Et posteriores quidem nitebantur authoritate Gregorii Papæ, ministerium hoc etiam minutis Sacerdotibus permittentis. Decretum tandem est, uti liquet ex Can. 3. ordinarium ejus ministrum esse Episcopum. Atqui Episcoporum à Presbyteris distinctio cùm non sit juris divini, adeóque Episcopi Pontificii non sint divinitus instituti, uti infra probabimus, utique ordinarius ille confirmationis minister à Christo ordinatus non fuerit.

RESP.

RESP. REDING: *1. Disputatio, quam in Concilio de Ministro Sacramenti hujus agitatam scribis, commentis Suavianis non caret. 2. Sicut manuum impositio solis Apostolis olim convenit: ita confirmare soli Episcopi jure Divino possunt. Ita in quolibet opere ultima consummatio, qualis respectu Baptismi confirmatio est, supremæ arti reservatur. Interim praxis Ecclesiæ docet, posse id munus ex delegatione Summi Pontificis simplici Sacerdoti convenire.* Ib. pag. 122. 123. Resp. 1. Cur igitur commenta illa Suaviana non ostendis? Plus candoris Pallavicinus habuit, qui eam in dubium revocare ausus non est. Quid verò, Redingi? Annon verum est, quod Suavis scribit, Gregorium Papam Confirmationis ad ministrationem etiam minutis Sacerdotibus permisisse? Cùm igitur jus illud Episcopis eximium esse, Bonaventura, Scotus, & universus Franciscanorum chorus pertenderint pridem, an incredibile est, sententiam suam, in dubium fortè à Dominicanis vocatam, Franciscanos propugnasse, & quæ dissidia ante Concilium inter partes illas in plurimis sibi mutuò infestas æstuaverunt, in ipso Concilio, ubi res decidenda fuerat, efferbuisse? Cur ergo disputationem illam à Suavi, cui scriptori integerimo plus injurato, quàm tibi jurato crediderim, narratam, sine ulla ratione lacessis? Olim quidem Armacanus *lib. II. de quæst. Armen. cap. 4.* statuit, Sacerdotes, quinimò & Diaconos jure Divino esse ordinarios Sacramenti hujus ministros. *Nec quæro,* inquiebat ille, *qualia sint decreta Ecclesiæ, sed quid potest ex Sacra pagina elici.* Quæ viri oratio Dominicum à Soto ita commovit, ut ad hæc ejus verba *in 4. d. 7. art. II. fr. De hoc* ita scripserit: *Perspice impiam hominis impudentiam. Fatetur enim, decretis Ecclesiæ definitum esse contrarium. Nihilominus errorem suum ex Sacra pagina colligit.* Quasi nefas foret, sepositis paulisper Ecclesiæ decretis, attendere, quid ex una Scriptura elici possit. Quid gravius ille commeritus est, quàm ex altera parte Scotus, Aureolus, Gabriel & alii, qui in hac de Confirmationis Ministro controversia alteram quæstionem, an jure Divino idem sit Episcopus, qui Presbyter, commemorant, & prout hæc vel illa pars quæstionis supponitur, ita de Ministro Confirmationis statuunt. Scotus *in 4. d. 7. q. 1. Alii,* inquit, *possunt esse duo modi probabiles, unus, quòd in primitiva Ecclesia non erat differentia inter Sacerdotes & Episcopos. quod probatur per duas authoritates Hieronymi, &c.* Ita Aureolus *in 4. d. 7. q. 2. Hæc,* inquit, de Confirmationis Ministro *quæstio magnam habet difficultatem.* & post pauca: *Quoad primum, sciendum est, quòd secundum aliquos Episcopus & Sacerdos non differunt. Unde Episcopus non est nisi simplex Sacerdos, habens tamen majorem Parochiam & authoritatem.* 2. In argumento tuo pro Episcopis falsò supponis, vel manuum impositionem ab Apostolis usurpatam esse chrismationem vestram: vel in locum Apostolorum successisse Episcopos, personatos illos inprimis vestros, qui præter nomen nihil habent: vel confirmationem esse Baptismi consummationem. Singula hæc λαμβανόμενα, non διδόμενα sunt. Unum addo, Tridentinos Patres *de confirmat. can. 3.* definientes, *Confirmationis ordinarium Ministrum esse solum Episcopum,* certis verbis illusisse lectori, & diversæ duarum partium libidini abblanditos esse. Nam etiam post definitionem illam alii pertendunt, solum Episcopum esse Sacramenti hujus Ministrum: alii ministerium illud, à Papa extra ordinem committi posse aliis. quam sententiam *certam esse, imò haberi jam tanquam de fide,* apud Valentiam *Tom. IV. Disp. 5. pag. 1.* asserunt. multùm repugnante Estio *in 4. Sent. D. 7. fr. 21. 22. totis.* Et sanè si à Christo instituti sunt Sacramentorum Ministri, quomodo Papa efficere possit, ut validum sit Sacramentum, quod ab alio administratur, tu, Redingi, qui novus velut quodlibeticus utramque sententiam tueris, videris.

ARG. III. Sacramenti materia externa, seu elementum & signum visibile, expresso Dei verbo ut tale definitum sit oportet. Atqui confirmationis signum seu elementum, nimirum chrisma ex oleo & balsamo mixtum, nuspiam in verbo Dei, tanquam Sacramentale ejusmodi signum definitum est. Nuspiam enim vel verbum Dei, vel pia antiquitas ejusmodi chrisma nobis commendat. Idque agnoverunt etiam Veteres Canonistæ, agnoscunt hodierni Jesuitæ, qui hostiliter de eo cum Sorbona maximè conflictantur, uti constat ex recenti digladiatione Sirmondi cum Petro Aurelio. Negant nempe Canonistæ & Jesuitæ, juxta veteres, confirmationis signum, seu externam materiam esse chrisma, imò illud esse de essentia Sacramenti inficiantur, eique substituunt impositionem manuum. Sanè etiam Concilium magnum Moguntinum *c.* 18. ait, Sacramenti hujus materiam esse immutatam, hoc est ex ritu indeterminato, puta manuum impositione, Apostolos fecisse determinatum, videlicet Chrismationem, uti Tapperus id explicat. Atqui ipse ille ritus indeterminatus, manuum impositio, à Christo nuspiam est mandatus vel in baptismo usurpatus: nec vel manuum impositio, quippe actus ministri & communis imò temporarius, & in V. etiam Testamento usitatus ritus, esse visibile & determinatum signum Sacramenti alicujus, vel ex eo tanquam ritu indeterminato, fieri potest ritus determinatus, Chrismatio, quia ab hac manuum impositio prorsus exulat. Ne dicam, apud ipsos etiam Pontificios parum constare, anne Apostoli conferendo hoc Sacramentum usi fuerint chrismate, uti liquet ex variis sententiis ea de re allatis à Conink *q.* 72. *art.* 3. *dub.* 2. qui etiam *dubio* 1. ostendit, suos adhuc digladiari, an requiratur necessariò commixtio olei & balsami, & quale debeat esse illud balsamum, Palæstinum an Indicum, & quis chrisma consecrare debeat? Et quis tandem induci possit, ut credat, Apostolos simplicitatis studiosissimos pro manuum impositione delegisse chrisma, hoc est, unguentum ex oleo & balsamo, adeóque diversis & inusitatis speciebus concretum? Etenim balsamum olim solæ in Judæa arbores sudabant, post Cairum translatæ sunt arbores. Proinde hodie quidem materia hujus Sacramenti à Muhammedanis emendicanda esset.

RESP. REDING: *1. Materiam externam expresso Dei verbo scripto definitam esse debere, falsò asseris. Christus enim panem Eucharisticum instituens non definivit, azymus esse debeat, necne. Et verba Baptismi materialiter, quoad idioma, nulla definivit. 2. Omnino chrisma ex oleo & balsamo confectum est certa & indubitata Sacramenti hujus materia, uti ex Dionysio, Clemente, Cypriano & Augustino, qui nisi per fidem Divinam edocti ita non statuissent, liquet. Nihilominus etiam extra ordinem concedere Christus potuit, ut Sacramentum hoc sine chrismate, sola manuum impositione, conficeretur. quomodo communis*

Digitized by Google

nis sententia, Thoma praeunte, est, Apostolos Act. VIII. 17. 19. sola manuum impositione usos esse, quia materia sensibili Sacramentali opus non erat tum, cùm sensibilia signa miraculosè exhibebantur. Quo argumento etiam Concilium Moguntinum An. 849. celebratum nititur, non absolutè, uti tu asseris, docens, Sacramenti hujus materiam ab Apostolis mutatam esse, quia substituto chrismate materia hujus Sacramenti formaliter mutata non est. 3. An permixtio balsami cum alio sit de essentia hujus Sacramenti, disputant Theologi. Nos affirmamus, praeeuntibus S. Patribus & Concilio Florentino. Apostoli quidem ita simplicitatis studiosi fuerunt, ut tamen mysticas Divinae institutionis significationes non omiserint. Neque tempore Christi balsamum adeò rarum & charum fuit. Et hodie ex America in varias regiones transportatur. 4. Falsum est, quod de Canonistis & Jesuitis scribis. Nam Suarez, Coniuk, & plerique Jesuitae Confirmationis materiam, ordinaria saltem Divinae institutionis via, unicum chrisma statuunt. quamvis alii nonnulli purum oleum materiam hujus Sacramenti probabiliter esse, statuant. Ib. p. 123--126. Resp. 1. In veris Sacramentis, Baptismo & Eucharistia materiam Sacramenti verbo scripto definitam esse, temerè negas. Neque obstat vel de pane azymo controversia, quia sive azymus sive fermentatus panis, veri panis substantiam obtinet, & azymi panis necessitatem vos ex verbo scripto probare contenditis: vel formula verborum baptismi, tum quia nihil ad Sacramenti materiam ea facit: tum quia sensus verborum variantium substantialis in verbo scripto satis definitus est. 2. De veterum testimoniis infra. Mirum sanè est, in toto N. T. ne apicem quidem de chrismate reperiri uspiam; & tamen à Christo & Apostolis tale quidpiam Patres hausisse. *Christus potuit,* inquis, *extra ordinem concedere, ut Sacramentum hoc sine chrismate sola manuum impositione administraretur.* Quid potuerit, non quaeritur, sed quid voluerit. At Christum vel chrisma, vel impositionem manuum, ceu Sacramentalem materiam, instituere voluisse, idoneo testimonio nullo probastis hactenus. Si materia sensibilis huic Sacramento necessaria non fuit ob signa sensibilia, quae miraculosè tum edebantur, poterunt etiam Baptismus & Eucharistia materia sensibili carere. Quid quòd hodiéque donum miraculorum, seu signorum sensibilium in Ecclesia vestra vigere pertenditis? Cui ergo bono chrisma, quod eandem ob causam olim non necessarium fuisse, ex Moguntino Concilio nobis narras? 3. Magna scilicet ratio est affirmandi, materiam confirmationis esse chrisma ex oleo & balsamo, quia sic visum Florentinis vestris Patribus. Cur sic visum esse Christo & Apostolis, non ostendis? Neque ratio mea à balsamo petita de nihilo est. Materiam Sacramentorum esse res ubique obvias, ex Baptismo & Coena Domini liquet. Quid verò balsamum? Arbores illud sudantes jam olim ex Judaea in hortos Cairenses translatas esse, ajunt. Christus ergo ab aliquot jam Seculis sui populi Sacramenta à Muhammedanis, quorum in potestate jam dudum Cairus est, emendicare coactus fuerit. Sed ex Indiis utrisque, America inprimis, in orbem nostrum perferri satis copiosum, regeris. Negant tamen rerum naturalium periti, ejusdem esse utrumque generis, tradúntque, nihil eas plantas, ex quibus Indicum elicitur, cum iis arboribus, quae Judaicum exsudant, commune habere. Si igitur balsamum Judaicum vera Sacramenti hujus materia est, uti sanè esse deberet, si ita instituisset Christus, non posset rite, ac legitimè in ejus administratione pro Judaico usurpari Indicum, non magis profectò, quàm pro oleo olivarum, oleum ex amygdalis, vel ex juglandibus confectum. Non minus enim, si non majus Judaici & Indici balsami discrimen Scriptores prodidere. Accedit, quòd nunc reserato per Iberorum libidinem atque audaciam mari, necesse tamen foret populi Christiani vitam ac salutem ex peregrinis & longinquis,

ginquis, totóque orbe divisis locis peti, atque illinc per ventorum & procellarum ac piratarum immania discrimina ad nos navigare. 4. Vestra de materia externa Confirmationis certamina qua fronte sic elevas? Dabo te in ruborem. Petrus Aureolus Cardinalis trecentos ante annos, gravem Theologos inter & Canonistas controversiam suis temporibus flagrasse, his verbis *in 4 d.7. q.1.* narravit: *Tenent enim Theologi, quòd chrisma est de essentia Sacramenti, sicut aqua est de essentia Baptismi. Et tunc dicunt consequenter, quòd Papa non potest immutare, faciendo, quòd hoc Sacramentum fieret in alia materia. Burchardus autem, & alii Doctores Canonici tenent oppositum, & quòd Papa similiter posset dispensare. Et eorum motivum est, quia quod in tali materia fieret Sacramentum Confirmationis, non fuit traditum à Christo, nec ab Apostolis praceptum observari, sed fuit statutum in antiquis Conciliis. Talia autem immutari possunt authoritate Papæ.* Conink ex Marsilio *in 4 q.5. art.1.* idem, quod Aureolus, narrat, *docuisse olim quosdam Canonistas, sufficere ad essentiam hujus Sacramenti solam impositionem manuum, sine ulla unctione.* Nunc verò omnes unctionem magno consensu confirmationis materiam, adeóque essentialem partem esse tradunt; manuum verò impositionem hujus Sacramenti ceremoniam accidentalem, nec necessariam, nec ad Sacramenti integritatem pertinentem; oppositam verò veterum illorum Canonistarum opinionem planè erroneam, imò hæreticam esse, affirmant. Nuper tamen eruditissimus Jesuita Sirmondus *Antioch.1. pag.68 & antirrh.2.* adversus Petri Aurelii clamores severè pertendit, olim circa Constantini Seculum chrisma in baptismi cerimoniis hæsisse, Confirmationem sola manuum impositione constitisse, idque pluribus seculis in Ecclesiis Occidentalibus obtinuisse. Ante annos igitur trecentos, Aureoli adhuc tempore, nondum fuit constitutum apud Latinos, quæ vera fuerit Sacramenti hujus materia. quod novum & musteum esse hoc Sacramentum, satis arguit. Jam qui consentiunt, chrisma esse essentialem Sacramenti hujus partem, iidem tamen de Apostolorum usu dubitant. Alii enim Apostolos sola manuum impositione Sacramentum hoc contulisse, docent, uti Scotus: alii interdum fortè etiam adhibuisse unctionem, ut Durandus: alii, nunquam sine unctione hujus Sacramenti effectum contulisse, ut Bellarminus. Estius, *communiorem esse sententiam, Apostolos initio suæ prædicationis non usos fuisse chrismate in administratione hujus Sacramenti*, scribit. De ipsa unctione quàm discrepantes eorum sunt sententiæ? Eam enim alii fieri posse putant vel solo oleo olivarum, vel solo balsamo, ut Canus: alii oleum solum necessarium esse ad Sacramenti ipsius rationem, balsamum verò ex præcepto tantùm vel Christi, vel Ecclesiæ addi, non ex Sacramentali necessitate, ut Cajetanus, Navarrus, Sotus, Victoria, & ipse Valentia; multùm refragante Ægidio de Coninck, affirmante scilicet, quòd hoc Sacramentum chrisma ex oleo & balsamo confectum essentialiter requirat. Taceo dissensiones de chrismatis ad Sacramenti usum præparatione, an determinata benedictio necessariò ab Episcopo adhiberi debeat: an subsistat Sacramentum absque omni etiam prævia materiæ benedictione, aliáque similia, in quibus litigiosi illi doctores litium forum isthoc egregiè calefaciunt.

ARG. IV. Sacramenti propriè dicti materia interna, à signo & elemento externo adumbrata, est gratia spiritualis ordinaria, non gratis data illa, sed gratum faciens, justificans nimirum & regenerans. Talis non est in confirmatione Papistica. Id enim in ea confertur, quod signo externo adumbratur. At impositione manûs, quam plerique hodie faciunt signum

Digitized by Google

signum hujus Sacramenti, ex Divino saltem instituto nunquam gratia ordinaria, & gratum faciens spiritualis, sed semper extraordinaria & temporaria, puta Charismata Spiritus S. & potestas muneris, adumbrata fuerunt.

RESP. REDING: *Act. VIII. 17. &c. Apostoli impositione manuum dederunt Spiritum S. Atqui per Spiritum S. charitas in cordibus diffunditur. Gratia ergo justificans per eam confertur. cum qua Apostolorum tempore etiam dona extraordinaria conjuncta fuerunt, tanquam illius accidens, quod adesse & abesse potuit.* Ib. pag. 126. 127. Resp. Ita est, per Spiritum S. charitas in cordibus credentium diffunditur. Sed an hæc sola Spiritus S. operatio est: vel Spiritus S. impositione manuum datus operatus est id omne, quod ei operanti Scriptura tribuit? Id nisi probaveris, nemo non paralogismum tuum ab indistributo ad distributum palpabit. Nobis certum est, Spiritum S. impositis manibus datum primò & per se non gratiam justificantem, (quanquam ea in charitate diffusa in cordibus non consistit) sed charismata extraordinaria, puta prophetiæ, linguarum, &c. contulisse, tum quia datum ab Apostolis Spiritum ejusdem generis fuisse cum eo, quem festo Pentecostes ipsi acceperunt, ante à Christo promissum, (qui non gratiam justificantem, cujus jam ante participes fuerunt, sed charismata extra ordinem contulit) Bellarminus, aliique fatentur: tum quia Spiritum, quem à Messia vulgò dandum Israëlis spes erat, *Prophetiæ spiritum* & Judæi intellexerunt, & non obscurè Scriptura Joh. VII. 38. 39. Actor. II. 17. 33. XIX. 2. &c. significat: tum quia, cùm credentes eum à Petro & Johanne Spiritum acceperint, quo ad eorum usque adventum caruerant, necesse est, eos spiritum prophetiæ, vel linguarum, vel hujus generis miraculosum ab Apostolis accepisse, qui scilicet à Philippo baptizati jam antequam illi venissent, Spiritum fidei & sanctificationis (Act. VIII. 16. Rom. VIII. 9) habuerunt: tum quia Lucas de hujus, quem ab Apostolis Samaritani acceperunt, Spiritus effusione & donatione loquens, Act. VIII. 9. verbo *ἐπιπίπτειν illabi*, vel *irruere* utitur, quod voci Hebrææ נפל eodem sensu de Saule 1. Sam. XIX. 23. usurpatæ, respondens, nuspiam Spiritus Sanctificantis donationem significat: tum quia Spiritus iste non fuit à Philippo datus, neque ab eo dari potuit, cùm ordinarium Spiritus Sanctificantis donum ministerialiter dari potuerit: tum quia hic ab Apostolis datus Spiritus Simonem Magum vehementer commovit, ut potiundæ mirabilis hujus facultatis desiderio inflammatus, pecuniam, qua eam redimeret, Apostolis obtulerit; qui neutiquam sic affectus esset, si nihil aliud actum esset, quàm hodie in adversariorum Sacramento fieri vulgò videmus; imò ne intellexisset quidem, an ullum, qui Apostolicis manibus obumbrati erant, Spiritum accepissent, quia Spiritus ille, quem se tradere putant, sic placidus & taciturnus est, ut judicari à nemine possit, an in eorum, qui eum accepisse dicuntur, pectora verè illapsus sit; Apostolicum contra homo etiam profanus & impurissimus Simon sensit & agnovit statim omnibus iis datum esse, quibus à Petro & Johanne manus impositæ sunt: tum denique quia Act. XIX. 5. 6. Spiritus S. per manuum impositionem à S. Paulo super discipulos Ephesios veniens effecisse id dicitur, ut linguis loquerentur & prophetarent. quæ gratia gratis data, non gratum faciens fuit. Non est ovum ovo similius, quàm sunt duo illi Act. VIII. 17. & XIX. 6. textus.

Digitized by Google

ARG. V. Sed & formula confirmationis his verbis concepta : *Signo te signo Crucis, confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, Filii & Spiritûs S.* in qua Sacramenti hujus forma collocatur ab Eugenio, prorsus aliena est, tum quia Chrisma hoc externum non est *Chrisma salutis* : tum quia is, qui ungit eo chrismate externo, non ungere potest Spiritu S. quo, ut chrismate Salutis, ungimur à solo Deo, 1. Joh. II. 27. 2. Cor. I. 21. 22. tum quia baptismo auctoramur & juramus tribus testibus, Deo Patri, Filio & Spiritui S. ut necesse non sit novo eo ritu iis nos consecrari, nostrámque adoptionem cum baptismi velut opprobrio obsignari. Ne dicam totam illam Confirmationis formam & ritum anili & anxia superstitione scatere, neque adeò majestatem & gravitatem Evangelii redolere. Et cui bono in eadem Sacramenti forma ponuntur hæc verba : *Signo te signo crucis* ? Etenim cùm crux nec sit *Sacramentum* ipsum, uti disertè asserit Catechismus Romanus *part. 2. cap. I. q. 8.* nec *de essentia Sacramenti*; cùm Chrisma potiùs consecratum sit; juxta Eugenium, ejus materia : nec *res Sacramenti*, quam potiùs gratiam esse sanctificantem & justificantem docet Catechismus Romanus; non video quomodo verba illa crucem significantia possint esse vel forma vel pars essentialis Sacramenti.

RESP. REDING : 1. *Aliud est chrisma salutis formaliter sanctificans, in gratia sanctificante consistens : aliud causaliter seu principaliter sanctificans, quod est Spiritus S. aliud instrumentariè per modum signi practici vel Ministri ex Divina institutione sanctificans, quod est chrisma externum rite ab Episcopo applicatum. Hæc tu pro nequitia vel inscitia tua confundis.* 2. *An verò sic etiam Eucharistia Baptismo probrosa est ? Nam & illum obsignare gratiam justificationis, asseritis. Aliud verò est justificans gratia, aliud robur animæ ad profitendam fidem in Baptismo acceptam. Illam Baptismus, hanc Confirmatio obsignat. Unde hanc Patres Baptismi perfectionem dixerunt. nominatim Melchiades in Epistola ad Episcopos Hispaniæ.* 3. *Formula illa : Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, Filii & Spiritus ; à Concilio Florentino præscripta est congruentissima, quia omnia, quæ ad essentiam rei pertinent ; complectitur, puta tum causam conferentem plenitudinem roboris spiritualis, quæ est S. S. Trinitas : tum robur spirituale, quod chrisma salutis denotat : tum denique signum, quod militi Christiano datur, signum videlicet crucis, in quo Christus triumphavit.* 4. *Anile quicquam in hoc Sacramento contineri, blasphemè statuis.* Ib. pag 127. 128. Resp. 1. Nil vel distinctionis tuæ fucus, vel convitia tua, quæ in sinu tuo meliùs cubant, me terrent. Nihil salutare est, quocunque velis, sensu, nisi Divinitus ad salutem ordinatum. Chrisma verò, seu unguentum ex oleo & balsamo confectum, ne semel quidem in universis Scripturis memoratur. Et quæ de eo ex Patribus affertis, sublæsta planè sunt. Quomodo igitur, ut signum practicum salutare dici potest ? Phaleræ sunt ad populum dementandum : non aliud. 2. Eucharistia, utpote Divinitus, quod pro certo omnibus constat, instituta, Baptismo neutiquam probrosa est. Quin potiùs in hac, non in fictitia confirmatione, spirituale animæ robur obsignatur. Nam in natura, unde vos etiam argumentamini, notum est nos, quibus

quibus nutrimur, iisdem augeri, crescere, & ad ætatem perfectam perduci. Cùm ergo in spiritualibus nos per Eucharistiam nutriri, clarum & confessum sit, per eandem spirituale incrementum & robur habeamus, atque ita ad ætatem perfectam perducamur necesse est. Nihil igitur opus fuit præter Eucharistiam confirmationis mysterium institui. Quinimò confirmatio malè ad augmenti motum comparata est; Eucharistia optimè. Sicut enim in natura non sicut semel generamur; ita semel etiam nutrimur, ut ad ætatis perfectionem veniamus, sed sæpiùs: sic in gratia nos Sacramentum illud, per quod crescimus, & roboramur indies usque ad finem vitæ, sæpiùs sumere decet. quod non confirmationi, utpote semel administratæ, sed Eucharistiæ per totam vitam frequentatæ convenit. Cùm igitur nihil confirmatio obsignet, quod Baptismo & Eucharistia non obsignetur & rei & modi eadem obsignatione, cum probro Sacramenti utriusque eam conjungi, manifestum est. Melchiadis Epistola à te laudata supposititia est, & ejusdem geni, cujus & aliæ multæ ab Isidoro Mercatore collectæ, & ante Seculum nonum Christianis incognitæ. Et sanè confirmationem ceu distinctum Sacramentum dicere Baptismi perfectionem, est Baptismum blasphemare, ceu imperfectum, & novo ab hominibus instituendo sacrificio supplendum. 3. An verò quæ ad essentiam confirmationis pertinent, demum à Concilio Florentino præscribenda fuerunt? Non præscriptam igitur & determinatam esse Scramenti hujus essentiam, non obscurè fateris. Quot etiam circa hanc formulam in Papatu supersint scrupuli, litigantium inprimis, an omnia verba illa sint essentialia; videre est apud Coninck *q.72. art. 4. n.66. &c.* Sunt qui putent, illa verba *signo crucis*: Sunt, qui hæc, *Chrismate salutis*, nixi cum Bellarmino *de Confirmat. cap.*10. antiquo Rituali Romano, in quo non extant, citra Sacramenti detrimentum omitti posse, statuant; Alii, uti ipse Coninck, omnia retineri mordicus volunt; sic tamen, ut ipse fateatur, Patres satis obscurè semper de forma confirmationis locutos esse; nec eam unquam expresiè tradidisse. Et viderit Redingius quoque, qua ratione Græcorum formulam: *Signaculum est doni* (non *donum*, uti tu imperitè. Nam in Euchologiis Græcorum omnibus habetur, *σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου*) *Spiritus S.* in Concilio Florentino non improbatam esse; & formulam diversam ab eodem præscriptam essentialem esse, asserere potuerit. Sicut enim non essentia rei: ita nec essentialia variare possunt. De obsignatione roboris spiritualis jam diximus. Quomodo verò signum materiale crucis de essentia Sacramenti hujus esse, contendere potes? An sic essentialia in Sacramentis signa multiplicanda sunt? Et ubi signi crucis universa Scriptura meminit? Cur denique argumenta mea, quòd crux pars essentialis hujus Sacramenti esse non possit, non diluis? 4. De anilibus fictitii hujus Sacramenti non muto dictum. Annon enim anilis superstitionis plenum est, quòd frons propriè ungenda dicitur: quòd in crucis figuram unguentum ducitur: quòd Episcopus aliquoties super ampullam chrismatis halat: quòd chrisma consecratum ab Episcopo & Presbyteris salutatur his verbis, *Ave Sanctum chrisma*: quòd Episcopus pollice, & non alio digito signat: quòd alapam confirmato infligit: quòd ei fascia frontem obligat? Taceo cœtera ejus generis histrionica. Eóne Christi Majestatem deducemus, ut ista eum pœne puerilia suis post Divinos illos sermones, quos supremæ vitæ terrestris nocte cum illis habuit, tradidisse somniemus?

ARG. VI. Confirmationem inter Papisticam & Baptismi Sacramentum perpetua ferè statuitur antithesis. Etenim confirmatio administratur in

nomine Patris, Filii, & Spiritûs S. perinde ac si non in nomine Patris, Filii & Spiritûs S. jam ante baptizati essemus. Confirmationis externa materia statuitur pretiosum unguentum ex oleo & balsamo concretum. At baptismi externa materia est nudum ac simplex elementum aquæ. *Confirmatus*, ita loquitur Guido de monte Rocherii in manipulo Cantorum *Tract.1.cap.2. tenetur se expressè objicere persecutoribus fidei, & confiteri fidem etiam absque hoc, quòd requiratur.* At baptizatum teneri negant, nisi inquisitio fiat. Baptismum prodesse ajunt ad *innocentiam* baptizati: Confirmationem verò ad *robur & augmentum ad gratiam.* Quasi baptismo non obsignetur nobis gratia Spiritûs S. corroborrans, nec inseramur Christo, nec ungamur in ipso in Prophetas, Sacerdotes & Reges, nec signemur in eo & notemur, ut propria ejus res, hæreditas servanda & curanda. Baptismus juxta illos à quolibet Presbytero & Sacerdote: at confirmatio à solo Episcopo administrari potest. *In duobus*, ita Jesuita Costerus *Augm. Enchir. de Sacram. Conf.* loquitur, *Confirmatio præfertur Baptismo, tum in dignitate Ministri, qui solus est Episcopus, tum in perfectione effectus.*

RESP. REDING: 1. *Quid ais? Nos baptizatos esse in nominibus Patris, Filii & Spiritus S? At Christus baptizare docuit in nomine, non in nominibus Patris, &c. ad significandam unitatem essentiæ.* 2. *Quæ verò inconvenientia, ut qui in nomine Trinitatis mediante Baptismo, gratiam regenerationis accepit, in ejusdem nomine, mediante confirmatione, Spiritus S. robur accipiat: vel, ut pro Baptismo simplex aquæ elementum, pro confirmatione chrisma, quódque ad suum finem & effectum, ordinatum sit?* Ib. pag. 128.129.
Resp. 1. Tuam, Redingi, an nescio cujus satellitis tui, qui argumenta mea describendo pro lubitu inflexit, insignem perfidiam heic incusare debeam, nescio. Tu noveris. Alteruter, vel uterque criminis falsi apertè reus est. Ego enim disertè scripsi, *perinde ac si non in nomine* (falsarius refert, *in nominibus*) *Patris, Filii & Spiritus S. baptizati essemus.* Publicè hæc prostant. Crimine ab uno disce Monachos. 2. Inconveniens equidem non est, ut cui in Baptismo regenerationis gratia obsignata est, eidem confirmatio in eadem per S Trinitatis gratiam obtingat. Sed ut obtingat mediante confirmatione Sacramentali, quæ nulla à Christo instituta est, seu chrismate, ceu Sacramentali signo, cujus nulla in S. literis mentio uspiam est: atque ut nobiliora & signa, & obligatio, & effectus confirmationis Sacramento ab hominibus confícto, quàm S Baptismo Divinitus instituto, tribuantur; id verò conveniens esse vel verbo Dei, vel sanæ rationi, pernegamus.

ARG. VII. Piæ Antiquitati Sacramentum hoc & ritus prorsus incognitus fuit. Et Apostolis quidem incognitum fuisse manifestum est, tum quia altum de eo in scriptis Apostolorum est silentium: tum quia distinctio Episcopi à Presbytero Apostolorum ætate recepta non fuit, adeóque non idem, qui hodie minister esse potuit. Post Apostolos primo & secundo seculo ne unus quidem probatorum authorum ejus meminit. Imò

Justinus

Justinus in altera pro Christianis apologia baptismi ritum fusè exponens, nec unctionis, nec manuum impositionis, nec reliquorum illorum confirmationis rituum ne minimo quidem apice meminit. Primus Tertullianus unctionis meminit conjunctæ cum baptismo, ad ejus solennitatem potiùs, quàm substantiam, uti fatetur ipse Pamelius. Non dissimulat enim Tertullianus, tam ex Apostolica institutione, quàm *pristina disciplina, quâ ungi oleo de cornu in Sacerdotium* solebant, eum mutuo acceptum esse, eo videlicet consilio, ut mysteria simplicissima & proinde à multis fastidita, pompam & ornatum acciperent ad conciliandos hominum animos, iisque eripiendum etiam iniquas sinistrè de rebus Divinis judicandi causas. Paulatim ejusmodi circa baptismum ritus incrementa ceperunt. Sed Chrismatio Pontificia, ex veteri unctionis Judaicæ ritu desumpta, seculo demum XII. circa tempora Arnoldi Bonævallensis, Lombardi, Hugonis de S. Victore deducta & efficta, & postea à Concilio Florentino in Sacramentorum numerum recepta est. Facit huc, quòd etiam antiquissimæ & rituum πατροπαραδότων tenacissimæ Ecclesiæ Orientales ritum hunc ignorent. Ignorant sanè Ecclesiæ Æthiopicæ, testibus Alvarezio Hispano, Monacho & Zago Zaba ipsomet Æthiope, apud Damianum à Goës. Ignorant Habessini, Johanne de Silva & Alphonso Mindesio: Armenii, Guidone Carmelita Monacho: Ecclesiæ Chaldeæ Christianæ longè latèque per orientem sparsæ, Antonio Goueano Monacho Lusitano Augustiniano, testibus. Eandem Indorum Christianorum hæresin fuisse, antequam ad Papæ communionem traducerentur, Jesuitæ queruntur. Denique etiam Græcis tum vetustioribus, tum recentioribus incognitum fuisse, demonstratum est à nostris. Cæterùm argumentum illud ab antiquitate ecclesiastica petitum fusè & eruditissimè persecutus est Cl. Dalleus *De duobus Latinorum ex unctione Sacramentis.*

RESP. REDING: 1. *Ex primo & secundo seculo Clementem R. & Dionysium Areopagitam sistimus. 2. Justinus Apol. 2. pro Christi unguento sacro nos consignari scribit. 3. Tertulliani ætate Origenes homil. 8. in Levit. unctionem sacram præter baptisma adhiberi, atque eodem plenitudinem Spiritus concedi, asserit. Et Novatum defectu ejus signaculi Spiritum S. non accepisse, Eusebius Hist. Eccl. lib. VI. 33. narrat. Tertullianus quoque de Bapt. cap. 8 manuum impositionis à Baptismo distinctæ meminit. Et ante Seculum duodecimum Cyrillus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Chrysostomus, alii impositionis manuum, & dati per eundem Spiritus S. meminerunt. 4. Ante Florentinum Concilium Sacramentum isthoc Elibertinum, Arelatense I. & II. ne de Romanis Pontificibus, Clemente, Fabiano, Cornelio, Eusebio, Melchiade, Innocentio I. dicam, agnoverunt. 5. Ecclesiæ Orientales schismaticæ hunc ritum ignorant; sed non orthodoxæ. uti ex Conciliis Niceno I. Laodicensi, Constantinopolitano I. liquet. Quin etiam post schisma in Ecclesia Græca sacrum*

istum

istum inungendi ritum mansisse, Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus testis est. Ib. pag. 129-132. Resp. 1. De Clemente R. & Dionysio Areopagita infra. Nunc satis habemus dicere, supposititia illorum scripta ad posteriora tempora, non ad Apostolica pertinere. 2. Primus omnino ex omnibus veris antiquitatis monumentis Tertullianus in Opere de Baptismo hujus unctionis ritus meminit. *Exinde*, inquit, *egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium solebant: ex quo Aaron à Mose unctus est. Unde Christus dicitur à chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritualis, quia à Spiritu unctus est à Deo Patre. Sic & in nobis carnaliter currit unctio; sed spiritualiter proficit. Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum S. &c.* Unde liquet, ejus ætate, hoc est, circa initia Seculi tertii apud Afros Christianos, Carthaginenses maximè, solenne fuisse, ut qui Baptismi Sacramento initiabantur, ii sacro lavacro egressi ungerentur, indéque manus iis imponerentur. Et eundem alibi quoque usum obtinuisse, haud equidem inficias ivero. Unctionem tamen eam & impositionem manuum à Tertulliano memoratam nihil cum Sacramento confirmationis Pontificio commune habuisse, constat planè, tum quia balsamum, quod Romani in chrismate suo necessarium decernunt, nullum apud Tertullianum olet: tum quia ejusdem unctio *de pristina disciplina*, id est, Mosaica, esse dicitur, cùm chrismatio Latinorum de Christi disciplina esse fingatur: tum quia quæ apud Tertullianum extat manus impositio, ab unctione distincta, ea apud Romanos deest: tum quia formæ Pontificiæ Confirmationis mentio in verbis Tertulliani prorsus nulla est: tum quia unctionem illam & manuum impositionem suam tantùm non baptismalibus aquis immergit, certè continenter, nullo imposito spatio, Baptismo annectit, cùm Romani unctionem suam in peculiare ac proprium sui nominis Sacramentum effingant, neque in baptismo, neque post baptismum statim, imò ante Eucharistiam participandum, ac ne quidem post eam necessariò, statuant: tum denique, quia & liber ille *de Baptismo*, non de alio præterea Sacramento quopiam inscribitur; & author non alia se, quàm quæ ad Baptismum pertinent, enarrasse, sic profitetur: *Diximus, quantum mediocritati nostræ licuit, de universis, quæ Baptismi religionem struunt.* Ergo & unctionem, & manuum impositionem, ut partem, vel appendicem Baptismi narravit. Origenis *homil. 8. in Levit.* (qui liber suspectæ fidei est) hæc verba sunt: *Donum gratiæ Spiritus per olei imaginem designatur, ut non solùm purgationem consequi possit is, qui convertitur à peccato, sed & Spiritu S. repleri, quo & recipere priorem stolam, & annulum possit, & per omnia reconciliatus patri in locum filii reparari.* Olei meminit, non balsami: & Spiritum non per *oleum* illud dari ait, sed per *ejus imaginem designari*, quod planè convenit ceremoniis & ritibus iis, qui vulgò à Pontificiis *Sacramentalia* dicuntur. Sequente homilia idem author dicit, *quicunque uncti essent*, (ea scilicet baptismali unctione, de qua Tertullianum loquentem vidimus) *eos Sacerdotes mysticos effectos esse*; quia nemo sic ungebatur, quia baptismo tinctus esset, quo Sacerdotalis dignitas nobis confertur. Hanc verò unctionem proprium à Baptismo distinctum Sacramentum esse, non dixit Origenes; imò ne hoc quidem, per unctionem illam Sacerdotium nobis conferri. De Novatiano Cornelius Romanus Episcopus apud Eusebium *Hist. Eccles. lib. VI. 41.* narrat, eum baptizatum quidem, non tamen accepisse τὰ λοιπὰ, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, *reliqua, quibus post baptismum secundum Ecclesiæ Canonem imbui oportuerat*; neque etiam τὸ σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου, *obsignationem ab Episcopo.* Addit: Τούτου δὲ μὴ

τυχὼν,

Digitized by Google

τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε. *Quo nentiquam potitus, quomodo quæso Spiritum S. adeptus est?* Sed quid erant τὰ λοιπὰ *cætera illa?* Baptismales ceremoniæ, tinctionem insequi solitæ. veluti lactis & mellis prægustatio, aliáque ejusmodi. quibus cùm hic à Cornelio accenseatur τὸ σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου, *obsignari ab Episcopo*, non modò non hinc conficitur, obsignationem istam, quæcunque tandem illa fuerit, fuisse verum ac propriè dictum Sacramentum; sed contra conficitur, eam non veri nominis Sacramentum, sed ceremoniam baptismalem fuisse ejusdem cum illis *cæteris* census, quæ Cornelius non expressit. Idem hinc quoque colligitur, quòd istorum observationem non ad Christi mandatum, aut Evangelii præceptum, aut Apostolorum traditionem, sed κανόνα τῆς ἐκκλησίας *regulas Ecclesiasticas* refert. Baptismi nempe administrationem, ut esset augustior, istis velut appendicibus Ecclesia exornavit. Accedit, quòd Fabianus Episcopus, eodem Eusebio teste, Novatianum hunc in presbyterum consecravit, impertiturus ei haud dubiè etiam confirmationis Sacramentum, si pro tali tum habitum esset, eóque Novatianus caruisset. Ergo σφραγισμὸς obsignatio illa, qua caruit Novatianus, erat ipsa *unctio* baptismalis, quam sequebatur impositio manuum per Episcopum. Quòd verò deficiente hac non accepisse Spiritum S. hominem illum, Cornelius conclusit, præposterum certè judicavit Fabianus, Cornelii antecessor, qui deficiente etiam obsignatione illa in presbyterum eum consecravit. non facturus, si in ipso baptismo Spiritum S. non accepisse eum, judicasset. Quanquam vel in Baptismo, vel extra eum, Spiritus S. participem eum redditum esse, non asserimus. Par reliquorum Patrum à te citatorum ratio est. Cyrillus in mystagogia catechesi tertia de confirmatione agit, sed non ut Sacramento distincto, verùm ut ceremonia baptismali, adeóque initiationis parte rituali, juxta sententiam communem Græcorum veterum. Quomodo etiam ante baptismum idem meminit *unctionis*, qua ἀποδύθεντες ἠλείφεσθε ἐλαίῳ ἀπ᾽ ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω, *exuti oleo à summis capillis ad infima usque perunguntur.* quam unctionem propriè dictum Sacramentum fuisse quis dixerit? Imò quo loco chrismationem illam Cyrillus habuerit, ipse his verbis, quibus orationem suam exorditur, innuit: *In Christum baptizati, & Christo induti, conformes facti estis Filio Dei. Non enim nos, quos prædestinavit in adoptionem filiorum, conformes fecit corpori gloriæ Christi. Participes ergo Christi effecti, meritò Christi* (id est, uncti) *vocamini, & Deus dixit de vobis*: Nolite tangere unctos meos. *Christi verò facti estis, cùm S. Spiritus antitypum,* (id est, figuram) *suscepistis.* Quicquid ergo isti acceperunt, uno vocabulo Cyrillus complectitur, dum eos βαπτισμένους *baptizatos esse*, dicit. Ergo & chrismatio, quam eos accepisse dicit, ei pars Baptismi est. Quin & omne quod per chrismationem sive factum, sive significatum fuerat, uni Baptismo deputat, dum dicit, istos, quòd baptizati essent, & Christum induissent, *conformes factos fuisse Filio Dei, ejúsque participes, & Christos* denique. Sicut ergo Baptismi, non ullius alterius Sacramenti est, quòd *Christum induimus*, quòd *ei conformes, participésque* reddimur, ita & Baptismi esse necessariò ex Cyrillo fatendum est, quòd *Christi*, id est, *uncti* sumus. *Christos* autem nos *esse, & vocari*, ad chrismationem, ut & res ipsa, & Cyrillus docent, refertur. Ergo & chrismatio Baptismi est. Alia ejusdem rei argumenta clarissima ex Cyrillo depromi possunt. Sic quoque Gregorius Nazianzenus: sic Chrysostomus: sic Græci alii, qui unctionem memorant, sed Baptismi ceremoniam, non Sacramentum à Baptismo distinctum. 4. De Conciliis & vetustioribus Pontificibus Romanis parcè quæso. Nil tale somniarunt unquam. Concilium Elliberitanum *Can.* 38. Baptizatis manus ab Episcopo imponi, atque sic Baptismum

Digitized by Google

perfici, hoc est, ultimam ei manum imponi jubet. Concilii Arelatensis I. canone 8. hæretici ad Ecclesiam venientes interrogari jubentur de symbolo; *& si* (inquit) *perviderint, in Patre, & Filio & Spiritu S. eos baptizatos, manus eis tantùm imponatur, ut accipiant Spiritum S.* Notum est, in recipiendis hæreticis non eosdem Ecclesiarum omnium mores fuisse. Quosdam constat non receptos nisi per Baptismum, eos videlicet, qui alienam Baptismi in Trinitate invocanda formulam haberent. In reliquis Baptismus quidem nullo modo iteratus est, sed ritus tantùm additi sunt solennes. Græci ad eam solennitatem usi sunt unctione: Latini manuum impositione. Ita Cyprianus *Epist.* 72. parùm esse dixit manum hæreticis imponere ad accipiendum Spiritum S. nisi accipiant & Ecclesiæ Baptismum. Sed nihil hoc ad confirmationem, verùm ad pœnitentiam, per quam Ecclesiæ reconciliati sunt. Neque obstat, quòd impositione manuum Spiritum dari, Arelatenses dicunt, quia Augustinus *de Bapt. lib. III.* 16. per impositionem dari notat eundem Spiritum, cùm tamen, teste Bellarmino *de Confirm. cap. 7.* non de confirmatione, sed de reconciliatione pœnitentium agat. Romanorum Pontificum veterum, quæ allegas, testimonia, supposititia omnia sunt, atque νοθεία à vestris doctissimis quibusque postulantur. Iis igitur excutiendis si vacare liberet, oleum operámque perderemus. 5. Græcis & veteribus & recentioribus non aliud chrismatio est, quàm baptismalis ceremonia. De veteribus supra vidimus. In Euchologio Græcorum *pag. 350. &c.* tum precatio ad chrismationem, tum ipsa chrismatio ad ἀκολουθίαν τοῦ ἁγίου βαπτίσματος *Consequentiam*, sive *Ordinem Sancti Baptismi* refertur. μετὰ τὴν εὐχὴν, inquit, χρίει τὸν βαπτισθέντα τῷ ἁγίῳ μύρῳ ποιῶν σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, &c. λέγων. Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Ἀμήν. *Post orationem baptizatum sancto unguento ungit, crucis signum faciens in fronte & oculis, & naribus, & utraque aure, & pectore, & manibus, & pedibus, dicens: Signaculum doni Spiritus S. Amen.* Possem id ipsum aliorum etiam recentiorum, velut Simeonis Thessalonicensis, Harmenopuli, Pachymeris, aliorum testimoniis astruere. Neque aliud Jeremias Constantinopolitanus testificatur. Frustra denique Concilia generalia appellas. Nam Niceno Concilio tributi canones 31. & 55. & spurii sunt, & una cum Laodiceno ac Constantinopolitano Concilio non Confirmationem Sacramentalem, sed unctionem hæreticorum pœnitentium, Ecclesiæ reconciliandorum, commendant.

ARG. VIII. Denique adversariorum circa hoc Saramentum inconstantia & multiplex dissensus, quem superiùs non uno loco attigimus, quémque etiam Dalleus l. c. cap. 3 meritò traducit, dogma Synodi meritò suspectum bonis omnibus reddit, vel eo etiam nomine, quòd dissentientes de authore hujus imprimis Sacramenti, & essentiali ritu, externáque materia opiniones clara definitione dirimere Synodus non sustinuit.

RESP. REDINO: *Atqui Tridentina Synodus can. 1. de Sacram. in gen. omnia Sacramenta, adeòque etiam Confirmationem, à Christo instituta esse, definivit: & sic definiendo, quòd Confirmatio sit Sacramentum, de eo loquebatur ritu, cujus per Florentinum Concilium definita est materia externa, chrisma scilicet per unctionem frontis ab Episcopo applicandum.* Ibid. pag. 132. Resp. Intestina ulcera vestra superiùs abunde denudavi. Cùm de authore hujus Sacramenti gravis conflictus Theologos vestros ante Concilium exercuerit, aliis, Alexandro Alensi præsultore, Meldensi, aliis Aurelianensi Concilio institutionem ejus

ejus acceptam referentibus, claris verbis Tridentini litem dirimere debuerunt. Non obstante enim generali definitione, quòd Sacramenta N. Test. à Christo instituta sint, veterum si qui sectari opinionem contrariam voluerint, latebras reperient facilè. Quin & Confirmationem Sacramentum esse, definiens, materiam ejus simul definivisse censeri nequit, quia nec ad Florentini Concilii decretum digitum uspiam intendit, nec claris verbis essentialem ritum determinat. Atque ejus rei vel hoc argumentum est, quòd veteres Canonistæ & Theologi, de materia Confirmationis disceptantes licet, utrinque tamen Sacramentum esse pertenderunt.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Sacra Scriptura Confirmationis hujus tum promissionem, tum visibile signum, tum mandatum proponit. Promissionem quidem Luc XXIV. 49. Johan. XIV. 13. XV. 16. XVI. 23. 24. ubi promittit Christus Spiritum S. Signum verò visibile, nimirum impositionem manuum, Act. VIII. 17. 18. 19. & XIX. 4. 5. Denique mandatum, uti colligitur ex ejus executione. Neque enim Apostoli manus imposuissent, nisi id à Christo mandatum esset.* Resp. 1. Quid verò hæc omnia ad confirmationem non quamlibet, sed Papisticam, hoc est, *unctionem hominis viatoris factam in fronte, in figura crucis cum chrismate sanctificato?* Impositio manuum iis locis memoratur, neutiquam verò chrisma, seu oleum balsamatum. Nisi fortè vel chrisma, vel alapa, quam Episcopus infligit confirmando, idem est, quod impositio manuum. Quid est in rebus fidei mutare quadrata rotundis, & διὰ αἰνὸς ἕλκειν, si hoc non est? Nam quòd Bellarminus aliique nugantur, *ipsam extensionem manûs Episcopi erga confirmandos, cùm orat, nec non signationem & unctionem, cùm manu fiat, rectè impositionem manuum appellari*, frivolum est. Quippe super aliquem extendere manus, non est manus ei imponere. Neque vel unctionem vel signationem manuum impositionis nomine quisquam sanus venditaverit, cùm *manuum impositio*, & divino & ecclesiastico sermone, sit certus ac definitus actus, quo expansa super alicujus capite manus ita statuitur, ut in ejus vertice recumbat. Unde eam Græci χειροθεσίαν, Hebræi סמיכת ידים à סמך, quod *inniti, fulcire, conjungere*, significat, appellant. Quid quòd Episcopus eum, quem ungit, non tota manu, sed uno pollice contrectat? 2. Christus sanè promisit Spiritum S. & reapse etiam præstitit. Sed non quælibet promissio, verum juncta, & specialiter in V. Dei applicata ordinariis & perpetuis signis, ad Sacramenti proprii rationem requiritur. Aliàs quanta erit Sacramentorum seges? 3. Spiritus S. equidem bis, non semper tamen χειροθεσίας signo, præstitus est; puta non ordinaria ejus gratia, sed visibilis & extraordinaria ejus effusio. Et illa ipsa promissio evidentissimè die Pentecostes, non impositionis manuum, sed ignearum linguarum signo mediante impleta est, qualis non ampliùs in Ecclesia obtingit. 4. Annon verò Spi-

ritus S. jam in ipſo baptiſmo & euchariſtia, ejúsque legitimo uſu exhibetur & obſignatur? Ubicunque autem Spiritus S. eſt, ibi utique etiam confirmat. In euchariſtia cumprimis ſub Symbolo cibi nutrientis & confirmantis ſpecialiter obſignatur & exhibetur. 5. Impoſitio manuum liberè uſurpata eſt ab Apoſtolis, ut baptizati acciperent extraordinaria Spiritûs S. dona, adeóque Evangelium confirmaretur, Hebr. II. 3. 4. donec in publica omnium notitia eſſet ita munitum & confirmatum, ut nemo niſi præfractus & impudens ejus divinitatem in dubium vocare poſſit. Nobis verò ſufficit, quòd omnes accipimus ſpiritum filiationis per fidem, Gal. III. 14. IV. 6.

EXCIP. REDING: *1. Promiſſio conferendi Spiritus S. fideles univerſos, adeóque perpetuò, concernit. Et ex inſtitutione Chriſti ordinario ac perpetuo ſigno viſibili impoſitioni manuum, ſeu unctioni, in qua ipſe manus conjunctionem, ex uſu Græci & Hebraici idiomatis, ipſemet fateris, annexam eam eſſe, ex Act. VIII. 17. 18. 19. & XIX. 6. liquet. 2. Impoſitio manuum ſignum equidem eſt ordinarium Spiritus S. ejúſque gratiæ corroborativæ; licet Apoſtolorum tempore ei conjuncta fuerit ſignificatio extraordinaria donorum Spiritus S. temporalium. uti S. Auguſtinus tract. 6. in Epiſt. S. Joh. docet. 3. Si per Baptiſmum jam datus eſt Spiritus S. confirmans, cui bono ergo Euchariſtia? Spiritus S. in ſe quidem ſimpliciſſimus, variè tamen quoad diverſa ejus dona communicatur; in Baptiſmo mediante gratia regenerativa ad remiſſionem peccatorum; in Euchariſtia mediante nutritiva ad amoroſam charitatis cum eo unionem: in Confirmatione mediante augmentativa ad fortem fidei profeſſionem. uti jam olim Melchiades Epiſt. ad Epiſcopos Hiſp. expreſſit.* Ib. pag. 132. 133. Reſp. 1. Promiſſio Spiritus S. communia electorum dona impertientis perpetua ſanè eſt. Non talem verò eſſe eam, quæ per manuum impoſitionem primitus obtigit, probare, non nudè aſſerere debuiſti. Ego ſupra contrarium argumentis omni exceptione majoribus probavi. Et qua fretus ratione tum impoſitionem manuum ſignum ordinarium inſtitutum eſſe à Chriſto aſſeris, tum eandem cum unctione confundis? Etenim qui ungit, frontem hominis pollice contingit, non manum totam capiti ſic imponit, ut in eo aliquandiu ſuſtentata quieſcat. quem proprium *χειροθεσίας* ritum eſſe, probavi. tu verò negare non potuiſti. Ubi verò unctionem סמיכת ידים *conjunctionem* eſſe *manus*, capiti innitentis, ego dixi? Mentiri tibi ludus eſt. 2. Cui bono Euchariſtiæ Sacramentum Baptiſmo Chriſtus junxerit, ſupra abunde explicavimus. Spiritum S. in Baptiſmo dari, negare non potes. Ibi ergo Spiritus S. regenerantis: in Euchariſtia ſignis nutrientibus & augmentantibus ejuſdem augmentantis & corroborantis gratia obſignatur. Quid ergo confirmationi Sacramentali relinquitur? Accedit Euchariſtia, inſtituta ad animum roborandum, ſicut panis cor hominis confortat. Pſeudo-Melchiades, perſonatus Seculi noni teſtis, nobis *ἐν οὐδενὶ ἀριθμῷ ἐν.*

OBJECT. II. *Paulus 1. Cor. I. 21. Sacramentum confirmationis deſcribit his verbis*: Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus in cordibus noſtris. *Ubi verbum*; confirmat, *proprium eſt hujus Sacramenti, in quo robur datur. Deinde*, unxit nos, *refertur vel ad externam unctio-*

unctionem, vel ad internam, facta ad externam allusione. Illud autem, signavit nos, *referri potest tum ad internam obsignationem per characterem, tum ad externum signaculum crucis, quod in hoc Sacramento in fronte imprimitur. Denique illud,* dedit pignus Spiritus in cordibus nostris, *designat effectum principalem hujus Sacramenti, qui est donum charitatis.* Resp. 1. Sic videlicet Bellarminus verba ista ad ritum Pontificium detorquet. Sed tum demum de eo explicari posse verba Pauli fatebimur, cùm liquidò demonstraverit, Paulo, vel aliis scriptoribus sacris, notam esse confirmationem, unctionem, characterem ejusmodi Papisticum. Absque hoc est, dogma dubium, imò falsum, terminis dubiis & impropriis nobis probari non patimur. 2. Verborum Apostoli genuinus sensus est, Deum nos unire Christo per fidem, & quidem, ut nos in eum *firmet*: Simúlque nos *unxisse*, quando nos fecit esse in Christo, Regésque ac Sacerdotes effecit: Atque sibi *signâsse* & notâsse, ut propriam rem, & hæreditatem servandam ac curandam: Et ad spem nostram spiritum nobis dedisse pro *arrhabone*. Nempe dum fidem accipimus, Spiritum accipimus, cujus donum est fides, qui firmat, ungit, signat, & pignoris usum præstat. Quod igitur Deus dat, hoc homo dicere non potest se dare; & quod Baptismo jam obsignatum est, hoc temerè alio Sacramento obsignatur, quasi videlicet per baptismum obsignatum non esset.

EXCEP. REDING: *Paulo confirmationem notam fuisse, supra ex Act. XIX. 6. probavimus. Ei confirmationis seu manuum impositionis ritus hæc quoque Apostoli verba accommodamus, vel eo etiam argumento, quòd mediante manuum impositione Spiritus S. datur est.* Ib. p. 134. Resp. Nos quoque impositionem manuum à confirmationis Sacramento vestro immane quantum distare, probavimus. Spongiæ igitur tota responsio tua incumbit.

OBJECT. III. *Johannes 1. Ep. II. docet, fideles accepisse unctionem in ipsis permanentem, quæ eos doceat de omnibus. Ubi unctio notat Spiritum S. quo in Domino inuncti sumus, hoc ipso videlicet in Sacramento confirmationis, uti plerique Patres interpretantur.* Resp. Unde verò probabunt adversarii, unctionem intelligi chrismaticam, qualem in confirmatione sua illi adhibent, & non potius unctionem spiritualem, alludentem ad unctionem V. T. qualis etiam fuit unctio ipsius Christi, quem tamen Scholastici omnes negant Sacramentum confirmationis suscepisse. Patres equidem nonnulli ejusmodi loca ad ritus sua ætate ex humano instituto susceptos & usitatos accommodârunt. Neque tamen vel ipsi in ea opinione fuerunt, ritus eos sacris illis, quorum textus accommodârunt, scriptoribus cognitos, usurpatos vel intentos fuisse: vel ex eorum testimonio cognitos & usurpatos fuisse probari potest.

Digitized by Google

EXCIP. REDING: *Fateris ergo, ejusmodi sacros textus à Patribus quandoque adhibitos fuisse ad ritus ætate sua usitatos, qua unctionis spiritualis practicè significativos.* Ib. p. 135. Resp. A nonnullis Patribus ad ritus, sed sua ætate ex humano instituto susceptos accommodari, fateor. Cœtera tua sunt. Nam ne Sacramentalem quidem Confirmationis ritum à meliore Patrum ætate susceptum, concedo. Accommodantes ejusmodi loca testantur sanè, chrisma suo Seculo in usu sacro fuisse, quod nemo negat. Sed vel chrisma in usu fuisse Scriptoris sacri tempore; vel hujus mentem eò respexisse, dum illa literis mandaret, quæ istuc Patres referunt, oppidò falsum est. Verbi gratia, quis Davidem, cùm illa Psal. CXXXIII. 2. scriberet: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron*; vel Paulum dicentem Rom. V. 5. *charitatem Dei effusam esse in cordibus nostris per Spiritum S.* putet in animo habuisse externum istorum chrisma? Ista sanè nullus Augustinus, Ambrosius nullus, licet ad unctionem tum usitatam loca ejusmodi accommodaverint, ita intelligenda esse persuaserint. Quid verò multis? Unctionem S. Johannes *manere in nobis*, & *docere nos de omnibus* asserit. An hoc oleo balsamato, fronti neophytorum illito, quod statim defluit, adeóque nec *manet*, nec *docet*, congruit?

OBIECT. IV. *In baptismo quidem recipimus esse spirituale. At præter illud requiritur etiam robur & augmentum spirituale, quò expeditiùs & fortiùs spiritualibus tyrannis resistamus. Hoc autem confertur in Sacramento confirmationis.* Resp. Respondemus Verbis Alexandri Alensis, p. 4. q. 9. a. 2. 5. 2. *Ad hoc*, inquit, *quòd roboretur gratia baptismatis, & progrediatur ad terminum suæ perfectionis, non necessariò requiritur gratia confirmationis Sacramentalis. Ipsa enim gratia baptismatis adminiculo virtutis indeficientis, id est, divina, quantum est de se, sufficit aliquo modo ad sui ipsius roborationem & confortationem.* Et sanè cùm in baptismo obsignetur nobis regeneratio facta per Spiritum S. & Spiritus S. otiosus non sit, sed potiùs ubique negotiosus, adeóque confirmans & corroborans, quid opus est, non præeunte Dei verbo, novum Sacramentum comminisci? Adde, quòd etiam eucharistia instituatur ad animam roborandam, convenienter sanè symbolis panis & vini, quo utroque cor hominis confortatur. Neque verò capax est homo baptizatus alius corroborationis, quàm illius, quam accepit in prima regeneratione, antequam capax etiam sit eucharistiæ. Quod meritò etiam urget S. Cyprianus Epist. 54.

EXCIP. REDING: 1. *Si Spiritu S. corroborante & confirmante per Baptisma jam accepto, Eucharistiæ insuper eadem ad conferendum animæ robur vis inest, cur sub alia mensura eam Confirmationi demis?* 2. *Aliud est roborari, & ad perfectionis terminum progredi, ad quod Alensis gratiam confirmationis non necessariò requiri asseruit: & ad quod aliquo modo Baptismi gratia sufficit: aliud expeditiùs & faciliùs tyrannis spiritualibus resistere, quod Confirmatio præstat.* 3. *Cyprianus lib. I. Epist. ult. disertè scribit, necesse esse ungi eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit.* Et *lib. II. Epist. 1. demum planè sanctificari hominem, & esse*

Digitized by Google

& esse Filium Dei posse docet, si Sacramento utroque, Baptismo & impositione manuum nascatur. Quin etiam Epist. ad Jubajan. baptizatos per Præpositos Ecclesiæ offerri, & per orationem ac manus impositionem Spiritum S. consequi, atque sic signaculo Dominico consummari, scribis. Ib. pag.135. Resp.1. De Eucharistia plusquàm satis supra diximus. Insuper confirmationem æquè ac Eucharistiam à Christo institutam esse, temerè supponis. 2. Alensi non eadem quæ tibi, mens fuit. Ille gratiam confirmationis necessariò requiri ad hoc, ut gratia baptismalis ad terminum suæ perfectionis progrediatur, negat. Tu asseris, quia sine ea tyrannis spiritualibus expeditè & facilè resisti nequeat. Jam ergo confirmatio non ipsum robur spirituale, sed promptitudinem robore isto utendi suppeditat. Quasi Spiritus S. semel collatus robustos, & sine chrismate vestro expeditos facere nequeat. Putida hæc figmenta tua sunt, ne teruncio quidem digna. Quasi fideles baptizati & Spiritu S jam præditi, bovis instar inertis robur, at non agilitatem & zelum ab eodem Spiritu accipiant. Exaltatio gratiæ confirmationis in ordine ad robur spirituale, vel ejusdem exercitium, supra gratiam Baptismi non tantùm impia est, sed in vobis etiam statuentibus, in Baptismo omnem peccati pœnam, adeóque infirmitatem etiam tolli, ridicula. 3. Cypriano neutiquam opinioni tuæ propitio uteris. Is pugnans, non esse unum Baptismum, qui ab hæreticis confertur, (qui ejus, & Afrorum, aliorúmque plurium illustrium virorum error fuit) postquam datam ab hæreticis aquam eam peccata mundare non posse pluribus ex Scripturis ostendere conatus est, ex unctione etiam & manus impositione *Epist.71. ad Jan.* argumentum struit. Cœterùm æquè ac Græci & Latini reliqui veteres, unctionem illam & manus impositionem non proprium, per se, ac seorsim Sacramentum, sed Baptismi Cerimoniam, ejúsque appendicem eum fecisse, vel solus quæstionis, quam agitat, titulus argumento est. Non enim *de unctione*, vel *manus impositione*, sed de Baptismo solo cum Stephano Romæ Episcopo litigavit. Et totius disputationis progressus arguit, & unctionem & manuum impositionem ad Baptismum ab eo referri. Olei etiam solius, non balsami uspiam meminit. Epistola 72. ad Stephanum urbis Episcopum de hæreticorum quoque Baptismo conscripta *parum esse* ait venientibus ab hæreticis *manus imponere, ad accipiendum Spiritum S. nisi & Baptismum Ecclesiæ accipiant. Tunc enim plenè sanctificari, & esse filios Dei posse, si Sacramento utroque nascantur, cùm scriptum sit: Nisi quis ex aqua & spiritu renatus fuerit, &c.* Cujus loci genuinum sensum Nemesianus à Thabanis Episcopus in Synodo Carthaginensi sic exposuit: *Neque Spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine spiritu. Malè ergo quidam sibi interpretantur, ut dicant, quòd per manus impositionem Spiritum S. accipiant, & sic recipiantur, cùm manifestum sit, utroque Sacramento nos in Ecclesia Catholica renasci debere. Tum quippe poterunt esse Filii Dei.* Si quod igitur Cyprianus & Nemesianus præter Baptismum & Eucharistiam Sacramentum receperunt, non chrismationem, sed manuum impositionem receperunt. Nam primis Seculis diversos fuisse chrismationis & manuum impositionis ritus, ipse Aurelius *Orthod. pag.563.* fatetur. Agnoscitque ex his Cypriani ac Nemesiani dictis Sirmondus *Antirrhet.2. cap.6.* eandem ab iis commemoratam manus impositionem esse cum illa, qua neophyti consecrabantur. Qua autem illi hæreticos ad Ecclesiam venientes à Stephano susceptos narrant, eam Aurelius, aliíque non Sacramentum, sed cerimoniam Baptismi fuisse concedunt. Ergo neophytorum quoque manus impositio ejusdem generis ac census fuit. Quid verò multis? *Sacramento utroque Filios Dei nasci*, Cyprianus dixit. An vestro confirmationis Sacramento filios Dei *nasci* vos dicitis? Imò verò

Digitized by Google

rò jam natos in fide confirmari fingitis. Ergo nihil hæc ad commentitium Sacramentum vestrum. Cúmque aquam sine spiritu, & Spiritum sine aqua nihil operari, Nemesius dixerit, manifestum est, ad Confirmationis Sacramentum vestrum hæc nihil attinere, quia in eo Spiritum sine aqua operari conceditis. Quid ergo? Manuum impositionem, ceremoniam licet Baptismi, *Sacramentum* tamen Cyprianus dixit, quia quoties in uno eodémque mysterio plures sunt partes à se invicem discretæ, sed in unius tamen Sacramenti propriè dicti naturam coëuntes, mos Patrum est, non totum modò ex istis conflatum mysterium, sed etiam singulas ejus partes Sacramenti nomine insignire. Ita *corporis & sanguinis Dominici Sacramenta* Theodulphus Episcopus Aurelianensis, Concilium Cabilonense, ipse Ordo Romanus, aliíque appellant. Denique Epistola ad Jubajanum. (cujus authoritate quàm tutò nitaris, ipse videris, cùm in ea Cyprianus contra Romanum Episcopum disputet) nec per *Præpositos Ecclesiæ* Episcopos solos intelligit, sed Presbyteros quoque, quos alibi quoque Præpositos appellat: & quos communi cum Episcopis ministerio & consilio Ecclesiam rexisse, omnes Cypriani literæ loquuntur, uti fusè etiam Blondellus *Apol. pro Hieron. Sect. 2. testim. 16.* ostendit: & *per manus impositionem Spiritum S. baptizatos consequi*, ait, non quòd per baptismum ipsum Spiritus S. participes non fiant, (quomodo enim sine eo regenerantur?) sed quòd precibus & manuum impositione extraordinaria ejus dona primis temporibus, vel fortè donorum ordinariorum incrementa quædam auctiorémque mensuram conferri crederent: denique *signaculo Dominico eos consummari* scribens, eodem Spiritu S. baptizatos obsignari, ex Ephes. I. 13. & IV. 30. innuit; atque hac in obsignatione totius Baptismi coronidem constituit.

OBIECT. V. *Chrismatis in hoc Sacramento disertè meminit Dionysius Areopagita* de Ecclesf. Hierarch. cap. 2. 3. parte 3. *Unctionis verò, impositionis manuum, & signi crucis, Tertullianus* lib. de resurrect. carnis, de præscript. & de baptismo. *Sed & Augustinus* lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. *disertè ait, Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum, Sacramentum esse, sicut ipse baptismus.* Resp. 1. Sacramentum propriè dictum facit Divina institutio, non vel Ecclesiæ, vel Patrum authoritas. 2. Opera Dionysii nomen præferentia falsa & spuria esse, jampridem ex ipsis adversariis olfecerunt Valla, Erasmus, Cajetanus. Sanè quinque prioribus seculis planè fuisse incognitum scriptum, peculiari Tractatu solidè demonstravit Cl. Dalleus. Ne dicam, jam olim Hypatium Cathol. cum contra Acephalos iis scriptis abutentes, ea velut dubia & incerta refutâsse. Tum Dionysius ille meminit equidem unguenti, & unctionis eorum, qui baptizantur, & unctionis Altaris & symbolicæ confectionis unguenti, & τῆς μύρου συμβολικῆς συνθέσεως, & vocat unguenti Sacramentum μύρου τελετήν. Denique distinguit duas unctiones, unam ex oleo, alteram ex unguento, illam ante, hanc post tinctionem. Sed utramque illam unctionem facit baptismalem ritum, & signum, quo veteres baptismum illustrârunt. 3. De Tertulliano vidimus jam supra. Eam nempe intelligit unctionem

Digitized by Google

nem baptiſmalem, fatente ipſo Pamelio *in cap. 7. de Baptiſ. num.* 48. non quæ uſurpatur hodie in confirmatione, ſed quæ accenſebatur illis ceremoniis, quæ non ad ſubſtantiam Sacramenti baptiſmi pertinent, ſed ad ejuſdem ſolennitatem Eccleſiaſtica conſuetudine adhibebantur. 4. Eodem modo Auguſtinus deſcribit *Chriſma*, tanquam ritum & ceremonialem partem baptiſmi, quam nomine *Sacramenti* notione latiori inſignivit. Hunc fuiſſe Patrum illorum ſenſum poſt Forbeſium *Inſtruct. Hiſt. Theol. lib. IX. 4.* Chamierum *de Sacram. N. Teſt. lib. IV. cap.* 11. fusè demonſtravit Cl. Dalleus *de Confirm. lib. 2. c. 4. 15. & 24.*

EXCIP. REDINO: *1. Quæ ſub Dionyſii nomine circumferuntur, veros ac proprios ejuſdem fœtus eſſe, Concilium Conſtantinopolitanum III. agnovit: & probarunt Athanaſius Bibliothecarius, Scotus, Saracenus, Ficinus, aliique doctiſſimi viri. 2. Dicit autem Dionyſius ille, Sacrum illud unguentum facere Divinos; per ſacram unctionem illam à Divino Pontifice ſuſceptam initiatos ad ſacra certamina in figura evocari: eique, qui ſanctiſſimo Divini ortus ſacro initiatus eſt, Divini Spiritus adventum dare unguenti perfuſionem. Quid diſertius? 3 Auguſtinus chriſma æquè Sacramentum eſſe, ac ipſum Baptiſmum; neque diſcrepare ab impoſitione manuum, qua Apoſtoli donum linguarum conferebant, quoad efficaciam dandi Spiritum S. docet.* Ib. p. 136. Reſp. 1. Odi tuam *ἰχνεογνωμοσύνην.* Si vel micam eruditionis ſolidæ & candoris haberes, Dionyſii adulterinos fœtus una cum Papiſtarum doctiſſimis tandem dignoſceres. Primi hæretici Severiani A. D. 532. quædam Dionyſii loca objecerunt, quæ ſtatim Hypatius & Catholici alii rejecerunt, libros, unde deſcripta teſtimonia erant, Areopagitæ eſſe, negantes. Quis verò Athanaſius ille Bibliothecarius fuit, à quo defenſam Dionyſianorum *γνησιότητα* dicis? Ignorantiam tuam prodis. Anaſtaſius Sinaita, non Athanaſius fuit. Ille una cum Leontio Bizantino & Maximo Monacho Areopagiticorum veritatem & authoritatem firmare annixus eſt. à quibus longè latéque apud Græcos ſeptimo, octavo & nono Seculo error manavit. Sed nec tum defuerunt, qui Areopagitica repudiarent, uti ex iis, quæ à Photio de cujuſdam Presbyteri, nomine Theodori, libro ea de re ſcripto traduntur, liquet. Ipſe Photius videri poteſt Areopagitica aſpernatus. Ad Latinos ſeriùs ſcripta ea pervenerunt; & Seculo demum XV. Anaſtaſii, Maximi, & aliorum de ſcriptis iis error, detectus eſt, veráque de iiſdem Hypatii ſententia emerſit, uti teſtimonia Laur. Vallæ, Theodori Gazæ, Antonii Faventini, Gulielmi Grocini, Eraſmi, Beati Rhenani, Roffenſis, Cajetani, Cœlii Rhodigini, Albaſpinæi, Sirmondi, Petavii, Launoji, Mornaci, Fabri, Godelli, aliorum fidem faciunt. Tu modò te ipſum, & Therapeutas tuos ejuſmodi ſiliquis paſcere perge. Ego nullus equidem invidebo. 2. Neque tamen Pſeudo-Dionyſius ille, ſi ampullas & ſeſquipedalia verba, quibus grandiloquus iſte hierophantes gaudet, demas, aliud quàm baptiſmales ævi ſui ritus recenſet. quod à me jam obſervatum, ne verbo quidem refellere ſuſtines. Atque id ipſum Dionyſius apertè docet, cùm abſoluta narratione ad eorum, quos commemoravit, rituum *theoriam*, hoc eſt, myſticam expoſitionem ſe convertens, ita præfatur *pag. 79. Αὕτη μὲν οὖν ὡς ἐν συμβόλοις, ἡ τῆς ἱερᾶς τελετὴ θεογενεσίας, οὐδὲν ἀπρεπὲς ἢ ἀνίερον οὐδὲ τῶν αἰσθητῶν ἔχουσα εἰκόνων. Itaque hoc quidem ſanctæ Divinæque generationis Sacramentum ut in ſignis, ſive ſymbolis nihil ne ſenſibilium quidem, quas continet, imaginum, habet vel non decorum, vel non*

sacrum. Quæcunque igitur memoravit symbola, iis *θεογενεσίας* *Divinæ generationis*; Baptismi mysterium contineri, liquidò significat. 3. Augustini *lib. II. contra lit. Petil. cap.* 104. sic habent: *Tanquam unguentum in capite. Et in hoc unguento Sacramentum chrismatis vultis interpretari; quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus; sed potest esse & in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, &c.* Sacramenti vocem latiore sensu S. Patrem cepisse, monui. Tu nihil respondes. satis habens dicere, eum chrisma dicere esse Sacramentum æquè ac ipsum baptismum. Non ita est. Chrisma *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum esse, sicut ipse Baptismus est*, partem scilicet cum toto comparans, dixit. Aliud est, Sacramentum propriè dictum, aliud sacrosanctum esse. Neque de chrismate, sed de Baptismo Augustinus cum Petiliano pugnavit, & *de Baptismo* opus suum inscripsit. *Chrismatis* verò *Sacramentum* dixit pro externo visibilique signo, quo chrisma constat, à re interna spirituali, quam significat, distincto. quod apertissimè ipse mox explicat, cùm Petilianum jubet discernere *visibile sanctum Sacramentum ab invisibili unctione charitatis.* Non tamen omne ejusmodi Sacramentum, seu visibile externum signum, per se ac seorsim verè propriéque dictum Ecclesiæ Christianæ Sacramentum est. *Sacramenti* enim vocem apud veteres passim sumi pro quocunque signo sacro, sive à Christo, sive ab hominibus & Ecclesia instituto, sive integro completóque mysterio, sive una duntaxátque ejus parte, sive essentiali, sive ceremoniali, probatione non indiget. Coronidis loco tibi S. Hieronymum, quem citare in hac quæstione ausus non es, oppono. Ille enim *adv. Lucifer.* postquam dixisset; *Non quidem abnuo hanc Ecclesiarum esse consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus S. manum impositurus excurrat*; addit: *Sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresin transferas?* Item: *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manum Episcopi, non accipiat Spiritum S. quem omnes asserimus in vero baptismate tribui: disce, hanc observationem ex eâ authoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus S. ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus S. defluit, lugendi sunt, qui in vinculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis, per Presbyteros aut Diaconos baptizati, ante dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur.* Quot Hieronymi voces, tot contra Papistas argumenta, & *ἐλλανικὰ φάρμακα*. Illis confirmatio est Sacramentum propriè dictum: huic *consuetudo.* Illis instituta est à Christo: huic sufficit Baptismus ad conferendum Spiritum S. Illi oleum & balsamum requirunt: hic solius manuum impositionis meminit. Illi Sacramentum lege necessaria institutum, non ut administrantibus inde aliquod privilegium accedat, pertendunt: hic observationem illam ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem usurpatam fuisse, docet.

SESSIO

Digitized by Google

SESSIO VIII.

Celebrata die 11. Martii 1547.

Decretum de translatione Concilii.

PLacétne vobis decernere & declarare, de hujusmodi morbo, ex præmissis & aliis allegatis, ita manifestè & notoriè constare, ut Prælati in hac civitate sine vitæ discrimine commorari, & in ea iccirco inviti minimè retineri possint & debeant? itémque attento recessu multorum Prælatorum post proximè præteritam sessionem, & attentis protestationibus aliorum complurium Prælatorum, in congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium; qui justè detineri non possunt, ut ex quorum discessu Concilium vel dissolveretur, vel ex paucitate Prælatorum bonus ejus progressus impediretur; & attento etiam imminenti periculo vitæ, aliis causis per aliquos ex patribus in ipsis congregationibus allegatis, utpote notoriè veris & legitimis: Placétne vobis similiter decernere & declarare, pro conservatione & prosecutione ipsius Concilii, securitate vitæ ipsorum Prælatorum, Concilium ipsum ad civitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, salubrem & idoneum, pro tempore transferendum esse, & ex nunc transferri, & ibidem Sessionem jam indictam, statuta die 21. Aprilis celebrandam esse, & celebrari; & successivè ad ulteriora procedendum, donec sanctissimo Domino nostro & sacro Concilio expedire videbitur, ut ad hunc seu alium locum, communicato etiam consilio cum invictissimo Cæsare, Christianissimo Rege & aliis Regibus ac Principibus Christianis ipsum concilium reduci possit & debeat. Responderunt, Placet.

HISTORIA SESSIONIS VIII.

SEssione septima finita, eo ipso die nuntius Româ missus, aulicus nimirum Cardinalis Montani, de Concilio transferendo mandatum Pontificis impertiit Legatis, in hunc videlicet sensum, *ut Concilium quantociùs transferant Bononiam, causámque aliquam vel fingant, vel fortè oblatam arripiant.* Legati eo nuntio variè affecti, strenuè tamen voluntati Pontificis uti satisfieret, operam navârunt. Ante omnia autem Concilio transferendo colorem quæsiverunt ex metu epidemicæ luis, jam serpentis & brevi grassaturæ. Cui colori & fuco inserviit, tum quòd nonnulli Præsulum famuli minùs prospera uterentur valetudine, sive ex crapula die Hilariorum contracta, sive ex veris, propter assiduos plurium dierum im-

Digitized by Google

bres,nonnulla intemperie: tum quòd medici nonnulli, & inter hos Hieronymus Fracastorius,qui Concilii medicus ferebatur, à Cardinale Montano in consilium missi, ambiguum responsum reddiderunt, quod mox disseminatum à credulis primùm, deinde à mediocribus creditum, ad eos tandem pervenit,qui abiturientes id verum esse percupiebant: tum denique,quòd statim à finita Sessione Episcopus fato defunctus,luis illius serpentis suspicionem auxit. Porro Legati studiosè id evitantes, ne rumor ille sparsus sibi imputari posset, proxima post Sessionem die generalem congregationem celebrant de digerendis iis, quæ circa Sacramentum eucharistiæ ventilanda essent, & sequente septimana Theologorum congregationibus initium decernunt. Fama percrebescente, Cardinalis Montanus de morbo, quo Tridentini nonnulli tentabantur,epidemicus esset, nécne, judiciariam litem instituit. Quâ quidem ad octavum usque diem continuatâ, subitò Tridentum allatus est nuntius, Veronam in eo esse, ut cum Tridentina civitate commercium interdicat. Sequente nono die generalis habita est congregatio,in qua post prælectum judiciorum processum,Patribus pluribus discessum instituentibus,Montanus pronuntiavit,*Concilium omnino transferendum esse*, ostensâ & publicè prælectâ bullâ Pontificiâ, quâ transferendi Concilium facultas à principio Synodi Legatis data fuerit. Huic legatorum edicto Episcopi Cæsarei,fucum sibi fieri subodorati, se masculè opposuerunt, dictitantes, *pericula majora jactari; meticulosos posse dimitti, donec incerti rumores consilescerent. Nec interesse magni, an Sessio differatur ad aliquod tempus, sicut antehac etiam imminente bello factitatum fuerit.* Proximo die, cùm jam undecim Præsules discessissent, in publica congregatione deliberatum de loco, in quem Concilium opportunè transferri possit. Iis, quorum suffragia vicerunt, placuit Bononia, in Pontificis territorio sita. Formatum de eo decretum, cui, sequente die habita sessione, prælecto Episcopi 35.& Præpositi tres assensum & suffragia præbuerunt,Cardinale Pacieco & 17.Episcopis dissentientibus, inter quos etiam erat Marcus Vignerius Sanogaliensis Episcopus,cui cùm id exprobrâsset Montanus,ingratitudinis ei in Apostolicam sedem objecto crimine,cordatè is respondit,*non esse ludendum cum Deo.* Finita Sessione Legati equidem cum Episcopis suarum partium cruce prægestatâ, Tridento Bononiam discedunt, reliqui verò, inprimis Cæsareani Tridenti, jubente ipso Cæsare,substiterunt.

NOTÆ

Digitized by Google

NOTÆ
Ad Hiſtoriam & Decretum Seſſionis VIII.

SEſſione hac non ſine ſingulari aſtu & μεθοδείᾳ eorum, qui hactenus Concilium moderabantur, decretum eſt, ut Concilium Tridento transferretur Bononiam, civitatem Papæ Romano obnoxiam. Operæ pretium erit hîc expendere, tum translationis hujus partim veras cauſas, partim προφάσεις & prætextus, quos callidè commentati ſunt Concilii Præſides: tum methodum fraudulentam eorum, qui architectos doli ſe gerebant. Veræ cauſæ tum ex iis, quæ hactenus geſta in Concilio ſunt, tum ex iis, quæ imminebant, cognoſci poſſunt. Et in proximè quidem ſuperiori ſeſſione, poſtquam Papa miſſo diplomate reformationis negotium ſuum ad tribunal evocare conſtituit, Cardinalis Paciecus cum Præſulibus Hiſpanis aliiſque Cæſareis, ſeorſim conſultare cœperat de authoritate Pontificia, & Romano clero in ordinem redigendo, & poſtulatis ſuis poſthac ſcripto exhibendis. Quem in finem cenſuram iis articulis comprehenſam, & ſcripto conſignatam proxima in congregatione Legatis exhibuerunt, quam illi ſtatim offenſionem ſuam teſtificati, Romam miſerant. Ex iis articulis, nec non ex pluribus aliis, quæ antehac in aliquot congregationibus ita geſta & dicta erant, non obſcurè patebat, Papæ & Cardinalium jugulum peti, atque id omnino agi, ut in ordinem redigerentur. Præterea imminebat bellum religionis causâ motum, quod ipſo Seſſionis hujus tempore in Germania exardeſcebat. Ejus belli eventum ſibi fore noxium, Papa & Præſules inprimis Italiæ providebant, utcunque tandem alea caderet. Sive enim Proteſtantes exiſterent victores, non immeritò ſibi timebant boni Præſules, ne fidei & libertatis Evangelicæ hactenus in Concilio oppreſſæ pœnas luerent: ſive Cæſar reportaret palmam, præſagiebat ipſis animus, fore, ut vel minùs ſibi æquum ipſum victorem experirentur, vel Proteſtantes is Theologos vi eò adigeret, ut Concilium frequentarent. His malis medicam manum adhiberi poſſe, tum Papa, tum ii, quibus de inſtituto ejus vaferrimo ſuboluit, exiſtimârunt, ſi Concilium Tridento, civitate videlicet Germaniæ proximiore, & Cæſari magis obnoxia, exciretur & transferretur Bononiam, eam videlicet civitatem, quæ & Pontificii juris erat, & Papæ vicina. Ita nempe fore, ut & ipſi Præſules, inprimis Itali, qui Pontificiam authoritatem tutabantur hactenus, eſſent tutiores, & Papa cum Legatis & Præſulibus ſuarum partium, tum conſilia, tum mandata expeditiùs communicare, adeòque inſidias illegiti-

mæ poteſtati & authoritati ſuæ ab Epiſcopis Hiſpanis ac Cæſareis, aliíſque hactenus ſtructas, ſecuriùs evitare poſſet; utque eam civitatem adire detrectarent potiſſimùm illi, quos extimeſcebat, non Proteſtantes duntaxat, quos ne vi quidem adigi poſſe,ut Pontificiam civitatem Concilii celebrandi gratiâ ſectarentur, probè ſciverat: Sed Cæſarei etiam Epiſcopi ſibi hactenus parùm æqui, quos Cæſarem, cujus conſilium & conſenſus in translatione ſúſque déque habitus eſt, prohibiturum, ne Bononiam ire fas ipſis eſſet,facili conjectura aſſequi potuit. Sic igitur Concilium, à quo ſemper Papæ animus abhorruit,& revera diſſolvi,& ludicra ſpecie dementari poſſe homines,ut crederent,Papæ continuationem ejus curæ cordíque eſſe,callidiſſimè augurabatur. Hæc vera translati Concilii cauſa fuit. Ei verò obductus prætextus erat, peſtilentiæ jam ſerpentis, & ab ipſis medicis exploratæ metus. Sed meram hanc fuiſſe πρόφασιν illorum,qui Pontificis imperata non aliter quàm venditato ejuſmodi fumo exequi potuerunt,manifeſtum eſt. Quid enim? An vel mors unius Epiſcopi,vel famulorum morbi non aliis cauſis,quàm ſerpenti epidemiæ lui imputari potuerunt? Neque Medicorum judicium obſtat, tum quia credibile eſt, illos Legatis, vel Pontificis ipſius,quam exploratam habuerunt,voluntati velificari voluiſſe: tum quia Epiſcopis Cæſareis Tridenti conſtanter ſubſiſtentibus nihil ſequiùs accidit,neque ulla poſthac peſtilens contagio ibi ſæviiſſe legitur: tum quia *Medicorum*,uti Hiſtoricus feſtivè & prudenter monet, *prognoſtica ferè ſunt in deteriorem partem,ut ſi eveniant,quòd ea prævideriint,in arte periti eſſe videantur,ſin minùs, quòd ea præverterint, hoc ipſo peritiores exiſtimentur.* Denique & fraudulenta methodus tum Papæ, tum Legatorum, qua translatio illa procurata eſt,ejuſmodi eſt,ut non poſſit non vehementer vituperari. Etenim primò Legati Breve Pontificium, quo poteſtas illimitata transferendi imminente neceſſitate Concilii, jam ab initio indulta ipſis fuerit, protulerunt. In eo Brevi *duobus ex Legatis, abſente tertio,* (Polo videlicet) poteſtas fit transferendi Concilii in quamcunque civitatem opportuniorem. Hic alii quidem cenſebant,diem diplomatis adulteratam eſſe,antiquiori noviter appoſita; alioquin,inquiebant,clauſula,*qua duobus, abſente tertio, transferendi Concilii poteſtatem faciebat,Propheticum quid ſonaret,quaſi Polum poſt annum obiturum præſenſiſſent.* Præterea arguebant,veriſimile haud eſſe Paulum Pontificem,qui antehac ſemper cavebat,ne ſynodus in loco minùs tuto celebraretur,Legatis ſuis facultatem tam amplam, transferendi videlicet Concilium in civitatem quamcunque,quæ ipſis commoda videretur,conceſſurum eſſe. Hiſtoricus tamen Bullam eam ante duos annos Romæ confectam,& ante 18.menſes Tridentum tranſmiſſam eſſe,ex adverſariis rerum tum temporis geſtarum, monet.

Ut

Digitized by Google

Ut igitur genuinam fuisse eam Bullam demus, quis non credat, facultatem Legatis concessam hactenus fuisse restrictam, ut translatio ejusmodi inscio & inconsulto Pontifice neutiquam decerneretur? Secundò Legati in decernenda translatione ita agunt, ac si inscio planè & inconsulto Pontifice cuncta illa fierent. Hinc Patribus antequam in Bononiam consensissent, scrupulum moventibus, translationem ejusmodi inscio Papa factam, malè ipsum habiturum, Legati, imprimis Montanus, callidè ita respondent: *Casus subitos ac inopinos, inprimis ubi periculum capitis impendet, ab ejusmodi aspectibus esse immunes, atque eam in se curam suscipere, ut cum nulla mala gratia Pontificis id fiat.* Et Legati ut tegerent consilium securæ deliberationis, argumentum in congregatione publica definiendum curant. Et tamen non conscio duntaxat, sed etiam imperante Pontifice, factam esse translationem, planè constat, tùm quia ipso Sessionis VII. habito die internuntius Pontificius submissus legatis mandatum Papæ fiduciarium exposuit: tum quia minima quæque in Concilio facta sunt ex præscripto Papæ, atque eam ob causam singulis hebdomadis per cursorem literæ Româ Tridentum allatæ sunt: tum quia Legatorum prudentiæ minimè consentaneum fuisset, in civitatem Principi suo etiam suspectam, eo inscio tantam hominum multitudinem induci: tum denique, quia graves authores Pontifice jubente id omne factum esse, testantur. Onuphrius Panvinius, qui vixit sub Pio IV. & V. in vita Pauli III. quam ille se *probatissimis annalibus vetustissimísque publicis monumentis sublevatum* scripsisse profitetur, inter alia ita habet: *Hunc in modum Paulus Cæsari non dissimulanter iratus, de Concilii, quod Tridenti in gratiam Cæsaris celebrari jusserat, suspensione, translationéque in Bononiam cogitare cœpit, & eò quidem propensiùs, quòd quibusdam sanctionibus odiosa disputatione ad decretum relatis quorundam subornatorum præsulum malignitate, dignitatem suam perstringi, & offendi cognovisset. Itaque ejusdem anni, quo Cæsar de Germanis victoriam retulit, initio, Legati Pontificii aëris intemperiem excusantes, monente Pontifice, relicto Tridento Bononiam se contulerunt.* Et paulò post. *Concilium Tridento ex Pontificis authoritate translatum.* Sed & alius author anonymus, adjunctus Platinæ in ejus editione Coloniensi 1551. in vita Pauli III. inter alia hæc verba habet: *Concilium Oecumenicum, quod Paulus 1542. Tridenti futurum indixerat, & triennio pòst ibidem Legatis Apostolicis incepit, celebratis aliquot Sessionibus, nescio quibus de causis, hoc eodem anno, Pontifex Bononiam transferre conatus est, quod dum non parum multis displiceret, hucusque manet suspensum.* Id ipsum quoque referri à Mamfrimo Rosseo, Dionysio à Fœno, & aliis Italicas generales historias scribentibus, docet nos Cæsar Aquilinus *de Trib. Historicis Concilii Trident. p. 32.* ubi ipsum etiam Pallavicinum imprudentem, & sua vineta cædentem idem asserere ostendit, & ex ejus verbis conficit.

Hæc

Digitized by Google

Hæc cùm ita se habeant, non dubitavit tamen Scipio Henricus *Cens. Theol. sect. 4. art. 2.* apertæ veritati, ab Historico aliisque recitatæ ogganire, usus frivolis ratiunculis, quas paucis discutere juvabit. Primò igitur Historici rationem fictitiam esse tribus probare conatur rationibus. Prima ipsi inde arcessita, *quòd aulici illius missio ad legatos, cujus meminit Suave Polanus, nullo idoneo authore scripta, nec in actis posita inveniatur. Quódque Anthonius Milledomus secretarius Veneti oratoris à Ponte ad Concilium sub Pio IV. missi, qui hanc historiam scripserit, ejus missionis planè non meminerit. sed ingenuè & simpliciter fateatur, translationem hanc ob contagium determinatam fuisse. pag. 184.* Sed Henrici hujus simplicitatem non immeritò notat & irridet Cæsar Aquilinus, & ex ipso, Pallavicino frustra etiam hic sudante, ut missionem illam fictitiam esse probaret, ostendit, Legatos de imminente pestilentiæ periculo die 1. Martii ad Pontificem scripsisse, quæ epistola probè respondeat adventui istius, qui post Sessionem VII. die 3. ejusdem mensis obtulerit mandatum Pontificis. Quòd si jam, uti probavimus, translatio facta est authoritate Pontificis, quis dubitet, illum misso nuntio, suam de eo Legatis voluntatem significâsse. Quòd verò ad acta provocat & Milledomi historiam, id ipsum sanè dilutum est. Quæ enim authentica Concilii acta nobis prodet? Et cui mirum videbitur, præteritum esse vel in actis, vel apud Milledomum, quod referebat plurimùm taceri, quódque Pontificis calliditate non tam publicè quàm clanculùm gestum erat? Secundam rationem inde promit Henricus, *quòd translatio hæc facta fuerit debito processu in Concilio inito Hieronymi Fracastorii Medici celeberrimi: mortuo uno ex Episcopis, aliisque quàm plurimis contagii metu ante decretum translationis discedentibus, & ob idem contagium Verona civitate commercium cum Tridentinis interdicente; ibid.* Verùm hæc ipsa quoque retulit Historicus. Sed totum hoc schema ad ornandam scenam & dementandos simplices comparatum fuit. Sanè parùm ea omnia valuerunt apud Episcopos Cæsareos, qui subodorati dicuntur statim *artificium Pontificis*. De Medicorum consultatione sentiendum quid sit, supra diximus. Sanè etiam Protestatio Cæsaris habita Romæ, inter alia habet, *affectata & procurata quorumdam medicorum, sed præcipuè ancillarum & coquorum, & vilissimorum hominum testimonia recitata esse.* Veronam verò percrebescente rumore quamvis incerto contagii, commercium cum Tridentinis interdixisse, mirum quoque non est, cùm talia diffamatis etiam innocentibus, cumprimis in Italia, contingant sæpiùs. *Tertiò*, inquit, *argumenta, quæ pro suo figmento adducit Historicus, levia sunt & nullius momenti.* Quàm verò levia sint, liquebit, si adversarii ad ea responsiones expenderimus. Primò arguit Historicus, mirum esse, si Legati in minimis consulentes Pontificem, in hoc negotio cum ipso non consultaverint. Respondet, *consultatione*

opus

Digitized by Google

opus non fuisse, quia Legati per bullam hanc facultatem haberent, & periculum esset in mora. Cur verò in levissimis quibusque opus fuit consultatione tali, non autem in rebus gravissimis? Facultatem habuerunt etiam moderandi Concilium. Neque tamen moderandum putârunt, sine quotidianis ferè Pontificis mandatis, quæ per literas experiebantur. Neque etiam datam legimus facultatem transferendi in quamlibet urbem, non solicitato urbis domino. Periculum porrò erat non certum, sed & fictum & imaginarium. Secundò mirari dicit Historicum, inconsulto Magistratu Bononiensi tantam eò Prælatorum multitudinem importatam esse. Respondet, *Bononiam civitatem esse satis amplam, ad recipiendos advenas aptissimam, Ecclesiasticæ jurisdictioni subditam, & potuisse de eo admoneri Cardinalem legatum, qui Bononiæ præsidebat.* Atqui Historicus non id admiratus est, quòd inconsulto Magistratu Bononiensi, sed quòd inconsulto Pontifice, Bononiæ Domino, ea multitudo invecta sit. Non sufficiebat, quòd cognoscerent satis amplam civitatem esse. Requirebatur consensus Domini, ut translatio in eam tutò fieret. Plura enim alia incommoda obstare translationi poterant. Ut igitur facultatem habuerint transferendi Concilium, non habuerunt tamen transferendi in urbem, insciо & inconsulto ejus Domino.

His igitur de translatione Concilii præmissis, paucis notas nostras complectemur. Etenim *Primò* luce meridiana clarius est, Concilium Pontifici obnoxium fuisse & servum. Cùm enim timendum is haberet, ne potestatis ab ipso & Curia Romana, hactenus sine divinis & humanis suffragiis usurpatæ, examen institueretur, atque illius fimbriæ circumciderentur, is subitò Concilium per speciem translationis, uti etiam Velascus in protestatione, nomine Cæsaris Bononiensibus exhibita, iis exprobrat, dissolvit, & abrupit. Nam translatione ea factum est, ut Concilio dissipato, & aliis Tridenti, aliis Bononiæ hærentibus, & utrisque hostiliter digladiantibus, non tam Concilium esset, quàm schisma adversantium sibi & *à corpore Ecclesiæ abscissorum*, ut eos in responsione ad protestationem Cæsaris ipse Pontifex appellavit, Præsulum; imò ut Paulo quidem superstite nulla amplius Sessio haberetur, & Concilium quatuor ferè annos interruptum maneret, nunquam amplius habendum, si penes Pontificem stetisset. *Secundò*, variæ illæ & veteratoriæ in procuranda hac translatione artes, tum Papæ tum Legatorum ejus, manifestè produnt, quo spiritu agitatum hoc Concilium fuerit. Nam spiritum quidem Dei, à cujus præsidio Concilium hoc commendare non verentur, ejusmodi κύβείας & πανουργίαν in suis non operari, planum est. Non malè Vir doctus pronuntiavit, plurima à Theologis Pontificiis declamari de Politica Machiavelli. Sed Scholastica & chartacea il-

 la

Digitized by Google

la esse, si cum viva praxi, quæ in hoc Concilio obtinuit, comparentur. Sed & Marcus Vignerius, Episcopus Sanogaliensis, Cardinali Montano exprobranti ingratitudinem, eò quòd ab ejus actionibus dissentiret, regerens, *non esse ludendum cum Deo*, id ipsum confirmare videtur. *Tertiò* ex translatione ea liquet, quàm clerus Pontificius, Papæ inprimis & Cardinalium turba, fuerit impatiens remedii, incorrigibilis & contumax, quámque averso fuerint à Concilio animo. *Quartò* non immeritò offensi sunt in Concilio multi diplomate seu *Bulla facultatis*, quâ Legatis duobus facultas fiebat dissolvendi & transferendi Concilii; & prælatis sub pœnis & censuris Ecclesiasticis edicendi, ut Tridento discederent. Quæ quæso erat Concilii libertas, si duobus, quoties lubuit, Concilium dissolvere vel transferre aliò, invitis reliquis, imò gravi pœna ad id constringendis, integrum fuit? Fumum heic imperitis venditat Scipio Henricus p. 186. asserens, *Legatos facultate ista usos non esse ad transferendum Concilium proprio jure, sed ad proponendam Patribus translationem, quæ ex eorum consensu facta est. Et Patres in Concilio liberos quidem fuisse in votis ferendis, quæ propria & simplex Concilii libertas fuerit: At non in loco definiendo, quæ cura ad solum Pontificem spectarit.* Etenim Bulla facultatem confert non proponendi duntaxat, sed transferendi Concilium, imò *Prælatis inhibendi sub pœnis & censuris Ecclesiasticis, ne Tridenti ad ulteriora procedant.* Quæ residua est libertas, cùm non parentibus edicto *pœna & censura ecclesiastica* denuntiantur? Deinde libertas Concilii non in eo duntaxat vertitur, ut de re proposita liberè vota ferantur, quanquam ne hæc quidem libertas integra fuit Patribus: sed in eo etiam, ut omnium vel plurium consensu definiatur argumentum deliberationis, & quicquid ad finem Concilio propositum assequendum conducit. Neque loci definitionem jure ullo Pontifici competere, probari potest. Id autem cùm ad exteriorem jurisdictionem pertineat, à sola Potestate civili suprema dependet.

SESSIO IX.

SESSIO IX.

Bononiæ celebrata, die 21. Mensis Aprilis 1547.

Decretum prorogationis Sessionis.

H*Æc Sacro-sancta Oecumenica & generalis Synodus, quæ dudum in civitate Tridenti congregata erat, nunc Bononiæ in Spiritu S. legitimè congregata, præsidentibus in ea nomine Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pauli, divinâ providentiâ Papæ III. eisdem Reverendissimis Dominis D. Joh. Maria, Episcopo Prænestino, de Monte & Marcello, tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero, S. R. E. Cardinalibus, & Apostolicis de latere Legatis, considerans, quòd die 11. Mensis Martii, præsentis anni, in generali publica Sessione, in eadem civitate Tridenti, & in loco consueto celebrata, omnibúsque agendis de more peractis, ex causis tunc instantibus, urgentibus, & legitimis, interveniente etiam authoritate sanctæ Sedis Apostolicæ, eisdem Reverendissimis Præsidentibus specialiter concessa, decrevit & ordinavit, Concilium ex eo loco in hanc civitatem transferendum esse, sicut transtulit, itémque Sessionem pro præsenti die XXI. Aprilis, illic indicta, ut de Sacramentorum & reformationis materiis, de quibus tractandum proposuerat, Canones sancirentur & promulgarentur, in hac ipsa civitate Bononiæ celebrari debere: consideránsque nonnullos ex Patribus, qui in hoc Concilio interesse consueverunt, his superioribus majoris hebdomadæ, & solennitatis Paschalis diebus, in propriis Ecclesiis occupatos, aliquos etiam aliis impedimentis detentos, huc nondum accessisse, quos tamen brevi affuturos sperandum est; ac propterea factum esse, ut non ea, quam sancta Synodus desiderabat, Prælatorum frequentia potuerint materiæ ipsa Sacramentorum & reformationis examinari & discuti: ut omnia maturo consilio, cum dignitate & gravitate debita fiant, bonum opportunum, & expediens censuit, censétque, Sessionem prædictam, quæ hoc ipso die, ut præfertur, celebranda erat, ad diem Jovis infra octavam Pentecostes proximè futuram, quo ad ipsas materias expediendas, differendam & prorogandam esse, quemadmodum differt ac prorogat; quam diem & rei gerendæ maximè opportunam, & Patribus præsertim absentibus percommodam judicavit & judicat. Hoc tamen adjecto, quòd terminum ipsum ipsa Sancta Synodus, pro ejus arbitrio & voluntate, sicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in privata congregatione restringere & imminuere possit & valeat.* Cardinalibus Legatis unâ cum 35. Episcopis Bononiam translatis, reliqui, videlicet Cardinalis Paciecus, & 17. cum eo Episcopi Tridenti substiterunt. Quorum propositum Cæsar laudavit & confirmavit, exaratis ad eos literis præcipiens, ne Tridento pedem efferrent.

Digitized by Google

rent. Tridentini igitur deliberare cœperunt, an è re esset, ad actum Synodicum Tridenti procedere. Visum tamen id intermittere, ne qua schismati occasio detur. Interea Bononienses inter & Tridentinos Patres scripta commeabant, quibus illi *Synodum Bononiensem*, hi verò *sanctam synodum*, ubicunque locorum esset, nominabant. Legati præterea, aliique Ecclesiæ Romanæ Cardinales Episcopos aliquot Tridenti subsistentes variis officiorum generibus demulcere, & Bononiam pertrahere studuerunt. Sed nemo unus expugnari se passus est, præter Episcopum Aquiliensem, Galeatium Florimatem. Invitati etiam sunt Bononiam reliqui, qui ante decretam translationem Tridento discesserant, Episcopi. Verùm non paruerunt invitationi. Aliquot tandem Bononiæ habitis congregationibus nihil aliud actum est, quàm ut translationem esse legitimam, & Patres Tridentinos ex officio teneri sese Bononiensibus aggregare, evinceretur. Tandémque de Sessione proroganda, & ut Tridentini Patres per literas monerentur, ut se corpori conjungerent, à quo sejuncti congregatio Ecclesiastica dici non possint, imò verò nomini Christiano magno essent offendiculo, decretum formatum est. Sed Patres Tridentini obfirmantes animum, literis Bononiensium ne quidem respondere dignati sunt.

NOTÆ

Ad Historiam & Decretum Sessionis IX.

PRimò constans Præsulum Cæsareorum Tridenti mora, nec non mandatum Cæsaris, quo illis, ut ibi subsisterent, injunctum erat, argumentum est Concilii sine justa & legitima ratione translati. Quis enim credat, vel Præsules eos Tridenti commoraturos, vel Cæsarem hanc iis moram injuncturum fuisse, si à lue epidemia periculum vel imminuisset, vel præsens jam fuisset? Majorem haud dubiè & vitæ & salutis suæ rationem habuerunt, quàm ut in gravissimo periculo sine sontica causa, majori corporis parti abscissæ sese obstinatè opponere vellent. *Secundò* dissidium illud Patrum Bononiensium & Tridentinorum, acerbæque, quas invicem sustinuerunt, velitationes, veri schismatis rationem habuit. Quippe factum iis est, ut turbaretur & tolleretur unitas corporis, partibus ejus sese mutuò impetentibus & graviter accusantibus. *Tertiò*, quòd Patres Tridentini sustinuerunt, Synodum, ubicunque locorum esset, adeóque suam illam Tridentinam *sanctam* esse, argumentum nobis suppeditat, posse esse dicíque *Sanctam* Synodum, quæ à Pontifice nec convocata, nec gubernata est, imò ringente

ringente etiam Pontifice, & pœnas suas intonante, celebratur. Sanè iidem illi Episcopi Tridentini ad actiones Synodicas erant processuri, nisi eos metus schismatis cohibuisset, non obstante interim prætenso Pontificis in gubernando Concilio jure. *Quartò* iidem Episcopi Tridentini, súsque déque habentes Legatorum, Cardinalium Romanorum, Episcoporum Bononiensium invitationem, ac inprimis Pontificis intentatas pœnas, exemplo præiverunt Evangelicis, Concilium frequentare detrectantibus, & Pontificis fulmina & anathemata pensi non habentibus. *Quintò* denique argumentum prorogandæ Sessionis, petitum ab Episcoporum reliquorum absentia, quorum *alios in propriis Ecclesiis occupatos, alios aliis impedimentis detentos*, dissimulatâ strenuè genuinâ causâ, quæ erat aversatio Bononiensis Synodi, causantur Patres. Aderant tamen Legati. Aderant 35. Episcopi, quorum conventui *Oecumenicæ & generalis Synodi* titulum, quamvis plerique omnes Itali fuerint, præscribere non verentur. Quòd si tamen in paucis illis substitit *Oecumenica generalis Synodus*, prorogandæ propter reliquorum absentiam Sessionis excusatio justa minimè fuit.

SESSIO X.

Bononiæ celebrata die 2. Mensis Junii 1547.

Decretum prorogandæ Sessionis.

QUamvis hæc Sacro-sancta Oecumenica generalis synodus Sessionem, quæ die 21. mensis Aprilis proximè præteriti, super Sacramentorum & reformationis materiis in hac inclyta civitate Bononiæ, ex Decreto, in urbe Tridentina, in publica Sessione die 11. mensis Martii promulgato, celebranda erat, propter aliquas causas, ac præsertim propter absentiam plerorúmque, quos brevi affuturos sperabat, ad hunc præsentem diem differendam & prorogandam esse decreverit: volens tamen cum iis, qui non venerunt, etiam adhuc benignè agere, eadem Sacro-sancta Synodus, in Spiritu S. legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostolicæ sedis Legatis, statuit & decernit, Sessionem ipsam, quam hac die 2. mensis Junii, præsentis anni 1547. celebrare decreverat ad diem Jovis post festum Nativitatis beatæ Virginis, quæ erit 15. mensis Septembris proximè futuri, quo ad prædictas & alias materias expediendas, differendam & prorogandam esse, quemadmodum differt & prorogat; ita tamen, ut prosecutio discussionis & examinationis eorum, quæ

 tam

tam ad dogmata, quàm ad reformationem pertinent, interim non omittatur; & terminum ipsum, ipsa sancta Synodus pro ejus libitu & voluntate etiam in privata congregatione, abbreviare & prorogare liberè possit & valeat.

HISTORIA SESSIONIS X.

DUm Bononienses & Tridentini Patres intestino dissidio magis magisque exardescunt, Cæsar cum instructissimo exercitu ingressus Saxoniam de Germanis, ac inprimis Saxoniæ Electore & Hassiæ Landgravio, quorum ille vulnere per maxillam accepto captus, hic ultro se submittens & dedens in Cæsaris potestatem venit, victoriam reportavit. Quæ quidem victoria etsi non exigua apud Pontificem, sibi jam metuere incipientem, invidia laboravit, tamen hanc ipsi voluptatem attulit, quòd à Concilii metu quodammodo esse immuni liceret. Utque contra Cæsarem se præmuniret, Henrico II. Galliæ Regi, qui nuperimè Francisco successerat, per Hieronymum Capuferreum, S. Georgii Cardinalem eo ablegatum, fœdus obtulit, amplissimam ei potestatem pollicitus, simúlque omnia Regis de beneficiali materia postulata rata habiturus, *etiam nulla habita Concilii Tridentini ratione.* Franciscum quoque Sfondratum Cardinalem in Germaniam misit, inter alia etiam, ut apud Cæsarem varias expediat rationes Concilii in Civitate Bononia habendi. Bononiensibus porrò Patribus idem, ne quicquam aggrederentur, quod augendo dissidio inserviret, injunxit. Quamvis igitur nonnullæ ibi indictæ habitæque essent congregationes, & de rebus fidei deliberationes intercessissent, nullum tamen de iis concinnatum decretum est. De reformatione verò altum silentium. Id unum tandem sancitum est de sessione proroganda decretum, quod die 2. Junii solitis ceremoniis promulgatum est.

NOTÆ

Ad Historiam & Decretum Sessionis X.

QUæ ad superioris Sessionis historiam animadvertimus, singula huc etiam pertinent. Quibus hoc unum in præsentiarum addimus, quòd iis, quæ antehac in Tridentino Concilio gesta & decreta sunt, jugulum petierit ipse Pontifex, Regis Galliarum in materia de beneficiis postulata se rata habiturum pollicitus, *nulla habita decre-*

Digitized by Google

decretorum Concilii Tridentini ratione. Siccine Papæ in gratiam Regis ea, quæ Synodus toties professa se *in Spiritu S. legitimè congregatam*, ipsomet Pontifice dictante, decrevit, non flagitante id vel Dei gloria, vel Ecclesiæ salute, sed privatis duntaxat commodis, studiis gratiæ & odii incitantibus, rescindere & refigere integrum erat? Apparet hinc, Concilium Papæ servum & obnoxium fuisse, imò totum nexu ac mancupio deditum, cujus solius arbitrio, nulla idonea ratione innixo, ejus decreta vel starent vel caderent miserè.

BULLA RESUMPTIONIS *CONCILII TRIDENTINI*, Sub Julio III. Pontifice Max.

Julius Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

CUM ad tollenda Religionis nostræ dissidia, quæ in Germania longo tempore, non sine totius Christiani orbis perturbatione & scandalo viguerunt; bonum, opportunum & expediens esse videatur, sicut etiam Charissimus filius noster, Carolus Romanorum Imperator semper Augustus, nobis per suas literas & nuncios significari fecit, ut sacrum Oecumenicum generale Concilium per fel. rec. Paulum Papam tertium, Prædecessorem nostrum indictum, & per nos, tunc Cardinalatus honore fungentes, atque ipsius prædecessoris, unâ cum duobus aliis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ipsi Concilio præsidentes, inceptum, ordinatum, & continuatum, in quo plures publicæ & solemnes habitæ fuerunt Sessiones, pluráque tam in causa fidei, quàm reformationis promulgata Decreta, multáque etiam ad utramque causam pertinentia examinata & discussa, ad civitatem Tridentinam reducatur: Nos, ad quos, ut summos pro tempore Pontifices, spectat generalia Concilia indicere & dirigere, ut Ecclesiæ pacem & Christianæ fidei atque Orthodoxæ religionis incrementum ad omnipotentis DEI laudem & gloriam

Digitized by Google

gloriam procuremus, & quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germaniæ, quæ sanè provincia retroactis temporibus in vera religione, ac Sacrorum Conciliorum & Sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendáque maximis Pontificibus, Christi Redemptoris nostri in terra Vicariis, debitâ, obedientiâ, & reverentiâ, nulli Christianorum provinciæ fuit unquam secunda, paternè consulamus, sperantes per ipsius Dei gratiam & benignitatem futurum, ut Reges omnes & principes Christiani justis piisque nostris in hac re votis annuant, faveant atque assistant: Venerabiles Fratres Patriarchas, Arhiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, omnésque alios & singulos, qui de jure, vel consuetudine, vel privilegio Conciliis generalibus interesse debent, quósque idem prædecessor noster in suis indictionis & aliis quibuscunque desuper confectis & publicatis literis, Concilio interesse voluit, per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi hortamur, requirimus & monemus, ut proximis futuris Calend. Maji, quem diem ad ipsum Concilium in eo, in quo nunc reperitur, statu resumendum & prosequendum, prævia matura deliberatione, & ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ authoritatis plenitudine, ac Venerabilium fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, statuimus, decernimus & declaramus, in ipsa civitate Tridenti, legitimo cessante impedimento, convenire & se congregare, ac ipsius Concilii continuationi, & prosecutioni, omni mora postposita, incumbere velint. Nos enim operam sedulò daturi sumus, ut eodem tempore, in eadem civitate nostri omnino adsint Legati, per quos, si per ætatem nostram valetudinémque, & Sedis Apostolicæ necessitates personaliter adesse nequiverimus, Spiritu sancto duce, ipsi Concilio præsidebimus: Quacunque ipsius Concilii translatione & suspensione, cæterísque contrariis non obstantibus quibuscunque, ac præsertim illis, quæ idem prædecessor noster in suis literis prædictis, quas cum omnibus & singulis in eis contentis & decretis in suo robore permanere volumus atque decernimus, & quatenus opus sit, innovamus, voluit non obstare, irritum nihilominus decernentes & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter,

con-

Digitized by Google

contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum hortationis, requisitionis, monitionis, statuti, declarationis, innovationis, voluntatis & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum: ANNO incarnationis Dominicæ M D XLVIII. Calend. Decembr. Pontificatus nostri anno I.

M. Cardinalis Crescen.

Rom. Amasæus.

NOTÆ

Ad Bullam Resumptionis Concilii Tridentini sub Julio III.

JULIUS III. Aretinus, antea Joh. Maria de monte dictus, Cardinalis & Pauli III. in Concilio Legatus princeps, quàm primùm electus est in locum Pauli III. Pontifex, identidem à Cæsare primò per Ludovicum Avilam Romam Legatum, mox per literas & Oratorem, ut restauraret Concilium, solicitatus est. Is, uti in historia Sessionis XI. narrabimus, adhibitis in Consilium tum intimis, tum Cardinalibus, & ponderatis rationibus Concilium tum suadentibus, tum dissuadentibus, eam inclinavit in sententiam, ut statueret, Concilium Tridenti resumendum esse. Mox itaque Bullam Resumptionis concinnatam misit ad Cæsarem, suffragio muniendam, qui cùm mitigari eam petiisset, Oratore prolixè id à Pontifice contendente, voti particeps reddi non potuit. Nos ad Bullam eam sequentia animadvertenda putamus. *Primò* ejus author erat Julius III. qui nomen suum præscribit his verbis: *Julius Episcopus Servus Servorum Dei.* De Julio hoc ita habet in ejus vita Onuphrius Panvinius: *Julius occupationibus totus intentus Cardinalis veluti furtim voluptates sequebatur. Pontifex factus votorum jam omnium compos, abdicatâ rerum curâ, hilaritati & genio suo indulsit nimiùm. Usque adeò homines præmii spe potiùs ad virtutem complectendam, quàm ipsamet virtutis pulchritudine accenduntur. Unum etiam ei crimini datum est, quòd tanta potestatis oblitus*

omnium maximi muneris dignitatem parùm animadvertens, levibus & inanibus verbis suam aliquando Majestatem non sine audientium rubore aut risu minueret. Fidem huic testimonio facit, quod narrat Suave Polanus, aliique passim, de adolescente Placentino, cui Innocentii nomen, quem Cardinalis adhuc tenerimè dilexit, & Pontifex factus Cardinalem, indito ei nomine *Innocentii Montani*, & suo ei galero imposito, creavit, relictâ aulicis obloquiorum & libellorum famosorum materiâ, quibus illi ex variis præteritorum eventuum conjecturis, actionis adeò insitatæ veram causam certatim prodere non dissimulârunt. Ex Onuphrio etiam colligi potest, ipsum etiam mortem sibi violentam intulisse. Scelera ejus post alios exagitârunt Petrus Paulus Vergerius, & Hieronymus Marius. Tali videlicet authore Concilium restauratum, & postliminio coactum est. *Secundò*, ait Bulla, *bonum opportunum & expediens* videri, ut Concilium Tridentinum revocetur. Non ait *necessum esse*, tum quia Protestantes jam à Leone prædamnatos, & eorum dogmata nonnulla Conciliis in nonnullis rejecta: tum quia definitionem ejusmodi causarum ecclesiasticarum ad Pontificem potiùs Concilio superiorem, quàm ipsum Concilium pertinere judicavit. Quamobrem igitur *bonum opportunum, & expediens esse Concilium* Bulla censuit? Nempe quia Cæsaris continuò illud flagitantis votis & expectationi satisfaciendum, vel graviora mala extimescenda, Julius censuit. *Considerabat*, inquit Historicus pag. 271. *quàm speciosum esset Cæsaris postulatum de Germania ad obsequium Ecclesiæ reducenda, & quantum nasciturum esset scandalum, nisi ei auscultaretur. Præterea jusjurandum in conclavi conceptum, & ab electione repetitum, non pro levi habendum.* Hinc etiam subjungit Bulla, *Charissimum in Christo filium Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum per literas & nuntios significari petiisse, ut Sacrum Oecumenicum Generale Concilium per Paulum indictum, inceptum & continuatum, ad civitatem Tridentinam reducatur.* Quia igitur alia ratione desideria Cæsaris extricare non potuit, territus etiam tot molestiis, eam ob causam à prædecessore suo exantlatis, ad Concilium habendum adduci se passus est. *Tertiò* Concilium antehac Tridenti cœptum & continuatum insignit Bulla *Sacrum, Oecumenicum & generale Concilium.* Quomodo *Oecumenicum* Concilium dici potuit, in quod nec Galliarum, nec Angliæ, nec alii Reges & Principes, & tot Ecclesiæ tum Orientis, tum Occidentis non consenserunt, cuique interfuerunt ferè nonnisi Itali & Hispani Episcopi, & potissimi quidem Itali, ut in numerandis suffragiis semper victor existeret Papa? *Quartò* Julius decernit Concilium Tridentum revocandum esse. Antehac verò Cardinalis adhuc, & Pauli III. Legatus Bononiæ cum suis Præsulibus pertinaciter & validissimè obstitit Concilii in Tridentinam civitatem revocationi, & se factæ translationis

authorem

authorem & patronum, non sine acerbitate in adversæ partis propugnatores, professus est. Habemus igitur hic judicem ἑαυτὸν τιμωρούμενον, & confitentem reum, se Concilium Tridento Bononiam injustè transtulisse, & tam longo temporis tractu ibidem distinuisse, quicquid etiam Tridentini Patres, quicquid Germaniæ Episcopi, tandémque ipse Cæsar, tum precibus, tum publica protestatione contraniterentur. Hoc cùm sibi objectum iri prævideret, in Consilio privato cum intimis suis, respondit, *actionum ab Johanne Maria Montano Cardinale patratarum rationem ab Julio Pontifice exigendam non esse*. Quasi videlicet mutatio muneris mutâsset etiam & abstersisset culpam, vel Papa factus libidinum, quibus ante Papatum ad infamiam usque deditus erat, rationem Deo reddere non debuerit. *Quintò*, ait Julius, *ad se summos pro tempore Pontifices spectare generalia Concilia indicere & dirigere*. Ita Julius, *Summi illi Pontifices*, etsi reus & gravissimè accusatus, apertè & sine velo illo præfert, se totius Concilii velle esse Dominum, & non modò illud indicere, quando velit, & eò convocare quales ipsi judices videntur, & ejicere quos velit: sed etiam dirigere & moderari illic omnia, & in sua verba adigere omnes. Sanè durum id visum est ipsi etiam Carolo Cæsari, qui lectâ Bullâ per Oratorem suum obsecravit Pontificem, ut Bullam, & in ea maximè verba ea, quibus potestatem indicendi & dirigendi Concilia sibi arrogat Papa, mitigare velit. Dicebat Orator, pari in Protestantium atque in ferarum captura artificio utendum esse. Sicut enim qui feras in laqueos induere tentat, fugam simulet, loco cedat, non ignem aut arma ostentet: Sic Protestantes comiter & benignè habendos, instruendo & auscultando ad Concilium pelliciendos, ubi eò venerint, tum demum idoneum fore tempus ad veritatem iis demonstrandam. Objiciebat exemplum Pauli, qui omnia factus esset omnibus, ut omnes Christo lucrifaceret. Addebat denique, verum officium Apostolicum sibi videri, virgam abscondere, benignum se præbere, & ad aliorum voluntatem descendere. Sed surdo cantavit fabulam, & lunæ questus est omnia. Pontifex enim ut disputandi omnem ansam præcideret, ad hoc κρησφύγετον se recepit, *Bullam stylo Cancellariæ formatam, quam nefas sit immutare*. Quale ergo Concilium fuit, cujus clavum moderari per fas & nefas voluit is ipse, qui reus fuit, & de cujus authoritate injustè usurpata potissima contentio fuit? *Sextò* vocat Bulla, ad suffragia videlicet ferenda *Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, aliósque, qui de jure, vel consuetudine vel privilegio, Concilio interesse debent*. Atque ita à suffragiis ferendis excludit omnes alios, quibus jus, consuetudo & privilegia Pontificia non favent. Ad sedendum autem & judicandum invitat eos, qui jurârunt se Papatum & omnia ejus jura perpetuò defensuros; qui accusati sunt à no-

 strîs,

Digitized by Google

ftris,quòd puram Jesu Christi doctrinam corruperint,& unà cum Papa omnes abusus,Simonias,superstitiones,idololatriam, aliaque ejusmodi βδελύγματα in Ecclesiam invexerint. Sic igitur conjurati Papæ, plerique indocti & carnales larvæ,accusati simul atque rei, nobis reprehensoribus & accusatoribus judices dati sunt. Et ne desint,si forte opus esset,infiniti suffragatores,vocat etiam Bulla eos,qui *privilegio* interesse Concilio possunt. Nempe quæ hones Papæ affirmant, posse Papam creare ex *privilegio*,quotquot voluerit Concilii judices,ultra Episcopos etiam & Abbates. Sic igitur,si quos ex nostratibus in Concilio comparituros timuisset,ut eorum numerum excederent Pontificii,ex infima Monachorum & Carthusianorum suorum fœce plurimos creare,& subitò in scenam protrudere potuisset. *Septimò*,Bulla sancit,Concilium in eo,in quo tunc reperiebatur statu,Calendis Maji *reassumendum,prosequendum esse*. Patet igitur non indici novum,liberum & Christianum Concilium, sed *reassumi* vetus illud servum ac tyrannicum, in quo pauci quidam personati Patres Decreta impia concinnârunt pro arbitrio & libidine Papæ, non modò non auditis vel vocatis accusatoribus, sed ejectis etiam & plorare jussis, quibus liberiores voces exciderunt. Atque hoc ipsum etiam ut mitigaretur, nequicquam à Pontifice expetierat. *Octavò*, denique vulgatâ hac Julii Bullâ,ac mox insecuto Decreto *Augustæ* ab Ordinibus facto,non deerant,qui utrumque confligere & collidi dictitarent. Etenim Decretum illud sancit,Concilium novum *inchoandum*,&c. At Bulla *reassumendum* esse sciscit. Cæsar promittit in eo Decreto, se curaturum, ut res tota legitimè debitóque ordine procedat. In Bulla verò cura moderandi Concilii sibi soli arrogat Julius. In Decreto promittit Cæsar,daturum se operam,ut piè omnia,Christianè ac juxta sacram Scripturam,& Patrum doctrinam tractentur ac definiantur. At in Bulla soli sibi præsidium vendicat Julius. Quæ causa est, quòd vulgato decreto Augustano queri cœpit Romana curia,novam Concilii convocationem à Cæsare institui.

SESSIO

Digitized by Google

SESSIO XI.

Quæ est prima

Sub Julio III. Pont. Max.

Celebrata Calendis Maji. 1551.

Decretum de resumendo Concilio.

Placetne Vobis, ad laudem & gloriam Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus sancti, ad incrementum & exaltationem fidei & religionis Christianæ, sacrum Oecumenicum & generale concilium Tridentinum, juxta formam & tenorem literarum S. Domini nostri, resumi debere, & procedendum esse ad ulteriora ? Responderunt : Placet.

HISTORIA SESSIONIS XI.

Post victoriam à Germanis reportatam sub finem Julii A. 1547. Cæsar comitia celebravit Augustæ, & armata quidem, quippe præsidium jam ante in urbe, & in agris circum Hispanorum ac Italorum copiæ erant. Ibi de Concilio Tridentino redintegrando primam potissimamque deliberationem haberi postulat, eò quòd dissidium religionis causa sit omnis perturbationis Germaniæ, & nisi composito illo, pax constitui nequeat. De eo non omnes Ordines sentiebant idem. Nam Septemviri Ecclesiastici Concilium urgebant sine conditione : At Palatinus, Mauritius & Brandenburgeuses Legati ea conditione, *si liberum esset, pium, Christianum, in quo Papa non præsideat, & Episcopis juramentum remittat, & ipsorum quoque Theologi facultatem decidendi habeant : utique Decreta jam facta retractentur.* Reliqui verò Ordines Pontificii instabant, ut Concilium continuetur, ac Protestantes acceptâ fide publicâ, audiantur, & Concilii decretis parere cogantur. Eorum sententiis cognitis Cæsar 18. Octobris respondet, ut omnes se Concilio submittant, expetit, & de eo cum Palatino & Mauritio Saxone privatim etiam agit, quorum illum minis, hunc verò beneficiorum in ipsum collatorum exprobratione, utrumque promissis eò compulit, ut re Cæsaris fidei permissa assentiretur. Civitates, cum quibus Cæsaris nomine

 Granvel-

Granvellanus & Hasius diu multùmque agebant, Concilii decretis se indifferenter submittere gravabantur. Cùmque tanquam præfracti, eò quòd id recusarent, quod Principes ipsi comprobâssent, accusarentur, tandem inventa est ratio, quâ & Cæsari satisfieret, & ipsis esset cautum. Vocari enim ad Cæsarem, ut ipsa responsa Principum corrigant, non suum esse dicunt, & scriptum simul exhibent, quo testificantur, quibus conditionibus Concilium probent. Accepto eo scripto, neque tamen lecto, Cæsar per Cancellarium Seldum respondet, *gratum sibi esse, quòd reliquorum exemplo rem sibi permittant, & promissis ipsius fidant.* Sic utrisque placuit, suum etiam agentibus negotium, decipi velle. Interea appropinquante die 15. Septembris, quo Bononiæ Sessionem ex nupero decreto haberi conveniebat, Montanus Præsulibus Bononiensibus, adductis variis rationibus, veluti, *quòd Præsules Galli nondum advenerint : quòd Episcopi præsentes de rerum Synodicarum statu nondum satis sint edocti, vel ad res determinandas instructi : quòd infanda Ducis Aloysii Papæ filii cædes, cogitationem injiciat de civitatibus Ecclesiæ in tuto collocandis* ; persuadet, ut Sessionem ad Concilii beneplacitum prorogandam esse decernerent. Ita factum, ut quam diu superstes erat Paulus, inde à 2. die Junii anni 1547. usque ad primum Maji 1551. Sessio vel Bononiæ vel Tridenti omnino nulla ampliùs celebraretur. Episcopi verò Germaniæ ex Comitiis Augustanis ad Pontificem literas de Synodo Tridentum revocanda dedere, quæ precibus jungebant minas, *fore*, nimirum, *ut nisi ipse provideat, aliæ rationes & consilia ineantur difficultatibus expediendis.* Quibus ille literis non ante elapsum tertium mensem respondit, & minas eorum se spernere, utpote successu cárituras, cùm Ecclesiæ Romanæ in Petra fundatæ architectus eam minimè deserturus sit, significavit. Interea Cardinalis Sfondratus nomine Pontificis Cæsari persuadere conatus est, non tantùm ut Concilium Bononiense suo assensu firmare, sed etiam ut in belli contra Regem Angliæ puerum Eduardum gerendi cum ipso societatem venire dignetur. Ita enim Cæsarem novis bellis implicari posse, ut à Concilio animum averteret, credidit. Cæterùm Cæsar non ignarus doli Pontificis, simul ejus in Bello societatem respuit, utpote cujus in bello Germanico perfidiam expertus fuerit : simul illum ad operam in Concilio Tridentum revocando potiùs collocandam invitavit. Cùmque de Concilio Tridentum revocando nihil sibi à Pontifice in mandatis datum Sfondratus respondisset, Cæsar initio Novembris Cardinalem Tridentinum celeriter Romam, ut Pontificem de Synodo Tridentum revocanda interpellaret, misit. Is demum 9. Decembris in frequentissimo Cardinalium senatu, coram Pontifice rem, ut jussus erat, proponit, cùmque Cæ-

saris

Digitized by Google

ſaris Ferdinandi & totius Imperii nomine per omnia ſacra rogat, *primò ut Patres, qui Bononiæ ſunt, Tridentum reverti jubeat, ad perficiendum ibi Concilium: deinde Legatum unum & alterum mittat in Germaniam, poteſtate pleniſſima, abſque ulla reſervatione munitos, de quorum ſententia formula ac modus rectè vivendi ad exitum uſque Concilii præſcribatur, & Eccleſiaſtici ordinis emendatio inſtituatur: poſtremò conſideret atque ſtatuat, ſi Concilii tempore contingat Pontificem decedere, utrùm eligendi Pontificis poteſtas ad Concilium, an ad Cardinales pertineat?* Quintò poſt die Didacus Mendoza Cæſaris mandato eodem in Auditorio locutus eſt eandem in ſententiam. Et ſi vel dilationem vel excuſationem aliquam interponeret Pontifex, in mandatis ſe habere dixit, ut cœterorum Regum ac Principum Legatis adhibitis, palam de vitio Synodi profiteatur. Pontifex utriuſque & Cardinalis Tridentini & Mendozæ poſtulatis reſpondit, ſe cum Patribus, *qui Bononiæ ſint, deliberare, & ad cæteros orbis Chriſtiani Principes rem deferre velle.* Tridentinus cùm aliud reſponſum non impetraret, domum reverſus eſt, relicto ibi Mendoza, cui Cæſar, ut reliqua perficeret, mandaverat. Pontifex verò die 16. Septembris exaratis ad Montanum & Patres Bononienſes literis, poſtulata Cæſaris retulit, juſsítque, *ut implorato Numine Spiritus S. quid reſpondendum ſit Cæſari*, deliberent. Quibus illi literis ita reſponderunt, ut accuſatâ Epiſcoporum, qui Tridenti ſubſiſtebant, contumacia concluſerint, *non videre ſe, quomodo ſalva dignitate & exiſtimatione Synodi de reditu deliberari poſſit, niſi qui ſunt Tridenti, Bononiam priùs accedant, & ſe reliquis conjungant, ac Concilii poteſtatem agnoſcant. Deinde opus eſſe, ut Patribus antea caveatur, fore videlicet, ut Concilio Germania ſe ſubmittat, ejúſque decreta approbet, quæ vel jam facta ſunt, vel in poſterum fient, ac præterea, ut populare non ſit, & ut liceat illud aliò deflectere, cùm certis de cauſis majori parti viſum fuerit.* Redditis his literis Pontifex die 27. Decembris Mendozam Legatum Cæſaris in cœtum Cardinalium accerſit, & quid Bononienſes Patres reſponderint, explicat, eorúmque ſententiam utpote juri conſentaneam ſibi & Cardinalibus haud improbari demonſtrat. Reſponſum hoc cùm Cæſari renuntiâſſet Mendoza, ab eo Bononiam miſſi ſunt duo Oratores, Franciſcus Vargas & Martinus Velaſcus, qui die 16. Januarii in conſeſſum Patrum adducti, Cæſaris ei exhibuerunt literas, *Conventui Patrum Bononiæ* inſcriptas. Montanus Vargam verba facientem cùm ſecundùm interpellâſſet, tandem Velaſcus Cæſaris nomine de Synodi Bononienſis vitio ac defectu proteſtatur, & proteſtationis formulam coram omnibus perlegit. Extat ea integra apud Wolphium *Lect. Memor. Tom. 2. ad A.* 1548. Contracta verò tum apud Sleidanum *Comment. lib. XIX.* tum apud Suave Polanum *lib. III. p.* 252. 253. Inter alia in ea habetur, *Legatos Papæ Tridento cauſâ leviſſimâ neſcio quâ ſubitò confictâ, vix dato*

Digitized by Google

dato cogitandi spatio , de paucorum Italorum assensu translationem decrevisse ; Responsum Patrum Bononiensium de Concilio Tridentum non revocando esse varium , subdolum , captiosum , quod ab ipso meritò damnari debuerit ; non tam transtulisse illos Concilium , quàm ex improviso dissolvisse , & translationem eam cum omnibus , quæ inde consecuta sunt , esse illegitimam ac nullam ; Denique si Pontifex & Episcopi suo officio desint, Cæsarem Ecclesiæ curam ac tutelam in se suscepturum , quantum & jure liceat & sanctorum Patrum legibus concessum sit. Audita hac protestationis formula Cardinalis Montanus de injuria Concilio illata Deum testificatus,se & Præsules reliquos paratos esse dixit *mortem oppetere potiùs,quàm ut patiantur tale exemplum in Ecclesiam introduci,ut Magistratus civilis Concilium cogat.* Similem verò protestationem etiam Romæ apud Pontificem & Cardinales Mendoza Cæsaris nomine edidit. Sed Papa, mirus scil. protestationis illius interpres, ita illam accepit, ac si edita quidem esset *coram ipso*, sed non *contra ipsum*, atque ipse per eam constitueretur non pars , sed judex potiùs litis Cæsarem inter & Patres Bononienses. Præterea Oratorem Mendozam callidè accusat,ac si mandati Cæsarei fines excessisset. Tum prolixè ad singula responsionis capita respondet, & in fine addit, se controversiæ de *translatione Concilii cognitionem suum ad tribunal evocare, eámque quatuor Viris, Parisio, Burgensi, Polo & Crescentio Cardinalibus committere.* Accepto hoc responso Mendoza protestationem iteravit,palam professus,se speciali mandato Cæsaris ea Protestationis forma usum esse. Pontifex verò periculum facturus, an partes disceptantes se judice uti velint, primò quidem tum Bononiensibus, tum Tridentinis Patribus præcipit,ne lite pendente quidquam innovetur,& ut intra unius mensis spatium utraque pars rationes suas proferat: Deinde Tridentinos tres nomine omnium ad causam translationis eorum Delegatis à se disceptandam per breve,citationis in modum, Romam evocat. Sed Cardinalis Paciecus, reliquíque adeò Tridentini Præsules prolixa ad citationem hanc responsione culpam, à Pontifice & Bononiensibus sibi objectam,amoliri conantur, & à Pontifice denique petunt,*ne consentiat,ut inviti ad forum & tribunalia rapiantur ;causam enim,qua de agitur, Dei esse,non suam.* Dum hæc geruntur,Paulus Pontifex contra Cæsarem fœdus meditatur cum Venetis & Gallis,sed irrito successu, illis ab omni cum Papa societate abhorrentibus, his verò, quòd Pontifex capularis esset, Consistorii assensum & præsentaneas pecunias postulantibus. At Cæsar,cùm ex responsione Cardinali Tridentino & Mendozæ à Pontifice & Cardinalibus data, abundè cognosceret,Concilium Tridentum vix revocatum iri,statuit,priusquam arma deponeret, pacem religionis in Germania constituere, delectis ad illud negotium Julio Pflugio, Michaële Sidonio & Johanne Islebio, qui longâ consultatione

Digitized by Google

consultatione habita formulam religionis constantem 35. capitibus, doctrinam & ceremonias concernentibus, dubiis & flexiloquis terminis conceptam composuerunt, quæ sæpius examinata, immutata & sub incudem revocata, sub nomine *Interim*, eò quòd *interea*, dum Concilium expediretur, vigere debeat, venditata, Romam, ad explorandum de ea Pontificis animum, missa est. Romæ verò Curiales plerique omnes stupebant, quòd Princeps Secularis in Conventu Ordinum de religione non in uno, sed in omnibus ferè capitibus statuere sustineret, in memoriam sibi revocantes Henoticon *Zenonis*, ἔκθεσιν *Heraclii* & τύπον *Constantis*, quibus tribus nominibus olim infaustis, quartum hoc Caroli V. *Interim* meritò adnumeretur: proinde in formulam eam quasdam etiam animadversiones conscribebant, acerbè declamantes, *agi nunc de summa rerum, jam convulsa esse Ecclesiæ fundamenta, hic vires colligendas, Principes omnes suscitandos &c.* At Pontifex omnibus sagacior, animum huc illuc versans, ea formula perlecta lætabatur potiùs, præsagiens, *factum hoc Cæsari perniciosum, sibi verò salutiferum fore.* Quocirca Cardinali Sfondrato in mandatis dat, ut adversus libellum nonnulla objiciat, & ubi doctrina ea vulganda fuerit, inde discedat. Die 15. Maji Cæsar formulam eam *Interim* Ordinibus offert, palam quidem reclamante nemine, sed plerisque Protestantibus, se salvâ conscientiâ illam ratam habere haud posse, non dissimulantibus. Die 14. Junii ejusdem Cæsaris jussu etiam formula *emendationis Ecclesiasticæ* conscripta est. Digressurus etiam Cæsar Augustâ Synodos Diœcesanas, & provinciales quotannis haberi imperat, se ut Concilium continuetur, operam daturum promittit, & ut Ordines tum Pontificii, tum Protestantes, ubi vocati fuerint, certò compareant, mandat. Ita Augustanis comitiis impositus est finis. At Pontifex mox tres Nuntios, nimirum Pacensem, Veronensem & Ferentinum Episcopos in Germaniam amandat, ac Bullâ instruit, mandatóque significandi omnibus, se paratum esse omnes ad Ecclesiam Pontificiam redituros obviis ulnis amplecti, modò leges accipiant, non præscribant, quin & facta iis potestate *absolvendi in utroque foro personas quascunque seculares, etiam Reges ac Principes, Ecclesiasticos & Regulares, Collegia ac Universitates ab omnibus excommunicationibus & pœnis etiam temporalibus, quas in heresin lapsi incurrerint, dispensandi ab omnibus irregularitatibus, eosdem famæ, honori restituendi, tam universitates, quàm singulos à conventionibus illicitis etiam juratis, quibus seductoribus suis tenentur, absolvendi regulares ab apostasia, & concedendi facultatem induendi habitum regularem Sacerdotis secularis amictu coopertum, ut vescantur carne & cibis vetitis die Jejunii, communicent sub utraque, modò à Pontifice demissè id postulent, & credant, ecclesiam non errare, &c.* Quas porro turbas passim excitaverit liber *Interim* à Cæsare Protestantibus obtrusus, narrant Sleida-

Digitized by Google

nus *lib.*20.21. Suave Polanus *lib.*3. Porro Paulus III. Pontifex die 10. Novembris anni 1549. anno ætatis 82. è vita discessit, cùm Concilium toto biennio Bononiæ obdormivisset. In conclavi inter primas Capitulorum leges fuit hæc, ut novus Papa juraret, se curaturum, ut Concilium certò continuetur. Ita Cardinalis Montanus, qui hactenus Concilii Præsidem egit, in locum Pauli die 8. Febr. 1650. creatur Pontifex, qui Julii III. nomen assumpsit. Ei Cæsar per Ludovicum Avilam Oratorem Romam amandatùm, eum dignitatis apicem gratulatur, simúlque apud eum Concilii restaurationem solicitat. Sed is generalibus verbis respondit. Nondum enim quid facturus esset, apud animum suum constituerat. Mox iterum Cæsar, tum per literas, tum Oratoris interventu apud Julium restaurationem Concilii flagitat, & certum de eo responsum postulat. Pontifex cum intimis suis anxiè deliberat, an è re esset Concilium restituere, nec ne? Tandémque reputatis tot molestiis, quas Paulus per 26. annos in Concilio aversando exantlavit, non sine dedecore suo, quódque ipse cum Paulo Veterano comparatus in Pontificatu tiro, & nullis fœderibus ac amicitiis innexus, par declinando Concilio minimè sit, consentientibus etiam Cardinalibus, Concilium prosequendum statuit. Anxios tamen omnes habuit, qua ratione authoritas Sedis Apostolicæ in Concilio, extra illud & contra illud, ne ab eo in periculum adducatur, in tuto collocari possit? Huic difficultati amoliendæ Cardinalis Crescentius cautiones adhiberi suasit, quales sunt, *ut Patres in Synodo, aliis, quantum fieri potest, materiis distrahantur: ut Pontifex multorum Italorum præsentiâ sibi favorem conciliet, officiis, promotionis spe, &c. ut Principes æquo veluti libramine utilitatum diversarum, hinc inde propositarum, retineat, ne ad tale quid moliendum in commune consentiant, &c.* Maturata hac deliberatione Pontifex consilium suum, tum Cæsari, tum Galliarum Regi per Nuntios exponit, simúlque de eo considerationes suas Cæsari aperit, videlicet 1. *necessarium esse, ut Galliæ Rex Concilium suo favore sublevet missis etiam Præsulibus.* 2. *Concilium brevi tempore expediendum, quia aliâs sumptibus ferendis Camera Apostolica par futura non sit.* 3. *Decreta hactenus Tridenti facta in dubium vocanda non esse.* 4. *Cæsaris affectum debere esse mutuum. Quemadmodum ipse Cæsari in Concilio prosequendo gratificatus fuerit, ita Cæsar vicissim hanc sinceritatem & fidem sibi fraudi & oneri esse ne sinat.* Hæc omnia cùm & Rex Galliæ, & Cæsar mirificè probâssent, jam Cæsar in Comitiis Augustanis Ordinibus proponere cœpit. Sed Protestantes negabant se parituros, nisi conditionibus certis; *Si* videlicet *decreta jam facta rescindantur: Protestantium Theologi & audiantur, & vocem decisivam habeant: Pontifex non præsideat, sed Concilio se submittat, & Episcopis juramentum remittat.* Nihilominus Cæsar urgebat Concilii inchoationem

Digitized by Google

tionem ante festum Paschatis. Cui Papa gratificandum ratus, Bullam novæ indictionis concinnatam die 5. Novembr. Cæsari transmisit, in qua inter alia se Concilium Calendis Maji anni 1551. resumendum, moderaturum profitetur, & authoritatem suam supra modum effert. Id cùm offensioni futurum Protestantibus Cæsari videretur, per Oratorem is Pontificem obsecrat, ut Bullam mitigare dignetur. Oratore id Julio Papæ suadente eo potissimùm argumento, quòd verborum comitate & blanditiis Protestantes ad Concilium pellici, at pellecti jam & parentes invitationi de veritate faciliùs instrui possint: ab eodem Julio responsum, *nolle se dimicare cum hoste tanquam cum fele in caveam incluso: quod Christus docuit, semper prædicandum & inculcandum esse, nempe Majestatem Divinam vicarium suum, caput Ecclesiæ & lucernam mundi constituisse, quam veritatem doceri conveniat tempestivè & intempestivè.* Itaque nihil omnino in Bulla mutare certus, mox eam typis excusam vulgavit. Quam in Conventu ordinum cùm prælegi curâsset Cæsar, neutris, nec Protestantibus, nec Pontificiis ea satisfecit. Sed Cæsar utraque parte promissis delinita Augustano Conventu decretum condi, quo & Pontificii & Protestantes frequentare Concilium, promissa publica fide jubentur, curavit, quod tamen cum Bulla Pontificia non convenire per omnia animadversum est. Legatum nomine suo Concilium moderaturum delegit Marcellum Crescentium, sancti Marcelli Cardinalem, adjunctis ei duobus Nuntiis, Sebastiano Pighino Archiepiscopo Sipontino & Aloisio Lipomanno Episcopo Veronensi. Qui cùm Præsulibus aliquot comitati Tridentum pervenissent, ac post eos pauci alii subsecuti essent, Calendis Maji anni 1551. præviis antehac consuetis ceremoniis, decretum *de Resumendo Concilio*, prælectum est.

NOTÆ

Ad Historiam & Decretum Sessionis XI.

PRimò Concilium per quatuor ferè annos Bononiæ obdormiscens, nec à Tridentinis Patribus, nec à Præsulibus Germaniæ, nec à Cæsare toties cum Pontifice, Cardinalibus, Patribus etiam Bononiensibus, per literas, Legatos, interpositam protestationem gravissimam, preces & minas agentibus, resuscitari, & superstite Paulo Tridentum revocari potuit. Quis hinc non summam Pontificis, qui toties suum celebrandi Concilii desiderium jactavit, obstinationem, & à Concilio fastidiosam aversationem arguat? Quis non ipsos, qui Tridento Bononiam concesserunt

Digitized by Google

Patres, qui desæviente morbo se redituros Tridentum receperant, fidei violatæ reos peragat? *Secundò* causæ prorogandæ Sessionis à Cardinale Montano prolatæ, frivolæ sunt, ac insuper turpem Præsulum inscitiam, & in rebus Sacris tractandis imperitiam produnt. Quæ obsecro causa fuit, ut ob Petri Aloisii, Papæ filii monstrosissimi, & sceleratissimi hominis, qui Placentiæ à conjuratis domi suæ confossus justas scelerum suorum pœnas luit, mortem, & ex ea conceptum à Pontifice mœrorem, Synodus retardaretur? *Tertiò* prorogatio Sessionis non ad certum & definitum, ut hactenus, tempus, sed *ad Concilii beneplacitum*, potiùs finiti & abrupti, quàm prorogati Concilii rationem habuit. Satis enim apparet, exiguam spem Synodi continuandæ Patres illos hoc decernentes concepisse, & finitum haud dubiè Concilium fuisset, nisi Paulus Pontifex mox vitam cum morte commutâsset. *Quartò* notanda est Pauli Pontificis astutia & iniquitas, qui Cæsaris animum à Concilio aversurus, eum implicare studuit bello Anglico, quod ipse sine ulla causa justa Regi minorenni, tantum dissidium Regni, & familiares in Anglia amicos, futuros Regni proditores, in rem suam versurus, movere constituerat. Ita nimirum vi, quàm virtute & ratione cum Protestantibus decernere nunquam non maluit. *Quintò* Protestatio Cæsaris nomine ab ejus Oratoribus, Varga & Velasco, Bononiensibus Patribus, & à Mendoza Pontifici ipsi exhibita, testis est locuples fraudis in Concilio transferendo admissæ. Neque negligi debet, quòd toties minatus est Cæsar, si Pontifex officio suo deesse pergat, se Ecclesiæ curam in se suscepturum, *quantum jure, & Sanctorum Patrum legibus concessum sit.* Jure igitur & S. Patrum legibus Ecclesiæ curam suscipere sibi integrum esse profitetur. Atque utinam eo jure & maturè, & legitimè, & prudenter uti animum induxisset! Nam in cudendo & obtrudendo libro Henotico *Interim* nihil pro prudente, & seriam Ecclesiæ curam gerente Principe egit. *Sextò* Pontificis ad Protestationem Cæsaream responsum subdolum planè fuit. Accipiebat eam protestationem ut *coram Pontifice*, non *contra ipsum factam.* Acutum scilicet εὕρημα! Perinde ac si qui *coram aliquo* ita protestatur, ut ejus negligentiam non obscurè increpet, & alienæ culpæ ipsum consortem faciat, & ad officium præstandum etiam interpositis minis ipsum adigat, non *contra illum* ipsum protestetur. Accedit, quòd translatio Bononiensis, uti supra probavimus, authoritate facta est ipsius Pontificis. Proinde quicquid contra Bononienses in ea Protestatione dictum, id omne etiam contra Pontificem valuit. Tum & illud ridiculum erat, quòd protestationem eam coram se tanquam *judice* factam nugatus est. Hoc nempe erat ædilitatem gerere sine suffragiis. Neque ejus judicium ullo apice protestatio ambivit. Præterea quòd Men-

dozam

Digitized by Google

dozam arguit mandati Cæsarei finium in Protestatione transgressorem, sine ulla ratione, temeritatem & vafriciem Pontificis manifestè arguit. *Septimò* Bulla Pontificis Pauli pro Germanis, quâ Nuntios suos instructos in Germaniam amandabat, non immeritò fuit in fabulis hominum. Nam quòd in ea dicitur, *in turbis Ecclesiæ id afferre consolationem, quòd prædixit Christus, triticum Ecclesiæ à Satana cribratum, per fidem Petri conservatum iri, maximè adhibito à se Concilii generalis remedio*, ineptum esse ajebant, perinde ac si Ecclesia non alio niteretur fundamento, quàm Pontifice & Præsulibus Tridentinis. Nam quòd Scipio Henricus *Cens. pag.190.* has esse *hæreticorum blasphemias* stomachatur, & *Ecclesiam à Papa & Concilio repræsentari* ait, impotentiam ejus arguit. Hæreticum ei est, quicquid crudo ejus palato minùs sapit. An verò Concilium Tridentinum repræsentaverit Ecclesiam, alibi diximus. Præterea quid Petri fides juvaret degeneres & antithronos Pontifices? Quanquam non fidei Petri, sed potenti præsidio Christi tribuitur conservatio Ecclesiæ. Deinde vanitatis & arrogantiæ insimulabant illud, quòd promiserat Papa, *se Reges & Principes honori, famæ & existimationi suæ velle restituere.* Excipit Scipio, Reges & Principes hæreticos esse *infames*, adeóque famam in Ecclesia iis restituendam esse. Atqui Reges & Principes non iccirco infames sunt, quia à Pontifice divortium faciunt. Nec si infames essent, alia re, quàm pœnitentiâ iis in Ecclesia restitui fama posset. Tum etiam promittebat Papa restitutionem famæ in utroque foro, non Ecclesiastico tantùm, sed Politico etiam. Præterea in Bulla ea contradictionem sapiebat, quòd Papa concessit calicem duntaxat iis, qui credunt Ecclesiam non errare. Quomodo enim, inquiebant, verisimile sit aliquem ita credere, qui tamen non postulet inter eos censeri, quibus interdicitur? Respondet Scipio, non implicare hoc contradictionem, *quia calicis usus concedatur Ecclesiasticis omnibus, non autem laicis.* Atqui Bulla calicis usum promittit omnibus demissè id postulantibus, & quòd Ecclesia non erret, professis, nec inter laicos & Ecclesiasticos discrimen ullum statuit. Denique ridiculam putârunt esse conditionem appositam absolutioni Monachorum, qui claustra dereliquissent, opertum ferendi amictum Monasticum; quasi videlicet regnum Dei situm esset in colore & forma vestimenti, atque quod foris non licet, id intus saltem necessariò gestandum foret. Ineptè id Scipio diluere conatur, ajens, *ex eo colligi Sedis Apostolicæ benignitatem.* Sed benignitas ea exercenda erat citra hypocrisin, & affectatam in colore vestimenti sanctitatis opinionem. Ejusmodi igitur sermonibus agitatam esse Bullam à Germanis, monet Suave Polanus. Addo ego, liberalissimas illas absolutiones & dispensationes Pontificis à pœnitentiæ videlicet formula Papistica, irregularitatibus quocunque

 respectu

Digitized by Google

respectu contractis, à lege item jejunii, interdicti calicis, festorum &c. ecclesiæ etiam nostræ libertati suffragari. Quid ni enim æquè integrum fuerit nobis verbi Dei ductum, & conscientiæ libertatem à Christo indultam sequentibus, legum illarum jugum excutere, atque Pontifici, ut homines suum sub jugum denuò mitteret, sibique & suæ libidini manciparet, talia admittere licuit? *Octavò* nec illud prætereundum est, quòd inscio & invito Romano Pontifice, Germaniæ Archiepiscopi & Provinciales Diœcesanas Synodos, jubente Cæsare celebrârunt, in quibus non reformationis duntaxat, sed etiam fidei dogmata condita ac definita sunt. Stetit igitur Archiepiscopis illis sententia, posse inscio & invito Pontifice Concilium indici, in quo etiam fidei ipsius dogmata disceptentur. Inprimis id memorabile, quòd in Synodo Provinciali Archiepiscopi Moguntini cap. 41. 42. decretum est, *imagines non ad adorationem aut cultum iis deferendum in Templis proponi, sed ad ea tantùm in memoriam revocanda, quæ adorari oportet. Quòd si ad imaginem aliquam populus confluat, cui homines opinionem quandam Divinitatis tribuunt, eam hanc ob causam inde auferendam.* Et cap. 45. asseritur, *Cælites esse quidem honorandos, sed civili ac dilectionis cultu, non secus atque viros sanctos in hac vita meritò colimus.* Quæ plurimùm distant à Curiæ Romanæ & Concilii Tridentini sequentibus decretis. *Nonò* Cardinalis Crescentii consilium callidum, quâ videlicet ratione in Concilio Patrum animi à censenda & reformanda Pontificis authoritate averti & distineri queant, animadversionem etiam meretur. Ex ea enim Curiæ Romanæ artes fraudulentæ, & feriæ ac solidæ reformationis in ipso etiam capite aversatio luculenter cognoscitur. *Decimò* conditiones, quas Julius III. Concilio Tridenti postliminio aperiendo apposuit, ejusmodi sunt, ut liquidò appareat, liberum & Christianum Concilium minimè ipsi curæ cordique fuisse. Nam & ejus moderationem sibi æquè ac prædecessor arrogavit, & decreta antehac Tridenti sancita rata esse, & ne Concilium Pontificiæ authoritati fraudi sit, caveri voluit. Ipsam Julii Bullam indictionis suo loco expendimus.

SESSIO XII.

Digitized by Google

SESSIO XII.

Quæ est Secunda

Sub Julio III. Pont. Max.

Celebrata die 1. Sept. 1571.

Decretum prorogationis Sessionis.

SAcrosancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu S. legitime congregata, præsidentibus in ea ejusdem sanctæ Sedis Apostolicæ Legato & Nuntiis, quæ in proxime præterita Sessione, sequentem hanc hodie habendam, & ad ulteriora procedendum esse decreverat, cùm ob inclytæ Germanicæ nationis, cujus præcipuè causa agitur, absentiam, ac non magnam cæterorum Patrum frequentiam procedere hactenus distulerit, de venerabilium in Christo fratrum & filiorum suorum, Moguntini & Treverensis Archiepiscoporum, ac sacri Romani Imperii Principum Electorum, & complurium ipsius aliarúmque provinciarum Episcoporum, sub hanc ipsam diem adventu in Domino exultans, & dignas ipsi omnipotenti Deo agens gratias, firmámque spem concipiens, quamplurimos alios, tam ipsius Germanicæ, quàm aliarum nationum Prælatos, & sui officii debito, & hoc exemplo commotos, propediem esse venturos, futuram Sessionem ad 40. diem, quæ erit undecima mensis Octobris, proximè sequentis indicit; & Concilium ipsum in statu, in quo reperitur, prosequendo, cùm in præteritis Sessionibus, de septem Sacramentis novæ legis in genere, & in specie de baptismate & confirmatione definitum fuerit, statuit & decernit de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, nec non, quod ad reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem & commodiorem Prælatorum residentiam pertinent, agi & tractari debere; ac monet & hortatur omnes Patres, ut interim, Domini nostri Jesu Christi exemplo, quantum humana fragilitas patietur, jejuniis & orationibus vacent: ut tandem placatus, qui in secula sit benedictus, Deus, corda hominum ad veræ suæ fidei agnitionem, & sanctæ matris Ecclesiæ unitatem, ac rectè vivendi normam reducere dignetur.

aa

HISTO-

HISTORIA SESSIONIS XII.

SUb finem mensis Maji 1551. cujus initio Sessio XI. successerat, Julius Papa ad Helvetios misit Hieronymum Franchum, tum ut impediret, ne Galliarum Rex, cum quo Parmense bellum immineret, ex ipsorum militibus exercitum scriberet: tum ut milites sibi contra Galliarum Regem concederent: tum denique ut ad Concilium Tridenti prosequendum eosdem invitaret. Gallus quoque per Oratorem susceptum à se Octavii Parmæque patrocinium Pontifici excusat, & nî id ratum habeat, se interdicturum Episcopis suis, ne ad Concilium veniant, minatur. Sed vicissim Julius stolidè minatur Gallo, *si Rex Parmam sibi eripere velit, se Galliam ipsi erepturum: Si Rex Galliæ obsequium sibi subducere tentet, se orbis totius Christiani commercio illi interdicturum: Si Rex armis rem tentet, pro virili se repugnaturum: Si edictis, interdictis, in calamo, charta, atramento exercendis, haud segniorem se futurum.* Responso hoc accepto Rex Galliæ omnibus ditionis suæ Episcopis tam intra quàm extra Galliæ Regnum interdicit, ut intra sex menses ad Ecclesiam quisque suam revertatur, & ad Concilium Nationale se comparet. A quo quidem proposito ipsum, misso nepote suo Ascanio Cornæo, nequicquam revocare Pontifex sustinuit. Non deerant tamen, qui minimè dubitarent, Pontificem pro Parma Cæsari adversus Gallum vindicanda contendentem, non tam hoc egisse, ut Parma in potestatem Cæsaris post Placentiam ab eodem occupatam veniret, quàm ut belli causas in Cæsarem & Gallorum Regem foveret de industria, ut sic Concilio remora aliqua objiciatur, quæ non tam sibi, quàm aliis imputari possit. Argumento iis erat, quòd crebriùs & efficaciùs ab eo actum cum Cæsare de Parma & Mirandula armorum vi tentandis, quàm cum Galliarum Rege de rebus pacificandis. Cùm igitur Pontifex nullo se modo demulceri pateretur, Rex Galliæ per Oratorem suum Thermum contra Tridentinum Concilium Romæ protestatur. Interim Mauritius Saxoniæ Elector & Christophorus Dux Wirtembergicus Theologos suos Tridentum mittere certi, doctrinæ suæ confessionem in Concilio exhibendam seorsim conscribi jubent, simúlque ad Cæsarem scribunt, ut efficiat, quò Synodus etiam Tridentina eadem forma sibi caveat, qua Bohemis olim Basileæ cautum fuerat, ne videlicet sola Cæsaris fide instructis idem contingeret Tridenti, quod Constantiæ Johanni Husso contigit. Quam quidem provinciam Cæsar Oratoribus suis ad Synodum missis solicitè commendavit. Appetentibus verò Kalendis Septembris habita est Sessio XII. in qua post prælectam tum exhortationem ad Patres, Conci-

Digitized by Google

Concilii Præsidum nomine factam, tum decretum prorogandæ Sessionis, tum formulam mandati à Cæsare 3. Legatis, nec non à Ferdinando Rege 2. Legatis exhibiti, demum comparuit Jacobus Amiatus, Abbas Bellosanus, Regis Galliæ Orator, & literas Regis Pontificis Legato exhibuit, quarum hæc erat inscriptio: *Sanctissimis in Christo Patribus Conventus Tridentini.* Quâ lectâ indignati sunt Episcopi Hispani, & literas neutiquam ad se, qui *Concilium generale & legitimum*, non *Conventum*, constituerent, missas esse clamârunt. Re diu tumultuosè agitata, placuit tandem Legato cum Nuntiis & Oratoribus Cæsaris seorsim deliberanti, Synodo uti significetur per Promotorem, Regis literas fine præjudicio legendas esse, eò quòd Conventus nomen meliorem etiam in partem accipi possit. Lectis Regis literis idem Abbas de scripto recitavit Regis protestationem contra Concilium, in qua inter alia hæc habentur: *Regem hactenus hoc unum spectâsse, ne Civitas Parmensis Ecclesiæ surriperetur, atque ut Italia pace & libertate frueretur. Quod si inde Papa arripiat causam Europam omnem bello funesto implicandi, id sibi esse per quidem molestum, sed minimè imputandum, qui omnes honestas pacis conditiones non acceperit duntaxat, sed etiam obtulerit. Si nolit Papa sanis consiliis animum advertere, sed Europa incendium, & Concilii turbamentum sectari, simulque exclusô Rege suspicionem alere, Concilium non boni publici, sed privatorum emolumentorum gratia congregatum, malit, sibi apud Papam & Purpuratos protestandum, se nec Episcopos suos posse mittere Tridentum, in quem locum aditus non sit liber & tutus; nec id Concilium Ecclesiæ pro generali habere, sed ut privatum, cujus decretis nec ipse, nec Galliæ populus, nec Præsules astringantur.* Protestationem hanc in tabulas redigi Regis orator petiit, at Legatus Præses vetuit, & responsum se perhibiturum futuro undecimo Octobris per Promotorem promisit.

NOTÆ

Ad Historiam & Decretum Sessionis XII.

PRimò legatio Pontificis ad Helvetios inter alia ad Concilium invitandos haud indigna consideratione est. Similis enim legatio ejusdem Hieronymi Franchi præcesserat jam anno 1545. & 1546. suo Paulo III. qui suis ad Abbates & Episcopos aliquot Helvetiæ datis literis, inter alia inquit: *Suppudere vos decet, tam vicinos, tam longinquis in veniendo fuisse pigriores. Hanc tarditatem nunc cæteri debetis diligentiâ compensare.* Post hortatur, ut *in virtute sanctæ obedientiæ, & sub vinculo juramenti in promotionibus suis*

Bbbbb *præ-*

Digitized by Google

præſtiti, cæteriſque Sanctorum Canonum diſtrictionibus quantocyus & omni mora poſtpoſita ad Concilium proficiſcantur. Sed nihil profecerunt Pontificiæ hæ tum obteſtationes, tum minæ apud eos, qui cæteroquin in Pontificis gratiam omnia ſemper cupiverunt. Quippe anno demum 1562. decimo ſeptimo poſt Concilium incœptum currente, nomine ſeptem Cantonum Melchior Luſſi, Eques auratus Transſylvanus, & nomine Abbatum Joachimus Abbas Eremi in Concilio comparuerunt. Et hoc ipſo anno 1551. Rex Galliæ Henricus II. Conſiliarium ſuum Morlotum Badam miſit, qui eis ſuaderet, ne Concilium probarent. Id quod non à Reformatis duntaxat, ſed Pontificiis etiam Cantonibus obtinuit, adeò quidem, ut etiam Confœderati Rhæti non dubitarent Thomam Plantam, Curienſem Epiſcopum, qui jam Concilio interfuerat, inde revocare. Ita igitur ſeptendecim integros annos ſeptem Cantonibus Concilium Tridentinum exiguò, vel nullo loco fuiſſe, facilè hinc colligi poteſt. *Secundò* notandum venit artificium Julii, quo Cæſarem & Gallum Parmenſi bello implicare ſtuduit, non alium in finem, quàm ut eo negotio diſtricti à Concilio vel averterentur, vel alienarentur, & Concilii diſſipatio non tam ſibi, quàm illis imputari poſſet. Alia enim cauſa non erat prohibendi, quò minùs Rex Galliæ Parmenſis Ducatus patrocinium adverſus Cæſarem Italiæ toti inhiantem ſuſciperet. Inprimis cùm manifeſta ratio fuerit probandi potiùs inſtitutum Regis Galliarum, Italiæ patrocinantis, quàm Cæſaris arbitrium Italiæ ambientis. Hinc igitur Pontificis animus à Concilio averſus, quicquid profiteretur verbis, affatim cognoſci poteſt. *Tertiò* literæ Regis Galliæ ad Concilium, cui *Conventus* nomen indidit, nec non Proteſtatio tum Romæ, tum in Concilio exhibita prodit, quo loco Tridentinam Synodum Rex habuerit, non tam Concilii nimirum, quàm Conciliabuli. Quamvis enim Cæſarei in Concilio Epiſcopi Proteſtationem Regis vanitatis arguerent, & Concilii acta legitima eſſe pertenderent; quamvis populi Chriſtiani pars minor invitata quidem, ſed invitationem negligens non conſenſerit: tamen meritò regerebant alii, Epiſcopos Galliæ verbis quidem invitatos, at factis, quò minùs venire poſſent, cohibitos eſſe, cùm per Cæſaris ditiones tutò Tridentum adire non licuerit: tum integram quidem authoritatem eſſe penes majorem partem, quando minor, quæ venire non poteſt, tacendo conſentit: at ubi tum pars ea proteſtatur, locúmque ſuum depoſcit, tum is ipſe qui vocat, impedimentum objicit, actionem omnino reddi invalidam. Sed & Senatus Pariſienſis Centumviralis addidit, totius univerſitatis authoritatem ad majorem partem tum demum transferri, cùm cauſa omnium eſt communis, & ſingulos non attingit. At omnium conſenſum requiri, cùm ad omnes & ſingu-

Digitized by Google

ſingulos ſpectat. Concilium igitur cùm ad omnes & ſingulos ſpectet, ad ejus decreta recipienda non obligari Eccleſias abſentes. Quicquid ſit, apertum id ſanè eſt, Regem hac Proteſtatione Concilio gravem plagam inflixiſſe, eò quòd prudentibus veriſimile videri non potuerit, Regem Chriſtianiſſimum, ejúſque univerſum populum, ſi in eo præſidere Spiritum S. autumâſſet, adverſus illud proteſtaturum fuiſſe. *Quartò* minæ Julii Pontificis adverſus Regem Galliæ, cui ſe totius Galliæ obſequium, & univerſi Orbis Chriſtiani commercium erepturum ſtolidè comminatur, ejus inſolentiam & impotentiam manifeſtè arguunt. *Quintò* denique animadverſionem meretur & illud, quòd exhibitis tum literis *Conventui Tridentino* inſcriptis, tum proteſtatione Regis, Legatus cum Nuntiis & Oratoribus Cæſaris ſeorſim deliberavit, & inconſultis Patribus, literas ſine præjudicio legendas, & reſponſum undecimo Octobris expediundum eſſe, decrevit, & per Promotorem denuntiavit. Ita videlicet rerum definiendarum & gerendarum arbitrium quinqueviri ſibi arrogare non erubuerunt.

SESSIO XIII.

Quæ eſt tertia

Sub Julio III. 11. Octobris A. 1551.

Decretum de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

CUpit Sacro-ſancta Synodus ſtirpitus convellere zizaniam execrabilium errorum & Schiſmatum, quam inimicus homo his noſtris calamitoſis temporibus, in doctrina fidei, uſu & cultu ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ ſuperſeminavit: quam alioqui Salvator noſter in Eccleſia ſua tanquam Symbolum reliquit ejus unitatis & charitatis, quâ Chriſtianos omnes inter ſe conjunctos & copulatos eſſe voluit. Itaque ſanam & ſynceram illam de venerabili & Divino hoc Sacramento Euchariſtiæ doctrinam tradens, quam ſemper Catholica Eccleſia ab ipſo Jeſu Chriſto Domino noſtro, & ab ejus Apoſtolis erudita, atque à Spiritu S. indies illi omnem veritatem ſuggerente edocta, retinuit, & ad finem uſque ſæculi conſervabit, omnibus Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de ſanctiſſima Euchariſtia, aliter credere, docere aut prædicare audeant, quàm ut eſt hoc præſenti decreto declaratum atque definitum.

Digitized by Google

Cap. 1.

De reali præsentia Domini nostri Jesu Christi in Eucharistiæ Sacramento.

Principio docet sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, D. N. Jesum Christum, verum Deum atque hominem, verè realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, & constantissimè credere debemus. Ita enim majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum, in ultima cœna, Redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est. Quæ verba à sanctis Evangelistis commemorata, & à Divo Paulo postea repetita, cùm propriam illam & apertissimam significationem præ se ferant, secundùm quam à Patribus intellecta sunt, indignissimum sanè flagitium est, ea à quibusdam contentiosis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ tanquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut Satanica detestata est, grato semper & memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

Cap. 2.

De ratione institutionis hujus sanctissimi Sacramenti.

Ergo Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum: & illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suámque annunciare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me; & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ fælicitatis, adeóque symbolum unius illius

Digitized by Google

illius corporis, cujus ipse caput existit, quique nos tanquam membra, arctissima fidei, spei & charitatis connexione astrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, neque essent in nobis schismata.

Cap. 3.

De excellentia sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua Sacramenta.

Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem. Verùm illud in ea excellens & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur: at in Eucharistia ipsa sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen affirmaret, corpus suum esse, quod præbebat. Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verúmque ejus sanguinem sub panis & vini specie, unà cum ipsius anima & divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animámque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus, inter se copulantur: divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub altera specie, atque sub utraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit.

Cap. 4.

De Transsubstantiatione.

Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini, in substantiam sanguinis ejus: quæ conversio convenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia, Transsubstantiatio est appellata.

Cap. 5.

De cultu & veneratione huic sanctissimo Sacramento exhibenda.

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, cùm omnes Christi fideles, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sa-

Digitized by Google

cramento in veneratione adhibeant. Neque enim minùs est adorandum, quòd fuerit à Domino, ut sumatur, institutum. Nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adoraverunt: quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, scriptura testatur.

Declarat præterea sancta Synodus, piè & religiosè admodum in Dei Ecclesia inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam & festo die præcelsum hoc & venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solennitate celebraretur, utque in processionibus reverenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cùm Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos & memores testentur animos, erga communem Dominum & Redemptorem, pro tam ineffabili & planè divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus repræsentatur. Ac sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti & confusi aliquando resipiscant.

Cap. 6.

De asservando Eucharistiæ Sacramento, & ad infirmos deferendo.

Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeò antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, & in hunc usum in Ecclesiis conservari, præterquam quòd cum summa æquitate & ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc & necessarium morem statuit.

Cap. 7.

De præparatione, quæ adhibenda est, ut dignè quis sanctam Eucharistiam percipiat.

Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sanctè, certè quò magis sanctitas & divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat: præsertim cùm illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quare communicare volenti, revocandum est in memoriam ejus præceptum: Probet autem

seipsum

Digitized by Google

ſtipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat, quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit illis copia confeſſoris. Quòd ſi neceſſitate urgente ſacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quàm primùm confiteatur.

Cap. 8.

De uſu admirabilis hujus Sacramenti.

Quoad uſum autem, rectè & ſapienter Patres noſtri tres rationes hoc ſanctum Sacramentum accipiendi diſtinxerunt. Quoſdam enim docuerunt Sacramentaliter duntaxat id ſumere, ut peccatores: alios autem ſpiritualiter, illos nimirum, qui voto propoſitum illum cœleſtem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem ſentiunt; Tertios porro Sacramentaliter ſimul & ſpiritualiter: ii autem ſunt, qui ita ſe priùs probant & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti, ad divinam hanc menſam accedant. In Sacramentali autem ſumptione in Eccleſia Dei mos fuit, ut Laici à ſacerdotibus communionem acciperent, ſacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent: qui mos tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, jure ac meritò retineri debet.

Demum verò paterno affectu admonet ſancta Synodus, hortatur, rogat, obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut omnes & ſinguli qui Chriſtiano nomine cenſentur, in hoc unitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo jam tandem aliquando conveniant & concordent: memoréſque tantæ majeſtatis, & tam eximii amoris Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis pretium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum, hæc ſacra myſteria corporis & ſanguinis ejus, ea fidei conſtantia & firmitate, ea animi devotione, ea pietate & cultu credant & venerentur, ut panem illum ſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint, & is verè eis ſit animi vita & perpetua ſanitas mentis: cujus vigore confortati, ex hujus miſeræ peregrinationis itinere, ad cœleſtem patriam pervenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modò ſub panis velaminibus edunt, abſque ullo velamine manducaturi.

Quoniam autem non eſt ſatis veritatem dicere, niſi & detegantur & refellantur errores; placuit ſanctæ Synodo hos Canones ſubjungere, ut omnes jam agnitâ doctrinâ Catholicâ, intelligant quoque, quæ ab illis hæreſes caveri vitaríque debeant.

Canones de Sacramento Euchariſtiæ.

Canon. 1.

Si quis negaverit, in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, unà cum anima & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti

Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, Anathema sit.

Canon. 2.

Si quis dixerit, in sacrosancta Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, unà cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini: quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transsubstantiationem appellat, Anathema sit.

Canon. 3.

Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub una quaque specie, & sub singulis cujuscunque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, Anathema sit.

Canon. 4.

Si quis dixerit, perfecta consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu, dum sumitur, non autem ante vel post: & in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, Anathema sit.

Canon. 5.

Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, Anathema sit.

Canon. 6.

Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundùm laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem solenniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum &, ejus adoratores esse idololatras, Anathema sit.

Canon. 7.

Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessariò distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorificè deferatur, Anathema sit.

Canon. 8.

Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantùm manducari, & non etiam sacramentaliter ac realiter, Anathema sit.

Digitized by Google

Canon. 9.

Si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, Anathema sit.

Canon. 10.

Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare, Anathema sit.

Canon. 11.

Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus est.

Decretum super Reformatione in eadem Sessione.

EAdem sancta Tridentina Synodus, intendens nonnulla statuere, quæ ad jurisdictionem pertinent Episcoporum, ut juxta proximæ Sessionis decretum, illi in commissis sibi Ecclesiis eò libentiùs resideant, quò faciliùs & commodiùs sibi subjectos regere, & in vita ac morum honestate continere potuerint, illud primùm eos admonendos censet, ut se pastores, non percussores esse meminerint, atque ita præesse sibi subditis oportere; ut non eis dominentur, sed illos tanquam filios & fratres diligant, elaborêntque, ut hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coërcere cogantur. Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda præceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent, in omni bonitate & patientia: cùm sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm austeritas: plus exhortatio, quàm comminatio: plus charitas, quàm potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cùm mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est; ut sine asperitate disciplina, populis salutaris ac necessaria conservetur, & qui correcti fuerint, emendentur: aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animadversionis exemplo à vitiis deterreantur: cùm sit diligentis & pii simul pastoris officium, morbis ovium levia primùm adhibere fomenta: post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad se veriora & graviora remedia descendere: sin autem nec ea quidem proficiant, illis submovendis cæteras saltem oves à contagionis periculo liberare.

Digitized by Google

Cùm igitur rei criminum plerumque ad evitandas pœnas & Episcoporum subterfugienda judicia, querelas & gravamina simulent, & appellationis diffugio judicis processum impediant, ne remedio ad innocentiæ præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ut hujusmodi eorum calliditati & tergiversationi occurratur, ita statuit & decrevit.

Cap. 1.

In causis visitationis & correctionis, sive habilitatis & inhabilitatis, nec non criminalibus ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario generali, ante definitivam sententiam, ab interlocutoria vel alio quocunque gravamine non appelletur: nec Episcopus seu Vicarius appellationi hujusmodi, tanquam frivolæ deferre teneatur, sed ea, ac quacunque inhibitione ab appellationis judicio emanata, nec non omni stylo & consuetudine etiam immemoriabili contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere; nisi gravamen hujusmodi per diffinitivam sententiam reparari, vel ab ipsa diffinitiva appellari non possit: quibus casibus sacrorum & antiquorum canonum statuta illibata persistant.

Cap. 2.

A sententia Episcopi, vel ipsius in spiritualibus Vicarii generalis, in criminibus appellationis causa (ubi appellationis locus fuerit) si Apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, Metropolitano, seu illius etiam Vicario in spiritualibus generali, aut si ille aliqua de causa suspectus foret, vel ultra duas legales diœtas distet, seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus Episcopis, seu illorum vicariis, non autem inferioribus judicibus committatur.

Cap. 3.

Reus ab Episcopo, aut ejus Vicario in spiritualibus generali, in criminali causa appellare coram judice possit: ei ad quem appellavit, acta primæ instantiæ omnino producat, & judex nisi illis visis, ad ejus absolutionem minimè procedat: is autem, à quo appellatum fuerit, intra 30. dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat; alioqui absque illis causa appellationis hujusmodi, prout in justitia sua asserit, terminetur. Cùm verò tam gravia nonnunquam sint delicta ab Ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem è sacris ordinibus deponendæ, & curiæ sint tradendæ sæculari, in quo secundùm sacros Canones certus Episcoporum numerus requiritur, quos si omnes habere difficile esset, debita juris executio differetur, si quando autem intervenire possent, eorum residentia intermitteretur, propterea statuit & decrevit.

Cap. 4.

Episcopo per se, seu illius vicarium in spiritualibus generalem, contra clericum in sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, necnon verbalem depositionem, & per se ipsum, etiam ad actualem atque solemnem degradationem

Digitized by Google

nem ab ipsis ordinibus & gradibus Ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum Episcoporum præsentia in numero à Canonibus diffinito requiritur, & absque illis procedere licet: adhibitis tamen & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, usum mitræ & baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in civitate aut diœcesi reperiri & commodè interesse possint: alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant.

Cap. 5.

Et quoniam per fictas causas, quæ tamen satis probabiles videntur, interdum accidit, ut nonnulli ejusmodi gratias extorqueant, per quas pœnæ illis Episcoporum, juxta severitatem inflictæ, aut remittuntur omnino, aut minuuntur, cùm non ferendum sit, ut mendacium, quod tantopere Deo displicet, non modò ipsum impunitum sit, verùm etiam alterius delicti veniam impetret mentienti: iccirco, ut sequitur, statuit & decrevit.

Episcopus apud Ecclesiam suam residens, de subreptione & obreptione gratiæ, quæ super absolutione alicujus publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ, ad quam criminosus per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur, per se ipsum tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, etiam summariè cognoscat, ipsámque gratiam, postquam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem, obtentam esse legitimè constiterit, non admittat.

Cap. 6.

Quoniam verò subditi Episcopo, tametsi jure correpti fuerint, magnopere tamen eum odisse, & tanquam injuriâ affecti sint, falsa illi crimina objicere solent, ut quoquo pacto possint, ei molestiam exhibeant: cujus vexationis timor plerúmque illum ad inquirenda & punienda eorum delicta segniorem reddit, iccirco ne ii magno suo & Ecclesiæ incommodo, gregem sibi creditum relinquere ac non sine Episcopalis dignitatis diminutione vagari cogantur, ita statuit & decrevit.

Episcopus, nisi ob causam, ex qua deponendus sive privandus veniret, etiam si ex officio, aut per inquisitionem seu denunciationem, vel accusationem, sive alio quovis modo procedatur, ut personaliter compareat, nequaquam citetur vel moneatur.

Cap. 7.

Testis in causa criminali ad informationem, vel judicia, seu alias in causa principali, contra Episcopum, nisi contestes & bonæ conversationis; existimationis & famæ fuerint, non recipiantur: & si odio, temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint, gravibus pœnis mulctentur.

Cap. 8.

Causæ Episcoporum, cùm pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur.

Digitized by Google

Eadem die prorogatur definitio quatuor articulorum ad aliam Sessionem, nimirum: An necessarium sit ad salutem, & divino jure praeceptum, ut singuli Christiani fideles, sub utraque specie, ipsum venerabile Sacramentum accipiant: & an minus sumat, qui sub altera, quàm qui sub utraque specie communicat: & an erraverit sancta Ecclesia, laicos & non celebrantes sacerdotes sub panis specie duntaxat communicando: & an parvuli etiam communicandi sint. Hac autem prorogatio facta est, quia Protestantes Germani audiri se super his à sancta Synodo cupiebant, & ad veniendum fidem publicam postulârunt, ut tutò eis venire, morari, sententias dicere, & discere liceret. Data est eis amplissima fides, seu salvus conductus eadem die 11. Octobris. 1551.

HISTORIA SESSIONIS XIII.

REX Galliæ Henricus II. Protestatione edita adversus Concilium, uti supra diximus, Pontificis Nuntium è Regno dimisit, simùlque ne pecunia licitandis beneficiis, gratiis & dispensationibus è regno per numularios aliósve exportetur, interdixit; eò quòd durum nimis videatur, ut Galliæ denariis Galliarum Regi bellum, Parmense nimirum, quod instabat, inferatur. Accessit eandem in rem Parlamenti Parisiensis decretum, quo inter alia asseritur, *præstare ut dispensationes ampliùs nummis non redimantur, utpote quibus conscientiis hominum securitas, & quies non paretur, sed glaucoma tantùm aut fucatus color oculis objiciatur, qui veritatem apud Deum offuscare non possit.* Cúmque Romæ traduceretur tanquam insolens, quòd Rex simul Papam Protestatione & bello lacesseret, simul debitam Sedi Apostolicæ reverentiam profiteretur, Galli antiquitatis testimonio evincebant, non idem esse *Pontificem & Apostolicam Sedem.* Interea etiam Papa, monente Cæsare, de creandis novis Cardinalibus, quò Gallos si non superare, saltem numero æquare possit, cogitat, licet variæ animo ejus difficultates occurrerent. Porrò die 2. Septembris habita generali congregatione deputati Patres de Eucharistia decem articulos à Theologis discutiendos formârunt, simúlque Theologis & quæstionum tractandarum & sententiarum proferendarum novam methodum præscripserunt, *ut* videlicet *opiniones suas S. Scripturæ verbis, Apostolorum traditionibus, probatorum Conciliorum decretis & Sanctorum Patrum authoritate firment, brevitati studeant, supervacuas quæstiones vitent, à protervia & contentione abstineant: Ordinem denique in ferendis sententiis hunc custodiant, ut primo loco dicant Theologi à Pontifice missi, post hos Cæsarei, mox seculares, ut quisque Doctoratûs tempore præcedit, tandem regulares.* Hæc methodus displicuit Italis, utpote novitia, & à Theologia scholastica, quæ rationum potiùs quàm authoritatum momenta ponderet, prorsus aliena. Addebant, *doctrinam illam positivam,*

Digitized by Google

poſitivam, quæ verſetur in colligendis S. Scripturæ & Patrum dictis, eſſe ſolam memoriæ laudem, aut ſcribendi laborem, ſatis quidem vetuſtam, ſed inde ab annis 350. tanquam infirmam nimis neglectam. Denique querebantur, futurum hac ratione, ut Lutherani vincant propter exactam linguarum cognitionem, & operoſam in bonis authoribus legendis induſtriam. Sed Patribus, qui intelligere cupiebant, quæ dicerentur, neque uti antehac factum, ſpinoſis quæſtionibus diſtineri volebant, ſtetit ſententia, ut methodum ſibi præſcriptam omnino, quicquid etiam cauſarentur, tenerent. Ita ventum eſt ad decem articulorum propoſitorum examen, in quorum aliis quidem conſenſus, in aliis diſſenſus Patrum proditus eſt. In eo conſentiebant omnes, *in Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè corpus & ſanguinem Chriſti; Chriſtum ibidem eſſe adorandum; Euchariſtiam eſſe aſſervandam; in particulis conſecratis poſt communionem ſupereſſe verum corpus Chriſti; Communionem ſub utraque ſpecie neceſſariam non eſſe.* Sed pugnabant de variis capitibus, veluti, *An damnanda eſſet ſpiritualis manducatio per fidem? An damnandi ſint conſubſtantiationem aſſerentes? An hæreticum ſit dicere, euchariſtiam inſtitutam eſſe ad ſolam peccatorum remiſſionem? An liceat ſibi ipſi euchariſtiam communicare? An tantum una ſpecie contineatur, quantum duabus, & tantundem accipiat qui unâ, quantum qui utraque ſpecie communicat? An confeſſio neceſſaria ſit ad præparationem ad euchariſtiam? An hæreticum ſit dicere, fideles ſingulis annis ad communicandum in feſto Paſchatis non teneri?* Expoſitis Theologorum ſententiis Patres deſignati anathemata ſeptem confecerunt, & in generali congregatione propoſuerunt. Sed ubi recruduit vetus contentio, utrum doctrina de euchariſtia ſolis anathematis expedienda ſit, an etiam capita doctrinæ, uti factum erat in materia de juſtificatione, explicanda? Poſterius acriter pertenderunt & impetrârunt Theologi Itali, hoc ſibi Germanis aliiſque Theologis arrogantes, quòd in explicandis dogmatis, & indagandis earum cauſis ipſi, utpote Theologiæ ſcholaſticæ callentiſſimi, plurimùm valeant. Sic ad octo capita reducta fuit ea de Euchariſtia doctrina, puta de *præſentia reali, de inſtitutione euchariſtiæ, de ejus excellentia, de transſubſtantiatione, de adoratione, de præparatione ad Sacramentum ſumendum, de uſu calicis, quoad laicos communicantes, & de communione puerorum.* De his tum anathematibus, tum capitibus aliquot congregationibus egerunt Patres. Sed quoad controverſiam de *communione calicis*, vehementer interceſſerunt Cæſaris & Ferdinandi Oratores, ac omnium nomine Comes Montfortus, ne ante Proteſtantium adventum ea decideretur, & ne in univerſum materia de euchariſtiæ Sacramento iis abſentibus diſcuteretur, útque ipſi etiam in Concilio comparere queant, denuo ſolicitant cautionem de tuto & libero commeatu, ſeu ſalvum conductum Synodi. Legatus rem conſultò producit, ac interea miſſis ad Pontificem

Ccccc 3

Digitized by Google

ficem anathematis, eundem consulit, quid respondendum sit Oratoribus Cæsaris? Romæ igitur in senatu Cardinalium deliberatum, expediátne Protestantibus eam cautionem præstari, seu *salvum conductum* concedi? Alii negabant, *eò quòd id nunquam nisi in Concilio Basileensi factum esset: quòd perduelles fide publica tuti esse non debeant: quòd metuendum sit, ne opinionum suarum illecebris multos irretiant, uti Vergerio acciderit, & fortassis pluribus Episcopis magnæ existimationis.* Alii verò id affirmabant, *tum ut excusatio obtentúsque omnis iis præcidatur: tum ut Cæsari, à quo hoc potissimùm tempore, alienato à Pontifice Gallo, pendendum sit, satisfiat.* Addebant hi posteriores, cautionem interponi posse, quæ nullo aut levissimo nexu astringat. Id futurum primò, si nominatim Protestantium mentio non fiat, sed in genere ecclesiasticis & singularibus nationis Germanicæ, cujuscunque conditionis caveatur: Deinde si fidem suam interponat Synodus, at non Pontifex: Denique si judices, qui in admissa inquirant, delegentur, quorum electio vitandæ suspicionis gratiâ ipsis permittatur. Posteriori huic sententiæ consensit Pontifex, qui proinde Legato respondit, *se Salvum conductum eâ, quam ipse præscripserit formâ, concedi, velle; jubere etiam, ut articulus de communione calicis differatur, sed non ultra tres menses, atque interea una Sessio habeatur de Pœnitentia; Denique ut articuli de Eucharistia, utpote fusiores dividantur.* Interim dum Tridenti in explicandis dogmatibus Patres pergunt, oborta est de modo, quo corpus Christi est in Sacramento, & quo panis in corpus, vinum in sanguinem transsubstantietur, gravis Dominicos inter & Franciscanos disputatio. Illi enim statuerant, Christum esse in eucharistia, non quòd ex alio loco eò veniat, sed quòd substantia panis convertatur in substantiam corporis, eo in loco quo panis erat; præterea totam substantiam panis mutari in totam substantiam corporis; formam panis in formam corporis; atque hoc dici *transsubstantiationem.* Franciscanis contra placuit, corpus Christi, quod in pluribus locis esse queat, adduci ad locum ubi panis est, mutatione non successiva, sed in instanti facta. Deum igitur statuisse, ut ubi corpus est, ibi alterius rei substantia non permaneat, sed esse desinat, neque tamen in nihilum abeat, adeóque vocari transsubstantiationem, non quòd substantia corporis Christi fiat ex substantia panis, sed quòd hæc illi succedat. Audita hac disputatione Elector Coloniensis negavit, utrosque quid sibi velint, satis intelligere. Sancitum tamen in congregatione generali, ut articulus hic de præsentia corporis Christi verbis adeò dubiis concipiatur, ut parti utrique satisfiat. Deinceps varii etiam circa eucharistiam abusus notati sunt, qui reformatione indigeant. Inter alios erant & hi, *quòd quibusdam in ecclesiis tamdiu Sacramentum asservetur, ut cariem & putredinem trahat: quòd communicantes plerumque quid accipiant, ignorent: quòd ad*

Sa-

Sacramentum admittantur concubinarii,concubinæ, immanium criminum rei, aliique, qui ne Orationem quidem Dominicam calleant : quòd inter communicandum pecunia exigatur eleemoſyna nomine: quòd Romæ in conſuetudinem verterit, ut qui communicaturus eſt,candelam accenſam teneat manu,& nummum eidem infixum,quem cum candela Sacerdoti relinquat,qui verò ejuſmodi candelam non affert,ad communionem non admittatur. Hiſce malis medicandis fabricari canones nonnullos placuit. Atque hæc quidem circa fidei articulos acta ſunt. In reliquis congregationibus,quibus Canoniſtæ interfuerunt, actum eſt de reformatione Epiſcopalis juriſdictionis,circa quam duo potiſſimùm deprehenſi defectus ſunt,in Proceribus nempe eccleſiaſticis dominatus, in ſubditis verò rixæ, ſubterfugia & querelæ. Primo defectui adhibitum eſt remedium admodum lene, ut videlicet moneantur Præſules,ne dominio abutantur,& charitati ut ſtudeant. In altero defectu corrigendo actum potiſſimùm *de appellationibus,gratiis,abſolutionibus & contra judices querimoniis.* De appellationum in eccleſiaſtico foro abuſibus graviter diſſeruit Johannes Gropperus,oſtendens,alienum eſſe, ut à decretis & interlocutoriis uno ſaltu appelletur, non ad quemvis, ſed ad ſupremum judicem, Romanum Pontificem. Hinc nempe evenire, ut cauſarum immenſitas naſcatur,& extra territorium proficiſcendi neceſſitas injungatur, & Epiſcoporum authoritas vileſcat, & diſciplina eccleſiæ marceſcat. Abuſibus hiſce occurri poſſe ajebat,ſi vetetur,*ne intermedios judices prætervecti, ad ſupremum uno ſaltu provocent, & ne ab articulis aut decretis interlocutoriis provocatio fiat, decernatúrque, ut reſtituantur Synodi & officiales profligentur.* Hic Gropperi ſermo gravis accidit Legato, iiſque qui Pontificem ſuſtentabant, qui ruiturum Papatum arguebant, ſi appellationes ad Pontificem reſtringantur,vel interdicantur penitus. Subornatus igitur ab iis Johannes Baptiſta Caſtellus Bononienſis in ſequenti congregatione, Synodalium judiciorum incommoda,officialium inſtituendorum,& appellationum ad Pontificem neceſſitatem demonſtrare ſuſtinuit. Sed ab utraque & Gropperi & Caſtelli ſententia diſceſſerunt Præſules Itali,mediam calcantes viam,uti videlicet *provocatio fieret ad Pontificem à ſententiis demum definitivis judicum,in cauſis videlicet non civilibus ſed criminalibus.* Poſtea Germaniæ Præſules contenderunt à Synodo, ut *Degradationis* Eccleſiaſticorum modus aliquis legibus definiatur. Sed innovari hìc quicquam prohibuit Synodus. Denique Legatus jam antè à Papa inſtructus, Comitis Montforti petitionem nomine Cæſaris factam, de differenda circa euchariſtiam materia, & ſalvo conductu impertiendo Proteſtantibus , ad Synodum refert , ſuámque de utroque ſententiam pronuntiat. Decretum , ut ſalvi conductus Proteſtantibus concedendi diploma à Legato conficiatur , & articuli præcipui de eucha-

Digitized by Google

eucharistia ad adventum usque eorum differantur. Tandem succedit Sessio publica die 11. Octobris, in qua post prælectum tum fidei, & reformationis decretum; tum salvi conductus Protestantibus concedendi formulam, uti à Cardinalibus Romæ concepta erat, concinnatam; tum Electoris Brandenburgici mandatum per legatos ad Concilium missum, quo præclaram ille voluntatem suam, & erga Præsules observantiam testificatus est, reticens interim, quid de religione sentiret, quod astutè nimis Patres statim arripuerunt ut argumentum prolatæ Synodi; tum denique decretum prorogandæ definitionis quatuor articulorum fidei. Responsum tandem etiam Galliæ Regis Legato quamvis absenti, ad Protestationem, Regis nomine Synodo exhibitam, ubi inter alia asseritur, *si maximè Rex Galliæ neminem ad Concilium mittat, fore tamen, ut Concilio sua constet dignitas & auctoritas, quia & legitimè indictum, & justis de causis restitutum sit.*

NOTÆ
Ad Historiam & Decretum Sessionis XIII.

PRimò observatu dignum est, quòd tum Rex Galliæ gratiarum & dispensationum Pontificiarum nundinationem suis interdixit: tum Parlamentum pronuntiavit, dispensationibus & gratiis ejusmodi non tam quietem conscientiis hominum parari, quàm glaucoma hominum oculis objici: tum denique utrique discrimen illud Pontificem inter & Apostolicam Sedem, ut illo læso, offenso, in suspicionem adducto, exturbato, hæc immunis maneat, ingesserunt. Ita nobis suffragantur Pontificias nundinationes improbantibus, & Pontificem ab Ecclesia auferri posse, cum Gersone Cancellario itidem Parisiensi asserentibus. *Secundò* Concilium Pontifici de creandis novis Cardinalibus suggestum, ab ipso avidè arreptum pertinet ad *μεθοδείας* & machinationes Pontificis, quibus injustam potestatem sustentare semper solitus est. *Tertiò* quòd Italis Theologis displicuit methodus ex testimonio Verbi Divini, quam illi ut inutilem memoriæ carnificinam impiè exploserunt, & Scholasticis suis tricis, offuciis, & inanibus ratiociniis postposuerunt, Theologiæ Tridentinæ, qualis antehac Tridenti sonuit, indicium præbet. Neque deinceps in Concilio, quicquid etiam vetarent Patres, alia methodus obtinuit. Homines enim illi Scholasticæ Theologiæ incocti, & in Dei verbo tractando rudes prorsus & *ἀμύητοι*, se extra cancellos suos abripi haud siverunt. *Quartò* dissensus Theologorum in fidei dogmatibus variis incertitudinem doctrinæ Papisticæ prodit. Nam quòd Scipio Henricus *Cens. pag.* 139. 140. dissensum illum elevare conatur

Digitized by Google

eo argumento, *quòd in anathematibus certi quid ſtatutum ſit,* frigidum planè eſt. Etenim id, de quo controvertebant Theologi, Patres poſtea definiverunt. Quæ definitio diſſenſum illum non præceſſiſſe haud arguit. Addo etiam plura à Theologis diſceptata, haud definita eſſe, uti articulos Theologis propoſitos cum anathematibus conferenti liquebit. *Quintò* Oratorem Cæſaris, & Ferdinandi petitionem de ſalvo conductu Proteſtantibus impartiendo, & controverſia Euchariſtica abſentibus Proteſtantibus non definienda, Legatus inſcia Synodo & inconſulta ad Pontificem miſit, & ex ejus præſcripto ad eam poſtea reſpondit. Ita ubique Spiritus Papæ animavit Synodum, ex ejus nutu nuſpiam non pendentem. *Sextò* Cardinalium & Pontificis impia de Salvo Conductu generalibus & fallacibus verbis, Proteſtantibus concedendo, vel prorſus non concedendo, conſultatio & ſententia atro carbone notanda venit. Siccine agendum cum Proteſtantibus ut perduellibus, quibus ne liber quidem commeatus indulgeri poſſit, magna Cardinalium parte ita ſtatuente? vel ambiguis formulis non Chriſtianam, ſed Punicam, & in Conſtantienſi primùm Synodo ferali exemplo ſancitam fidem redolentibus, illudendum fuit capitibus eorum, qui publica Cæſaris & Synodi interpoſita fide accerſiti ſunt? Quis non ſanguinariam & ληστρι-κὴν Synodum dixerit, ad quam pelliciuntur blandis & falſis verbis, qui mox jugulentur à Pontifice, ſanguinem eorum, qui contra ejus nutum hiſcerent, ſitiente, & ſæviſſimorum hominum piaculares victimæ exiſterent? *Septimò* controverſia de præſentia Chriſti in Concilio oborta Dominicanos inter & Franciſcanos, & generalibus verbis, aptis natis utrique parti ſatisfacere, deciſa, arguit, quam fidei unitatem intenderit Synodus, talem videlicet, quæ in doloſis & generalibus verbis, non re ipſa conſiſteret. *Octavò* abuſus circa euchariſtiam à Patribus prolati, & à nobis obiter in hiſtoria recitati docent, quàm parùm ſanctè in adminiſtrando euchariſtiæ Sacramento Pontificia eccleſia verſata fuerit. *Nonò* fidei dogmata in hac Seſſione deciſa inferiùs ventilabimus. Inpræſentiarum verò decretum de Reformatione paucis etiam diſcutere juvabit. In eo ſuſcepta eſt reformatio juriſdictionis Epiſcopalis, hoc eſt, præfecturæ, coactionis & dominii eccleſiaſtici. Ea non reformari, ſed prorſus tolli debuit, utpote Divino & humano juri, uti infra probabimus, penitus diſſentanea, cùm Epiſcopi veri ſit non dominari peculio Chriſti, ſed ei miniſtrare. Primo igitur reformationis capite ſancitur, *ut in juriſdictione exercenda Epiſcopi moderationem ac charitatem adhibeant,* ac præterea ſtatuitur, *ut ante ſententiam definitivam ab interlocutoria vel alio quocunque gravamine inemendabili non appelletur.* Prodit hoc reformationis caput ſacrum illum morbum, qui antehac in Papatu obtinuit, quémque graviter in Concilio

lio perſtrinxit Gropperus, necquicquam reclamante, & Pontificis auctoritatem ſuſtentante Caſtello. Huic morbo conantur mederi Patres, prohibitâ appellatione à ſententia interlocutoria, non item à definitiva. Sed rectius & verbo Divino convenientius remedium fuiſſet prohibitio non appellationum duntaxat, ſed etiam univerſæ juriſdictionis & præfecturæ Epiſcopalis, & legitima informatio officii Epiſcoporum ex Dei verbo. Aliàs etiam obſervatum, decretum hoc tum repugnare juri Canonico, quo *ab omni gravamine tam levi quàm gravi provocare licet*: tum in ſua exceptione abſurditatem involvere, quia ſi à definitiva ſententia eo caſu provocare non licet, multò minùs liceat ab interlocutoria, juxta regulam: *Non debet cui plus licet, quod minus eſt, non licere*. Secundo capite decernitur *Ordo appellationis*. Tertio verò *officium rei*, ut videlicet *coram judice, ad quem provocatum, omnia primæ inſtantiæ acta producat*. Sed cùm neutri judici, nec à quo, nec ad quem appellatur, vera jurisdictio competat, ipſe quoque hic appellationis Ordo & officium rei in nihilum recidit. Quarto capite ſtatuitur, qua ratione clerici ob gravia delicta ſint puniendi, vel ſacris exauctorandi, jubetur nempe, ut ſi *Epiſcoporum certus, qui Canonibus ad condemnationem vel degradationem hanc requiritur, numerus non reperiatur, Epiſcopus, vel vicarius ejus* Abbates, *alióſve Eccleſiaſticos accerſat, & pœnam exauctorationis conſentientibus illis reo decernat*. Cæterùm pœnæ ejusmodi & exauctorationes architectonicæ civili, non eccleſiaſticæ poteſtati appendent. Deinde cùm unus Epiſcopus ordinem & gradum conferre poſſit, quæ ratio eſt, cur uni exauctorare non liceat? Nam quòd Innocentius III. ejus hancce cauſam promit, *in ſpiritualibus facilè ædificari, agerrimè deſtrui*; quàm vanum & frigidum ſit, nemo non videt. Tum univerſam hanc degradationem meram ceremoniam eſſe & ad populum phaleras, non immeritò rerum periti inde arguunt, quòd ſtatuunt adverſarii, collatione Ordinis ſignum animæ imprimi indelebile, quod characterem apellant. Univerſæ porro degradationis apud veteres rationem contrariam illi, quæ ſucceſſu temporis invecta eſt, paucis & nervosè pandit Suave Polanus *lib. IV. pag.* 309. 302. Quinto capite ſancitur, *ut Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus de obreptione & ſubreptione venialium Romani Pontificis codicillorum cognoſcat*. Sic igitur ſub- & obrepi ſibi poſſe fatetur Papa, cujus tamen in quæſtionibus facti infallibilitatem Jeſuitæ tuentur. Cúmque codicilli ejusmodi veniales ac venales fraudibus æruſcatorum accenſeri debeant, & ſcelera hominum impunitate donata nutriant, ſatis apparet, quale hîc munus injungatur Epiſcopis. Quòd verò ſexto definitur, *ut Epiſcopus ad perſonaliter comparendum non citetur, niſi ob cauſam, propter quam jure deponendus venit*: Id ipſum quoque tum veteribus Canonibus, tum Gregorii *c. quia*

ſanctitas

Digitized by Google

ſanctitas diſt. 50. tum Hieronymi *c. purgabit diſt. ead.* tum manifeſtæ rationi repugnat. Non enim debet in judiciis obtinere perſonarum acceptio, in primis earum, quæ reliquis omnibus virtutum facem prælucere debebant. Septimo porro & octavo capite, tum *qualitas teſtium adverſus Epiſcopum*, tum *judex eorum*, *Pontifex* nimirum determinatur. De teſtium qualitate faciles conſentimus : de judice non item. Singula porro illa reformationis capita non tantùm falſiſſimo innituntur de jurisdictione Epiſcopali principio, ſed etiam ab ipſis Galliæ Regibus, utpote Regiæ ipſorum poteſtati è diametro oppoſita, repudiantur, uti fusè oſtendit Innocentius Gentilletus Juriſconſultus Delphinas. *Nonò* decretum prorogandæ in adventum uſque Proteſtantium definitionis quatuor articulorum, puta *de neceſsitate communionis ſub utraque ſpecie, de eo, quod continetur ſub una ſpecie, de eccleſia errore admiſſo in ſubtrahendo calice, de parvulis ad cœnam non admittendis*; comparatum eſt ad illudendum potiùs quàm ſatisfaciendum iis, qui legitimè audiri petierant. Cur enim illorum magis, quàm reliquorum æquè vel magis gravium articulorum definitio procraſtinanda fuit ? Inprimis cùm definito primo articulo in reliquis haud tantum momentum ſitum fuerit. Sanè Proteſtantes non de uno, vel paucis, ſed de omnibus articulis audiri expetierunt. Quod cùm non immeritò in Synodo urgerent nonnulli, frivolè alii regeſſerunt, *verè de parte aliqua affirmari, quod universè de omnibus dicatur, cæteris neutiquam excluſis.* quibus facilè reſponſum eſt, hoc perinde eſſe, ac ſi quis filum ſibi, quo tegeretur, obduceret. *Decimò* denique haud prætereunda eſt inſignis ſive aſtutia, ſive vanitas Synodi in reſponſo, quod Legato Brandenburgico perhibuit. Cùm enim is Principis ſui erga Patres obſervantiam prolixè commemoraret, non ſine aucupio gratiæ, cui inhiabat, Synodus hoc ita interpretabatur, ac ſi ſubmiſſurum ſe hac ratione Synodo recepiſſet. Hæc nempe fuit belliſſima & fructuoſiſſima contrahendi ratio, Synodo ſtipulante decem, & pacti ejus vigore decem millia exigente, uti ſalsè obſervat Hiſtoricus. Neque enim hi numeri proportione magis diſtant, quàm obſervantia ab Electore Synodo promiſſa, & quam illi expectabant, ſubmiſſio. Sed hæc familiaris eſt eccleſiæ Romanæ illecebra. Ita enim olim cùm Patres Concilii Carthaginenſis ad Innocentium I. ſcriptis literis de condemnatis à ſe Cæleſtino & Pelagio nuntiâſſent, petiiſſéntque, ut ad ipſorum ſententiam accedere vellet, is reſpondit, *eſſe illos laude dignos*, quòd antiquæ traditionis memores rem omnem ſuo arbitrio permiſiſſent, à quo omnibus diſcendum eſſet, quos *abſolvere vel condemnare deceat.*

Digitized by Google

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ

Ad Decreta Fidei Sessionis XIII.

DE

EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

QUÆSTIO I.

An in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sub specie rerum sensibilium verè, realiter & substantialiter præsens sit corpus & sanguis Christi?

AFfirmat caput primum, & Canon I. simúlque anathemate percellit eos, qui id negaverint, & asseruerint, corpus & sanguinem Christi esse in Sacramento Eucharistiæ, *ut in signo vel figura aut virtute.* Nos ante omnia præsentiam corporis & sanguinis Christi distinguimus. Est enim ea vel spiritualis, vel sacramentalis, symbolica & relativa, vel corporalis & substantialis. *Spiritualis* est, quâ corpus & sanguis Christi per Spiritum S. præsens sistitur Spiritui credentis, seu fidei, quæ à Paulo Hebr. IX. 1. ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, καὶ ἔλεγχος πραγμάτων οὐ βλεπομένων, *repræsentatio eorum quæ sperantur, & demonstratio rerum, quæ non videntur,* definitur. Sicut igitur Spiritus S. credenti repræsentat omnia, quæ sperantur & non videntur: ita etiam ei repræsentat corpus & sanguinem Christi. *Sacramentalis Symbolica* & *relativa* est, quà Christi corpus & sanguis præsens sistitur, adeóque repræsentatur in Symbolo & Sacramento Divinitus instituto, non nudè figurante & docente, sed etiam obsignante & sano sensu exhibente. quæ quidem præsentia *relativa* tantùm est, sed pro relatorum à Deo institutorum natura talis est, ut bona promissa, adeóque corpus & sanguinem Christi longè potentiùs & certiùs in manus nobis tradat, quàm Testamentum res legatas, ac literæ & sigilla reditus annuos hæredibus & possesso-

poſſeſſoribus exhibent & obſignant. Nam ſi contractus humani ſuam habent firmitatem, inſtitutio & promiſſio Divina infinito certior eſt. *Corporalis* denique & *Subſtantialis* præſentia eſt, cùm corpus & ſanguis Chriſti cenſentur in vel ſub Symbolis, ſive eorum accidentibus, præſentia exiſtere *ἀδιαστάτως*, & ſecundùm indiſtantiam loci, & ſubſtantialem propinquitatem. Agnoſcimus igitur, corpus & ſanguinem Chriſti eſſe in cœna Domini *ſpiritualiter*, quomodo fidei ſeu Spiritui credentis præſens eſt tum in Sacramento, tum extra illud. Objecti enim ſpiritualis reſpectu facultatis ſpiritualis præſentia non eſt dijudicanda ex propinquitate locali, ſed ex poteſtate apprehenſionis, ac illius veritate. Sicut igitur Sol viſibilis magno quidem à nobis intervallo diſſitus, oculis noſtris nihilominus præſens eſt, quia illum videre poſſunt, & revera vident: ita Dominus noſter, quamvis ſecundùm humanitatem non minùs diſtet à credente, quàm cœlum à terra, præſto tamen ſemper & ubicunque eſt fidei electorum, quia ipſum apprehendere poteſt, & revera apprehendit. Agnoſcimus deinde etiam corporis & ſanguinis Chriſti in euchariſtia *præſentiam ſacramentalem, ſymbolicam, & relativam*, qualem ſuperiùs deſcripſimus. Quæ quidem præſentia nuda & *vacua ſigna*, ac *figuram* nudè adumbrantem, qualem etiam Synodi anathema nobis obliquè impingit, validè excludit. *Realis* etiam dici poteſt, prout videlicet *res* opponitur non Sacramento rem illam ſignificanti, obſignanti, & exhibenti: ſed prout opponitur non enti, figmento, vacuis ſignis & figuræ nudè adumbranti. Sed negamus præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti *ſubſtantialem* & *corporalem*, quâ videlicet corpus & ſanguis Chriſti in hoc Sacramento ſit cum tota ſua propria quantitate dimenſiva, ſive ſecundùm commenſurationem corpori debitam, vel ſecundùm proprium modum quantitatis, dimenſivè & quantitativè, uti nonnulli crudiores aſſerunt, ſive indiviſibiliter ſecundùm modum ſubſtantiæ, ita ut tota ſubſtantia corporis ſit in tota ſpecie panis & qualibet ejus parte, ut quidem Sophiſtæ, Thomas, Bonaventura, aliíque plures reſtringunt. Quibus poſterioribus favere videtur Synodus cap. 1. hiſce verbis: *Neque enim hæc inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis locis ſacramentaliter præſens ſua nobis ſubſtantia adſit.* Synodo igitur opponimus ſequentia argumenta.

ARG. I. Chriſtus Matth. XXIV. 23. 26. vetat nos credere iis, qui dicunt de ſe: *Hic eſt*; additque rationem, quâ vanitatem jactatæ præſentiæ ſuæ convincit, quia videlicet adventus illius ſit futurus clarus & lucidus, ut fulgur prodit ab Oriente, & lucet ad Occidentem v. 27. Proinde di-

Digitized by Google

ſertè vetat fidem præſentiæ corporis ſui in terra, quæ inviſibilis ſit, qualem Papiſtæ jactant in eremis ac penetralibus & promptuariis ſuis.

RESP. REDING: 1. *Chriſtus de Pſeudo-Chriſtis & Pſeudo-Prophetis viſibilibus, non de ſe vero Chriſto, quà inviſibiliter in Euchariſtia exiſtente, loquitur. Utque Chriſtus in ſecundo judicii adventu viſibiliter venturus, ſigno manifeſto à Pſeudochriſtis diſcerni queat, adventum eum præfulgidum, fulguris inſtar, futurum v 27. affirmat. Turpis igitur & palpabilis tua perfidia eſt, qua ad Euchariſticam veri Chriſti præſentiam negandam textum eum detorques. 2. Sed & S. Scripturæ diſerti textus, Patrúmque teſtimonia errorem veſtrum jugulant.* Tomo II. Tract. VI. ſs. 5. pag. 262--271. Reſp. Poteram equidem argumentorum meorum decem corporali Chriſti in Euchariſtia præſentiæ oppoſitorum defenſione hoc loco ſuperſedere, utpote qua jam ante decennium adverſus Doctorem Carolum Baldingerum, qui longè accuratiùs & candidius eorum examen, quàm Redingius, tum inſtituerat, ſic defunctus ſum, ut ad ἐχεμυθίαν vir ille, multis viſus herbam veritati porrigere, redactus fuerit. Ne tamen reſponſiones ſuas à me ſpretas quiritetur Redingius, non pigebit ſtrictim eas expendere, ſic tamen, ut benevolum lectorem ad ea, quæ fuſiùs D. Baldingero oppoſui, remittam. Et quidem 1. loquitur ſanè Chriſtus de Pſeudo-Prophetis & Pſeudo Chriſtis; ſed illis tribuit conatum acerrimum ſeducendi fideles, & quidem per promiſſam veri Chriſti præſentiam non utique externam & viſibilem, ſed inviſibilem. Hæc enim iis verba ſeducentia Chriſtus tribuit: Ἰδοὺ ὧδε, ἢ ἐκεῖ· Ἰδοὺ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστίν. Ἰδοὺ ἐν τοῖς ταμιείοις. *Ecce hic, aut illic. Ecce in Eremo eſt: Ecce in penetralibus.* Matth. XXIV. 26. Luc. XVII. 23. Annon hoc dicunt, qui inviſibilem Chriſti in Euchariſtia præſentiam venditant? Qui dicunt: *Hic eſt.* quomodo Scotus 4. *diſt.* 11. *q.* 3. *Verum eſt,* inquit, *quòd hoc eſt corpus meum, & hic eſt corpus meum?* Apud quos nihil phraſibus iſtis decantatius: *Præſentia localis in utroque ſymbolo: eſſe ſub accidentibus, contineri, poni in altari, aſſervari in cibario &c?* Qui dicunt: *Ecce in eremo eſt,* inter Eremicolas, Anachoretas, Monachos, profeſſos ſe exiviſſe ex mundo (ſicut ſcilicet renes ex corpore humano) *Ecce in penetralibus,* puta cibariis, conclavibus Baſilicarum? Et qui id ipſum ſic dicunt, ut ſe Prophetas, ceu doctores infallibiles, & vicarios Chriſti, omnem poteſtatem habentes, & Sacerdotes peccata ſacrificio externo expiantes, aſtruant; adeóque hoc ut ψευδοπροφῆται *falſi Prophetæ,* & ψευδόχριστοι *falſi Chriſti* dicunt? Quid verò multis? Non ſolùm Chriſtus in carne nuſpiam præſens eſt niſi ἐπιφανῶς, viſibili, conſpicua ratione, adeò ut ubi ſic non eſt, (uti in eremo, penetralibus, Miſſa non eſt) verè ibi nullo modo ſit: ſed ipſe etiam præſentiam illam in eremo & penetralibus ſtatim confutat à conſpicabilitate, claritate & viſibilitate ſui adventus deinceps, in fine ſcilicet mundi demum, expectanda. *Sicut enim,* inquit, *fulgur exit ab Oriente, & lucet uſque ad Occidentem, ita erit* ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *præſentia filii hominis.* Non igitur aliam præſentiam corporis ſui, poſt aſcenſionem ſcilicet, quàm conſpicabilem & viſibilem agnoſcit: & ſimul antitheſi ea, ſeductores præſentiam inviſibilem, non viſibilem Chriſti promiſiſſe, innuit. Unde firmiſſimum & irrefragabile ejuſmodi adverſus corporalem præſentiam Chriſti in Euchariſtia argumentum nectitur. Qui *non aliter* πάρεστι, *præſens eſt, quàm modo viſibili & illuſtri, adeò quidem ut à præſentia inviſibili & occulta jactata Pſeudoprophetæ & Pſeudochriſti dignoſci debeant, is inviſibili modo in Euchariſtia neutiquam præſens eſt. At Chriſtus poſt aſcenſionem in Cœlum ſecundum naturam humanam non aliter præſens eſt, quàm modo viſibili & illuſtri, adeò quidem, ut à præſentia inviſibili*

invisibili & occulta jactata Pseudoprophetæ & Pseudo-Christi dignosci debeant: Ergo Christus post ascensionem secundum naturam humanam in Eucharistia invisibili modo neutiquam præsens est. En igitur, Eremitane hierophanta, non turpem & palpabilem perfidiam antagonistæ tui, sed tuum cum Pseudo-Prophetis & Pseudo-Christis Syncretismum certissimum, à quo ut caveant sibi fideles omnes, Christus, veritatis illud cœleste oraculum, jussit verbis strictissimis: *μὴ πιστεύσητε. Ne credite.* 2. Quæ alieno loco, ubi ad mea respondere, non tuas ratiunculas consarcinare debueras, Scripturæ & Patrum testimonia ad stabilimentum erroris tui, & augendam libri molem, addis, quæque suo loco ventilabimus. Et Patrum quidem testimonia in Scripto vernaculo Redingio opposito pleraque sic jam discussimus, ut is veritatis vi subactus Harpocrati litare hactenus cogatur.

ARG. II. Ipsa verba, quibus eucharistiam Christus instituit, ficititiam ejusmodi præsentiam excludunt, tum quia corpus suum fractum & sanguinem fusum indigetat, cùm tamen nec ea hora, utpote vivus adhuc corpus fractum seu mortificatum, & sanguinem fusum porrexerit, vel porrigere potuerit; nec post resurrectionem corpus ejus ut fractum unquam exhiberi ampliùs possit: tum quia Christus de pane accepto in manus, benedicto & distributo, dicens, *Hoc est corpus meum*; de poculo autem seu genimine vitis, quòd sit *sanguis Domini*, disertè docet & innuit, ita corpus & sanguinem suum nec aliter adesse, quàm quatenus panis est corpus, & vinum seu genimen vitis sanguis, quibus sanè verbis qui addiderit, mendax reperietur: tum quia panis sic est corpus Christi, quemadmodum calix est Novum Testamentum, quod ita verum est, ut Novum Testamentum tamen in calice non contineatur: tum quia Matthæus cap. XXVI.29. & Marcus cap. XIV.28. verbis Christi, quibus poculum tradidit, addunt ea verba: *Dico autem vobis, non bibam dehinc de hoc genimine vitis, usque ad diem, quo id bibam vobiscum novum in Regno Patris mei*, quibus ex verbis abundè liquet, id quod bibebant discipuli, fuisse *γέννημα ἀμπέλου genimen vitis*, & calicem vocari *Novum Testamentum*, quia pignus esset Novi Testamenti, seu Regni Dei mox inchoandi, in quo esset cum illis bibiturus genimen vitis aliud, hoc est, novum & antehac inusitatum, quod de re symbolo obsignata, videlicet Novo Testamento, ejúsque bonis accipiendum: tum denique quia jussit Christus edere panem corpus suum, & vinum sanguinem suum *εἰς ἀνάμνησιν ad commemorationem ejus*, cùm tamen commemoratio tam non sit res commemorata, corporis traditio & sanguinis Christi fusio, quàm præsens non est præteritum.

RESP. REDING: 1. *Fractio corporis & effusio sanguinis referenda est non ad præsentiam Christi in Eucharistia, sed ad passionem ejus. Christus quippe instituendo Eucharistiam, dixit, hoc esse corpus suum, hunc sanguinem suum, frangendum, effundendum in passione.*

At

Digitized by Google

At nonniſi verus ſanguis effundi debuit. 2. *Chriſtus pani benedicendo, & aſſerendo; Hoc eſt corpus meum, ejusdem ſubſtantiam in corpus Chriſti tranſmutavit. Ejus quippe dicere eſt facere.* 3. *Quod in poculo erat, vocatur à Chriſto genimen vitis non quoad ſubſtantiam, ſed quoad accidentia.* 4. *Contradicis apertè Apoſtolo,* 1.*Cor.XI.*25. *Chriſtum ſic loquentem introducenti:* Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. *Quorum verborum ſenſus eſt, calicem metonymicè ſumptum pro re contenta eſſe inſtrumentum authenticum Teſtamenti, ſeu voluntatis Chriſti, in ſanguine ejus conſiſtentis. Quod verum eſſe nequit, ſi ſanguis in calice N. Teſt. verè non contineatur.* 5. *Calix Euchariſticus vocatur Novum Teſtamentum, quia pignus erat Novi Teſtamenti, ſeu Regni Chriſti mox inchoandi. At hoc pignus vocatur ſanguis N. Teſt.* 6. *Traditio corporis Chriſti per mortem conſummata, & fuſio ſanguinis eſt res à ſubſtantia corporis & ſanguinis diſtincta. Chriſtus autem juſſit non panem edere, ſed corpus in ſui commemorationem. Res igitur commemorata, corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantia non eſt ipſa commemoratio, ſeu traditio corporis & fuſio ſanguinis.* Ib. pag. 271. 272. Reſp. Qui Redingii reſponſiones argumento noſtro, in quo fere arx totius cauſæ conſiſtit, cum Baldingeri reſponſionibus contulerit, mirabitur is certè differentiam, & hunc quidem egiſſe ſeriò, ſolicitè, eruditè, imò & falſitati quandam induxiſſe ſpeciem veritatis; illum verò ludere potiùs, quàm ſeriò agere voluiſſe; utrumque diverſam planè reſpondendi viam iniiſſe, certiſſimo lubricæ cauſæ argumento, mecum facilè agnoſcet. Sed conferamus pedem. 1. Agnoſcis non in Euchariſtia, ſed in paſſione Chriſti verum ejuſdem corpus frangendum, ſanguinem effundendum fuiſſe. Bellè equidem! Quale igitur in Miſſa veſtra ſacrificium externum habetis? Corpus ſcilicet Chriſti, quod non frangitur, adeóque non ſacrificatur, hoc eſt, ſacrificium non ſacrificium. Attamen in Euchariſtia Chriſtus nobis offert corpus ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον *pro nobis datum*, Luc. XXII. 19. ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον *pro nobis fractum*, 1. Cor. XI. 24. ſanguinem ὑπὲρ πολλῶν ἐκχυνόμενον *pro multis effuſum*, ib. Si igitur localiter & corporaliter adeſt eo modo, quo Chriſtus in Euchariſtia adeſſe dixit, adeſſe debet *datum* (occiſum) *fractum*, ſanguis *fuſus*. Regeris, tale eſſe in paſſione, non in Euchariſtia. Quomodo ergo Chriſtus tale obtulit in Euchariſtia, ſi ibi corporaliter eſt, qualem ſe in ea obtulit? Ergo in Euchariſtia agnoſce corpus fractum, ſanguinem effuſum, quoad ſignificationem, obſignationem Chriſti totius mortui & viventis; (talis enim Chriſtus etiam mortuus eo ſenſu in Sacramento eſſe poteſt) non quoad præſentiam corporalem, quia corpus Chriſti mortuum uſpiam poſt reſurrectionem ejus exiſtere, impoſſibile eſt. Propius quid ad rem dixerat Baldingerus, à me in loco diſcuſſum. 2. Gratias agendo, benedicendo mutavit Chriſtus quoad uſum. Quoad ſubſtantiam mutaſſe, proba. Quæ unquam benedictio abolevit ſubſtantiam rei, cui benedictum eſt? Et vel benedictione, vel pronuntiatione verborum H. E. E. C. M. ſubſtantia panis ablata eſt. Non illa, ob rationem allatam, & quia nonniſi prolatis illis verbis *μετουσίαν* contingere, adverſarii docent. Non hac, quia particula *Hoc* ante impletam pronuntiationem ſubjectum aliquod ſignificare debuit. At non ſignificavit corpus, quod demum prolatis verbis provenire adverſarii contendunt. Ergo panem. Aliud enim occurrit nullum. Quàm verò abſurda ratio tua eſt: *Dicere Dei eſt facere.* Annon etiam rem factam dicere Deus, hoc eſt, demonſtrare factam verbo poteſt? Alia ratio eſt dictionis præcipientis, quam factum ejuſdem, ſi voluerit, ſequitur: alia ſignificantia, demonſtrantis. Verba autem Chriſti non præcipientia, ſed demonſtrantia fuerunt. Clarè enim dixit, non, *Hoc fiat, eſto corpus meum*; ſed, *eſt corpus meum.* Addo ſubſtantialem

ejuſmodi

Digitized by Google

ejuſmodi mutationem non tantùm abſque Euchariſtiæ interitu aſſeri non poſſe, æquè ac ſubſtantialis mutatio aquæ in Baptiſmo, ejuſdem veritatem everteret; ſed etiam panem & vinum, imò & ipſum corpus & ſanguinem ex Euchariſtia tollere, utpote qua panis & vinum non in corpus & ſanguinem Domini, ſed in ſpectra quædam, ſpirituum proprietates mentientia, converterentur. 3. Unde verò probas, quod in poculo erat, *genimen vitis* vocari quoad accidentia, non ſubſtantiam? Sufficit tibi fictitia hypotheſis, ex qua novas Scripturæ interpretationes cudere proclive tibi eſt. Sic verò *genimen*, ſeu *fructus vitis* accidentia ejus appellari poſſunt, uti accidentia hominis, albedo aut nigredo *fructus*, ſeu *genimen mulieris*. Cúmque Chriſtus innuat, ſe de genimine illo vitis bibiſſe, an accidentia putas materiam fuiſſe potus Chriſti? Et tam ridiculum eſt, ſanguinem appellare genimen vitis, quia eſt ſub externa ſpecie, quæ à vite originem habet, quàm hominem genimen bovis appellare, quia bovis corio tectus eſt. 4. Calicem eſſe Novum Teſtamentum in ſanguine Chriſti eo ſenſu, quatenus ſanguis in calice contentus eſt inſtrumentum authenticum Teſtamenti, ſeu voluntatis Chriſti in ſanguine ejus conſiſtentis, quis te docuit? Supponis hic, in calice eſſe ſanguinem. Agnoſcere cogeris metonymiæ tropum, & nos tropicum verborum Chriſti ſenſum probantes exagitas. Sed parùm hoc. Sanguis, inquis, eſt teſtamentum, hoc eſt, authenticum inſtrumentum teſtamenti. An ergo authenticum inſtrumentum Teſtamenti propriè eſt ipſum Teſtamentum? An ſanguis Chriſti eſt ipſum teſtamentum? Annon potiùs Teſtamenti κύρωσις, confirmatio, ſanctio, dedicatio? Quò te ineptiendi genius tuus abripit? 5. Calicem Euchariſticum Novum Teſtamentum vocari, quia ejus pignus eſt, rectiſſimè aſſeris. Non igitur vel calix, vel res calice contenta propriè novum Teſtamentum vocatur. Quis enim pignus dixerit rem ipſam, cujus pignus eſt? In calice autem ſanguinem eſſe, temerè iterum ſupponis, non probas. Si in eo ſanguis eſt, à corpore ſeparatus erit. Nam corpus Chriſti in calice eſſe, non dixeris forſitan. Quomodo ſic Chriſtus in Euchariſtia non erit ut mortuus, quod ſupra inficiabare? Et quid ſic fiet concomitantiæ monſtro? 6. Chriſtus in Euchariſtia ἀνάμνησιν *recordationem* inſtituit tum ſui, tum traditionis ſuæ in mortem, paſſionis. Dicit enim Luc. XXII. 11. 19. *Hoc facite εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν ad recordationem mei.* Et 1 Cor. XI. 16. *Quoties ederitis panem hunc, & biberitis calicem hunc, mortem Domini annuntiate.* Et Chriſti igitur, corporis & ſanguinis ejus; & paſſionis ejuſdem memoriam in Euchariſtia recoli, ipſe Salvator, ejúſque interpres, juſſit. Neque tamen corpus Chriſti, uti ſupponitur, inviſibile, ſub ſpeciebus ſymbolorum deliteſcens, ſignum μνημονικὸν, ſeu monumentum eſſe poteſt ſive Chriſti ejuſdem in mortem olim traditi; ſive traditionis in morte factæ; tum quia id, quod corpus eſſe ſupponitur, & tamen in ſenſus non incurrit, adeóque & inviſibile eſt & indiviſibile, atomi Democriteæ inſtar, monumentum, ſignum, memoriale rei & actionis corporeæ ac ſenſibilis eſſe nullo modo poteſt, cùm omne ſignum, atque adeò etiam μνημονικὸν, finitore S. Auguſtino, ſe ipſum ſenſibus, aliud verò menti ſubjicere debeat: tum quia res viva, inviſibilis, indiviſibilis & impoſſibilis monimentum eſſe rei morientis, patientis, fractæ nequit: tum denique quia Chriſtus manifeſtiſſimè ſui abſentis, & demum ſub finem videlicet mundi, reverſuri ἀνάμνησιν *recordationem* & annuntiationem inſtituit, Paulo dicente: *Annuntiate mortem Domini, ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ donec venerit.*

Digitized by Google

ARG. III. In eucharistia panis, qui frangitur, vocatur κοινωνία τοῦ σώματος *communio corporis Christi*, 1.Cor.X. 16. Quibus verbis continetur exegesis verborum Christi. Subjectum autem est *panis*, non qui talis erat, vel species panis, sed *qui frangitur*, adeóque vera substantia panis. Prædicatum verò est, quòd panis qui frangitur, prædicatur esse κοινωνία τοῦ σώματος *communio corporis*, hoc est, τὸ εἶναι ἓν σῶμα, *esse unum corpus*, nempe *in Christo*, uti sequens versus 17. declarat. Ubi κοινωνία nequaquam notare potest communicationem corporis sub speciebus panis localiter præsentis, quia eodem modo sumus unum cum Christo, quo & multi unum corpus sumus, scilicet per Spiritum unum, non per transitionem substantiæ in substantiam: tùm quia versû 18. eodem modo Israëlitæ dicuntur fuisse κοινωνοὶ *participes altaris*, nempe per imputationem Dei, quâ cum Christo sponsore æterno, qui per altare figurabatur, & cum sacrificio ejus futuro communionem habebant, ut ita reputarentur, ac si ipsi pro peccatis plenè satisfecissent. Est igitur panis communio corporis Christi per ejus significationem, eo modo, quo gleba tradita à prætore possessio fundi dici potest.

RESP. REDING: *1. S. Paulus apertè panem vocat communionem corporis Christi, & calicem communionem sanguinis. Non igitur Eucharistiam in typo & figura, sed in reali substantia corporis & sanguinis Christi statuit. Unde S. quoque Chrysostomus in cap.10. 1.Cor. homil. mor.24 mysterii hujus effectum ab ejusdem substantia discernit. 2.Panis, qui frangitur, & est communio corporis Christi, intelligitur supersubstantialis, de quo Joh.VI. 51. Panis, quem ego dabo, caro mea est. Is frangitur non immediatè, sed mediatè in suo continente, nempe in speciebus Eucharisticis. 3. Quomodo fieri potest, ut de uno pane Eucharistico participantes universi fideles unum corpus fiamus in Christo; nisi quatenus, uti etiam S. Patres agnoscunt, realiter omnes unit corpori Christi. Ergo communio corporis Christi sic formaliter importat veri corporis Christi in Eucharistia communicationem, ut etiam effectivè mysticam cum Christo & ejus membris mysticis, mediante charitate, communionem inferat. 4. Qui olim ederunt hostias, altaris typici participes facti, adeóque quasi sacrificati sunt. Sed absurdum est, Novum æquè ac Vetus Testamentum redigere ad statum merè præfigurativum.* Ib. pag.273.-275. Resp.1. Quis negat, in Eucharistia esse communionem cum reali substantia corporis & sanguinis Christi? Non enim communio est cum Christo φανταζομένῳ, sed vero Deo & homine, ipsáque adeò reali etiam substantia corporis & sanguinis Christi. Sed communionem cum reali substantia corporis & sanguinis Christi nullam nisi corporalem, in conjunctione locali corporum, consistentem, dari, hoc verò tibi probandum incubuerat. Aliud certè est κοινωνία *communio*, aliud μετάδοσις *communicatio*, corporis videlicet, per porrectas panis species in hunc vel illum locum venientis. Non hoc, sed illo modo Apostolus loquitur. Is enim statim sequente v.17. se clarè admodum explicat, dicens: Ὅτι εἷς ἄρτος ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν, *quoniam unus panis unum corpus multi sumus*. Hæc diserta explicatio est verborum Apostoli, seu ratio, cur panis sit communio corporis Christi, uti particula causalis ὅτι indicat.

Digitized by Google

indicat. Per panem habere communionem corporis Chriſti, eſt, per panem videlicet fractum & comeſtum *ἓν σῶμα unum corpus* cum Chriſto fieri. Hæc illa eſt *κοινωνία τοῦ σώματος communio corporis.* Quomodo autem *multi unum corpus* ſimus? Numquid per localem exiſtentiam corporis Chriſti oraliter manducati in viſceribus credentium? Neutiquam. Jam enim ante per aliud, nimirum Spiritum Chriſti, ſumus *unum corpus.* Adeóque ad rationem *unius corporis* non requiritur, ut corpus Chriſti oraliter comeſtum corpori noſtro *ἀδιαστάτως* ſit præſens. Caro, oraliter videlicet, comeſta nihil prodeſt. Spiritus vivificat, Joh. VI 63. Ad hæc jam objecta cur nihil reſpondes? Juxta ipſos etiam adverſarios non omnes, qui corpus ſic accipiunt, *ἓν σῶμα unum corpus* ſunt. De loco Chryſoſtomi fusè Tibi in ſcripto vernaculo reſpondi. Expunge priùs alienum æs, quàm novum confles. 2. Si panis ille, quem frangimus, eſt ſuperſubſtantialis, adeóque Cœleſtis, Chriſtus ipſe, ſenſus igitur verborum S. Pauli erit: *Communicatio cibi cæleſtis, quem frangimus, eſt communicatio corporis Chriſti.* Quid hoc, quæſo, ad ſcopum Apoſtoli? Quæ verborum ſequela? Quis interpretationis color? Filius quidem Dei, quatenus de Cœlo deſcendit, ut in carne manifeſtaretur, Joh VI. 51. *panis de Cœlo deſcendens* vocatur. Et corpus, quatenus in cruce fractum veriſſimè etiam cibus eſt, ſed cœleſtis nonniſi intuitu perſonæ. Sublatum verò in Cœlum eſt quidem cibus, & cœleſtis, verùm ſic nec fractum eſt (quale in Euchariſtia repræſentatur) nec deſcendit de Cœlo, ut fiat cibus, ſed cum eo communionem habemus per ſolum Spiritum Chriſti. Quid verò multis? Apoſtolus de eo pane loquitur, de quo in antecedentibus dixerat, Dominum accepiſſe panem, & gratiis actis eum fregiſſe ac diſtribuiſſe. Dicit enim 1. Cor. XI. 26. *Quoties edi͂tis τὸν ἄρτον τοῦτον panem hunc,* illum ipſum videlicet, quem acceptum, fractum, diſtributum memoraverat. Atqui accepit Chriſtus non quemlibet, utique cibum, nec cœleſtem panem, qualis ipſe erat, ſed panem verum, naturalem, ſubſtantialem. Si qua mutatio, & tam admiranda quidem, heic interceſſiſſet, ceſſaſſet Apoſtolus, qui nullum mutationis indicium præbuit, conſueto heic nomine uti. At paucis interjectis verbis ter uſus eſt. Qua denique verbi Divini authoritate, qua umbra rationis aſſeris, corpus Chriſti fractum, ſanguinem fuſum dici, quia ſpecies panis fracta, ſpecies vini fuſa eſt? Hoc certè omnes abſurditatis numeros implet, apud eos maximè, qui ab omnibus tropis hoc in argumento abhorrent. Quæ amabo Rhetorice, ſacra vel profana, tropo adeò inſolenti, ſecundum quem corpus aliquod frangi, occidi dicatur, quia nuda ſpecies non corporis illius, ſed ſubſtantiæ planè diſparatæ, & quidem à ſubjecto proprio ſeparata frangatur, nomen dedit? Quæ ſana ratio non exhorreſcat, imò non indignetur aſſerenti, ſpeciem à proprio ſubjecto ſeparatam frangi, effundi poſſe? Quomodo frangitur, effunditur, quod non habet partem extra partem? Quod denique ſolatium fideli animæ ex fractione, effuſione ſpeciei panis & vini? Annon hoc eſt Evangelii nucleum perdere, & populo miſello mederi velle עַל נְקַלָּה *re levicula,* nihili, titivillitio, Jer. VIII. 11? An ſpecies panis pro peccatis noſtris crucifixa, in mortem data eſt? 3. Quomodo multi de uno pane participantes fiant unum corpus Chriſti, citra corporalem *συσσωμάτωσιν* ſeu conjunctionem cum corpore Chriſti, ſupra oſtendimus. 4. Eodem modo de pane uno comedentes ſimus *κοινωνοὶ participes* corporis Chriſti, quo Iſraëlitæ de victimis comedentes facti ſunt *κοινωνοὶ θυσιαστηρίου participes altaris.* Modi enim differentia oſtendi nulla poteſt. At Iſraëlitæ de victimis comedentes non ſic vel typici, vel veri altaris Chriſti participes facti ſunt, ut cum alterutro altari redditi ſint concorpores. Ergo communio ſicut cum altari, ita etiam cum corpore Chriſti citra concorporationem, ſeu coexiſtentiam corporum

Digitized by Google

in eodem loco, obtinere potest imò & debet. In hoc consistit argumenti nervus, quem tu non tangis. Neque adeò Novum Testamentum ad statum præfigurativum sic reducimus, uti tu ineptis. Tuum potiùs est cum D. Baldingero, qui verba S. Pauli non de Israëlitis veteribus, sed sui temporis explicat, transigere. Sed ei quoque abundè satisfecimus.

ARG. IV. Christus dicit Joh. III. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo.* Docet manifestè, impossibile esse quenquam descendere de cœlo in terram, & tamen remanere in cælo, sine descensu locali, nisi Deum. Quomodo igitur Christus corpore suo ita descendere potest in terram, non mutato loco, ut tamen simul maneat in cœlo?

RESP. REDING: 1. *Ex textu eo hoc unum evincitur, Deum sine descensu locali potuisse uniri carni: non item, impossibile esse, quenquam sine descensu locali de Cœlo in terram descendere.* 2. *Imò si Divinitas per hypostaticam verbi unionem absque ulla sui immutatione cum natura humana uniri potuit, cur humanitatis in Cœlo existentis cum speciebus Eucharistitis unio non substantialis sed merè accidentaria, in genere causæ efficientis sustentativa obtinere nequeat?* Ib. pag. 275. Resp. 1. Vim argumenti vel non intelligis, vel dissimulas. In hoc consistit, quòd, ipso Christo judice, verus Deus sit, qui sine motu locali è Cœlo descendit in terram, & simul manet in Cœlo. Atqui Christus secundum humanam naturam non est verus Deus. Ergo non sic in terram, sine motu locali, descendit, vel in terra est, ut simul sit in Cœlo. Quæ ratio fictitiæ præsentiæ jugulum petit. Aliquid ad rem propiùs dixit D. Baldingerus, cui curæ cordíque fuit, studiosiùs longè argumenta expendere. Quæ ei reposui, heic repetere non vacat. 2. Egregiam verò Divinitatis & humanitatis, infiniti & finiti comparationem tuam! Quæ responsionem nullam meretur. Et quid tum postea, si humanitatis in Cœlo existentis cum accidentibus panis & vini in terra existentibus unio non substantialis, sed accidentaria est? An iccirco substantia humana non simul in Cœlo, simul in terra à vobis collocatur, quocunque modo cum accidentibus panis & vini uniatur? Næ pensi non habes, quid dicas vel scribas.

ARG. V. Idem Salvator Joh. VI. 63. expressè docet, carnem suam nihil prodesse, sed *Spiritum*, nempe illum, quo baptizamur in unum corpus, ut ita videamur corpus Christi manducâsse; *vivificare*, & *verba* sua esse *spiritum* & *vitam*, hoc est, spirituali lumine spiritum nostrum illuminare & sic vivificare; ideóque si verbis ipsius credamus, nos manducâsse carnem.

RESP. REDING: 1. *An ergo manducare Christi carnem idem est, ac videri eam manducasse?* 2. *Eo ipso, quòd circa illa Christi verba*, Panis, quem ego dabo, caro mea est, *ritè intelligenda, caro non prodest quicquam, verba ejus intelligere oportet, non eo in sensu, quem caro & sanguis, sive lumen naturale, revelavit, sed quem æterni Patris & Christi Spiritus vivificans tradidit. Atqui is clarè sic loquitur: Caro mea verè est cibus; Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ib. pag. 275. Resp. 1. Qui Christi carnem manducat, verè eam manducat, non carnaliter, sed spiritualiter. Et qui verè spiritualiter

tualiter eam manducat, is ſic manducat, ut videatur corpus Chriſti manducaſſe,hoc eſt, perinde habetur, ac ſi corporis Chriſti ſubſtantiam in corporis ſui ſubſtantiam convertiſſet. Faceſſat ſophiſtica tua perverſio. 2. Nugaris potiùs quàm ratiocinaris, cùm *carnem*, quam nil prodeſſe Chriſtus affirmat, *carnem & ſanguinem noſtrum*, hoc eſt,lumen naturale,interpretaris. Nam nec verum lumen naturale eſt *caro & ſanguis* eo ſenſu,quo Scriptura carnem & ſanguinem traducere ſolet: nec caro,quam nil prodeſſe Chriſtus dicit, caro vel ſanguis noſter eſt, ſed Chriſti, oraliter ſcilicet,hoc eſt, Capernaiticè & Papaliter manducata. Etenim ipſa continua verborum Chriſti ſeries id manifeſtè evincit. Dixerat Chriſtus v.51. panem,quem daturus erat,eſſe *carnem* ſuam,quam pro mundi vita daturus eſſet. Hinc orta eſt inter Judæos contentio, ſciſcitantes: *Quomodo poteſt ille nobis dare carnem ſuam?* v.52. Chriſtus ſic reſpondet,ut carnis ſuæ comedendæ neceſſitatem fusè demonſtret v.53..59. ubi quartùm *σαρκὸς carnis* ſuæ meminit. Cùm ne ſic quidem murmura ceſſaſſent, & Capernaitæ ac diſcipuli nonnulli malè conſulti (v.66.) ſermonem Chriſti tanquam *σκληρὸν durum* traducerent,atque Chriſto cordium ſcrutatori arcana eorum ſenſa paterent facilè, is novo ſermone ſcandalum removet, argumentis inductis quatuor. *Primò*,quia filium hominis viſuri eſſent aſcendentem eò,ubi ante erat, v.62. *Secundò*,quia Spiritus, Chriſti videlicet, per quem in Chriſto ſumus, vivificet, v.63. *Tertiò*,quia caro nihil proſit, manducata videlicet ore. De ea enim manducatione carnis loquitur, quam Judæi impoſſibilem judicabant, v.63. *Quartò*,quia Spiritus,Chriſti nempe & fidelium, per verba,promiſſionis videlicet, cordi fidelium à Spiritu S. inſcripta, vivificet, ibid. Ex hoc nexu evidenter liquet, de carne Chriſti ſermonem eſſe. De ea quippe toties in præcedentibus locutus fuerat: de ea ore comedenda Capernaitæ dubitaverant: de ea,ad propoſitum utique, reſpondet Chriſtus, docétque,eam ita,uti Capernaitæ ſibi fingebant, manducatam nihil prodeſſe; at prodeſſe tum demum,ſi Spiritus S. verba Salvatoris de carne vivificante, per fidem videlicet in verbum promiſſionis, manducanda, cordibus inſcripſerit. Detorſio autem Adverſarii totum nexum verborum Chriſti convellit, & inducit Chriſtum neutiquam, in ſpecie quidem, ad quæſtionem Capernaitarum reſpondentem, nec omnino litem dirimentem. Quinimò verba illa Chriſti de naturali carnis & ſanguinis judicio expoſita ita generalia forent,ut cuilibet dogmati fidei Chriſtianæ malè intellecto applicari poſſent, neque ad leniendam duritiem illam,quam ex ſermone Domini Capernaitæ, Judæi & diſcipuli nonnulli conceperunt,valerent. Quid quòd Chriſtus *verba* ſua,quæ locutus fuerat,*Spiritum & vitam* vocat? Non igitur *Spiritus* ſpirituale duntaxat hominis ingenium, carnali oppoſitum ſignificat,ſed verba Chriſti de manducanda carne ſua, quæ Spiritus S. in cordibus credentium efficacia reddit.

ARG. VI. Præſentia hæc fictitia pugnat cum fide aſcenſionis Chriſti in cœlum. Id liquidò demonſtrat Chriſtus Joh. VI. 61. 62. ubi Capernaitis manducationem carnis Chriſti ſiniſtrè interpretantibus,ac ſi videlicet localiter præſens comedi debeat, opponit ſuam in cœlum aſcenſionem. quo argumento efficaciſſimo oſtendit, cùm in Cœlum aſcenſurus,ibique manſurus ſit,non ita interpretandam eſſe manducationem carnis, ac ſi illa ſubſtantialiter & localiter præſens comedi deberet,ſed ut ſalva maneat veritas aſcenſionis. Nam in iis verbis: *Cùm igitur videbitis filium hominis*

Digitized by Google

aſcendentem ubi priùs erat, eſſe λύσιν ἀπορίας καὶ σκανδάλου, *ſolutionem difficultatis & ſcandali,* non ἐπίτασιν *intenſionem*, fatentur Chryſoſtomus & Cajetanus.

RESP. REDING: *Verbis illis:* Quid ergo, ſi videritis filium hominis aſcendentem, ubi erat priùs; *Diſcipulos ſuos Chriſtus excitavit ad credendam ſuam Deitatem, per quam, priusquam homo factus eſſet, erat in Cœlo, & quò etiam ſecundum humanitatem erat aſcenſurus; ut vel hinc mentis oculos ſupra naturæ lumen attollendo, verbis à ſe prolatis fidem adhiberent, quippe cùm Deitati nihil ſit impoſſibile, adeóque nec illud, ut corpus Chriſti in Euchariſtia præſens ſiſtat, & carnem ſuam manducandam præbeat.* Ibid. pag. 276. 277. Reſp. Ita verba Chriſti hypotheſi tuæ ancillari cogis, invita planè. Nam & Deitatis Chriſti omnipræſentia & omnipotentia (de qua poſteriori tamen ne quidem Chriſtus loquitur) & ejuſdem futura in Cœlum aſcenſio non ſic diſcipulorum fidem ſuperabant, ut ex ea rei planè incredibili, carnis nimirum ſuæ inviſibilis, adeóque non carnis, orali & corporali manducationi fidem aſtruere vellet. Qualis enim conſecutio eſt: Ego, verus Deus, aſcendam corpore meo in Cœlum, ubi, ſecundum Deitatem, priùs eram: Ergo credendum vobis eſt, quòd caro mea, inviſibilis & indiviſibilis, me corpore licet meo Cœlum non deſerturo, vobis in terris quotidie, & eodem tempore infinitis ferè & maximè contrariis locis oraliter manducanda ſit? Annon potiùs contrarium ſequitur, nimirum manducandam in terris eſſe carnem Chriſti non oraliter, ſive laceratam, ſive inviſibilem & indiviſibilem; ſed alio planè modo, ſpirituali puta, uti ipſemet Chriſtus explicaverat? Planiſſimum certè eſt, qua ratione Chriſtus ſolverit argumentum τῶν γογγυζόντων. Objectio eorum erat: *Durus eſt hic ſermo, quis eum audire poteſt?* Quaſi dicerent: Omnis manducatio carnalis humanæ carnis vel ſolo auditu horrenda eſt. At jubes tu carnem tuam carnaliter comedi. Ergo jubes id, quod ſolo auditu horrendum eſt. Chriſtus reſpondet non directè, negata alterutra propoſitione, ſed obliquè, oppoſito eo, unde ſciri poſſet, utra pars neganda eſſet. Opponit enim ſuum in Cœlum aſcenſum. quem manifeſtum eſt pertinere ad negandam minorem, hoc videlicet ſenſu: Non poteſt caro illata in Cœlos dari in cibum ore in terris manducandum. At caro mea inferetur in Cœlos. Non igitur in terris dari poterit in cibum corporalem. Ratio majoris manifeſta erat, quia cibum corporalem alendo propinquum maximè eſſe oportet. At carnis in Cœlo locatæ ab iis qui in terra ſunt, diſtantia locorum immenſa eſt. Proin vel ſenſibus teſtibus manifeſta erat ſolutionis directæ demonſtratio. Optimè argumentum Chriſti ſic S. Auguſtinus *tract. in Joh.* explicat: *Hinc ſolvit quod illos moverat. Hinc planè, ſi intelligerent. Illi enim putabant, eum erogaturum corpus ſuum: ille autem dixit, ſe aſcenſurum in Cœlum. Cùm videritis filium hominis aſcendentem, ubi priùs erat, certò vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus ſuum: certò vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non conſumitur morſibus.* Prudentiſſimè S. Pater aſcenſum Chriſti *erogationi corporis ejus* in cibum oppoſitum eſſe, monet. Neque obſtat, quòd addit, *gratiam non conſumi morſibus;* adeóque aſcenſum laniationi opponit. Illud enim additum non exceptionis, ſed illuſtrationis gratiâ, ut non propterea non excludatur quælibet manducatio carnalis, qua caro vel diviſibilis morſibus laceretur, vel indiviſibilis & inviſibilis deglutiatur. quod Papiſticum manducationis carnis Chriſti monſtrum, Capernaitico horribilius, nondum S. Auguſtino innotuerat. Sufficit ergo, ſolutionem eſſe ab oppoſitione. Cœteroquin aſcenſionem non laniationi duntaxat, ſed inprimis præſentiæ locali opponi, notorium eſt.

ARG. VII.

Digitized by Google

ARG. VII. Scriptura testatur, Christum habuisse corpus *ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων in similitudine hominum, ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας in similitudine carnis peccati*, hoc est, tali carne, qualis est caro peccatoris, habuisse illum carnem & ossa, adeóque Spiritum non fuisse. Tale igitur cùm sit corpus Christi, necessum est, sit finitum, extensum, palpabile, divisibile circumscriptum suis dimensionibus. Proinde non potest esse præsens in cœlo quidem *circumscriptivè*, per modum corporis, in eucharistia verò *definitivè*, per modum Angeli sive Spiritus, quasi verum corpus simile nostro, posset & habere modum corporis, & simul non habere, & sine modo corporis esse corpus, neque tantùm *definitivè*, sed etiam *repletivè*, cùm dicant pluribus in locis esse sive circumscriptivè, sive definitivè, quasi non quod definitivè dicitur esse in loco, hoc eo ipso dicatur hic esse & non alibi. Tam non potest verum corpus esse in loco sive *definitivè* sive *repletivè*, quàm non potest esse Angelus vel Deus.

RESP. REDING: *1. Substantiam corporis cum ejus modo existendi in loco confundis. Habet Christus corpus in similitudine hominum, carnis peccati, habens carnem & ossa. quale etiam in Eucharistia est; quantum, divisibile, extensum in ordine ad se. Sed quoad modum existendi in loco caret extensione in ordine ad locum, Christus enim de singulis fracti panis particulis dicens, Hoc enim est corpus meum; corpus ejus totum esse in tota specierum quantitate, & totum in singulis ejus partibus innuit, quale esse non posset, si extenderetur in ordine ad locum. 2. Si Deus proprietates spiritus, agilitatem, incorruptibilitatem, subtilitatem, penetrabilitatem corpori glorioso communicare potest, quidni etiam modum existendi in loco illocalem, qui substantiæ spiritualis proprius est, communicare possit? Præsentia corporis Christi in Eucharistia supernaturalis, quæ nihil aliud est quàm actio specierum Eucharisticarum in genere causæ efficientis sustentativa, se ad dimensivam & extensivam corporis Christi in Cœlo præsentiam habet non contradictoriè, sed disparatè. At ipsi vos diversas disparatè repugnantes præsentias corporis Christi in Cœlo & Eucharistia agnoscitis. 4. Præsentia corporis Christi definitiva vocari potest, quatenus illud est totum in toto, & totum in qualibet parte, non quatenus ita totum est in qualibet parte spatii, ut non sit alibi. quod etiam Thomas 3. p. q. 76. a. 5. ad 1 agnoscit.* Ib pag. 277. 278. Resp. 1. Quicquid moliaris tu, væsanum dogma illud vestrum veræ Christi humanitati vim palam infert, quia humanum corpus obtrudit, quod nihil planè humanitatis habet. Licet autem substantiam corporis humani à modo ejusdem existendi in loco distinctam esse, nulli nos ignoremus; at modus existendi in loco humanus tam non à corpore humano separari potest, quàm non potest substantia corporis humani. Modus autem existendi in loco humanus is est, ut corpus humanum secundum substantiam suam visibile, palpabile, divisibile, extensum, circumscriptum, habens carnem & ossa discreta, eodem modo existat, ubicunque existit. Existere autem nisi in loco nequit. Ergo ipse quoque modus existendi in loco, adeóque etiam sive in Eucharistia, sive extra eam, requirit, ut in ordine ad locum, non ad se duntaxat, existat corpus Christi humanum visibile, palpabile, divisibile, extensum, circumscriptum, habens carnem & ossa. Bellam verò probationem tuam: *De qualibet panis particula dixit Christus: Hoc est corpus meum:*

Digitized by Google

meum: Ergo non potest corpus ejus extendi in ordine ad locum? Rectiùs inde concluderes: *Ergo corpus Christi non est in Eucharistia corporaliter, Papisticè.* quia si sic in Eucharistia foret, extendi deberet in ordine ad locum quemvis minutissimæ placentulæ. Quid enim? An quod corpus in particula panis est, non est in ea, ut in loco? Et si extensum, divisibile est in qualibet particula panis, uti ipsemet fateris, annon extensum, divisibile est in particula panis, ut in loco, adeóque extenditur in ordine ad locum? En successum fatuitatis & fraudis tuæ Sophisticæ! 2. Nimio quinetiam errore accidentia communia & separabilia cum propriis & essentialibus confundis. Ita agilitas, incorruptibilitas, subtilitas (de penetrabilitate nihil probare potes) sunt accidentia corporis separabilia, & spiritui æquè ac corpori communia. Possunt adesse & abesse citra corruptionem subjecti. Sicut enim corruptibilitas, ignobilitas, infirmitas corporis à subintrante peccato originem duxerunt: ita ab opposito peccato Dei gratia glorificante, & Spiritu vivificante, salva corporis natura mutantur & tolluntur. Dispar ratio est accidentium propriorum, seu potiùs attributorum essentialium corporis. quale est extensio, quæ non à causa quapiam adventitia, sed à corporis essentia adeò resultat & emanat, ut salva corporis essentia neutiquam mutari possit. Inest enim omni corpori, & soli, & semper, neque ea prius aliquid concipi potest. Ita corpus Christi glorificatum corruptibilitatem, mortalitatem deposuit: at extensionem non deposuit. Post resurrectionem enim corpus extensum, carnem & ossa habuit, quæ qui finxerit non extensa, majore jure dixerit *non carnem*, *non ossa*. Fucum ergo merum facis, fingendo proprietates essentiales, quæ non sunt, & statuendo accidentales, communicabiles, quæ essentiales, & planè incommunicabiles sunt. 3. Naturalem & supernaturalem præsentiam corporis, quarum illa scilicet localis, dimensiva, hæc illocalis & spiritualis sit, frustra fingis, non probatam, non probabilem. Imò corpus idem circumscribi & non circumscribi; extendi in loco, & non extendi in loco; visibile, palpabile, divisibile, & non visibile, non palpabile, non divisibile esse, non disparata utique, sed merè contradictoria sunt, quia oppositio versatur circa esse & non esse. Neque nos unquam diversas vel disparatas corporis Christi in Cœlo & Eucharistia præsentias, puta secundum locorum indistantiam, asseruimus. Tu sic eretizas. Secundum indistantiam enim loci in Cœlo solo præsens est, & erit usque ad consummationem rerum omnium. Sed sic in Cœlo præsens sui communionem nobis in Eucharistia per veram fidem impertitur & obsignat. 4. Ut præsentiam definitivam, quam Spiritibus Schola vendicat, corpori Christi Eucharistico aptare valeas, novam nobis præsentiæ definitivæ definitionem fingis. Astutè quidem. Nam aliàs id definitivè in loco esse constanter Schola vestra profitetur, quod hic est & non alibi. Vos autem non jam, ut olim Pseudo-Prophetæ & Pseudochristi, dicitis; *Ecce hic Christus, aut illic*; sed, quod longè turpius, *Ecce & hic Christus, & illic.* Neque soli Christo prærogativam hanc tribuitis, sed aliis etiam. Nam Tursellinus vester de Xaviero Lojolitico pullo, refert, *eum simul & in navi, & in scapha visum esse.* Ego cum fabulatoribus Plautinum Amphitruonem committo: *Tun' id dicere audes, verbero, quod nemo unquam homo antehac vidit, nec fieri potest, Tempore uno homo idem duobus ut locis simul sit.* Sed noveris, præsentiam illam, qua quid sic est totum in toto, ut simul sit totum in omnibus partibus, & hic, & alibi, non spirituum, nedum corporum creatorum, sed solius spiritus increati, infiniti, præsentiam esse; adeóque *repletivam*, quam Deo facitis eximiam; non *definitivam.* qua in re argumenti mei vis consistit. Etenim, si, uti verè Thomas Aquinas, Scholæ vestræ decus, *l.1. in Mag. d.*

31 q.1.

31. q. 1. art. 1. arguit, *ejusdem est rationis, Angelum simul esse in duobus locis, & in quibuscunque pluribus:* annon etiam ejusdem rationis est, corpus Christi, vel Xavieri esse *in duobus, & in quibuscunque pluribus*, adeóque omnibus locis? Id verò nullius corporis, nullius Spiritus creati, sed solius Dei est. Atque eò tandem Bellarminus redit qui *de Euchar. lib. 4.* sic scribit: *Possumus dicere, præter duos hos modos existendi in loco* (circumscriptivè & definitivè) *dari tertium, nimirum per solam præsentiam, quomodo Deus est in loco. Et hoc modo esse in loco illa corpora, quæ per Divinam potentiam simul sunt in variis locis*, non ut spiritus creati, sed ut Deus; modo non corporali, non Angelico, sed Divino!

ARG. VIII. Si Christus secundum corpus præsens est localiter eucharistiæ, idem corpus pluribus in locis substantialiter simul actu esset, adeóque πολύτοπον, quod longè absurdissimum est. Tale enim corpus πολύτοπον non esset unum, quippe in locis ingenti intervallo disparatis & discretis existens: idem illud simul dici posset esse actu & potestate: ad se ipsum referri posset relatione reali, simul esset in motu & in quiete: simul actu conciperetur frigidissimum & calidissimum, sanum & ægrum, vivens & mortuum, & quid non? Ne jam dicam polytopiæ huic disertissimè verbum Dei refragari Matth. XXVI. 11. Joh. XIII, 33. Act. III. 21. quibus locis negat Christus se semper nobiscum futurum, & asserit Petrus, fore ut cœli ipsum capiant usque ad tempus restitutionis omnium.

Resp. Reding: 1. *In textibus Matthæi & Johannis nihil ad rem præsentem facit. Act. III. 21. asseritur, Christum in Cælo mansurum usque ad diem judicii. At minimè dicitur, non etiam realiter futurum in Eucharistia. Imò contrarium dixit Christus his verbis: Hoc enim est corpus meum. 2. Corpus polytopon unum esse potest, quia multiplicatio accidentium, quale est varietas essendi in loco, nihil unitati substantiali corporis derogat. 3. Christi corpus in statu gloriæ alterativis passionibus, vel corruptioni obnoxium amplius esse nequit. Neque quando Christus Eucharistiam instituit, ab agente creato pati potuit, quia quantitas ejus sub speciebus modum existendi inextensum & indivisibilem habuit; nullum autem accidens in corpore ejus pro tali statu receptibile, modum existendi sibi connaturalem habere potuit. Accedit, quòd vi connaturalis concomitantiæ, quæ unioni physicæ competit, omnes corporis Christi tam substantiales, quàm accidentales, à loco independentes, perfectiones sub omnibus ac singulis speciebus Eucharisticis existunt. 4. Idem corpus simul esse actu quoad formam aliquam actu receptam, & potentia, quoad formam actu nondum productam: vel varietatem quampiam habere respectu accidentium à loco essentialiter pendentium, ita ut alia obtineat, prout est circumscriptivè in Cælo, alia, prout est in Eucharistia, quid vetat?* Ib. pag. 278. 179. Resp. 1. Parum versatum te in S. literis prodis, qui typographi mei errata, (quale etiam tuus hoc ipso loco *Matth. 24.* pro *Matth. 27.* pingens, alibíque passim admisit) emendare non potuisti. Christus certè claris verbis præsagivit, fore ut non semper nobiscum sit, neque semper ipsum habeamus. Matth. XXVI. 11. & *ἔτι μικρὸν adhuc parvo*, seu exiguo tempore se in terris futurum, Joh. XIII. 33. Et S. Petrus Act. XIII. 31. futurum, ut Cœlum Christum capiat usque ad tempus restitutionis omnium, affirmat. Quomodo usque ad illud tempus Cœlum Christum,

quoad humanitatem puta, *δέχεται capit*, ſi toto tempore intermedio infinitis & temporibus & locis in Euchariſtia eſt ſecundum loci indiſtantiam? Nam quod corpus, totum utique, *capitur* Cœlo, quomodò ſimul eſt extra Cœlum? Hoc tibi extricandum, non nudè aſſerendum, & Cœlo capi, & ſimul realiter in Euchariſtia exiſtere, fuerat. Nam verba Chriſti, dum de ſenſu eorum controvertitur, pro argumento ſenſus heterogenei obtrudere, quid niſi delirare eſt? Varietatem eſſendi in loco ejuſmodi, qua idem corpus & in Cœlo ſit circumſcriptivè, & in plurimis terræ locis, corporis unius ejuſdémque accidens mutabile eſſe, denuo ſupponis, & nudè aſſeris, non probas. Nos ſupra contrarium probavimus. Etſi verò unitas corporis à loco adæquato non pendet, tanquam à cauſa, pendet tamen ab illo, tanquam à conditione neceſſariæ ſuæ exiſtentiæ, nec non ſigno ejus demonſtrativo. Cúmque pluribus modis corporis unitas ſolvatur, præcipuè tamen per ſectionem ſolvitur. Unde corpora, quæ dividi, adeóque unitatem ſuam perdere non poſſunt, *ἄτομα inſectibilia* dicuntur. Ratio autem, ob quam ſectio corporis unitatem tollit, eſt ſecantis interpoſitio, continuitatem corporis ſecti ſolvens. Unde Conimbricenſibus diviſibilitas phyſica eſt, *cùm per contactum phyſicum unum corpus introducitur in partes alterius corporis, eáſque ſeparat.* Corporis igitur unitas tollitur per aliquod interpoſitum diverſum, quod ibi, ubi ponitur, non facit partem illius corporis, de cujus unitate agitur. Sufficitque ad unitatem tollendam corporis quantumvis exigui interpoſitio. Cùm igitur adverſarii ipſi agnoſcant, inter corpus Chriſti in Cœlis exiſtens, quódque ſimul in terra exiſtere contendunt, interponi corpora innumera, nullam corporis Chriſti partem facientia; & quæ quantitate quidem *continua* magna & vaſta ſunt *diſcreta* verò innumera & varia; qua quæſo ratione affirmare audent, corporis Chriſti in Cœlo ſimul & terra hoc modo exiſtentis unitatem ſartam tectámque perſtare? Certiſſimum quinetiam eſt, corpus non magis poſſe à loco uno ſeparari, quàm à loco. Non enim locus in idea, ſed hic locus concreatus fuit huic corpori. Sicut igitur nullum corpus exiſtere poteſt abſque loco: ita nec abſque unitate loci. Denique æternæ veritatis eſt receptiſſimum illud in Scholis axioma: *Unitas numerica rei finitæ corporeæ non conſiſtere poteſt abſque continuitate.* Quem non pudeat hic Papiſtarum, Bellarmini cumprimis, aſſerentis, *loca ipſa, in quibus Chriſti corpus eſt, diſcontinua eſſe: ſed & Chriſti corpus diviſum eſſe à ſe, reſpectu loci, ſed non reſpectu propriæ ſubſtantiæ, ſive quantitatis:* Quaſi verò ulla eſſet diviſio ſubſtantiæ corporeæ niſi per terminos: quaſi ſolo loco non & terminari & commenſurari ſoleat quantitas: quaſi certiſſima non eſſet loci ad locatum relatio. 3. Fatemur & nos, corpus Chriſti glorioſum alterativis paſſionibus, quæ à corruptibilitate ſcilicet & imperfectione oriuntur, obnoxium non eſſe. At alterationibus nullis, veluti quieti & motui, obnoxium eſſe, negamus. Annon enim & moveri & quieſcere poteſt? Et quomodo ſub ſpeciebus accidentium frangi, comedi, incipere & deſinere eſſe poteſt, ſi mutationibus & alterationibus nullis obnoxium eſt? Nam quòd ſub ſpeciebus modum exiſtendi inextenſum & indiviſibilem habere, atque ſic nullum in eo accidens modum exiſtendi & alterandi connaturalem habere poſſe, regeris, non res, ſed inane tuum *κενοφώνιον* eſt. Quid quòd cujuſvis corporis, adeóque etiam non glorioſi, polytopiam eſſe poſſibilem aſſeritis? Imò etiam tu, fani Eremitani myſtagoge, antehac aſſerere non dubitaſti, idem corpus Chriſti & in Cœlo, & in fano veſtro Eremitano eodem tempore extitiſſe circumſcriptivè, adeóque ſine modo exiſtendi inextenſo & indiviſibili? In fano quidem veſtro, ita credere jubes, conſecrationis fani hiſtrioniam peregit. An eandem hiſtrioniam etiam in Cœlo eodem tempore peregit?

Quis

by Google

Quis non rideat sapientem hominis illius stultitiam, uti olim similem Valentinianorum Irenæus? Et quæ tandem ratio est, cur corpori Christi sub speciebus existenti, vi concomitantiæ, omnes perfectiones corporis, excepta sola ea, quæ à loco dependet, vindicas? Cur reliquæ perfectiones omnes ei competunt: & non competit ea, quæ à loco dependet, sine qua ne existere quidem posset, adeóque ἄτοπον foret? 4. Nihil vetat equidem, idem respectu formæ actu inductæ, & denuum inducendæ simul esse actu & potestate. At simul respectu ejusdem loci esse actu & potestate, id verò pugnat. Atqui si idem corpus Christi esset in Cœlo & terra simul, quatenus in Cœlo est actu, posset venire in terram ad judicium, adeóque in terra foret potentia. Et tamen supponitur jam ante in terra esse actu. Ergo in terra simul erit actu & potentia, & ad se ipsum relatione reali referri poterit. Ad hoc, si potes, responde.

ARG. IX. Corporalis & Substantialis ejusmodi præsentia piæ antiquitati ante Scholasticorum ævum planè fuit incognita, uti fusè docet eruditissimo opere Edmundus Albertinus, nec non Forbesius *Instruct. lib. XII. 6.* & Johannes Vorstius in *Dissertationibus sacris.* Nota est veterum formula & hortatio in Eucharistiæ usu, *Sursum corda*, quam ex Cypriano allegat Gratianus *dist. 1. de Consecrat. can. Quando autem.* Basilius in Psal. 33. Corpus Christi recipere ait τὸ νοητὸν στόμα τοῦ ἔνδον ἀνθρώπου, *intellectuale interni hominis os.* Chrysostomus *Serm. 24. in 1. Cor. 10.* notat, eos, qui ad corpus Domini accedere volunt, aquilis esse similes debere, & in ipsum cœlum transvolare. Augustinus tract. 50. in Joh. *Quomodo in cælum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? Fidem mitte & tenuisti.* Ambrosius *Serm. 59. de temp.* asserit: Christum à nobis tam longè abesse corporaliter, quantùm distat cœlum à terris, tangi nihilominus fide ab iis, qui eum mentis devotione quærunt.

RESP. REDING: 1. *Sursum corda tum tollimus, quando per fidem ad supernaturale mysterium totius creatæ naturæ vires superans, nos erigimus, & intellectum in obsequium Christi, corpus suum in Sacramento erogantis, captivamus.* 2. *Basilius asserit, esse quoddam os intellectuale interni hominis, quo nutritur. Sed idem de Bapt. cap. 3. in Eucharistia corpus Christi temerè contingi posse, adeóque ibidem existere docet.* 3. *Chrysostomi verba nefariè mutilas. Is enim addit, in Eucharistia sumi idem corpus, quod verberatum, cruentatum, lancea vulneratum &c. est; quod in præsepi Magi sunt reveriti.* 4. *S. Augustinus l. cit. quærit, quomodo Christus in Cælum ascendens teneri hodie possit? Respondet: Fidem mitte, & tenuisti. An ergo, quia in Cælis sedens fide tenetur, realiter non est in Eucharistia?* 5. *Eodem modo Ambrosius unum affirmans alterum non removet.* Ib. pag. 279. 280. Resp. Fusiùs paulò isthæc antiquitatis testimonia jam vindicavi adversus Baldingerum. Heic igitur succinctiori esse liceat. 1. Non ideo veteres sursum corda tolli voluerunt, quia mysterium præsentiæ Christi in Eucharistia rationem superat; sed quia Christum corpore suo non alibi esse quàm in Cœlo ad dextram Dei, constanter crediderunt. Sic disertè Chrysostomus *homil. 11. ad pop. Antioch.* Εἰ βούλει καὶ τὸ ἱερὸν πτερὸν ἰδεῖν, ἔχω τοῦτο κουφότερον ἐκείνων οὐ μέχρι δύο σταδίων καὶ ἄνω, ἀλλὰ καὶ νοῦς αὐτὸν ἀναπτέρωσον τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ ἄνω, οὗ ὁ Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καθήμενος.

Si vis alam meam videre, alam habeo illis (aquilis videlicet) *multò leviorem, non usque ad stadia decem aut viginti, nec ad Cœlum usque, sed super ipsum Cœlum evolantem, & super Cœlum Cœli, ubi Christus est in dextra Dei sedens.* Et Augustinus *in Psal.39. Sursum,* inquit, *corda habeamus. Si resurrexistis cum Christo, dicis* (Apostolus) *fidelibus corpus & sanguinem Christi accipientibus: si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, sapite, ubi est Christus ad dexteram Dei sedens.* Nempe formulam illam veteres mutuati sunt ab Apostolo Col.III.12. ubi *ἄνω sursum* disertè ad Christum corpore suo non in terra, sed in Cœlo duntaxat ad dextram Dei sedentem, refertur. 2. S. Basilius *in Psal.33.* monet, Dominum se panem vocare *ὡς ἐπιτηδειοτάτην τροφὴν λογικοῦ τυγχάνοντα, quia cibus sit valde proprius rationalis* (facultatis, animæ) ad confirmandam *animæ substantiam.* Addit, esse quoddam *νοητὸν στόμα τοῦ ἔσω ἀνθρώπου rationale os interioris hominis, quo nutritur suscipiens verbum vitæ, quod est panis, qui de Cœlo descendit.* Paulò post: *Quoniam Dominus noster verus panis est, & caro ejus verus cibus, necessum est voluptatem lætitiæ panis hujus διὰ γεύσεως νοητῆς per spiritualem gustum in nobis gigni.* Si igitur juxta S. Basilium Christus, seu caro Christi, proprius & consentaneus est animæ, tanquam *oris intellectualis, spiritualis,* cibus, utique per os corporis sumi non debet. Sicut corporis cibus anima non sumitur, ita nec animæ cibus corpore. Frigidè excipis, alibi docere, quòd corpus Christi temerè contingi possit. An inde efficere potes, Basilium alibi non statuisse, quòd corpus Christi *ore intellectuali, spirituali* capiatur. Cur ad hoc non respondes? Et tamen manibus contingi corpus Christi posse, non dixit S. Basilius. nisi forte in symbolo. 3. Chrysostomi verba, quatenus ad rem faciunt, bona fide retuli. Neque tu quicquam ad ea respondes, sed connexa ingeris, quia errori tuo patrocinari putasti. Sic ubique fugis potiùs, & antra commutas, quàm disputas. Nuspiam tamen tutus es. An enim vos ipsi Christum in Eucharistia *verberatum, cruentatum, lancea confossum &c.* existere aliter quàm repræsentativè statuitis? 4. S. Augustinus Christum manu teneri posse, simpliciter negat; non in Eucharistia teneri posse, extra eam teneri non posse, distinguit. Sola fide, solo corde teneri posse, simpliciter statuit. Neque ullam carnis, sed solius Majestatis, hoc est, Divinitatis in terra præsentiam agnoscit. *Secundum præsentiam,* inquit, *Majestatis semper habemus Christum. Secundum præsentiam carnis rectè dictum est discipulis: Me autem non semper habebitis. Habuit enim illam Ecclesia secundùm præsentiam carnis paucis diebus: modò* (sine ullo discrimine) *fide tenet, oculis non videt.* 5. Eodem planè modo universaliter loquitur Ambrosius, rotundè negans, *super terram,* vel *in terra,* vel *secundùm carnem* Christum quærendum: & asserens, *non corporali tactu, sed fide Christum tangi.* Cœterùm quia argumentum de sensu Antiquitatis heic tractamus, non pigebit tibi paucis originem erroris vestri ob oculos statuere; ostendendo ipsosmet Papas sub quibus error introductus & propagatus fuit. Tempore nempe Soteris, Episcopi Romani vixit quidam Marcus, archihæreticus insignis, à Poëta Græco insignitus *εἰδωλοποιὸς, τερατοσκόπος* &c. *idolorum fabricator,* qui assistente Sathana, conatus fuerit miraculorum ostentatione fidem erroribus & falsis dogmatis suis conciliare. Is versutis præstigiis suis hunc præcipuè in finem usus est, ut eorum, quos perverterat, animis, hanc persuasionem imprimeret, in poculo prætensæ Eucharistiæ suæ se sanguinem realiter bibendum exhibere. Nam Irenæo *lib.I. cap.9.* teste *ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα προσποιούμενος εὐχαριστεῖν, καὶ ἐπὶ πλεῖον ἐκτείνων τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως πορφύρεα καὶ ἐρυθρὰ ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ. ὡς δοκεῖν τὴν ἀπὸ τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα χάριν τὸ αἷμα τὸ ἑαυτῆς στάζειν ἐν τῷ ἐκείνου ποτηρίῳ διὰ τῆς ἐπικλήσεως αὐτοῦ. Simulans se conse-*

crare

trare pocula vino repleta, & verba invocationis magnopere extendens, ea purpura & rubro colore apparere fecit, ut crederent homines, gratiam, quæ ſuper omnia eſt, ob invocationem ejus ſanguinem poculo inſtillare. Juxta hoc exemplum poſtmodum accidiſſe videmus, ut principale ac potiſſimum medium, quo craſſi ejuſmodi de gutturali eſu ac potu corporis & ſanguinis Domini errores populo impreſſi fuerunt, & tractu temporis profundiores apud eos radices egerunt, non aliud, quàm ejuſmodi deluſiones & impoſturæ eſſent. Quod magnus ille Scholaſticus, Alexander Alenſis *Summ. Theol. par.* 4. *q.* 11. *m.* 2. *art.* 4. *ſect.* 3. ipſemet evenire aliquando fatetur *humana procuratione, vel forte Diabolica operatione.* Paſchaſius quoque Radbertus *de corp. & ſang. Dom. cap.* 14. ſcribit, *neminem, qui Sanctorum vitas & exempla legerit, poſſe ignorare, quòd ſæpe hæc myſtica corporis & ſanguinis Sacramenta, aut propter dubios, aut propter ardentiùs amantes Chriſtum, viſibili ſpecie in Agni forma, aut in carnis & ſanguinis colore monſtrata ſint; quatenus de ſe Chriſtus clementer adhuc non credentibus fidem faceret: ita ut dum oblata frangitur vel offertur hoſtia, videretur Agnus in manibus, & cruor in calice quaſi ex immolatione profluere, ut quod latebat in myſterio, pateſceret adhuc dubitantibus in miraculo.* Sicut autem impius ille hæreſiarcha Marcus tanquam *εἰδωλοποιὸς* in cenſuram venit: ita poſterioribus temporibus ab idololatris & idolorum fabricatoribus, qui in Oriente fuere, craſſa iſta de orali manducatione opinio originem traxit; Deo ob idololatriam eorum eos juſtè in reprobam mentem dante, *ut erroris ſui compenſationem reciperent*, Rom. I. 27. 28. Factum id Pontifice Gregorio III. ſub quo Damaſcenus, qui Theologiæ Scholaſticæ inter Græcos fundamenta jecit, ſicut Lombardus inter Latinos; errorem de orali manducatione introduxit; repugnantibus Patribus 334. in Concilio Conſtantinopolitano, decernentibus, *Chriſtum nullius rei ſpeciem aut typum ſub Cœlo ad repræſentationem* incarnationis ſuæ, quàm Sacramentum, *εἰς τύπον καὶ ἀνάμνησιν ἐναργεστάτην in typum & commemorationem efficaciſſimam* elegiſſe. Qui etiam panem dixerunt eſſe corpus Chriſti non *φύσει*, ſed *θέσει*; hoc eſt, ut ipſimet explicant, *tanquam ſanctam & veram carnis naturalis Chriſti imaginem.* In Concilio Nicæno blatero quidam Epiphanius Conſtantinopolitanus contradicens, pertendit, neminem unquam ex Apoſtolis vel Patribus Sacramentum hoc *imaginem* corporis Chriſti vocaſſe, niſi quòd Baſilius ante conſecrationem *ἀντίτυπα* vocaverit. Cujus temeritatis ita ipſos Pontificis aſſeclas, qui ultimam editionem Actorum Conciliorum Generalium Romæ adornarunt, ſuppuduit, ut eam nota marginali caſtigaverint. Sed & authorem Dialogi adverſus Marcionitas, Euſebium & Gelaſium Sacramentum vocare *εἰκόνα imaginem corporis* Chriſti, notorium eſt. Centum poſt annis Pontifice Gregorio IV. idem error in Occidente, ope cujuſdam Amalarii, Epiſcopi Lugdunenſis introductus eſt. Is enim *de offic. Eccl. lib.* III. 24. credere ſe ait, *naturam ſimplicem panis & vini mixti verti in naturam rationabilem, ſcilicet corporis & ſanguinis Chriſti.* Ejus deliria non tantùm auſam præbuerunt quæſtioni: *An id, quod externè offertur & accipitur in ſacra Cœna, ſit illud ipſum corpus, quod ex Maria virgine natum, in cruce mortuum, tertia die è ſepulchro reſurrexit?* Paſchaſius Radbertus ſcripto ad Placidum *de corpore & ſanguine Domini* libro, affirmavit: negavit Rabanus in ſua ad Heribaldum reſponſione, nec non in quodam ad Egilonem Abbatem ſcripto. Certantibus inter ſe partibus Carolus Calvus Imperator diſſidium hoc componere annixus, à Ratramno, ſeu Bertramo, ejuſdem Monaſterii Corbejenſis, cujus Paſchaſius Abbas fuerat, Monacho petiit, ut ſuum hac de re judicium proferret. qui nil cunctatus, libro *de corpore & ſanguine Domini* edito demonſtravit, *pa-*

Digitized by Google

nem & vinum figuratè corpus Christi existere. Consentientem habuit Scotum Erigenam, qui & ipse libro de Sacramento edito sententiam Bertrami propugnavit. Ex eo tempore quæstio de Reali præsentia semper controversa fuit, liberúmque fuit vel Paschasii, vel Bertrami sententiæ subscribere, prævalente tandem erronea Paschasii, & damnata veriore Bertrami in Berengario, licet pro eo plurimi Angli, Galli & Itali disputaverint, donec A. 1215. Pontifice Innocentio III. in Concilio Lateranensi *cap* 1. sancitum est, *Corpus & Sanguinem in Sacramento Altaris sub speciebus panis & vini veraciter contineri: transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate Divina.*

ARG. X. Denique adversariis de modo hujus præsentiæ minimè convenit, cùm alii, nominatim Richardus de media Villa *in 4. sent. dist.* 10. *art.* 2. *q.* 2. Scotus *ibid. q.* 2. 3. Gabriel Biel *ibid. art.* 2. *concl.* 3. præsens esse corpus Christi in eucharistia posse circumscriptivè pertendunt: alii verò, veluti Bonaventura *in 4. sent. dist.* 44. 10. *q.* 4. Thomas *quod l.* 9. *q.* 32 Durandus *in 4 sent. dist.* 44. *q.* 6. Capreolus *ibid q.* 1. *art.* 3. docent, corpus Christi præsens esse non posse circumscriptivè, sed penetrativè & indivisibiliter, non per modum quantitatis dimensivæ, sed substantiæ. Qui quidem partium illarum dissensus præbet nobis Syllogismum contra præsentiam corporalem Christi evidentissimum, cujus utraque præmissa nititur argumentis ab ipsis partibus litigantibus suppeditatis. Talis autem est: *In quibuscunque locis simul potest corpus Christi per miraculum esse corporaliter seu substantialiter, in iisdem locis simul potest esse per miraculum circumscriptivè. At corpus Christi non potest per miraculum simul esse in pluribus locis circumscriptivè. Ergo corpus Christi, non potest per miraculum simul esse in pluribus locis corporaliter seu substantialiter.* Propositionem majorem clarissimè probant Scotus, Gabriel Biel, & eorum asseclæ, quia ubi Deus facere potest substantiam naturalem sub modo suo non naturali, sed opposito, ibi eam facere etiam potest sub modo naturali, seu naturæ suæ convenienti, cùm hoc æquè facile, imò facilius sit quàm illud, & ad illud concurrere debeant duo miracula, unum in causando præsentiam unius corporis simul in pluribus locis, alterum in separando ipsum à modo suo naturali; ad hoc verò non nisi unum miraculum, videlicet in causando unius corporis præsentiam simul in pluribus locis. Minorem verò propositionem non minùs invictis rationibus confirmant Bonaventura, Thomas, Durandus, Capreolus. Et Thomas quidem *quod lib.* 1. *a.* 22. *ad* 1. *& quod lib.* 3 *a.* 1. duplicis circumscriptivæ ad duo loca adæquata unius corporis præsentiæ repugnantiam inde asserit, *quia corpus localiter*, seu circumscriptivè, *esse in loco, nihil aliud sit quàm circumscribi ac comprehendi à loco secundum commensurationem propriarum dimensionum. Quod autem comprehenditur à loco aliquo, illud ita esse in loco, ut nihil ejus extra locum eum sit. Unde ponere, quòd localiter sit in loco, & tamen*

tamen sit in alio, esse ponere contradictoria. Quin & ipsi Tridentini *Sess. XIII. cap.1.* asserentes, *non pugnare ut Salvator noster semper ad dextram Patris in Cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere non possumus, possibilem tamen esse Deo, credere debemus,* non obscurè Thomæ sententiæ suffragantur.

Resp. Reding: *1. Esto, de modo præsentiæ discrepent Thomistæ & Scotistæ. An ipsius*
realis præsentiæ veritas propter dissensum eum labefactatur? An generatio filii à Patre
negari debet, quia de modo ejus non constat? 2. Scotus in 4. dist.10.q.2. cum Richardo &
Gabriele infert quidem, quòd cùm idem corpus Christi possit esse Sacramentaliter in plu-
ribus locis, videatur unum etiam corpus posse simul in multis locis esse quantitativè. Nun-
quam tamen asseruit, esse illud circumscriptivè in Eucharistia. 3. Nullus Catholicorum
Doctorum præmissas illas collectim spectatas probabiles esse, censuit. Divisim verò de iis,
tem Scholastica disceptationi obnoxiis disputarunt Ibid. pag. 280 - 285. Resp. 1. Præsen-
tiam corporalem oppugnamus non eo argumento, quòd modus ejus vel incognitus,
vel controversus sit: sed quòd quilibet, qui assignatur, modus, quo idem Christi corpus
simul in Cœlo & in Eucharistia sit, impossibilis sit, & contradictionem implicet. Talis
non est modus æternæ generationis Christi. 2. Quicquid de circumscriptiva Christi
in Eucharistia præsentia statuerit Scotus (tamen possibilitatem ejus certò statuit) per-
stat vis argumenti. Si enim per miraculum Christus in Cœlo circumscriptivè, in Eu-
charistia indivisibiliter corpore suo præsens esse potest, nihil impedit, quò minùs & in
Cœlo & in Eucharistia per miraculum possit esse circumscriptivè. quia ad illud duo
miracula requirantur, ad hoc unum sufficiat. Atqui quò minùs Christus in duobus si-
mul locis sit circumscriptivè, impedit repugnantia. Ergo multò magis illud repugnantia
impediet. Si enim, quod minus est, non inest, multò minùs quod majus est, inerit.
3. Neque opus est, ut quisquam Scholæ vestræ doctorum præmissam utramque colle-
ctim propugnet. Sufficit utramque præmissam à diversis Scholæ vestræ doctoribus ar-
gumentis irrefragabilibus communiri. De re enim, quæ docetur, non de doctoribus ar-
gumentum stringit. Cœterùm cùm illud & adversus Baldingerum fusiùs asseruerim:
& speculationes Scholasticas, quas Redingius Thomistarum & Scotistarum differentes
opiniones ponderans prodidit, abundè Doctiss. Forbesius *Instruct. Hist. Theol. lib. XI. 6.*
discusserit, libens proliziore disputatione heic supersedeo.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Verba institutionis; Hoc enim est corpus meum, &c. nec non historia ejus, arguunt substantialem & corporalem Christi in Eucharistia præsentiam, tum quia proprium reale & substantiale corpus & sanguis Christi est illud, de quo Christus dixit; Edite, bibite: tum quia pronomina Hoc, hic, demonstrant verum & reale corpus ac sanguinem Christi, cùm apud omnes Grammaticos censeantur esse demonstrativa: tum quia quod distribuit Christus, cùm Eucharistiam institueret, erat illud ipsum corpus, quod pro nobis dandum affirmatur: tum denique quia Luc. XXII. 20 Christus*

Christus innuit, poculum esse sanguinem, dicens: τῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *hoc poculum est novum Testamentum in sanguine meo, quod poculum pro vobis effunditur.* Resp. 1. Verba & historia institutionis non aliud evincunt, quàm in Eucharistia præsentia esse corpus & sanguinem, non absolutè & substantialiter, sed illud quidem quatenus est panis, hic verò quatenus est germen vitis, uti superiùs demonstratum. 2. Illud quod Dominus accipere, edere & bibere discipulos jussit, directè & formaliter erat panis & vinum; indirectè, implicitè, & consequenter panis & corpus Christi, quatenus signorum participationem imperando, in memoriam revocabat mandatum suum de carne manducanda & sanguine bibendo Joh. c. VI. datum. 3. Per pronomina *Hoc, hic,* demonstrantur panis & vinum, quæ Christus in manum acceperat, sanctificaverat & distribuerat. 4. Quod Christus distribuerat, erat sanè corpus pro nobis dandum, & sanguis pro nobis effundendus, sed non tam *substantialiter,* quàm *figurativè,* per commemorationem & obsignationem. 5. In verbis Lucæ XXII. 20. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *quod pro vobis effunditur,* pertinet ad proximè præcedens subjectum αἷμα *sanguis:* non ad remotum subjectum ποτήριον *poculum,* per usitatam enallagen casûs recti pro obliquo, uti locus Matth. XXVI. 28. ubi verba ea ad τὸ αἷμα referuntur, manifestè evincit. Similia enallages exempla occurrunt, Joh. I. 14. XXI. 12. 2. Cor. XII. 5. Ephes. III. 7. Apocal I. 5. VIII. 9. Unde etiam Basil. in Moral. reg 21:3. habet τῷ αἵματι τῷ ἐκχυνομένῳ.

EXCIP. REDING: 1. *Evangelistæ omnes & S. Paulus uniformiter verborum Christi proprietatem retinent.* 2. *Quod Christus edere, bibere jussit, de illo, benedicendo, edixit: Hoc est corpus meum &c. At dicere ejus est facere. Non igitur pronomina Hoc, Hic, panem & vinum demonstrant; sed per benedictionem seu sanctificationem substantia panis & vini sic exterminata est, ut sub eorum accidentibus substantia corporis & sanguinis Christi successerit. Verba enim Christi dicentis H. E. E. C. M. sunt infallibilis veritatis adeòque effectiva rei, cujus effectio ad talium verborum veritatem necessaria est.* 3. *In verbis Lucæ XXII. 20.* τὸ *quod refertur ad proximè præcedens subjectum, sanguinem scilicet poculo contentum. Ergo verus Christi sanguis in Eucharistia est.* Ib. pag. 286. 287. Resp. Nudè omnia asseris, nulla ratione fretus. Etenim 1. si ubique Evangelistæ verborum proprietatem servant, an ergo *Hoc*, id est, uti interpretamini, *individuum vagum*, vel, uti alii, *gradus substantiæ de se indifferens ad panem, corpus & quamlibet substantiam sub speciebus ponibilem*; vel, uti tu interpretaris, *Hacceitas seu unitas individualis* (cui tamen nullum subjectum subest, quódque adeò à nihilo nihil distat) propriè est Corpus Christi? Quale isthoc monstrum est, cui omne rationis, & revelationis lumen ademptum? 2. Benedictio & sanctificatio symbolorum an eorundem substantiam perdidit? Maledictio potiùs hæc, quàm benedictio foret. Saltem similis benedictio ostendi nulla potest. Et si quodvis dicere Dei est facere, an igitur cùm dixit & dicet idem: *Hoc,* id est, Agnus *est transitus: Circumcisio est fœdus: Ite maledicti in ignem æternum,*

Digitized by Google

num, &c. sic dicendo ex Agno transitum, ex circumcisione fœdus, maledictos &c. fecit? Piget plusquàm febrilium deliramentorum. Denique an quælibet verba infallibilis veritatis propriè rem significant? Tolle ergo ex S. Scriptura tropos innumeros. 3. Dixit Christus Luc. XXII. 20. *Hoc poculum, est Novum Testamentum ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, in sanguine meo, qui pro vobis effunditur.* Fateris illud τὸ *Quod* ad proximum subjectum, Sanguinem referri. Ergo poculum est Novum Testamentum in sanguine effundendo ratificandum. Non ergo propriè sanguis ipse; sed vinum poculo contentum Sacramentum est Novi Testamenti per sanguinem ratificandi. Quid quæso hic errori tuo feritur, quid metitur?

OBIECT. II. *Paulus 1. Cor. X. 16. explicans verba institutionis, vocat poculum communionem sanguinis, & panem, quem frangimus, communionem corporis Christi. Ubi κοινωνία notat communicationem & exhibitionem corporalem Christi, tum quia à proprietate literæ non est temerè recedendum: tum quia Paulus Corinthios à Sacrificiis Gentilium vult avertere, ostendendo mensam & sacrificium longè præstantius, quale sanè non est figura, sed vera caro & sanguis in altari.* Resp. 1. Locum eum Orthodoxæ sententiæ favere supra manifestum fecimus. 2. Κοινωνία non corporalem *communicationem & exhibitionem*, sed *communionem*, *consortium* & *societatem notat.* Ita legitur in sacris non semel, nos habere κοινωνίαν cum Deo & Christo: & ipsa textus Apostolici συνάφεια id probat, cùm vox κοινωνίας sæpius ibi repetita non aliud quàm *societatem & consortium* notet. Proinde qui ita interpretantur, à proprietate literæ non recedunt. Igitur panis est communio corporis Christi, hoc est, id per quod communio corporis Christi obtinetur, vel signum & sigillum corporis Christi: non ejus δοχεῖον vel vehiculum. 3. Neque Paulus confert inter se communionem cum corpore Christi, & communionem cum idolis, in eo, quòd illa præstantior sit hâc, sed potiùs ex utriusque oppositione ostendit, eum, qui cum Christo communicat, cum dæmoniis communicare non debere. 4. Denique præstantius & nos sacrificium habemus, corpus Domini, cujus fide comedendi Sacramentum est panis.

EXCIP. REDINO: 1. *Sicut κοινωνία communio cum Deo & Christo non est communio cum figura Dei & Christi: sic communio cum corpore & sanguine Christi non est communio cum eorundem figura. 2. Per participationem sacrificiorum legis fiebat communicatio figuræ, corpus & sanguinem Christi tradendum & fundendum repræsentantis. Nec tamen de ea, sed de sola Eucharistica communione dicitur, quòd sit communicatio corporis & sanguinis Domini. 3. Vel unum textum profer, qua dicatur, verba Christi H. E. E. C. M. vel Pauli, Panis est communio corporis Christi, de modo præsentiæ non reali, sed figurativo intelligenda esse.* Ib. p. 287. 288. Resp. 1. Si vestra cum imaginibus & figuris Dei, Christi & Sanctorum communio potest esse, uti pertenditis, communio cum ipso Deo, Christo & Sanctis; potiori longè ratione communio cum vera & unica imagine ac figura corporis & sanguinis Domini,

Digitized by Google

ab ipso Domino constituta, communio esse cum ipso corpore & sanguine Domini potest. Quanquam in Eucharistia ne quidem instituitur communio cum figura, sed symbola à Christo instituta, ut sigilla & pignora communionis cum vero Christi corpore & sanguine exhibentur & accipiuntur; sed non corporaliter, æquè ac non corporaliter unum sunt, seu communionem invicem habent, qui ex uno pane manducantes *unum corpus, multi esse* v. 17. dicuntur. 2. Qui sacrificia in V. Test. vera fide obtulerunt, per ea, ceu figuras Agni immaculati, inde à jactis mundi fundamentis mactati, non cum figura duntaxat quapiam Christi, sed cum altari vero, hoc est, victima piaculari Christo ipso in ara crucis immolando communionem habuerunt, teste Apostolo v. 18. *Videte Israëlem secundum carnem. Nonne edentes victimas sunt κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου participes Altaris?* Neque tamen victima dicebantur corpus & sanguis Domini, sicut panis & vinum, quia nondum corpus Christi statim frangendum vel fractum sanguis fundendus vel fusus fuit. Nihilominus sacrificiis tribuebatur כפר *expiatio* peccatorum, quæ solius Christi, unicæ pro peccatis hostiæ, propria est. 3. Per symbola sacra, ceu figuras corporis & sanguinis Domini, fidei iisdem utentium corpus & sanguis ejusdem non figurativè, sed realiter præsens sistitur, non quoad contactum physicum, vel propinquitatem substantialem, sed quoad jus communionis cum morte Christi, ejúsque fructibus. Tu potiùs vel umbram rationis prome, ex qua constet, exterminata symbolorum substantia corpus & sanguinem Domini sub speciebus eorundem invisibiliter & indivisibiliter *ἀδιαστάτως* præsens esse: & quicquam corporalem ad salutem vel solatium peccatoris proficere. Cur denique nihil ad objectam tibi textus *συνάφειαν*, nec non frequentem *κοινωνίας communionis* in eodem capite usum, quo non aliud quàm *societatem, consortium* significat, respondes?

OBIECT. III. *Christus Joh. VI. 51. 52. &c. ostendit, in Eucharistia præsentem carnem Christi comedi & sanguinem bibi. Agi autem eo loco de Eucharistia & manducatione orali præsentis corporis patet, tum quia promittit ibi carnem dandam pro mundi vita, quod nuspiam impletum nisi in Eucharistia: tum quia Judæi verba Christi de orali manducatione corporis præsentis acceperunt, quos in sua sententia confirmavit Christus v. 53. tum quia v. 57. Christus docet, propter se manducatum nos vivere, sicut ipse vivit propter patrem viventem: tum denique, quia ita docent Patres.*

Resp. 1. Christi verba eo capite accipienda esse de manducatione spirituali per fidem, non orali, ipsemet Salvator ostendit tum v. 35. ubi per fidem sedari famem & extingui sitim docet: tum v. 60. 64. ubi carnem mox in cœlum subvehendam comedi ore corporis non posse, & comestam non prodesse quicquam, cùm non per carnem comestam habeatur communio cum Christo ad vitam, quod etiam adversarii, statuentes impios comedentes panem damnari tamen, innuunt, sed per Spiritum Christi, qui in nobis est, & nos facit unum cum Christo; ostendit: tum denique, quia de spirituali manducatione per fidem commodè exponi possunt, quæ de carne sua Christus docet. Quæ causa est, quòd plures ex Pontificiis, ac ex iis duo Summi Pontifices, Innocentius III. &

III. & Pius II. eo capite de Eucharistiæ Sacramento agi pernegant. 2. Caro pro mundi vita non in Eucharistia, sed in cruce data est. 3. Judæi verba Christi ita acceperunt, ac si ore laceranda ac discerpenda esset. Quis asserat hanc sententiam à Christo confirmatam? Itaque v. 53. Christus confirmat non carnalem Judæorum sensum, sed potiùs suum, cujus claram interpretationem v. 61. 62. subiicit. 4. Versu 57. docetur sanè, propter Christum manducatum nos vivere. Sed de manducatione orali ne gry quidem. 5. Quoad Patres, eorum alii verba Christi interpretantur de propria carne, propriόque sanguine, ut ad mortem datis, alii de pane & vino. Neutri favent corporali præsentiæ. Non illi, quia ad manducationem spiritualem non requiritur localis præsentia subjecti, quod comedendum est. Non hi, quia aliud est caro & sanguis Domini, aliud Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

EXCIP. REDING: *1. Christus credentem non sitire v. 35. dicit, non quòd idem sit bibere sanguinem ejus & credere, sed quia mediante fide sanguis ejus bibitur. Aliàs dicens v. 35. 50. Ego sum panis vitæ: Hic est panis de Cœlo descendens, satis ostendit, non de figura duntaxat, sed de propria persona sua se loqui. 2. Caro quæ nihil prodesse v. 64. dicitur, est carnalis sensus, quali tu præditus verbis Christi non credis. Quomodo enim caro Christi nihil prodesset, cùm tamen Christus ipse manducanti eam vitam promiserit? 3. Licet Spiritus Christi formaliter nos faciat unum cum Christo, ejus tamen Spiritus in nobis nutriendi, & modo per Christum definito accipiendi causa efficiens est caro & sanguis Christi in Eucharistia realiter susceptus. 4. Spiritualem manducationem asseris in eo sitam, quòd per ipsam obtineatur signum & sigillum corporis Christi. De tali spirituali manducatione commodè verba Christi explicari posse, vel à Pontificibus explicata esse, falsissimum est. 5. Caro Christi pro mundi vita non solùm in cruce, sed etiam in Eucharistia danda fuit, quia prout in cruce data est, non potuit esse verus cibus & potus, manducandus & bibendus. Quomodo enim caro Christi in cruce data ore corporis manducari possit? 6. Verum suum, non vestrum sensum Judæis Christus opponit his verbis:* Caro mea verè est cibus; Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c. *Quorum verborum proprietas significat realem carnis Christi præsentiam, Physicam & oralem manducationem. 7. Si qui ex Patribus verba Christi de carne & sanguine in mortem dandis explicant, ii alterum sensum non excludunt. Nec Theodoretus, nec Augustinus, quos allegare soletis, vobis favent. Theodoretus enim dicens Dialogo 1. Christum visibilia signa appellatione corporis & sanguinis honorasse, non transmutando naturam, sed naturæ symbolorum gratiam; nec non, nomina eum commutasse, & corpori quod erat symboli ac signi, nomen imposuisse; symbolis autem quod erat corporis; supponit realem panis in corpus Christi mutationem, cujus vi sub Eucharisticis speciebus verum Christi corpus realiter existat. Augustinus quoque contra Adimant. cap. 12. scribens,* Christum dedisse signum corporis sui; ac tum dixisse, Hoc est corpus meum; *ita agnoscit signum corporis Christi, ut veritatem corporis ipsius non abneget.* Ib. pag. 188--291. Resp. 1. Mediante utique fide ceu ore spirituali manducatur corpus & bibitur sanguis Christi: sicut mediante ore corporis manducatur cibus corporalis. Saltem inde constat, non aliud

 mandu-

manducationis illius, de qua Joh.VI. sermo est, organon à Christo constitui, quàm fidem. At quod sola fide editur & bibitur, illud spiritualiter, non oraliter vel corporaliter editur. Oralis & corporalis manducatio juxta vos communis est fidelibus & infidelibus. At manducatio & bibitio de qua Christus loquitur, cùm sola fide fiat, non est communis fidelibus & infidelibus. Non igitur oralis & corporalis intelligitur. Consentio autem tecum, non de figura, sed de sola persona Christi sermonem esse. Inde ergo liquet, non Sacramentalem, sed merè spiritualem manducationem proponi. Nam à Sacramentali manducatione figura, seu symbola Sacramentalia abesse nequeunt. Rectè igitur post Johannem de Ragusio. & Cajetanum Tapperus vester *art.15.* sic arguit: *Manifestissimum signum, quòd non de Sacramentali manducatione Christus locutus sit, quia nunquam facit mentionem specierum panis aut vini.* 2. Carnem, quæ nihil prodesse dicitur, intelligi carnem Christi oraliter manducatam, abundè jam probavimus. Dat illa vitam, non ore corporis, sed fidei spiritualiter comesta. Alias etiam infidelibus, à quibus oraliter eam comedi statuitis, vitam daret. 3. Ineptè nimis Spiritum formaliter nos unum facere cum Christo: carnem efficienter spiritum eum nutrire, asseris. Spiritus enim, quo mediante Christo unimur, adeóque Κυρίῳ κολλώμενοι ἓν πνεῦμα *Domino agglutinati unus spiritus simus* (1 Cor. VI. 17.) à carne Christi oraliter manducata non nutritur: neque ulla nutritione indiget, cùm habeat vitæ indissolubilis potentiam. Nihil planè pensi habes, quid dicas. 4. Ubi spiritualem manducationem in eo collocavi, *quòd per eam signum & sigillum corporis Christi obtineatur?* Quid aniliter garrire est, si hoc non est? Lege definitionem manducationis spiritualis à me positam. Et ne de Pontificum quorundam, aliorúmque doctorum vestrorum celeberrimorum consensu, quòd scilicet de Sacramentali manducatione Christus Joh.VI. locutus non sit, dubites ampliùs, legendos tibi designo Pontifices duos, Innocentium III. *de Mysteriis Missæ lib.IV.* 14. Pium II. *Epist.*130. Cardinales quatuor, Bonaventuram *In 4. Sent. dist.9.* de Alliaco *lb. q.5.* Cusanum *Epist.7. ad Bohemos*, & Cajetanum *Partis.3. q.80. & in Joh.6.* Archiepiscopos duos, Richardum Armachanum *contra Arm. lib.IX.8.* & Guerrerium Granatensem *Concil. Trid. lib.VI.* Episcopos quinque, Stephanum Eduensem *de Sacram. alt. cap.17.* Durandum Mimatensem *Rational. lib.IV. cap.41.* Guilhelmum Altissiodorensem *In 4. Sent. de Euch tr.8. cap.3* Lindanum Ruremundensem *Panopl. lib.IV.56.* & Jansenium Gandavensem *Concord. Euch. cap.59.* Theologos concordes alios, Alexandrum de Hales, Richardum de Media villa, Gersonem, de Ragusio, Bielem, Thomam Waldensem, Johannem Mariam Verratum, Tilmannum Sigebergensem, Eccium, Majorem, Ferum &c. prætereo. Hi omnes sermonem Christi de spirituali manducatione sola explicantes, Bellarmino, Tibi, aliísque eundem ad Sacramentalem manducationem detorquentibus telum eripuerunt pridem. 5. Carnem Christi & in cruce, & in Eucharistia pro mundi vita dandam fuisse propriè, crassissimum tuum commentum est. Danda enim caro fuit tum, quando exponenda fuit morti pro vita mundi. Atqui Christus ἅπαξ *semel*, non quotidie in Eucharistia, *in consummatione Seculorum*, puta V. T. *per oblationem sui ad peccati abolitionem manifestatus est*, Hebr. IX. 26. Manducationis verò oralis necessitatem ridiculè iterum supponis, & idem per idem probas. 6. Carnem suam Christus v.55. ἀληθῶς βρῶσιν *verè cibum vocat.* Sed (liceat Cajetani verba adh.l. mea facere) *Dominus non dicit, verè est cibus corporis, ne arctaret cibum ad cibum corporis. Unde sufficit ad verificandum hunc textum, quòd sit cibus animæ. Transfertur enim cibi nomen & ratio à cibo corporis ad cibum animæ. Cibus autem nomen est officii cibandi,*
significans

Digitized by Google

significans proportionem rei, quæ manducatur, ad cibandum manducantem &c. Ad significandum igitur, quòd caro sua non falsò, non opinione, sed secundum veritatem cibat animam, dicit, verè est cibus. Præiverat Gabriel Biel *in Can. lect.* 86. sic scribens: *Sensus est, caro mea verè, id est, indubitanter est cibus reficiens, seu refectivus; & sanguis meus verè, id est, indubitanter est potus potans vel inebrians spiritualiter.* 7. S. Theodoreti & Augustini verba, præterquam quod huc, ubi de sensu verborum Christi anquiritur, neutiquam pertinent, disertiora insuper sunt, quàm ut ineptiis tuis se obscurari patiantur. Alibi *Dissert. Tomo II. Diss. XIII. §.* 31. *&c.* adversus Baldingerum vindicata fusiùs, heic, ubi non in loco à Te adducuntur, intacta libens prætermitto.

OBIECT. IV. *Præsentia corporalis Christi in Eucharistia arguitur ex illius figuris, quales sunt manna, agnus Paschalis, sanguis vituli. Quòd si in Eucharistia non est nisi naturalis panis, figuræ illa nobiliùs figurâssent Christum, quàm Eucharistia.* Resp. 1. Typi illi cum eucharistia in re significata convenerunt, at eucharistiæ typi minimè fuerunt, sed Christi potiùs. 2. Augustior & nobilior significatio non est ponenda in ritibus, sed in modo significandi, qui in eucharistiæ Sacramento est clarior, facilior, evidentior. 3. Aliâs mactatio agni clariùs etiam repræsentavit Christum, quàm specierum fractio & effusio, nec non incruentum sacrificium.

EXCIP. REDING: 1. *Mannam esse figuram Eucharistiæ, Christus Joh. VI. docet. Patres quoque Agnum Paschalem Eucharistiæ typum faciunt. Et sanguis Vet. Test. figura fuit sanguinis Christi, in quo is, Eucharistiam instituens, affirmavit esse Novum Testamentum. Figuras autem rebus figuratis esse inferiores, docet Apostolus Col. II. 17. ubi illas cum umbris, has cum corpore comparat. In Eucharistia igitur oportet præstantius quid esse figuris illis V. Test. quàm panis & vinum sunt, quæ ne quidem clarè significare possunt, si verba H. E. E. C. M. non accipiantur propriè* 2. *Si æquè in Eucharistia, ac in V. T. figuræ sunt corporis Christi, fideles quoque V. Test. æquè ac fideles N. T. habuerint Christum, typico videlicet modo præsentem.* Ib. pag 291. 292. Resp. 1. Christus Joh. VI. 32. 49. panem & mannam non cum Eucharistia, sed cum pane cœlesti sola fide spiritualiter manducando comparat. Agnum quoque Paschalem nec Scriptura, nec S. Patres Eucharistiæ typum faciunt. Ex Scriptura nihil afferre potuisti. Nam quòd Eucharistiam Christus Cœnæ Paschali succenturiavit, non ideo factum est, quasi illam hæc figuraverit, sed quia passio Agni Cœlestis, quæ veritas & corpus erat veteris illius observantiæ, adeò instabat, ut jam quasi in actu esset. Adimpletus ergo typus abrogandus erat, ac alter novo populo per prioris mutationem ad observandum proponendus. Neque etiam Patres à te citati quidquam tale asserunt, sed tantùm Eucharistiam *Pascha* appellant, & *Pascha Domini*, & *Pascha veritatis*, id est, Christi, qui ipsam instituit, & in ea ceu Agnus tollens peccata mundi repræsentatur. Unde nullo modo sequitur, Eucharistiam propriè & strictè loquendo esse veritatem ab Agno figuratam, sed tantùm aliud signum esse prioris in locum à Domino substitutum. Sanguis denique V. Test. non Eucharistiæ, sed sanguinis N. Test. seu passionis Christi, ac effusionis sanguinis ejus, rei in Eucharistia non significantis, sed significatæ typus fuit. Sed fuerint etiam hæc & alia ejusmodi figuræ Eucharistiæ. Cùm verò in Eucharistia duo sint, signum & res

Digitized by Google

significata, communio videlicet cum corpore & sanguine Domini, utique ratione rei significatæ, communionis cum corpore & sanguine typi longè ignobiliores fuerunt, & antitypum infinities nobilius est. 2. Fideles Vet. Test. habuisse non solas figuras, sed una cum figuris Christum ipsum, quo jure negare potes? Etenim S. Paulus 1. Cor. X. 3. 4. Petram, ex qua Israëlitæ in deserto biberunt, fuisse Christum, & omnes, V. & N. T. fideles eandem escam & eundem potum spiritualem, Christum, participasse asserit. Estque Christus heri, hodie & in Seculum *αὐτὸς, idem*, Hebr. XIII. 8.

OBIECT. V. *Posse corpus Christi præsens esse in pluribus locis, ostendit tum omnipotentia Dei, tum historia corporis Christi, quod de facto fuit & in cœlo, in vicino aëre, terra Act. IX. 5. Posse idem præsens esse indivisibiliter, liquet tum ex Luc. XVIII. 25. ubi camelum per foramen acûs transire posse Christus innuit: tum ex eo, quòd Christus surrexit clauso sepulchro, Matth. XXVIII. 2. & ad discipulos bis ingressus est januis clausis, Joh. XX. 19. 26.* Resp. 1. Omnipotentiæ Dei objectum non est facere contradictoria, & definitionem separare à definito, uti Thomas, aliique agnoscunt. 2. Visionem Pauli Actor. IX. v. 5. fuisse spiritualem potiùs & mentalem, quàm corporalem, post Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, alios agnoscunt Cajetanus, Salmero, Mariana, &c. Quòd si maximè corporalis fuisset, Paulus utique Deo volente & faciente cum Christo in cœlo existente loqui potuit. Sanè in aëre vel in terra Christum fuisse, nuspiam dicitur. 3. Christi locutio de camelo, vel, ut alii malunt, fune nautico, est adagialis, quâ docetur, divitem turgidum tam non salvari posse, quàm non ille per foramen acûs transire potest. Sicut igitur dives turgidus, quâ talis salvari non potest: ita nec ille, quâ talis, transire per foramen acûs. 4. Christum clauso sepulchro surrexisse, nuspiam dicitur, sed insinuatur potiùs, Angelum apparitorem lapidem removisse. 5. Nec etiam idem dicitur transivisse per januas clausas, sed venisse, cùm fores clausæ fuissent, uti noctu solent. Tempus adventùs, non modus ingressûs notatur.

EXCIP. REDING: *1. Nullam hic contradictionem implicari, supra ostensum. 2. Ex loco Actor. IX. 5. replicatam corporis Christi Sacramentalem præsentiam non demonstramus. 3. Si Christi ingressus ad discipulos naturalis fuit, cur Luc. XXIV. 35. discipuli eo se sistente sic conturbati territique fuerunt, ut se spiritum videre putaverint? Cur Joh. XX. 19. januis clausis non tantùm venisse, sed in medio discipulorum stetisse, adeóque ad hos, dum clausæ erant januæ, penetrasse dicitur? Hinc S. Patres, Augustinus Serm. 159. 160. de tempore; Ambrosius in cap. 24. Lucæ, Hilarius lib. III. de Trin. Justinus, Epiphanius, Cyrillus, Divina omnipotentia per fores clausas eum intrasse agnoscunt.* Ib. pag. 292--294. Resp. Majorem responsionum mearum partem ne attingis quidem. Et cœtera nihili sunt. Nam 1. contradictionem implicare πολυτοπίαν, nos quoque supra ostendimus, & ineptias tuas diluimus. In specie πολυτοπία illa corporis Christi simul in cœlo & in Eucharistia locati manifestè contradictionem implicat. Etenim idem numero corpus

pus eodem tempore diſcumbere & non diſcumbere; viſibile eſſe & inviſibile; diviſibile & indiviſibile; continuum & diſcontinuum; totum hic, totum alibi; majus hic, minus illic; unum & plura; ταυτὸν καὶ ἕτερον; recedere, non recedere; Cœlo capi, non capi Cœlo; eſſe quantum abſque ſpatio; commenſurari & adæquari loco, & locum non occupare; eſſe, & tamen fieri; fieri & non fieri, aliter eſſe in locis quàm in loco; eſſe ὅλως ὅλον, & tamen corpus; eſſe verum corpus, & eſſe ſpiritualiter ad modum Dei; hæc, inquam, quiſquis puerorum contradictoria non agnoverit, vapulet, quovis cenſore æquo. 2. Ex loco Act. IX. 5. polytopiam corporis demonſtrare Bellarminus, de Valentia, Vaſquez, Suarez, Becanus, Gamachæus, Yſambertus, pluréſque alii veſtrates conantur. Bene eſt, quòd hic quidem rectiùs illis ſapis. 3. Luc. XXIV. 35. 37. diſcipuli Chriſti, ſubitò comparente eo, dicuntur πτοηθέντες καὶ ἔμφοβοι γενόμενοι *expavefacti & perterriti*, putantes, ſe videre Spiritum; quia ſcilicet ſubitò ſe ſtiterat Chriſtus, neque illi vel fores apertas, vel ſtrepitum adventantis Domini ſenſerunt. An verò quia à foribus remoti non ſenſerunt apertas fores, non apertas fuiſſe, vel aliunde non acceſſiſſe Chriſtum, Creatura Creatori cedente, conſequitur? Et quàm puerile eſt, quia Joh. XX. 19. clauſis januis, id eſt, nocturno tempore, quo januæ claudi ſolent, venit Chriſtus, & in medio diſcipulorum ſe ſtitit, concludere, vel clauſis manentibus, neque unquam apertis januis, eum ſe ſtitiſſe, vel aliunde non veniſſe Chriſtum? Docebit te rectiora Durandus veſter, cujus *In 4. Diſt. 44. q. 6.* verba adſcribere nil pigebit. *Cùm dicitur*, inquit, *quòd Chriſtus intravit ad diſcipulos poſt reſurrectionem januis clauſis, abſolutè dicendum eſt, hoc eſſe verum &c. Sed non dicitur, quòd intravit per januas clauſas. Cùm enim corpus glorioſum poſſit moveri per aërem, ut per terram, & Chriſtus virtute Divina potuit corpus ſuum oſtendere & occultare; prout voluit. Potuit intrare ad diſcipulos per feneſtram vel quemcunque alium locum, & tunc ſe primò oſtendere, quando fuit coram diſcipulis. Et ſic verè venit januis clauſis, ſed non per januas clauſas. Et ſi per januas intravit, potuerunt januæ perquam ſubitò aperiri, & ſubitò claudi, ita ut apertio & clauſio lateret diſcipulos. Et quia res non dicitur fieri, quando non innoteſcit, ideo dicuntur fuiſſe clauſæ, quia apertio illarum nulli apparuit. Et hoc modo dici poſſet clauſo ſepulchro ſurrexiſſe, ſi alicubi id legeretur. Vel poſſet dici, quòd Chriſtus ratione, qua Deus habuit in ſua poteſtate corpus & figuram corporis ſui, ita quòd potuit figuram corporis mutare in anguſtam, & ſic intrare per quamcunque rimam januarum, eis remanentibus clauſis. Et quamvis aliqui dicant, hoc non eſſe conveniens, nullus tamen dicit, quin fuerit poſſibile Chriſto, in quantum Deus eſt. Convenientius autem videtur ponere modum, qui ab omnibus conceditur poſſibilis, quàm ponere illum, qui à pluribus impoſſibilis reputatur.* Præter illos modos à Durando recenſitos quid vetat dicere, poſſibile quoque fuiſſe virtuti Divinæ fores domus rarefacere, ac repentè condenſare, vel etiam annihilare, & ſubitò reparare? Cùm ergo hi modi, & fortè plures alii nobis incogniti poſſibiles ſint; nec unus potiùs quàm alter debeat determinari, Scriptura nihil definiente, qua ratione Adverſarii fictitium illum ſuum modum de non occupatione loci, aut penetratione dimenſionum, ſi non planè impoſſibilem, difficilimum tamen ab omnibus judicatum, tanquam neceſſarium obtrudunt? Patres virtute Divina potuiſſe Chriſtum foribus clauſis ſe ſiſtere, atque veritatem facti eſſe extra rationem humanam, ſtatuunt. Virtute Divina fieri potuit modo quopiam ſupra poſito, vel alio etiam, ſed non tali, qui veritatem corporis tollat; atque Scriptura modum non definiente, ratio quieſcit. Hic S. Patrum ſenſus, non alius eſt.

OBIECT. VI.

OBIECT. VI. *Polytopia etiam, seu existentia corporis in pluribus locis, salva ejus unitate rationi non repugnat, tum quia locus est corporis attributum, at multitudo attributorum rem non multiplicat, præsertim si tota in relatione consistant: tum quia locus, sint & tempus, est externum corporis adjunctum, quod proinde non multiplicato corpore multiplicari potest: tum quia accidentalis est corpori, adeóque ab eo abesse potest: tum denique quia à loco reiunitas non pendet, sed potiùs ab essentia.* Resp. 1. Imò sana ratio docet, ne quidem cogitari posse, ut unum idémque numero corpus in mundo existens eodem temporis momento possit ambiri à pluribus corporibus, quæ singula utcunque à se invicem distent, quantum terra à cœlo, proximè contingant & adæquent idem illud locatum. 2. Quodcunque attributum, adjunctum, accidens adæquatum & totale, simúlque proximum alicujus rei est, illud non potest in eodem genere attributorum eodem tempore esse nisi unum. Dissimile exemplum monstrari non potest. At locus ejusmodi attributum, accidens & adjunctum corporis est. Frustra igitur obtenditur, relationes & quælibet alia externa & accidentalia in re multiplicari posse, non multiplicata essentia, cùm de proximis & adæquatis, quale locus est, sermo sit. 3. Etsi unitas ab essentia pendeat, non tamen iccirco salva unitate locus, qui ab existentia pendet, multiplicari potest. Ita duratio proximè pendet ab existentia: neque tamen propterea unius rei multiplex duratio esse potest. Imò cùm existentia sit ipsa essentia, prout actu est, non potest multiplicari existentia, nisi etiam multiplicetur essentia.

EXCIP. REDING: 1. *Quod naturaliter fieri non potest, illud fieri supernaturaliter potest. Sic corpus in Cœlo existens potest Sacramentaliter, absque actuali in ordine ad locum dimensione, supernaturali virtute existere in Eucharistia. Atque ita existere, fides docet.* 2. *Ratio quidem naturalis non probat, in una essentia multiplicari posse attributum adæquatum, totale, quale locus est respectu corporis. Id tamen per absolutam potentiam Dei ratione nostra haud comprehensibilem fieri potest. Neque etiam Sacramentalis præsentia corporis Christi attributum est; sed circumscriptiva, quam multiplicari non posse, ultro fatemur. Quinimò corporis Christi sub speciebus Eucharisticis præsentia importat tum contactum quantitatis panis, nec non corporis Christi partium inter se penetrativum; tum actionem Sacramentalium accidentium sustentativam. Prior formaliter toto genere differt à circumscriptiva corporis Christi in Cœlo præsentia: posterior eatenus à corpore Christi promanat in genere causæ efficientis, ut subjectivè in quantitate Eucharistica recipiatur. Multiplicatæ igitur illæ actiones diversa subjecta sortiuntur.* 3. *In una eodémque Angelo reperitur duplex intellectio, naturalis, quæ commensuratur ævo; & volubilis ac transmutabilis, quæ mensuratur tempore discreto. Ergo unius rei multiplex duratio esse potest. Et quæ arctior est connexio quàm essentiæ cum subsistentia sua propria? Et tamen in humanitate Christi per Divinam verbi hypostasin terminata subsistentia ab essentia separata fuit. Cur ergo etiam corporis Christi in Cœlo existentis naturalis locatio, ab eodem in Eucharistia separari non valeat?* Ib. pag. 294. 295. Resp. My-

Digitized by Google

Myſteria neſcio qualia fundis; certè ratione & revelatione omni deſtituta, adeóque conficta non alium in finem, quàm ut hypotheſi ſemel placitæ ancillentur. Etenim 1. quod naturaliter fieri non poteſt, ſupernaturaliter fieri ſanè poteſt, ſi contradictionem nullam implicet. At corpus Sacramentaliter in Euchariſtia exiſtere ſine actuali in ordine ad locum dimenſione, adeóque inviſibile, indiviſibile, illocale, cùm eſſentiam corporis tollat, adeóque corpus non corpus conſtituat, contradictionem implicat. Neque ex revelatione quicquam tale probare potes. Fingis ergo pro lubitu. 2. Cùm locus corporis attributum ejuſmodi ſit, ut ſine eo exiſtere nullo modo poſſit, utpote quod exiſtentiam ejus neceſſariò ſequitur, fruſtra iterum ad abſolutam Dei potentiam confugis. Exiſtere enim corpus, & non in loco exiſtere, eſt corpus eſſe & non eſſe ſimul. Omne enim corpus quantum eſſe, ne vos quidem inficiari audetis. Quod verò quantum eſt, reſpectu loci externi extendi, eique commenſurari neceſſariò debet; ſiquidem ſit aliqua ſuperficies corporis ambientis. Nam corpus Chriſti, quod in Euchariſtia eſſe fingitur, aut proximè & immediatè ambitur ſuperficie ſive accidentium, ſive aëris, aut non. Si poſterius, magnum & permanens vacuum dabitur in natura. Si prius, neceſſariò corpus Chriſti ſuperficiei illi commenſuratur. quod tamen ipſum quoque impoſſibile eſt. Et ſi corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis præſentia importat *contactum quantitatis panis*, uti tu loqueris, quomodo non in panis ſuperficie, ceu loco ſuo externo extendetur, adeóque eadem circumſcribetur? Nam quantitas omnis poſitionem partium extra partes, adeóque extenſionem in longum, latum & profundum importat. At circumſcriptivam ejuſmodi præſentiam in eodem corpore eodem tempore multiplicari poſſe, ipſemet negas. Et ſi corpus Chriſti in Euchariſtia *per quantitatis panis contactum*, hoc eſt, ſub ſuperficie proximè illud ambientium accidentium panis exiſteret, vel mutaret juſtam ſuam ac naturalem magnitudinem ſecundùm magnitudinem illius ſuperficiei, & accommodari ad illam, vel non mutaret, ſed retineret. Non illud, quia cùm hæc ſuperficies ſit tenuiſſima, corpus autem ipſius ſolidum, nullam in eo mutationem efficere poteſt. Non hoc, quia ſi magnitudinem ſuam retineret, cùm ea ſuperficie aëris aut accidentium panis circumambiente major & amplior ſit, ſuperficiem hanc neceſſariò dilatare & extendere deberet. 3. Intellectionis Angelicæ diverſæ ævo vel tempore diſcreto menſuratæ figmentum tibi & Scholæ veſtræ myſtis relinquo. Supponit enim durationem quandam in Angelis indiviſibilem, qualem ævo menſurari ſtatuitis. Atqui hæc ſoli Deo competit. Denique non eſſentiæ, ſed perſonæ cum ſubſiſtentia connexio arctiſſima eſt. Neque illa àb humanitate Chriſti, quæ perſona non eſt, unquam ſeparata eſt, quia eam nunquam habuit, utpote inde à primo exiſtentiæ ſuæ momento à λόγῳ ſuſtentatæ. Diſpar planè ratio eſt occupationis loci, quæ conſequens neceſſarium & perpetuum eſt quanti. quia quantum eſſe eſt extenſum eſſe. Nihil autem extenſum eſſe poteſt ſine ſpatio, in quo extenſio illa fiat. *Corpus dicimus*, ſic ipſe S. Auguſtinus *de Geneſ. ad lit. lib. VII.* 12. loquitur, *naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine ſpatium loci occupantem.* Imò, uti idem *Epiſt.* 28. ſcribit, *corpus non eſt, niſi quod per loci ſpatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita ſiſtitur, vel movetur, ut majore ſui parte majorem locum occupet, & breviore breviorem.*

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

An in Eucharistia consecratio fiat pronuntiatione verborum : Hoc enim est corpus meum; *an potiùs benedictione Symbolorum , & quidem à verbis illis distincta ?*

SYnodus litem indecisam reliquit ob evidentem dissensum Scholæ, contenta dicere, per consecrationem specierum fieri conversionem totius substantiæ. Hodie eò inclinant, pronuntiatione illorum verborum fieri consecrationem, & hactenus verba illa esse operativa & conversiva. Nos posterius asserimus, videlicet, consecrationem fieri benedictione, & quidem à verbis illis disparata. Quod posterius addi debet, ut eadem ratione obviam eatur illi Pontificiorum Sectæ, quæ statuit, consecrationem quidem factam esse benedictione, sed quæ ipsa contineatur in verbis, *Hoc enim est corpus meum.* Rationes nostræ.

ARG. I. Benedictio est sanctificatio congruens rerum, super quas funditur. Est igitur causa sufficiens consecrationis.

RESP. REDING : *Benedictio panis sufficiens quidem causa fuit consecrationis, seu transformationis Eucharisticæ verbis H. E. C. M. significatæ ; tametsi non immediatè, sed mediantibus iis verbis pro sequenti instanti effectum eum perfecit.* Tomo II. Tract. VI. ss. 5. pag. 295. 296. Resp. Sufficiens causa non est quæ effectum per se sola & immediatè non producit. At benedictio à verbis H. E. C. M. separata talis, juxta te est. Quomodo ergo consecrationis causa sufficiens est ? Et sanè sufficientem ac immediatam causam esse, vel inde liquet, quia benedictio est congruens ac communissima rerum, super quas funditur, sanctificatio. uti ipsemet Estius vestras *in 1. Cor. X.* fatetur : & verba illa H. E. C. M. consecrationem & mutationem symbolorum, qualem Christus intendit, perfectam supponit. Dici enim supponit esse.

ARG. II. Dominus benedicens pani & calici, haud dubiè exauditus est. Panem ergo benedictione benedictum, similitérque calicem effecit. At ad usum nulla alia benedictio erat necessaria, quàm consecrationis. Benedixit igitur benedictione consecrationis.

RESP. REDING : *Christus gratias agendo benedicens panibus à se multiplicandis , nec non Lazarum resuscitaturus ad Patrem orando, utique fuit exauditus. Et tamen non pro instanti eo, quo oravit, Lazarus resuscitatus fuit, sed tum demum, quando dixit: Lazare,*

zare, veni foras. Ib. pag. 296. 297. Resp. Annon verò Christus benedicendo multiplicavit panes, & multiplicatos demum distribuit? Annon orando Christus resuscitationem Lazari, eodem instanti exauditus, facultatem resuscitandi eum impetravit? Et verba, *Lazare veni foras*, à verbis H. E. C. M. diversissima sunt utique. Illa jubentia rem esse, quæ nondum erat: hæc enuntiantia rem, quæ erat.

ARG. III. Benedictio, de qua 1. Cor. X. 16. eadem est cum benedictione, de qua loquuntur Evangelistæ. At benedictio apud Apostolum est benedictio consecrationis, quod evidenter inde patet, quia ex vi illius benedictionis Apostolus infert, calicem esse communionem sanguinis Christi.

Resp. Reding: *Calix benedictus est communio sanguinis Christi. Ergo vi benedictionis vel immediatè vel mediatè sub speciebus Eucharisticis ponitur sanguis Christi. Et benedictio, quâ immediatè sub speciebus ponitur sanguis, est consecratoria: ea verò, quâ mediatè duntaxat ponendus erat, fuit prævia oratio Christi virtutem Dei ad verborum realem corporis & sanguinis sui sub speciebus existentium significantium veritatem perficiendam implorantis.* Ib. pag. 297. Resp. Geminam benedictionem pro lubitu fingis, quæ unica est, & pronuntiationem verborum H. E. C. M. præcessit. Tum sub speciebus Eucharisticis corpus & sanguinem Christi corporaliter existere, denuo supponis. Hoc utique effecit benedictio Christi antecedens pronuntiationem verborum H. E. C. M. ut panis & vinum fierent corpus & sanguis, hoc est, corporis & sanguinis Sacramentum & pignus. Cui rei accidentalis mutatio, sine substantiali, satisfecit abundè.

ARG. IV. Benedictio est quædam precatio. At verba: *Hoc est corpus meum*, non sunt precatio, cùm ad Apostolos, non ad Deum sint directa.

Resp. Reding: *Dictio Dei, quâ omnia facta sunt, annon etiam fuit benedictio? Et benedictio, quâ rebus creatis Deus benedixit, anne fuit precatio? Non igitur universaliter benedictio est precatio.* Ib. pag. 297. Resp. Non benedicendo Deus res creavit: sed rebus jam creatis benedixit. Neque quamvis benedictionem precationem propriè dictam esse, dixi; *sed quandam precationem*, qua boni quid illi rei, cui benedicitur, benedicens vovet, apprecatur vel confert. Et Deus quidem benedicendo conferebat symbolis usum sacrum. At verbis H. E. C. M. nec vovit quicquam, nec contulit, sed rem jam oblatam & collatam enuntiavit. Hæc, nisi talpa cœcior esses, videres ultro.

ARG. V. Dominus verba illa protulit εὐλογήσας καὶ εὐχαριστήσας, hoc est, interpretantibus sic Catharino, Villegagnonino, Erasmo, Sanctesio, aliisque Pontificiis: *Postquam benedixisset, postquam gratias egisset.* Ergo benedictio à verbis illis disparata fuit.

Resp. Reding: 1. *Sunt quidem ex Theologis antiquioribus, qui verba Christi sic componenda putent;* Accipiens panem benedixit, dicens, H. E. C. M. deinde fregit, &c. *Alii explicant concomitanter, hoc sensu:* Dum benediceret, frangeret, daret discipulis, hæc verba dixit: H. E. C. M. *ita ut non necessum fuerit verba hæc post benedictionem enuntiari. Alii tamen Græca verba respicientes benedixisse Christum ante verba H. E. C. M. prola-*

ta, agnoscunt, ita ut benedictio prævia fuerit Divinæ virtuti ad perficiendum mysterium invocatio. Non igitur disparanda sunt. 2. Id ipsum quoque S. Patres asserunt, Ambrosius de Sacram. lib. IV. 4. 5. Augustinus homil. de corp. & sang. Christi; Hieronymus, alii. Ib. pag. 297. 298. Resp. 1. Mala fide dissensum Cadmæorum fratrum vestrorum recitas. Nam Catharinus, & consentientes Odo, Titelmannus, Petrus Ortys, de Capite fontium, alii, quos adducit in tractatu *de necessaria correctione Theologiæ Scholasticæ*, non solùm affirmant, Christum gratias agendo, seu benedicendo consecrasse; sed & benedictionem illam omnino à verbis H. E. C. M. disparant, utpote quæ nullo modo fuerint illius operativa, sed enuntiativa tantùm. Quæ expositio verissima est. Reliquorum verò, quos adducis, expositiones fictitiæ & violentæ sunt, quia ordinem verborum Christi invertunt, & concomitantiam asserunt prorsus absurdam. Nam si benedicendo, consecrando symbola Christus substantiam panis mutavit in substantiam corporis Christi, non igitur *dum benediceret*, dicere potuit: *Hoc est corpus meum*. Nam benedicendo non erat jam corpus Christi, sed ex hypothesi vestra, demum factum erat. Quin & contrarium probant verba Græca, *εὐλογήσας, εὐχαριστήσας*, hoc est, interpretibus etiam vestris nonnullis, *postquam benedixisset*, *gratias egisset*. Benedictionem autem non præviam ad perficiendum mysterium invocationem, sed immediatam consecrationis causam fuisse, supra ostendimus. Quomodo enim mysterium perfici potuit enuntiatione verborum, quæ rem non faciendam, perficiendam, sed jam perfectam significant? 2. Ambrosius *loc. cit.* Sacerdotes *verbis in persona Christi prolatis Sacramentum conficere* dicit. Sed quibúsnam verbis? An illis, *Hoc est corpus meum*, à Sacerdote Eucharistiæ institutionem historicè commemorante recitatis? Nihil minùs. Nam *cap. 15.* verba illa interpretatur *orationem, per cujus mysterium Eucharistiæ Sacramentum transfigurari* dixit. Quid hæc oratio aliud est, quàm *benedictionis*, vel *gratiarum actionis* precatio? Ne dicam, libros de Sacramentis Ambrosio tributos, spurios esse. Ambrosius autem *γνήσιος de fid. ad Gratian. lib. IV. 5.* disertè *Sacramenta, quæ* sumimus, *per sacræ orationis mysterium in carnem & sanguinem transfigurari* scribit. Author Sermonis, qui sub Hieronymi, Cæsarii, Eusebii Pseud-Emisseni nomine citatur, præterquam quòd planè incertus est, etiam *Sacerdotem visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis Christi verbo suo secreta potestate convertere*, dixit; eo scilicet verbo, quo Christus Eucharistiam in Ecclesia celebrari, & salutare atque efficax corporis & sanguinis sui Sacramentum esse jussit. Nam mox in Hieronymianis quidem Codicibus sic legitur: *Quando benedicendæ verbis cælestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis & vini; post verba autem, corpus & sanguis Christi est.* Verba igitur *Summi Numinis invocationem* appellat.

ARG. VI. Per pronomen *Hoc* Pontificii intelligunt corpus Christi. Hoc posito, sequitur conversionem jam factam esse, cùm Christus hæc verba proferret. Nequi igitur in verbis illis consecratio collocari.

RESP. REDINO: *Cùm copula EST significet identitatem prædicati cum subjecto, oportet in illa propositione,* Hoc est corpus meum, *pronomen* Hoc *denotare substantiam sub panis accidentibus præsentem, quam Christus ipse dixit corpus suum. Sed pro illo signo, quo pronomen* Hoc *pronuntiatur, nondum completam significationem habet. Conversio autem completa non est ante completam significationem.* Ib. pag. 298. Resp. Quomodo EST signifi-

significat identitatem prædicati *corpus meum* cum subjecto *Hoc*, si ante completam enunciationem *Hoc* non habet completam, sed incompletam significationem, puta substantiæ corporis? Nam *completum* & *incompletum*, nisi fallor, idem non sunt: & quandiu conversio facta non est, substantia corporis Christi præsens significari non potuit. Quid quòd, urgente etiam vestro de Capite fontium *lib.I. cap.I.* propositio hæc, *Hoc est corpus meum*, vera fuit ante primum instans suæ prolationis? Mentalis enim propositio prius formata erat in mente Christi, quàm illam per voces foras proferret. Et erat vera in mente Christi, ante primum instans suæ prolationis, mansitque vera toto tempore, quo unaquæque vox dicebatur. Loqueris ergo ἀσύστατα, quia nimiùm hic vobis aqua hæret.

ARG. VII. Neque aliam fuisse veteris ecclesiæ sententiam, tum ex liturgiis veterum, Pseudo-Clementis in Constitutionibus, Basilii, Cyrilli Hierosolymitani, Chrysostomi, Jacobi, Marci, & Anaphora Syrorum: tum ex Justini, Origenis & Irenæi, Basilii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini testimoniis fusè demonstravit Cl. Dallæus *de Cultibus Latinorum Religiosis lib.III.cap.13.16.* Accedit Christianorum vetustissimorum, Armeniorum & Græcorum, etiam recentiorum, Cabasilæ & Marci Ephesij, quem idem cap.17. allegat, consensus testatissimus.

RESP. REDING: *Ex veterum testimoniis non aliud evinces, quàm quòd antecedenter ad prolata verba consecrationis à Christo panis & vinum sint benedicta: non quòd Eucharistiæ consecratio benedictione sit peracta.* Resp. Inspiceres modò testimonia Liturgiarum veterum & Patrum; ac tum demum judicares. Id pro certo constat, cùm apud vos nulla propriè fiat donorum benedictio, nulla gratiarum actio, nulla oratio ad Deum, qua panis & vinum ad legitimum suum usum comparentur; apud veteres secus planè factum esse, & ad donorum consecrationem semper precem seu benedictionem aliquam factam esse. In vetustissima Liturgia, quæ in Constitutionibus Pseud-Apostolicis habetur, Sacerdos, recitata paulò ante Dominica Eucharistiæ institutione, ita Deum precatur: *Rogamus te, ut benignè aspicere digneris super hæc dona proposita in conspectu tuo &c. & mittas S. Spiritum tuum super hoc sacrificium, testem passionum Domini Jesu,* ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου, *ut efficiat hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem sanguinem Christi tui.* En sola precatione, benedictione, non pronuntiatis vel subsequentibus verbis H. E. C. M. panem corpus Christi, & calicem sanguinem Christi effectum! Nam quòd Bellarminus ἀποφαίνειν reddit *ostendere*, planè ex Græcismi imperitia facit. Reliqua Patrum loca à Viris Celeberrimis, Dalleo *de Cult. Latin. Relig. lib.III.13.* & Albertino *de Sacr. Eucharistia lib.I.6.* fusiùs & recitata & vindicata, recitare heic supersedeo.

ARG. VIII. Nobiscum faciunt, teste Christophoro de Capite fontium, quotquot antiquiores sunt Cajetano: post Cajetanum, Odo, Christophorus de Capite fontium, Cassander, Catharinus, Titelmanus, alii. Imò id ipsum Christophorus de Capite fontium probare conatus est ex verbis

bis his Synodi cap.1. *Redemptor noster post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus Apostolis præbere, perspicuis verbis testatus est.*

RESP. REDING: 1. *Falsum est, universos Cajetano antiquiores tecum facere. 2. Contrarium Synodus Tridentina Sess.XIII.4. declarat. Suavis verò calumniam similem Pallavicinus diluit.* Ib. pag.298 299. Resp.1. Falsum ergo dixerit vester de Capite fontium, qui *lib.I. cap.1. & 3.* fatetur, *omnes Catholicos ante Cajetanum unanimi consensu asseruisse, Christum consecrasse, cùm benedixit.* Neque tu dissentientem ostendere potes. 2. Ejusdem de Capite fontium, non mea est probatio, ex Synodi Tridentinæ *Sess.XIII.cap.1.* arcessita. Ille præstet. Quanquam vel hinc liquet, Tridentinos in deliciis habuisse cothurnos, cùm dissensum Scholæ doctorum non ignorassent.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Consecratio seu Sacramenti confectio debet esse certa. Ergo non fit benedictione ac precibus, cùm incertum sit, an illæ apud Deum accepta sint nec ne.* Resp. 1. Quomodo igitur certi sunt de effectu verborum à Sacerdote pronuntiatorum, cùm de ejus intentione pro certo nihil iis constet? 2. In baptismo quoque consecratio fit benedictione ac precibus. Quis tamen dubitet, quin in eo hac ratione Sacramenti confectio sit certissima. 3. Preces, quibus facta est promissio, semper Deo acceptæ sunt. Tales autem sunt preces ac benedictio, quibus consecrantur symbola, cùm verba Christi, quibus jussit *hoc facere,* adeóque etiam benedicere, tacitam promissionem futuri imposterum effectus includant.

EXCIP. REDING: 1. *Argumentum illud sic nudè à Pontificiis venditari non solet. 2. Oratio deprecativa significat tantùm affectum ac desiderium orantis. Ejus proin veritas rem, pro qua oratur, non requirit. Necessaria igitur est oratio enuntiativa. qualis etiam in Baptismo ad consecrationem requiritur. 3. Alia ratio est significationis Sacramentalis à Christo institutæ: alia executionis ministerialis. quæ posterior ab homine fallaci, ejúsque intentione pendens à Divina Christi institutione desciscere potest. 4. Licet preces ex promissione Dei effectus certitudinem obtineant; quia tamen Christus jussit hoc facere, quod ipse fecit, atque ipse pronuntiavit verba H. E. C. M. iccirco id omittendum non est.* Ib. pag.299 300. Resp.1. Nimis multa te, Redingi, latent. Argumentum, quod vobis tribui, non tantùm Cardinalis Bessario *de Sacram. Euchar.* sed etiam Bellarminus *de Euchar. lib.IV.13.* urget his verbis: *Sacramenti confectio debet dependere ab humana prece, nisi constet de pacto absoluto & promissione facta ejusmodi precibus à Deo. Nam sine ejusmodi pacto preces humanæ non necessariò sunt impetratoriæ, præsertim si à malo ministro fiant. Non autem constat, tale aliquod pactum factum esse à Deo.* 2. Oratio, cui promissa est exauditio, & desiderium orantis exprimit, & veritatem seu effectum rei post se trahit. Talis autem est oratio, qua symbolis Ecclesia benedicit, ex institutione utique Christi, adeóque pacto Dei. Quæ quidem oratio & benedictio si nihil certò impetrat, quid verba rem jam factam enuntiantia, faciendum demum impetrabunt? Baptismi par ratio est. Quam enim orationem enuntiativam ibi ostendis, per quam elementi consecratio fiat? 3. In Sacerdote conficiente, adeóque ministerialiter exequente, intentionem

Digitized by Google

tionem ad validitatem Sacramenti necessariam esse pertenditis. Cùm igitur de intentione ejus incerti fluctuare necessum habeatis semper, quomodo de confecto revera Sacramento certis vobis esse licet? 4. Christus jussit *hoc facere*, quod ipse fecit. At benedixit symbolis, & ante prolationem verborum H. E. C. M. panem esse corpus, adeóque mutationem factam esse, innuit. Dici enim supponit esse, & oratio vocalis mentalem, quæ veritatem suam habet, priusquam verbis efferatur foras. Non igitur prolatis verbis H. E. C. M. vel benedixit, vel consecravit, vel mutavit quicquam.

OBIECT. II. *Per id fit consecratio, per quod Sacramentum perficitur. Atqui non per preces & benedictionem perficitur, sed per eas tantùm rogatur Deus, ut velit perficere Sacramentum.* Resp. Verum est de causa principali Sacramentum conficiente, quæ non est benedictio, vel preces humanæ, sed sola Divina virtus, aut *invisibilis*, ut loquitur Augustinus, *Spiritus S. operatio.* At preces & benedictio nihilominus rectè illud conficere dicuntur, quia earum interventu conficitur. Ita rectè cibi dicuntur sanctificari precibus, etsi id κυρίως fiat verbo ac Spiritu Dei.

EXCIP. REDING: *Licet preces moralem quandam vim ad rem postulatam impetrandam obtineant, in determinando tamen ritu instrumentali, cujus interventu Divina virtus immediatè Sacramentum conficit, unicè ad Divinam institutionem attendendum est. quæ verbis H. E. C. M. à Christo prolatis Sacramentum confectum esse testatur.* Ib. p. 300. Resp. Preces, quibus exauditio promissa est, ex Divino pacto efficaciam Divinam, non moralem duntaxat vim obtinent. Intercedente verò ritu instrumentali prolationis verborum H. E. C. M. ex institutione Christi Sacramentum confici, ridiculè iterum supponis; adeóque, qui creberrimus mos tuus est, quæstionem mendicas. De ciborum exemplo quid respondes?

OBIECT. III. *Illa est forma Eucharistiæ consecrandæ, quam ipse Christus præscripsit. Atqui iis verbis, quibus jussit hoc facere, præscripsit, ut utamur hac formula: Hoc est corpus meum, hic calix est sanguis meus.* Resp. 1. Hac ratione efficietur, non ut sola illa verba institutionis, sed reliqua etiam, quæ Christus fecit ac dixit, consecrationem operentur. Omnia enim illa sub præcepto hoc faciendi continentur. 2. Cur verò potiùs verba illa erunt consecratoria, quàm benedictio & gratiarum actio, quâ Christus æquè usus legitur? 3. Præceptum *hoc faciendi* non pertinet tam ad verba Institutionis, nisi recitativè, quàm ad illa præcedentia, *accepit panem, gratias egit, fregit, dedit.*

EXCIP. REDING: *Verbis* Hoc facite, *mandatur determinatè faciendum, quod Christus fecerat. Atqui non benedictionis tantùm ad verba illa previæ, sed etiam verborum istorum forma à Christo determinata est.* Ib. pag. 300. Resp. Determinata est, eo, quo diximus, sensu. Jubemur hoc facere, quod Christus fecit. Christus autem post benedictionem verba illa recitavit, & mutationem jam factam ostendit, non præcepit faciendam. Denuo igitur cornicaris, & ad mea nil respondes.

OBIECT. IV.

Digitized by Google

OBJECT. IV. *Verba, Hoc est corpus meum, non sunt enuntiativa ejus quod ante fuit, sed practica ejus, quod non fuit, cùm Christus quod dicit id ipsum faciat. Proinde Sacerdos in persona Christi iis utens efficit Sacramentum, atque sic consecrat.* Resp. 1. Sunt hæ gerræ Siculæ, & meræ nugæ, quæ nulla ratione nituntur. Si verba illa sunt practica, quomodo pronomen *Hoc* poterit significare corpus, quippe quod demum prolatis illis verbis efficietur? Et cur verba illa Christus concepisset enuntiativè, & non potiùs imperativè? 2. Facit sanè Christus, quod dicit, nempe cùm, ut fiat aliquid, dicit ac imperat, non cùm, quomodo res se habeat, simpliciter ennuntiat, atque narrat. 3. Blasphemum est, quòd statuitur, Sacerdotem verba illa, *Hoc est corpus meum*, in persona Christi enuntiare, quasi videlicet ipse Christus esset, & panis seu *Hoc* esset corpus ipsius Sacerdotis.

EXCIP. REDING: *1. Pronomine* Hoc *practicè significatur corpus Christi, quanquam illud non efficiatur nisi enunciatione integrè prolata. Quinimò veritas Divini verbi tota æternitate antecessit efficientiam rerum creatarum; adeóque harum in verbo significatio seu expressio intelligibilis priùs subsistit, quàm extarent res eo significatæ. Tota autem vis verborum Christi est ex significatione per Divinæ institutionis efficaciam accepta, qua rem significatam antecedit. Cur ergo in iis Christi verbis subsistere non possit significatio, natura sua saltem & causalitate re significata anterior? 2. Si ad verbum Christi Divinæ institutionis efficacia, ad Sacramenti formam elevans accedit, tum hæc ipsa habet vim imperii. Ita rerum creandarum visio, Dei decreto earundem præfinitivo nixa, est istarum effectrix causalitas. ubi Divina dictio est rei enuntiatæ factio. 3. Cùm Christus jusserit facere, quod ipse fecit, in sui commemorationem, blasphemum non est dicere, Sacerdotem verba Christi in ejusdem persona enuntiare. Neque commemoratio, tanti mysterii effectiva, à Sacerdote propria authoritate Christi exhiberi posset.* Ib. pag. 301. Resp. 1. Pronomen *Hoc* determinatam & completam habere veritatem ante prolatam integrè enuntiationem, supra ostendimus. Neque frigida tua ratiuncula quicquam probat, quia veritas verborum H. E. C. M. sic ab æterno, in cognitione scilicet & decreto Dei, antecessit efficientiam corporis Christi in Eucharistia, ut tamen nec ante benedictionem panis actu extiterit corpus, & post benedictionem, etiam ante pronuntiationem verborum illorum, actu extiterit. Extitisse nihilominus panem corpus ante pronuntiationem verborum, existentiam eam significantium, ultro confiteor, atque inde adversus te firmissimè concludo, panem revera fuisse corpus ante enuntiationem verborum H. E. C. M. vel cœptam, vel integrè prolatam; adeóque verbis illis sive cœptis, sive finitis nullam omnino mutationem in re enuntiata intercessisse. Quod causæ tuæ jugulum petit. 2. Divinæ institutionis efficacia hoc præstat, ut mediante benedictione & gratiarum actione panis fiat corpus. Non ideo tamen verba H. E. C. M. enuntiativa vim imperii obtinent, sed significant id, quod vi institutionis & imperii jam ante factum erat. Neque rerum creandarum visio sola, à voluntate & potentia Dei sejuncta, sed visio, voluntas & potentia Dei conjunctæ sunt causa rerum. uti alibi demonstramus. 3. Jussi facere quod Christus fecit, benedicimus, gratias agimus, distribuimus symbola, commemorantes dictum Christi de symbolis: *Hoc est corpus meum: Hoc est sanguis meus.* Commemorare dicta illa

Digitized by Google

illa promittentia Christi, non est in persona Christi dicere, H. E. C. M. atque sic symbola in rem significatam commutare. Neque hoc facere ad commemorationem, est Sacramentum conficere, sed Sacramento jam confecto uti ad commemorationem mortis Christi. Frustra hæc Sophisticis tuis argutiis obscurare satagis, malámque & causam & conscientiam tuam prodis, utpote quam utcunque sustinere nisi Sophisticis præstigiis non potes.

QUÆSTIO III.

An in Eucharistia post consecrationem maneat substantia panis & vini, an potiùs convertatur tota substantia panis in corpus, & vini in sanguinem, manentibus duntaxat panis & vini speciebus?

POsterius illud asserit Caput I. II. III. & IV. nec non Canon II. Et capite quidem primo affirmatur, eam corporis Christi in Eucharistia existentis rationem *verbis exprimi vix posse*. At Canone II. non sine manifesta antilogia affirmatur, conversionem eam Catholicam Ecclesiam aptissimè *transsubstantiationem* appellare. Nos etsi non negamus, benedictionis & consecrationis interventu ita mutari panem ac vinum, ut quæ ante communia & profana fuerant, incipiant esse sacra, adeóque ex communibus, vulgatísque mutentur & convertantur in Sacra: tamen illud disertè inficiamur, quòd sive pronuntiatis verbis Christi, sive quacunque alia ratione substantia symbolorum panis & vini mutetur & convertatur in substantiam corporis & sanguinis Domini. Rationes promimus sequentes.

ARG. I. In Eucharistia corpus & sanguinem non esse corporaliter ac substantialiter præsentem, superiùs probavimus. Non igitur panis & vinum in substantiam corporis & sanguinis conversi sunt.

RESP. REDING: *Falsum hoc esse, supra probavimus.* Tomo II. Tract. VI. Ss. 5. pag. 302. 303. Resp. Nos quoque supra vestigia tua pressimus & oppressimus.

ARG. II. In verbis Christi, *Hoc enim est corpus meum*, pronomen *Hoc* non aliud notare potest, quàm panem, ejúsque substantiam, quod constat tum ex integra serie verborum Christi; tum quia ex hypothesi adversariorum per

Digitized by Google

verba, *Hoc enim eſt corpus meum*, fit tranſſubſtantiatio. Quod autem corpus Chriſti demum fit verbis iis pronuntiatis, illud nondum pronuntiatis verbis corpus nondum erat. Addo verba illa cenſeri *converſiva*. In omni porro converſione ſunt duo termini, unus *à quo*, alter *ad quem*. Cùm igitur terminus *ad quem* ſit in prædicato, ſequitur terminum *à quo*, qui panis eſt, eſſe in ſubjecto, adeóque pronomine *Hoc* demonſtrari panem. Præterea pronomine illo panis ſubſtantiam demonſtrari, oſtendit etiam Paulus 1.Cor.X.16. ajens, *panem quem frangimus*, adeóque talem permanentem, non carnem, quippe quam nos non frangimus, eſſe communionem corporis Chriſti. Sed & in verbis Chriſti, *Hoc eſt ſanguis meus*, pronomen *Hoc* ſubſtantiam vini demonſtrat, tum eaſdem ob rationes: tum quia etiam poſt conſecrationem id, quod Chriſtus bibendum dederat, vocatur *γέννημα ἀμπέλου genimen vitis*. Si igitur quod Chriſtus dedit diſcipulis, ſubſtantia panis & vini fuit manſitque, tranſſubſtantiata eſſe omnino nequit dici.

RESP. REDING: 1. *Pronominis* Hoc *ſignificatu in verbis conſecrationis aliud importatur in recto, aliud in obliquo. In recto ſignificat individuam corporis Chriſti ſubſtantiam, ea ratione, ut pro eo inſtanti, quo prolatum eſt* τὸ Hoc, *iſta ſubſtantia ſignificetur ſub ratione individuationis adhuc indeterminatæ, per modum adeóque individui vagi: pro inſtanti verò, quo prolatum eſt* Corpus meum, *determinatè demonſtretur individua corporis Chriſti ſubſtantia. In obliquo verò ſignificantur tum præſentis panis accidentia, tanquam terminus communis; tum panis ſubſtantia, tanquam terminus à quo converſionis. 2. Neque pronomen illud ad ſubſtantiam panis referri poteſt. Nam in præcedentibus verbis.* Accipite & comedite ex hoc omnes, τὸ Hoc *refertur ad inſtans conſecrationem Euchariſticam ſubſequens, in quo inſtanti corporis Chriſti ſubſtantia individua ſubſiſtere debuit. Ergo in verbis etiam H. E. C. M.* τὸ Hoc *eandem corporis Chriſti, non panis ſubſtantiam notat. Aliàs verba Chriſti æquivoca forent. 3. Verba conſecratoria H. E. C. M. per ſe primò ſunt ſignificativa præſentiæ realis corporis Chriſti ſub accidentibus panis; ſecundariò verò & conſequenter & ſignificativa & converſiva ſunt, adeóque etiam ſubſtantiam panis, ceu terminum à quo important. 4. In verbis Apoſtoli 1.Cor.X.16. panis, quem frangimus, dicitur non materialis, ſed ſupercæleſtis, qui frangitur phyſicè in accidentibus materialibus panis remanentibus, myſticè verò in ſe per oblationem, ſeu immolationem. 5. Sanguis Chriſti dicitur genimen vitis non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter, quia in genere cauſæ efficienter ſuſtentativæ ſubſtat accidentibus vini.* Ib. pag. 303.-305. Reſp. 1. Cavere vis, ne Chriſtus verba H. E. C. M. proferens æquivocaſſe videatur. Et ſanè æquivocatio in eum, qui ipſa veritas eſt, neutiquam cadit. Quæ tamen turpior foret æquivocatio, quàm hæc, ſi pronomen *Hoc* proferens intellexiſſet & individuam corporis Chriſti ſubſtantiam, & individuum ſignatum, & præſentis panis accidentia à ſubſtantia ſeparata, & ſubſtantiam panis? Hæccine ſomnia pluſquam Monachalia, & dicta *ἐπαμφοτερίζοντα* plus quàm Jeſuitica, os & Magiſtrum ipſum veritatis decebant? Et quæ hæc perplexitas tua, quòd pronomen illud aliud in recto, aliud in obliquo; aliud pro inſtanti, quo enuntiatur, aliud pro inſtanti, quo propoſitio abſolvitur: aliud quoad terminum communem,

nem, aliud quoad terminum à quo converſionis ſignificet? Nihil hic recti, obliqua omnia. Et myſteria hæc tua nobis obtrudis, nulla ratione fretus, quaſi Pythagoras eſſes, cui ſat erat dicere. Atqui pronominis demonſtrativi hæc ratio eſt, ut diſtinctè aliquid ſignificet. Et quomodo *Hoc*, id eſt, corpus, ſeu individuum adhuc vagum, & indeterminatum; vel accidentia panis & ejuſdem ſubſtantia ſeparata; vel ſubſtantia panis, propriè, ſine tropo, clarè, diſtinctè (talia enim verba Chriſti venditare ſoletis) poteſt eſſe corpus Chriſti? Quomodo *Hoc*, id eſt, corpus Chriſti, ceu individuum ſignatum & determinatum, poteſt dici corpus Chriſti, ſine propoſitione vitioſiſſimè identica? Etenim ſubjectum propoſitionis illius *in recto*, uti Tu parùm rectè diſtinguis, id eſt, *Hoc corpus*, vel accipitur confuſè, vel diſtinctè. Si *confuſè*, perit omnis gratia verborum Chriſti, pronomen *Hoc* vim patitur, & Synecdoche infertur ab Euchariſtiæ natura alieniſſima. Sin *diſtinctè*, identiſmus turpiſſimus ſtabilitur, prædicatum & ſubjectum non modò identificantur realiter, ſed eodem etiam modo, ſine ulla πλάνῃ accipiuntur. Quibus argumentis confuſus nuper Baldingerus eò delapſus eſt, ut diceret, *Pronomine* Hoc *nec panem, nec corpus, ſed gradum ſubſtantiæ, indifferentem ad panem, corpus & quamlibet ſubſtantiam ſub ſpeciebus panis ponibilem, non repræſentando differentias, ſignificari.* Hoc ſcilicet eſt immorari proprietati verborum, poſthabitis eliminatiſque genuinis tropis Sacramentalibus! Ab uſitatis ſcilicet tropis abhorretis, & inſolentiſſimos, ac verè prodigioſos adoptare, religio vobis nulla eſt. Vel ſolus diſſenſus veſter deſperationem cauſæ veſtræ prodit. Quod unus de ſignificatione Pronominis illius affirmat, illud negat alter. Jam olim Alexander Alenſis *part. 4. quæſt. 10. membro 4. art 2. ſect 3.* quatuor, & Johannes de Rada Arragonius, Epiſcopus Pact.nſis, de Controverſiis Theologicis inter Scotum & Thomam *parte 4. controv. 5. art. 4.* quinque diverſas Doctorum Pontificiorum expoſitiones recenſuit. Primus, niſi fallor, Redingius in unam conflavit omnes, & diſtinctionibus ſuis *recti, obliqui, primi, ultimi inſtantis, termini communis, à quo &c.* propoſitionem, cujus claritatem & ſimplicitatem literalem ubique jactant, diverſiſſimis ſenſibus imprægnatam fœcundavit. Quis ingenioſo hoc capite beatior? 2. Quàm verò bella hæc ejuſdem eſt demonſtratio: *In verbis, Accipite & comedite ex hoc omnes;* τὸ Hoc *ad inſtans conſecrationem Euchariſticam ſubſequens, in quo corporis Chriſti individua ſubſtantia ſubſiſtere debuit, refertur: Ergo eodem refertur Pronomen* Hoc *in verbis H. E. C. M. adeóque non ad ſubſtantiam panis?* Quo verò argumento antecedens probas? Nullo. Αὐτὸς ἔφα, Chriſtus ſic dederit *Hoc*, diſtribuerit *Hoc*, juſſerit ex *Hoc* comedere, quod nihil adhuc erat, quod intelligi à diſcipulis non poterat. perinde ac ſi dixiſſet: Λάβε μηδὲν, καὶ κράτει καλῶς, *Accipe nihil, & bene tene.* Et ſic ubique, Redingi, diſputas, ut ſomnia tua, quæ maximè controverſa ſunt, nunquam probata, probabilia nunquam, nudè ſupponas. Sic diſputare, eſt cauſam manifeſtè prodere. 3. Si verba Chriſti H. E. C. M. *primariò* ſunt ſignificativa realis præſentiæ corporis Chriſti ſub accidentibus panis, quomodo eadem *ſecundariò* ſunt practica, ſeu converſiva ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti? Significatio enim realis præſentiæ corporis antecedentem converſionem ſupponit, non conſequentem poſt ſe trahit. Non poteſt enim in enuntiante propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, ſignificari corpus, niſi priùs illud converſum animo concipiatur. 4. Panis ille, quem à nobis frangi Apoſtolus 1. Cor. X. 16. dixit, opponitur τῷ ποτηρίῳ *poculo*. At panis materialis, non ſuperſubſtantialis poculo opponitur. Et panis ille frangitur, adeóque in partes ſecatur, diſtributionis ergo. At panis ille vivus, qui ex Cœlo venit, ſemel fractus in cruce, ampliùs frangi non poteſt, nec debet. In Euchariſtia

Digitized by Google

enim singuli fideles non partem Christi sectam, sed Christum integrum, inconsumptibilem, incorruptum accipiunt. Neque ibi Christus immolatur; sed Christus ἅπαξ *semel*, non πολλάκις *multoties* oblatus, immolatus (Hebr. IX. 25 26.) symbolica fractione panis repræsentatur. Sed de pane hoc, ut & genimine vitis tuas φλυαρίας supra *quæst*. 1. *arg*. 2. fusiùs discussimus.

ARG. III. Neque verbis illis, *Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus*, panis & vini substantia à Christo mutata fuit in substantiam corporis & sanguinis Christi, tum quia Christus non dicit, hoc *fieri* corpus & sanguinem, adeóque simpliciter enuntiat, quod jam erat; non jubet quid fieri debeat: tum quia dici præsupponit esse, proinde propositio illa vera esse non potuit, nisi corpus jam fuit, priusquam diceretur corpus: tum quia panis substantia nec conversa fuit in corpus integrum, nec in fractum; non in *integrum*, quia tale non est pro nobis datum; non in *fractum*, quia cùm Christus verba ea pronuntiavit, corpus non fractum, sed integrum & frangendum erat: tum quia aliâs etiam Corinthii simili propositione, *Vos estis corpus Christi*, 1. Cor. XII. 27. in corpus Christi mutati essent: tum denique quia ipsa etiam accidentia panis & vini, super quæ æquè Christus verba illa pronuntiavit, in accidentia corporis & sanguinis mutata essent. Quòd si verbis illis pronuntiatis Christus substantiam panis & vini non convertit in substantiam corporis & sanguinis sui, multò minùs Sacerdotes verba illa Christi repetentes id efficere possunt. Etenim Sacerdotes non dicunt, *Hoc est corpus Christi*, sed, *Hoc est corpus meum*. Proinde si verbis illis à Sacerdote pronuntiatis, fieret transsubstantiatio, utique panis & vinum non in corpus & sanguinem Christi, sed potiùs in corpus & sanguinem sacrificuli commutarentur. Et quale quæso in corpus Christi substantiam panis commutat sacrificulus? In passibile ne, an gloriosum? Neutrum sanè dici potest, quia nec corpus Christi post ejus ascensionem ampliùs est παθητὸν passibile; nec corpus gloriosum, sed fractum, & pro nobis datum in Eucharistia offertur.

RESP. REDING: 1. *Licet expressè non dixerit Christus, hoc fieri corpus vel sanguinem suum, verborum tamen illorum veritas supernaturalis Divini imperii vim sortitur, quæ nullatenus est consequens, sed antecedens & causans rem, quam enuntiat.* 2. *Dici in verbis Sacramentalibus importat veritatem institutionis ac dictionis Divinæ. Hoc verò dici non præsupponit, sed causat esse, juxta illud Psal.* 148. *Dixit & facta sunt.* 3. *Panis substantia conversa fuit in corpus Christi integrum, quia corpus Christi, hæc verba proferentis, nondum fractum fuit. Et tale licet pro nobis non fuerit datum tum, cùm Christus loqueretur, mox tamen dandum erat. Ex ipsis terminis notum est, corpus, dum vel in voluntate ad id jam parata, vel etiam effectu ipso datur ad frangendum, integrum dari.* 4. *Cùm prædicatum propositio-*

nis

nis ſupponat ſecundùm conditionem ſubjecti, in loco verò Apoſtoli: Vos eſtis corpus Chriſti, ſubjectum importet perſonas Corinthiorum, à perſona Chriſti diſcretas, non poteſt in iis ulla mutatio vel converſio intelligi. Alia ratio eſt verborum Chriſti, in quibus ſub pronomine Hoc *connotatur individuatio ac hæcceitas, adeòque hypoſtaſis prædicati, corporis Chriſti. 5. Cùm veritas verborum Chriſti enuntiet, individuam ſub iſto demonſtrativè exhibito ſenſibili exhibitam ſubſtantiam eſſe corpus Chriſti, accidentia panis & vini in accidentia corporis & ſanguinis Chriſti mutari non potuerunt. Alias pronominis* Hoc *demonſtrativi veritas non ſubſiſteret. 6. An Evangeliſtæ & Apoſtoli referentes verba Chriſti, intellexerunt illa de corpore ſuo, & non potiùs de corpore Chriſti? Par ſacrificulorum ratio, quibus etiam conſecrandi poteſtatem Chriſtus dedit his verbis:* Hoc facite in mei commemorationem. *Chriſtus enim verbis enuntiativè prolatis conſecravit. 7. Subſtantia panis convertitur in illud corpus Chriſti, quod in Cælis glorioſum eſt. Nam illud ipſum, quod in paſſione fractum, & pro nobis datum eſt, jam in Cælo glorioſum exiſtit.* Ib. pag. 305-308. Reſp. Paucis nebulas tuas veritati offuſcandæ offuſas diſſipemus. 1. Verborum Chriſti veritas ſupponit utique vim imperii, per quam jam ante prolata verba H. E. C. M, verbo benedictionis panem eſſe corpus ſuum juſſerat. Non enim Chriſtus dixit: *Hoc fiat corpus meum*; ſed *Hoc eſt corpus meum*. Ergo panis jam erat corpus, adeóque veritas horum verborum non requirebat, ut iis demum prolatis corpus efficeretur. 2. Dici in verbis Sacramentalibus veritatem inſtitutionis & dictionis Divinæ omnino importat. Nullum enim ſine inſtitutione Chriſti veri nominis Sacramentum eſt. Sed inſtitutionem & dictionem ejuſmodi, qua panis ſubſtantia in corporis ſubſtantiam, remanentibus accidentibus panis, convertatur, libuit tibi fingere, non probare. Neque quælibet dictio Dei eſt factio rei, ſed quædam rei jam factæ enuntiatio, qualis eſt dictio verborum, H. E. C. M. Cùm dictio Dei eſt nova factio, ſeu creatio, dictio ſemper præceptiva & imperativa, nunquam rei jam exiſtentis enuntiativa eſt. Ita in Creatione Deus dixit, *Fiat*, & *factum eſt*. non, *Eſt*, & *factum eſt*. 3. Cùm corpus Chriſti in Euchariſtia qua *fractum, datum* pro nobis ad remiſſionem peccatorum fidelibus offeratur, quomodo panis in corpus integrum mutari, atque tale fidelibus in Euchariſtia offerri poteſt? Quomodo potuit in prima Euchariſtia, qua integrum corpus vivum menſæ accubuit? Neque ex terminis clarum eſt, corpus, quod datur ad remiſſionem peccatorum, integrum dari. Licet enim priùs quàm frangatur, integrum fuerit oportet, tamen datum ad remiſſionem peccatorum, dari non potuit niſi fractum, mortuum. quia fractione & effuſione ſanguinis peccatorum remiſſio impetrari debuit. Datum ergo eſt integrum, non ut tale maneret, ſed ut frangeretur, & fractum, mortuum vera fide ad remiſſionem peccatorum manducaretur. Subſtantia autem panis in corpus fractum converti nullo modo potuit, quia in prima Euchariſtia non fractum, ſed demum poſt frangendum erat. 4. Quomodo verò Corinthii ſine ulla mutatione potuerunt eſſe corpus Chriſti? Ad hoc enim, ut corpus Chriſti fierent, nova creatione opus fuit. Et tamen ſine ulla mutatione ſeu converſione ſubſtantiali corpus Chriſti fieri potuerunt. Pari ratione ſine ulla mutatione ſubſtantiali panis corpus Chriſti fieri potuit. quæ vis argumenti mei erat. Utrobique idem eſt verbum ſubſtantivum, ex cujus vi neceſſitas deſitionis & converſionis panis infertur. Neque etiam verba H. E. C. M. inſtitutiva & operativa Sacramenti, ſed illius tantùm conſecrati declarativa ſunt, uti ſupra probavimus. Nullum proin hactenus diſcrimen intercedit. Et qualis individuatio, qualis hæcceitas ſub Pronomine *Hoc* connotatur? Juxta te & ſubſtantia panis, & accidentia panis, & ſubſtantia individua corporis

 Chriſti.

Digitized by Google

Chriſti. Prædicatum ergo ſecundum cujus ſubjecti conditionem propriè & literaliter ſupponit? 5. Siccine ut pronominis *Hoc* veritas ſubſiſteret, accidentia panis in accidentia corporis mutari nequiverunt? Sed eadem, imò potiori ratione nec ſubſtantia panis in ſubſtantiam corporis mutari potuit. Accidentia enim à ſubſtantia ſeparata nihil ſunt. Ut igitur veritas demonſtrativi Pronominis *Hoc* illibata ſubſiſteret, & propoſitio Chriſti non fieret vitioſè identica, panis & ſubſtantia & accidentia permanere, & uſum ac relationem duntaxat novam induere debuerunt. Accedit, quòd verba H. E. C. M. Chriſtus æquè ſuper accidentia, ac ſuper ſubſtantiam panis protulit. Si igitur vi verborum pronunciatorum ſubſtantia panis convertitur, cur non etiam eadem vi accidentia convertantur? Siquidem accepit Chriſtus totum complexum, totum hoc ſenſibile, videlicet panem, nec dixit: *Hujus, quod teneo, pars aliqua eſt corpus meum*; ſed de toto ſine ulla reſtrictione: *Hoc eſt corpus meum.* 6. Evangeliſtæ & Apoſtoli verba Chriſti referentes, eadem de Chriſti, non proprio ſuo corpore intellexerunt. Non enim ſic retulerunt: *Nos accepimus panem, benediximus, fregimus, dedimus, & diximus: Hoc eſt corpus noſtrum.* ſed alia omnia retulerunt. Neque vel referendo hiſtoricè, vel in uſu Euchariſtiæ commemorando juxta mandatum Chriſti, in ejuſdem perſona corpus Chriſti ſe facere teſtati ſunt, non eò væſaniæ abrepti, ut putarent, nedum dicerent, ſe ſui Creatoris Creatores eſſe. De verbis, *Hoc facite &c.* ſupra abundè. 7. Si panis ſubſtantia in corpus Chriſti glorioſum convertitur, Chriſti igitur corpus in Euchariſtia nec ut fractum, nec ut immolandum exiſtit, quia corpus ejus glorioſum nec frangi, nec immolari poteſt.

ARG. IV. Tranſſubſtantiatio ejuſmodi pugnat cum inſtitutione Cœnæ, præcipuiſque articulis fidei. Cum *inſtitutione Cœnæ,* quia nec convenit cum ejus circumſtantiis, quippe Chriſtus corpore ſuo aſſidens menſæ, pronuntiatis iis verbis panem mutare in ſubſtantiam corporis ſui menſæ aſſidentis, & corpus ſuum ſic mutatum, conſtanter tamen eodem loco manens & aſſidens deglutiendum diſtribuere non potuit: nec cum factis, quæ exercuit, quippe panem quem accepit, diſtribuit, & ipſe etiam comedit, haud quaquam degluriturus proprium corpus: nec cum dictis quæ uſurpavit, uti ſupra vidimus: nec cum fine quem ſpectavit, qui fuit *ἀνάμνησις recordatio* Chriſti. Præcipuos etiam articulos fidei evertit, veluti illum de conceptione ac nativitate Chriſti, reſurrectione, aſcenſione, ſeſſione ad dexteram Dei, reditu ad Judicium, & Sanctorum communione.

RESP. REDING: 1. *Non ideo quia naturalis ratio comprehendere nequit, quomodo Chriſtus corpore ſuo & menſæ accubuerit, & in Euchariſtia extiterit, deſerenda eſt proprietas verborum,* Hoc eſt corpus meum. *Potiùs intellectus captivandus eſt humiliter in obſequium verborum Chriſti.* 2. *Veſtra potiùs figurata præſentia præcipua fidei dogmata evertit. Si enim verborum Chriſti proprietas deſerenda eſt, pari ratione proprietas verborum,* verbum caro factum eſt, *aliorúmque, quibus ſimilia myſteria rationi imperveſtigabilia enuntiantur, deſerenda eſt. Qua ratione præcipua fidei myſteria eludi poterunt.* Ib. pag. 308. Reſp. 1. Cùm nec revelatio doceat, Chriſtum corpore ſuo & menſæ accubuiſſe, & intra accidentia panis ſubſtitiſſe; & Sacramentorum omnium ratio, Scriptura indi-

ce,

Digitized by Google

ee,ferat tropos,juxta quos res ſignata de ſigno enuntiatur; & ratio ſana quin & ipſa revelatio oſtendat,verbis Dei ejuſmodi ſenſum, ex quo contradictoria & abſurda ſequuntur (cujuſmodi ſunt, idem corpus menſæ accumbere & non accumbere menſæ, ſub ſpeciebus accidentium latere & non latere, eſſe viſibile & inviſibile, extenſum & non extenſum,unum & non unum) neutiquam aptari; non igitur ii,qui verborum proprietatem deſerunt,& verba Chriſti juxta ſenſum ab eodem intentum explicant: ſed ii potiùs, qui ſenſum alienum,abſurdum, contradictorium, verbo Dei repugnantem, & à proprietate verborum ad tropos monſtroſos & inſolentes deflectentem mordicus propugnant, intellectum ſub obſequium verborum Chriſti humiliter captivare præfractè & lucri potiùs quàm religionis gratia renuunt. 2. Neque adeò ſenſus verbo Dei conſentaneus, fidei analogus, & ſanæ rationi non contrarius,quicquam derogare poteſt iis fidei articulis,quos Scriptura verbis propriis exponit. Nam ſenſus Spiritus S. verbis ſive propriis ſive figuratis expreſſus ſemper verus eſt. Quanquam verba illa,*Verbum caro factum eſt*, pro propriis venditans tu,Eutychianis velificari videris. Si enim propriè Verbum caro factum eſt,in carnem igitur tranſmutatum, adeóque naturæ duæ in unum commixtæ fuerint. Sed Apoſtolus verba illa, *verbum caro factum eſt*, impropria, verbis propriis explicat,dicens Hebr.II.16. *Non Angelos, ſed ſemen Abrahæ* (carnem) *ἐπιλαμβάνεται aſſumit.* Carnem ergo fieri, propriè, interprete Apoſtolo, eſt carnem *ἐπιλαμβάνεσθαι aſſumere.* Præcipuos autem fidei articulos ſententia veſtra everti, negare non potes, quia veritatem corporis Chriſti humani, utpote carnem & ſanguinem habentis,adeóque ſua natura extenſi,finiti, circumſcripti,viſibilis,palpabilis,localis; adeóque conceptionem,nativitatem,reſurrectionem veri humani corporis, nec non aſcenſionem & permanſionem apud dextram Dei,reditum ad judicium,aliáque funditus tollit.

ARG. V. Sed & cœnæ Dominicæ eſſentiam penitus deſtruit. Quippe deſtruit tum *ſignum*,quia panis & vini ſubſtantiam abolet relictis ſpeciebus, quæ abſque proprio ſubjecto ſpectra potiùs ſunt fallacia,quàm rerum divinarum infallibilia teſtimonia:tum *ſignatum*, quia corpus Chriſti ſpoliat ſua quantitate & dimenſionibus,pro uno multiplex inducit,& pro nucleo euchariſtiæ ſubſtituit ejuſmodi carnem, quam Chriſtus ipſe negat vel prodeſſe vel vivificare: tum *analogiam Sacramentalem*, quia relationis Sacramentalis fundamentum tollit,& ubi ſignum in rem ſignatam convertitur,omnis inter illa ſimilitudo deſinit.

Resp. Reding: 1. *Accidentia ſecundum ſe præciſè ſpectata ex Chriſti verbis & connaturali cum ſubſtantia panis connexione determinata ſunt ad Chriſti corpus ſub illis ſubſiſtens ſignificandum.* 2. *Corpus Chriſti in Euchariſtia extenſione quidem localiter circumſcriptiva,at non quantitate, ſeu dimenſione entitativa deſtituitur; & in ſubſtantia unicum, ſola Sacramentali præſentia replicata, in ſe omnino ſimplex eſt.* 3. *Ut ſigna in rem ſignatam convertantur, abſurdum non eſt, quandoquidem etiam figuræ V. T. in veritatem myſteriorum Chriſtianorum illis ſignatorum converſæ ſunt. Neque etiam ſubſtantia panis, ſed ejus duntaxat accidentia, quâ remanſura, ceu ſymbola corporis Chriſti, verborum Chriſti virtute ad eſſe ſigni Sacramentalis elevantur. inter quæ proin & Chriſti corpus vera analogia Sacramentalis intercedit.* Ib. pag. 308. 309. Reſp. 1. Neſcio quomodo

do ex verbis Chriſti vel ſpeciem aucupari poſſis, ad incruſtandum prodigioſum commentum. Accidentia verò propria, ſeu attributa eſſentialia panis ſic naturaliter cum ſubſtantia connexa ſunt, ut hac ſublata, illa nihil ſint, & ad entia ficta relegari debeant. Sed ſunto etiam aliquid, non inania ſpectra. At ſigna corporis Chriſti eſſe nequeunt, quia ſignum Chriſtus inſtituit, quo & fractionem corporis ſui, & nutritionem ſpiritualem animorum, & myſterium unitatis fidelium inter ſe ſignificaret & repræſentaret. Atqui accidentia panis, utpote quæ nec franguntur, nec nutriunt, nec unum quid ſunt ex multis partibus confectum, eo modo ſignificare & repræſentare nequeunt. 2. Corpus Chriſti inter alia corpora ſitum, ſine extenſione locali & circumſcriptiva ut corpus, & non ut ſpiritus, ne quidem animo concipi poteſt. Quid verò inſuper extenſio ſeu dimenſio entitativa aliud eſt, quàm vel multitudo partium vel poſitio partium, quam habent ad ſe? At cùm multitudo partium ad quantitatem diſcretam pertineat, non poteſt niſi abuſivè extenſio ſeu dimenſio dici reſpectu præſentiæ in aliquo ſpatio, utpote quæ propriè quantitatem continuam ſpectat. Et ſanè multitudo partium materiæ non aliud eſt quàm ſubſtantia materialis, adeóque non tam extenſio vel dimenſio, quàm aptitudo ad eam. Aptitudo autem non eſt res ipſa, ad quam eſt aptitudo. Poſitio autem partium, ſeu ſitus & diſpoſitio partium intrinſeca quid aliud eſt quàm intervallum, quod interjacet inter duas partes diſtantes ſuperficiei corporis ambientis, ſi ullum ambiens circumpoſitum eſt, vel inter duos terminos, in quibus eſſent duæ partes diſtantes ſuperficiei corporis ambientis, ſi ullum corpus ſpatium illud ambiret? Quomodo Cœlum ultimum, quo velut ſimili exemplo Bellarminus utitur, licet non habeat diſpoſitionem illam extrinſecam partium ſuarum in ordine ad locum, mundus tamen ſpatium occupat tantum, quantum interjacet ab iis lineis, quæ protenduntur à mundi centro uſque ad ejus extimam ſuperficiem, atque adeò ad eos terminos, in quibus eſſet locus, hoc eſt, ſuperficies corporis ambientis, ſi ullum corpus ultimo Cœlo circumfuſum eſſet. Si ergo corpus Chriſti eodem modo in Euchariſtia exiſtit, & eundem ordinem habet ad ſpatium intrinſecum, qui habetur à mundo, exiſtet in ſuo ſpatio intrinſeco naturaliter, & ad modum non ſpirituum, uti pertenditis, ſed corporum. Imò cùm corpus Chriſti Euchariſticum non poſſit niſi inter alia corpora ſitum cogitari, ſecus quàm Cœlum extremum, quomodo non præter ſitum intrinſecum habebit etiam localem extrinſecum? Denique ejuſdem corporis præſentiam in multis locis replicatam, ceu replicatum aliquoties à te, & à nobis debellatum monſtrum contemnimus. 3. Quas verò V. Teſt. figuras in veritatem myſteriorum Chriſtianorum illis ſignatorum converſas nobis dices? Indica quæſo. Nam nobis hoc itidem monſtro ſimile videtur. Umbræ corpori cedunt, non in corpus commutantur. Nihil profectò penſi habes, quid dicas, dummodo aliquid dicas. Accidentia verò panis ad eſſe ſigni Sacramentalis elevari nullo modo poſſe, ſupra oſtendimus. Unde analogiam omnem perire neceſſe eſt, utpote quæ niſi ſignum inter & rem ſignatam intercedere nulla poteſt.

ARG. VI. Involvit hoc dogma ejuſmodi non tam miracula quàm *τερατολογήματα*, quæ ſanæ rationi, adeóque etiam fidei, quæ contra ſanam rationem nihil ſtatuit, repugnant, & contradictionem implicant. Etenim fingunt, manentibus ſpeciebus ſeu accidentibus panis & vini, utriuſque ſubſtantiam converti in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti. Id

verò

verò abſurdiſſimum, & planè *ἀσύστατον* ac prodigioſum eſt: tum quia nihil mutari poteſt in aliquod individuum actu præexiſtens, quale eſt corpus Chriſti, quin cenſeatur idem eſſe: tum quia in omnibus miraculoſis, quæ in S. Literis commemorantur, converſionibus, non tantùm mutatio facta judicio ſenſuum deprehendi potuit, quod hic nullo modo fit; ſed etiam unà cum ſubſtantia etiam accidentia immutata ſunt, manente interim communi mutationis ſubjecto: tum quia non poteſt (uti fatetur Carteſius *in Medit. Reſp. ad obj.*) mens humana cogitare accidentia panis eſſe realia, & tamen abſque ejus ſubſtantia exiſtere, quin ſimul illa per modum ſubſtantiæ concipiat, adeóque accidens non accidens faciat: tum quia in conſecrata hoſtia remanent ejusmodi accidentia, veluti ſoliditas, impenetrabilitas, extenſio, partium extra partes poſitio, quæ cùm ſint ipſa ſubſtantiæ corporeæ eſſentia, ſeu primaria & radicalis proprietas, uti fatentur etiam Nominales & Ariaga, mutatâ eſſentiâ ipſa quoque non poſſunt non mutari: tum quia remanent poſt conſecrationem ſymbolorum, eorundem figura, colores, odores, ſapores, quæ præſentiam corporeæ ſubſtantiæ arguunt: tum quia manentibus accidentibus annihilaretur ſic ſubſtantia panis, quod & rationi, & Dei verbo adverſatur: tum denique, quia quod poſt conſecrationem manet, inſtar panis & vini nutrit, marceſcit, corrumpitur, ita ut ex eo, teſte experientia, generentur vermes; tangitur, frangitur, veneno imbuitur, quomodo conſtat Victorem II. & III. Pontifices, Henricum VII. Imperatorem, Henricum Eboracenſem, alios toxaticos periiſſe. Hæc omnia cùm *ἀσύστατα* eſſe animadvertiſſet Carteſius, ſubtilis Philoſophus, ipſe quidem novo emplaſtro vulnus ex negata accidentium realitate Papatui inflictum, ſanare ſtuduit, aſſerens, poſt conſecrationem remanere ſuperficiem panis & vini, illámque eſſe, quæ omnes ſenſus noſtros afficit. At Chriſtus id quod remanet, vocat *genimen vitis*, Paulus *panem quem frangimus*, neuter panis & vini *ſpeciem*. Nec inanis & vana ſpecies, ſeu ut ille explicat, *terminus ille, qui medius eſſe concipitur inter ſingulas particulas hoſtiæ, & corpora ambientia, qui non habeat niſi modalem entitatem*, eo modo afficere ſenſus & effectus ejuſmodi producere poteſt. Sed ſοφὸν Philoſophi illius φάρμακον ſolidè diſcuſſit Cl. idémque conjunctiſſimus Σύνεργος noſter D. Joh. Lavaterus *Diſp. Metaph. pag. 89. &c.* Plura Tranſſubſtantiationis hujus prodigia Moſes Amyraldus *Theſ. Theolog. p. III. pag.* 179-210. pandit & fortiſſimè profligat. Hoc unum ego addo, nulli portento etiam illud cedere, quod non tantùm panis & vini accidentia ſubſtantiâ ſuâ ſpoliata, ſed etiam ſubſtantiam Chriſti accidentibus naturaliter ab ea emanantibus exutam

Digitized by Google

obtrudere satagunt. Quale enim quæso corpus est, quod nec coloratum, nec configuratum est, neque ullum respectum habet ad ullam categoriam, præterquam ad categoriam substantiæ? qualis anima est, quæ destituitur accidentibus omnibus in eucharistia, nihil cogitat, nihil vult, nullis prædita est sapientiæ, prudentiæ, virtutis habitibus?

RESP. REDING: 1. *Annon etiam formæ materiales humanorum ossium in corporibus mortuis per resurrectionem in formas rationales, jam ante existentes, convertentur?* 2. *In eucharistia saltem converti substantiam non conversis accidentibus, proprietas verborum H. E. C. M. evincit. Et si Deus statuam salis, in quam conversa erat uxor Lothi, convertere vellet in animam illius, annon remanentibus accidentibus solis uxoris Lothi anima, accidentibus iis substans, succederet?* 3. *An Divina virtus non potest plura facere, quàm mens humana capere queat? Cúmque accidentis existentia, juxta Aristotelem, ab ejusdem essentia distincta sit, & aliud sit accidentis inhæsio actualis, aliud aptitudinalis, liquet concipi posse accidentia realia non actu substantiæ inhærentia. Quomodo etiam natura Christi humana sine subsistentia existere potuit. Neque ideo accidentia actu substantiæ non inhærentia per modum substantiæ concipi debent, quia illa dependent à substantia corporis Christi, saltem in genere causæ efficientis & sustentantis. Quomodo enim alias* Hoc, id est, *individua substantia, qua demonstrabilis per sensibilia accidentia, cum quibus conjuncta est, posset esse corpus Christi?* 4. *Etsi Ariaga & Nominales contendant, quantitatem non esse realiter distinctam à substantiæ corporea essentia; tamen aliter se habere rem in Eucharistiæ Sacramento non diffitentur; asseverantes etiam, species Eucharisticas quantitate destitutas, non quidem ab intrinseco, sed actione Divinæ virtutis esse impenetrabiles & extensas. Quanquam verius est, quantitatem à substantia corporea realiter distingui, quia fides docet, in Eucharistia esse quantitatem absque substantia; & ratio astruit, impenetrabilitatem quantitati propriam esse. Quicquid autem ex uno fidei, altero luminis naturalis principio per legitimam consequentiam infertur, pro veritate naturalem & physicam certitudinem excedente habendum est.* 5. *Figura, colores &c. naturaliter corpoream substantiam præsentem arguunt. Sed Deus ejus absentiam omnipotente virtute sua sustentante supplere potest. Primariò quidem materia prima formarum materialium receptiva est; sed secundariò etiam quantitas.* 6. *Ratio annihilationis exigit, ut res, quæ annihilatur, non in nihilum sui, sed omnimode in nihilum abeat. At hic à termino A quo destruendo fit transitus in positivum terminum Ad quem, non in nihilum.* 7. *Accidentia Eucharistica triplex actionis realis genus exercere possunt; puta principaliter assimilare, seu producere qualitates in aliis subjectis sibi similes; instrumentaliter assimilare propriè substantiæ, veluti cùm aqua admixta transmutatur in vini substantiam; denique se ipsas in proprio subjecto reparare. quomodo vini species alteratæ seu calefactæ se reducunt ad temperamentum formæ substantialis vini proprium. Primum faciunt naturaliter, per vim intrinsecam ac qualitatem. Secundum faciunt instrumentaliter, Divina virtute principaliter operante. Tertium sola operatione principali Dei, & obedientiali humanitatis Christi. Passiones verò specierum Eucharisticarum alterativæ vel immutativæ naturaliter fiunt ab agentibus naturalibus. Denique compositi materialis ex speciebus Eucharisticis generatio sic perficitur, ut materia prima producatur à solo Deo, forma verò materialis virtute agentis naturalis educatur è potentia materiæ.* 8. *Corpus Christi Eucharisticum*

Digitized by Google

chariſticum habet accidentia univerſa à loco non dependentia ; adeóque figuram eandem organicam , quam habet in Cælo , non tamen eandem figuram ſitualem. Ibid.pag.309--315. Reſp. Magno conatu magnas nugas geris. Cuncta enim hæc tua inficeta philoſophemata innituntur proprietati verborum Chriſti , quam maximè controverſam ubique ſupponis , & pro argumento adhibes defendendi ejuſmodi placita , quibus natura rerum prorſus evertitur. Sed preſſiùs ſingula excutiamus. 1. Formas materiales oſſium mortuorum per reſurrectionem converti in formas rationales , ex qua quæſo , maxime nugigerule , Theologia, ex qua philoſophia didiciſti? Siccine in reſurrectione mortuorum corpora in ſpiritus mutabuntur? Sed hoc inſolentiſſimum licet,minùs inſolens tamen tibi videtur, quia apud vos etiam ſubſtantia panis in corpus Chriſti merè ſpirituale, adeóque in corpus non corpus, ſaltem corpus in Spiritum convertitur. Atqui S. Paulus 1 Cor.XV.53. *φθαρτὸν τοῦτο hoc corruptibile* induere *ἀφθαρσίαν incorruptibilitatem* , non corpora in animas,jam ante exiſtentes, converti dixit. 2. Converſionem ſubſtantialem verba Chriſti H. E. C. M. non evincunt ; ſed evertunt. Si tamen evincerent, etiam accidentium, ſeu attributorum eſſentialium converſionem evincerent. Et quis ferat paradoxum tuum de poſſibili converſione ſtatuæ ſalis,in quam converſa erat uxor Lothi,in animam ejuſdem uxoris,remanentibus accidentibus ſtatuæ? Qualis enim converſio eſſet in rem jam actu exiſtentem? Nam id,in quod aliquid convertitur,jam incipit eſſe. Quod jam exiſtebat ante,non demum incipit eſſe. Ergo idem eſt, & non eſt ; incipit eſſe & non eſſe. Qui talia omnipotentiæ Divinæ objecta faciunt, eadem opera Deum *ψεύστην mendacem,* & authorem *mendacii* , quo idem eſſe & non eſſe affirmatur,non ſine blaſphemia faciunt. Taceo reliqua ψεύδους πηγὴν. 3.Poteſt utique Divina virtus *ἐκ περιουσίας* facere ſupra ea,quæ intelligimus , vel intelligere poſſumus. At non poteſt ea,quæ θεοπρεπῆ, digna Deo non ſunt. qualia ſunt,quæ contradictoria, ipſum mendacem redderent. Tale eſt , quòd accidentia non inhærentia ſubſtantiæ ipſum efficere poſſe, pertendis. Hoc enim eſt poſſe efficere accidentia non accidentia. Nam quod non inhæret alteri,per ſe ſubſiſtat, adeóque ſubſtantia,& non accidens ſit oportet. Neque exiſtentiæ & eſſentiæ accidentium diſtinctionem ex Ariſtotele mihi oggeras. Nam nunquam ille accidentia eſſe, & non exiſtere dixit. Neque ſi dixiſſet, ad rem hic faceret, ubi accidentia euchariſtica & eſſe & exiſtere dicitis. Inhæſionis quinetiam actualis & aptitudinalis diſtinctio commentum veſtra Sophiſtice digniſſimum eſt. Omne enim ens actu exiſtens habet eſſentialiter vel exiſtentiam actualem in alio actu,tanquam in ſubjecto inhæſionis,non autem in ſe & per ſe actu: vel exiſtentiam actualem in ſe & per ſe actu,non autem in alio actu,tanquam ſubjecto inhæſionis. Sed accidens actu exiſtens non habet eſſentialiter exiſtentiam actualem in ſe actu,quia aliàs nunquam poſſet eſſe in ſubjecto inhæſionis,adeóque ne aptitudinalem quidem inhærentiam haberet. Quæ enim ſunt de eſſentia rei, nulla virtute tolli poſſunt. Alia ratio eſt ſubſiſtentiæ, utpote quæ non eſt de eſſentia ſubſtantiæ in eſſe ſubſtantiæ ſeu naturæ,ſed in eſſe ſuppoſiti. Unde ab humanitate Chriſti,quæ ſuppoſitum non eſt,ſeparari potuit. Fruſtra etiam accidentia panis ſubjecto ſuo proprio exuta dependere à ſubſtantia corporis Chriſti, in genere efficientis & ſuſtentantis,aſſeris. Corpus enim Chriſti,fractum inprimis & mortuum, quale in Euchariſtia repræſentatur, nullam potentiam phyſicè activam ſeu efficientem , ſed paſſivam duntaxat & receptivam habet. Ne Deus quidem ipſe vicem ſubjecti efficiendo & ſuſtentando accidentia corporis alicujus ſupplere poteſt, quia non aliter conſervare poteſt res, quàm prout ſunt,

Digitized by Google

eásque supponit, adeóque conservat & sustentat accidentia prout accidentia, non prout substantias. Addo futurum, ut si Divina virtus efficiens & sustentans succederet in locum substantiæ, atque ita accidentia conservaret, Deus subjecti vice fungeretur, adeóque fieret albus albedine panis, qui secundum adversarios in Eucharistia post consecrationem esse desiit, fieret rotundus rotunditate substantiæ hostiæ, quæ evanuisse creditur, &c. & insuper cum creaturis in compositionem veniret. Cum S. Augustino *Soliloq. lib. II.* 12. dicimus: *Quis concesserit, aut cui posse videatur, ut id quod in subjecto est, maneat ipso intereunte subjecto? Monstrosum enim & à veritate alienissimum est.* Alibi *ad Dard.* emphaticè: *Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum: non erit, ubi sint; & ideo necesse est ut non sint.* Ridiculum planè est, quod quæris: *Quomodo alias* Hoc: *id est, individua substantia, quæ demonstrabilis per accidentia sensibilia, cum quibus conjuncta est, posset esse corpus Christi?* Quia enim accidentia à subjecto inseparabilia sunt, idcirco *Hoc* notare substantiam panis, & esse corpus Christi per significationem, non per corporalem præsentiam, inferimus. Et qualis est individua illa substantia, determinatè nec panis nec corpus, per accidentia sensibilia separata demonstrabilis? Nihil est, adeóque indemonstrabile. Et illud jam erit corpus Christi, & quidem propriè. 4. Qua ratione Nominales accidentia realia extra Eucharistiæ Sacramentum negare, in eo verò affirmare possint, ipsi viderint. Frustra Divinam potentiam & miracula, *iugis* veluti errantium ἄγκυραν, illi advocant. Nam quæ unum quid, seu eadem res simplex sunt, non unum & quidem citra multiplicationem entitatis; hoc est, unum non unum, adeóque contradictoria facere, sub Divinam potentiam minimè cadit. Agnoscunt autem Nominales, agnoscit etiam Cartesius, substantiam & quantitatem esse rem unam & simplicem: in Eucharistia verò separationem accidentium à substantia tuentur. Ubi autem separatio locum habet, ibi unum simpliciter obtinere nequit. Sed quid multis? Tu ipse Nominalibus diffisus, agnoscis, præsentiam corporalem non aliter defendi, quàm realitate accidentium defensa, posse. Et tamen illa omnes absurditatis numeros implet. Non tantùm enim nulla necessitas cogit nos entia realia multiplicare, sed etiam essentiæ & substantiæ ipsæ sunt causæ physicæ & immediatæ suarum operationum, neque adeò accidentia realia à se distincta ulla exigunt. Alias separari etiam possent, atque sic ignis dari posset sine calore, homo sine potentia ratiocinandi. Imò accidentia nobiliora forent ipsis substantiis; quia producerent immediatè esse, quod non facerent substantiæ. Neque dicere juvat, quòd producant dependenter à substantia; cùm hoc ita facerent dependenter à substantia, ut tamen substantia non censeatur ꝙ esse producere. Tua verò ratiocinatio de certitudine conclusionis ex principio uno fidei, altero rationis illatæ, denuo quæstionem turpiter emendicat. Nos enim veritatem verborum Christi H. E. C. M. tale quid requirere, negamus identidem. Et de ipso verborum Christi sensu quæstio ubi instituitur, frustra præjudicatus imò & absurdissimus illorum sensus pro argumento rapitur. 5. Figura quomodo quæso sine figurato, color sine colorato esse potest? Nam figura est figurati, & color colorati. adeò ut figuratum & coloratum figuræ & coloris definitionem ingrediatur. Si ergo Deus supernaturaliter figuram, colorem à figurato & colorato separat, eadem ratione definitionem à definito, relatum à correlato separat. quod contradictionem involvere vel cœcus quispiam videat. Figura juxta Suarez, *Metaphys. Disput.* 37. *Se.* 2. *n.* 1. ex illorum accidentium numero est, *de quorum ratione est actualis inhærentia, ita ut per nullam potentiam sine illo esse possit.* Atqui ea post consecrationem remanet. Ergo in subjecto pane,

ne, non Chriſto, quia Chriſtus figuram talem non habet. Fruſtra cum Thoma Aquinate quantitatem dimenſivam panis & vini, qualitatem ſubjectum inhæſionis ſtatuis. Nam nec quantitas accidens eſt à materia reapſe diſtinctum; & ſi accidens tale foret, ſubjectum aliorum accidentium inhæſionis & fundamentale eſſe non poſſet, quia, uti rectè Jeſuita Luſitanus Fonſeca *Metaphyſ. Tomo IV. in lib.4. in cap.4. t.14. Ariſtot.* notat, *nullum accidens eſt propriè ſubjectum alterius, quamvis poſſit eſſe cauſa, cur ſubjectum illud recipiat.* Ratio evidens eſt, quia ſi accidens ſubjectum eſſet accidentis, eo ipſo ſubſtantia, non accidens eſſet. Cúmque, vobis etiam ſic definientibus, *color* ſit qualitas corporis mixti, ex perſpicui cum opaco commiſtione orta: *odor* qualitas corporis ex ſicco ſapido contemperato cum humido, orta, & à calore educta: *ſapor* corporis mixti qualitas, à ſicco terreſtri in humido aqueo, per calorem generata: quomodo ergo color ſine colorato, odor ſine odoro, ſapor ſine ſapido ſit; cum quantitas, ſive ut ſubſtantia, ſive ut accidens concipiatur, qualitatum harum ſubjectum eſſe nulla ratione poſſit & illarum ſubjectum proprium & adæquatum nullum niſi corpus mixtum eſſe poſſit? Quid hoc aliud eſt, quàm definitum ponere, & definitionem tollere? 6. Tranſſubſtantiationem non tam veram eſſe converſionem panis & vini, quàm illorum annihilationem, planum certè eſt, quia quod ante vera fuit ſubſtantia, poſtea planè nihil, ſeu ſimpliciter non ens eſſe fingitur. Neque obſtat, quòd à termino *A quo* tranſitus fiat ad terminum poſitivum *Ad quem*, non in nihilum, uti tu philoſopharis. Neque enim, uti rectè Suarez ita ſentientibus Soto, Ferrarienſi, quibus etiam Bellarminus, Mæratius, de Lugo accedunt, reponit, *mutatio ſemper denominatur à termino Ad quem, ſed aliquando à termino A quo, uti patet in creatione, quæ generaliter non definitur niſi per terminum à quo, & quatenus eſt productio rei ex nihilo. Et licet illa ratione rectè explicetur, talem converſionem non eſſe annihilationem; tamen quòd illa pars mutationis hujus, quæ eſt totalis deſitio panis ſecundum ſubſtantiam, non ſit annihilatio, ſolùm quia ordinatur ad introductionem alterius rei, non videtur ſatis perſuaderi. Alioqui in generatione hominis productio animæ, quæ ad generationem compoſiti ordinatur, non eſſet vera creatio.* 7. Priuſquam modos, quibus accidentia agere poſſint, ingenioſè adeò nobis exponeres, rem ipſam, ſine qua modus nullus conſiſtit, demonſtrare ſolidè debueras: quòd nimirum accidentia à ſubjecto ſuo ſeparata agere, principaliter vel inſtrumentaliter aſſimilare; mutari, alterari, generare imò & intoxicare poſſint. Hoc verò nos pernegamus. Quomodo enim nutrirent accidentia ejuſmodi, cùm omnia iiſdem nutriantur, quibus conſtant? Deum autem eo momento, quo ſpecies panis & vini corrumpuntur, de novo per inſolens aliquod miraculum ſubſtantiam aliquam, uti fingunt Sophiſtæ, producere, qua ratione fidem facient? Quis enim iis donavit eſſe αὐτόπτας? Quomodo accidentia à ſubjecto ſeparata generarent, cùm omnis generatio ſupponat materiam, ex cujus potentia forma ſubſtantialis illius educatur? Nam materiam illam à Deo miraculosè produci, uti tu fingis, etiam Gamachæus veſter refutat hoc argumento, quia ſequeretur, *materiam ſublunarem hodie eſſe aliam numero, quàm fuit in prima creatione mundi, ſaltem quoad illas partes ac ferè innumerabiles, quæ tot ſpeciebus corruptis jam ei advenerint diverſis locis & temporibus, nec ab initio mundi olim creatæ fuerunt, ſed ſolùm à paſſione Chriſti ad nos ſpatio mille ſexcentorum annorum.* Quid quòd ſic geminantur ſine neceſſitate ulla miracula, unum creationis novæ materiæ; alterum ſupernaturalis eductionis formæ ſubſtantialis ex hac materia naturaliter indiſpoſita. Denique quando Euchariſtia veneno infecta malè quidam, uti hiſtoriæ narrant, perierunt, aut vene-

Digitized by Google

no imbutus erat sanguis Christi ex vestra hypothesi in Eucharistia existens, aut accidentia vini, aut substantia vini. Non sanguis Christi, quia is est incorruptibilis, & blasphemum esset dicere, eum venenatum esse vel fieri. Non accidentia vini à substantia ejus separata, tum quia ineptum est dicere, lineas & superficies, & rubedines esse venenatas, cùm venenatum esse sit proprium substantiæ, non accidentis: tum quia oporteret substantiam venenatam in calicem infusam mixtam esse cum illis accidentibus; quod absurdum est, cùm accidentia seorsim rebus, judice etiam Aristotele *de Generat. & Corrupt. lib. I. 10.* misceri nequeant: tum denique ordine prorsus inverso, venenum ceu substantia, inesset accidentibus, cùm accidentis esse sit substantiæ inesse. Ergo sola restat vini substantia, quæ veneno imbuta bibentes peremit. 8. Cùm impossibile sit, ut corpus habens partes extra partes inter alia corpora situm, non sit in loco etiam externo, liquet igitur, corpus Christi, quod in Eucharistia repræsentatur, neque illis etiam proprietatibus, quæ à loco dependent, spoliari & exui posse; adeóque figuram suam situalem, aliáque ejusmodi, omnino retinere.

ARG. VII. Ait Synodus Can. 2. *conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi.* Id verò prorsus etiam est ἄτοπον, tum quia ea, quæ convertuntur, non omnino abolentur, sed quasi vertuntur in orbem, cùm tamen substantiam panis aboleri, & fieri *nihil ac non ens simpliciter* censeant: tum quia *tota substantia* complectitur & materiam & formam, proinde necessum est, ut non solùm materia subsistat, tanquam mutationis subjectum, quod depulsâ unâ formâ alteram admittat, sed etiam ut ipsa forma maneat, sine qua tota substantia neque esse, neque agere, neque pati potest.

RESP. REDING: 1. *Substantialis conversio non facit, ut substantia conversa solùm vertatur in orbem, sed esse desinat, uti ex generatione naturali liquet.* 2. *Si tota substantia vi conversionis destruenda est, qui infers, materiam & formam subsistere debere?* Ib. pag. 315. Resp. 1. Conversio propriè de corporibus, quæ in orbem vertuntur, dicitur. In quibus mutatio quidem contingit respectu loci at abolitio nulla. Ex eo locutio traducta est ad omnes alias mutationes, seu illæ in qualitatibus, seu in substantiis fiant. At nulla in iis substantiarum annihilatio & totalis abolitio fit, quæ conversio non esset. Quomodo nec in generatione naturali illud, ex quo homo fit, annihilatur, sed in ea manente materia nova duntaxat forma introducitur. Alias quot generationes, tot miracula contingerent. Nequit enim quicquam annihilari citra miraculum. 2. Totam substantiam vi conversionis destrui, hoc est, annihilari, non ego dixi, sed vos pertenditis. Ego verò absurditatem sententiæ Concilii inde demonstro, quia quæ convertuntur, non annihilantur. Cùm igitur juxta verba Concilii tota substantia, adeóque etiam forma, nobilior substantiæ pars, convertatur, & formam & materiam panis & vini manere debere, colligo. Vel igitur argumentum meum non intellexisti, vel agis maligné.

ARG. VIII. In Concilio de modo, quo panis fit corpus, Dominicanos inter & Franciscanos acriter disceptatum esse, in historia hujus Sessionis recensuimus. Et Dominicani quidem defendebant mutationem corporis Christi

Digitized by Google

Christi *productivam*: Franciscani verò *adductivam*, sed in instanti, qua videlicet corpus Christi per consecrationem è cœlo adducatur in terram, non motu successivo, ut unum locum deserat, veniat in alium, sed momentaneo, ut posteriorem locum acquirat, etsi priorem non amiserit. Horum invicem digladiantium argumenta mutuati, sequentem syllogismum nectimus: *Quod in eucharistia fit, vel producitur in loco, ubi fit, vel aliunde adducitur. At corpus Christi nec producitur, nec adducitur aliunde. Ergo in eucharistia non fit, adeóque panis in corpus Christi non transsubstantiatur.* Non *produci* corpus Christi, contra Dominicanos probant Franciscani, tum quia quod producitur, ante actu non erat, cùm corpus Christi actu fuerit ante consecrationem: tum quia corpus producendum vel existeret ex nihilo infinitâ Dei potentiâ, vel è substantia panis eucharistici formaretur, quorum neutrum locum habere potest, quia aliâs corpus illud Christi productum non esset idem cum corpore Christi in cœlo existente, quippe quod nec ex nihilo, nec ex pane eucharistico formatum est: tum quia si ex cœlo non adducitur corpus Christi, sed producitur denuo, etiam ex eucharistia in cœlum non revertetur, sed evanescentibus panis & vini accidentibus, uti volunt ipsi, desinet esse, quod vel cogitatu est horrendum: tum denique quia ostendi non potest, quomodo ex substantia panis eucharistici producatur non corpus tantùm, sed ipsa etiam anima Christi. Jam nec *adduci* corpus Christi è cœlo quacunque ratione, contra Franciscanos probant Dominicani haud minùs evidentibus argumentis, tum quia in propriè dicta conversione sive naturali, sive supernaturali non tantùm terminus à quo esse desinit, sed etiam terminus ad quem esse incipit: tum quia si è cœlo Christi corpus in eucharistiam adducitur, neque tamen locum deserit, adduci è cœlo dici nequit, cùm illud *è cœlo* denotet terminum à quo aliò fit progressio: tum quia Transsubstantiatio est talis actio, quæ per se ac primò importat conversionem totius substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Domini, adeóque non potest esse formaliter adductiva, cùm adductio substantiæ, cujus terminus est non substantia, sed præsentia localis, possit intelligi sine vera alicujus substantiæ in illam conversione: tum quia hæc sententia explicat obscurum per obscurius, cùm quæri adhuc possit, quid sit illa adductio, seu actio adductiva, & an corpus Christi è cœlo adducatur ad altare, transeundo per totum medium, vel non transeundo, quorum neutrum dici queat. Sic igitur Sophistæ suis telis confossi pereunt. Quod cùm intelligerent alii, novos commenti sunt mutationis modos. Alii enim, secuti Gabrielem Biel, mutationem non

vel

vel productivam, vel adductivam, sed *conservativam*, quâ videlicet corpus Christi in antiquo suo esse conservetur: alii etiam *constitutivam*, quatenus fiat introductio nova corporis sub his speciebus cum connotatione desitionis substantialis panis: alii *unitivam*, quâ corporis & sanguinis Christi substantia uniatur accidentibus panis & vini, eáque per modum causæ efficientis sustentet, propugnat. Sed modi hi iisdem, & pluribus etiam urgentur absurdis, cùm illud omne, quod alicubi *conservatur*, aut *constituitur*, aut *unitur*, ibidem ante *productum* vel *adductum* sit oporteat.

RESP. REDING: 1. *Commentitia est illa Franciscanorum & Dominicanorum disceptatio.* 2. *Vitiosus est Syllogismus tuus, cujus nec minorem in sensu collectivo alterutri agnoscent; & major disjunctivè posita, in minore assumitur collectivè.* 3. *Neque solidæ sunt tuæ adversus mutationem vel productivam, vel adductivam rationes. Non illæ, quibus productivam oppugnas, tum quia juxta S. Patrum sententiam corpus Christi ante existens, vi tamen consecrationis verborum producitur in Eucharistia; neque repugnat, ut corporis & sanguinis Christi Esse substantiale, virtute Divinorum decretorum, ad diversos fines præordinetur, atque sic plures realiter distinctæ actiones terminentur ad Esse substantiale corporis & sanguinis Christi: tum quia corpus Christi in Eucharistia de, vel ex pane, tanquam transsubstantiato termino A quo produci non aliter dicitur, quàm quatenus idem corpus Christi, quod est in Eucharistia, terminat actionem specificè distinctam ab ea, qua in Cœlo præexistit: tum quia Christus tandiu manet sub speciebus Eucharisticis, quandiu eæ persistunt in illo temperamento, sub quo panis & vini substantia naturaliter maneret; iis verò ad gradum corruptionis pervenientibus, Christus non desinit simpliciter in suo esse, sed tantùm quoad esse Sacramentale, non ampliùs substando accidentibus: tum denique quia vi verborum consecrationis produci animam Christi ex substantia panis, nemo nostrûm dixit, sed id tantùm, poni eam in Eucharistia concomitanter. Non hæ, quibus adductivam mutationem oppugnas, tum quia, cùm terminus vi consecrationis communicatus sit substantia corporis Christi, necessum est, ipsam quoque conversionem esse substantialem: tum quia etiam Filius Dei de Cœlo descendit, neque tamen Cœlum deseruit; & Christi corpus è Cœlo in Eucharistiam adducitur, haud transeundo medium: tum quia conversio Eucharistica non tam ex sua formali transsubstantiationis actione, quàm ex Divinæ causalitatis efficacia corpus Christi sub speciebus Eucharisticis non tantùm quoad modum substandi, sed etiam quoad ipsam substantiam physicè producit.* Ibid. pag. 316–320.

Resp. 1. Quo verò argumento Suavem dissensum illum narrantem falsi convincere potes? Etenim dissensus ille & antiquior fuit Concilio, adeóque haud dubiè in eo, ubi de hoc argumento actum fuit, sese prodidit: & durat ad hodiernum usque diem. Qua enim superbia cuculli Monachorum tument, non facilè unus alteri fasces suos submittit, sed odiorum, dissidiorum, contentionum suarum tenacissimi sunt omnes. Fatetur Suarez *Disput* 50. *Sect.* 4. *Theologi in explicanda hac actione & termino ejus valde divisi sunt.* Fatetur Lugo *Disp.* 7. *Sect.* 2. *n.* 19. *Hæc difficultas divisit Theologos antiquiores & recentiores in varias sententias, quas quidem omnes sigillatim referre prolixum esset & inutile. Sunt enim innumeræ.* 2. Nescio peponem ne, an aliud quid pro cerebro habeas, Syllogismum à me vobis oppositum traducens. Quid tum postea enim, si neutri, nec Franciscani, nec Dominicani Heroes vestri propositionem minorem in sensu collectivo non agnoscunt?

agnoscunt?

Digitized by Google

agnoſcunt? An iccirco vacillabit argumentatio mea? Oſtende ergo vitium vel in forma, vel in materia. Nam quòd majorem disjunctivè poſitam in minore aſſumi non disjunctivè ſed collectivè nugaris, vel pueri inſcitiam tuam Dialecticam ridebunt. Annon enim manifeſta disjunctio, ſine collectione ulla eſt in his verbis: *At corpus Chriſti in Euchariſtia nec producitur, nec adducitur aliunde?* Reliquos quoque ictus meos inſeliciter admodum, & contortis, uti ſoles, ſophiſmatis exire conaris. Oſtendam paucis. S. Patres ubi quæſo corpus Chriſti jam ante exiſtens, vi verborum conſecrationis in Euchariſtia ſic produci, ut in ea corporaliter exiſtat, aſſerunt? Nullus apex in locis à te citatis id loquitur. In Sacerdotum manibus, velut in utero Virginis, Chriſtum quotidie incarnari, quæ verba incertus author vetus protulit, impium & blaſphemum dictu eſt, ſi propriè accipiatur. Et blaſphemiæ ejuſdem reus fueris, ſi hac ratione corpus Chriſti in Euchariſtia produci aſſerueris. Non repugnat, fateor, ut plures realiter diſtinctæ actiones ad eſſe ſubſtantiale corporis & ſanguinis Chriſti terminentur. Sed actionem producentis novam terminari ad eſſe ſubſtantiale corporis jam ante producti & exiſtentis, hoc verò tibi probandum fuerat. Quod producitur, exiſtit noviter. Quomodo exiſtit noviter, quod jam pridem extitit? Quid aſſertione tali monſtroſius? Geminum huic eſt, quòd ex pane Euchariſtico corpus Chriſti produci contendis, *quatenus idem corpus Chriſti, quod in Euchariſtia eſt, terminat actionem ſpecificè diſtinctam ab ea, qua in Cœlis præexiſtit.* Atqui non quid faciat corpus jam in Euchariſtia exiſtens; ſed quomodo idem corpus in Cœlo præexiſtens & manens, in Euchariſtia ex pane producatur, cùm id quod in Cœlo eſt, ex pane nullo modo productum ſit, quæritur. Amas ſic, quia reſpondendi impos, extra oleas vagari, neque quicquam claris & categoricis verbis reponis. Accidentalibus porro ad gradum corruptionis ſuæ venientibus, Chriſti corpus non deſinere in ſuo eſſe, ſed tantùm in eſſe Sacramentali, quàm quæſo ineptè tricaris. Etenim eſſe Sacramentale corporis Chriſti in eo ſtatuitis, quòd in Sacramento illud præſens eſt corporaliter, & qua tale in miſſâ ſacrificatur. Si igitur præſens eſſe in Sacramento corporaliter deſinit, neque tamen in Cœlum revertitur, atque in ea deſitione deſtructio & ſacrificatio corporis Chriſti conſiſtit, quomodo non ſimpliciter eſſe ſuum amittit? Si non amittit, eſſe deſinens, vel migrat aliò, vel in Euchariſtia manet. Si migrat aliò, quónam ergo? Si manet, quomodo eſſe deſinit? Eò devenitur, ut neceſſe habeas cum Thoma Aquinate diſtinguere duplex corpus Chriſti, unum verum, Euchariſticum alterum; illud immutabile, nunquam deſinens; hoc mutabile, deſinens eſſe. Nempe jam olim Aquinas *Summ. Theol. par. 3. quæſt. 76. art. 3.* quærit: *An totus Chriſtus ſub qualibet parte ſpecierum panis vel vini ſit?* Affirmat ille. Objicienti, quòd corpus Chriſti, utpote organicum, habeat partes determinatè diſtantes, quas habere non poſſit, ſi ſub qualibet parte ſpecierum diſertè eſſet totus Chriſtus; reſpondet: *Talis diſtantia partium eſt quidem in ipſo corpore Chriſti vero: ſed non ſecundùm hanc diſtantiam comparatur ad hoc Sacramentum.* Sic verum corpus Chriſti eſt in Cœlo. Quod vos in Sacramento corporaliter exiſtere fingitis, non eſt verum. Denique ex ſubſtantia panis corpus duntaxat Chriſti produci, animam verò poni concomitanter in Euchariſtia dicis. Quomodo verò *ponitur* concomitanter? An ex Cœlo illuc migrat? An creatur nova? An ex potentia materiæ educitur? Ediſſere nobis, magne Apollo. Nam verba ſicut ſtomacho latranti non ſatisfaciunt, ita multò minùs veritatis cœleſtis ſtudioſo. Neque rectiores ſunt tuæ adverſus argumenta mea mutationi adductivæ oppoſita λύσεις. Etenim ſi adducitur aliunde corpus Chriſti, nulla converſio locum habere poteſt, utpo-

Digitized by Google

te in qua terminus à quo esse desinit, & ad quem esse incipit; sed sola translatio. Neque proin si terminus ad quem est substantia, conversio substantialis statim erit, cùm translatio, seu mutatio loci respectu ejusdem substantiæ esse possit. Et quàm quæso ἀϑηόλογος est Filii Dei ex Cœlo descendentis, & corporis Christi sub species Eucharisticas adducti comparatio? Nam Filius Dei, qua Deus, ob infinitatem suam nec movetur, nec mutat locum, neque adeò propriè vel ascendit vel descendit. At corpus Christi finitum ex Cœlo in terram sine motu seu translatione per medium in terram descendere nequit. Imò in Cœlo manens, simul in terram adduci, nisi infinitum, nequit. quomodo Christus descendit in terram ὁ ὢν ἐν οὐρανῷ, qui descendens etiam *erat in Cælo*, Joh III.12. ob infinitatem scilicet essentiæ. Denique non ex formali transsubstantiationis actione, sed Divinæ causalitatis efficacia sic adduci corpus, ut vera tamen conversio locum habeat, temerè iterum ais, nulla ratione fretus. Nam Deus adducendo quacunque causalitate corpus, ita ut adductionis terminus sit non substantia, sed præsentia localis, nullo modo panem in corpus convertit. Sic ergo Tuæ adversus argumenta non tam mea, quàm partim Franciscanorum, partim Dominicanorum argumenta instantiæ sua mole ruunt, atque simul transsubstantiatio omnis funditus evertitur. Nam si bonæ sunt rationes, quibus Franciscani Dominicanorum opinionem impetunt, Transsubstantiatio, quæ *productione* corporis Christi ex substantia panis fieri dicitur, nulla est. Si Dominicanorum argumenta adversus Franciscanorum sententiam valida sunt, altera Transsubstantiationis ratio, quæ *adductiva* nuncupatur, locum habere non potest. Si utrinque pugnatur invictis objectionibus, uti nonnulli in Concilio Tridentino agnoscere coacti sunt, & duæ illæ transsubstantiandi panis Eucharistici rationes se mutuò confodiunt, nulla vera tertia superest. Quid ergo aliud restat, quàm ut transsubstantiationem omnino nullam esse firmissimè credamus.

ARG. IX. Neque etiam constat adversariis, quid fiat in hac transsubstantiatione de *substantia* panis. Alii nempe dicunt, panis substantiam *annihilari*. Bellarminus verò *non conservari*, quasi videlicet hoc aliud sonaret, cùm tamen *non conservationis* terminus sit *nihil*. Sed ab annihilatione aliena est Synodus nostra, quippe quæ *conversionem* fieri statuit. Quod enim in aliud convertitur, non annihilatur. Sed variant etiam sententiis, qui *conversionem* tuentur. Alii enim dicunt converti panem ita, ut ejus forma perdatur, & materia ab anima Christi informetur. Atque ita jam non panis esset corpus Christi pro nobis fractum in cruce, sed ὁ λόγος in qualibet missa ultra corpus assumtum ex Virgine hypostaticè sibi uniret materiam panis, & fieret materia panis animata, cujus forma deperdita fuit. Alii dicunt, forma panis manente materiam ejus in corpus Christi mutari. Quomodo dicendum esset, corpus Christi subire formam panis vice materiæ ejus, atque sic non jam panem fieri corpus, sed corpus fieri panem. Ita videlicet labium Babylonis confusum est.

RESP. REDINO: 1. *Quicquid de veterum sententia fiat, in Conciliis certè Lateranensi, Florentino, Constantiensi & Tridentino definitum est, quòd in Eucharistia fiat conversio totius*

Digitized by Google

tius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem Christi, manentibus accidentibus utriusque. 2. *Si qui nostrûm dicunt, panem per conversionem Eucharisticam annihilari, non annihilationem absolutè, sed secundum quid, qua aliquid in nihilum sui transit, intelligunt.* Ib. pag. 320. *Resp.* Utramque exceptionem supra diluimus, ubi decreti Tridentini absurditatem demonstravimus, & annihilationem panis propriè dictam ex doctrina vestra sequi ostendimus. Quid aliud quæso est transitus in nihilum sui, quàm annihilatio? Succenturiatio alterius substantiæ, post priorem in nihilum redactam, neutiquam annihilationis naturam tollit.

ARG. X. Denique transsubstantiationis & nomen & res canæ ac sanæ antiquitati prorsus incognita est. Bellarminus quidem conatur demonstrare dogma hoc injunctum esse sub anathemate, tanquam articulum fidei A. 1060. sub Nicolao II. qui damnavit Berengarii opinionem, statuentis: *quòd panis & vinum post consecrationem solummodo Sacramentum sint, & non verum corpus ac sanguis Domini nostri Jesu Christi.* Sed liquet ex iis verbis, sententiam Berengario oppositam non arguere transsubstantiationis dogma. Potest enim panis & vinum esse verum corpus Domini, etsi non migret in ejus substantiam. Neque nudum est Sacramentum, eo videlicet sensu, ut non sit verum corpus Domini, quia ad rationem Sacramenti potissimùm requiritur, ut habeat usum pignoris per substitutionem, quæ fit panem vocando corpus. Atque ita Nicolai definitionem apud Doctissimum Forbesium *Instr. Historico Theolog. lib. XI.* 15. 21. 22. interpretantur etiam Cardinalis Ostiensis, Bartholomæus Brixianus, & Bernhardus Parmensis. Primus vocem *transsubstantiationis* usurpavit circa A. 1104. vel. 1106. Stephanus Æduensis Episcopus, eámque in Concilio Lateranensi A. 1215. Innocentius III. conatus est obtrudere ecclesiæ, effecítque, ut plures inter Scholasticos crederent, ab Innocentio hîc *scripturas esse explicatas eo spiritu, quo & conditæ sunt*, uti Scotus loquitur. Sed observârunt tamen Viri doctissimi, & rei Ecclesiasticæ & Theologiæ polemicæ haud quaquam imperiti, nominatim etiam *Blondellus Præfat. ad Albertin. de Euch. Sac.* vocem *transsubstantiationis*, dogma conversionis substantialis, seu fidem desitæ substantiæ panis ac corporis Christi vel adducti vel producti, æquè non inferre, ac non vox Græca μεταστοιχείωσις, transelementatio, Patribus de Baptismo usurpata, ejusmodi conversionem importat. Nempe utraque vox commodè & secundum tenorem scripturæ explicari potest de substantiæ pro substantia substitutione, propter analogiam ad obsignationem communionis cum Christo. Atque hinc est, quòd post Concilium Lateranense plures Viri docti, atque inter eos etiam Gerson Cancellarius Parisiensis, Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis, aliique allegati à Gerhardo *de S. Cœn. Sect.* 135. & Dalleo *de*

Relig. cultus Objecto lib. II. *cap.* 1. *pag.* 223. ejusdem conversionem vel in dubium vocârunt, vel apertè negârunt: quódque Eugenius IV. in Concilio Florentino impetrare non potuit, ut novitium dogma ibi definiretur. Proinde Transsubstantiationis dogma non ante Tridentinam hancce Synodum definitum censeri potest. Cœterùm Patrum sententiam transsubstantiationi oppositam fusè prosequuti sunt post Hospinianum, Mornæum, Forbesius *instruct. Histor-Theol. lib. XI.* 15. & Edmundus Albertinus de *Eucharistia Sacramento lib. II. & III.* Et Forbesius quidem ex Patrum mente ac sententia fusè proposita, collegit contra transsubstantiationem septem argumenta, quæ tribus his versibus inclusit:

> 1. *Est typus:* 2. *est panis:* 3. *nutrit quoque corpora:* 4. *non est*
> *Præsens carne:* 5. *mali sumunt: non panis & unda it*
> *In populum:* 7. *Vini & panis substantia prisca est.*

Denique etiam nuper Petrus de Marca, Archiepiscopus Parisiensis, in tractatu *de Eucharistia* non obscurè Patrum, inprimis Theodoreti, Chrysostomi, Epiphanii, Irenæi, Cypriani, Facundi Hermianensis, Fulgentii suffragia nobis cedit & vindicat. Inprimis de Augustino fatetur disertè, *in ejus Theologia verba, Hoc est corpus meum, sic explicari debere: Hic panis & signum est & Sacramentum mei corporis, quod pro vobis tradetur.*

RESP. REDING: 1. *Concilii definitio Canone: Ego Berengarius de consecrat. dist.* 2. *relata sic habet:* quòd panis & vinum post consecrationem non tantùm sint Sacramentum, sed verum corpus & sanguis Christi. *Oportet igitur panis & vini substantiam sub accidentibus non ampliùs existere.* 2. *Non si vox transsubstantiationis primitus à Stephano Æduensi usurpata, & in Concilio Lateranensi definita est, sequitur, rem ipsam canæ antiquitati incognitam fuisse. Ita licet vox processionis Spiritus S. Scriptoribus antiquioribus usurpata non est, sed demum in Concilio Constantinopolitano in symbolum relata; & vox quoque ὁμοουσίας demum in Concilio Nicæno usitata est, res propterea antehac in obscuro non fuit. Ubi etiam nomina modi præsentiæ relativi & Sacramentalis vestra in antiquitate apparent?* 3. *Scotus non negavit, transsubstantiationis mysterium re ipsa fuisse de veritate fidei, sed tantùm asseruit, à Concilio Lateranensi explicitè magis illud traditum esse eo ipso spiritu, quo fides nobis tradita est.* 4. *Vox Transelementationis significat elementi corporei translationem ad virtutem quandam supernaturalem, adeóque mutationem merè accidentalem infert. Alia ratio est transsubstantiationis, quæ mutationem substantialem infert.* 5. *Post Concilium Lateranense pro indubitato fidei dogmate habuerunt Canonem* in cap. Firmiter de Summa Trin. *relatum his verbis, quòd corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter contineatur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem Christi. Quia tamen res in Concilio Lateranensi non ita explicitè, uti in Tridentino explicata est, evenit, ut quidam sic Transsubstantiationem crederent, ut dubitarent tamen, vel negarent totius substantiæ conversionem, sed aliquam ejus realitatem, materiam vel formam superesse putarent. qui ob defectum clarioris definitionis hæreseos damnari non poterant.* 6. *In Concilio Florentino, seu Instru-*

ctione

Digitized by Google

Unione Armeniorum mutatio panis in corpus Chriſti diſertè traditur. Approbata autem ea eſt etiam à Græcis, quia facta ſacro approbante Concilio, uti initio ejus dicitur. 7. Archiepiſcopus de Marca veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia non abnegavit, licet veritati à Concilio Tridentino poſtmodum explicatæ & definitæ non ex integro conſenſerit. Irenæus lib. 10. contra hæreſes diſertè panem eſſe corpus Domini dixit. Theodoretus docet, id quod ſecundum naturam eſt corpus, jure vocari corpus, & faciam eſſe nominum commutationem, ut corpori impoſitum ſit nomen ſymboli; ſic tamen ut nominum illa commutatio ſupponat realem panis in corpus Chriſti mutationem, unde veritatem corporis Chriſti contra Eutychianos probat. Auguſtini denique verba ſolam manducationem Capernaiticam excludunt. Ibid. pag. 320.-323. Reſp. Ingens hic dicendorum campus ſe aperiret. Sed pro ratione inſtituti in pauca arctabimus omnia, ubi hoc unum præmiſerimus, juxta confeſſionem tuam non poſſe damnari hæreſeos, qui ante Concilium Tridentinum dixerint, poſt conſecrationem remanere adhuc realitatem quampiam panis. Primum ergo Concilium Tridentinum, Conciliabulum hoſtium veritatis, ſic myſterium illud enucleaverit, ut poſt illud conſentientes cum doctoribus Celeberrimis, Concilio antiquioribus hæreſeos crimen incurrant ſolo hoc nomine, quòd Tridentinorum Patrum oraculis fidem non adhibent. Veræ igitur antiquitatis primordia in Concilio Tridentino poſthac figenda fuerint. Sed miſſo hoc, teram obterámque tua veſtigia. 1. Nimius paralogiſmus tuus eſt, cùm ſic arguis: *Concilium Romanum ſub Nicolao II. adverſus Berengarium definivit, panem & vinum eſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti: Ergo jam tum definitum eſt, ſic tranſſubſtantiari panem in corpus Chriſti, ut deſinat ſubſtantia panis, & remaneant ſola accidentia.* Ἀναισχύντως hoc prodidiſſe ſuperaſſe eſt. 2. Non vox duntaxat *Tranſſubſtantiationis* ſic ſatis barbara, ſed res quoque ea voce, hodie inprimis, ſignificata nova & muſtea eſt: imò voce ipſa magis nova, utpote quam demum in Tridentino Concilio ſic explicatè definitam fateris, ut qui ante illud realitatem aliquam ſubſtantialem poſt converſionem manere ſtatuerant, hæreſeos damnari non poſſint. Inepta igitur eſt tua illa nominum *proceſſionis* & ὁμουσίου comparatio. Nam & vox *proceſſionis* ἔγγραφος eſt, ſæpiúſque à veteribus uſitata: & res utraque voce ſignificata, quod negare non auſis, Scripturæ & ſententiæ veterum planè conformis. De *modi relativi & Sacramentalis* nominibus idem judicium eſt. Nam ne ipſi quidem vos σχέσεις ſeu *relationes* ex Euchariſtiæ Sacramento exterminare ſuſtinetis, fingentes ſcilicet *relationem* inter accidentia & corpus ſub accidentibus inviſibiliter latens, hoc eſt, inter nihil & nihil: & crebrò inter corpus Chriſti, quod in Cœlo eſt, & Euchariſticum ſeu *Sacramentale* diſtinguitis. 3. Scoto nequicquam σκότος ipſe σκοτεινὸς totus offundere conaris. Sic enim ille *in 4. Sent. diſt. 11. quæſt. 3. num. 3.* ſcribit: *Sicut in naturalibus non ſunt ponenda plura, quàm ratio naturalis neceſſariò convincit, quia pluralitas eſt ſuperflua: ita in credibilibus non ſunt ponenda ſupra quàm convinci poſſit ex veritate creditorum. Sed veritas Euchariſtiæ ſalvari poteſt ſine iſta tranſſubſtantiatione. Ergo. Minor probatur; quòd ad veritatem Euchariſtiæ requiritur ſignum & ſignatum realiter contentum. Subſtantia panis cum ſuis accidentibus æquè poteſt eſſe ſignum, ſicut ſola accidentia, imò magis, quia ſubſtantia panis ſub ſpeciebus magis eſt nutrimentum quàm accidentia. Ergo magis repræſentat corpus Chriſti in ratione nutrimenti ſpiritualis. Res etiam contenta, ſcilicet verum corpus Chriſti, æquè poteſt ſalvari cum ſubſtantia panis, ſicut cum accidentibus, quia non magis repugnat ſubſtantiæ eſſe ſimul cum ſubſtantia, quàm cum quantitate illius ſubſtantiæ. Et confirmatur hæc ratio, quia ponenda ſunt paucio-*

ra miracula, quantum possibile est. Sed ponendo panem manere cum suis accidentibus & corpus Christi ibi esse verè, pauciora ponuntur miracula, quàm ponendo, ibi panem non esse. Nam tunc non poneretur aliquod accidens sine subjecto. Imò fatetur disertè, nullam Scripturæ sententiam reperiri, nullam ante Lateranense Concilium determinationem Ecclesiasticam, quæ vel expresè doceat, vel ex qua evidenter inferri possit, non manere in Eucharistia post consecrationem substantiam panis. *Dico,* inquit, *quòd bene fuisset Deo possibile instituisse, quòd corpus Christi verè esset præsens substantia panis remanente &c. Et tunc ibi fuisset veritas Eucharistiæ.* Paulo post: *Verba Scripturæ possent salvari secundum intellectum facilem & veriorem secundum apparentiam.* Et *num.* 15. *Ecclesia declaravit, istum intellectum esse de veritate fidei in illo Symbolo edito sub Innocentio III. in Concilio Lateranensi, Firmiter credimus &c. Et si quæras; Quare voluit Ecclesia eligere istum intellectum, ita difficilem, hujus articuli, cùm verba Scripturæ possint salvari secundum intellectum facilem & veriorem secundum apparentiam de hoc articulo? Dico, quòd eo Spiritu expositæ sunt Scripturæ, quo conditæ.* Facilitatem quidem & veri apparentiam non Transsubstantiationi repugnare non obscurè fatetur. At de cœtero Papæ Innocentio III. adulatur pro more. Nos verò multò rectiùs cum Augustino *lib. III. contra literas Petil.* & antiqua Catholica Ecclesia dicimus; *Sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitámque nostram, non dicam, nos, nequaquam comparandi ei, qui dixit, licet si nos; sed omnino, quod securus adjecit: Si Angelus de Cælo vobis annuntiaverit, præterquam quòd in Scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit.* Quicquid autem de Scoto fiat, pertendo adhuc, verba Concilii Lateranensis, licet *Transsubstantiationem* nuncupent, non tamen videri cogere ad fidem substantiæ panis desitæ, & substantiæ corporis adductæ, sed in substitutione substantiæ panis pro substantia corporis salvari posse. Sic enim illa sonant: *Ipse Sacerdos & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate Divina, ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod ipse accepit de nostro.* Atqui *mysterium* illud *unitatis, quo accipimus de suo, quod accepit ipse de nostro,* non assumptione corporis Christi in manus, os, dentes & stomachum, ubi tantisper maneant, quandiu manent panis accidentia, & iis pereuntibus ibi desinat esse; sed spiritu ejus, quo baptizamur in unum corpus 1. Cor. XII. 13. fide, per quam sumus in Christo, & communionem cum ipsius morte & vita habemus. 4. Bene est, quòd vocem μεταστοιχειώσεως *Transelementationis* elementi corporei ad virtutem quandam supernaturalem transitionem, adeóque mutationem accidentalem significare concedis. Est autem elementum substantia utique. Quidni igitur etiam transsubstantiatio similem mutationem significare possit? Et sanè veteres ea voce non solùm de Baptismo passim, sed etiam de Eucharistia usi sunt. nominatim Gregorius Nyssenus *Orat. Catechet. cap.* 37. Sicut igitur aqua in Baptismo transelementata non mutatur quoad substantiam: ita nec in Eucharistia panis transelementatus quoad substantiam mutatur, sed utrobique mutatio fit per adjectionem gratiæ. 5. De Concilii Lateranensis sensu abundè jam diximus. Neque tu negare potuisti, post illud demum viros doctos (ego Gersonem & Cardinalem de Aliaco nominavi) conversionem panis totius in corpus Christi negasse; caussatos scilicet, Lateranenses non ita explicitè, sicut Tridentinos mysterium explanasse. Addo, sic Lateranenses explanasse, ut panis substantiam non sustulerint, secus ac Tridentini fecerunt, novissimi scilicet mystagogi, ejusmodi conversionem definientes,

nientes, quæ verbo Dei & saniori antiquitati planè incognita fuit. Et tamen post Concilium Tridentinum hæreseos notam audes aspergere iis, qui monstrosam illam conversionem negant. Sic nempe mutatum tempus, & mutati hominum animi, non verbum Dei hæreticam doctrinam constituunt; & hæreticam, quæ ante tempus illud hæretica non censebatur. 6. In Concilio Florentino Græcos inter & Latinos de Divina panis transmutatione disputatum equidem est. In literis tamen Unionis nihil definitum est. neque ut definiretur aliquid, Eugenius impetravit. In Instructione pro Armenis dicitur: *Ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur, ita tamen, quòd totus Christus contineatur sub specie panis, & totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.* Si sub quavis parte hostiæ seu panis & vini est totus Christus, ergo remanet panis, remanet vinum. Accidentia enim non habent partes. Sed quicquid de hoc fiat, nihil ad ipsum Concilium Florentinum attinet, cujus pars non minima fuerunt Græci, qui sibi nihil hujus rei præscribi passi sunt. Eugenii enim pro Armenis Instructio neque illos obligavit quicquam, neque partus fuit Concilii, sed factionis duntaxat Eugenii. quod alibi, demonstravimus fusiùs. 7. Prodis denique pudendam *ἀνιστορησίαν*, dum post Petrum de Marca Concilium Tridentinum veritatem definivisse asseris. Ignoraveras nempe, eum paucis abhinc annis Tholosæ, & post Parisiis Archiepiscopatu defunctum. Et quicquid de Irenæi, Theodoreti & Augustini sententia tu pertendas, at eorum, aliorúmque etiam consensum nobis de Marca ille cessit. qui nervus argumenti mei est. Quanquam, invito te, nostri omnino illi sunt. Irenæus enim *lib. IV. 33. 34.* disertè docet, in Eucharistia fieri Deo oblationem non *corporis & sanguinis proprii Filii sui, sed fructuum terræ.* quos eodem libro appellat *primitias munerum suorum, primitias earum, quæ sunt ejus creaturarum,* hoc est, panis & vini, quæ per consequens substantialiter remanent quod erant. Addit: *Qui est à terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cælesti.* Panis igitur est, sed non communis, ob accessorium supernaturalem usum: constatque Eucharistia re etiam terrena, quæ substantia panis & vini est. S. Theodoreti sententiam *Dissert. Tom. II. pag. 603-606.* fusiùs vindicavi. S. Augustinus *Epist. 23. ad Bonifac.* sic mentem suam explicat: *Si Sacramenta similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt.* En, propter similitudinem rerum nomina accipiunt. Applico. In Eucharistia panis & vinum Sacramentum sunt corporis & sanguinis Christi, tanquam Sacramenti rerum. Inter utraque similitudo intercedit. Proin panis & vinum nomina corporis & sanguinis Christi, Sacramentum nomen rei accipit. Omitto ejusdem loca, quibus panem *quodam modo* esse corpus Christi, idem dixit. Sed consentientia Patrum testimonia plura *ad Obj. V.* afferemus, & ab instantiis vindicabimus.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Verba Cœnæ,* Hoc enim est corpus meum, *mutationem aliquam necessariò inferunt. Illa autem vel est metaphorica, quo ad significationem, quam ante habebat: vel realis & substantialis panis in corpus. Atqui non est metaphorica, tum quia panis non est figura Christi, & verba Christi propriè accipienda sunt: tum quia panis*

panis non est figura Christi, & verba Christi propriè accipienda sunt: tum quia testamenti, pacti, legis, dogmatis rationem habent, adeóque propriam locutionem requirunt: tum quia dicta sunt Apostolis adhuc rudibus, quibus Christus omnia clarissimè exposuit: tum quia sensus improprius incertam gignit sententiam, adeò ut fidem in immota πληροφορίᾳ stabilire nequeat: tum quia in propositionibus inusitatis, qualis hæc est, disparata de disparatis, utpote non contradictoria, sed adversa, quæ proinde conjungi & uniri divina virtute possunt, sine ullo tropo prædicantur: tum denique quia ipsi adversarii certant, qua in parte orationis tropus collocari debeat. Ergo relinquitur, mutationem illam esse realem ac substantialem panis in corpus, & vini in sanguinem. Resp. 1. Verba cœnæ mutationem omnino arguunt, sed non substantialem illam, verùm accidentalem & relativam, secundùm signorum significationem, usum & effectum, uti ex 1. Cor. X. 16. 17. 25. colligitur. 2. Verba institutionis tropica esse docent tum ipsa *verba promissionis* sive seorsim sumpta, quia manifestum est *poculum* pro vino, *Novum Testamentum* sive *fœdus* pro ejus instrumento metonymicè; *sanguinem* pro cruento sacrificio, & *remissionem peccatorum* pro tota redemptione Synecdochicè; denique verba *datur, frangitur, effunditur,* pro dabitur, frangetur, effundetur per enallagen temporis accipi; sive conjunctim spectata, quia panis benedictus & fractus utique propriè non est verum & substantiale corpus Christi, nec poculum propriè vel sanguis Christi, vel Novum Testamentum, nec panis propriè prò nobis traditus, nec poculum propriè pro nobis effusum statui potest: tum *scopus Christi & circumstantia institutionis,* cùm & *scopus* Christi fuerit instituere Sacramentum, & quidem agno paschali succenturiatum, ac proinde Sacramentales ac tropicæ locutiones non alienæ hîc fuerunt; & partim *circumstantia institutionem antecedentes* arguunt, Christum corpore suo ex B. Virgine Maria formato mensæ accubuisse in prima cœna, panem & quidem ex farina pistum, vinum ex uvis expressum in mensa posita fuisse, panem post gratiarum actionem, & vinum, non corpus & sanguinem Christi manu sua accepisse, & vinum genimen vitis nuncupâsse; partim *consequentes circumstantia* indigetent, Christum cœnam instituisse in sui recordationem, annuntiationem mortis Christi esse symbolicam, utpote quæ circa symbola corporis fracti & sanguinis fusi fit, & Christum ultimo demum die in & cum corpore suo venturum esse: tum *alia Scriptura loca*, veluti 1. Cor. X. 16. XII. 13. quæ tropica esse liquet: tum *analogia omnium Sacramentorum* Vet. & Nov. Test. in quibus nomina rerum signatarum signis tropicè tribuuntur, uti demonstrant loca Genes. XVII. 10. Exod. XII. 11. Levit. IV. 31. 1. Cor. X. 1. 2. 3. Ephes. V. 16. Titum III. v. 5. tum denique *analogia plurium*

rium fidei articulorum, quos proprius ille sensus conturbaret. Neque etiam desunt ex ipsis adversariis, qui statuerint, *posse illa verba in metaphorico sensu verificari*, ut videlicet Sacramentum *corporis* non substantia, sed signum & figura esse intelligatur. Ita Cajetanus, & ante ipsum Occam, Aliacensis, Gabriel Biel, Scotus, &c. 3. Quid quòd ipsi adversarii in hoc mysterio ludunt tropis audacibus & inverecundis, quibus nulla Rhetorice nomen dedit? In verbis enim Christi, *Hoc est corpus meum*, pronomen *Hoc* iis demonstrat rem vagam & indeterminatam, nec substantiam, cùm panis substantiam designari negent, & corporis Christi *substantiam* nonnisi in ultimo instanti verborum illorum à Sacerdote prolatorum produci asserant, nec *accidentia* panis, cùm eis nec panis, nec corporis, quippe tum nondum producti subjectum substet; adeóque merum *nihil*. Proinde juxta illos verba Institutionis tale quid sonant: *Hoc* edulium, quod vobis porrigo, at non ostendo, quod nec panis, nec corpus Christi, nec accidentia panis, adeòque nihil est, *est*, id est, sub eo coninetur, vel in illud transsubstantiatur, *corpus meum*, non quale ex B. Virgine accepi, sed invisibile, impalpabile, in eucharistia productum, quamvis jam ante existens. Ita *genimen vitis* illis notat sanguinem, *hoc facere* sacrificare, *panis* id, quod ante consecrationem panis fuit, per eam corpus fit &c. 4. Testamenta, pacta, leges, dogmata impropriis quandoque verbis concepta esse, notorium est ex Genes. XVII. 10. XLIX. 33. Exod. XII. 11. Esaj. I. 16. Jerem. IV. 3. Joh. VI. &c. Sed & impropriæ locutiones, dummodo faciles, perspicuæ ac usu receptæ tum rudibus proponi, tum certum gignere sensum potuerunt. 5. Inusitatæ ejusmodi propositiones non alibi occurrunt, quàm in doctrina de persona Christi, non prædicantur sine tropo Synecdoches, quem monstrat scriptura limitatione subjecti ad propriam ejus partem Rom. I. 2. 3. &c. 6. Denique de tropo convenit inter Orthodoxos omnes. Sed de specie tropi ac sensu tropico discrepantia sententiarum potiùs Rhetorica vel Logica, quàm Theologica, veritati doctrinæ & sacramentali tropo non præjudicat.

EXCIP. REDINO: *1. S. Patres omnium ætatum, Ignatius, Justinus Martyr, Irenæus, Cyprianus, Origenes, Tertullianus, Concilium Nicænum, Athanasius &c. præsentiam corporis & carnis Christi in Eucharistia, adeóque etiam proprietatem verborum Christi agnoverunt. Neque alii quàm Simon Magus, Iconomachi, Berengarius, Wiklefus proprietatem eam negarunt. 2. In loco 1. Cor. X 16. 17. communicatio corporis & sanguinis Christi secundum proprietatem sermonis realiter ipsum corpus & sanguinem Christi importat. 3. Licet tropi illi obtineant in Eucharistia, in calice tamen verus sanguis contentus innuitur. 4. Nihil circumstantiæ illæ arguunt, quia Christus, mensæ licet accumbens, seipsum manibus suis ferebat, uti Augustinus loquitur; panis ex farina pistus consecratione mutatus est; vinum*

Digitized by Google

in cœna V. T. substantialiter, in Cœna N. T. accidentaliter fuit genimen vitis; verum Christi corpus & sanguis sub speciebus Eucharisticis incruentè immolatus, memoriale mortis ejus esse potuit; denique Christus ultimo die visibiliter rediturus, ante invisibiliter in Eucharistia exstiterat. 5. Sacramenta V. T. respectu nostrorum habuerunt rationem figuræ. Nova igitur non sunt figuræ. 6. An quia textus nonnulli Scripturæ quædam fidei dogmata impropriis locutionibus explicant, in aliis dogmatibus proprietas verborum eliminanda est? 7. Neque tropis insolentibus nos ludimus, quia juxta nos pronomen Hoc sic rem indeterminatam significat, ut indeterminatio illa se habeat non ex parte rei, sed intellectus; Hoc est corpus Christi, quale ex B Virgine accepit, & in Cœlo existit, & in Eucharistia proprietates omnes à loco independentes habet; per se & in actu primo palpabile, visibile, licet in Eucharistia per accidens & in actu secundo tale non sit. 8. Crimen falsi committis, asserendo, juxta nos corpus Christi figuratè panem appellari, eò quòd ante consecrationem panis fuit. 9. An si alibi testamenta, pacta &c. impropriis verbis concepta sunt, omnia dogmata ad sensus improprios tibi torquere licet? Ibid. pag. 323.-228. Resp. Possem cuncta hæc superiùs jam protrita sicco pede transire. Paucis tamen defungar, ne non abundè satisfecisse partibus meis videar. 1. Loca Patrum ex Seculis prioribus obducta, & à te in scripto vernaculo antehac citata etiam, ad partes in scripto itidem vernaculo sic vocavi, & vocata post etiam vindicavi, ut inde ab octo annis ne hiscere quidem ampliùs ausus fueris. Si hiscere potuisses, hoc certè loco, quo argumentum id dedita opera tractamus, hiscendum fuerat. Sed captus es, rem solve, priusquàm novum æs alienum contrahas. Hic tamen antiquus tuus mos est. Argumenta solidè discussa nuda reponere soles. quod pertinaciæ tuæ certissimum indicium est. Cum Simonis Magi & Menandri discipulis, veram carnem à verbo assumptam & in Eucharistia præsentem negantibus, non nos, qui veram Christi carnem & in Cœlo existere & in Eucharistia offerri credimus, sed vos verum Christi corpus ex Eucharistia eliminantes, & nescio quod spectrum spirituum proprietates mentiens, substituentes, paria facitis. Berengarii verò & Wiclefi nos adeò non pudet, ut eorum consensum, & à Pontificibus veritatis persecutoribus dissensum, inter trophæa nostra referamus. 2. De loco 1. Cor. X. 16. supra diximus. Tu edissere nobis, quomodo panis propriè dici possit communio corporis Christi? Sive enim substantia panis, sive accidentia ejus, sive panis supercœlestis intelligatur, nihil horum propriè esse communionem corporis Christi, nemo non sanus videt. Accedunt plura ex iisdem textibus loca, quæ supra comparavimus. 3. Quicquid sit de calice, sive in eo sanguis contineatur, sive non; saltem verba promissionis seorsim & conjunctim sumpta perplura à me allegata tropica esse, negare non potuisti. in quo solo vis respon sionis meæ consistebat. Qua verò fronte aliis leges, quasi ipsi vos non accepistis, imponitis? Et cur una figura, quam verbum Dei & omnis antiquitas comprobavit, repudiata, insolentes adeò atque incommodas perplures ipsi effinxistis? Cur, ut cœteras mittam, verbum ἐςὶ per *eris* aut *fiet*, aut si propriè ex hypothesi vestra loqui velimus, per *transsubstantiabitur* interpretamini? Hoc scilicet est literæ inhærere. *Occidit hæc litera*, uti cordatè alicubi Origenes. 4. Par circumstantiarum ratio, quas frustra infringere conaris. Nam mensæ accumbens Christus se ipsum, hoc est, symbolum, signum & Sacramentum corporis sui ferebat in manibus. Non aliam esse Augustini mentem, alibi ostendimus. Panis verus consecratione mutatus est, accessione usus & gratiæ, non substantiæ desitione. Quod Christus in Eucharistia etiam bibit, fuit *genimen vitis* quoad substantiam, quia hæc propriè gignitur; non accidentia, mutabilia inprimis. Corpus & sanguis Christi sub speciebus Eucharisticis existit nullum,

Digitized by Google

lum, nec si existeret, immolari incruentè posset; neque adeò qua tale μνημόσυνον corporis Christi cœlestis esse posset. Quomodo enim, quod numero idem esse dicitis, sui ipsius memoriale & symbolum esse potest? Corpus Christi invisibile nullum est. 5. Nec Veteris Testamenti Sacramenta Sacramentorum N. T. figuras fuisse; neque hæc aliter quàm figurando, repræsentando, obsignando operari, supra probavimus. 6. Neque de dogmatibus aliis, quæ impropriis verbis quandoque enuntiantur; sed de analogia articulorum fidei plurium, quam Transsubstantiatorum opinio evertit, argumentum meum currebat. Everti articulos plures, ostensum supra. 7. Tropos vestros ex qua Rhetorica sacra vel profana defendere possitis, indica. Ubi & per quem tropum usitatum *Hoc* significat substantiam vagam, indeterminatam; imò, uti nunc demum abs Te intelligo, nihil ex parte rei, sed tantùm intellectus? Quasi scilicet intellectus apprehendere & intelligere possit, quod à parte rei quale sit, ostendi non potest, imò nihil est. Quàm etiam ineptum illud est, quòd visibilitatem, palpabilitatem &c. corporis Christi humani à loco externo arcessis, quæ à ratione substantiæ & positionis partium extra partes in humano corpore unicè pendent: quòd corpori humano inter alia corpora sito situm negas: quòd denique in proprietatibus corporis humani, quales sunt figura, circumscriptio &c. actum primum & secundum distinguis, cùm proprietates eæ à substantia emanent, cujus est existendo causare. 8. Non ego criminis falsi, sed tu nescio cujus delirii reus es. Panem juxta vos per consecrationem fieri dixi, non corpus Christi figuratè panem appellari. 9. Simili delirio tibi mens calamúsque titubavit, ubi me sic argumentantem induxisti, quòd omnia ad sensus improprios torquere liceat, quia alicubi testamenta, pacta &c. impropriis verbis concipiuntur. Ego verò recto Marte argumentum vestrum, quo verba testamenti, pacti &c. propriis verbis exprimenda esse urgetis, impetens, nonnulla etiam impropriis concepta esse, adeóque, cœteris paribus, nihil vetare, quò minùs etiam verba Christi H. E. C. M. impropria censeantur, ostendi; aliáque diluendo argumento vestro addidi, quæ alatus prætervolas.

OBIECT. II. *Propositiones practicæ non tam supponunt, quàm efficiunt illud, quod offerunt. Veluti cùm dicitur; Fiat Lux, id quod dicitur, simul efficitur. Atqui verba Christi sunt practica. Ergo efficiunt, quod dicunt, quod sine transsubstantiatione fieri nequit.* Resp. 1. Verba practica dicuntur duobus modis, quia operantur vel significando, vel mutando ac convertendo. Christi verba sunt practica priori modo, quia verè significant quod enunciant ac prædicant: non posteriore, quia panis Christi corpus dicitur *esse* non *fieri*, neque ullum ibi imperium vel jussio Christi continetur. 2. Sunto tamen verba Christi practica etiam mutando & efficiendo, quod dicitur, praxis erit non *Chymica*, vel *Physica*, sed *moralis* ac *mystica*, quæ non ostendet, quónam transeant elementa per substantiæ mutationem; sed cui usui inserviant per Christi institutionem ac sanctionem.

EXCIP. REDING: 1. *Verba Christi practica sunt ex vi Divinæ institutionis, adeóque non merè significando, sed etiam operando.* 2. *Eadem corpus Christi sub exercita essendi actualitate pronuntiant. Ergo verborum illorum praxis physica & substantialiter conversiva est.* Ib. pag. 328. 229. Resp. 1. Verba Christi H. E. C. M. ex instituto Divino sic esse

se practica, ut quod enunciant, efficiant, qua ratione probas? Instituit Christus, ut panis esset corpus, & panem fide vivida manducantes manducarent corpus. Ut verò enuntiatis iis verbis evanesceret substantia panis, & sub ejus accidentia corpus Christi succederet, neutiquam instituit. Probanda tibi, non fingenda institutio fuerat. 2. Panem corpus Christi non fieri, sed esse, eadem pronuntiant. Sub *essendi exercita actualitate* (condonate repetenti teneræ aures) sic esse, ut sub accidentibus & sit, & fiat demum corpus Christi, more spirituum, non pronuntiant. Hoc ipsum τὸ κρινόμενον est, quod turpiter ubique petis.

OBIECT. III. *Verum & substantiale corpus est in Eucharistia. Ergo panis substantia in ejus substantiam mutata fuerit oportet.* Resp. 1. Præsentiam substantialem corporis Christi oppugnavimus quæstione prima. 2. Neque præsentia substantialis corporis Christi transsubstantiationem infert, saltem juxta illos, qui corpus Christi non tam productum, quàm unitum statuunt.

EXCIP. REDINO: 1. *Panis substantia sub accidentibus esse non potest, quia corpus Christi loco substantiæ panis illa sustentat.* 2. *Licet corpus Christi accidentibus tantùm uniretur, conversio tamen fieri posset, utpote cujus terminus formaliter communicatus esset substantia corporis Christi.* Ib. pag. 329. Resp. 1. Egregia ratio, qua falsum falsiore probas. Sic corpus Christi panis accidentia assumens & sustentans reddetur panis, hoc est, panaceum Numen. Tale enim, non aliud habetis. 2. Qualis verò conversio est, cùm corpus jam ante existens, ceu vera quidem substantia, unitur accidentibus, adeòque non aliud quàm locum mutat? Hiccine conversionis substantialis terminus ad quem, novam productionem, vel saltem inchoationem τοῦ esse postulans, esse potest?

OBIECT. IV. *Si in Eucharistia non alia intercedit mutatio, quàm juxta usum & significationem, adeòque nudè relativa & accidentalis, inanes igitur figuræ & vacua signa, ac sine nucleo cortex in ea credentibus exhibentur.* Resp. 1. Minimè verò. Elementa enim per benedictionem sanctificata non fiunt simplicia signa & inanes figuræ, nudè depingentes & repræsentantes gratiam, sed etiam eandem obsignantes, & pro natura relatorum Divinitus institutorum in legitimo usu exhibentes. Duplex enim in eucharistiæ perceptione homo est, externus & internus seu spiritualis. Uterque suum accipit, sibique cognatum. Ille signum externum, quod spiritualem & internum hominem mittit in possessionem veritatis spiritualis significatæ & obsignatæ, haud secus quàm Testamentum, diploma, gleba mittit in possessionem hæreditatis, rei donatæ, fundi: hic verò rem & veritatem spiritualem sibi quoque cognatam. 2. Adversarii in Eucharistia sua nec signa, nec veritatem habent. Nam panem & corpus Christi comicâ quadam licentiâ ex Eucharistia exterminant, nuda pro pane significante accidentia substituunt,

Digitized by Google

tuunt,& sub accidentium illorum larva non corpus Christi,sed substantiam quandam invisibilem,ἀόρατον,corpus non corpus,id est,Nihilum sub Nihilo ostentant, perinde ac si spectatoribus & communicantibus suis occinerent ludicrum illud: λαβὲ μηδὲν,καὶ κράτει καλῶς, *Accipe nihil & tene bene.*

EXCIP. REDING: *Ergóne Sacramentum hominem fidelem mittit in possessionem rei spiritualis significatæ & obsignatæ? Atqui veritas significata & obsignata est corporis Christi individua sub accidentibus existens substantia. Nam verbum* Est *obsignat existentiam corporis sub his speciebus, adeóque præsentiam realem, non figuratam & typicam, qualem vos,mysticam Hierosolymam in montem Samaritanorum Garizim transformantes,induxistis, infert.* Ib. pag. 329. 330. Resp. Mittit utique; sicut testamentum in hæreditatis, diploma in libertatis, gleba in fundi possessionem immittit. Maxima enim relatorum humanorum etiam, & multò magis Divinorum vis est. Veritatem verò spiritualem significatam & obsignatam esse corpus Christi sub accidentibus spirituali modo latens, ore corporis manducandum, ut mox in stomacho corruptis accidentibus desinat esse, suaviludium scilicet tuum ubique supponis, probas nunquam. Longè aliter Christus & S.Paulus. Ille enim non accidentia panis, sed panem à se acceptum, & benedictione non destructum,sed accessione gratiæ & usus mutatum, suum corpus *esse* dixit. Hic, verba Christi explicans, *panem,quem frangimus*, dixit *esse* non corpus sub accidentibus spirituali modo latens,sed *communionem corporis Christi*,hoc est,Sacramentum & pignus substitutum communionis corporis Christi,seu juris illius,quo fideles ejusmodi cum corpore Christi, totóque Christo communionem habent,ut totus, quoad fundum & fructum illorum sit,atque illi adeò justitiæ,mortis,meritique omnis, & tandem etiam gloriæ ejus participes reddantur. Sic ergo Ecclesia Tigurina, quam tu sugillare ubique in deliciis habes, figurativam & symbolicam quoad symbola & elementa sacrata præsentiam tuetur, ut rem significatam eidem respondentem, spiritualem veritatem nunquam sustulerit,sed ex Dei verbo fortissimè assertam,monstrosæ & inutili præsentiæ corporis Christi non corporis, quam Suitensis & Pontificius universus Clerus,quæstus sui gratia, mordicus retinet, opposuerit, & artolatriam simul, seu Divinum panacei Numinis cultum,haud dissimilem, si non pejorem illo, quem Samaritani in monte Garizim vitulos adorantes exercuerunt olim,masculè profligaverit.

OBIECT. V. *Ecclesia Christi credidit transsubstantiationem à temporibus Apostolorum usque ad tempus Innocentii III.Vnde mutationem illam vocant μεταβολὴν,μεταποίησιν,μεταστοιχείωσιν,μεταστοιχείωσιν,μεταρρύθμισιν,conversionem,transelementationem,permutationem. Allegari possent testimonia Justini,Irenei, Tertulliani, Cypriani, Cyrilli Hierosolymitani,Ambrosii,Gregorii Nysseni, Gaudentii, Chrysostomi, Augustini, Cyrilli Alexandrini,Eusebii Emisseni,Remigii,Gregorii,Bedæ, Damasceni, Theophylacti, quorum suffragia Bellarminus, aliique recitant.* Resp. 1. Vetustas sine veritate error est. 2 De sententia Patrum superiùs etiam,ex Petri de Marca,Archiepiscopi Parisiensis,testimonio egimus. 3. Lombardus 4. *Sent.dist.11.Lit.A.* ostendit,ne suo quidem tempore definitum esse,qualis sit conversio,*formalis,sub-*

stantialis, an alterius generis. Et Scotum consensum illum Patrum negantem ipse Bellarminus traducit. 4. Patrum vocabula μεταποιεῖν, μεταστοιχειοῦν, μεταῤῥυθμίζειν, μεταβάλλεσθαι, &c. novello errori non patrocinantur, cùm iis etiam utantur in ea mutatione, quæ locum habet in Sacramento Baptismi, quámque substantialem esse ipsi quoque adversarii negant. Ita nempe panis & vinum juxta Patres mutantur, & transelementantur, ut tamen juxta Ambrosium de sacram. lib. IV. 4. *sint quæ erant*; juxta Theodoretum Dial. I. II. *in priore essentia, specie & figura remaneant*; Juxta Epiphanium in Anchorato, sint ut antea inanimata *& insensibilia*; Juxta Augustinum Serm. ad recens bapt. *verus panis quod oculi renuntiant, verum in poculo vitis genimen generare aptum*; Juxta Justinum Martyrem Apolog. 2. *alimenta quibus carnes nostræ nutriantur & augeantur*; Juxta Originem In Matth. 15. *quæ secundùm id quod in eis est materiale, in secessum ejiciantur*; quæ fiant corpus & sanguis Christi juxta Facundum, *non propriè*, sed juxta Augustinum contra Adminant. cap. 12. & Epist. 23. *quodammodo*, nempe per *signum*; juxta Tertullianum adv. Marc. lib. IV. 40. *figura*; juxta Eusebium Demonstrat Ev. lib. VIII. 1. *imagine*; juxta Theodoretum *symbolicè*. Quorum omnia testimonia fusè recitant, & quæ eis opponuntur alia, solidè discutiunt Viri supra laudati doctissimi, Johannes Forbesius, & Eduardus Albertinus.

EXCIP. REDING: 1. *Lombardus loco citato nihil habet. Alibi in 4. dist. 8. agnoscit conversionem panis in corpus Christi fieri, quando verba H. E. C. M. pronuntiantur. Et Concilio Lateranensi anterior, Romani verò sub Gregorio VII. fortè immemor, asserit, nondum definitum esse, cujusmodi sit illa conversio. 2. Eodem modo Scotus negat, ante Concilium Lateranense Transsubstantiationem fuisse dogma fidei, quia nec Concilium Romanum sub Gregorio VII. nec consensum Patrum legerat. 3. Ambrosii verba in Codice antiquo sic leguntur:* ut quæ erant, in aliud convertantur, *non*, ut sint quæ erant. *Quamvis sunt quæ erant, nempe accidentia panis.* Theodoretus *ejusmodi mutationem propugnat, cujus vi verum Christi corpus probetur. Epiphanii mens, credendum esse, in Eucharistia verum Christi corpus accipi, licet non videantur nisi materialia accidentia panis. Augustinus per panem visibilem intellexit externam panis speciem. Justinus Martyr carnem & sanguinem Christi sumi à nobis ait ut cibum, ex quo carnes nostræ per mutationem aluntur; per periphrasin scilicet exprimens panem, ex quo Eucharistia conficitur. Origenis tractatus est suppositītius; & quæ ibi dicuntur, damnationem merentur, vel intelligenda sunt de accidentibus, panis & vini nomine tropicè expressis, quæ eatenus abeunt in ventrem, ut nutriant. Augustinus signum corporis Christi una cum veritate ejus intelligit, quodammodo, id est, sub speciebus non circumscriptivè, sed tamen realiter. In Tertulliani verbis est antithesis, perinde ac diceretur, implêsse figuram corporis sui, quam in pane Jeremias præsignaverat.* Ibid. pag. 330.-334. Resp. 1. Lombardum, Magistrum licet vestrum, non legisti. Sic enim *loc. cit.* disertè loquitur: *Si quæratur, qualis sit illa conversio, an formalis, an substantialis, vel alterius generis, definire non sufficio.* Non perspiciebat nempe, ad quod mutationis genus eam referret, cùm nulla similis unquam aut confecta,

Digitized by Google

ſecta, aut conficta ſit. Concilium verò Romanum ſub Gregorio habitum adverſus Berengarium fortè non ignoravit, ſed improbavit. Imò Concilii Romani ſub Nicolao II. adverſus Berengarium eundem habiti disertè meminit. Sed quia uterque tam crudè verba Berengario præiens locutus eſt, ut eum Pontificum horum puduerit, & pudere omnes hodiéque debeat, iccirco verba Berengario dictata pro definitiva ſententia non habuit. Nicolaus enim dictaverat, *panem & vinum poſt conſecrationem non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolùm in Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* 2. De Scoto ſupra egimus. Non legit ille certè conſenſum Patrum, quem nullum Tranſſubſtantiatoribus faventem reperit. Tu verò conſenſum ſcilicet reperiſti apud illos, quos nunquam legiſti, multò minùs conſentientes reperiſti. 3. Liquebit id ex iis, quæ meri fuci & fumi venditor Patribus à me citatis, non ex ipſis Patribus, ſed ex fictitio errore veſtro, Patribus prorſus incognito, imponis. Etenim Ambroſius, cujus lectionem fruſtra ſuſpectas, cùm apud Gratianum *diſt. 2. de Conſecrat. Can. Panis eſt*, non aliter legatur, ſic *de Sacram. lib. IV. 4.* disertè loquitur: *Quantò magis operatorius eſt ſermo Domini, ut ſint, quæ erant, & in aliud commutentur.* Sunt, quæ erant. Erant autem panis & vinum, non quoad accidentia duntaxat, (uti tu errorem tuum nuſpiam apud Ambroſium teſtem eidem imponis) ſed etiam quoad ſubſtantiam. Sunt igitur adhuc panis & vinum, quamvis commutata in Sacramentum corporis & ſanguinis Domini. Theodereti ſententiam alibi vindicavimus. Probavit ille ſanè veritatem corporis Chriſti ex Sacramento Euchariſtiæ contra Eutychianos, ſed ſic, ut palam *Dial. 2.* edicat. *myſtica ſymbola poſt ſanctificationem à ſua natura non excidere.* *Μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους.* *Manent enim*, inquit, *in priore ſubſtantia, & figura & forma, & viſibilia & palpabilia, qualia ante erant.* Quin & ante *Dial. I.* dixerat: *Qui quod natura corpus eſt, frumentum & panem appellavit, is viſibilia ſymbola corporis & ſanguinis ſui appellatione honoravit, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικὼς, non naturam mutans, ſed gratiam naturæ adjiciens.* Vos dicitis, *naturam, ſubſtantiam panis mutavit, convertit, abolevit.* Theodoretus: *Non mutavit naturam, ſed naturæ adjecit gratiam.* Si *naturam* dixit accidentia ſenſibilia, ubi igitur pereuntis naturæ inſenſibilis, hoc eſt, ſubſtantiæ meminit? Imò ſi *accidentia ſenſibilia* nomine naturæ intellexit, Eutychi non parum velificatus eſt. Ille enim corpus Chriſti jam ſublatum in Cœlum nihil habere priſtinæ ſubſtantiæ, ſed tantùm ejus qualitates & accidentia quædam retinere, ſubſtantia corporis in Divinitatem converſa, pertendit. Si ergo accidentia panis Euchariſtiæ manſiſſe, ſubſtantia in corpus Chriſti converſa, credidiſſet, annon ſic Eutychiano errori vela manifeſtè dediſſet? Epiphanius in Anchorato disertè dicit, Chriſtum affirmaſſe corpus ſuum de eo, *quod eſt περιφερειδὲς καὶ ἀναίσθητον ὡς πρὸς τὴν δύναμιν rotundum, quoad formam & quod ad facultatem attinet, ſenſus expers.* Quid autem illud eſt, quod rotundum eſt quo ad fotmam, quoad facultatem ſenſus expers, niſi panis? Fruſtra cum Bellarmino pertendis, dici hæc ratione ſpeciei, ſeu accidentium externorum panis. Si enim rotundum & inſenſibile illud non eſt panis, ſed aliquid panis ſpeciem præ ſe ferens, hoc eſt, rotunditas ſeu accidentia panis, cùm Epiphanius affirmet, Dominum de illa corpus ſuum enuntiaſſe, ſenſus juxta eum erit: *Hæc rotunditas*, ſeu *hæc figura eſt corpus meum.* quo nihil ineptius dici poterat. An enim rotunditas panis propriè & ſubſtantialiter eſt corpus Domini? Imò intellexit ille ſubjectum rotunditate affectum, illud ipſum, quod Chriſtus accepit. Auguſtini *Serm. ad recens baptizatos*

apud

apud Fulgentium *de Baptis. Æthiop. cap. ult.* & Bedam *in* 1.*Cor.*10. nec non Bertramum *de Corp. & Sang. Dom.* verba sic habent: *Quod videtis, panis est & calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix est sanguis Christi.* Non tantùm igitur docet, in altari, seu mensa Domini esse panem & calicem; sed addit etiam, oculos quoque id renuntiare, sensuum testimonium in ea discretione apertissimè commendans. Neque per *panem*, seu id, *quod oculi renuntiant*, externam panis speciem à substantia separatam intellexit. Intelligit enim, in Eucharistia esse panem perinde ac calicem; siquidem de utraque similiter ait, *Quod videtis, panis est & calix.* Sicut autem non credidit, in altari esse solam exteriorem apparentiam calicis, sed verum calicem: sic non credidit, panem esse tantùm quoad apparentiam, seu speciem exteriorem; sed sensus ejus est, panem esse verum ac substantialem. Addit, ibi esse, *quod oculi renuntiant.* Atqui oculi renuntiant, verum esse substantia panem & calicem. Per accidentia enim subjectam illis substantiam vident, nec aliter vident. Imò exsertè dicit: *Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi.* Ad quæ verba tibi congelavit sanguis, quia nihil adversus ea dicere habuisti, gnarus, propositionem esse eam ipsam, quam vos pridem damnastis. Si per panem accidentia panis intellexit, uti nonnulli vestrûm regerunt, an ergo accidentia panis propriè sunt corpus Christi? Justinus Martyr prope finem *secundæ apologiæ*: οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα, *Non ut communem panem, neque communem potum isthæc sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus est Jesus Christus Servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit; sic* τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, *eam, in qua per precationem verbi ab eo profecti gratiæ actæ sunt, alimoniam, unde sanguis & carnes nostræ per mutationem nutriuntur, incarnati illius Jesu carnem esse & sanguinem, edocti sumus.* Et paulò superiùs: *Distribuunt unicuique præsentiam* μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, *ut participent eum, in quo actæ sunt gratiæ, panem & vinum & aquam.* Post consecrationem vocat panem, vinum, aquam. Illa mutari ait in carnem & sanguinem Christi per modum alimoniæ: atque ita hac alimonia nutriri nostras carnes, nostrúmque sanguinem. Et tamen hoc ipsum alimentum edocti sumus esse corpus & sanguinem Christi. Audacter igitur nimis ex Bellarmino tuo asseris, verba isthæc, *ex quo carnes nostræ per mutationem aluntur*, esse periphrasin panis, ex qua conficitur Eucharistia, ut sensus sit: *Cibus ille, ex quo carnes nostræ ali solent, cùm prece mystica consecratur, efficitur corpus Christi.* Sic in aperta luce oculos clauditis. Certè Justinus, postquam dixisset, distribui singulis participanda ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος *consecratum panem, vinum & aquam*, ait, hoc alimentum appellari Eucharistiam, quod nemini nisi credenti participare liceat. *Non enim*, inquit, *ut communem panem, neque communem potum ista sumimus, sed quemadmodum &c.* Hoc est alimentum, quod intelligit Justinus, nempe panis & vinum εὐχαριστηθὲν. cujus participationem non cuivis concedi ait, propterea quòd hoc consecratum alimentum, ex quo carnes & sanguis noster aluntur, sint caro & sanguis Christi. Ubi apertissimè profitetur, alimento hoc consecrato ali sanguinem & carnes nostras. Neque adeò dicit, cibum illum, ex quo carnes nostræ aluntur, per consecrationem fieri corpus Christi; sed consecratum illud alimentum, ex quo carnes nostræ aluntur, dicit *εἶναι esse* carnem & sanguinem Christi. Origenis locum ex Commentario in Matth. 15. suppositititium esse primus, nisi fallor, Sixtus Senensis, *Biblioth. lib. VI. annot.* 66. suspicatus est.

sed

sed non alio certè argumento, quàm quia nimiùm Transsubstantiatoribus adversatur, adeóque ob solum causæ præjudicium. Dicit enim, *panem sanctificatum verbo Dei & oratione retinere suum esse materiale.* perinde ac si dixisset, à priore sua substantia non discedere. Addit, *panem* eundem *ad modum aliorum ciborum secundum esse illud materiale in ventrem, ac inde in secessum discedere.* quod de proprio Christi corpore asserere falsissimum, & blasphemum foret. Denique panem consecratum *corpus typicum & symbolicum* vocat, atque illud à vero & naturali corpore Christi disparat. Hæc tu vel damnanda censes, pro tuo erga Patres, quos ubique jactas, supercilio; vel de accidentibus nutrientibus etiam corpora nostra explicanda dictitas. quamvis nec Origenes, nec veterum quisquam accidentia à substantia separata agnoverit; & *materiale* ipsemet explicet tum *materiam panis*, qua nemo sanus accidentia sola indigetavit unquam; tum id, *super quod dictus est sermo*, hoc est, consecrationis oratio, quæ certè non super sola accidentia panis visibilia, sed super totum panis, substantiam accidentibus vestitam pronuntiatur. Augustinus *lib. contra Adimantum cap.* 12. clarissimè: *Non enim Dominus dubitavit dicere, Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.* An signum corporis Christi est ipsum corpus Christi, ipsa veritas, uti tu nugaris? An fortè intellexit species consecratas? Sic Bellarminus, aliique Sophistæ. quasi accidentia panis sint corpus Christi; vel uspiam Augustinus species externas substantia cassas agnoverit. Idem *Epist.* 23. *Ex hac*, inquit, *similitudine Sacramenta plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est: Sacramentum Sanguinis Sanguis Christi est: ita &c.* Ergo Sacramentum corporis Christi *secundum quendam modum corpus Christi est.* Tu audacter occurris, *secundum quendam modum*, hoc est, *inextensè, non circumscriptivè sub speciebus.* Tua somnia Sanctissimis Patribus imponis. Proba, illos agnovisse in eodem corpore Christi diversos, imò contrarios ejusmodi modos, quales vos palliando errori finxistis. Tertullianus denique *adv. Marc. lib. IV.* 40. disertissimè: *Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei.* Fatetur Gardinerus Wintoniensis, nostrum esse Tertullianum. Sed tu ubique præfractus, maluisti verba Tertulliani corrumpere, dicendo, antithesin in iis esse inter corpus Christi, & figuram ejus à Jeremia præsignificatam. quasi sensus sit: *Panis, qui sub lege fuit figura corporis mei, in Evangelio est corpus meum.* Atqui falsissimum est, ea verba, *id est figura corporis mei*, de figura legali, apud Jeremiam, non præsenti intelligenda esse. Manifestè enim sunt exegetica verborum proximè præcedentium, *corpus meum.* Ad quid enim referri potest pronomen *Hoc*, nisi ad panem acceptum? Supponit enim antecedens quoddam, ad quod referatur. At mentio panis legalis apud Jeremiam, ne tenuissima quidem, in toto huc usque libro à Tertulliano facta fuerat: panem verò acceptum ac Apostolis distributum totidem verbis nominaverat. Hunc igitur per pronomen *Hoc* intelligit, adeóque figuram corporis de pane Eucharistico dixit. Hebes igitur & imbelle est, quicquid ad obscuranda clarissima Patrum dicta, causæ vestræ desperatæ jugulum penitus ferientia, in medium protulisti; & vel pauca hæc antiquæ & purioris Ecclesiæ intimum de Eucharistia sensum ἀρδήλως ἐ ἀμφιλόγως planissimè plenissiméque pandunt.

QUÆSTIO IV.

An peracta consecratione, ante & post usum Eucharistiæ, in hostiis & particulis consecratis durabili conjunctione permaneat verum corpus Domini, ita ut licitè reponi, includi, asservari, & ad alios usus accommodari possit?

AFfirmat Synodus Cap.VI.& Can.IV.& VII. Nos ne in ipso quidem Eucharistiæ usu adesse substantiale Christi corpus, supra probavimus. Extra verò usum, sive ante, sive post eum symbola consecrata veram rationem Sacramenti habere, adeóque licitè reponi, asservari, aliósque ad usus accommodari negamus. Etenim

ARG. I. Christus in cœnæ institutione panem acceptum, benedictum & fractum statim discipulis manducandum præbuit, non vel reposuit, vel reponendum asservandùmque tradidit. Quódque ipse fecit, hoc Apostolos, adeòque etiam Ecclesiam *facere* jussit. Proinde *tum magisterio, tum exemplo*, ut Cypriani verbis utar, asservationi & inclusioni huic obviam ivit. Neque aliud *fecisse* uspiam Apostoli memorantur. Atque hoc argumento, quòd videlicet Christus non quemlibet panem vocaverit corpus suum, sed eum demum, quem accepit, & benedictum fregit ac distribuit, militavit etiam Humbertus Episcopus Sylvæ Candidæ.

RESP. REDING: 1. *Quod Christus fecit, panem acceptum benedicendo, & consecrando, fractùmque manducandum præbendo, id Apostolos etiam, adeòque Ecclesiam facere jussit. Quicquid autem fecit & facere jussit, illud reducitur in veritatem verborum, Hoc est corpus meum; ex quibus sequitur, substantiam & essentiam hujus Sacramenti primò subsistere sub significatu istorum verborum. At hæc significant Sacramentum antecedenter & independenter ab usu, adeóq; permanenter subsistens. 2. Neque quia Christus postquam panem accepisset, eique benedixisset, Hoc dixit corpus suum, quod distribuit, inde sequitur, omnes actiones illas esse de substantia Sacramenti. Essentia enim consistit in assertione ea, qua Hoc dixit esse corpus suum. Reliqua merè accidentaria sunt. 3. Humbertus non reprehendit Sacramenti asservationem, sed quòd Græci sacrificium Missæ ex præsanctificatis celebrarent. cùm tamen sacrificium absque panis Eucharistici consecratione & sumptione fieri nequeat.* Tomo II. Tract. VI. Ss.5. pag. 334-336. Resp. 1. Falsissimè asseris, omne id, quod Christus fecit, in veritatem verborum H. E. C. M. reduci. Præcedebat enim veritatem verborum eorum panis

Digitized by Google

nis tum acceptio, tum benedictio, causa veritatis eorum verborum; tum distributio, tum mandatum manducandi, cui demum connexa fuerunt verba H. E. C. M. partim enuntiantia, partim promittentia per Sacramentum panis communionem cum corpore Christi; cum quo mandato immediatè cohærebat manducatio panis, & vini bibitio. Facientes ergo, quod Christus fecit, manducare utique & bibere tenentur. Neque sine eo Sacramenti perfectio constat. Est enim Sacramentum cibus. Cibi autem, quâ cibi, relatio ad manducationem simpliciter necessaria est. 2. Falsò igitur etiam essentiam Sacramenti in veritate verborum illorum H. E. C. M. collocas; quæ in eo potiùs consistit, quòd signa legitimè utentibus communionem cum corpore Christi significant, obsignant & exhibent. quod omnium V. & N. T. Sacramentorum comparatio manifestè comprobat. Cúmq; finis Sacramenti proprius sit ejusdem fruitio & participatio, sicut cibi cujuslibet proprius finis est ejusdem fruitio & participatio; clarum utique est, semoto eo fine essentiam Sacramenti neutiquam constare. 3. Argumentum illud, quo Humbertus de Sylva Candida Græcos ex præsanctificatis Eucharistiam celebrantes refellit, illud ipsum est, quo asservatio vestra infringitur. Si enim propterea, quia Christus panem vescendum dedit, non licet ex præsanctificatis Eucharistiam celebrari, multò minùs præsanctificata asservare, & ad manducationem non referre licet.

ARG. II. Tum consecrata symbola habent rationem veri Sacramenti, cùm omnes Divinæ institutionis partes implentur. Tum autem demum implentur, cùm benedicuntur, franguntur, offeruntur, accipiuntur, & in commemorationem Christi manducantur. Matth. XXVI. 26. 27. 28. Atqui ante & post usum hæ divinæ institutionis partes non servantur.

RESP. REDING: *Sic ergo vi benedictionis, ante ultimum manducationis instans, non erit Sacramentum, neque adeò vi verborum H. E. C. M. aderit corpus Christi, vel eorum verborum subsistet veritas.* Ib. pag. 336. Resp. Vi benedictionis panis omnino fit corpus, seu communionis cum corpore Christi sigillum; sic tamen, ut benedictio illa necessariam habeat relationem ad usum; absque qua non benedictio, sed profanatio potiùs verbi erit. Sicut qui verbo & precibus benedicit cibo sine relatione ad ejus manducationem, ita ut digrediens cibos in mensa relinquat, non benedicere ille, sed verbum Dei & preces profanare censetur. Cùm igitur Sacramenti essentia non in materia duntaxat externa & interna, sed in forma etiam, seu analogia signi & rei significatæ, & fine, ad quem refertur, consistat, Sacramentum consecratione symbolorum, sine eorundem usu, non perfici, patet. Ludis insuper in voce Sacramenti, quæ vel strictè signum sacrum, quatenus relationem habet ad corpus Christi, correlatum suum, à quo essentialiter distinguitur; vel latiùs celebrationem Sacramenti significat. Ad illud benedictio sufficit; ad hoc non item.

ARG. III. Par est ratio Eucharistiæ & Baptismi. Sicut igitur aqua ante & post usum non habet rationem Sacramenti: ita nec consecrata Symbola in Eucharistia. Quin Adversarii ex unico illo verbo, *Baptizate eos*, actionem denotante colligunt, baptismum extra usum & actionem ipsam veri Sacramenti rationem non habere. Quantò magis & fortiùs in eucharistia tot verba actionem significantia id evincunt? Synodus

quidem cap. III. & Can. IV. excipit, disparem esse eucharistiæ & reliquorum Sacramentorum rationem, quòd illa ante & post usum, hæc in usu duntaxat veri Sacramenti rationem habeant. Sed instantiam dare in sola re controversa, concessis reliquis omnibus inductionis partibus, quid aliud est quàm negare conclusionem?

RESP. REDINGO: 1. *Verba, baptizate eos, apertè denotant, aquæ ad esse Sacramenti elevationem non subsistere nisi sub actu transeunte baptizationis. Contra verba institutionis Eucharistiæ significant permanentem corporis Christi sub speciebus existentiam. Sacramentorum autem natura ex verbis institutionis dijudicanda est. 2. Si nomen usus, uti rectè Pallavicinus Suavi opposuit, comprehendit omnes actiones, quæ ad usum diriguntur, ita ut dum Eucharistia porrigitur, & antequam suscipiatur, jam adsit sub speciebus corpus Christi; contingere potest, ut is, cui porrigitur, eam non suscipiat, adeóque verum sit, ibi corpus Christi extra usum fuisse. Tum ignotum nobis est, à quánam actione hic usus omnino inchoetur, & quando status hujus usus esse desinat; adeóque ignotum foret, quando adorandum sit corpus Christi; & quando ab ea adoratione abstinendum.* Ib. pag. 336. 337. Resp. 1. An, Redingi, in Eucharistia nullam omnino actionem agnoscis? Cur ergo facere jubemur, quod Christus fecit? An facere non est agere? Si igitur ex uno mandato agendi, hoc est, baptizandi sequitur, baptismum extra actionem seu usum nullum esse, cur ex mandato non unum quidpiam, sed plura in Eucharistia faciendi consequens non est, Eucharistiæ quoque Sacramentum extra usum nullum esse? Hoc certè tibi expediendum fuerat. Nam præter actiones transeuntes sicut in Eucharistia, ita etiam in Baptismo permanens quidpiam est, sive signa, sive res significatas utrobique spectaveris. Si *signa*, in Baptismo elementum aquæ, in Eucharistia substantia panis & vini permanens quidpiam sunt. Si *res significatas*, in Baptismo regenerationis semen spirituale & remissio peccatorum: in Eucharistia communio & conjunctio durabilis cum corpore Christi permanent. Imaginaria igitur & chimærica omnis illa distinctio est. 2. Neque Pallavicini tui ratiocinatio momentum ullum habet, tum quia omnes actiones Eucharisticæ usus nomine venire neutiquam possunt, quia pleræque ad usum diriguntur: tum quia panis est corpus Christi non cuivis, sed communionem cum eo habenti per fidem, adeóque manducanti; neque adeò extra relationem ad illum usum aliud quàm nudus panis est: tum quia initium est à manducatione tum Sacramentali tum spirituali: tum denique quia corporis Christi, ceu in Eucharistia præsentis, adoratio nulla licita est, adeóque ejusdem initium vel finem cognoscere nihil omnino refert.

ARG. IV. Eucharistia successit Paschati, ut typus similis. Sicut igitur in Paschate & reliquis V. T. sacrificiis non licebat carnes seponere & asservare, Exod. XII. 10. Levit. VII. 15. 16. 17. ita succenturiati Sacramenti analogia postulat, ut non accedente novo præcepto, in eo idem obtineat.

RESP. REDINGO: 1. *Atqui etiam panes propositionis erant typus panis Eucharistiæ, qui asservabantur tamen. Et nonne in sacrificiis etiam nonnullis pars reservata fuit in usum Sacerdotum? 2. De quidditate Sacramenti non est, ut actu causet, sed ut habeat virtutem significativam, & in actu primo gratiæ causativam.* Ib. pag. 337. Resp. 1. Vel panes propo-

Digitized by Google

propositionis, vel sacrificia panis Eucharistiæ typos ex instituto Spiritus S. fuisse, proba. Et tamen utraque referebantur ad usum; illi Sacerdotum, hæc quoque Sacerdotum & victimas afferentium; & quæque suo tempore. Neque sacra illa fuerunt nisi per relationem ad usum. 2. Cùm Sacramenta sint instrumenta gratiæ, instrumenti verò ratio in usu consistat, non sic in actu primo causativa sunt, significando scilicet & obsignando, ut in secundo actu non causent. Causalitas enim earum in significando & repræsentando omnis est; quæ sine operatione seu actu secundo nulla prorsus est. Neque tamen extra manducationis seu usus relationem plenam significandi vim Sacramenta obtinent.

ARG. V. Paulus 1. Cor. X. 16. ait, panem, non quemlibet, sed *quem frangimus*, esse communionem corporis Christi. Proinde panis est Sacramentum, non ratione vel substantiæ, vel solius benedictionis, sed ratione etiam *fractionis*, distributionis à Christo institutæ.

Resp. Reding: *An, si intra distributionem & manducationem morula interjiciatur, interea desinet esse Sacramentum? Imò verò Apostolus dicens, panem quem frangimus, esse communionem corporis Christi, frangendum esse Sacramentum innuit. Manducatio igitur formaliter non est de ratione Sacramenti.* Ib. pag. 337. 338. Resp. In eundem lapidem semper impingis. Quæstio enim non est, an benedictus panis jam sit Sacramentum; sed an panis benedictus juxta institutionem Christi manducari non debeat, adeóque licitè asservetur? Has lineas ubique declinas, & extra chorum saltas. Quanquam nulla etiam argumenti tui sequela est. Licet enim res transiens moram pati, adeóque perseverare possit, dum est in fieri, tamen cùm desinit fieri, & perfecta est, non potest diutiùs perseverare. Sic celebratione, fractione, distributione durante, quies aut interstitium hujus aut illius actus, moralem actionis totius perfectionem non interrumpit. Sed tota celebratione peracta, quod in dies, menses, annos in pixide servatur, nulla pars est illius actionis, & proinde Sacramentum non est. Ipse Bellarminus *de Euchar. lib. IV. 3.* fatetur, Baptismum non esse rem permanentem; & tamen inter initium & finem Baptismi mora interjici potest, perseverante Baptismo. An igitur etiam perseveraret, si in mensem aut annum pars aut verborum, aut ablutionis differretur? Denique quomodo quæso panis fractus extra usum *κοινωνία τοῦ σώματος communio corporis Christi* esse potest? Annon quod *communio* est, jam acceptum habetur? An panis ante manducationem habet communionem ullam cum corpore humano, in cujus substantiam transit?

ARG. VI. Asservatio etiam hæc multis conflictatur incommodis, veluti quòd asservatur non alium in finem, quàm ut panis in processione circumgestetur, & adoretur, cùm ejus consecratio juxta primævam institutionem tantùm ob manducationem fieri debeat: quòd solo pane, non vino asservato occasio datur divisioni unius ejusdémque mysterii, quàm Gelasius Papa C. *Comperimus dist. 2. de consecrat.* vocat *sacrilegam*: quòd regula ex verbis institutionis extracta, quæ *nihil habere rationem Sacramenti extra usum à Christo institutum* affirmat, enervatur: denique quòd irreverentiæ

 Sacra-

Digitized by Google

Sacramenti anſa præbeatur, quando panem conſecratum à muribus comedi, corrodi, mucidum fieri, corrumpi, apparet.

RESP. REDING: 1. *Chriſtus quod facere juſſit, illud facere juſſit ad ſui commemorationem. quæ fit tum manducatione, tum conſecratione in uſum ſacrificii, tum accidentariè etiam aſſervatione adorationis & circumgeſtationis gratia.* 2. *Gelaſius hoc unum improbaverat, quòd Sacerdotes quidam conſecratis tum panis, tum vini ſpeciebus, ſolum corporis Chriſti Sacramentum perciperent, omiſſo Sacramento ſanguinis. Hac ſola ratione myſterium dividi, dixit.* 3. *Sicut Sacramenti inſtitutio per accidens occaſio eſt, ut nonnulli indignè manducantes ſibi ipſis judicium manducent: ita eadem anſam illam, quam fingis, irreverentiæ merè per accidens inducis.* Ib. pag. 339. Reſp. 1. Quod facere juſſit Chriſtus ad ſui commemorationem, id ipſe fecit. Atqui ſymbola neque ad ſacrificium conſecravit, neque aſſervavit in pixide. Rectè igitur aſſervari *per accidens* dicis; puta, non ex inſtitutione, ſed accedente peregrino fine ſymbolis abutendi ad idololatriam. 2. Gelaſii verba cum Gloſſatore *diſt. 2. de conſecrat. Can. Comperimus* contra mentem ipſius Gelaſii ad ſolum Sacerdotem conficientem reſtringis, quæ æqualiter & evidenter quoslibet ſpectant. Quod cùm viderent alii emunctiorum narium, verba Gelaſii iis opponi, qui ex errore Manichæorum à calice abſtinebant, ajunt, adeóque produnt, ſe ſacrilegii ſui Patriarchas habere Manichæos, & utroſque diverſis itineribus in eandem ſacrilegæ audaciæ voraginem convenire. Univerſalem autem eſſe Gelaſii ſententiam, quòd videlicet omnes ii, qui utroque ſymbolo non participant, myſterium unitatis ſolvant, etiam Micrologus *lib. de Eccleſ. obſervat. cap. 19.* docet. 3. Euchariſtiæ aſſervationem ubi Divinitus inſtitutam monſtraveris, nihil morabimur ea, quæ per accidens, ſeu aliena vi eveniunt. Quanquam hoſtiam corrumpi non per accidens, ſed per ſe, ordinante Deo, ut quæ oriuntur, occidant, manifeſtum eſt.

ARG. VII. Fines aſſervatæ hoſtiæ præcipui ſunt ejus adoratio etiam extra Synaxeos tempus, uſus & cultus in ordinatione, chriſmatis confectione, in baptiſmo, in pœnitentiæ ſacramento, in rebus difficilibus, Templi ex ea ſanctificatio, pompa, cùm ad infirmos evehitur, feſtum ejus, circumgeſtatio eo die aliiſque, uſus ejus ad cuſtodiam præſidiùmque Papæ. Qui fines impii de ipſa quoque aſſervatione quid judicandum ſit, produnt.

RESP. REDING: 1. *Impium te prodis, eos fines, qui in Eccleſia Romana in uſu ſunt, impios vocitans.* Ib. pag. 338. Reſp. Scilicet Romani Pontificis ſputa non lingere, impietatis omnis apex eſt. cujus piiſſimi quique rei maximè ſunt. Sed de finibus illis ſeorſim.

ARG. VIII. Aſſervatio hæc hoſtiæ nec Apoſtolica traditione, nec vetuſtiſſima univerſalis eccleſiæ more recepta eſt, quicquid de ea Synodus jactet. Patet ex Clementis Romani, Hieronymi, Heſychii Hieroſolymitani, qui crematas eſſe ſuo tempore reliquias ſcribunt, teſtimoniis; nec non ex praxi Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ apud Nicephorum lib. XVII. 25. Paſchaſii exemplum allegavit Gabriel Biel, cui ipſi quoque

hæc

Digitized by Google

hæc aſſervatio diſplicuit. Cúmque Græcis in uſu eſſet Liturgia *προηγιασμένων præſanctificatorum*, acerrimè ſe ei oppoſuit Humbertus Epiſcopus Sylvæ Candidæ, contra libellum Nicetæ Monachi, fruſtra etiam eam ob cauſam à Leone Allatio, ob rationes contra ipſam Eccleſiam Romanam militantes, & aſſervationem privatam excludentes, ſugillatus. Cl. Dallæus eruditiſſimo *de cultibus Relig.* opere, lib. VI. fusè errori Pontificio *vetuſtatis* à Synodo jactatæ larvam detrahit. Et capite quidem 10. docet, ſex primis à Chriſto ſæculis nullas omnino reſervatas eſſe Euchariſtiæ particulas. Cap. 13. oſtendit poſt Seculum VI Græcos quidem particulas reſervâſſe ad Sacra ex præſanctificatis: at apud Latinos claram & diſertam mentionem reſervationis non occurrere ante Burchardum hominem XI. Seculi in tribus ab eo relatis Canonibus.

RESP. REDING: 1. *Univerſalem cremandi reliquias morem infringunt teſtimonia Clementis, Tertulliani, Juſtini Martyris, Baſilii, Auguſtini &c.* 2. *Heſychius id unum teſtatur, ſpecies comburi debuiſſe, ubi vel ob temporis diuturnitatem, vel ob aliam cauſam per manducationem conſumi non potuerunt.* 3. *Nicephorus ſcribit, in Eccleſia Græca morem fuiſſe, ut à pueris innocentibus reliquiæ conſumerentur; non quotidie, ſed feria quarta vel ſexta, quando Sacramentum in pixide renovabatur.* 4. *Bielem à veſtris partibus neutiquam ſtare, Bellarminus probat.* 5. *Quæ de Burchardo refers, falſa ſunt. Anno quidem 1118. ſub nomine Clementis III. circumferebatur Canon, quo ſancitum eſt, ne reſiduæ hoſtiæ in craſtinum reſerventur, ſed Cleri diligentia cum timore & tremore conſumantur. Sed Canon is non Clementis III. Sed I eſt, cui additur, ut conſumentes reſidua in Sacrario relicta non ſtatim ad accipiendos communes cibos conveniant. En igitur reſidua in Sacrario reſervata! Quomodo ergo vos reſervationis originem ad Innocentii III. tempora refertis, criminantes etiam, eum primum ciboria erigi juſſiſſe, cum inſcriptione*, Hic Deum adora; *imò etiam tum impleta eſſe verba Chriſti: Si dixerint vobis, Ecce in penetralibus Chriſtus, nolite credere.* Ib. pag. 339.-341. Reſp. 1. De teſtimoniis Clementis, Juſtini &c. in objectionum ſolutione agimus. 2. Heſychii non Salonitani, ſed Hieroſolymitani, qui Seculo ſexto vixit, locus *in Levit. cap. 8.* ſic habet: *Hoc, quod reliquum eſt de carnibus & panibus, in igne incendi præcepit. Quod nunc videmus etiam ſenſibiliter in Eccleſia fieri, ignique tradi, QUÆCUNQUE remanere contigerit inconſumpta.* Tu ex Bellarmino id juxta Heſychium comburi debuiſſe aſſeris, *quod vel ob temporis diuturnitatem, vel alia de cauſa per manducationem conſumi nequit.* Sed ubi hæc Hæſychius refert? Imò aliter planè res habet. Hæc enim ſtatim ille ſubjicit: *Non omnino ea, quæ una die, vel duobus, vel multis ſervata ſunt (ſicut enim apparet, non hoc legislator præcepit) ſed quod reliquum eſt, incendi jubet. Dies autem non commemoravit, ut quæcunque cujuscunque rei cauſa emergente, remanſerint inconſumpta, ſive tempus in cauſa ſit, ſive quid aliud fuerit, ignis opus & conſumptio fiat.* Nihil ibi de conceſſa per unum aut plures dies aſſervatione; nihil de exceptione, quæ obtenditur, non alia ſcilicet comburi debere, quàm quæ vel per temporis diuturnitatem, vel alia de cauſa manducari non potuerint. quæ Bellarmini & Redingii ſuavia ſomnia ſunt. 3. Similis eſt verborum Nicephori detorſio. Scripſerat multò ante Evagrius *lib. IV. 35.* morem veterem obtine-

re

Digitized by Google

re Constantinopoli, ut si quando multæ particulæ puri & immaculati corporis Christi Dei nostri superessent, παῖδες ἄφθοροι *pueri impuberes*, accersiti easdem manducarent. Nicephorus Callisti hunc morem *Histor. lib. XVII.25.* ad sua usque tempora, (vixit autem ille in fœce Seculorum circa Annum D. 1300.) Constantinopoli mansisse. Tu iterum somnia Bellarmini scriptoribus istis affingis. Neuter enim vel quartæ, vel sextæ feriæ meminit ullo apice; multò minùs pixidis, cujus ad Evagrii usque tempora mentio nulla occurrit. Non in omni quidem synaxi accersiti sunt pueri, quia tametsi synaxes nondum ad eam communicantium paucitatem essent redactæ, quam hodie apud Pontificios videmus, jam tamen passim imminuta erat earum frequentia, ut ex astantium numero conjectu facile esset, quot futuri communicantes sint. Credibile quoque est, eo Seculo habitas esse sæpe Synaxes, in quibus soli Clerici communicabant, quorum cùm notus esset numerus, non raró accidebat, ut non plures fierent particulæ, quàm quot essent communicantium capita. Quod si quando aliter contingeret, neque tamen communicantium numerus multò esset, quàm particularum minor, facile erat ex ipsis Sacerdotibus, vel certè Clericis inferiorem ordinem assumere, qui reliqua sacri panis fragmenta consumerent. Si quando autem multæ Sacramenti particulæ peracto sacro superesse deprehendebantur, tum verò pueri, qui eas consumerent, accersebantur; non feria vel quarta, vel sexta præcisè, sed ὅταν πολύ τι χρῆμα τῶν ἁγίων μερίδων *quum magna quædam sacrarum particularum copia remaneret.* uti Evagrius loquitur. 4. Gabrielis Bielis verba clariora sunt, quàm ut à Bellarmino obscurari potuerint. Sic enim ille *in Can. lect. 36.* scribit: *Remissio peccatorum plus fit per usum hujus Sacramenti, quàm per ipsum in se. Non enim tantum prodest in pixide conservatum, sicut oblatum & sumptum in vera fide & devotione.* Causam deinde subdit, *quia manducatio & potus hujus Sacramenti est usus. Hinc*, inquit, *& volens discipulos suos Christus fructus hujus Sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione. Neque dedit discipulis, ut ipsum honorificè conservarent, sed dedit in sui usum, dicens: Accipite & manducate.* Et paulò post: *Ex his satis patet, quòd consecratio ad usum, qui est ejus manducatio, tanquam ad finem quodammodo proximum ordinetur, quia Christus postquam accepit panem, benedixit, dedit discipulis suis, ut manducaretur.* Et *lect. 38. Ipsa enim consecratio non est simpliciter finis consecrantis, sed potiùs usus fidelium. Ad hoc enim consecratur corpus & sanguis, ut fideles eo utantur manducando, & manducantes capiti & membris fortiùs uniantur.* Hæc ille; commodè satis pleraque, & ex sensu nostro. Ut occasionem bacchandi in Chemnitium, consensum Bielis laudantem, neutiquam Bellarminus habuerit. Utilissima enim sunt adversariorum testimonia, quæ palam est non amorem aut studium in nos, sed veritatis vim iis extorsisse. 5. Pixidis usum nemo ante Burchardum, hominem Seculi XI. memoravit. Neqe ipse Bellarminus authorem instituti hujus antiquiorem laudare potuit. Tres de reservandis in pixide hostiis canones apud ipsum *lib. V. 9. 10. 12.* reperire est. Quo verò authore conditi canones illi sint, haud constat. Nam in Conciliis Turonensi quarto, Wormatiensi & Aurelianensi ab ipso allegatis nihil occurrit, quod eò referri possit. Constat autem, Scriptores ejusmodi haud raró canonum titulos veteres recentioribus, & recentiores veteribus commutasse. Frustra denique tu ad Clementis ad Jacobum Epistolam secundam liquidò supposititiam, & jam ante annos octingentos, Paschasio Ratberto, teste apud Pontificios gravissimo, *de corp. & Sang. Dom. cap. 20.* ad libros apocryphos relegatam, provocas. Nam posteriorem esse ipsomet Gregorio M. vel inde liquet, quòd aliquot ejus sententias

tias

Digitized by Google

tias usurpavit, uti quidem Blondellus *de Epist. Papar. fict. pag.69.* ostendit. Et tamen quid disertius est verbis ejus, quæ *Epist. 2.* sic sonant: *Certè tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quòd si remanserint, in crastinum* NON RESERVENTUR; *sed cum timore & tremore Clericorum diligentia consumantur.* Quòd verò idem Pseudo Clemens *Ecclesiæ Ministros reliquias fragmentorum corporis Domini custodire jubet, ne qua putredo in Sacrario inveniatur, nec, cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis injuria inferatur,* ne sic quidem causæ vestræ patrocinatur. Neque enim *Sacrarium* hoc fuit pixis, sed sacrum cubiculum, in quo pallæ, & vela, & alia sacra ministeria reposita ac custodita fuisse, idem statim Pseudo-Clemens dicit. In Sacrarium illud inferri sueverunt olim oblationes à fidelibus factæ, ex quibus tantum panis & vini, quantum ad communionem consecrari necesse esset, reponebatur. Quæ ergo, his decerptis, quæ in Eucharistiam consecranda erant, ex illa oblationum massa supererant, *reliquias fragmentorum corporis Domini*, reliqua, scilicet postquam inde detracta fuerant fragmenta in corporis Dominici Sacramentum conficienda, Pseudo-Clemens appellavit, eáque probè custodiri jussit, cavérique, ne qua in sacrario, in quo reponuntur, sit putredo, quia in eo tum mures, & araneæ & tineæ stabulari, tum pallæ, vela & candelabra situm, rubiginem & putredinem contrahere potuerunt. Sic sanè interpretandus author ille est, nisi paucis interjectis verbis sibi contradicentem, adeóque testem nullum, tolerare mavultis.

ARG. IX. Eucharistiam, ut reliqua Sacramenta in usu & actione consistere, post Gabr. Biel fatetur Georg. Cassander *Consult. de Cœn. Dom.* ubi Theologos quosdam Scholasticos idem docentes allegat.

RESP. REDING: *Authores illi sententiam suam subjecerunt judicio Ecclesiæ.* Ib. pag 341. Resp. Si veræ Ecclesiæ, ergo nostræ. Nos autem illos absolvimus. Si falsæ, nihil moramur.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Verba Domini, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, priùs dicta sunt quàm fieret actio manducandi & bibendi. Ergo ante illam actionem, adeóque ante usum Sacramenti præsens fuit corpus Domini in cœna, adeóque etiam Sacramentum Eucharistiæ confectum.* Argumentum est ipsius Concilii cap.3. Quod confirmat Bellarminus tum ex eo, *quòd juxta Augustinum accedente verbo ad elementum, adeóque etiam ante manducationem, fiat Sacramentum*; tum ex eo, *quòd verba Christi ante manducationem prolata, adeóque etiam ante eam vera fuerint.* Resp. 1. Quicquid sit de manducatione, fueritne illa connexa prolationi illorum verborum, an eam subsequens, id certum est, Christum verba illa protulisse non de quolibet pane, sed de accepto, benedicto, fracto, & ad manducandum jam distributo, atque ita quidem, ut præceptum manducandi, cui statim Apostoli satisfacere debuerunt, jam præcesserit. Hinc sanè conjicitur, asservationem ejusmodi primævæ institutioni repugnare, & panem non esse corpus Christi, neque adeò Sacramenti rationem

Digitized by Google

habere,nisi quando fractus distribuitur, manducandus porrigitur, & actu statim manducatur. 2. Accedente sanè verbo ad elementum fit Sacramentum,sed non extra actionem. Ita in Baptismo eandem regulam rectè observant & usurpant adversarii ,in quo tamen ad integritatem Sacramenti actionem requiri ipsi quoque fatentur. 3. Verba *Hoc est corpus meum* &c. vera esse potuerunt ante manducationem , sed non absolutè sive manducarent,sive non manducarent,verùm κατά τι.si præcepto manducandi id, quod jam acceperant,satisfacerent. Par nempe ratio est eucharistiæ, quæ & reliquorum Sacramentorum , in quibus verbum ordinationis & institutionis Divinæ extra actionem veritatem non habere, ipsi quoque adversarii tuentur.

EXCIP. REDING : *Si verba H. E. C. M. non erant absolutè vera, sed ex hypothesi, si nempe præcepto manducationis satisfias, quomodo vera erant pro instanti fractionis & porrectionis ad manducandum? Tunc enim nondum conditio illa impleta erat. Et sanè verba illa Christi prolata sunt antecedenter ad manducationem.* Ib. pag. 341. 342. Resp. Pleraque mea intacta relinquis, & crambem tuam reponere satis habes. Licet cùm frangeretur panis, nondum mandata erat manducatio, tamen ex institutione constat, fractum esse non alio fine.quàm ut juberetur manducari, & manducatus demum fieret communio cum corpore Christi. Veritatem igitur suam habuerunt ea conditione, si manducatio succederet. Ita in instituenda circumcisione Genes.XV. priùs dictum est: *Hoc est fœdus meum*; quàm, *Circumcidite vobis omnem masculum*. Et tamen circumcisio non erat fœdus ante usum, quantumvis efficacia fuerint verba ; quantumvis verissima,cùm recitarentur. Perperam hæretis ipsi actioni manducandi & bibendi actu exhibitæ. At nos attendendum dicimus eandem actionem institutione imperatam. Fieri enim potuit, ut ad momentum aliquod substiterint discipuli, neque statim atque audiverunt, *Accipite, comedite*, exercuerint actum suum accipiendi, vel saltem comedendi ; ac proinde audierint verba ea,antequam comederint aut biberint. Certum tamen est, non edisse, nec bibisse , antequam audirent præceptum edendi & bibendi. Omnes enim Evangelistæ constanter eum ordinem servarunt ; *Accipite , comedite , Hoc est corpus meum.* Unde facilis sensus: Hoc ita acceptum & esitatum est corpus meum. Etenim institutio Sacramenti non tantùm elementum,sed etiam usum definivit, ut in Baptismo.

OBIECT. II. *Panis est corpus Christi per benedictionem & operationem Divinam, non per manducationem humanam. Ergo ad veram rationem Sacramenti non est necessaria manducatio.* Resp. 1. Eodem argumento effici posset, aquam baptismalem rationem habere veri Sacramenti per solam benedictionem, & operationem Divinam,sed non sine participatione. 2. Verum Sacramentum eucharistiæ est non *per usum* tanquam causam efficientem, sed *in usu* tanquam in actu ex divina institutione necessario, sine quo non fit commemoratio mortis Domini. Benedictio igitur panis & operatio Divina

Digitized by Google

vina ut causa efficiens, cum usu hominum & participatione, ex Divina institutione concurrere debet.

EXCIP. REDING: 1. *Si benedictio est Sacramenti causa efficiens, eo igitur mox instanti, quo benedictio peragitur, Sacramentum quoque perficitur. Baptismi verò & Eucharistiæ dissimilitudinem supra ostendimus.* 2. *Sicut petra in deserto a te potum aquæ ex ea profluentis, & Agnus Paschalis ante ejusdem esum figura Christi præfigurativa fuit: ita Eucharistia, utpote realiter continens corpus Christi, ante manducationem Sacramentum est.* Ib. pag. 342. 343. Resp. 1. Benedictio Sacramenti causa efficiens est, sed non sine relatione ad usum. Nam Sacramentum sine usu nullum esse, jam ostendimus. Neque Sacramentum perfici eo momento, quo benedictio peragitur, probare potes. Contrarium nos probavimus, atque simul Baptismi & Cœnæ ea in re similitudinem supra asseruimus. Sermo est secundùm rationem vel naturæ, vel Sacramenti. Secundum rationem naturæ in utroque Sacramento est res permanens, in Baptismo aqua, in Eucharistia panis & vinum. Ratione quoque Sacramenti, in quo elementum fit Sacramentum, non magis Baptismus quàm Eucharistia res permanens est. Ut enim in Baptismo est lotio, sic in Eucharistia sumptio: & quemadmodum aqua assumpta est non quomodocunque, sed ad lavandum; sic panis non quomodocunque, sed ad manducandum. Non ovum ovo similius. Denique nullum Sacramentum esse potest, cujus non sit pars essentialis actio aliqua transiens. 2. Petra in deserto, Agnus Paschalis erant Christus, sed uti dixi, non sine participatione. Aqua bibebatur, agnus edebatur. Ad potum & esum omnia referebantur, & sine eo nec petra, nec Agnus completè Christus erat. Hoc tu ne conatus equidem es infringere, sed pro more edicere satis habes.

OBIECT. III. *Eucharistiæ & Baptismi dispar est ratio, cùm illa in re permanente, hic verò in actione consistat. Unde eucharistiam nemo unquam vocavit fractionem, consecrationem, distributionem, manducationem, sed rem permanentem, puta panem sanctificatum, cibum, corpus & carnem Christi.* Resp. 1. Et Eucharistia & Baptismus in actione aprimè conveniunt. Sicut enim ex eo, quòd institutio baptismi utitur verbo, *baptizate*, quod actionem significat, colligitur, ejus rationem in actione consistere: Ita etiam eucharistiæ rationem in actione consistere colligi debet ex verbis actionem significantibus, *Accipite, manducate, bibite, Hoc facite &c.* 2. Juxta ipsum Bellarminum Act. II. 24. eucharistia vocatur *fractio panis.* 3. Veteres, qui *sanctificatum panem, corpus Domini &c.* vocant, loquuntur de pane eucharistico in usu sacramentali.

EXCIP. REDING: 1. *Certè actiones fractionis, consecrationis, distributionis, manducationis non æquè significantur formaliter per institutionis Eucharisticæ verba, Sacramenti essentiam denotantia, atque per verba baptismalis institutionis significatur actio baptizandi.* 2. *Patres Eucharistiam appellant panem sanctificatum, & corpus Domini, non propter usum, sed propter permanentem substantiam corporis Christi sub speciebus panis.* 3. *Eucharistia fractio panis appellatur, non propter formalem ejus rationem, sed ceremoniam concomitantem.* Ib. pag. 343. Resp. 1. Cùm ex institutione Christi partes Sacramentalis cele-

Digitized by Google

brationis sint acceptio panis, benedictio, fractio, distributio ad manducandum, & manducatio panis accepti, benedicti, fracti, distributi cum declaratione, quòd sit corpus Christi; in his certè formalis ratio Sacramenti Eucharistiæ, non in solis verbis H. E. C. M. consistit. Forma enim totius integri in complexione omnium partium consistit. Et quomodo actiones illæ per verba *Hoc est corpus meum* non significantur, cùm Christus *Hoc*, id est, panem à se acceptum, benedictum, fractum, distributum, manducari jussum, *corpus suum* appellaverit? 2. Quia nec panis simpliciter, sed manducatus: nec manducatio simpliciter, sed panis manducatio, instituta est in Sacramentum; ideóque utrumque semper aut nominandum, aut certè intelligendum. Unde frequenter S. Patres utrumque uno nomine explicant. Sic ex Justino Bellarminus recitat, *καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία. Hic cibus à nobis Eucharistia appellatur.* Nam cibus non dicitur panis ratione suæ essentiæ, sed usus, quia nutriendis corporibus aptus, non quibusvis, sed à quibus comeditur. Cùm igitur cibus appellatur Eucharistia, perinde est ac si dicas disertè: Manducatio panis sacri est Eucharistia. 3. *Fractio panis* propter actionem utique concomitantem, quæ ceu pars integralis ad totius sui integritatem concurrit, tota Eucharistia insignitur, tum ob actionem, quæ fractio est, tum à re permanente, quæ panis est.

OBIECT. IV. *Nulla in eucharistia actio est, cui conveniat ratio Sacramenti. Potissima enim actio, manducatio videlicet, est suscipientis tantùm, non Dei vel ministri conferentis. At Sacramenta non sunt actio suscipientis, aliàs essent opera nostra.* Resp. 1. Eadem ratio valeret æquè contra baptismum, in quo præceptum *baptizandi* actionem & conferentis & suscipientis notat. 2. Manducatio est equidem actio suscipientis Sacramentum. Quia verò ejus objectum est panis consecratus, cujus distributionem ex natura relatorum præsupponit, iccirco ad integritatem Sacramenti requiritur. 3. Neque propterea Sacramentum hoc erit opus nostrum, sed potiùs alieni operis & doni receptio.

EXCIP. REDING: *Manducatio præsupponit quidem actionem ministri consecrantis & distribuentis: sed formaliter non consistit nisi in actione suscipientis. Ratio verò Sacramenti formalis per se immediatè reducitur in Ministrum, ceu principium nomine Dei & Christi instrumentariè effectum, licet subjectivè suscipienti inexistat.* Ib. pag. 343. Resp. Expedire debueras, an ad Sacramentum Baptismi non æquè suscipientis ac conferentis actio pertineat? Et quæ sit dispar Eucharistiæ ratio? Manducatio potiùs passio manducantis est, quàm actio; non quòd non sit manducare genus quoddam actionis nostræ; sed quòd ea actio est in patiendo, nimirum cùm significat modum accipiendi. Connectuntur enim; *Accipite, bibite.* ubi manifestum, *bibere* vix esse edere; etsi designet actionem, tamen eam, quæ in se ipsum fiat: ut etiam accipere. ubi propriè est passio. Nam refertur ad dare. Sed esto manducatio actio. Unde tibi constat, actiones suscipientis, non esse propriè Sacramenta, hoc est, non pertinere ad rationem formalem Sacramenti? Tuos potiùs reverere, qui in Pœnitentia actus pœnitentis voluerunt esse materiam. Non enim negabis, materiam Sacramenti esse Sacramentum, supposita scilicet forma. Et quæ ratio cogit, non posse à Deo ullam partem Sacramenti constitui actiones suscipientis; & posse tamen Ministri celebrantis? Nam æquè utræque partes sunt hominis; cujus

Digitized by Google

cujus non est Sacramentum conficere, sed administrare & accipere. Solus Deus efficit, ut hæc vel illa actio vel susceptio sit Sacramentum, vel Sacramenti pars.

OBIECT. V. *Justinus Martyr in 2. Apologia testatur, Symbola eucharistica distribui præsentibus, & ad absentes per Diaconos mitti solita esse. Irenæus quoque in Epistola ad Victorem narrat, Episcopos Romanos testandæ concordiæ gratiâ, ad fratres ex aliis parœciis eucharistiam misisse. Sed & Dionysius Episcopus Alexandrinus, epist. ad Fabium Episcop. Antiochenum narrat, Serapioni in extremis constituto se per puerum misisse particulam eucharistiæ, quam madefactam in os Serapionis infunderet, apud Eusebium Histor. Eccles. l. VI. 36.* Resp. 1. Missio ad absentes à Justino memorata fuit, non asservatio, sed quædam ad manducandum datio. Nempe ex ipso Synaxeos sacro missam ad absentes eucharistiam per diaconos legimus: reservatam & ad infirmos deportatam nec ibi, nec uspiam alibi apud Justinum legimus. 2. Episcopi Romani non ad fratres in aliis provinciis degentes, sed ex aliis provinciis Romam venientes eucharistiam concordiæ testificandæ gratia miserunt, uti liquet ex ipsis Irenæi verbis. 3. Serapioni pœnitenti & moribundo missa est eucharistia ab Alexandro, ut Catholicæ communionis solatium aliquod haberet. Sed diversissimo fine hodie asservari hostiam, nemo ignorat. Neque tamen ex narratione illa Dionysii liquidò constat, eucharistiam reservatam ab eo esse, uti probabilibus argumentis ostendit Dalleus *de Cult. Relig.* lib. VI. 4.

EXCIP. REDING: 1. *Si licet ad absentes Eucharistiam mittere, quod olim factum Justinus testatur; licet etiam eam asservare, quia intentio asservationis est, Eucharistiam deportare ad infirmos. quæ intentio moraliter perseverans, ac à publica Ecclesiæ authoritate dependens, facit, ut perinde censeatur moraliter, ac si ex Ecclesiæ cœtu, Eucharistia ad infirmos manducanda deportetur. 2. Missa à Dionysio Episcopo Alexandrino ad Serapionem pœnitentem & moribundum Eucharistia aliquam ejusdem moram arguit.* Ibid. pag. 344. Resp. 1. Nihil deportationi ad absentes quos solos, non infirmos Justinus inmemorat, cum reservatione prorsus commune est, tum quia reservatio opponitur communioni, & infert, species esse Sacramenta etiam sine communione: tùm quia continuabatur consecratione, & communionis gratia fiebat. Justinus enim disertè dicit, Diaconos τῶ παρόντων μεταλαβεῖν *præsentibus dare, & ad absentes deferre.* Neque una asservationis intentio est, deportatio ad infirmos, quorum tamen ne quidem Justinus meminit; sed heterogeneæ plures: neque Justinus testis est, inter deportandum ad absentes à quoquam adoratam esse Eucharistiam: neque in asservatione, utpote opposita communioni, intentio ad deportandum Sacramentum moraliter perseverare potest, quia communione finita Sacramentum esse desinit. 2. Eucharistiæ ad Serapionem pœnitentem & moribundum missæ mora nonnulla extra Ecclesiam, in qua consecratio instituta erat, cum ipsa communione conjuncta, ne speciem quidem reservationis habere potest.

Digitized by Google

OBIECT. VI. *Consuetudo hac asservandi adeò antiqua est, ut eam Seculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Canon 13. habet:* περὶ τῶν ἐξοδευόντων, ὁ παλαιὸς, καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν. Ὥστε εἴτις ἐξοδεύει τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι. *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque servabitur, ut si quis egreditur è corpore, ultimo & necessario viatico ne privetur.* Argumentum hoc est Concilii *Cap.* 6. Resp. 1. Bene est, quòd Concilium non sustinuit hunc morem altiùs, quàm à Concilio Niceno, hoc est, A.D. 325. repetere. At vera antiquitas est à primordio, à Deo, Christo, Apostolis. 2. Neque tamen asservationis in eo canone ulla omnino mentio est. Tantùm præcipitur, ut moribundis ultimum & necessarium ἐφόδιον *viaticum* præbeatur. Hoc autem citra asservationem fieri poterat, eo imprimis tempore, quo quotidiana communio celebrari consuevit. Fieri potuit apud ipsos ægrotantes, quomodo Presbyteri Confessores in carceribus adeuntes ac invisentes, ibidem apud eos offerebant, etiam iis temporibus, quibus id facere non carebat periculo, uti ex Cypriani epistola 4. liquet. 3. Fatemur tamen, asservationem aliquam Eucharistiæ in publico cœtu consecratæ in usu serò tamen, neque ante VI. Seculum fuisse, quò necessitate postulante ad ægrotantes, primò pœnitentes tantùm, mox quosvis alios deportaretur. Nempe primò censuit ecclesia, pœnitentes instante morte hoc symbolo erigendos & consolandos esse, quò pacatiores hinc decederent. Mox id transtulit ad universos fideles moribundos. Visum autem est ecclesiæ, tum ad vitanda schismata, & hæreticorum contagia, tum ad publicæ reconciliationis fidem pœnitentibus luculentiùs faciendam, de illo ipso pane in cœtu fidelium palam consecrato, & de quo jam ecclesia publicè participaverat, mittere infirmis, quod sine asservatione nonnulla fieri non potuit. Neque tamen hoc juvat adversarios, tum quia ex Divino instituto hoc fecisse ecclesiam non constat: tum quia id ipsum faciendi non eadem necessitas hodie, quæ olim, ecclesiæ incumbit, cùm totum id ad illorum temporum peculiarem conditionem accommodatum fuerit, & hodie aliter consuli possit: tum denique quia ecclesia vetus in ea opinione, quòd etiam extra usum verum perfectúmque Sacramentum fuerit, & quidem pompæ instar circumgestandum & adorandum, minimè fuit: tum denique, quia serò admodum hunc mortem invaluisse, nec ejus ullum testimonium in sex primis Seculis extare, demonstrat Dalleus *de Cult. Relig.* lib. VI. cap. 2. usque ad 13.

EXCIP.

EXCIP. REDINO: 1. *Atqui Canon Nicænus disertè vocat legem antiquam & regularem.* 2. *Fateris ipse, deportationem ad infirmos sine aliqua Sacramenti asservatione subsistere haud potuisse. Supra tamen asserueras, consuetudinem præbendi viaticum moribundis citra asservationem obtinere potuisse. Sic tibi contradicis. Neque obstat temporum distinctio. Nam etiam tum, cùm quotidiana communio celebrabatur, contingere potuit, ut ante communionem subitò mortis discrimen aliquis incurreret. An tum viatico privandus fuit?* 3. *Si ex instituto Divino ita factum non est, quo ergo illa viatici moribundis concedendi necessitas principio nitebatur?* Ib. pag. 344. 345. Resp. 1. Asservatio in Concilio Nicæno ne quidem decreta est; nedum decreta ex antiqua aliqua & Canonica lege. Nam ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος *antiqua* illa *regula lex*, uti eleganter Dionysius vertit, ab Afris & Romanis in suis Conciliis, uti ex Cypriano & Dionysio colligitur, constituta, neque asservationem omnino, neque deportationem ad moribundos quosvis, sed pœnitentes duntaxat eo modo Ecclesiæ reconciliandos, præcipit. De viatico verò omnibus fidelibus in exitu dando *legem* vel *regulam* apud vetustiorem Nicæna Synodo Ecclesiam planè nullam reperire est. 2. Contradictionem mihi affingis, quæ nulla omnino est. Ipsemet enim tempora me distinxisse, fateris: & loquitur id res ipsa. Potuit omnino contingere, ut ante sequentis diei celebrationem mortis discrimen quispiam incurreret. Neque tamen id Eucharistiæ asservandæ, ex Divino maximè instituto, necessitatem arguit. Quid enim si subita morte quispiam abriperetur? An viatici defectus tum Cœlo exclusit abreptum? Par ratio periclitantium, qui vel ad celebrationem usque vixerunt, atque tum panis participes fieri potuerunt: vel ante abrepti, non majore periculo, quàm subitanea morte defuncti, Eucharistia caruerunt. 3. Viatici moribundis conferendi necessitas nulla omnino erat. Sed merè humano principio seu instituto, non Divino ullo, consuetudo illa innixa est.

OBIECT. VII. *Olim etiam laicis permissum est, ut bibentes de poculo, & panis portionem manducantes, alteram portionem secum domum asportarent, eámque reservarent in futura periculorum & persecutionum tempora, & iis durantibus ante omnem cibum sumerent. Testes hujus moris sunt Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. Cyprianus lib. de Lapsis, Basilius epist. 189. Ambrosius lib. de obitu Satyri.* Resp. 1. Consuetudo ea fuit, sed non Catholica & universalis, uti ex Clementis Episcopi Romani Canone à Gratiano citato, & Hesychio constat, qui reliquum panem vel à Sacerdotibus, vel ab igne consumptum testantur, & ab ipsis hodie Pontificiis improbata. 2. Mos ille etsi piè excusari, & ad tempus tolerari potuit, non tamen protinus probari, nedum pro necessario & perpetuo dogmate obtrudi potest. In hujusmodi enim quæstionibus juxta Cyprianum epist. 63. recedendum ab humana & novella institutione, & ad radicem atque originem traditionis Dominicæ revertendum est.

EXCIP. REDINO: 1. *Moris illius origo ex præcepto Divino Eucharistiæ moribundis conferendæ proficiscitur.* 2. *De Clementis R. Canone infra, & de Hesychii sententia supra egimus.* Ib. pag. 345. 346. Resp. 1. Garris, nihil probas. Institutionem Divinam ne minime

mo quidem apice probare unquam conatus es. 2. Nos quoque de Clementis Canone statim acturi sumus: & de Hesychio supra egimus.

OBIECT. VIII. *Clemens Constit. lib. VIII. cap. 13. scribit, post communionem reliquias à Diaconis deportari solitas esse εἰς τὰ παστοφόρια in Pastophoria, hoc est, pyxides seu cibaria, in quibus sacræ Synaxeos reliquiæ condendæ fuerunt.* Resp. 1. At veteres Grammatici, LXX. Interpretes, ipse hic Pseudo-Clemens, & eruditi omnes docent, *pastophorion* non pyxidem, sed cubiculum, thalamum, exhedram esse. Hesychius: παστοφόριον τὸ τὸν παστὸν φέρον, *Pastophorium, quod fert thalamum.* Addit ἡ συναγωγὴ. ἡ ναὸς ἀνθηρὸς, *Synagoga, vel Templum floridum.* LXX. Hebræum לשכה quod *conclave, cellam* notat, reddunt passim παστοφόριον Ezechiel XLII. 1. quod Hieronymus *gazophylacium*, id Theodotion παστοφόριον reddidit. Hoc nomine olim veniebant Sacerdotum & Levitarum apud Templum cubicula. Ita in veteri ecclesia in Oratoriis & Basilicis etiam erant ex utroque latere extructa cubicula, in quorum altero sacra ministeria, in altero sacri libri reponebantur. Eò portabantur & inferebantur Synaxeos residua, ut ab hominibus sacris, clericis & presbyteris, consumerentur.

EXCIP. REDING: *Si residuæ hostiæ asservari potuerunt eum in finem, ut consumerentur, cur non etiam, ut communioni infirmorum inservirent?* Ib. pag. 346. Resp. Ergone sic Pseudo-Clementis παστοφόρια sunt pixides, ciboria? Quod tanto conatu Bellarminus pertenderat; quem turpiter ita deseris. Sed quàm frivola quæso ratiocinatio tua est? Asservatæ sunt reliquiæ, at non ut Sacramentum permanens; non ut adorarentur à quoquam, sed ut, finita jam communione, & Sacramentali ratione omni, proximè ab hominibus sacris, clericis & Presbyteris decenter consumerentur. Quid tali asservationi, consumptioni cum vestra asservatione & durabili, & in heterogeneos fines recepta, commune quæso est?

OBIECT. IX. *Eucharistiæ usus nullo tempore magis necessarius est, quàm instante morte & extremo agone, quia teste Confessione Helvetica cap. 27. dæmon nunquam magis homini quàm tum temporis insidiatur. Ergo ecclesiæ incumbit, ut ægrotantibus provideat per eucharistiæ in ecclesia asservationem, & ubi opus fuerit, ad ægrotantes deportationem.* Aug. Reding *Dissertat. Controv. pag.* 478. 479. Resp. 1. Esto, nullo tempore magis necessarius sit. Non propterea asservandus erit panis, sed apud ipsum ægrotantem, juxta institutionem Christi consecrandus. Id apud Martyres captivos veteris ecclesiæ Presbyteri, teste Cypriano, fecerunt. 2. Tempore instantis mortis maximam fidelium curam habendam esse, rectè Confessio nostra monet. At id ut fiat eucharistiæ administratione, necessum haud est. Spiritualis manducatio, & efficacissima ex Dei verbo consolatio & institutio utramque hîc paginam faciunt,

Digitized by Google

faciunt. 3. Utri verò fideliùs moribundis assistânt, sacrificuli histrioniam suam peragentes, an Evangelii ministri conscientias afflictas ex Dei verbo, & ardentissimis precibus erigentes, res ipsa loquitur, & subinde qui diversarum partium sunt, visitationem nostrorum observantes, fateri coguntur.

EXCIP. REDING: 1. *An ergo satius putas consecrare Eucharistiam in cubiculis, quàm in Ecclesia? 2. Si spiritualis manducatio sola sufficit, cur Nicænus Canon pro moribundis viaticum decrevit?* Ib. pag. 346. Resp. Consecrationem in Ecclesia institui decentius judico. Quanquam æquè in cubili (perinde ut in triclinio, in quo Christus Eucharistiam instituit) Ecclesia locum habere potest. Nam duo vel tres in nomine Christi congregati Ecclesia esse possunt. Eucharistia verò post usum asservata, eucharistia, seu panis consecratus esse desinit, adeóque apud vos nec in Ecclesia, nec in cubilibus consecratur. 2. De Canone Nicæno supra egimus.

QUÆSTIO V.

An Eucharistiæ Sacramentum solenniter circumgestandum sit?

AFfirmat Canon VI. & negantes id anathemate percellit. Notum autem est, non tantùm panem consecratum solere ad infirmos deferri, prælatis luminibus, edito campanulæ sono, & plebe se reverenter ad illum inclinante: sed etiam in festo anniversario Corporis Christi pomposè ac theatricè circumferri. Quinimò Papa iter faciente cum impedimentis, lixis & calonibus, etiam hostia præferri solet. Contra theatricam hanc circumgestationem eadem pœne argumenta, quæ contra asservationem militant. Etenim

ARG. I. Repugnat institutioni Christi, in qua Christus facere jussit, quod ipse fecit. Atqui ipse non circumgestandum panem, sed manducandum præbuit.

RESP. REDING: *Multa Christus Eucharistiam instituens fecit, quæ hodie facienda non sunt. Fecit in commemorationem mortis faciendæ: exhibuit Novum Testamentum firmandum, non firmatum. An sic etiam nobis faciendum? Substantia igitur institutionis ab accidentariis ritibus distingui debet. Circumgestatio autem accidentarius ritus est, eum in finem institutus, ut & in populo excitetur devotio erga Christum de morte superata triumphantem, & Deo de mysteriis tam sublimibus gratiæ agantur.* Tomo II. Tract. VI. sect. 5. p. 347. Resp. Rituum Eucharisticorum discrimen quoddam nullus equidem ignoro. Sed institutionem circumgestationis, sive ut substantialis, sive ut accidentalis nul-

lam prorsus reperio. Quomodo instituisset Christus, qui exemplo suo nil tale probavit, neque asservans Eucharistiam, neque circumgestari præcipiens vel permittens. Inò cùm asservationem Sacramentali ratione repugnare ostenderimus, circumgestatio ritus Eucharistiæ licitus accidentalis esse nequit, quia institutioni adversatur.[1] Neque circumgestatio, sed usus Cœnæ Dominicæ ex instituto Dei devotionem erga Christum triumphantem excitat.

ARG. II. Institutionis hujus tenaces Apostoli nusquam vel circumgestâsse, vel ostentâsse panem Eucharisticum leguntur.

RESP. REDING: 1. *Argumentum procedit ab authoritate negativa.* 2. *Pericula à fidelibus imminentia circumgestationem non admiserunt.* Ib. pag. 347. Resp. 1. Cùm in cultu Dei ab ejusdem sola institutione & mandato pendeamus, argumentum ab authoritate negativa æquè ac affirmativa stringit. Nihil enim sine mandato Dei tentandum. 2. Non imminentia ab infidelibus pericula, quæ Apostoli per totam vitam contempserunt, sed mandati defectus, & Eucharistiæ legitimus usus impedimento fuerunt.

ARG. III. Quicquid fit non contra institutionem tantùm, sed etiam præter eam, æquè illud improbandum est ac moscholatria Israëlitarum Dei præcepto destituta, vel deportatio arcæ Jehovæ in castra, citra mandatum Dei suscepta.

RESP. REDING: 1. *An eodem modo Vos benedicitis symbolis, quo Christus benedixit? Ergo cultus formaliter ab eo, qui Dei præcepto continetur, diversus improbandus est: at ritus materialiter, non contra, sed præter institutionem adhibitus, adeòque merè accidentarius non item.* 2. *Annon arcam licuit huc illuc circumgestare? Et quidem sine mandato Dei? Alia igitur irascentis Numinis causa fuit.* Ib. pag 347. 348. Resp. 1. Christus symbolis benedixit, & super iis Deo gratias egit. Id ipsum nos imitamur. Formulam benedictionis, utpote non expressam, imitari non possumus. Circumgestatio verò nec quoad rem, nec quoad modum præscripta est. Cultus etiam necessariò exercendus, & formaliter & materialiter consentire cum præscripto debet. Alias sub nomine *ἐθελοθρησκείας voluntarii cultus* Col. II. 23. damnatur. 2. Inclusio unius non est exclusio alterius. Et peccata filiorum Eli, & arcæ deportatio sine mandato Dei Israëlitis cladem tantam attulerunt. Neque concedimus, circumgestationem arcæ sine speciali Dei mandato Deo placuisse. Nam Jos. VI. 6. disertum mandatum Dei extat. Et tum David 2. Sam. VI. tum Solomon 1. Reg. VIII. arcam deportantes, mandato Dei non caruerunt, uti de Davide ex 1. Paralip. XIII. & de Solomone ex 1. Reg. VIII. 11. aliisque argumentis colligitur.

ARG. IV. Repugnat mos ille Ecclesiæ non Apostolicæ duntaxat, sed etiam primitivæ. Justinus Eucharistiam ad absentes, Irenæus ad hospites ex Asia venientes, alii ad ægrotos delatam memorant. Pompæ ejusmodi, luminarium, campanularum, genuflexionis, altissimum ubique silentium. Quin ipsa Synodus Cap. 5. *inductum hunc in Ecclesiam morem*, non in

Digitized by Google

in ea natum fatetur. Circumgestatio illa occasionem præbet artolatriæ, mutilationi calicis, aliisque superstitionibus.

RESP. REDING: 1. *Ex Justino & Irenæo contrarium potiùs colligitur.* 2. *Licet mos ille non cum Ecclesia natus, sed in eam inductus sit, nihil prohibet tamen, quò minus retineatur. Ita in V.T. festa quædam sine expresso Dei mandato instituta sunt.* Ib. pag 348. Resp. 1. Nec Justinus, nec Irenæus tibi favet. Circumgestatio enim illa, de qua loquuntur, communioni conjuncta in usum desiit: neque ceremonias vestras conjunctas habuit ullas, quod ipse fateri cogeris. 2. De festis infra.

ARG. V. Neque ea devotioni populi, sed ostentationi magis & pompæ inservit. Quin & præter institutionem Christi panis consecratus in circumgestatione usurpatur ad incendia restinguenda, ad tempestates prohibendas, ad beneficia corporalia impetranda.

RESP. REDING: 1. *Circumgestatio pompam Christi triumphantis, & ad dextram Patris sedentis repræsentat.* 2. *Excellentia meritorum ejusdem ad beneficia non spiritualia duntaxat, sed etiam corporalia valet. Ergo eadem Eucharistia quoque exhibet.* Ib. pag. 348. Resp. 1. Ex institutione Christi corpus ejusdem traditum & fractum, sanguinem pro nobis effusum significat. Quoties igitur de pane comedimus, mortem Christi annuntiare 1. Cor. XI 26. jubemur. Ad repræsentandum verò triumphum Christi institutum esse, nusquam legimus. Finis ille fictitius est, & prætextus potiùs, quàm res. Nam alia omnia circumgestantes intendunt. 2. Christus sanè totius hominis Salvator, & bonorum tum spiritualium, tum corporalium author est. Sed Eucharistiam non instituit ad exhibenda bona corporalia, verùm spiritualia duntaxat. remissionem peccatorum inprimis, Matth. XXVI. 28. Cúmque Eucharistia extra usum efficax non sit, circumgestata non utentibus ad neutra beneficia prodesse potest.

ARG. VI. Haud absimilis hic ritus est illi Persarum ignem suum, imaginem videlicet solis, seu Mithræ, quem Orimasda appellabant, circumferentium. Sicut enim ignis ille equo vectus in Regum Persicorum pompa præferri consuevit: ita in Pontificis R. pompa panis consecratus albo, & tintinnabulis perstrepenti equo impositus, maximè in Festo corporis Christi præferri solet.

RESP. REDING: 1. *Imò verò ab ipsomet Pontifice ex superiori sella eminente deportatur.* Ib. pag. 349. Resp. Soláne ergo hæc differentia est? Et tamen nec hac in re differunt. Marcellus enim *S. Cerem. lib. I. s. 12. cap. 1.* postquam tradidisset, *post crucem*, quæ Papæ præfertur, *immediatè incedere duodecim pedites clericos vel laicos, accensa funalia deferentes, & juxta eos equitare duos Clericos capellæ, laternas duas argenteas præferentes, in quibus candelæ perpetuò lucent*, ita deinde pergit: *Ducitur post hos equus albus, phaleratus, mansuetus, pulcher, cum tintinnabulo ad collum bene sonante, qui capsulam vehit cum sacratissimo Christi corpore, supra quod cives nobiles portabunt baldachinum. Funalia condecenter deferentur per clericos cum superpelliceis.* Neque equo tantùm, sed mulæ etiam quandoque impositam esse hostiam, Theodoricus de Nyem *Nem. Union. Tract. 6. cap. 43.*

cap.43. scribit. Eidem Papæ ad urbes alias iter facienti, eásque intranti, idem quoque Sacramentum eadem cum pompa præferri, patet ex eodem libro, ubi *cap.5.* dicitur, cives ejus urbis, in quam Papa ingressurus est, debere *Baldachinum pro Sacramento & Papa invenire*, id est, cuique suum. Idem quoque fit, cùm Papa sine Pontificalibus equitat ad aliquam Ecclesiam religionis gratia. Denique Cardinalis Perronius *de Euchar. lib.III.* 19. tradit, Papæ extra urbem procedenti, vel peregrè agenti nunquam deesse crucem & Eucharistiam, quæ ante eum præferuntur, ad sacri scilicet illius capitis *custodiam præsidialem & patronalem*, non autem *ministerialem*, uti ille solerter distinguit. Obiter illud haud indignum animadversione est, quòd juxta idem Ceremoniale R. *Sect.II. cap.3.* Equus, cui Papa insidet, ducendus est manu Imperatoris aut Regis, siquidem præsens ille fuerit: at equus, quo vehitur Christus, ducitur à famulo Sacristæ, id est, à servo servuli. Si Papa sella vehitur, bajulant sellam Imperator aut Rex: & Christus imponitur bestiæ.

ARG. VII. Denique etiam Cassander *Consult. artic.*22. fatetur, circumgestationem hanc præter Veterum morem & mentem haud ita longo tempore inductam & receptam esse. Idque inde probat, quia Veteres hoc mysterium tanta in religione habuerint, ut non modò non ad ejus perceptionem, sed ne ad inspectionem quidem admitterent nisi fideles, quos Christi membra & tanti mysterii participatione dignos esse existimarent, exclusis videlicet & Diaconi voce, & Ostiariorum ministerio ante consecrationem Catechumenis, Energumenis, pœnitentibus & universis non communicantibus. Subjicitque, hunc circumgestationis usum citra grave ecclesiæ damnum, imò cum ipsius lucro omitti posse, cùm & recens sit, *& diu sine ea circumgestatione Sacramento suus honor constiterit, hodiéque constare possit.* Denique laudat tum Nicolaum Cusanum per Germaniam Legatum, qui abusum Sacramenti eucharistiæ in nimis frequenti ejus per singulas ferias circumgestatione sustulerit: tum Albertum Kranzium, qui approbato hoc Cusani facto, addiderit memorabilem causam, *quòd* videlicet *ejus Sacramenti usus à cœlesti magistro institutus sit ad usum, non ostentationem.*

RESP. REDINO: *Cùm actiones & ceremoniæ venerationis hujus Sacramenti ex arbitrio Ecclesiæ determinari possint; utique pro diversa temporum conditione Ecclesia tantum mysterium modò à conspectu indignorum removere, modò persecutionum turbis amotis ad majorem splendorem reducere potest.* Ib. pag.349. Resp. Musteam circumgestationis novitatem cùm negare non potueris, palliare satagis. Frustra verò. Fingis enim causam omissæ pompæ persecutionem. Quasi verò inde à Constantini M. tempore tanta Ecclesiam persecutio presserit, ut convenientem Eucharistiæ splendorem tueri & conservare non potuerit. Apagesis ineptias.

OBJECTIONES TRIDENTINORUM.

OBJECT. I. *Solennis circumgestatio eucharistiæ nititur laudabili & universali ecclesiæ ritu ac consuetudine.* Est argumentum Concilii. Resp. 1. Consuetudo sine

ſine veritate, & contra divinam inſtitutionem inducta error eſt. Et vetamur quiſque facere, quod rectum videtur in oculis noſtris, jubemúrque facere, quod Deus præcipit. 2. Neque nititur circumgeſtatio illa conſuetudine eccleſiæ vel Chriſti vel Apoſtolicæ, vel primitivæ purioris, judice ipſa Synodo, quæ morem hunc non in eccleſia natum, ſed in eam inductum fatetur. Serò admodum mos ille invaluit in eccleſia non Orientali, cui incognitus planè eſt, ſed Occidentali Romana, poſt Seculum demum decimum quartum. Nam in Urbani IV. Bulla, quâ Feſtum corporis Chriſti ſancitur, ejus nulla mentio. Quin & Theodoricus à Nyem, qui pluribus Pontificibus à Secretis fuit, auctor eſt, Benedictum XIII. anno circiter 1480. cùm vitæ ſuæ incolumitati conſuleret, hoſtiam primùm ante ſe geſtare juſſiſſe, quæ ei ſatellitii loco eſſet.

Excip. Reding: *In Eccleſiæ poteſtate eſt determinare ritus Euchariſtiæ accidentales.* Ib. pag. 349. 350. Reſp. Non de authoritate Eccleſiæ, ſed de antiquitate ritus illius quæritur. Non audes hic propiùs congredi. Antiquitatem ubique crepatis. Hic verò ne quidem mutire ſuſtines. Potuit Eccleſia Pompa iſthac per quatuordecim Secula integra carere ſemper, quia Eccleſia ritus inutiles, vanos & inſtitutioni Divinæ contrarios nunquam ſancire poteſt.

OBIECT. II. *Olim Arca Jehovæ in ſolenni proceſſione circumgeſtata fuit, ſive id Deus mandâſſet, ſive non, uti liquet ex Joſ. VI. 2. Sam. VI. VII. 1. Reg. VIII. Quidnî etiam præter Dei mandatum euchariſtia circumgeſtari poſſit?* Reſp. 1. Generalis verbi divini regula eſt, voluntarium cultum, mandato divino non innixum, ſuperſtitioſum eſſe. 2. Arcæ circumgeſtatio mandato Dei minimè deſtituta fuit. Nam Joſ. VI. 4. diſertum mandatum extat. Nec ſine verbo Dei David & Solomon arcam Hieroſolymas deportari curârunt. Uterque enim Spiritu Prophetico præditus fuit, & ne in minimis quidem Oraculum Dei conſulere omiſit. Uterque etiam noverat, Hieroſolymam divinitus electam eſſe, ut arca fœderis ibi collocaretur, Deut. XII. v. 5. Pſal. CXXXII. 13. Et Davidem in deportanda arca conſilio etiam Dei uſum eſſe liquet ex 1. Paralip. XIII. 1. Solomon quoque de ſtructura Templi mandatum Dei diſertum habuit, in quo deportatio arcæ comprehenſa fuit. 3. Diſpar etiam ratio eſt circumgeſtationis arcæ & euchariſtiæ. Arcæ enim uſus licitus, & divino mandato comprobatus fuit, ut deportaretur. At euchariſtiæ uſus à Chriſto inſtitutus eſt, non ut circumgeſtetur, ſed ut manducetur ac bibatur.

Excip. Reding: 1. *Saul* 1. *Sam. XIV.* 18. *ſine ſpeciali præcepto arcam applicari juſſit. Et tamen eo ipſo tempore Philiſtæi proſtrati ſunt. Ita præſente arca in caſtris Joabi victoriam ex Ammonitis reportaſſe* 2. *Sam. XI.* 11. *legitur.* 2. *Etiam Eccleſia habet aſſiſten-*

tiam Spiritus S. Quod igitur facit, non sine voluntate & mandato Dei facit. Ib. pag. 350.351. Resp. 1. Quid te factum Saulis à Deo jam rejecti & religionem, perinde uti vos soletis, simulantis, adjuvat? Et tamen factum dubium est. Neque enim deportasse arcam in castra dicitur. Nam verba ejus ad Ahiam, הַגִּישָׁה אֲרוֹן *applica arcam*, non deportationem ejus notant, sed potiùs amandationem Ahiami ad arcam, quæ eo tempore cum filiis Israël fuisse dicitur, ut ibi Deum consuleret, quid facto opus sit in Philistæis persequendis. Ita qui consulunt alios, ad eos eunt; non consulendos ad se accersunt. Ita 2. Sam. XI. 11. Urias arcam dicit esse *sub tentorio*, hoc est, non in domo quapiam fixa aut lapidea, sed in tentorio penè tumultuario, quod David in civitate sua tetenderat. Deportatam esse in castra nuspiam dicitur. Et tamen nihil arcæ deportatio ad hostiæ circumgestationem facit, quia illa Israëlitis fuit symbolum præsentiæ Divinæ; hæc idolum, ad adorationem propositum: illa circumgestari Templo nondum extructo, utpote certo loco non destinata potuit; hæc utpote ad usum, non ad pomposam ostentationem instituta, manducationem & potum exigit. 2. Assistens Ecclesiæ veræ spiritus eandem verbo & institutioni Divinæ subjicit, non ab eo seducit & abstrahit.

OBIECTIONES reliquæ incidunt in eas, quas pro asservatione eucharistiæ, Festo corporis Christi, & adoratione Eucharistiæ allegant.

QUÆSTIO VI.

An singulis annis die solenni & Festivo, Sacramentum Eucharistiæ, seu corporis Christi, necessitate sub anathemate obligante, sit celebrandum?

AFfirmat Caput V. & Canon VI. Urbanus quartus Papa Romanus anno 1264. Festum corporis Christi anniversarium, incidens in feriam quintam proximam post octavam Pentecostes, instituit, secutus revelationem Leodiensis cujusdam mulieris, quæ ante Pontificatum ipsi familiaris, ac propterea in monasterium reclusa fuit, uti narrant Bostius & Petrus Præmonstratensis apud Balæum *Centur. 4. cap. 28.* Onuphrius tamen Panvinius, quem puduit tam nobilis festi à tam ignobili & pudendo principio exorti, in vita Urbani IV. aliam pandit instituti hujus Festi occasionem, miraculum videlicet, quod sacrificulo de panis & vini transsubstantiatione dubitanti contigerit. Nempe ex hostia, quam manibus tenebat, vivum sanguinem manare cœpisse, & totam mappam, quam corporale vocant, tinxisse. Sed de occasione quicquid fiat, certè Urbanus

Digitized by Google

banus IV. epiſtolam ſcripſit ad Evam illam, datam apud urbem Veterem Sexto Id. Sept. cujus initium: *Scimus, ô filia, quòd magno deſiderio deſideravit anima tua, ut ſolenne feſtum corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti inſtitueretur in Eccleſia Dei, à Chriſti fidelibus perpetuis temporibus celebrandum* Mox ſequuntur blaſphema verba, quæ Virginis Canticum, & ad hancce mulierculam, & ad recens hoc officium deflectunt: *Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo, quia viderunt oculi tui ſalutare tuum, quod paravimus* (ita Pontifex de ſe) *ante faciem omnium populorum.* Simul Evæ huic transmiſit *quaternum*, in quo totum Feſti hujus officium contineatur, à Thoma Aquinate, qui & novæ hujus doctrinæ patronus celebratur, & columbam argenteam iccirco à Pontifice accepit (unde columba illi ad humerum dextrum appingi ſolet) compoſitum, uti videre eſt apud Platinam *in vita Urbani IV.* & Nauclerum *Volum.* 11. *generat.* 43. Ac poſtea Bullam de eo confecit, *per univerſum orbem Chriſtianum dirigendam*, quam exhibet Hoſpinianus *Hiſtor. Sacram. lib. IV. pag.* 283. Nihilomninus, uti habetur in gloſſa Decretalium *Extra de reliq. & Venerat. Sanctorum*, conſtitutio illa tanquam novitas à multis ſpreta fuit, per quinquaginta ſex videlicet annos, uſque ad 2. annum Johannis XXI. qui Clementinas publicavit, poſt mutationem quatuordecim Pontificum, qui ipſum inter & Urbanum IV. interceſſerunt. Et ſic ferè, inquit, *mille trecentis annis eccleſia his caruit*, donec in Concilio Viennenſi Clemens V. ſanxiſſet, *ut ab omnibus obſervaretur.* Anno verò circiter 1360. cœptum Papiæ proceſſiones & tabernacula in Feſti hujus celebratione uſurpari. Circa initium Seculi XV. Martinus V. & Eugenius IV. Indulgentias duplo auxerunt. Hoc corporis Chriſti Feſtum ſub Anathemate à Synodo ſancitum, nos impugnamus ſequentibus argumentis.

ARG. I. Nec Chriſti, nec Apoſtolorum auctoritate, nec veteris Eccleſiæ praxi innititur. Non potuit igitur res noviſſima Eccleſiæ ſub Anathematis pœna injungi. Apoſtolus enim Col. II. 16. vetat nos à quoquam judicari ἐν μέρει ἑορτῆς *in parte feſti.*

RESP. REDINO: *1. S. Paulus Col. II. 16. de feſtis V. T. quæ futurorum Chriſti beneficiorum umbræ fuerunt, loquitur. 2. Formalis; hujus Sacramenti ratio reducitur in authoritatem Chriſti, præſentiam corporis ſui in Euchariſtia inſtituentis. Solennitas verò feſtivitatis ſpectata quoad actiones, quibus illa peragitur, materiales, in authoritatem Eccleſiæ.* Tomo II. Tract. VI. S. 5. pag. 351. 352. Reſp. 1. S. Paulus Col. II. 16. fideles N. T. vetat judicari ἐν μέρει ἑορτῆς *in parte* ullius *feſti.* Excludit ergo feſta quævis, quibus ceu neceſſariis conſcientiæ hominum onerantur. Nam etiam v. 20. mortuos una cum Chriſto elementis mundi, vetat ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ δογματίζεσθαι *ceu viventes in mundo dogmatizare*, hoc eſt, decretis, anathematis ſimilia injungere. Et ſicut ſtatim v. 21. non tantùm diſcrimen ciborum Judaicum, ſed quodvis religionis cauſa inductum rejicit: ita

ita festa quævis, per quæ homines se invicem judicant, rejicit. Vult enim, ut perstemus in libertate, Gal.V.1. Denique v.22. in cultu Dei omnia ἐντάλματα ἀνθρώπων *mandata hominum* rejicit. Tale esse festum isthoc, negari nequit. 2. Præsentiam corporis Christi corporalem falsò supponis. Solennitas eidem putri fundamento innixa, & sub anathemate obtrusa conscientiis, in Ecclesiæ non Christi, sed Antichristi, de quo Dan.XI.38. 39. prædictum est, quòd gloriam Dei Maozim multiplicaturus sit, authoritatem reducitur.

ARG. II. Neque ullæ omnino solidæ rationes impulerunt Ecclesiam ad Festi hujus institutionem, uti patebit ex iis, quæ inferiùs animadvertemus ad Bullæ & Concilii rationes.

RESP. REDING: *Contrarium colligitur ex diplomate Pontificio, in quo prægnantes instituti festi causæ allegantur.* Ib. pag. 352--354. Resp. Nos causas eas minimè prægnante esse, in solutione objectionum ostendimus.

ARG. III. Scatet hoc Festum erroribus & abusibus variis. Nam præter & contra divinam institutionem panis Eucharisticus in eo non distribuitur & manducatur, sed asservatus seorsim, & ab altero Symbolo sejunctus circumgestatur, theatricè ostentatur, adoratur, & ad heterogeneos usus applicatur.

RESP. REDING: 1. *Imò verò Pontifex in eodem diplomate constituit, ut in hoc festo fideles Sacramenti participes esse possint.* 2. *Reliqua per calumniam dicuntur.* Ib. pag. 354. Resp. 1. Hostia, quæ circumgestatur, non manducatur, credo, sed denuo reponitur. Licet etiam Urbanus in diplomate injungat, ut celebrantes festum *taliter se studeant præparare, quòd hujus pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reverenter*; tamen hodie quidem communionis gratia illud non celebratur, sed paucis fortè pro lubitu suo communicantibus, theatrica in eo pompa, & circumductio utramque paginam facit. Nempe quæ hodie in eo peraguntur, ne primis quidem festi authoribus nota fuerunt pleraque. Nam circumgestationis mentionem nullam in diplomate Urbanus facit. quæ demum sub Constantiense Concilium invalescere cœpit. Sic Pontificum instituta in deterius indies vergere solent. 2. Nihil per calumniam à me dictum esse, argumenta in loco allata & vindicata probant.

ARG. IV. Abducit Festum illud homines à crebriori eucharistiæ usu. Persuadentur enim miseri, eucharistiæ usum maximo cum periculo conjunctum esse: at Festi hujus cultum nullo periculo obnoxium, & magis meritorium esse.

RESP. REDING: *Contrarium liquet ex diplomate. Interim solicitè Ecclesia præcavet, ne nisi probè præparati Eucharistiam participent.* Ib. pag. 354. Resp. De Urbani diplomate, & mutatione festi jamjam nos quoque diximus. Ut dignè manducent & bibant fideles, præparationem ipse S. Paulus 1.Cor.XI.28. exigit. Et tamen frequentem communionem ib. v.26. injungit. Vos autem captis superstitione vestra animabus persuadere soletis, sumptionem Eucharistiæ cum maximo periculo conjunctam esse; cultum

Digitized by Google

verò hujus festi sine omni periculo multò magis meritorium esse. Et probè notandum, quòd in Bulla hujus festi tantundem indulgentiarum *spectatori*, quantum communicanti promittitur.

ARG. V. Accedit, quòd Festum hoc ipsâ eucharistiâ excellentius & efficacius statuunt. Urbanus enim celebrationi ejus largissimas indulgentias & peccatorum remissionem pollicetur. At contra Synodus Eucharistiæ effectum esse remissionem peccatorum negat.

RESP. REDING: *Sacramentum Eucharistiæ exigit peccati mortalis præviam remissionem. Atque ea in re excellentia ejus præprimis consistit. Quomodo ergo remedium, quo fit peccatorum remissio, ipsa Eucharistia excellentius est? Annon finis ex rei ipsius natura mediis dignior est?* Ib. pag. 354. 355. Resp. Salutis humanæ media haud dubiè præstantiora sunt, quæ effectus præstantiores & digniores habent. At festo corporis Christi, quod vos salutis medium finxistis, præstantiorem effectum habet, remissionem scilicet peccatorum mortalium, qua Eucharistia juxta vos destituitur. Ita meriti Christi dignitas à remissionis peccatorum effecto nobilissimo maximopere commendatur. Omitto errores tuos, quòd Eucharistiæ usus peccati mortalis, non venialis remissionem supponat, de quo infra: quódque communio Eucharistica festi corporis Christi finis sit. quod ex moderna saltem praxi falsissimum esse, nórunt omnes. Unum addo, Eucharistiæ dignitatem in eo, quod supponitur, neutiquam consistere.

ARG. VI. Indulgentiæ iis, qui Festum hoc celebrant, promissæ liberalissimæ velificantur potestati Pontificis, & merito Christi multum derogant. Etenim Julianus Pomerius ex Bullis Pontificum ejusmodi colligit indulgentiarum supputationem: *Qui*, inquit, *ipso die Festo intersunt primis vel secundis vesperis, vel Missæ, vel matutino, pro singulis indulgentias 400. dierum. Summa igitur diei Festi assurgit ad 1600. indulgentias infra octavam pro singulis 400. dierum in simul. Summa summarum igitur per festum & totam octavam ejus 4400. dierum indulgentiæ. Qui verò illa die communicant, illis 40. dierum indulgentias largiuntur.* Addit Pomerius, *eum qui indulgentias eas assequi velit, oportere firmum esse in fide.* Cui assertioni hanc notam subjungit Vir doctus: Ja freylich so muß er ein Gewüssen haben/daß ihme ein Wagen mit Heüw dardurch möge fahren / ut videlicet credat sine Dei verbo, tantam Ecclesiæ potestatem competere. Denique nunquam defuerunt in Papatu, quibus hoc festum minùs probaretur. Sanè Urbanus IV. Bullâ ad universos Christianos directâ impetrare non potuit, ut ubique reciperetur. Et circumgestationem in eo post Cusanum & Kranzium improbavit Cassander, uti supra vidimus. Memorabile etiam est, quod Bodius de Trochoregia *Comment. in Ep. ad Ephes. VI. 23. 24.* sibi à Mornæo Plessiaco narratum recenset, de Henrico III. & IV. Galliarum Regibus. Hi nempe cùm pace inita Cæsaroduni Turonum sub illud corporis Chri-

sti Festum convenissent, institutam esse pompam plusquam triumphalem & theatricam, quam Henricus IV. tum Navarræ Rex ex editiori pergula spectaverit. Id cùm intellexisset Henricus III. ad Mornæum Plessiacum hæc verba ingeminâsse: *Quàm vellem nugas illas ac nænias non vidisset, quibus nihil ineptius insulsiúsque videre potuisset! Quàm vereor, ne sic animum ejus abalienârit à nobis illa, quam vidit, histrionia, ut ad sacrorum nostrorum communionem jam nulla amplius ratione perduci queat!*

RESP. REDING: *1. Pontifex indulgentias ejusmodi promittendo id præstat, quod Canonibus antiquis, præsertim infinito valori meritorum Christi, nec non clavium Ecclesiæ in Petro concessorum authoritati consentaneum est. 2. Ante promulgationem festi ejus in singulis Provinciis ac Diœcesibus celebratio ejus omitti potuit, quia ex sententia probabili ad legis actualem obligationem tum in singulis Provinciis ac Diœcesibus promulgatio, tum ex benigna interpretatione ejusdem receptio requiritur. 3. Cusanus frequentem nimis per singulas ferias Eucharistiæ circumgestationem moderatus est, non absolutè eam improbavit. 4. Relatio de Henrico III. fidem nullam meretur. Qui enim is Henricum IV. ad fidem Catholicam reducere satagens, tam imprudente sermone usus esset, ex quo Mornæus Henricum à religione Catholica alieniorem tantùm reddidisset?* Ib. pag. 355. Resp. 1. Nihil minùs præstare, infra liquidò probamus. Quin potiùs pietatem fictitiam quæstui habet. 2. Urbani Bulla *omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis* inscripta, celebrationem hujus festi sanxit. Inter Urbanum IV. & Johannem XXII. quinquaginta plus anni intercesserunt. An temporis tanti intervallo Urbani Bulla omnes illos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos &c. latuit? Et si non latuit, promulgata non est? Adeò segnes fuerunt uncti illi in præstando officio, adeò immorigeri suo Papæ, in re tanti momenti? Nam festi hujus celebratione quid sacratius hodie in Papatu habetur? Cúmque ex benigna interpretatione ad actualem obligationem etiam receptionem requiri concedas, frustra nobis festum hoc negligentibus succenses. Non libet enim idololatricas ejusmodi nænias recipere. Adeóque ad celebrandum illud, vel te judice, non obligamur. 3. Nicolaum Cusanum, Papæ per Germaniam Legatum, Cranzius in Metropoli sua laudat, quòd *abusum S. Eucharistiæ nimis frequenti ejus per singulas ferias circumgestatione sustulerit, & constituerit, ut nisi inter octavas festi Sacramento dedicati in publicum non deferretur* (an idem hodie fit, Redingi?) addita ratione, *quia ejus Sacramenti usus à cœlesti Magistro institutus est ad usum, non ad ostentationem; de ipso verò festo certum sit, ab Urbano non ad circumgestationem institutum, sed ad celebriorem conventum, & ut homines per pietatis opera se præparent, quo hujus pretiosi Sacramenti eo die participes fieri, atque ipsum reverenter suscipere mereantur.* 4. Quid non hodiéque Methodistæ vestri, inprimis Walenburgii, & novissimè Benignus Bossuetus, ad Papatus dedecora tegenda, & faciem ejusdem fucandam tentarunt, ut in nassam suam incautos pertraherent? Annon simili studio Henricus III. Navarrensi Regi imponere velle potuit? Nam Sinoniæ vestrorum artes in propatulo pridem sunt.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Festum illud institutum est, ut populus Christianus Deo gratias ageret ob tantum & tam singulare beneficium nobis impensum. Ergo vituperari non potest.*

Resp. 1.

Digitized by Google

Resp. 1. Eadem ratione Festum baptismatis institui deberet. 2. Gratiarum actio fieri debet non quolibet modo, sed eo, qui divinæ institutioni & voluntati consentaneus est. Institutio autem divina jubet ad celebrandam Christi memoriam *hoc facere*, hoc est, devotè & in fide comedere corpus Christi, & bibere ejus sanguinem. 3. Quid cum ejusmodi gratiarum actione commune habet theatrica illa pompa, circumgestatio & adoratio hostiæ, contra divinam institutionem recepta? Quid præcepta humana præter Dei verbum libertatem & conscientias hominum in servitutem redigentia?

EXCIP. REDING: 1. *Baptismatis instituti memoria festo Epiphaniæ, octava inprimis ejus feria, celebratur.* 2. *Neque ad usum duntaxat institutam esse Eucharistiam supra probavimus.* 3. *Materiales actiones Eucharisticæ Divinitus non institutæ ab Ecclesia determinari potuerunt.* Ib. pag. 356. Resp. 1. Epiphaniæ festum in memoriam Sacramenti Baptismi à Christo instituti primitus celebrari consuevisse, falsissimum equidem est. Neque tu impune sic nobis impones. Festum Nativitatis & Epiphania apud Orientales olim unum idémque fuit. Apud Occidentales Epiphaniæ distinctæ fuerunt tres, nominatim *Epiphania* specialiter sic dicta, *Theophania*, & *Bethphania*. Epiphania in apparitionis Magis factæ; Theophania in S. Trinitatis apud Baptismum Christi apparentis; Bethphania in miraculi apud nuptias in Cana patrati memoriam celebrari suevit. Nulla in memoriam Baptismi. Imò Johannis Baptismum, quo Christus tinctus est, cùm tota substantia à Baptismo Christi disparatum pertendatis: quomodo in memoriam Baptismi Christi celebrari asseris festum illud, quo apparitio S. Trinitatis non in Christi, sed S. Johannis Baptismo facta recolitur? 2. Reliquas exceptiones tuas in superioribus diluimus.

OBIECT. II. *Sicut in Sanctorum memoriam non tantùm particularia celebrantur Festa, sed etiam generale, in quo omnium Sanctorum commemoratio fit, ut in eo suppleatur id, quod in particularibus festis ex humana fragilitate omissum est: ita fas etiam est, ut vivificum hoc Sacramentum corporis & sanguinis Christi festivitate aliqua celebretur, ut in eo suppleatur id, quod in aliis Missarum officiis fortè prætermissum est.* Est argumentum Urbani IV. in Bulla. Resp. 1. Si hæc necessitas incumbit Ecclesiæ, cur non Christus, Apostoli, primitiva Ecclesia ejusmodi Festum instituerunt? An tam segnis fuit vetus ecclesia, ut quidquam reliqui faceret, quod ad sincerum Dei cultum pertinet? 2. Hæc ratio dubiam quæstionem æquè dubio argumento probat, adeóque litem lite resolvit. 3. Præterea cultum Sanctorum, adorationem eucharistiæ, & sacrificium Missæ supponit.

EXCIP. REDING: *Institutio festi hujus non absolutæ necessitatis, sed congruentiæ duntaxat fuit. Iccirco nulla prioris Ecclesiæ non instituentis segnities fuit, sed fervor ejus potiùs laudandus est, utpote quæ defectus supplendos nullos habuit.* Ib. pag 356. Resp. Nec necessitas, nec congruentia ulla institutionem festi tot superstitionibus horribilibus

Digitized by Google

ſcatentis inſtitutionem flagitavit. Neque fidelibus Euchariſtiam celebrantibus unquam ſuos defectus defuiſſe, vel ſolus S. Paulus de Corinthiis fidelibus teſtis eſt 1. Cor. XI. 20.-34. ubi inter alia ſic eos corpus Chriſti non diſcernentes alloquitur v. 30. 31. *Quare inter vos multi ſunt infirmi, debiles, & obdormiunt multi? Si enim noſmet ipſos dijudicaremus, non judicaremur.* Forte illi morbos mortémque, quam ſibi indignè manducantes conſciverunt, feſti talis ſupplemento averruncaſſent. Id tamen Apoſtolo in mentem non venit.

OBIECT. III. *Nititur hoc feſtum divina revelatione facta Catholicis quibusdam & mulierculis.* Eſt argumentum ejuſdem Urbani. Reſp. 1. Quæ verò hæ mulierculæ? Juliana, Iſabella, Eva Leodienſis, Urbano in minoribus adhuc officiis conſtituto familiaris, uti Arnoldus Boſtius & Petrus Præmonſtratenſis ſcribunt. Puduit tam turpis principii ipſum Onuphrium Panvinium, qui proinde aliud miraculum commentus eſt. 2. In cultu Dei conſtituendo non alia revelatio, quàm verbi Divini ſpectanda eſt, utpote quæ fidei & vitæ exactiſſima norma eſt.

EXCIP. REDING: *Revelatio piis perſonis facta erat occaſio, ut feſtivitatis ejus cultus à Leodienſi inprimis, mox etiam aliis Belgii Eccleſiis ad Divini verbi normam collatus, fidei conſentaneus decerneretur. Poſt Urbani in minoribus adhuc conſtituti ſolennitatem eam in Belgio religioſè complectentis; poſtquam ad Cathedram Apoſtolicam eſſet evectus, authoritate pro univerſali Eccleſia fuit definita, & tandem à Clemente V. in univerſali Concilio diſtrictiùs præcepta. Hiſtoriam Bejerlink Theatri. Tom. III. lit. F. pag. 36. recenſet.* Ib. pag. 357. 358. Reſp. Revelationem fœminabus Julianæ, Iſabellæ, Evæ factam, & veram, & Divinam, adeóque juſtam inſtituendi feſti occaſionem fuiſſe, probandum tibi fuerat. Sunt enim quædam jactatæ viſiones non aliud, quàm illuſiones meræ Sathanæ, principis hujus mundi, ſe transformantis in Angelum lucis. Et cultus Dei univerſus verbo Dei ſcripto ſic definitus, & inviolabili ſigillo Apoc. XXII. 18. 19. obſignatus eſt, ut poſthac viſio nulla novi inſtituendi in Eccleſia cultus occaſio eſſe potuerit. De Spiritu S. Chriſtus dixit Joh. XVI. 14. 26. *De meo accipiet, & renuntiabit vobis. Suggeret vobis omnia, quæ dixi vobis.* Atqui de feſto corporis Chriſti nihil Chriſtus vel Apoſtoli concionati ſunt. Et res tota inſtitutione ea comprehenſa verbo Dei è diametro contrariatur. Non igitur Urbanus ex viſionibus dubiis de cultu Dei ferre judicium, ſed eas novum cultum præſcribentes, & quidem ἀντίγραφον in univerſum rejicere debuit. Inprimis cùm de fœminabus dixerit S. Paulus 1. Cor. XIV. 34. 35. *Mulieres veſtræ in Eccleſiis ſileant. Neque enim permiſſum iis eſt, ut loquantur, ſed ut ſubditæ ſint, ſicut & lex dicit. Quòd ſi quid diſcere velint, domi ſuos maritos interrogent. Nam turpe eſt mulieribus in Eccleſia loqui.*

OBIECT. IV. *Sicut faciliùs diſcunt rudiores, & retinent myſteria incarnationis, paſſionis & reſurrectionis Chriſti ex celebratione Feſtorum anniverſariorum, quàm ex libris vel concionibus: ita meliùs diſcunt rudiores in euchariſtiæ Sacramento Chriſtum eſſe præſentem, ſecus quàm hæretici docent, ex publica adoratione totius eccleſiæ, & eximio illo honore, qui huic Sacramento habetur, quàm ex multis concionibus.* Reſp. 1.

Hoc

Digitized by Google

Hoc verò est os in cœlum ponere, & ἐθελοθρησκείαν ac ceremonias ludicras prædicationi verbi, medio divinitus constituto anteferre. 2. Quo etiam jure celebrationem Festorum & conciones opponunt? Etenim conciones præcipua sunt pars legitimorum Festorum, quibus sublatis humanæ ceremoniæ superstitioni potiùs, quàm Divino cultui deputandæ sunt.

EXCIP. REDING: *Festa concionibus non opponimus.* Ib pag. 358. Resp. Objectio certè opponit. Et festi corporis Christi utramque paginam ludicra pompa facit. quam conciones, si quæ habentur, unicè commendant.

OBIECT. V. *David constituit stata lege cantores in Organis, Musicorum Lyris, & Cymbalis, ut coram arca Domini recordarentur operum ejus, glorificarent & laudarent Dominum. Quidni igitur idem in simili Festo facere liceat?* Resp. 1. In ea Davidis Festivitate ordinatio cantorum & instrumentorum Musicorum non pertinebat ad essentiam Festi, sed ad externam εὐσχημοσύνην, ornamentum ac incitamentum divini cultus. At in Festo corporis Christi ipsa cultus substantia præter & contra mandatum Dei introducta est. Quin imò Davidem ne quidem externum illud cultus ornamentum sine mandato Dei instituisse, liquere potest ex 2. Paralip. XXIX. 25.

EXCIP. REDING: 1. *Isthoc cultus Divini ornamentum externum ex præcepto Domini institutum fuit ex virtute religionis. Ergo etiam actus externi capaces sunt honestatis moralis ex virtutis religionis interiori bonitate in eos derivata. 2. Neque nos in ceremoniis his substantiam festi consistere statuimus.* Ib. pag. 358. 359. Resp. 1. Institutionem Divinam externi ejusmodi ornamenti proba. Pendet enim ex arbitrio instituentis, non religionis. Alias Christiana religio nunquam solennitatis & pompæ illius ludibriis carere potuisset. Quin potiùs ceremonias hujus festi ex gentilitiæ superstitionis lacunis haustas esse, proclive probatu esset. Res tam clara est, ut Polydorus Vergilius *de Invent. rer. lib. VI.* 11. ipse festum isthoc cum sacrificali pompa priscorum prolixè admodum contenderit. 2. Substantia festi, qua festum est, in solennitate, pompa & ceremoniis consistit. Hanc verò præter & contra mandatum Dei introductam esse, denuo assero.

OBIECT. VI. *In V. T. Festa sine mandato Dei instituta sunt. Ita Festum Sortium instituerunt Mardocheus & Esther, Festum victoriæ Judith; Festum Encæniorum Machabæi, quod ipse etiam Christus celebravit, ut ostendat, Festa ejusmodi Deo probari. Ergo etiam ecclesiæ licuit ejusmodi Festum instituere.* Aug. Reding. *Dissert. Controv. pag.* 488. Resp. 1. Ecclesiæ fas esse dies Festos instituere, qui nec aliis sanctiores habeantur mysterii causâ, nec per se, ut cultus Divini pars, conscientiam obligent, sed ordinis causâ observentur, nec libertatem Christianam onerent, nec verbo Dei repugnent, ultro fatemur. At Festi corporis institutionem ejusmodi non esse, abundè liquet ex argumentis superiùs allatis. Superstitiosum nempe est & idololatricum.

Digitized by Google

EXCIP. REDING: *Cùm mysteriorum, seu operum Dei, maxima sit inæqualitas, etiam festorum, quibus ea recoluntur, quoad sanctitatem inæqualitas aliqua esse potest.* Ib. pag. 359. Resp. Neque festa per se sanctitatem ullam habent, adeóque nec majorem vel minorem; uti in loco ostendimus: neque mysteriis institutionis Eucharisticæ major, quàm incarnationis vel passionis Christi dignitas est. Signa enim & sigilla re significata & obsignata præstantiora non sunt.

QUÆSTIO VII.

An omnes Christi fideles Sacramento Eucharistiæ cultum latriæ, aliâs soli summo Deo debitum, exhibere teneantur?

AFfirmat Synodus Cap.V. & Canone VI. Et Capite quinto quidem definit, *Sacramento exhibendum esse cultum latriæ*; at Canone VI. *Christum unigenitum filium Dei in Sacramento cultu latriæ esse adorandum.* Quæ duo non idem sonant. Non enim idem est, *Sacramentum esse adorandum, & Christum in Sacramento esse adorandum*, cùm in Cap.V. Synodus Sacramentum à Christo distinguat. Asserit enim in *Sacramento* illo cultu latriæ adorando, Christum Dominum ac Deum nostrum *præsentem adesse.* At in quo quid præsens est, non potest idem esse cum eo, quod in ipso *præsens adest.* Cùm igitur si à Christo discesseris, ex adversariorum hypothesi non aliud sit in Eucharistiæ Sacramento, quàm visibilia panis & vini accidentia, tam tenui videlicet & levi rei, quâ vix quicquam in omni rerum universitate longiùs à Deo distat, divinissimum illum latriæ cultum, aliâs soli Deo debitum, decernunt. Nam quòd Sforza Pallavicinus *Hist. Conc. Trid. p.1. lib.12. Cap.7. Sect.6.* ad purgandam hanc Synodi orationem affert, *Christum in Sacramento esse dici, non ut aquam in vasculo, sed ut partem in toto, cujus pars est,* admodum frigidum est. Non enim Christus in Sacramento *esse* simpliciter, sed in eo, præsens *adesse* dicitur, quæ verba non partis in toto, sed contenti in continente, vel locati in loco existentiam denotant. Nos equidem haud abnuimus, quin pani & calici, sacris Dominici corporis & sanguinis symbolis suus honos suáque reverentia debeatur, tum ob Authoris Majestatem, tum ob rerum, quas obsignant, divinitatem, tum ob ejus, quam in religione habent, singularem excellentiam. Verùm eum honorem atque reverentiam ad id honoris genus pertinere asserimus, qui & olim Agno Paschali, & nunc baptismo, cæterisque religionis signis & sacris ritibus legitimè habetur.

tur. Deinde neque hoc detrectamus, ut fideles in Sacramenti hujus perceptione Christum totum, in Sacramento quidem significatum, at in cœlo ad dextram Dei residentem, pio mentis & animi affectu adorent. Quod enim religiosè coli omni tempore debet, quidni eo etiam rerum articulo colatur religiosissimè, quo salutis ab eo acceptæ singularis recordatio peragitur? Cæterùm hoc unum contendimus hîc, ut diligenter secernantur signa à rebus, quarum signa sunt, enixéque caveatur, ne quod Augustinus *lib. 3. de doctr. Christi cap. 5.* miserimam servitutem esse pronuntiat, *signa pro rebus* accipiantur. Signis reverentiam exhibemus, at soli Christo latriam servamus. Quæ tametsi in uno eodémque officio, dum Sacramentum percipimus, simul semélque fiant, non minùs tamen distincta manere debent, quàm in baptismo adultorum adoratio Christi Redemptoris ac Domini, cui illi initiantur, & reverentia erga aquam sanctissimum mysterii symbolum toto cœlo distincta manent. Nos igitur Eucharistiæ Sacramentum latriæ cultu venerandum & adorandum esse negamus. Etenim

ARG. I. Adoratio est actus fidei. Fides nititur mandato & promissione. At Eucharistiæ Sacramenti adoratio nec mandatum, nec promissionem habet. De mandato satis constat ex institutione Sacramenti, in qua mandatum quidem est à Christo, ut acciperent, ederent, biberent, facerent ad recordationem sui; at nuspiam ut adorarent panem vel calicem. Id quod accipitur, editur, bibitur, adeóque in ventriculum transmittitur, quo pacto etiam sine præcepto adorari potest? Sanè ipsi Tridentini cap. 5. monent, institutum esse Sacramentum à Domino, *ut sumatur.* Quod autem ita instituitur, non jubetur adorari. Si utrumque præceptum est, & ut *sumeretur,* & ut *adoraretur,* cur non sicut prius, ita etiam posterius à Christo expressum est? Neque etiam promissio aliqua sive in institutione, sive extra illam demonstrari potest.

RESP. REDING: 1. *Ubi ergo Christus expressè mandavit reverentiam Sacramenti, quam tu ei deberi concedis?* 2. *Adoratio formaliter non est actus fidei, sed virtutis religionis, licet supernaturaliter in fide radicetur, & ad fidem spectet. Licet verò omne fidei objectum ex primæ veritatis jure obligationem credendi inducat, non tamen omnis actus fidei quoad exercitium statim subest præcepto.* 3. *Christus id, quod sub specie panis offerebat, dixit esse corpus suum, nempe qua suppositatum hypostasi Christi, quæ ipsa increata Filii Dei persona est. de qua præcipit Deus Psal. XCVII. 8. Adorent eum omnes Angeli Dei. Absolutè ergo, ultimatè & intransitivè latriam exhibemus Christo, relativè, concomitanter & transitivè speciebus panis & vini.* 4. *Sicut vos ei quod sumitur, manducatur, reverentiam deberi conceditis: ita præsenti sub speciebus Christo latriæ cultum deberi nos quoque asserimus.* Tomo II. Tract. VI. ss. 5. pag. 360.-362. Resp. 1. Etsi expressè reverentiam erga symbola Christus non præcepit, quia tamen benedictione symbola ex communibus Sacra reddidit, & facere jussit, quod ipse fecit, ipse autem actionem

Digitized by Google

nem non profanam, sed sacram & mysticam obivit, reverenter habenda esse Symbola, implicitè saltem sic innuit & præcepit. S. Paulus quoque 1.Cor.XI.20.--34.actionis totius Eucharisticæ sanctitatem,quæ reverentiam postulat,abundè demonstravit 2. Adoratio sine fide nulla est. *Quomodo enim invocabunt eum, in quem non crediderint?* Rom.X.14. Et fides ipsa adoratione exercetur, quia adorans credit, & profitetur, Deum esse omniscium, omnipotentem, summum bonum hominis. Ergo revelatione & præcepto Dei æquè destitui non potest,ac non ipsa fides. Et parratio actuum fidei sive elicitorum, sive imperatorum, quæ fidei ipsius est; quia Deus mandatis hominum se coli vetuit. 3. Deum esse adorandum: Christum esse adorandum: Christum esse Deum: Christum esse adorandum, in ipsa etiam Eucharistia, corpore licet in Cœlo agentem,ultro profitemur. Sed vel Sacramentum, de quo disertè Tridentini loquuntur; cultu latriæ sive absoluto,& intransitivo, sive relativo & transitivo adorandum esse: vel Christum tanquam contentum sub speciebus panis & vini, & in illo spatio existentem, ubi antea panis & vinum fuerunt, adorandum esse; vel adorandum esse secundum omnem modum præsentiæ suæ, id verò negamus. Alias etiam Deo vero, prout est in lapide, adoratio latriæ deberetur, & coram quavis creatura procumbere haud nefas esset; atque sic omnes creaturæ adorandæ essent. Taceo,quòd præsentiam corporis Christi supponas, quam supra debellavimus. Neque non possum tibi prædecessoris cujuspiam tui, Abbatis Einsidlensis, cui nomen erat Conrado à Rechenberg, apophtegma inculcare. Is enim uti documenta domestica testantur, visitatoribus, ut Missam celebraret, monentibus respondit: *Si verè Christus est in hostia, indignus sum,qui illum intuear; indignior, qui Patri offeram. Si non est in hostia, væ mihi, si panem pro Deo populo adorandum proponam.* 4. Reverenter haberi symbola sacra etiam ad usum destinata, propter relationem ad religionem,ipsa religio jubet. *Ne detis Sanctum canibus*, Matth.VII 6. At adorari id, quod comeditur, consumitur, manducatur, religio omnis abhorret. Adorationis enim objectum,infinita excellentia,passionibus ejusmodi nullatenus subjicitur.

ARG. II. Non tantùm mandato Christi, sed etiam exemplo Apostolorum in prima cœna caret Sacramenti adoratio. Quòd si à Christo præceptum intellexissent, ut panis & calix flexis genubus adoraretur, quis dubitat,quin mandato obsequentes se præbituri fuerint, atque eò magis, quòd panem & calicem non ex manu sacrificuli,sed ipsius Domini acceperint? Non adoratam esse ab Apostolis Eucharistiam fatetur Bellarminus, & cur id neglexerint,frivolas rationes adducit. Perronius verò ineptè tricatur, Apostolos sedentes adoràsse Eucharistiam, quomodo olim ex Numæ instituto Romani, & ante eos Græci sedentes Deos suos adoraverint. Nam nec id fecerunt unquam vel Romani vel Græci, nec Apostoli ad mensam sederunt,sed potiùs more usitato accubuerunt. Accedit, quòd Paulus 1.Cor.XI.vers.20.21.22. institutionem Christi repetens, adorationis nullo apice meminit, minimè eam, si à Christo præcepta esset, omissurus, inprimis cùm eo loco Corinthios, quòd cœnam Domini valde irreverenter celebrarent, arguat,

RESP.

Digitized by Google

RESP. REDING: 1. *Argumentum procedis ab authoritate negativa.* 2. *Cùm Christus dicens, Hoc est corpus meum, adorationem virtualiter præceperit, Apostolos saltem quoad interiorem cultum ei præcepto non satisfecisse, quis dicere ausit? Quam internam adorationem Bellarminus haud obscurè tradit.* 3. *S. Paulus Corinthios de irreverentia circa hoc Sacramentum arguens, virtualiter saltem cultum latreuticum hujus Sacramenti præcepit.* Ib. pag. 362 363. Resp. 1. Authoritas negativa apud Theologos habetur meritò agumentum nervosissimum. Nam *hoc divinare magis est, quàm explanare, ubi quod dicitur, non de Scripturarum authoritate munitur*, inquit Origenes *homil. 13. in Exodum.* Et Basilius *in Ethicis definit. 26.* Δεῖ πᾶν ῥῆμα ἢ πρᾶγμα πιστοῦσθαι τῇ μαρτυρίᾳ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς. *Oportet quicquid sit aut dicitur, confirmari testimonio Divinæ Scripturæ.* Sed vos hoc pridem jure non utimini. quibus perinde est Divina & humana authoritas: & æquè potentia humana commenta, ac Divina instituta. 2. Verba *Hoc est corpus meum*, indicativa sunt rei, non directè præceptiva ullius officii, nedum adorationis. Si pro corpore Christum totum supponis, à cœpis ad allia pergis. Nam Apostolos adorasse etiam in Eucharistia Christum, nemo negat. At Sacramentum eos adorasse, constanter negamus. Internam porro Apostolorum adorationem ab externa quomodo separare Bellarmino & tibi licuerit, si eum in usum instituta Eucharistia est, ut adoraretur, ipsi certè videritis. Sic enim Apostoli non externè adorantes æquè peccassent, ac si non edissent, vel bibissent. Et quis dubitat, quin ritus non sedendi, sed recumbendi ad mensam ad externam etiam adorationem opportunissimus fuerit? 3. Nihil minùs S. Paulus quàm Sacramenti cultum latreuticum Corinthiis commendavit. Ne apice quidem ullo ejus meminit. Reverentiam omnem v. 29. in διακρίσει *discretione* corporis Domini collocat.

ARG. III. Expressa est in verbo Dei voluntas, de adorando uno, solo, summo Deo, Deut. VI. 13. X. 20. Matth. IV. 10. At Sacramentum Eucharistiæ non est unus, solus, summus Deus. Sive enim Sacramenti ratio formalis ponatur in solis speciebus consecratis, quod faciunt Vasquez, Soto, Altensteig, Ficinus, alii; sive in compositione ex speciebus & corpore Christi, quod placet Suarezio, Bellarmino, Becano; nunquam efficietur, ut totum Sacramentum sit solus, summus Deus adorandus. Per Synecdochen verò accipere Sacramentum pro corpore Christi, quod Gabriel Biel meditatus est, non insolens tantùm, sed etiam paucis inter Pontificios acceptum, & Tridentino Concilio, uti ostendimus, adversum est.

RESP. REDING: 1. *Sic solum Deum adorandum Scriptura proponit, ut sub eo præcepto etiam contineatur Christus qua Redemptor, adeòque qua homo secundum naturam humanam, ratione hypostasis increatæ & Deitatis personaliter unitæ cultu latreutico adorandus. Cùm igitur in Eucharistia sit corpus Christi, qua terminatum Divina hypostasi, ibi etiam Christus qua homo cultu latreutico adorandus est.* 2. *In Eucharistia species adorantur, non per se, sed qua conjunctæ cum corpore Christi, Verbo Divino hypostaticè unito: humanitas, seu Corpus Christi realiter in Sacramento subsistens, adorationem in Christum directam terminat, sed ejus motivum non est: denique Divinitas sola in eadem Eucharistia subsistens est id, quod per se primò adorabile est per modum objecti formaliter moti-*

Digitized by Google

vi & specificativi latreuticæ adorationis. 3. *Sententiarum quædam apud Doctores de Eucharistiæ ratione formali diversitas, non realem differentiam, sed diversos tantùm loquendi modos continet.* Ib. p. 363-366 Resp. Sic pharmaca conquiris, quæ non tollunt idololatriam, sed ejus sensum sopiunt. Frustra verò. Etenim 1. cùm Mediator non sit nomen naturæ, sed personæ, & in persona sit ὁ λόγος, Deus, qui in unitatem personæ carnem assumpsit, adeóque Deus in carne manifestatus 1. Tim. III. 16. qui Mediatorem, & qua Mediatorem adorans non adorat hominem, sed Deum. Nam cujusvis hominis, qua talis, adoratio est adoratio *creaturæ præter creatorem*, adeóque vera idololatria, Rom. I. 25. Dispar ratio est Sacramenti Eucharistiæ, in quo externa accidentia panis & vini, quæ juxta vos sola remanent, ut aliquid vel essentialiter, vel hypostaticè unum cum Christo, apprehendi nequeunt. Et licet sic apprehenderentur, tamen vos objectum adorationis terminans statuitis Sacramentum, qua Sacramentum. Atqui Sacramentum, sive qua elementum, sive qua Sacramentum est in creaturis; vel ex ordine naturæ; vel ex consecratione gratiæ. Cùm igitur Sacramentum Deus non sit, & non Deo deferre latriam sit idololatria compertissima; in promptu est, quid sit hac de re pronuntiandum. 2. Cùm species Eucharisticæ à subjecto separatæ nihil sint; & humanitas Christi qua talis, unita licet hypostaticè verbo, sit κτίσις creatura; qui species sive per se, sive propter aliud adorat, is idolum fictitium, non Entia Deificata adorat; &c, qui humanitatem Christi, sive ut motivum, sive ut objectum terminans adorationis adorat, ab idololatriæ crimine absolvi nequit. 3. Neque hic sententiarum inter Doctores vestros divortia moramur. Esto enim, dissensus sit non in re, sed in modis loquendi (nihil tamen minus esse, partium dissidentium, & rationem, quibus illi utuntur, contendentium conflictus ostendit) consentiunt tamen omnes, Sacramentum adorandum esse. Nam Gabrielem Biel, Sacramentum per Synecdochen appellantem corpus Christi, seclusis speciebus, omnes hodie Pontificii improbant. Propriè autem Sacramentum à re, cujus Sacramentum est, distinguitur: quomodo aqua benedicta Sacramentum regenerationis, non est ipsa generatio. Et ut significet signum cum re signata unitum, uti Suarez, aliique contendunt, neque signum, utpote creatura adorationis objectum esse potest: neque signo illi ita unitus est Christus, ut ejus corpus & sanguis signo ἀδιαστάτως conjunctum sit. Quocunque igitur vos vertatis, Sacramentum adorantes, verum, Summum, solum Deum non adoratis.

ARG. IV. Res summi criminis est, aliter adorare Deum, quàm is in verbo suo præceperit. Hoc autem faciunt, qui adorationem dirigunt ad locum vel creaturam, ad quam dirigi Deus non jussit. Etenim solum mandatum Dei fuit causa, cur in V. T. rectè adoraretur in arca propitiatorii, idololatricè ab iis, qui eundem Deum Hierosolymis adoratum profitebantur se adorare apud vitulos aureos in Dan & Bethel, in templo Samaritano, & omnibus celsis. Si idololatria fuit, adorare quasi Deum cum fictione habitationis typicæ, sive in figura, quam Deus non delegerat in figuram: quid non erit adorare quasi Deum, aut quasi Christum cum fictione habitationis in re aut loco terrestri, quando venit veritas?

RESP.

Digitized by Google

RESP. REDINO: 1. *Expressum utique mandatum est, ut ubicunque evincitur Deus esse, ibi adoretur. At in Eucharistia est Deus. 2. An par ratio vitulorum aureorum, Templi Samaritani? An de iis etiam dictum est, quòd ibi sit corpus & sanguis Domini, sicut de Eucharistia Christus pronuntiavit? Apertam hæc hæresin & blasphemiam spirant.* Ib. pag. *366 377.* Resp. Si mandatum Dei de adorando Deo, ubicunque est, restringis ad adorationem Dei & rei, apud quam Deus est; vel ad adorationem Dei coram illa re, in qua Deus est; uti omnino debes, siquidem hypothesi tuæ de adorando Sacramento, quia in eo Deus est, inservire vis, bellè sanè idololatriæ omnis fundamenta jecisti. Annon enim ubique præsens Deus est? Annon in Sole, Luna, lapide, allio, cœpis? Te igitur duce tenebuntur Christiani omnes coram Sole, Luna, lapide, allio, cœpis quibusvis procumbere, & adoratione ad easdem, sicut ad Sacramentum vos soletis, directa, Deum adorare. Sic idololatras omnes Chaldæos, Ægyptios, Indos &c. purgasti probè. Aliud ergo est, adorare Deum, ubi est: aliud adorationem dirigere ad locum, vel creaturam, ad quam Deus dirigere non jussit. 2. Jeroboamus in vitulis suis eundem Deum, quem Israëlitæ Hierosolymis, coluit: eum scilicet, qui populum ex Ægypto eduxit, 1. Reg. XII. 28. Et tamen Deos alienos & conflatiles fecisse 1. Reg. XIV, 9. accusatur. Quamobrem? Quia verum licet Deum Israëlis in vitulis adorans, sine ejusdem præcepto adorationem ad locum & symbola specialia direxit? Non ovum ovo similius est, quàm vestra Panacei Numinis, & Jeroboamica vitulorum adoratio. Utrobique adoratio, uti prætenditur, veri Numinis, hic Dei simpliciter, ibi Christi corpore & sanguine specialiter præsentis, adeóque quâ veri Numinis, directa est ad locum fictitiæ specialis præsentiæ Dei, ad quam dirigi nusquam Deus jussit. Manifesta igitur est non hæc justè vobis objicientium blasphemia, sed vestra cum Jeroboamica paria faciens idololatria.

ARG. V. In Novo Testamento Deus se adorari vult in veritate & Spiritu Joh. IV. 24. *In veritate*, hoc est, cùm fide ingressus Christi in cœlum, ita, ut quoad habitationem in templo suo, hoc est, in carne, in terris non sit. *In spiritu*, ita ut Spiritus eam adorationem operetur in nobis. At qui Sacramentum Eucharistiæ adorat, is adorat quasi Christum in fictione præsentiæ terrestris, non in *veritate*; in eo, quod manus, & vox, & intentio Sacerdotis effecit: non in Spiritu.

RESP. REDINO: 1. *Deus adorari vult in spiritu & veritate. At quæ lucidior veritas, quàm verborum Christi: Hoc est corpus meum; de Eucharistia disertè affirmantis? 2. Fides ingressus Christi in Cœlum non pugnat cum veritate verborum illorum. Utramque ergo amplecti oportet. 3. Quod fecit Christus, Apostoli quoque, & eorum successores facere tenentur. At quod ipse in Sacramento confecit, fuit corpus ejus. Ergo quod hi in eadem conficiunt, pariter corpus ejus est.* Ib. pag. 367. Resp. 1. Conclude. Ergo Deus adorari vult in veritate lucida verborum, *Hoc enim est corpus meum.* Quid ineptire est, si hoc non est? Quis unquam de veritate verborum Christi dubitavit? De orthodoxo eorum sensu omnis quæstio est, & an præsentia Christi in Eucharistia ipsius Eucharistiæ, seu Sacramenti adorationem postulet? Hoc verò in N. Test. pugnare cum adoratione in veritate, puta Christi, non uti olim, in typica habitatione Sancti Sanctorum, sed in Sanctuario cœlesti, in quod post mortem ingressus est, adorandi, denuo assero. Et id ipsa ver-

ba Christi cum muliere Samaritana de loco adorationis, & Deo in figura, an in rei veritate adorando conferentis, palam præ se ferunt. Quando enim venit hora illa, qua non ampliùs ad hunc locum, hanc vel illam figuram adstringenda fuit adoratio, sed omni in loco in spiritu & veritate Deus adorandus fuit? Tum videlicet, quando umbra corpori, figura veritati cessit, & Christus Cœlum, cujus ὑπόδειγμα ad tempus fuit terrestre Templum, manu factum ingressus, abolitis umbris & typis, ipsóque tandem Templo & cultu Hierosolymitano destructo, non in ullo terrestri loco vel figura, sed in Cœlo adorandus fuit. 2. Non igitur veritas verborum Christi, sed adoratio Sacramenti, vel Christi in Sacramento, ceu terrestri figura & symbolo, cum veritate ingressus Christi in Cœlum, ibi posthac, & nullo terrestri in loco corpore suo præsentis adorandi, pugnat. 3. Sicut Christus Panaceum Numen, seu species Deificatas in Eucharistiæ celebratione neutiquam fecit: ita multò minùs manus, vox & intentio Sacerdotis, misolli homuncionis, vel corpus Christi, vel Panaceum ejusmodi Numen conficit. Deus Pater Christo corpus adaptavit, non homo ullus, Psal. XL. 7. Hebr. X. 11. Non igitur Spiritus Dei adorationem rei, quam in verbo suo Deus objectum adorationis nuspiam constituit, operatur; sed potiùs spiritus deceptor, manu, voce & intentione sacrificuli usus.

ARG. VI. Qui adorat Christum, oportet infallibili fide statuat, Deum & Christum esse, quem ut Deum & Christum adorat. At Papistæ infallibiliter certi esse non possunt, Christum esse, quem adorant. Quippe domestica illorum principia sunt, ut transsubstantiatio fiat, panem esse debere triticeum, non corruptum, vinum de uvis maturis expressum: pronuntiationem consecrativam fieri debere nec addendo, nec detrahendo, nec mutando, nec transponendo: Sacerdotem consecrantem oportere esse ritè baptizatum & ordinatum: eundem Sacramentum non aliter conficere, quàm si adsit intentio faciendi quod facit Ecclesia. De conditionibus autem istis in alterutram partem quotusquisque πληροφορητικῶς certus esse potest? Produnt anceps periculum disputationes Pontificiorum, quorum proinde multi ad adorationem requirunt conditionem expressam vel implicitam; *Adoro te, si Deus es.*

RESP. REDING: 1. *Quod Christus disertis verbis edixit, infallibili fide statuendum. At hoc esse corpus suum, disertis verbis edixit. Fallaciæ verò humanæ Divinæ & inconcussæ veritati verborum Christi præjudicare nequeunt. 2. Si proin fallaciæ quædam ex materiæ, formæ, vel ministri parte contingat, per quam non subsistat consecratio valida, tunc intentio adorantis per fidem directa ad Eucharistiam, seu Christum, qua in Eucharistia contentum, super fallaces eas species formaliter non cadit. Neque ullum hic idololatriæ periculum, etiamsi absolutè absque ulla conditione adorentur species solùm putativè, & non verè consecratæ, quia ubi habita fuit moralis circa consecrationis veritatem diligentia, tunc error ille merè speculativus est, nec falsitas in voluntatem influit; sed istius actus potest ex vera Christi adorabilitate, ceu motivo suo formali specificari.* Ib. pag. 367. 368. Resp. 1. Hoc, id est, panem benedictum legitimè, distributum, & jamjam manducandum: non hanc vel illam hostiam, quam legitimè à Sacrificulo hoc vel illo cum recta intentione consecratam habere requisita panis Eucharistici vobis, juxta hypotheses vestras, perpetuim

Digitized by Google

tim dubitandum eſt,eſſe corpus Chriſti,ipſemet Chriſtus edixit. Illud igitur nobis, non hoc vobis juxta hypotheſes veſtras infallibili fide recipiendum eſt. Neque omnino fallaciæ humanæ Divinæ & inconcuſſæ veritati verborum Chriſti, at opinioni tamen & hypotheſibus veſtris, quibus veritatem Euchariſtiæ ſuperſtruitis, præjudicant. 2. Quomodo intentio adorantis ſuper ſpecies fallaces non cadit,cùm non ſimpliciter Chriſtum, ſed Sacramentum Euchariſtiæ objectum conſtituatis? *Nullus dubitandi locus relinquitur*,inquiunt *Seſſ.XIII 5.* Tridentini,*quin omnes Chriſti fideles pro more in Eccleſia recepto latriæ cultum,qui vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant.* Tapperus: *Certa fide tenendum eſt, Sacram Euchariſtiam ſanctè à nobis adorari ſive in Miſſa, ſive extra Miſſam, ubicunque repoſita fuerit.* Quando igitur,verè Euchariſtia ſit nec ne, dubitandum vobis eſt, an tùm Euchariſtiam latriæ cultu adoratis? Etenim adoratio certam fidem & πληροφορίαν requirit, id, quod adoratur,eſſe id ipſum, quod adorare volumus, Rom.XIV.23. Hebr.XI.6. ne dicatur nobis, quod Samaritanæ dixit Chriſtus Joh IV.22. *Vos adoratis, quod neſcitis. Fides*,ita Bonaventura *3.Sent. diſt. 24. artic.1. q.1.* ſcribit,*dicit, nihil adorandum eſſe pro certo,niſi de quo habeatur certa cognitio.* Cúmque non tantùm ancipites perpetuò hærere debeatis, an vera Euchariſtia ſit, nec ne: ſed quandoque etiam ſive ex propoſito conficientis, ſive aliena vi intervenire fallacia poſſit,tum certè Euchariſtiam non adoratis,ſed alia omnia. Neque ſufficit hic *moralis diligentia*, vel humana certitudo;quo pharmaco idololatriæ veſtræ, ſenſum ſopire amatis,juxta viam illam adulteræ Prov XXX 20. *comedentis, & tergentis os ſuum, & dicentis: Non ſum operata iniquitatem.* Etenim tum demum moralis diligentia, & humana certitudo ſufficit,cùm nihil poteſt eſſe in re ipſa peccati. veluti ſi quis à me eleemoſynam auferat,præferens ipſe,ſe Evangelii cauſa ad inopiam redactum: vel cùm quis fingens ſeſe paſtorem verbi, à me honoretur. Etſi enim impoſturam pati durum eſt,reapſe tamen nihil pecco, cùm cuicunque egeno de meo largior,vel cuicunque homini civilem honorem exhibeo. Sed cùm impoſtura aliena impulſus facio contra legem Dei, tum verò non peccari nego. Humanam certitudinem habebant Johannes,cùm adoraret Angelum: Cornelius, cùm Petrum. Et tamen uterque reprehenditur. Cur non reprehendatur,qui humanæ certitudinis prætextu non Angelum, non Petrum, ſed panem adorat? Fruſtra igitur errorem eum merè ſpeculativum appellas, ejúſque falſitatem in voluntatem influere negas. Sic enim omnes idololatræ, qui mente occœcati verum Deum ignorant, & tamen verum, non falſum Numen adorare intendunt, volúntque, idololatriæ crimine exſolverentur facilè. Exſolvetur Rex ille Babylonius,qui credebat, Belum eſſe Deum verum,eumque adorando verum Deum adorare intendebat. Si ſciviſſet,non eſſe Deum, non coluiſſet. Fraude enim detecta colere deſiit, & in demolitionem conſenſit, ſi vera eſt narratio. Neque proin credam ego, falſitatem nullam in voluntatem influere tum,cùm adoramus id, quod adorabile ſit nec ne,nobis pro certo non conſtat. Sed audi inſuper Canonem *Præter hæc autem*, Diſt.22. ex Urbano II. ubi ſic ille: *Agentibus, vel ſuſcipientibus hæc eadem Sacramenta contra præfatorum Pontificum inſtituta: eis, inquam, agentibus vel ſuſcipientibus in tantum obſunt, ut verè idololatræ ſint.* Audi Sancteſium *Repetit.IV.12.* ſic ſcribentem: *Oportet priùs eſſe corpus Domini,atque ejus Sacramentum,quàm capiatur,ne ex delata ante uſum adoratione idololatria admittatur.* Audi: Oportet priùs *eſſe*,non putari. Denique quem latent diſputationes veſtræ,poſsítne hoc Sacramentum abſolutè,an ſub conditione,ſi ſcilicet ritè ſit conſecratum,adorari? Quæ,quàm lubrico loco ſit cultus veſter Euchariſticus, abundè commonſtrant.

ſtrant. Bonaventura *3.Sent. diſt.24. art.1. q.1.* ſic ſcribit : *Omnis fidelis rectè adorans hoſtiam conſecratam adorat ſub ea conditione, ſi perfecta ſunt circa ipſam ea, quæ ad conſecrationem ſunt neceſſaria ſecundum inſtitutionem Divinam.* Similiter Alenſis *3.part. q. 30. membro 3. art. 1. Sr. 3.* conditionem tacitam vel expreſſam requirit. Contra Suarez *in 3. p. Thomæ quæſt.79.* pertendit, per ſe loquendo, ac ſecluſis ſpecialibus circumſtantiis per accidens occurrentibus, abſolutè adorandum eſſe hoc Sacramentum, nullo in actu appoſita conditione. Citat Thomam, Richardum, Gabrielem Biel, Marſilium, alios.

ARG. VII. Adoratio implicat abſurdum dogma de Tranſſubſtantiatione, & Subſtantiali præſentia corporis Chriſti, quod utrumque cùm jam ſuperiùs expugnatum à nobis ſit, jam adoratio ipſa etiam ruat neceſſum eſt.

Resp. Reding : *Temeratæ Orthodoxiæ hic in articulis reum ſupra te peregi.* Ib. p.368. Reſp. Veram Orthodoxiam ab heterodoxia veſtra, & tranſſubſtantiationis illo tragelapho veſtro, in loco ſic vindicavi, ut nullus mihi ampliùs à te, vel apinis & gerris tuiſmetus ſit.

ARG. VIII. Et quæ illa profanitas eſt, adorare id, quod ſumitur, manducatur, in ſtomachum trajicitur, concoquitur, & vel in ſubſtantiam hominis tranſit, vel egeritur?

Resp. Reding : *Etſi Chriſti corpus & ſanguis una cum ſpeciebus Euchariſticis manducetur, & ad ſtomachum trajiciatur, accidentibus tamen deſtructis ita ibi eſſe deſinit, ut nihil de ſubſtantia ſua perdat, ſed unionem tantùm accidentariam cum ſuis ſpeciebus amittat.* Ib. pag.368. Reſp. Satis equidem pudendum eſt, adorare id, quod manducatur, & in ſtomachum trajicitur, ſive id ibi eſſe deſinat, ſive non. Quid ſic, ô artolatræ, vetat, quò minùs coram ſtomacho cujuſvis manducantis procumbatis, & coram eo adoretis? Saltem juxta legem veſtram, qua jubetis Chriſtum adorare, ubicunque eſt. Sic profectò Judæis, Turcis & gentilibus immane ludibrium debetis. Et quomodo nihil de ſubſtantia ſua, ſaltem quoad unionem partium, perdit, quod *dentibus atteri, dilaniari*, bonus ille Papa veſter Nicolaus, cúmque ſecutus Alanus, in apologia Berengario præſcripta, docuit? Quomodo nihil de ſubſtantia ſua perdit, quod offertur, ſacrificatur, adeóque deſtruitur? Si in ſtomacho eſſe ſimpliciter deſinit, citra corruptionem ſubſtantiæ, quò ergo poſtmodum vadit? Certè non in Cœlum, quia Cœlum nunquam reliquiſſe, ipſimet fatemini.

ARG. IX. Nunquam vetus Eccleſia perſuaſa fuit, Euchariſtiæ Sacramento hunc cultum competere. Nec in libello Conſtitutionum, quem illi pro antiquiſſimo habent, nec apud Juſtinum, ubi de Euchariſtia mentio, latriæ veſtigium ullum. Tempore verò Tertulliani ne quidem in genua procumbere diebus dominicis integrum fuit. Accedunt argumenta ex tribus prioribus ſeculis evidentiſſima, collecta à Cl. Dalleo *de Relig. cultus objecto lib. II.* qualia ſunt, quòd nullus eorum ſeculorum auctor adorationis meminerit : quòd Euchariſtia à Vetuſtiſſimis Chriſtianis elevata non ſit, & Seculo demum VI. elevari cœperit, non ut adoraretur à plebe, ſed ut Chriſti in cruce elevationem adumbraret : quòd nolæ pulſandæ

Digitized by Google

ſandæ ritus, quo hodie excitant homines, planè tum ignotus fuerit: quòd Euchariſtia ad abſentes deportari conſueverit abſque ulla pompa & cultus inſignibus: quòd rebus adverſis & triſtibus, vel magni etiam momenti occurrentibus non expoſita fuerit, ut hodie fit, euchariſtia adoranda: quòd non communicantes excluſi olim ſint, cùm hodie propter adorationem admittantur: quòd Euchariſtia olim circumgeſtari ſolita non fuerit: quòd Euchariſtiæ Veteres neque lucernas, neque cereos de die accenderint, neque flores ſolutos ſertóſque obtulerint: quòd Euchariſtiæ icones nullas fecerint: quòd Feſtum ei nullum conſecraverint: quòd ei preces vel adorationes nullas dixiſſe reperiantur: quòd Euchariſtiam olim etiam à cœnatis, imò inter cœnandum ſumi moris fuerit: quòd panem & calicem ipſi olim communicantes manu exceperint & in os intulerint: quòd quibuslibet communicantibus olim integrum fuerit particulas Euchariſtiæ domum auferre & recondere: quòd per pueros etiam ægrotis tranſmitti conſueverint: quòd Chriſtianis gentiles nuſpiam Θεοφαγίαν objecerint: quòd pagani multa objecerint Chriſtianis, quæ in artolatriam fortiùs & ſpecioſiùs dici poterant: quòd invidioſiſſimum anthropophagiæ crimen ſibi objectum refellentes id ſimpliciter negant, neque Euchariſtiæ negotium talibus in locis uſpiam memorant. Hæc fusè ſolidéque libro citato proſequitur Dalleus. Et ne in proximè ſequentium Seculorum conſenſu præſidium ſibi polliceantur adverſarii, idem vir antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimus *de Cultib. Religioſis lib. VII. cap.* 13. 14. &c. Euchariſtiæ adorationem uſque ad XI. Seculum fuiſſe prorſus incognitam oſtendit variis argumentis, qualia ſunt, quòd ἀρτολατρεία nec à Juliano, nec ab aliis paganis, nec à Judæis objecta Chriſtianis fuerit, ſecus quàm factum fuerit poſt Seculum XI. quòd nec in Liturgiis, nec in aliis illorum libris uſpiam occurrat: quòd Sacramentum vocare Deum vel Dominum, inauditum apud eos fuerit: quòd nullas ad Sacramentum preces fecerint: quòd pompæ hoſtiam ſervandi, & foras eductam geſtandi, prorſus incognitæ fuerint: quòd immenſa illa & moroſiſſima ſolicitudo, ne quid vel ex pane, vel ex vino perdatur, apud Veteres haud viguerit: quòd panem communicantibus in manus dederint, retinendum etiam, domum auferendum, ſervandum, imò cum mortuorum corporibus ſepeliendum, reliquias ejus cremandas, vel, uti à Græcis factum Seculo XI. ſubterrandas, à pueris in ludo literario conſumendas: quòd pœnitentes etiam tertii gradûs, & non communicantes ab euchariſtiæ conſpectu, olim excluſi; aliáque ejusmodi argumenta plurima, numero quadraginta

ginta & unum. Capite 44. ostendit, ne quidem XI. Seculo adorationem usitatam fuisse, idque arguit ex Lanfranci & Durandi libellis pro Paschasiano dogmate contra Berengarium editis, in quibus altum est de Eucharistiæ adoratione silentium. Quæ si jam tum nota fuisset, evidentissimum argumentum sententiæ ipsorum, quam contra Berengarium tuebantur, præbuisset. Quin fœtus hic novissimus est transsubstantiationis receptus tempore Honorii III. à quo Seculo XII. ea de re decretum factum est, quod extat in Decretalibus Gregorii IX. *de celebrat. Miss. cap.* 10. *Sanè cùm,* ubi glossa hanc eucharistiæ adoratoribus suggerit orationem:

Salve lux mundi, verbum Patris, hostia vera,
Viva caro, Deitas integra, verus homo.

RESP. REDING: *Argumentum totum est ab authoritate negativa. An quia Joh. I. 14. ubi verbum caro factum dicitur, nullum adorandi verbi carnis facti mandatum occurrit, iccirco adorandum non esse, sequitur?* 2. *Testantur autem S. Patres, in Eucharistia esse Christi corpus & sanguinem. Satis hoc est, ut credantur adorationem Christi in Eucharistia agnovisse.* 3. *In omnibus liturgiis veterum habetur formula à Sacerdote ante communionem proferenda talis:* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. *Et:* Domine, non sum dignus. *In iisdem præscribitur ceremonia hostiæ consecratæ elevandæ, & ad adorandum populo exhibendæ.* 4. *Si Christus realiter in Eucharistia contentus, ibi adorandus est, utique ritus illi, quorum apud S. Patres mentionem nullam esse contendis, sine superstitione retineri possunt, quandocunque originem ceperint. Non sunt enim simpliciter de necessitate adorationis Eucharisticæ; & ob diversum temporis statum adhiberi vel omitti possunt.* 5. *Christianis veteribus gentiles artolatriam objicere non potuerunt, quia non panem, sed carnem Christi adorarunt. quod etiam Justinus Martyr apol. ad Antoninum Imperatorem ingenuè fassus est.* Ib. pag. 369. 370. Resp. Ponderosissimis argumentis, ex ipsius piæ antiquitatis visceribus depromptis, nil nisi ægræ mentis somnia tua reponis. Hic enim si uspiam, quàm maximè vobis aqua hæret. Unde ad pleraque argumenta pisce magis mutus es: nonnulla carpere potiùs, quàm solidè refellere instituis. Etenim 1. authoritas negativa à vobis, antiquitatem ubique crepantibus, non planè sperni debuit. Quantum enim causæ vestræ præjudicium isthoc est, quòd in omni antiquitate puriore ejus adorationis, in qua prora & puppis religionis vestræ consistit, nec vola nec vestigium occurrit? Et tamen argumenta à me allata pleraque non negativa sunt, sed positivis notionibus evincunt, hostiam à veteribus adoratam non esse. uti expendenti liquet. 2. Præsentiam Christi in Eucharistia, qualiscunque ea est, Sacramenti ipsius adorationem neutiquam efflagitare, non semel jam demonstravimus. Quomodocunque ergo Christum in Eucharistia præsentem statuerint, ipsam tamen Eucharistiam, ipsum Sacramentum, in quo Christum præsentem statuerunt, eos vel adorasse, vel adorandum docuisse, in æternum probabis nunquam. 3. De liturgiis infra *ad Object. VI.* agimus. Neque vel adoratio Agni in Sacramento est adoratio hostiæ: vel elevatio hostiæ, non ante Seculum sextum usurpari solita, cum moderna vel ratione ritus, vel ratione finis convenit. Non ratione *ritus*, quia nullam legere est in liturgiis veteribus elevationem super caput, nisi Diaconi, non autem ipsius Sacerdotis: & quidem moderatam

Digitized by Google

eam, aliquantum super mensa; neque unius crustuli, sed totius disci, in quo erat videlicet, quicquid panis consecrati. Atque hoc ipsum tum, cùm invitabatur populus ad communionem, & in eum finem à mensa transferebatur. At vos non tantùm elevatis supra caput conficientis, quantum possunt intendi brachiorum ejus nervi; sed etiam unicum duntaxat crustulum, ut facilè sciant omnes non distribuendum populo. Nam & ipse solus universum consumit. Neque soletis elevare, cùm populus ad communionem admittitur. Non ratione *finis*, ut adoraretur, qui vester mos est. Nam in elevando nemo veterum adorationis meminit sive factæ, sive faciendæ: imò ob communionem, aliósque fines factam, memorant omnes. Quid verò multis? In Chrysostomi liturgia etiam Evangelii elevationem legimus. quod iccirco nec veteres adorarunt, nec hodie Papistæ adorant. 4. Præsentia Christi in Eucharistia neque adorationem Sacramenti, neque ritus adorationis Divinitus non approbatos, quales novissimi vestri sunt, puta circumgestatio Sacramenti, cerei accensi, flores soluti, icones Eucharistiæ, festum &c. exigit. quod vel ipsa rituum horum, qui cultus Eucharistiæ utramque paginam faciunt, novitas testatur. Neque tu hiscere contra novitatem eam vobis objectam ausus es. 5. Veteres in Sacramento adorarunt carnem Christi, hoc est, Christum cœlestem cibum in Sacramento oblatum. Vos ipsum Sacramentum. Nunquam autem gentiles Christianis veteribus adorationem vel Sacramenti, vel panis, vel specierum seu phantasmatum panis objecerunt. certissimo indicio, Sacramenti adorationem illis in usu nullam fuisse.

ARG. X. Denique etiam Cassander *in Consult. de adorat. Eucharist.* negat, adorationem referendam esse tam ad signum, quod exteriùs videtur, quàm ad rem & veritatem, quæ interiùs creditur. Et quomodo Sacramentum adorandum sit, formaliter an materialiter, ipsi inter se Cadmæi fratres disputant.

RESP. REDING: *In re ipsa, adoratione carnis & sanguinis Christi, nullus inter nostros dissensus est; licet adorationem discernant in intentione directa tum ad species, tum ad humanitatem, tum ad Divinitatem. Speciebus enim relativam, humanitati inferioris gradus, quàm ille est, quo Divinitas adoratur, adorationem, non formaliter, sed materialiter ad humanitatem Christi determinatam, tribuunt. Conciliari sic possunt, ut dicatur, Christi humanitatem adorandam esse latria absoluta, non motivè, sed purè terminativè ad eam se habentem*, Ib. pag. 370. Resp. Non de humanitatis Christi, sed Sacramenti adoratione, vel potiùs adorationis modo materiali & formali vestri litigant. Litem Bellarminus ipse *de Euchar. lib. IV. 29.* non dissimulavit. *Fatemur*, inquit, *Sacramentum ipsum dici adorandum. Sed hoc exponitur dupliciter. Qui enim sentiunt, Sacramentum Eucharistiæ formaliter esse corpus Christi, ut est sub illis speciebus, concedunt, etiam formaliter Sacramentum dici adorandum. Qui autem docent, Sacramentum Eucharistiæ formaliter esse species panis & vini, ut Christum continent, illi docent consequenter, Sacramentum Eucharistiæ materialiter esse adorandum.* Nondum ergo inter vos certò constat, quid sit Sacramentum, quod adorandum esse Tridentini sanxerunt: & quo illud modo sit adorandum. satis habentes, hostiolam nummulariam adorare. Tua verò conciliatio etiam quoad humanitatis Christi adorationem frigida planè & inepta est, tum quia adorationem nihil terminare potest, nisi quod Divinitatis rationem habet: tum quia quod adorationis objectum *motivum*, idem etiam *terminativum* est, & vicissim. Nam

quod terminat adorationem, infinita excellentia, seu Divinitas est, quæ eadem adorationis motivum est.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *In Eucharistia est præsens idem ille Deus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dixit:* Adorent eum omnes Angeli, *Heb.I.6.Psal.XCVII. 8.quem Magi procidentes adoraverunt,Matth. II. quem in Galilæa ab Apostolis adoratum testatur scriptura Luc.XXIV. Ergo Sacramento Eucharistiæ cultus latriæ debetur.*Est argumentum Concilii *Cap.*5.Resp.1.Christum Dominum nostrum in Eucharistia & præsentem adesse, & adorandum esse, ultro concedimus. At inde ipsum sacramentum, in quo Christus præsens adest, adeóque à Christo distinctum, adorandum esse, minimè sequitur. Deus etiam suam præsentiam Abrahamo testabatur ad quercum Mamreh, & Israelitis apud arcam fœderis, & columnam nubis & ignis. Rectè inde concluseris, Christum adorandum esse in baptismo: Deum adorari debuisse apud quercum Mamreh ab Abrahamo, apud arcam fœderis, columnam nubis & ignis ab Israëlitis. At symbola illa, aquam baptismi, quercum Mamreh, arcam fœderis, columnam nubis & ignis propterea adorandam fuisse, nemo sanus inde concluserit. 2. Si propter præsentiam Christi eucharistia ipsa, seu Symbola præsentiæ adoranda sunt, cur Christus in eucharistiæ institutione ejusmodi cultum non mandavit, Apostoli symbolis non exhibuerunt? 3. Christus cùm symbolis benedictis conjungitur unione non hypostatica seu personali, sed parastatica & sacramentali. Non igitur sicut totus Christus Mediator adorandus, ita totum Sacramentum ex Christo & symbolis constans. 4. Denique neque Christum in Eucharistia præsentem esse *substantialiter* & *corporaliter*, evidentibus à nobis argumentis superiùs demonstratum est.

EXCIP. REDING: 1. *Si Christus in Eucharistia præsens adest, & adorandus est, tali modo ibi præsens adorari debet, quo ex veritate verborum Christi ibi præsens esse creditur. At ex verbis Christi habemus, Hoc, quod est Eucharistia, esse corpus & sanguinem Christi. Certè caro Christi est cibus, non alius quàm Eucharisticus.* 2. *Non igitur in Eucharistia est adorandus, ut in Baptismo, sed uti verbi Divini hypostasis in Christo homine; tanquam intrinsecum personæ Christi constitutivum. Sicut igitur totus Christus, & propter hypostasin verbi sibi unitam humanitas, ita tota Eucharistia adoranda est.* 3. *Licet id, quod meri symboli in Eucharistia rationem habet, non debeat adorari latria absoluta, quia tamen Sacramentum constat non solo symbolo, sed ipso corpore & sanguine Christi, cum Deitate hypostaticè unito, Sacramentum totum latreuticè colendum esse sequitur.* Ib. pag 371. Resp. Magno conflato exercitu non aliud quàm conchas legis in litore. Etenim 1. in Sacramento ut imagine, adorandum esse Christum, vel ut ibi præsentem corpore suo, adorandum esse, vel carnem Christi cibum esse nonnisi in Eucharistia falsò supponis. Et

quomodo

Digitized by Google

quomodo nunc *Hoc* tibi notat Eucharistiam, & Eucharistia dicitur esse corpus & sanguis Christi; cùm alibi vobis *Hoc* non notet nisi ens quoddam vagum; & corpus ac sanguis Christi sit in Eucharistia, seu Sacramento, veluti signo; non ipsum Sacramentum, saltem adæquatè. Neque tu efficies unquam, ut si in Eucharistia adoratur Christus, ipsa Eucharistia adoranda sit. non magis, quàm ut adoretur Templum, si in Templo adoratur Deus. 2. Sed & falsissimè supponis, eodem modo totum Sacramentum, hoc est, Christum una cum speciebus adorandum esse, quo Christus θεάνθρωπος Deus & homo adoratur. Neque enim panis, nedum species panis, quæ sine subjecto suo nihil sunt, & Christus unum suppositum efficiunt. Alias, sicut caro Christi, ita accidentia panis in λόγῳ subsisterent. Atqui subsistentia omnis substantiarum, non accidentium est. Sed sunto Christus & species unum suppositum. Sicut igitur Christus Deus & homo, propter unionem hypostaticam, sed non humanitas Christi adoratur: ita Christus speciebus præsens, at non ipsæ species, quæ à nihilo parum vel nihil absunt, adorari deberent. Dic insuper, Redingi, annon Divinitas & persona Jesu Christi, formale & maximè propriè dictum adorationis motivum, æqualiter in Baptismo & Eucharistia præsens est, quicquid de humanitatis præsentia in Eucharistia fiat? An propter absentiam humanitatis in Baptismo, non est in eo, ceu symbolo, adoranda persona filii: at propter præsentiam humanitatis in Eucharistia, ut symbolo, adoranda est persona filii? Annon sic proprium adorationis subjectum humanitatem, non Divinitatem Christi constituis? Nam absente humanitate in symbolo non adorabitur Divinitas: at humanitate præsente & symbolum & humanitas ipsa adorabitur. Quæ hæc pudenda vestra idololatria est? 3. Symboli & rei, puta Christi, cum symbolo conjuncti non eadem ratio est; quia illud creatura, hæc creator est. Non igitur conjunctio symboli & Christi, ceu rei significatæ, merè relativa, non physica vel hypostatica, totius Sacramenti, hoc est, & symboli & rei significatæ latriam postulat. Neque enim illud Bellarmini *lib. de imag. cap.* 25. axioma: *Qui adorat aliquem, adorat ea omnia, quæ ipsi conjuncta sunt,* approbare possumus. Alias cùm vestri adorant imaginem Trinitatis, etiam telas aranearum imagini inhærentes: & qui adorant Papam, etiam crepidas & femoralia ejus adorare tenerentur.

OBJECT. II. *Deus Psal. XCIX.5. jubet adorare scabellum pedum suorum. Hoc Augustinus in Psal. 98. interpretatur de carne Christi, quæ ex terra est, & manducanda nobis præbetur.* Aug. Reding. *Dissert. Controv. p* 484. Resp. 1. Est argumentum non è Scriptura, sed ex Augustino Latina editione decepto. In Hebræo est השתחוו להדום *adorate ad scabellum*, non, *adorate scabellum.* Eadem phrasis Psal. CXXXII. 7. vertitur à Vulgato: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Adorare jussi sunt in loco, sed non locum. Ita & nos in eucharistia adoramus Christum, at non eucharistiam. 2. Augustinus carnem Christi docet adorari, etiam priusquam comedatur, propter *sanctum illum*, id est, Dei verbum, verum Deum, cui personaliter unita est. Eucharistiæ ne uno quidem apice meminit. Carnem enim Christi manducari etiam extra Eucharistiam, credidit Augustinus cum tota veteri Ecclesia. 3. Quid vetat etiam fidelem in Eucharistiæ participatione, Christi carnem, quam in ea sacramentaliter manducat, mente in cœ-

lum evecta tametsi absentem adorare? Sanè Augustinus carnem Christi in eucharistia corporaliter præsentem esse non dixit.

EXCIP. REDING: *Injuriam facis Augustino. An enim versiones Hebraicam & Latinam discordare, & Augustinum veritatis tenacem non fuisse, præsumere ausis? Et si de arca fœderis textus ille intelligatur, an sic ad arcam Deus adorandus fuit, ut ipsa arca ne relativè quidem & transitivè adorationem terminaverit? Perinde igitur est, scabellum pedum, an ad scabellum pedum adoratum dicatur. Quid quòd Augustinus idem disertè scribit, neminem carnem Christi manducare, nisi priùs adoraverit; & peccare nos non adorando?* Ib. p.371.372. Resp. Nunquam tu efficies, ut idem sit, adorare *scabellum pedum Dei*, & adorare *ad scabellum pedum Dei.* Illud objectum adorationis: hoc loci circumstantiam exprimit. Discordant igitur, quicquid nugeris. Neque qui scabellum pedum adorat, is transitivè adorat, quia adoratio per scabellum pedum non magis transit ad Deum, quàm per aëra & Cœlum. Neque Deus adorationem arcæ nuspiam à se præscriptam acceptasset. Non igitur transire ad Deum, neque Deus eam terminare potuit. Imò te ipso judice arca terminavit adorationem. Quomodo ergo transit? Et species Eucharisticas objectum terminativum adorationis toties nobis decantasti. De Augustino, repeto. Nuspiam ille dixit, Eucharistiam adorari, quod nunc disputamus; sed carnem Christi, hoc est, Christum incarnatum, seu Deum in carne manifestatum; & quidem priusquam comedatur, videlicet etiam ante celebrationem Eucharistiæ; & non comedatur à quoquam, nisi adoraverit. quod apud vos magnum mendacium, qui non ab impiis tantùm, sed etiam à canibus hostiam comedi defenditis, qui tamen, opinor, adorarunt nunquam. *Brutum* nempe *comedens Sacramentum verum Christi corpus devorare*, ait Josephus Angles, qui flores Scholasticorum collegit. *Quòd si mus aut canis*, ita Thomas p.III.q. 80. a. 3. loquitur, *hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinet ibi esse sub speciebus, quandiu species illæ manent, sicut etiam si projiceretur in lutum.*

OBIECT. III. *Olim arca adorari debuit ob præsentiam Dei. Quidni igitur hodiéque hostiam ob præsentiam corporis Christi adorari conveniat?* Resp. 1. Arcam adorare nuspiam Deus jussit, sed potiùs se apud arcam. Ita adoratum est in templo, sed nunquam adoratum templum. 2. Apud arcam ut adoretur Deus, mandatum ipsemet disertum tulit. At ut vel hostia adoretur; vel Christus apud hostiam specialiter & necessariò adoretur, nuspiam præceptum est.

EXCIP. REDING: *Horrenda impietas tua est, cùm contendis, magis Israëlitas obligatos fuisse ad Deum apud arcam adorandum quàm Christianos ad Deum apud hostiam adorandum, cùm in hac sit corpus & sanguis Christi, quæ in illa non fuerunt.* Ib. pag.372.373. Resp. Vel arcam, vel Sacramentum adorari ubi nam jusserit Deus, ostendere debueras. Hic responsionis meæ nervus, quem ferire non potes. Apud hostiam, vel in Sacramento adorandum esse Christum, sæpe jam concessum. At apud hostiam, ceu imaginem, sic adorandum esse Christum, ut coram hostia, ceu imagine, procumbentes & Christum, & species Eucharisticas specialiter & necessariò adorent, id verò nuspiam mandavit Deus; sicut mandavit disertè, ut convenirent apud arcam, atque inde responsa Dei operiantur, Exod. XXV. 22. Quæ ergo mea impietas est idololatriam vestram convincentis?

OBIECT. IV.

Digitized by Google

OBJECT. IV. *Adoratio & latria absolutè, ultimatè, intransitive, directè & formaliter in eucharistia exhibetur soli Christo. Sed speciebus Eucharistia veneratio religiosa exhibetur concomitanter, indirectè, transitivè, & respectivè. Ita mulier αἱμοῤῥοοῦσα piè & religiosè tangendo, adeóque respectivè & transitivè venerando vestimentum Christi, in ipsum Christum dirigebat intentionem, Matth. IX. 20. Quidni id ipsum quoque fiat speciebus Eucharistiæ longè arctiùs cùm Christi substantia conjunctis, quàm vestimentum illud fuerit? Unde etiam P. Martyr Class. 4. L. C. Cap. 10. Sect. 4. Symbolis honorem tribuendum ait.* Aug. Reding. *pag.* 486. Resp. 1. At Synodus Tridentina Sacramento, & quidem ut à Christo distincto, cultum latriæ deberi simpliciter definit, neque distinctionum ejusmodi fucum minimo jota innuit. Et Synodum sequitur Vulgus, hostiamque adorat simpliciter, neque ejusmodi distinctionis ficulneum folium vel assequitur, vel meditatur. 2. Quin & Bellarminus *lib. 4. de Eucharist. cap. 29.* docet, species, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum Christo, ipso latriæ cultu adorandas esse. 3. Idem Bellarminus *lib. 2. de Imag. S. cap. 24.* docet, esse de essentia latriæ, ut aliquid adoretur propter se, eò quòd latria sit summus cultus, qui debetur vero Deo, ut primo principio omnium rerum, contradictionem autem implicet, ut exhibeatur summus cultus primo principio & propter aliud, quia si principio primo, non propter aliud exhibeatur. Vel igitur respectivus & transitivus ille cultus est latria, vel alia species cultûs. Si latria est, judice Bellarmino, contradictionem implicat, quia latria exhibetur propter se, non propter aliud, adeóque non *transit* ad aliud, non *respicit* aliud, & sic non est *transitivus, respectivus, indirectus* ille cultus. Si alia species cultus est, quæ illa? Quo præcepto nititur? Cur Synodus vocavit *latriam*, & talem, quæ *summo Deo* debetur? 4. Mulier αἱμοῤῥοοῦσα non adoravit vestimentum Christi, sed tetigit. Tactum illum religiosum fuisse concedimus, adorationem fuisse negamus. 5. Honorem utique etiam symbolis tribuendum docemus. At eum vel strictè religiosum, vel latriam, vel adorationem fuisse, negamus.

EXCIP. REDING: 1. *Cultus absoluti, terminativi & intransitivi distinctio à cultu relativo, & transitivo, locis Exod. III. 5. Psal. CXXXII. 7. 2. Paralip. VII. 2. nititur. 2. Cultus ille relativus & transitivus est latria non simpliciter, sed analogicè. Aliter enim se habet excellentia Dei & Christi per cultum latriæ testanda sub suo esse reali, aliter sub esse symbolicè repræsentativo. Bellarminus autem de latria non analogica, sed simpliciter tali loquitur. 3. Sicut uno eodémque fidei actu ita assentimur primæ veritati, ut propter hanc simul credamus creatum fidei de Christi passione mysterium: sic multò magis sub uno eodémque latreutico adorationis actu comprehendi possunt tum primi principii ultimique finis excellentia, tanquam primarium & ultimè specificativum motivum; tum honestas objectiva, consistens in suprema hujus excellentiæ Divinæ recognitione per symbolum mysticum*

 repræ-

repræsentata. 4. *Vulgus juxta Tridentinum Concilium adorando hostiam, suam intentionem ad totum Sacramentum dirigit, species cultu relativo, Christum absoluto attingendo.* 5. *Honor & reverentia, quam symbolis deberi concedis, an in symbolis sistit, an transit in Christum? Si prius, impium hoc est. Si posterius, habetis cultus transitivi & intransitivi differentiam,* Ib. p. 373-376. Resp. 1. Frustra te Sophisticam distinctionem, transitivi & intransitivi cultus, palliandæ idololatriæ vestræ inservientem unicè, Scripturæ testimoniis à te citatis inædificasse, jam pridem loco à te allegato demonstravi. Verbo dicam: ubi Moses terram, quam *Sanctam* Deus appellavit Exod. III. 5. ubi David *scabellum pedum Dei*, seu, uti Vulgata reddit, *locum, ubi steterunt pedes Dei* Psal. CXXXII. 7. ubi Solomon *domum Jehovæ, à gloria Dei repletam* 2. Paralip. VII. 2. adoravit? Priùs rem demonstra, & tum modum, quacunque subtili distinctione vis, explica. Qui non adorarunt, nec transitivo, nec intransitivo cultu adorarunt. Vos autem Eucharistiam & adoratis, & adorare vos, profitemini. Quid quòd totum Sacramentum absolutè, intransitivè, non relativè & transitivè adorandum esse, vestri decernunt. ut nullus distinctioni tuæ locus esse possit. *Ecclesia,* ita Suarez *In. 3. p. Thomæ q. 79. a. 8.* loquitur, *absolutè totum Sacramentum adorat. Et Concilium Tridentinum non sub nomine Christi, sed Sacramenti docet adorandum esse sanctissimum hoc Sacramentum.* Rursus: *Etsi species nunquam per se, neque distincto actu adorentur, sed adoratione latriæ (NB.) absoluta & perfecta ordinariè & regulariter coadorentur cum Christo, sicut caro coadoratur verbo, si quis tamen velit mente disjungere, quæ in re conjuncta sunt, potest solas species adorare.* Addit quidem, *totam adorationem non posse esse absolutam, nec latriam primariam & perfectam, sed respectivam & secundariam, qualis est imaginis, quando hoc modo & separatim adoratur à prototypo.* En adorationem absolutam specierum, dummodo conjungantur cum Christo. Separatas verò adorari posse asserit, sed adorari negat. Quid ergo de fictitia distinctione vestra ultra contendimus? 2. Cùm, Bellarmino judice, de essentia latriæ sit, *ut aliquid adoretur propter se, eò quòd latria sit summus cultus, qui debetur vero Deo, ut principio omnium rerum;* sequitur latriam non esse cultum eum, quo aliquid non adoratur propter se, sed propter aliud. Nam essentiam latriæ non habet. Quam igitur tu *latriam analogicam* appellas, non re, sed fictitio nomine latria est, qualem certè Synodus Tridentina non intellexit; quæ simpliciter *latriæ*, veræ scilicet, non nominalis, cultum Sacramento vendicat. Tuas ergo distinctionum picturas nihil moramur. Excellentia enim Dei & Christi sub esse suo *reali & repræsentativo* seu *symbolico* una eadémque semper est, neque unquam efficit, ut symbolum repræsentans ejusdem excellentiæ, adeóque etiam adorationis particeps reddi possit. Alias quot symbola, quot typi, quot umbræ Christi olim adorari debuissent? 3. Stolida est, quam adducis comparatio. Fides enim, qua primæ veritati aliquid sive creatum, sive increatum revelanti assentimur, nunquam in creaturam, de qua aliquid revelatur, semper in Deum revelantem, ut primam veritatem, fertur. Sic adoratio nunquàm in creaturam, semper in creatorem fertur. Excellentiæ Divinæ recognitio per symbolum repræsentata ad cognitionem Dei adorandi, non ad symboli adorationem refertur. Mitte, quæso, præstigias tuas, & in re seria ingenuè age. 4. Vulgus vestrum intentionem adorandi ad Sacramentum dirigere, largior. Sed Sacramentum panis est; quicquid illud sibi imaginetur. Nam *symbola mystica,* uti Theodoretum loquentem alibi vidimus, *naturam suam non amittunt.* Elementorum usum mutant, substantiam retinent. Et Christus semel ex Maria Virgine natus, ex pane & vino reproduci nequit. Hoc insuper quæritur, an populus vester adorationem

Digitized by Google

nem absolutam à relativa distinguere possit, vel distinguas? Hoc nego. Nec tu contrarium asserere audes. Quinimò ne ipse quidem Suarez, haud ex fœce populi homo, potuit, uti modò vidimus. 5. Honor, seu reverentia, qua symbola sacra, ceu res sacras, & Deo deputatas prosequimur, nec cultus propriè religiosus, nec adoratio est. Frustra igitur de ea quæstionem instituis. Non enim si symbola honoranda, hoc est, propter, Divinam institutionem, & relationem ad rem significatam, pro sacris, non profanis rebus æstimanda sunt; hostiam adorandam esse vel absolutè, vel relativè consequitur. Nisi forte quælibet reverentia adoratio, & quidem latriæ cultus est. quod absurdum sanè omnes despuent.

OBIECT. V. *Patres adorandam esse hostiam docuerunt. Dionysius Areopagita Hier. Eccl. cap.3. Orationem Sacramenti præit. Origenes Homil. 5. in loca diversa Evang. modum adorandi Christi in eucharistia docet. Gregorius Nazianzenus Orat. de obitu Gorgoniæ, illam noctu ante altare procubuisse, & Christum videlicet in eucharistia adoràsse, scribit. Ambrosius, Augustinus, per scabellum pedum terram, carnem Christi adorandam intelligunt. Chrysostomus Homil. 61. ad pop. Antioch. & Homil. 3. ad Ephes. jubet adorare & manducare. Et in Homil. 24. in 1. Cor. Orat. de Philogonio, hortatur, ut fideles adorent corpus Christi in altari positum.* Aug. Reding. p. 487. Resp. 1. Patres cum artolatria nihil constitutum habuisse, supra probavimus. 2. Pseudo-Dionysius Areopagita figurato sermone, & per prosopopœam, quâ rebus inanimatis sensus, mens & sermo affingitur, eucharistiam, quam personam audientem & intelligentem effingit, non adorat, sed alloquitur, uti etiam Pachymeres interpretatur. Similem ad baptismum προσφώνησιν Ambrosius *in Luc.* 22. habet. 3. Origeni tributum opus 10. *homiliarum de diversis*, non ejus, sed incerti auctoris esse, plerique ipsi adversarii agnoscunt. Et ipsam hanc quintam non Origenis, sed hominis Latini esse, produnt tum illa, quæ de *agri* & *villæ* etymo philosophatur, tum alia. Neque adorandam hostiam docet, sed Dominum, qui tum per sanctum illud epulum sub tectum nostrum ingreditur. Tam non Symbola ibi adoranda dicuntur, quàm non Antistites. 3. Gregorius Nazianzenus Gorgoniam ait invocâsse eum, *qui super altari honoratur*, Christum nempe, non ejus antitypa, panem & vinum. 4. De Ambrosio & Augustino vidimus superiùs. 5. Chrysostomus docet fidelem, antequam communicet, adorare debere. Cui hoc dubium? Et Homil. 3. ad Ephes. hortatur, *ἀνάπεσον καὶ μέτεχε, accumbe*, (non adora) *& participa.* At *hom. 24. in 1. Cor.* ne quidem eucharistiæ meminit, sed duntaxat corporis Christi à Magis in præsepi adorati.

EXCIP. REDING: *1. Ad Sacramentum, quod Christus corpus suum pronuntiavit, ejusmodi preces dirigere, nulla prosopopœia est. 2. Cujuscunque autoris sit liber Origeni adscriptus, testatur ille, in Eucharistia Domino pectus nostrum ingredienti dicendum esse: Non*

sum

Digitized by Google

sum dignus &c. 3. Si, teste Nazianzeno, Gorgonia ante altare Christum invocavit, in ipso altari sub Eucharistico Sacramento Christum præsentem adorandum esse credidit. 4. Chrysostomus homil. 61. ad pop. Antioch. disertè dicit: Pura sint vestimenta, adora & communica. Eundem homil. 24 in 1. Cor. 10. Eucharistiæ meminisse arguit ib. cap 10. ubi de corpore Christi non tantùm in præsepi à Magis adorato, sed in altari sub sacrificio majori, quàm à Magis exhibita fuerat, reverentia honorando loquitur. Ib. pag. 376. 377. Resp. Uno flatu dissipari omnia possunt. Ostende vel unum jota, quo non Christum in Sacramenti celebratione, sed Sacramentum adorandum esse latriæ cultu, quisquam Patrum illorum dixerit. Ad has lineas decurrere, non exerrare ad aliena debuisti. Sed nec sic tamen quicquam ad rem dicis. Etenim 1. Pseudo-Dionysii verba *de Hierarch. Eccl. cap. 3.* sic sonant: *ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή, τὰ περικείμενά σοι συμβολικῶς ἀμφιέσματα τῶν αἰνιγμάτων ἀποκαλυψαμένη τηλαυγῶς ἡμῖν ἀναδείχθητι, καὶ τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις ἑνιαίου καὶ ἀπερικαλύπτου φωτὸς ἀποπλήρωσον. O Divinissimum ac Sacrosanctum Sacramentum circumposita tibi symbolicè ænigmatum operimenta revelans liquidò nobis manifestare, mentisque nostræ obtutus singulari & intecta luce adimpleto.* Nihil prorsus hæc verba cum Divino, imò & *latreutico*, uti vos vocatis, Eucharistiæ cultu commune habent, quia tota figurata sunt, adeóque non invocationem religiosam, sed prosopopœa mixtam ad Eucharistiam apostrophen, qua eam in personam audientem & intelligentem effingit, effictámque alloquitur. Et qualiscunque hæc figura est, illud tamen, quòd Eucharistiam jubet ista sibi symbolicè circumposita ænigmatum operimenta ipsam retegere, id est, amovere & explicando patefacere, quæque in iis latebant, mysteria nudare ac revelare, séque palam & apertè, ut nudam ostendere, id à natura Eucharistiæ simpliciter ac per se consideratæ alienum est. Hactenus enim res est inanimata, intelligentiæ & sermonis expers. Eidem verò, ut personæ, in quam à Dionysio efficta est, omnia rectè congruunt. Detracta ergo sermoni figura, simplex sensus remanet, se nunc operam daturum, ut totum nobis Eucharistiæ mysterium patefiat. Atque hoc è vestigio in ultima capitis illius parte facere aggreditur. 2. Neque rectiùs Pseud-Origenem tuis partibus adjungis. Nam simpliciter jubet ille Domino, qui sub tectum manducantis & bibentis corpus & sanguinem Domini ingreditur: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Hæccine adoratio, latria Sacramenti Eucharistici est? Ab hoc nos abhorrentes toto pectore, non renuemus tamen ipsi manducantes & bibentes corpus & sanguinem Domini, dicere: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* En tuam illam *εὐχίνδω ἐπιεικείαν*! 3. Gregorius Nazianzenus *Orat. 11.* de Gorgonia Sorore, cùm morbo gravissimo laboraret, scribit: *τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει, μετὰ τῆς πίστεως, καὶ τὸν ἐπ' αὐτοῦ τιμώμενον ἀνακαλεῖται βοῇ μεγάλῃ* &c. *Ad altare cum fide procubuit, & eum, qui super eo honoratur, magno clamore invocavit.* An verò quod super altari honorari dixit, fuit Sacramentum, vel species Sacramentales: vel quicquid super altari colitur, id super eo poni necesse est, vel denique quicquid super altari ponitur, id super eo etiam coli decet? Atqui jam olim Deus super Israëlis altari cultus est. Et victimas in eodem altari positas scimus, at à quoquam adoratas esse, dixerit nemo. 4. Chrysostomi *homil. 61. ad Pop. Antioch.* verba sunt: *Si pura sunt vestimenta, adora & communica.* Sed ubi Sacramentum adorare jubet? Quis ambigit, fidelem, priusquam communicet, adorare debere? Ne dicam, homilias ad populum Antiochenum, inde ab 21. ad 80. usque non Chrysostomi opus, sed *ἀπανθίσματα* florilegia ab aliquo ejus studioso excerpta esse. In altera homilia 24. in 1. Cor. ne jota quidem apparet de adoranda Eucharistia. Tantùm ait, nobis ad sacram mensam

ſam accedendum eſſe mente vigilante,cum timore & tremore, & majori cum reverentia, quàm qua olim Magi ad Chriſtum in præſepi jacentem acceſſerunt. Quidni,cùm mortem Domini, maximum ejus myſterium commemoraturi & celebraturi veniamus? Si corpus illud Sanctiſſimum,ſeu potiùs Chriſtum pro nobis in ara crucis immolatum,adorandum eſſe inde colligunt, nemo id in dubium revocat. Aliud verò quæritur,an id, quod à menſa ſumitur, quódque in viſcera noſtra edendo immittitur, adorandum ſit? De eo Chryſoſtomus nec γρῦ, nec μὺ habet.

OBIECT. VI. *Perpetua fuit conſuetudo elevandi & oſtendendi Euchariſtiam, cujus mentio eſt apud Dionyſium Areopagitam Hierarch. Eccl. Cap. III. & in Liturgiis tam Græcis, quàm Latinis. Quæ conſuetudo conformis fuit Dei verbo, uti liquet tum ex Pſal. LXXII.16. ubi firmamentum dicitur futurum in terra in ſummis montium: tum ex ſacrificiis veterum, quæ elevari decuit: tum ex ſerpente æneo, qui figura Chriſti fuit, elevato. Cui verò bono elevata fuit hoſtia, niſi ut adoretur?* Reſp. 1. Elevationis finis non eſt adoratio, uti liquet ex ſacrificiis Leviticis, quæ ex Divino mandato elevari debuerunt, at adorari minimè. 2. Euchariſtia à vetuſtiſſimis Chriſtianis in ſacris elevari non conſuevit,uti Juſtini, Cyrilli-Hieroſolymitani,& aliorum de ea ſilentium arguit. Sexto demum Seculo apud Græcos elevari cœpit, non ut adoraretur à plebe, ſed ut Chriſti in crucem elevatio, & in cœlum aſcenſio ei adumbraretur: neque eo ritu,qui hodie obtinet. Apud occidentales verò non ante XII.Seculum elevata hoſtia eſt adorationis gratiâ. Demonſtravit poſt alios Cl. Dallæus *de Religioſi cultus objecto lib. II. 16.* nec non *de Cultibus Religioſis lib. III. 20. 21. &c.* 3. Dionyſius Areopagita Dithyrambico ſuo dicendi genere ait, Hierarchiam ὑπ' ὄψιν ἄγειν τὰ ὑμνημένα,*quæ hymno prædicata ſunt,in conſpectu ponere.* Loquitur non de pane duntaxat, ſed etiam calice. Ea non elevata dicit,uti etiam fatentur Corderius,Menardus,Goar,alii: ſed per ea in conſpectum data,quæ cecinerat, hoc eſt, illum, ea quæ myſticè dixerat, ſymbolis ipſis exhibitis patefeciſſe. 4. Quoad liturgias, nulla elevationis mentio eſt in iis, quæ tribuuntur Petro, Marco, Clementi. In Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, quæ memoratur elevatio, diverſa eſt ab hodierna. Et liturgiæ eæ interpolatæ ſunt admodum, uti Andreas Maſius, Baronius,Bellarminus fatentur, ut ſecluſis aliis teſtimoniis de dogmatis alicujus, vel ritûs antiquitate fidem facere nequeant. 5. Ineptiſſimè autem ex divino jure ritus ille arceſſitur. Etenim Pſalm. LXXII.16.verba ita ſonant: *Erit pugillus frumenti in terra,in vertice montium.* Nihil ibi de euchariſtia, de qua locum neoterici frivolè interpretantur, ſed de ſumma fertilitate credentium in Eccleſia. Nec *poni in vertice montium* elevationem neceſſariò notat. Nec ſacrificia ſuper caput Sacerdotis elevabantur. Et ut elevarentur illa, præceptum erat. At ut hoſtia

 elevetur,

elevetur, minimè. Denique serpens elevatus Christum, non eucharistiam adumbravit.

EXCIP. REDING: 1. *Elevationis finis in sacrificiis Leviticis erat consentaneus virtuti religionis. Ergo ea latriæ cultus aliquis erga Deum fuit peractus. Par ratio elevatæ hostiæ.* 2. *Ex Justini, Cyrilli &c. silentio ductum argumentum, utpote ab authoritate negativa petitum, non stringit.* 3. *Cùm fateare, elevationis mentionem in liturgiis Jacobi, Basilii, Chrysostomi occurrere, qui tam turpiter tui oblitus asseris, elevationem demum Seculo sexto apud Græcos cœpisse? Licet autem liturgiæ eæ interpolatæ essent, tamen dogmati de corporis & sanguinis Christi veritate, & religiosæ elevationis ritui testimonia antiquitatis astipulantur.* 4. *Si serpentis ænei elevatio fuit religiosa, cur à religione alienum esset, hostiam Eucharisticam elevare, exhibere populo, & in eo Christum adorare?* Ib. pag. 377. Resp. Solidis responsionibus nil nisi quisquilias reponis. Etenim 1. Quis unquam elevatas victimas adoravit, vel adorare jussus est? Responde categoricè. Licet verò elevatio præcepto positivo Dei consentanea fuerit, nullum tamen latriæ actum postulavit. Alias omnes veteres typi, ritus religiosi omnes latriæ cultu prosequendi fuissent. 2. Tibi verò, elevationem Ecclesiæ veteri usurpatam fuisse, asseveranti probatio incumbit. Neque de nihilo est silentium Justini, Cyrilli, aliorum, qui ritus celebrationis Eucharistiæ accuratè prosequentes, elevationis nulli meminerunt. 3. De liturgiis Jacobi, Basilii, Chrysostomi fassus sanè sum, quòd in iis elevatio memoretur. At non de Jacobo, Basilio, Chrysostomo. Hæc toto Cœlo differre non ignorares, nisi rerum veterum planè imperitus esses. Constat enim, liturgias, (si quæ veræ sunt, non supposititiæ, cujusmodi plures) non eorum authorum esse, quibus tribuuntur, sed earum Ecclesiarum, quibus illæ tribuuntur; & quidem consignatas esse diu post eorum, quibus tribuuntur, mortem; & procedente tempore multis accessionibus interpolatas. *Is enim fuit*, uti non malè Masius vester *Præfat. ad Liturg. Basilii* observavit, *perpetuò hominum in religione sensus, ut intra præscriptas à Patribus cerimonias quantumvis sanctissimas, sese continere pauci potuerint. Unde pro temporis tractu, ad illas pro vario Antistitum pietatis affectu, alia atque alia addita, multa etiam mutata videre est; & quod est longè majus malum, non paucas etiam superstitiones esse enatas.* Excutesis vitam Basilii à Gregorio Nazianzeno, vitam Chrysostomi. Cùm scripta eorum accuratè recenseant, nuspiam ab iis de liturgiæ ordine vel composito vel restituto reperies quicquam. Quod certè si fecissent, non erat tacendum, cùm non fuerit vulgare opus liturgias novas inducere, aut jam receptas immutare. Cúmque non sint eadem harum liturgiarum, quæ circumferuntur, exemplaria, quibus, ceu verioribus, credemus? Denique non de corporis & sanguinis Christi veritate, non de elevationis ritu, sed de adoratione Sacramenti disceptatio nostra est. Hanc S. Patribus testatam esse, ostende. Nam & nos verum utique corpus, verum sanguinem Christi in Eucharistia, ut in signo, fidei eodem utentium præsentem esse, dubitamus nulli, ideóque in ea Christum totum in gloria sua regnantem adoramus. 4. Hostiam elevare, exhibere populo, à religione alienum non est. Sed vel hostiam adorare, vel in ea, ceu imagine, adorare Christum, id verò concludimus esse idololatriam, qua nulla tetrior excogitari potest, & in quam, uti cum Dunelmensi loquar, cœteræ omnes superstitiones vestræ, velut in mare mortuum, sese exonerant.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO VIII.

An Eucharistiæ effectus sit remissio peccatorum mortalium, quorum homo communicans conscientiam habet: an verò antidotum tantùm pro peccatis venialibus?

SYnodus Cap. II. Eucharistiam facit antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Explicatior mens Patrum, teste Andradio & Bellarmino, est illa, participaturum Eucharistiam oportere esse purum, purgatúmque ab omni peccato morte digno, idque per contritionem, confessionem & satisfactionem Ecclesiasticam. Si quid autem supersit venialis culpæ, in confessione post exactum scrutinium memoriam fugiens, illud demum in Eucharistia remitti. Cæterùm asserit, Eucharistiæ principalem effectum hunc esse, ut eâ, tanquam spirituali cibo, alantur & confortentur mentes vitâ Christi, minimè autem peccatorum remissionem. Nos contra pertendimus, in sacra Domini cœna promissionem remissionis peccatorum iis quidem exhiberi & obsignari, qui ob peccata sua quælibet (nam mortalium & venialium discrimen scripturæ ignorant) in conscientiis tristantur, ea ex vera fide & pœnitentia deprecantur, & Christi justitiam sitiunt ac esuriunt, quippe quibus propriè paratum est hoc pabulum, & robur animæ adversus inediam & morbum peccatorum, ut deinceps in fide & charitate fortiùs ambulent. Synodi sententiam his argumentis impugnamus.

ARG. I. Christus in Eucharistiæ institutione poculum vocat sanguinem *Novi Testamenti* Matth. XXVI. 28. At Novum Testamentum præcipuam habet promissionem de remissione peccatorum Jerem. XXXI. Hebr. VIII. 10. 12. Quæ remissio ad quotidiana & venialia, in sensu Papistico, peccata restringi minimè potest.

Resp. Reding: *Sacramenti virtus, juxta Thomam, dupliciter consideratur, puta vel secundum se, quomodo habet virtutem remittendi peccata ex passione Christi; quæ fons & causa est remissionis peccatorum; vel in ordine ad suscipientem, qui, quandiu conscientiam habet peccati mortalis, percipiendi effectus hujus Sacramenti capax esse nequit; quia nec spiritualiter vivit, nec Christo uniri potest, dum est in affectu peccandi mortaliter. Proin virtus remittendi peccata mortalia ex passionis Christi efficacia*

Euchariſtiæ competens, in ſubjecto incapace, quale eſt habens conſcientiam peccati mortalis, operari nequit. Aliud eſt, ſi quis in mortalis culpæ ſtatu poſitus, ejus nec conſcientiam, nec affectum habeat. Talis enim accedendo cum attritione, ex hoc Sacramento gratiam charitatis, quæ ex attrito contritum facit, conſequitur. Et quia nullus ſic ponitur obex, vi meriti Chriſti etiam mortalium peccatorum remiſſionem acquirit. Tomo II. Tract. VI. Ss. 5. pag. 378. 379. Reſp. Non frangis argumenti noſtri vim. Si enim Euchariſtia eſt Novi Teſtamenti Sacramentum, & Novi Teſtamenti palmaria promiſſio eſt remiſſio peccatorum, uti ex locis citatis conſtat, utique peccatorum eorum, quorum remiſſionem Novum Teſtamentum promittit, ſive jam factam, ſive faciendam demum obſignat. ſine ullo mortalium & venialium peccatorum diſcrimine. Non diſtinguit enim promiſſio. Neque Thomæ diſtinctio medetur, quia omnis Euchariſtiæ efficacia eſt reſpectu ſuſcipientis. Euchariſtia enim ſuſceptione perficitur, adeóque non ſuſcepta ne quidem Euchariſtia eſt. Quæcunque igitur peccatorum remiſſio exhibetur & obſignatur, illa ſuſcipienti exhibetur & obſignatur. Et requiritur omnino capacitas, ſeu *δοκιμασία* ſuſcipientis, quæ licet cum peccati amore & propoſito conjuncta nulla ſit, tamen cum conſcientia peccati cujuſvis vel remiſſi, vel remittendi, remiſſioniſque ejus in Sacramento obſignandæ adeò probè conſiſtit, ut ſine ea nulla vera præparatio & aptitudo in ſuſcipiente obtinere poſſit. Nam præparatio dolorem & luctum ob peccata quævis patrata, verámque in Chriſto, qui morte ſua cuncta fidelium peccata expiavit, fiduciam requirit. Sed erroris veſtri *πρῶτον ψεῦδος* eſt, quòd tum Sacramenta cauſas, non ſignacula, gratiæ remiſſionis ſtatuitis: tum peccata, quorum remiſſio ſine diſcrimine omnium fidelibus in Sacramentis obſignatur, ſine ullo Scripturæ teſtimonio diſcerpitis.

ARG. II. Quin ipſa inſtitutio mentionem facit remiſſionis peccatorum Matth. XXVI. 29. Unde pulcherrimus hic climax formari poteſt. Calix euchariſticus continet vinum: Vinum exhibet ſanguinem Novi Teſtamenti: Sanguis Novi Teſtamenti pro multis fuſus eſt in remiſſionem peccatorum. Ergo bibitio ex calice benedicto applicat, confirmat & obſignat credentibus promiſſionem de remiſſione peccatorum.

RESP. REDING: *In Euchariſtia firmatur promiſſio remiſſionis peccatorum, dum per ejus efficaciam augmentum gratiæ juſtificantis per modum nutrimenti ſpiritualis, quæ lethalem culpam ſublatam ſupponit, & unio cum Chriſto confertur.* Ib. pag. 379. Reſp. Non ſic climacem meum obtudiſti. Inſuper neque juſtificantis gratiæ augmentum dari, ſupra probavimus: neque nutritio ſpiritualis cum obſignatione remiſſionis peccatorum perfectiſſimæ, ſeu factæ ante, ſeu in legitimo demum Euchariſtiæ uſu faciendæ, pugnat: neque unio cum Chriſto demum in Sacramento, remiſſis ſcilicet ante illud peccatis, confertur.

ARG. III. Si ab omni peccato mortali purgatus ſit oportet, qui ad Domini menſam adſpirat, nemo mortalium dignus eſt, qui adſpiret. Nemo enim hominum eſt, quin conſcientiam peccatorum mortalium habeat. Iccirco verò accedimus, ut eorum remiſſio per ſanguinem Chriſti nobis obſignetur.

RESP.

Digitized by Google

RESP. REDING: *Sic ne quidem per Christi sanguinem in sumptione Eucharistiæ peccatorum remissio effectivè obsignabitur. Quo modo enim stabit peccatum mortale, si ejus remissio effectivè sit obsignata?* Ib. pag. 379. Resp. Aliud est macula peccati, aliud reatus. Sublato enim per gratiam remissionis reatu, peccatum quoad maculam, fomitem inprimis suum, existere, licet non dominetur fideli, sed quotidie per gratiam Spiritus S. infringatur & mortificetur, supra demonstravimus. Potest igitur & peccati mortalis conscientia, & sive ante Eucharistiæ usum, sive in eo remissi ejusdem obsignatio simul consistere. Imò necessariò simul consistere debent, quia Eucharistia convivium est non Angelorum, sed hominum peccatorum pœnitentium.

ARG. IV. In omnibus Veterum liturgiis extant precationes, ut sumptio Eucharistiæ fiat in remissionem omnium peccatorum.

RESP. REDING: *Liturgiæ illæ eò collimant, ut peccatorum remissione in Sacramento Pœnitentiæ jam percepta, acquiratur depuratio à culpis etiam venialibus; & ut ex indigna Sacramenti perceptione, in statu adeò peccati mortalis contracta, non tantùm novus reatus non contrahatur, sed casu, quo peccatum quodpiam mortale conscientiam subterfugeret, corde per attritionem saltem præparato, Sacramentum remissionem peccatorum efficeret.* Ib. pag. 379. Resp. Peccatorum quorumlibet remissionem vera in Christum fide priùs perceptam, in Sacramento Eucharistiæ, ad certitudinis majoris fidelium animis infigendæ gratia, obsignari Christus voluit. Nulla igitur hic peccatorum differentia locum habet. Cætera falsis hypothesibus de peccatis venialibus à mortalibus distinctis, his remanentibus post remissionem peccatorum mortalium, efficacia attritionis, & physica Sacramentorum efficientia innituntur. quas Ecclesiis illis, quarum liturgias indigetavi, notas probatásque fuisse, probare, non supponere debueras. Soletis ita veteribus vestra deliria pro lubitu imputare.

ARG. V. Definitio hæc Synodica non tantùm nititur falsa hypothesi de merito contritionis, satisfactionibus humanis, perfectione justitiæ, peccatis venialibus; sed etiam tota comparata est ad eripiendam in tentationibus consolationem, fovendam dubitationem de justificatione, diffidentiam & desperationem, denique contemptum augustissimi Eucharistiæ Sacramenti.

RESP. REDING: 1. *Quomodo definitio id unum præcavens, ne indigna Sacramenti susceptione judicium nobis manducemus, in contemptum Sacramenti augustissimi redundare potest?* 2. *Vestra potiùs doctrina asseverans, nullum in hac vita dari posse statum, in quo non prematur peccatorum mortalium conscientia, desperationis mater est.* 3. *Peccatorum venialium à mortalibus distinctio, à Joviano hæretico olim negata, vel inde constat, quòd dentur peccata quædam cum gratia sanctificante compatibilia, puta peccata Sanctorum, quæ nonnisi venialia esse possunt: quódque datur quædam transgressio, quæ in Divina Majestatis offensam & injuriam non redundat; quæque adeò contra legem non est, & consequenter venialis.* Ib. pag 379. 380. Resp. 1. Definitio vestra non id, quod dicis, præcavet; sed remissionem peccatorum mortalium obsignari in Eucharistia negat, adeóque in contemptum Sacramenti manifestè redundat. Imminuit enim supra modum ejus efficaciam, & parum vel nihil (peccatum enim veniale nihil est, nec remissione indiget)

ei relinquit. 2. Præparatio verò ad S. Cœnam etiam cum peccati mortalis commissi conscientia conjuncta stare potest, quia ejus non postrema pars est pœnitentia & fides in Christum, qua remissio peccatorum omnium in Evangelio oblata apprehenditur. Mater ergo doctrina nostra est fiduciæ, spei, certitudinis salutis; vestra desperationis gurges, quia remissionem peccatorum, quæ nulla non mortalia sunt, in Sacramento obsignari confirmaríque negat. 3. Ficulnea nimis tua pro distinctione peccati mortalis & venialis folia sunt. cata enim Sanctorum cum gratia sanctificante compatibilia, suapte natura mort..ia (annon enim saltem Davidis sancti non sancta facinora, adulterium, homicidium mortalia peccata fuerunt?) venialia evadunt per accidens, accedente scilicet remissionis gratia. Si natura sua venialia forent, remissionis gratia non indigerent. Gratia igitur sanctificans, & peccata mortalia remissa vel remittenda neutiquam incompatibilia sunt. Neque ullum peccatum per Christi meritum non remissum datur, qua Divina Majestas non lædatur. quia, utcunque vile & leve videatur in oculis hominum, cum amore semper Dei vel proximi, vel gradu quopiam amoris, præcepto utroque in lege Dei, pugnat; ne quidem peccati veri nominis rationem habiturum, si cum alterutro non pugnaret.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus Joh. VI. nuspiam docet, Eucharistiam institutam esse ad peccata remittenda, sed tantùm ad vitam spiritualem conservandam & augendam.* Resp. 1. De fructu Eucharistiæ non ex uno loco, sed ex reliquis etiam analogis judicandum. Atqui alibi fructus hic, peccatorum remissio, disertè ponitur. 2. Neque Joh. VI. uspiam fit mentio fomenti & roboris vitæ spiritualis. 3. Multa ibidem à Christo dicuntur, in quibus peccatorum remissio implicitè continetur. Quomodo enim Christus potest esse vivificus panis noster, vita nostra, caro nostra, sanguis noster, citra peccatorum remissionem? Nempe caro & sanguis Christi, non tantùm sunt spiritualis animæ & corporis nostri cibus, sed etiam redemptionis nostræ pretium, traditum ad remissionem peccatorum nostrorum. 4. Joh. VI. agi de manducatione non Eucharistica, sed spirituali, alibi probavimus.

EXCIP. REDING: *Atqui Joh. VI. 55. Christus carnem suam verè cibum, & sanguinem verè potum esse dicit. Sicut ergo cibus naturalis corpus nutrit & auget: ita quoque Eucharistia, cibus spiritualis.* Ib. pag. 380. 381. Resp. Potiorem responsionis partem sicco pede præteris. Carne Christi nos nutriri, non negamus. Addimus, Eucharistiam nutritionis illius Sacramentum esse. Attamen de Eucharistia id Joh. VI. expresse dici, sicut vos expressam remissionis peccatorum mentionem flagitatis, id verò *ῥητῶς* negavimus.

OBIECT. II. *Agnus paschalis, panis propositionis, caro sacrificiorum, non dabatur olim nisi mundis. Christus etiam ante Sacramentum lavit discipulorum pedes, ut mundi essent. Denique etiam filius prodigus annulo & vestimentis priùs ornatur, quàm ad vitulum*

vitulum saginatum admitteretur. Ergo accedentes ad Eucharistiam jam mundi, adeóque à peccatis mortalibus immunes esse debent. Resp. 1. Peccata etiam levissima coram Deo immundos constituunt. Ejus enim oculi ita puri sunt, ut nullum omnino peccatum ferant. 2. Probant etiam hæc omnia, debitam usui Eucharistiæ præmittendam esse præparationem, & in vera fide remissionis peccatorum ac pœnitentia accedendum esse ad mensam Domini: nequaquam verò probant a usu Eucharistiæ remissionem peccatorum non obsignari & exhiberi.

EXCIP. REDING: 1. *Peccata levia non habent moralem cum ultimo fine repugnantiam. 2. Si fides remissionis peccatorum jam obtentæ ad præparationem pertinet, quomodo remissio ipsa Eucharistiæ demum effectus est?* Ib. pag. 381. Imò quodvis veri nominis peccatum est *ἀνομία transgressio legis*, cujus summa in amore Dei, ceu ultimo fine legis continetur; nec non ἁμαρτία aberratio à scopo, seu ultimo fine, qui est gloria Dei. 2. Et remissionem quorumvis peccatorum vera fide jam obtentam in Eucharistia confirmari & obsignari; & obtinendam in eadem obsignari & exhiberi posse, quid vetat? Perperam enim planè vos instituitis, quasi scilicet peccatorum remissio & reconciliatio cum Deo sit instar coloris, seu qualitatis, subjecto immobiliter, & indivulsè sic hærentis, ut ea semel accepta non opus sit ampliùs de ea cogitare; cùm contra perpetua potiùs sit actio, & quotidianum in hac vita exercitium, Christum magis magísque & firmiùs apprehendere, in eo manere & perseverare, quò remissio peccatorum, ejúsque sensus vividus certiùs retineatur. Imò in hac carnis nostræ depravatione inter Diaboli insidias, & mundi scandala, nullum momentum est, in quo non opus sit nobis quærere, apprehendere & amplecti gratiam Dei & peccatorum remissionem. Cúmque in tentationibus mens hominis de eo potissimùm anxia sit, an promissiones generales ad se quoque pertineant, Christus in Eucharistia, pignore pretiosissimo, se singulis Sacramento hoc utentibus remissionem peccatorum & reliqua beneficia traditione corporis sui & effusione sanguinis certò parta communicare, applicare & obsignare, testatur.

OBIECT. III. *Paulus docet 1.Cor.X.17. unum panem unum corpus multos esse, quia de uno pane participant; hoc est, Sacramentum non prodesse nisi membris unitis cum capite, aliísque membris. At qui sunt in peccato mortali, non sunt vera & viva Christi membra.* Resp. Sanè qui Christo non insiti, & uniti per Spiritum Dei, fidem & pœnitentiam, accedunt ad mensam Domini, suo malo & detrimento Eucharistia vescuntur. At inde non sequitur, eam peccatorum remissionem, quam ante usum Sacramenti fides apprehendit, & per quam Christo jam tum uniti & insiti sumus, in legitimo Sacramenti usu non etiam obsignari, confirmari & exhiberi.

EXCIP. REDING: *In eo, qui Christo insitus, & per Spiritum Dei unitus est, nequit esse locus peccato mortali, utpote cum gratia unionis incompatibili. Ergo Eucharistia ejus remissionem supponit, adeóque eam effectivè non confert.* Ib. pag. 382. Resp. Si peccatum mortale cum gratia unionis est ἀσύστατον, quomodo igitur ii, qui jam sunt in Christo,

& in

& in quibus nulla ampliùs condemnatio est, quotidie Spiritu actiones corporis, seu carnis occidunt, Rom. VIII. 1-13? Quomodo iidem se profitentur carnales, venditos sub peccatum ib. cap. VII. 14? Non desunt ergo unitis cum Christo peccata, 1. Reg. VIII. 46. Job. IX. 2. Prov. XX. 9. Eccl. VII. 20. Jac. III. 2. 1. Joh. I. 8. & peccata nulla sua natura sunt venialia; sed propter fidem in Christum, & unionem cum Christo iis non imputantur. Quæ non imputatio, seu non remissio vel jam ante facta, vel in ipso Sacramento, præcedente fide & pœnitentia, facienda, in eodem non effectivè producitur, quæ falsa tua hypothesis est, superiùs convulsa; sed in legitimo ejus usu exhibetur, applicatur & obsignatur.

OBIECT. IV. *Paulus 1. Cor. XI. 28. requirit sui probationem, & indignos judicium manducare & bibere docet. Ergo nemo cum peccati conscientia accedere ad mensam Domini potest.* Resp. Probationem sui requiri ante usum cœnæ, verum est. Sed inde perperam infertur, remissionem peccatorum jam ante applicatam per fidem, in legitimo Sacramenti usu non obsignari & confirmari. 2. Cùm peccati conscientia accedit, vel qui in peccatis contra conscientiam, & in proposito peccandi adhuc hærens sine vera pœnitentia & fide accedit: vel qui peccatorum sibi conscius seriò de iis dolet, & remissionem eorum sincera in Christum fide quærit, firmúmque de emendanda vita propositum habet. Illi judicium, hi vitam & salutem ex usu hujus Sacramenti reportant.

EXCIP. REDING: 1. *Anguis latet in herba. Non enim verba tua sensum Orthodoxum habent, sed hoc innuunt, remissionem peccatorum per fidem Baptismi rememorativam, & pœnitentiam non Sacramentalem in Cœna exhiberi. 2. Imò probatio illa, quam Apostolus 1. Cor. XI. 28. requirit, non tantùm fidei est, sed etiam conscientiæ peccatorum, uti patet ex textu.* Ib. pag. 382. Resp. 1. Tu scilicet, serpens Epidaurius, acutè cernis angues in herba, quamvis in ea nulli lateant. Fidem & pœnitentiam intelligo, qualis in Evangelio præcipitur; agnitionem scilicet ac detestationem peccatorum, dolorem propter ea secundum Deum, & fiduciam in merito Christi; qua nixis iis, qui peccati conscientiam habent, secundum Evangelii sententiam peccata remittuntur. Fidem vestram generalem supra profligavimus; & Pœnitentiam Sacramentalem infra configemus. Ego peccata, quorum conscientiam ii, qui Eucharistia usuri sint, habent, vera in Christum fide & pœnitentia remitti: ac remissionem eandem in Eucharistia obsignari, denuo contendo. Hoc si potes, oppugna. 2. Ad probationem requiri, ut quis peccatorum à se patratorum conscientiam nullam habeat, unde tibi ex textu citato constat? Nobis certè nihil constat. Ostende ergo, & oculatus adeò nos quoque fac oculatos. Idem S. Paulus 2. Cor. XIII. 5. δοκιμασίαν in hoc collocat, ut tentemus nos, *an simus in fide.* At fidei objectum Christus est, quatenus peccatorum remissionem merito suo acquisitam credenti donat; adeóque ipsa remissionis peccatorum promissio. Quomodo, sodes, peccatorum remissionem apprehendit vera fide, qui peccatorum à se admissorum conscientiam nullam habet?

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IX.

An omnes & singuli Christi fideles, cùm ad annos discretionis pervenerint, non teneantur singulis annis nisi semel in Paschate communicare?

ASserit Canon IX. Nos quidem nec singulis diebus, nec hebdomadis, nec mensibus necessariò communicandum esse statuimus. Hanc tamen coarctationem usus cœnæ Dominicæ ferre minimè possumus, & nefas ducimus, semel tantùm in anno communicare, ubi facultas id faciendi sœpius datur, sic tamen, ut de die & hora, singulis fidelibus, & ipsi adeò Ecclesiæ sua libertas constet. Rationes.

ARG. I. Christus cœnam Dominicam Paschati substituens dicit: *Hoc facite, quotiescunque manducaveritis & biberitis* 1. Cor. XI. 25. Judaico paschati Christus opponit illam particulam, ὁσάκις. Hinc Petrus Cluniacensis Concilium Lateranense his verbis reprehendit: *Dicitis vos, semel in anno. Dicit Christus & Apostolus ejus: Non semel tantùm, non bis tantùm, sed quotiescunque. Multa diversitas inter Quotiescunque & semel. Ibi numeri principium, hic numerus omnem superans numerum.*

Resp. Reding: 1. *Si particula illa,* Quotiescunque, *eatenus Paschati Judaico opponitur, ut una per annum communione haud satisfiat, ejus obligatio maximè urgebit in articulo mortis. quod vos negatis.* 2. *Christus tempus Eucharistiæ communicandæ non determinavit, sed Ecclesia, non singulorum fidelium libertati determinandum reliquit.* Tomo II. Tract. VI. Ss. 5. pag. 384. 385. Resp. 1. S. Paulus communionem domesticam, adeòque ἴδιον δεῖπνον, *propriam*, seu privatam *cœnam*, qualis etiam est agonizantium, epulo Eucharistico, utpote ἐν συνελθεῖν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ *in conventu in Ecclesia* celebrando, v. 18-20. &c. opponit, & v. 26. infert: *Quotiescunque comederitis panem &c.* Et cap. X. 16. *multos, unum corpus, unum panem esse,* atque ideo, *omnes ex uno pane participare* docet. Non igitur ab uno extra Ecclesiam, sed à fidelibus in Ecclesia congregatis comedi debet. 2. Licet Christus tempus communionis Eucharisticæ in specie non determinaverit: in genere tamen frequentioris communionis necessitatem insinuavit, jubens ad commemorationem sui facere, quod ipse fecit. Quod S. Paulus ex Dominica traditione explicans verbis: Ὁσάκις *quotiescunque comederitis, &c.* frequentem communionem apertè præcepit. Nam particulam ὁσάκις *quotiescunque*, ex traditione Dominica repetitam, Paschati semel tantùm quotannis manducando, opponi, satis constat. Tridentina igitur Ecclesia *saltem semel in anno,* puta Paschate, *communicandum* decernens, nec Christi & Apostoli præcepto satisfacit, & prætextu libertatis in detrimentum fidelium abutitur.

Digitized by Google

ARG. II. Apostolos, & reliquos in primitiva Ecclesia fideles usum sacræ Cœnæ frequenter repetivisse, ex Actor. II. 42. 46. XX. 7. liquet.

RESP. REDING: *Frequens ille Cœnæ Sacræ usus præcepto Christi non nitebatur: sed fuit vel consilii tantùm, vel lege Ecclesiastica nitebatur. Ac ne vos quidem tam frequenter communicatis.* Ib. pag. 383. 384. Resp. Frequentiam illam majorem non lex specialis Ecclesiastica, nec consilium aliquod Papistico Monastieum, sed pietatis & charitatis ardor, qualem ea tempora, quibus fides Christiana plantanda erat, Spiritu S. intus corda movente, exigebant. Interim Apostolorum, & reliquorum Ecclesiæ primitivæ fidelium exemplum rem, frequentem scilicet communionem, at non modum rei, confirmat. Cui proin Ecclesiæ nostræ, variante licet praxi, quoad rem ipsam satisfaciunt.

ARG. III. Eucharistia nobis promissionem Dei obsignat & fidem stabilit. Toties igitur repetenda, quoties illâ efficaciâ opus est.

RESP. REDING: *Distinguenda est obligatio sumendæ Eucharistiæ. Nam per se obligantur fideles in agone mortis, sæpe in hac vita, tempore inprimis ab Ecclesia definito: per accidens, quoties necessarium judicatur ad resistendum tentationi graviori.* Ib. pag. 384. Resp. Per se obligantur sæpius, non semel tantùm in anno. Si *Sæpe* tantùm *in vita*, uti tu loqueris, satisfecerit præcepto, qui intra quinquaginta annos decies communicaverit. Nam qui *decies* in vita communicat, etiam *sæpe in vita* communicat. Imò cùm accidens illud, quod tu facis, nimirum necessitas resistendi oborientibus tentationibus, sit frequentissimum, frequentissima pariter sit oportet communio.

ARG. IV. In veteri Ecclesia multis usitata fuit communio quotidiana, teste Rabano, & Bertramo. Concilii Agathensis Canon 14. concedit in privatis Oratoriis usum communionis, sed in majoribus festivitatibus vult omnes convenire ad parochias, & basilicas majores, quò sic in solenni celebratione quilibet testetur, esse se Ecclesiæ membrum. Unde Rhenano non immeritò creditum, remanere ejus consuetudinis hoc vestigium, quòd nundinæ in Germaniæ urbibus celebrioribus Missarum appellationem retinent. Chrysostomus *homil. 17. in cap. 10. ep. ad Hebr.* indicat, hanc consuetudinem collapsam pravo cumprimis exemplo eremitarum, qui ex eremo tantùm semel in anno, vel post biennium progressi sunt ad communionem.

RESP. REDING: 1. *Non desunt hodieque Religiosi & laici, qui quotidie communicent. Vos verò potiùs profanis Missis, quas nundinas ex Rhenano dictas ais, quàm Divinitus institutæ Missæ intenti estis.* 2. *Chrysostomus loc. cit. non in Eremitas collapsæ frequentis communionis culpam rejicit, sed eos, qui cum conscientia immunda ad Cœnam veniunt, reprehendunt.* Ib. pag. 384. Resp. 1. Si qui sunt, certè rari sunt nantes in gurgite vasto. Neque eorum exemplum ad rem facit, quia de Tridentina definitione, quòd semel in anno instituta communio sufficere possit, non de exemplis privatam devotionem testantibus, quæstio est. Missas profanas, seu nundinas Pontificiis Missis, quas sacras appellant, præferimus meritò, quia in illis non ea, quæ in his idololatria horrenda exercetur. Et tamen

Digitized by Google

tamen Missa etiam vestra quid aliud est, quàm nundinationis Babylonicæ instrumentum? 2. Chrysostomus utrumque dicit. Nam in verbis etiam à te recitatis disertè testatur, *Eremitas semel in anno esse participes; sæpe etiam post duos annos.* Hi ergo, Meinradi tui Patriarchæ, non alii, collapsæ communionis frequentis authores sunt.

ARG V. Annua communio gravissimis damnis Ecclesiam affecit. Apud plebem enim neglectus invaluit, apud Episcopos & Ecclesiarum præfectos opportunitas sic fuit sumptuosas & magnificas ceremonias comminiscendi, ad exornandas Sacramentorum actiones. Deinde cœna publica in privatas sic missas est permutata. Denique vanissima persuasio orta, idem esse missam spectare & communicare. Quin audacia eò prorupit, ut Monachi verba Christi sic immutarent: *Accedite, spectate.*

Resp. Reding: 1. *Idem esse Missam spectare & communicare, malignantis Spiritus tui commentum est.* 2. *Et communio sacra, & privatæ Missæ apud nos vigent. Nec hæ illi, nec illa his derogat.* 3. *Si ceremoniæ illæ sumptuosæ ad exornandas Sacramenti actiones inventæ sunt, potiùs incitamenta erunt frequentandæ communionis, quàm occasiones neglectus.* Ib. p. 384. Resp. 1. Idem esse, non ego finxi, sed vos, uti praxis docet. Etenim si communionem potiùs quàm spectaculum populo sacrificuli vos suaderetis, nunquam frequentia communionis adeò in desuetudinem ivisset. Spiritus igitur Papistici figmentum rectiùs appellasses. Olim quidem Calixtus Papa dixit: *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus.* An hodiéque, Redingi, idem fit? An non potiùs vestri probè se defunctos arbitrantur, si Templum ingressi Missificationem spectent, hostiam consecratam Divinis honoribus colant? 2. Quæ privatæ apud vos Missæ audiunt, ex institutione Christi & praxi Ecclesiæ veteris, publica communio esse debuere. Hanc igitur in illas conversas esse, rectè dixi. 3. Fortè incitamenta talia essent, nisi periculum communionis, & tutiorem spectaculi usum, rudi plebeculæ Sacrificuli vestri crebrò ob oculos statuerent.

ARG. VI. Mos ille adstantium & spectantium duntaxat mysterium, non fruentium eodem, & communicantium, nec non rarior ille usus, & contemptus cœnæ Dominicæ, in veteri Ecclesia graviter reprehensus fuit, inprimis à Chrysostomo homil. 60. & 61. ad populum Antiochenum, ubi inter alia ajt: procacem & imprudentem esse, quisquis adstat, & mysteriorum participio non fruitur. Deinde arguit, vel dignos esse, qui adstant, communione ipsa, vel non. Si prius, utique illis accedendum & communicandum esse. Si posterius, illos ut oves lepra squalidas à sanis & valentibus arcendas esse, imò etiam arceri voce præconis, invitantis non alios quàm sanctos. Ambrosius *lib. V. de Sacram. cap. 4.* inquit: *Si quotidianus est cibus, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt?* In Agathensi Synodo cap. 18. statutum, ut non habeatur Catholicus, qui saltem tribus quotannis temporibus non communicat. In Cabilonensi Synodo cap. 46. præcipitur, cavendum, *ne, si in lon-*

Digitized by Google

gum nimium differatur perceptio corporis & sanguinis Christi, ad perniciem animæ id pertineat. Mutationis verò illius vices paucis pandit Albertus M. *lib. de officiò Missæ* hisce verbis: *Primùm in usu fuit, ut omnes in Ecclesia convenientes, omni die communicarent. Cùm autem hoc crescente multitudine non satis idoneè servari posset, constitutum est, ut communicarent Dominicis diebus. Cùm autem ne hoc quidem ritè servaretur, constitutum est, ut communicarent tribus in anno vicibus, juxta legem Exod. 23. scilicet in Pascha, Pentecoste, & loco scenopegia in Nativitate Domini. Cùm autem ne hoc ritè servaretur, nuper in Concilio Lateranensi constituit Ecclesia, quòd semel in anno, in Pascha, fieri debeat.* Ita igitur sicut Christus adventu suo antiquavit ceremonias Mosis: ita Antichristus adventu suo sensim ceremonias, & institutionem Christi abrogare curæ habuit.

RESP. REDINO: *1. Quo jure Ecclesia vetus quotidianam communionem sustulit, eodem Tridentini non quidem frequentem communionem abrogarunt, sed eos tantùm censura Ecclesiastica notandos statuerunt, qui ne semel quidem in anno communicarent. 2. Vos quoque quotidianam communionem ad trinam in anno coarctastis, & ne in extremo quidem mortis articulo facultatem communicandi conceditis: cùm contra in nostra Ecclesia quotidie aditus ad communicandum pateat. 3. Eodem, quo Chrysostomus & Ambrosius, modo nostri quoque Pastores hortantur ad frequentem communionem; præcaventes hoc unum, ne imparati accedant; & semel communicantes reprehendunt. Discernimus tamen id, quod præcepti est, ab eo, quod tantùm consilii est.* Ib. pag. 385. Resp. 1. A communione quotidiana ad annuam ingens nimis saltus est. Etenim vetus quidem Ecclesia etiam ad certa anni tempora communionem restringens, generali tamen Christi & S. Pauli mandato satisfecit, à quo definitio vestra enormiter nimis recessit. 2. Quotidianæ communionis fervor duravit in Ecclesia prima, quandiu à Spiritu recens de igne isto adhuc incaluit, & magno zelo ac ardore sacra symbola amplexari non desiit. Atque fervorem Spiritus singularia quoque ea tempora postularunt. Nostrarum Ecclesiarum praxin variare supra diximus; sic tamen, ut non semel, sed sæpe in anno Christi Domini sacrificium & mortem celebrantes, Divino mandato morem gerant omnes. Qui certis vel statis in anno diebus Cœnam Dominicam celebrant, frequentia quotidiana nolunt eam adduci in contemptum aut fastidium. Habent enim rationem sui populi, & cœnam dignè, adeóque cum desiderio peragi cupiunt. Qui verò eam creberrimè repetunt, existimant, iniquum esse, si res bonæ frequentia abeant in despectum. Utrique inservire Domino, & multo cum fructu peragi, quod liberum fecit Dominus, volunt. Inter hos si sequester sederet Augustinus, nihil aliud pronuntiaret proculdubio, quàm quod pronuntiavit de ipsa causa, scribens ad Januarium: *Rectiùs inter istos quispiam dirimit litem, qui monet præcipuè in Christi pace permaneant, faciat autem unusquisque, quod secundum fidem suam piè faciendum esse credit. Neuter enim exhonorat corpus & sanguinem Domini. Contemptum solum non vult cibus ille &c.* Frustra verò tu jus & libertatem quandam restringendi nimirum communionem jactas, quæ mera licentia est: ac insuper de libero & quotidiano vestrorum ad communionem aditu gloriaris. Præterquam enim, quòd usus ostendit, tribunitiis concionibus vestris, quibus præparationem reddere difficilimam soletis, non allici ad communionem homines, sed ab ea absterreri potiùs

potiùs: in Canones etiam veteres incurritis, quos Pontificibus Anacleto & Calixto ipsimet tribuitis, *ut peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus*; nec non in Canones, quos Apostolorum vocant, in quibus Can. 9 sic habetur: *Qui non perseverant usque ad finem, & sacram communionem non percipiunt, tanquam inquietudinem Ecclesiæ moventes, corrigendi sunt.* An edictis his mos apud vos geritur? An liber, quem jactas, aditus, sine aditu juvat quicquam? 3. An sic Pastores vestri hortentur ad communionem homines, sicut hortati sunt Chrysostomus & Ambrosius, dubitabunt multi. Alias enim cur tam infrequens vestrorum communio est? Adeò ut non ita pridem Arnoldus vester Sorbonista de ea tractatu peculiari *de communione* veterum *frequenti*, publicam querelam instituerit. An parum adeò dictis vestris audientem habetis populum? Sed bellè distinguis *præceptum* inter & *consilium*. quasi satisfecerit præcepto Divino, qui juxta legem Ecclesiæ semel communicat, adeóque rarissimè sacram illam escam carpit; at crebriùs communicans Sacerdotali consilio, non Christi præcepto pareat. Quanquam perplexum nimis est Sacrificulorum vestrorum consilium, cùm viam ad communionem frequentem sentibus & spinis difficultatum iis motarum oppletam, imperviam reddunt. quod res ipsa loquitur. Chrysostomus adstantes & non communicantes objurgat. An idem vos facitis? Non puto.

ARG. VII. Denique Catechismus Romanus *p. 2. cap. 4. q. 46.* non obscurè Canonem hunc Tridentinum sugillat. Ait enim, fidelibus non satis esse, ut hujus Decreti authoritati obtemperantes, semel tantummodo quotannis corpus Domini accipiant, verùm sœpius iterandam illis esse communionem. Postea praxin Veteris Ecclesiæ & declinationem fusè persequitur.

RESP. REDING: *Catechismus ille cum decreto Tridentino non pugnat, quia in hoc disertè habetur, anathemate notandum esse, qui asseveret, non teneri singulos fideles singulis annis saltem in Paschate communicare. Quæ particula saltem sic obligationem sacræ communionis in Paschate inducit, ut hujus tamen studium frequentiùs exoptet. uti ex Sess. XXII. 6. constat.* Ib. pag. 385. 386. Resp. Catechismi Romani *loc. cit.* hæc verba sunt: *Fideles non satis habeant se, hujus decreti authoritati obtemperantes, semel tantummodo corpus Domini quotannis accipere; verùm sæpius iterandam Eucharistiæ communionem existiment.* Agnoscit ergo, authoritati decreti Lateranensis & Tridentini obtemperantes, satis habere semel in anno communicare. Sed non sufficere id asserit & probat. Quid sugillare est, si hoc non est? Si quid aliud alibi Tridentini exoptant, non ideirco decernunt aliud. Aliud est inane votum, aliud decretum. Satisfecisse officio suo decernunt, si semel in anno fideles communicent; planè sicut Sess. XIV. Can. 8. iidem definiunt, *ad confessionem omnium peccatorum*, Eucharistiæ scilicet præviam, *teneri fideles semel in anno.*

OBJECTIONES TRIDENTINORUM.

OBJECT. I. *Nec Christus, nec Apostoli tempus Communionis uspiam determinarunt.* Resp. 1. Cur ergo Tridentini Areopagitæ illud ita determinant, ut sufficere asserant, si semel quotannis fideles communicent? 2. Etsi tem-

Digitized by Google

pus Communionis determinatum non ſit,tamen frequentia Communionis major, quàm cui una quotannis ſufficiat, determinata eſt verbis Apoſtoli: *Hoc facite, ὁσάκις quoties manducaveritis, &c.* 3. Denique etiam generaliter & implicitè tempus Communionis in verbo Dei definitur. Cùm enim S. Scripturæ doceant, Euchariſtiæ uſum ſervire confirmationi fidei, & obſignationi promiſſionum divinarum: eo ipſo haud obſcuré innuunt, frequentandam eſſe communionem, quoties conſcientiæ anxiæ impulſus, devotio à Spiritu S. accenſa, occaſioque propitia id requirit.

EXCIP. REDING: 1. *Vos occaſionem illam propitiam, qua ſingulis diebus communicare liceat, ſuſtuliſtis.* 2. *Cùm Eccleſia in foro externo judicare non poſſit, quempiam fidelium in eo ſtatu poſitum, ut indigeat Euchariſtiæ conſolatione, ad talem ergo ſtatum Euchariſtiæ percipiendæ præceptum coarctare non potuit.* Ib. pag.386. Reſp. 1. Occaſionem ſumendi ſæpius propitiam non ſuſtulimus, quia ſæpe in anno, alibi ſingulis hebdomadis, menſibus; alibi ſingulis feſtivitatibus non tantùm communicare licet, ſed ipſa communio frequens eſt. 2. Saltem Eccleſia, quæ judicare poteſt, crebrò fideles in eum ſtatum devenire, ut conſolatione Euchariſtiæ indigeant, crebram etiam ejuſdem communionem, ſecuta inſtitutionem Dominicam à S. Paulo repetitam, injungere debuit.

OBJECT. II. *Cum iis, qui ad Communionem ſacram accedunt, periculum immineat, ne indigni participent, & ſibi judicium accerſant, præſtat utique quàm rariſſimè id fieri.* Reſp. 1. Periculi per Dei gratiam evitabilis metus divinum præceptum tollere haud poteſt. 2. Hac ratione vel per integram vitam ſemel tantùm, bis, térve communio celebrari deberet. 3. Periculi hujus metus ſi ſolida cauſa eſſet abſtinendi, ipſos etiam ſacrificulos plerùmque deteriores & nequiores plebe, à crebriori Cœnæ Dominicæ uſu abſterrere deberet.

EXCIP. REDING: 1. *Imò verò communionem ſuademus omnibus rite præparatis.* 2. *Neque metus periculi ſacrificulos, à ſpiritu tuo nequam calumniis impetitos, à crebriori uſu abſterret, quin potiùs eos ad peculiarem animæ puritatem per confeſſionem acquirendam obligat.* Ib. pag.387. Reſp. 1. Sed præparationem, uti mox videbimus, adeò difficilem redditis, ut non tam ſuadere vos, quàm diſſuadere intelligant omnes, & eventus loquatur. 2. Jam ergo Sacrificuli veſtri plebe nequiores non erunt, quia nequitiam ſuam confitendo in ſinum nequam cujuſpiam majoris depoſuerunt. Hæc ſacrificulorum puritas eſt, qua freti quovis tempore ad altare ſuum intrepidè accurrere, & gratiæ Divinæ pignora libare, depurato ſic ore animóque ſuo, audent!

OBJECT. III. *Concilii mens non eſt, ut ſemel duntaxat fideles communicent, ſed ne minùs quàm ſemel ſub excommunicationis pœna communicent.* Reſp. 1. Canon IX. anathema dicit iis, qui negaverint *omnes & ſingulos Chriſti fideles teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate ad communicandum juxta præceptum Eccleſiæ.* Ergo

Digitized by Google

go perſpicuè indicavit, ſufficere fidelibus, ſi ſemel communicaverint,& frequentiam communionis libertati eorum relictam eſſe. Atqui verbum Dei majorem frequentiam commendat, uti ſuperiùs probavimus. 3. Neque etiam Synodus anathemate notat eum, qui quotannis ſemel non communicaverit,ſed potiùs eum,qui negaverit,non teneri fideles ſaltem ſemel quotannis communicare.

Excip. Reding: *Supra demonſtravimus, præceptum de tempore Euchariſtiæ celebrandæ Divinum nullum occurrere, adeòque id omne Eccleſiæ libertati relictum eſſe. Eccleſia autem id omne in Lateranenſi & Tridentino Concilio ritè definivit.* Ib pag. 387. Reſp. Nos quoque generale præceptum de frequentanda communione demonſtravimus. Neque hic,an eam in rem aliquid Tridentina Eccleſia definiverit; ſed quo ſenſu, & quo jure definiverit, quæritur. Conſuetudinem verò, & legem, quæ ſemel quotannis communicare jubet,cum Calvino *Inſtit. lib. IV. 17:46.* certiſſimum Diaboli inventum eſſe, concludimus.

QUÆSTIO X.

An præparatio ad Sacramentum Euchariſtiæ fiat ſola fide, an potiùs perfectione noſtra contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis?

POſterius aſſerit, & negat prius Canon XI. Nos prius affirmamus, non eo quidem ſenſu, qui fidem opponit pœnitentiæ, charitati,& dulciſſimo affectui cordis erga DEUM. Hæc enim cum fide individuo nexu ſunt conjuncta. Sed ſolam fidem,non *hiſtoricam*,uti impingere nobis videtur Synodus, ſed *ſalvificam & juſtificantem* opponimus variis illis operibus præparatoriis, & humanis ſatisfactionibus, earundémque merito. Tridentinis igitur objicimus.

ARG. I. In euchariſtia nobis offeruntur ea, quæ filius Dei nobis promeruit traditione ſui corporis, & effuſione ſanguinis, & promiſſioni Evangelii additur pignus & obſignatio. Atqui gratuita promiſſio non apprehenditur merito noſtræ contritionis,& ſatisfactionis,ſed fide,Rom.IV. 13. 16. 17. 18.&c.

Resp. Reding: *Gratia, Euchariſtiæ effectus, haud quidem merito noſtro ſubeſt, ſed vi meritorum Chriſti per Sacramentum obtinetur; ſed nonniſi ab iis, qui dignè accedunt, cum puritate conſcientiæ, in eo,qui peccati mortalis ſibi conſcius eſt, per Sacramentalem confeſſionem expianda.* Tomo II. Tract. VI. Sect. 5. pag. 388. Reſp. Nec gratia Euchariſtiæ

Digitized by Google

ristiæ, effectus est, nisi quoad obsignationem: nec dignitatem accedentium potiùs merito confessionis & contritionis Sacramentalis, quàm vera in Christo, peccata nostra omnia expiante per se ipsum, fiducia metiendam esse, doces. Nihil igitur ad argumentum respondes. Ad conscientiæ puritatem & peccatorum remissionem impetrandam, fidem in Christum ubique, confessionem auricularem, & contritionem, qualem vos exigitis, nuspiam S. literæ requirunt.

ARG. II. Et promissio mutuam relationem habet ad fidem, non ad merita.

RESP. REDING: *Fides ut dispositio prævia, ad fructuosam Sacramenti perceptionem necessaria est. Fides autem vestra larvata, charitatis inops, in homine peccatorum sibi conscio sufficiens ad Eucharistiæ usum dispositio esse nequit.* Ib. pag. 388. Resp. Quomodo fides ad justificationem se habeat, supra disputavimus, ostendimúsque insimul, nec larvatam esse, qualis est generalis vestra fides, Diabolis & reprobis communis, nec inopem charitatis. Verbo dicam; quod remissionis peccatorum gratiam & promissionem Divinam, solam apprehendit, atque, qua tale, fructiferum Eucharistiæ usum reddit; illud nec qua dispositio quæpiam socia, & solum, sine contritionis & confessionis merito, ad dignitatem accedendi ad mensam Domini conducit.

ARG. III. Antithesis inter præstantiam cibi ac potus, & nostram indignitatem, per se conscientias terrere apta nata est. At ex hac tentatione non eluctamur fiducia contritionis & satisfactionis, sed abnegatione meriti, & fiducia erga Christum.

RESP. REDING: *Apostolus quoque præstantiam cibi Eucharistiæ positivæ per peccatum indignitati opponens, sic conscientias terruit, ut probationem tamen sui præceperit. Ejusmodi verò probationem fieri per confessionem Ecclesiæ consuetudo declaravit.* Ib. pag. 389. Resp. Peccatorem præstantissimo illo cibo indignum esse, nuspiam Apostolus declaravit. Alias omnes, quotquot in terris unquam fuerunt, aut sunt homines, ab usu hujus Sacramenti arcuisset. Actum de nobis est, si nostram à nobis dignitatem petamus. Cùm verò Christus nobis in cibum detur, intelligimus, nos sine ipso tabescere, linqui & deficere; sicut inedia corporis vigorem extinguit. Deinde cùm nobis detur in vitam, intelligimus, nos sine ipso in nobis planè mortuos esse. Ea ergo una & optima dignitas est, si nostram ei vilitatem & indignitatem offeramus, ut sua misericordia nos peccatis, quorum nobis conscii sumus, nos exsolvat, atque sic se dignos faciat: si animos in nobis despondeamus, ut nos in ipso consolemur: si nos humiliemus, ut ab ipso erigamur: si nos accusemus, ut ab ipso justificemur: si ad eam, quam in sua Cœna nobis commendat, unitatem aspiremus. A parte verò nostra dignitas non fictitia confessione hominibus facienda, sed fide, quæ omnia in Christo, nihil in nobis reponit; deinde charitate, & ea quidem, quam imperfectam Deo offerre satis sit, constat. Hæc probatio, fidei scilicet, an simus in Christo, uti ipse S. Paulus 2. Cor. XI. 5. mentem suam explicuit, dignos reddit.

ARG. IV. Fructus cœnæ Dominicæ hoc modo redditur nobis inutilis & inanis. Exigunt enim Scholastici præparationem *sufficientiæ* seu *veritatis*, quæ constat in peccati omnis expulsione. Huic soli Eucharistiæ effe-

Digitized by Google

ctum arrogant. Præparatio enim *probabilitatis*, quam vocant, non assequitur iis Eucharistiæ fructum, prohibet tamen, quo minùs indignè aliquis manducet. Atqui sic semper anceps hærebit conscientia, cùm incertum sit, quando habeatur vel *sufficientiæ*, vel *probabilitatis* præparatio.

Resp. Reding: *Effectus Eucharistiæ non potest alteri, quàm ex Apostolo probatæ præparationi arrogari. Et sufficit etiam attritio ad indubitatum Sacramenti effectum; neque tum conscientia anceps hærebit.* Ib. pag. 389. Resp. Inania verba fundis. Præparationem Apostolus requirit. At ea omnia peccata expelli debere, ubinam docet? Ubi docet, attritionem, destitutam scilicet omni amore Dei, una cum Sacramento tranquillam reddere conscientiam posse?

ARG. V. Compendio hoc utitur Synodus ad publicam communionem obliterandam, & stabiliendas privatas Missas, quippe quæ sine periculo meritoriæ sint ad delenda quævis peccata mortalia.

Resp. Reding: *Imò quò puriores per præparationem à nobis requisitam evadunt conscientiæ, hoc ferventiores ad publicam communionem anhelant.* Ib. pag. 389. Resp. Quid verò si præparatio à Vobis præscripta, non tam remissionem, quàm expulsionem omnis peccati, per media Divinitus nuspiam præscripta, cujusmodi sunt confessio, satisfactio, &c. vel etiam timor pœnæ sine amore Dei, conscientiam nullo modo tranquillant, sed potiùs in examine justo & legitimo perturbant magis? Nimis profectò contritionis & attritionis Papisticæ nugæ jejuna & evanida solatia sunt consternatis, dejectísque conscientiis, & horrore peccati perculsis. Nam si Dominus interdicto neminem in Cœnæ suæ participationem admittit, nisi per contritionem justam & innocentem: non levi cautione opus est quæ justitiæ, quam Deus in lege sua requirit, certiorem reddat. Unde verò nobis confirmatur hæc securitas, apud Deum defunctos esse, qui fecerunt, quod in se est? Ita enim vos loqui amatis. Et quotusquisque sibi spondebit, se fecisse, quod in se est? Ita cùm nulla dignitatis nostræ securitas fiat, manebit semper clausus aditus horribili illo interdicto, quo edicitur, judicium sibi manducare, qui indignè manducat.

ARG. VI. Ipsa contritio & confessio Sacramentalis Papistica nullum in verbo Dei mandatum habet, uti probabitur inferiùs.

Respondere Redingius supersedit.

Obiectiones Tridentinorum.

OBIECT. *Præparatio ad S. Domini Cœnam necessariò conjuncta esse debet cum pœnitentia, cùm pœnitere nescius se non exploraverit, nec dignus Christi hospes & conviva esse valeat. Atqui pœnitentia constat perfectione nostra contritionis, confessionis & satisfactionis.* Resp. 1. Pœnitentia salutaris fidei non opponenda est. 2. Pœnitentiam *salutarem* & *Evangelicam* ab hac præparatione non excludimus. Sed Pontificiam, quæ nititur perfectione contritionis, con-

fessionis & satisfactionis, utpote ab hoc negotio alienissimam, verbo Dei contrariam, & Christi merito iniquam rejicimus.

EXCIP. REDING: *Imò verò probatio ab Apostolo præcepta absque conscientiæ discussione salutifera; & hæc absque contritione perfecta, confessione & satisfactione consistere non potest.* Ib. pag. 389. 390. Resp. Ut vias quisque suas scrutetur, probatio sui requiritur. Et pars probationis omnino est, ut contritus, hoc est, tristatus secundum Deum confiteatur peccata Deo, eadémque per veram fidem in Christum conjiciat, remissionémque à satisfactione non propria, sed Christi expectet, & in usu Eucharistiæ obsignatam vera fide amplectatur.

Ad ejusdem Sessionis XIII.

DECRETUM REFORMATIONIS.

QUÆSTIO UNICA.

An Ecclesiæ competat vera jurisdictio, & præfectura externa, auctoritativa, principalis & ἀνυπεύθυνος, cujus vi ejus præfectis Episcopis fas sit, non tantùm leges condere per se conscientias obligantes, & de verbo Dei ac rebus fidei judicare, sed etiam subjectos censuris & pœnis propriè dictis coercere?

AFfirmat Decretum Sessionis XIII. quo jurisdictionis hujus ecclesiasticæ reformatio aliquot capitibus suscepta est. Ejusdem jurisdictionis tutela etiam *Sess. XXV. cap.* 20. *de Ref.* Principibus secularibus fusè commendatur. Juvabit autem docendi causâ ex doctissimo Camerone *prælect. de Eccles. pag.* 279. distinguere genera potestatis. Est nempe sextuplex, vel *minima*, cum quis alterum retinet in officio, non ullâ retinentis auctoritate, sed solâ rei evidentiâ & veritate, veluti cùm servus Dominum, filius Patrem retinent in officio: vel *proxima minimæ*, quæ est potestas paris in parem, qui prudenter & ἀγαπητικῶς etiam increpari, imò & vitari potest, si contumacem se gesserit: vel *magna*, cum quis alterum

Digitized by Google

alterum retinet in officio, vel ad officium revocat authoritate, ſed quæ ejusmodi eſt, ut nihil habeat, quo poſſit cogere ſeu intellectum, ſeu hominem exteriorem: *major*, quæ tanta eſt, ut non faciat jus, attamen juri facto teſtimonium infallibile perhibeat, veluti cùm olim in Republica Romana prudentes & Juriſconſulti jus ita interpretati ſunt, ut eorum interpretatione ipſi Judices ſtare debuerint: vel *maxima*, quâ quidem jus aliquis non facit, tamen contemptoribus Juris pœnam irrogare poteſt: vel denique *multò maxima*, quæ jus facit, quod alioquin jus non erat, & conjuncta inſuper eſt cum auctoritate puniendi eos, qui ſecus fecerint. Quo quidem ſtatuto diſcrimine admittimus in Eccleſia poteſtatem *minimam*, *proximam minimæ*, & *magnam*, quæ in eo conſiſtit, ut poſſit Eccleſia cum authoritate prædicare verbum DEI, adminiſtrare Sacramenta, & contumaces notare cenſuris in verbo Dei præceptis, ſine ulla tamen vera Jurisdictione. At negamus Eccleſiæ competere poteſtatem & Jurisdictionem tum *majorem*, quâ videlicet poſſit authenticè & infallibiliter jus divinum non quidem facere, ſed declarare tamen ita, ut verbi divini authoritas quo ad nos ab ea dependeat: tum *maximam*, quâ poſſit ſubjectos cenſuris & pœnis propriè dictis, quæ veræ vindictæ rationem habent, ſive lata ſententia, ſive executione cogere & coercere: tum denique *multò maximam*, qua poſſit leges condere, quæ citra rationem contemptus & ſcandali conſcientiam obligent. Proinde jurisdictio eccleſiaſtica controverſa conſiſtit tum in judicio circa Divinitatem verbi & controverſias fidei, tum in poteſtate νομοθετικῇ, ſeu legislatoria, tum denique in irrogatione pœnarum propriè dictarum. *Eam ſecundum plenitudinem* alii in Papa, alii in Eccleſia; *ſecundum participationem* verò in Epiſcopis, aliiſque, quibus eam Papa communicare dignetur, collocaverunt. Ejusmodi verò Jurisdictionem externam & præfecturam principalem Eccleſiæ negamus. Etenim

ARG. I. Chriſtus Marc.X.42. Luc.XXII.25. excludit ab Eccleſia omnem dominatum & Jurisdictionem externam, quæ videlicet forenſem jurisdictionem & præfecturam imitetur, his verbis: *Reges dominantur iis, & qui poteſtatem habent, benefici vocantur. Vos autem non ſic.* Loquitur non de tyrannis, ſed legitimis Dominis, utpote quos εὐεργέτας *beneficos* nuncupat. Proinde ab Apoſtolis removet non tyrannicum duntaxat, ſed omne verum & propriè dictum dominium. Neque κατακυριεύεσθαι notat Chriſto *Tyrannicum*, uti Bellarminus ſomniat, *dominium*, ſed *violentum*, hoc eſt, cum vi externa conjunctum, legitimum tamen. Cum Chriſto facit Paulus 1. Tim.II. 4. vetans eum, qui DEO militat, ſe impligare *negotiis ſecularibus*, inter quæ ejusmodi externa jurisdictio & præfectura cenſeri debet. Sed

Digitized by Google

& Petrus concors 1.Pet. V.3. vetat *dominari clero*, jubétque fieri typos gregis.

Resp. Reding: 1. *An quia Christus post interdictum dominandi subjungit:* Ego sum in medio vestrûm, sicut Minister; *pariter concludes, nullam eum habuisse jurisdictionem forensem, de qua tamen Esaj. XXXIII. 22. populus Dei sic loquitur:* Dominus judex noster, Dominus legislator noster, Dominus Rex noster. 2. *Tam non ergo hic excluditur jurisdictio ecclesiæ, quàm non potestas legislativa, Matth. XVI. XVIII. Joh. XXI. Apostolis tributa. 3. Ergò Marc. X. & Luc. XXII. non excluditur jurisdictio, sed principatus dominativus, cujus finis sit utilitas propria, cùm Pastor bonus seipsum impendere debeat in spiritualem animarum sibi subjectarum utilitatem. 4. Cúmque potestas ea sit spiritualis & supernaturalis, sed ad salutem animarum ordinata, ideo S. Paulus 2. Tim. II. 4. eum, qui Domino militat, negotiis hujus Seculi implicari vetat.* Tomo II. Tract. VI. Ss. 6. pag. 391. 392. Resp. 1. Est minister qui dominatur, & est qui merè servit. Sic potestas supereminens civilis ministra est, & dominatur, Rom. XIII. 1. 2. &c. respectu Dei delegantis ministra: respectu subditorum dominans. Christum igitur & Ministrum dici respectu delegationis à Patre, & dominum respectu potestatis à Patre eidem concessæ in Ecclesiam, nihil vetat. Quanquam Marc. X. 44. & Luc. XXII. 27. ne quidem de ea potestate, quam in statu exaltationis nactus est, & de qua Esaj. XXXIII. 22. sermo est, sed de eo duntaxat ministerio, quod in statu exinanitionis exercuit, loquitur. Diversa est ratio Ministrorum Ecclesiæ, qui & Christi delegantis, & Ecclesiæ, cui præsunt, meri ministri sunt, procul omni potestate dominandi, qua locis citatis simpliciter Christus iis interdixit. 2. De locis Matth. XVI. &c. ex quibus potestatem legislativam extundere conaris, infra. 3. Jurisdictio externa sine dominio nulla est; maximè illa, quam Papa vester in Regum & Principum corpora & animas, temporalia & spiritualia παμβασιλικῶς exercet. Et dominium quodvis ex prima institutione Dei est non propriæ, sed alienæ utilitatis causa. Quòd verò propriæ utilitatis causa exercetur, tyrannis est, non dominium legitimum. Quod vel ipsi Philosophi gentiles frequenter adnotarunt. Nullum verò planè dominium, jurisdictionem externam, quæ cum dominio omnis conjuncta est, Ministris Ecclesiæ competere, nullam in locis citatis oppositio manifestè arguit. *Illi*, Reges gentium, inquit Christus, *κατακυριεύουσι, κατεξουσιάζουσι, dominantur, potestatem gerunt:* at vos oportet esse *διακόνους, δούλους, ministros, servos*, sine ulla proin dominandi, potestatem gerendi externam facultate. Ita opponuntur *τὸ κατακυριεύειν dominari*, & *τὸ δοῦλον εἶναι servum esse*, ut toto diametro distent. Non possunt igitur ita modificari, ut in unum idémque conveniant. Non jam dicam, Papæ dominium pro ultimo fine propriam, non alienam utilitatem habere. Res ipsa loquitur, potentia, Majestas, Regales opes, quas dominio suo intendit, peperit & quotidie profert. 4. Potestas denique Papæ & Cleri prætextu quidem spiritualis, sed reapse merè temporalis & mundana est. Papa enim verus Imperator & Rex est, & in *πραγματείαις τοῦ βίου negotiis hujus mundi* occupatur totus.

ARG. II. Talis est potestas Ecclesiæ qualis ipsi à Christo concessa est. At externa & principalis ei nuspiam concessa est.

Resp. Reding: *Ecclesiæ potestatem principalem, non absolutam & independentem à superiori, sed Divinæ subordinatam datam esse, S. Paulus 1. Cor. IV. 21. 2. Cor. XIII. 2. Hebr. XIII. 17. testatur.* Ib pag. 392. Resp. De locis illis infra agimus.

ARG. III.

Digitized by Google

ARG. III. Imò cùm ne ipſe quidem Chriſtus ejusmodi jurisdictionem unquam exercuerit, & regnum ſuum de hoc mundo eſſe negaverit, quomodo cenſeri poteſt eam indulſiſſe Eccleſiæ? Inprimis cùm ipſe teſtetur Joh.XX.21. ſe mittere Apoſtolos, ſicut ipſe à Patre miſſus eſt. An ampliorem poteſtatem conceſſit Eccleſiæ, quàm ipſe uſurpaverit?

Resp. Reding: *Deus Pater ſic Chriſtum miſit, ut dederit ei gentes in hæreditatem, regendas in virga ferrea, quæ & directionem & coactionem, Auguſtino interprete, notat, Pſal. II.8. Quin & ſedem Davidis ei dediſſe, ut regnet in æternum, Luc. I.33. dicitur. Quomodo in æternum regnat, ſi in mundo poteſtatem regnandi non reliquit? Apoſtolis ergo & eorum ſucceſſoribus eam communicavit.* Ib. pag. 392. 393. Reſp. Fruſtra ex locis allegatis Chriſto poteſtatem externam & mundanam, qualem Papa exercet, vindicare conaris. Nam qua Mediator nunquam talem geſſit. Negavit enim diſertè Regnum ſuum eſſe de hoc mundo. *Dedit* autem ei Deus *gentes hæreditatem*, Pſal. II.8. quia illi, tanquam filio & hæredi omnium reſervata erat obedientia gentium, Geneſ. XLIX.10. An vi mundana & & terreſtri, & non potiùs Spiritu & verbo gentes ad fidem & pœnitentiam vocavit, convertit? In Regni ſui ſpiritualis vindicatione & occupatione dicitur gentes conquaſſaſſe בשבט ברזל *virga ferrea*, hoc eſt, במטה עז *virga roboris*, Pſal. CX.2. vi verbi & ſpiritus ſui, qua conterit ſuperbiam, & emollit duritiem. Quaſſat enim corda, ut regat. Refractarios verò & perſecutores Eccleſiæ *ut vas figulinum* diſſipat; omnipotente ſcilicet, quam qua Deus habet, & in totum mundum exercet, virtute. Aliter enim ſe habet ejus poteſtas, qua is Mediator, caput & Dominus Eccleſiæ eſt: aliter, qua ſimpliciter, ut Deus, una cum Patre & Spiritu S. univerſum mundum vel immediatè, vel mediantibus poteſtatibus humanis gubernat. Regnum porro Chriſti ejuſdem, quod Luc. I.33. habere dicitur in domum Jacob, hoc eſt, ſemen promiſſionis, quod ſibi ſubjicit, ut in eo vivat; neutiquam terreſtre, ſed merè ſpirituale eſt. *Æternum* verò dicitur, non quòd Regia ea poteſtas Apoſtolis & ſucceſſoribus in terra communicata nunquam ceſſet (nam nec iis Regia ejuſmodi poteſtas ullatenus competit, nec miniſterium eorundem æternum eſt) ſed propterea, quia non tantùm fideles, Regni hujus filios, ſibi ſubjicit ad luctam & pugnam contra peccatum, ut in iis belligeretur, ſed in iis etiam triumphat tum propter juſtitiam æternam, tum per Spiritum æternum, & in ſui manifeſtatione cum gloria æterna. Hæc omnia, Regni Chriſti *κυρίας δόξας*, vel turpiter tu ignoras, vel impudenter confundis, ne Papa tuus, Chriſti ſcilicet vicarius, ſine cauſa ſe *κοσμοκράτορα* hujus mundi gerere videatur.

ARG. IV. Poteſtas Eccleſiæ propria tota eſt merè ſpiritualis. Coercetur enim ſpirituali objecto, uti præcepta Chriſti, qualia ſunt: *Docete, baptizate, ſolvite, ligate*, indicant. Sed & in rejectione eorum, qui obſtinati Evangelio ſe opponerent, Chriſtus Apoſtolos armavit non vi & coactione externa, quæ ultra animos in temporalia operaretur, ſed in teſtimonium infidelitatis incurabilis juſſit excutere pulverem Matth. X.4. contumaces habere pro Ethnicis & publicanis, Matth. XVIII.17. qua in re nullus externæ violentiæ locus eſt.

Digitized by Google

RESP. REDING: *Annon uti corpus inservit spiritui, ita etiam temporalia subordinantur spiritualibus? Nam homo & corpore & anima Deum glorificare debet. Licet ergo temporalia potestati spirituali directè non subjaceant, indirectè tamen subjacent, quia spiritualis potestas absolutum regimen in ordine ad finem supernaturalem habet.* Ib. p. 393. Resp. Frustra temporalem potestatem spirituali subordinatam esse, cum Hierarchicis vestris, fingis. Sunt enim essentialiter distinctæ. uti ipsemet Gelasius vester Papa agnovit. Is enim invectus in Anastasium Imperatorem, quòd se ille aliquando in absolutionem Petri Episcopi Alexandrini Ecclesiastica censura icti ingessisset, sic *Tomo de Anath. vinc.* potestatem utramque disparavit: *Fuerint hæc ante adventum Christi, ut quidem figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti, pariter Reges existerent, & pariter Sacerdotes. Quod Melchisedecum fuisse, sacra historia prodit. Quod in suis Diabolus quoque imitatus est, utpote qui semper, quæ Divino cultui convenirent, sibimet tyrannico spiritu vendicare contendit, ut Pagani Imperatores iidem & Maximi Pontifices dicerentur. Sed cùm ad verum ventum est, Christum, eundem Regem & Pontificem, ultra sibi nec Imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex Regale fastigium vindicavit. Quamvis enim membra ipsius, id est, veri Regis ac Pontificis, secundum participationem naturæ magnificè utrumque in sacra generositate sumpsisse dicantur, ut simul Regale genus & Sacerdotale subsistant,* 1. Pet. II. 6. *attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quòd suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis, dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, volens suos medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum, Imperialibus dispositionibus uterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minimè Secularibus negotiis se implicaret; ac vicissim non ille rebus Divinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus: ut modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utraque suffultus: & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.* Totidem ferè verbis Nicolaus I. totus licet spiritu Monarchiæ tumens, *Epist. lib. I. ep. 8.* utramque potestatem distinxit. Primus Bonifacius VIII. ἱερομοναρχικῶς in Extravagant. *Unam Sanctam &c.* spiritualem & materialem gladium esse in potestate Ecclesiæ definivit. Distincta equidem sunt potestas, & subjectum habens potestatem, ita ut habens potestatem politicam Ecclesiæ, & vicissim habens potestatem Ecclesiasticam seculari subjici possit debeátque. Sed potestates ipsæ sic discretæ sunt, ut neutra alteri subjici; neutra in alterius fines involare debeat vel possit. Neque hic potestatum subordinatio ulla locum habere potest, quia dignitas & officium, quod est in subordinato, non potest non esse in subordinante, cùm ab eo derivetur. At politicæ potestatis dignitas & officium in Ecclesiastica non continetur. Et frustra planè subordinationem hanc similitudine animæ & corporis explicare contendis. An enim sicut spiritus vitam corpori, & cuilibet ejus parti impartitur: ita Spiritualis etiam potestas civili propriam functionem & administrationem præscribit? An sicut corpus sine anima consistere nequit, temporalis etiam potestas sine Ecclesiastica consistere non potest? An sicut corpus in Spiritum directè agit, ecclesiastica similiter in civilem, eam movendo, regendo, præceptis legibúsque informando directè agit? Hoc tu ipse affirmare non sustines. Licet autem ecclesiastica potestas se extendat ad finem supernaturalem, atque ad eundem finem omnes etiam actiones corporales collineare debeant, inde tamen non conficitur Ecclesiæ Ministris in res temporales ullam potestatem exter-

nam

Digitized by Google

nam & coercentem competere; sed tantùm, eos spiritualibus remediis ex verbo Dei petitis, procul ulla coactione, res temporales ad supernaturalem finem provehere debere.

ARG. V. Paulus etiam Hebr. XIII. 7. jubet obedire præpositis, nempe in iis, quæ animam concernunt. Addit enim rationem demandati obsequii: *Ipsi enim vigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri.* Atque hinc est, quòd etiam Christus passim φερωνύμως vocatur *Pontifex & Sacerdos* noster, Hebr. IV. 14. V. 16. Pontifici autem & Sacerdoti quis nescit animarum duntaxat commissam curam esse? Et ministri ejus vocantur *Oeconomi* Luc. XII. 41. 1. *Legati* 2. Cor. V. 20. quorum neutri externam αὐτοκρατορικὴν potestatem obtinent.

RESP. REDING: *Obligatio obediendi Præpositis indirectè & consequenter etiam ad temporalia se extendit; & quidem sub censuris ecclesiasticis.* Ib. pag. 393. Resp. Sed sine ulla potestate vel legislativa, vel judiciali quoad rerum temporalium administrationem, vel externa coërcente. Nam censuræ etiam ecclesiasticæ, quatenus externa & temporali jurisdictione indigent, ad potestatem civilem pertinent.

ARG. VI. Ecclesiæ non competere vel judicium de rebus fidei decisivum, vel potestatem νομοθετικὴν propriè dictam, supra probavimus. At nec potestatem coercendi, puniendi, & cogendi, quæ una superest, ei competere manifestum est, quia nec in animam, nec in corpus ea cadere potest. Non in *animam*, utpote cujus coërcitio & coactio soli Deo subest. Non in *corpus*, cujus coactio nuspiam Ecclesiæ, ubique civili summæ potestati in verbo Dei vindicatur. Nam judicium, quo utitur Ecclesia in contumaces, excludendos videlicet à consortio fidelium, à sacra Synaxi, ab Ecclesia, nec respectu animæ, nec corporis, violentum & coactivum est, cùm excluso hac ratione adhuc relicta sit vel libertas parendi, vel licentia repugnandi. Quòd si se cœtui sacro intruserit, non ecclesia, sed civilis potestas externa vi ipsum coget ad officium, & expellet.

RESP. REDING: 1. *An ergo contumaci à sacra synaxi per Ecclesiam excluso est licentia si non Dei, saltem Ecclesiæ foro impune repugnandi? Si non est, Ecclesia igitur habet vim coactivam. Et quomodo non violenta erit exclusio, cùm publicam infamiam ingerat? 2. Annon communio Ecclesiæ, bonúmque famæ ac honoris, quorum, mediantibus censuris jactura fit, sunt quædam animæ bona, ut adeò eorum privatione vis coërcitiva exerceatur adversus animam, imò consequenter etiam adversus corpus?* Ib. pag 394. Resp. 1. Contumax à synaxi legitimè exclusus jus quidem repugnandi Ecclesiæ non habet. Fieri tamen potest, ut præter jus licentiam repugnandi sibi sumat. Eo in casu an Ecclesia contumacem coërcebit & corpori ejus vim faciet? Non puto equidem. Civilis potestas, si Ecclesiæ membrum sit, auxiliares manus porriget, utpote quæ sola *gladium gestat, & vindex est ad iram omni malum facienti*, Rom. XIII. 4. An verò infamia, ut habeatur aliquis

aliquis pro Ethnico & Publicano, externam coercitionem requirit? Nimis profectò deliras. Sicut enim bona fama in opinione & judicio de proximi virtute & dignitate: ita infamia in opinione pariter & judicio de indignitate proximi consistit. Quæ verò in judicio & opinione externa vis & coercitio locum habet? 2. Par ratio est privatæ communionis per censuram Ecclesiæ. An enim censura, seu elenchus ex Dei verbo institutus, vim corpori admovet? Et si quæ vis animæ incumbit, illa non à jurisdictione externa Ecclesiæ, sed à sententia legislatoris Dei, à præcone ex ejusdem verbo deprompta, tota provenit.

ARG. VII. Accedit, quòd Deus unicam supremam, architectonicam & ἀνυπεύθυνον potestatem, jure gladii armatam instituit, cujus proinde Jurisdictioni πᾶσα ψυχὴ *omnis anima* juxta Apostolum Rom. XIII. subjecta, & ad imperata omnia obnoxia esse debet. Id porro etiam manifestum est, tum quia ipse Christus magistratibus subjectus fuit, vectigal solvens pro se & Petro, Matth. XVII. 27. tum quia veteres sacerdotes Regibus suis in civilibus & criminalibus subjecti fuerunt, uti liquet exemplis *Davidis*, qui ordines & officia Levitarum in templo constituit; *Solomonis*, qui Abiatharem deposuit; *Josaphati*, qui cultum idololatricum sua auctoritate sustulit; *Joasi*, qui Sacerdotum & Jojadæ Pontificis negligentiam coarguit; *Hiskiæ*, qui cultum à Sacerdotibus & Prophetis corruptum instauravit; *Josiæ*, qui ossa Sacerdotum super altaria ipsorum combussit, & Pascha ex libro Legis restituit: tum quia in Novo Testamento omnibus, nullo excepto, præcipitur obedientia civilis, Rom. XIII. 1. Tit. III. 1. 1. Pet. II. 13. Qui igitur externam & supremam ejusmodi Jurisdictionem civili collateralem invehunt, contra jus Dei & naturæ, imperium in imperio ædificant.

RESP. REDING: 1. *Si unica est potestas architectonica, eaque civilis jure gladii armata, quomodo subsistet Divinum effatum Deuteronom. XVII. 12.* Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morte moriatur. 2. *Cùm Rom. XIII. 1. præcipitur, ut omnis anima subsit potestati eminenti, id de potestate civili locum habet non absolutè, sed in sensu accommodo, intra limites nempe fori civilis. Quomodo aliàs in Mosaica lege præter Politicum Magistratum locum habere potuit supremum pro populo Sacerdotium, cum potestate sua conjunctum? Neque potestas ejusmodi in N. Test. abrogata est, uti liquet ex absoluta ligandi potestate Oecumenico fidelium Pastori à Christo collata.* 3. *Imò verò Christus Matth. XVII. 26. profitetur filios Regni, adeóque se etiam liberum esse à tributo. Non igitur tributum solvit jure subjectionis, sed ne scandalum exactores tributi paterentur.* Ib. pag. 394. 395. Resp. 1. Argumentum meum de tempore N. Test. loquitur. Perperam ergo ex veteri, in quo diversa Ecclesiæ & Politiæ œconomia fuit, respondes. Nam ibi quidem Sacerdotes ex Dei præscripto potestate etiam externa ad vindicandum ordinem in Ecclesia à Deo institutum pollebant. Quanquam locus Deut. XVII. 12. nihil te juvat, quia ita ibi legislator superbè agentem contra Sacerdotem vel judicem morti addicit, ut potestatem inferendæ mortis, adeóque exteriorem jurisdictionem judicialem Sacerdo-

Digitized by Google

ti non vindicat. 2. Utique Rom. XIII. 1. omnis anima potestati supereminenti subesse jubetur non absolutè, sed usque ad aras: in sensu etiam commodo, & intra limites fori civilis. Sed aliud forum eminens ecclesiast. cum temerè supponis. Neque vel Ecclesiæ N. Test. à Christo data est absoluta ligandi potestas, quæ uni solique Deo competit: vel ligandi potestas externam jurisdictionem, uti infra ostendimus, arguit. 3. Christus Matth. XVII. 26. dicens; *filios Regni liberos esse*, non se, qua hominem, & legi subjectum, à politico foro exemptum docet, sed ostendit, nec se, qua Filium Dei, obligari ad didrachma solvendum, tanquam λύτρον animæ suæ, nec discipulos suos, qui ab ipso libertatem hæreditant, & non argento redimuntur, sed pretioso ejus sanguine, ad servitutem figuræ teneri. Ne tamen scandalum præberet, quasi qua homo legibus solutus censeri velit, tributum solvit. Vos verò cur non scandali similis metu æquè tributa pensitatis, & subjectionem vestram testamini?

ARG. VIII. Sed & vetus Ecclesia ab ejusmodi præfectura planè abhorruit. Chrysostomus *Homil. 3 in Acta Apostol.* legislativam auctoritatem Ecclesiæ erga fideles prorsus derogat. Atque id ipsum etiam *Homil. 1. in Tit.* probat eo argumento, quòd in potestate subjectorum Ecclesiæ positum sit obedire vel non. Hieronymus *Epist. 2. ad Neopotianum* graviter urget locum Petri 1. Ep. V. 3. Nazianzenus *in Apolog.* ait: Non vi, vel necessitate oportere constringere, sed ratione & vitæ exemplis suadere. Bernhardi plura loca affert M. Anthon. de Dominis *de Rep. Eccl. lib. V. 2.* Atque hinc etiam est, quòd Justinus Imp. *de Episc. & Cler. l. 41.* aliique olim Ecclesiasticis legum civilium studium & professionem, tanquam iis noxiam, interdixêre. Videri de eadem re Gerson *lib. de vita Spirit. Lect. 1.* & Petrus Blesensis *epist. 25.* possunt. Adversarios hujus Ecclesiasticæ Jurisdictionis & potestatis, ex posterioribus etiam seculis, novimus plures, veluti Marsilium Patavinum, Authorem oneris Ecclesiæ, Guntherum, Petrum de Vineis, Wilhelmum Occam, Petrum Ferrariensem, Albericum Rosatem, Anthonium Rosellum, inprimis etiam Fridericum Barbarossam.

RESP. REDING: 1. *Chrysostomus homil. 70. ad populum Ecclesiasticam jurisdictionem disertè stabilit. Et homil. 3. in Acta Petrum habuisse constituendi jus par omnibus; & præfectos non tanto honore potiri, quo Præsides Ecclesiæ asserit. Denique homil. 1. in Titum in fidelibus agnoscit obligationem obediendi præpositis Ecclesiæ. In potestate autem subditorum esse, iis obedire, vel non, addit, ut ambitionis affectum ab ecclesiasticis removeret, utpote qui imperare, & non ad imperata cogere possint æquè ac Principes seculares, qui etiam invitos cogere possunt. 2. Hieronymus loc. cit. hoc unum contendit, ecclesiasticorum authoritatem non esse dominativam. Eadem sententia est verborum Nazianzeni. 3. Bernhardus quoque Ecclesiæ judiciariam potestatem agnoscit, sed non in terrenis, verùm criminibus. 4. Ecclesiasticis legum civilium studia interdicta sunt, ne Secularibus districti res Divinas negligant. 5. Postremi à te citati hæreseos, vel politiæ heresi propinquæ spiritu turgebant.* Ib. pag. 395. 396. Resp. 1. Chrysostomus *homil. 3. in acta Apostolorum verba* Episcopum cum Imperatore conferens, concludit de Episcopo: Οὐδ᾽ ἄν ἐξουσίας ἐστὶ

 ἐπιτάξαι.

ἐπιτάξαι. *Ne quidem licet ei ex poteſtate præcipere.* Et paulò ante comparans curam boni Patris familiâs cum cura Epiſcopi, hanc illa multò graviorem facit, ex imperii multò minori poteſtate. Addit: Ἐπὶ μὲν τῶν ἀρχόντων ὁ φόβος ἰσχύει. ἐπὶ δὲ τούτων οὐχί. *In Principibus movet metus: in his* (Epiſcopis) *minimè.* Par jus habuiſſe Petrum conſtituendi nempe Apoſtolum, ibidem ait. Quid hoc ad jurisdictionem exteriorem? Quid τὰ πρεσβεῖα, major dignitas, honor Epiſcopi quàm præfectorum, ad eandem? Nugari ubique amas. Idem Chryſoſtomus *homil. 1. in Tit.* negat Eccleſiæ Miniſtrorum eſſe ἐπιταγὰς *mandata*, præcepta ferre, ratione addita, quia ἐφ᾽ ἡμῖν *in poteſtate noſtra ſit* iis obedire vel non obedire. Τὰ δὲ, inquit, ἐπιτάγματα οὐκ ἐφ᾽ ἡμῖν, ἀλλ᾽ ἀνάγκη ἢ ποιῆσαι ἢ μὴ ποιήσαντα κολασθῆναι. *Mandata non ſunt in noſtra poteſtate, ſed neceſſe eſt vel facere, vel non facientem puniri.* Qua ergo jurisdictione legislativa & coercitiva Eccleſia pollet? Lepidum planè, quòd ambitionis affectum à Miniſtris Eccleſiæ ſic removeri ais. Removet ſanè, ſed eo argumento, quòd ne quidem ἐπιτάσσειν *mandare* aliquid, puta à Chriſto non mandatum, auſint. Neque quæ ex *homil. 70. ad populum* citas, quicquam ad rem faciunt. Nam coacturum ſe quoſdam *mala ſua deflere*; ligaturum, &c. non ulla externa jurisdictione, ſed ſpirituali poteſtate verbi Divini minatur. 2. Hieronymi *ad Nepotianum Epiſt. 2.* verba ſunt: *Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe noverint, nec Dominos: honorent clericos, quaſi Clericos, ut & ipſis à clericis quaſi Epiſcopis honos deferatur &c. Unus Dominus, unum Templum, unum ſit miniſterium.* Authoritatem utique dominantem, ſine qua nulla jurisdictio externa & coërcens eſt, excludit. Sed & paſſim Hieronymus in eo totus eſt ut planum reddat, Eccleſiaſticam dignitatem neque imperium in ſe continere, ut in ſubditos, neque ſplendorem faſtuoſum præfecturæ civilis proprium. *Regem nolentibus, Epiſcopum volentibus præeſſe*, in Epitaph. Nepot. *ep. 3.* monet. Nulla autem eſt jurisdictio externa coercens in volentes. Quomodo etiam Nazianzenus *in Apologet.* Eccleſiæ Miniſtros monet, *ut non neceſſitate vel vi conſtringant, ſed ratione & vitæ exemplis ſuadeant.* 3. Bernhardi loca plura modò perpenderes. Ipſum Papam Eugenium *de conſid. lib. II. 6.* ſic alloquitur: *I ergo tu, & tibi uſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolus dominatum.* An neutrum horum ſibi Papa, & Hierarchia veſtra, omnis jurisdictionis externæ typho plus quàm Reges & Principes Seculi omnes, inſoleſcens uſurpat? Et *de conſid. lib. I. cap. 6.* dicit: *In criminibus, non poſſeſſionibus eſt poteſtas veſtra, quoniam propter illa, & non propter has accepiſtis claves Regni Cælorum.* Quæ verba ipſe Johannes Ferus veſter, omnem jurisdictionem externam ab Eccleſiaſticis remoturus, graviter urget. Et uſſit hoc Bernhardi dictum, uréque ſemper Hieromonarchicos, qui Romanum Pontificem utraque ſuprema poteſtate mactare nituntur. 4. An verò legum civilium ſtudio ab Imperatore *C. de Epiſcop. & Cler. l. 41.* damnato, veſtri abſtinent? Imò abſque eo foret, nunquam officiales & cauſſidici veſtri jurisdictionem externam tuerentur. 5. Denique Viri conſultiſſimi, ipſi inprimis Henrici & Friderici Imperatores, non alia hæreſi infecti fuerunt, quàm ii ipſi, quos allegavi, Patres, imò Chriſtus ipſe, quando dominari inſtar Regum & Pricipum vetuit. Hæreſis Papicolis hodie eſt omnis Principum pro poteſtate Divinitus ſibi conceſſa contentio.

ARG. IX. Denique Epiſcopalis jurisdictionis originem & incrementum eruditè exponit Hiſtoricus lib. IV. pag. 279. &c. Summa huc redit: *Judicium Eccleſiaſticum principiò à ſola charitate profectum eſſe, & ejus dirigendi curam Epiſcopo, utpote maximè idoneo, tributam, ſed cauſam ipſam in Presbyteriorum Collegio*

Digitized by Google

gio examinatam & excuſſam, ac in eccleſiæ cœtu determinatam eſſe. Hanc formam viguiſſe adhuc Cypriani ætate, anno 250. uti ejus epiſtolæ indicant. Eccleſiis in eo munere remiſſioribus, & charitate refrigeſcente, tandem Judicium illud ceſſiſſe in unum Epiſcopum. Ceſſantibus perſecutionibus Epiſcopos tribunalia & Judicii formam erexiſſe. Addidiſſe Conſtantinum M. legem, ut à ſententiis Epiſcoporum provocatio non eſſet, eósque Judices exequerentur. Hinc Judicium cœpiſſe eſſe forenſe. Anno 365. Valentem Imp. illud ampliâſſe, inſpectione in pretia rerum promercalium ei attributa. Cúmque poteſtate hac abuterentur nonnulli Epiſcopi, annis poſt 70. Arcadium & Honorium ſtatuiſſe, ut religionis tantùm cauſas Epiſcopi dijudicarent, civiles autem non aliter niſi de partium voluntate & conſenſu, ſimúlque ſtatutum, nullum iis forum deberi. Eam legem A. 452. à Valentino Imperat. reſtauratam eſſe. Sed adempta hujus poteſtatis bonam partem iis redditam à Principibus ſequentibus, Juſtiniano forum ſtabiliente & Audientiam, iiſque unà cum cauſis religionum, delicta clericorum Eccleſiaſtica, & in Laicos varias Jurisdictiones ſpontaneas aſſignante. His gradibus charitatem in dominationem degenerâſſe. Separatis poſtea in occidente provinciis paulatim Epiſcopos in principum conſilia advocari, mixtum forum inſtitui, laicorum cauſas ſpiritualitatis obtentu ad illud evocari, & divinum ad hæc omnia Jus, & Chriſti ipſius inſtitutionem alligari cœpiſſe. Tandem ab immenſitate poteſtatis ſpiritualis ventum ad tribunal temporale extruendum in medio ſtatus cujúsque Politici, & utrunque Imperium Epiſcopis ademptum ſibi Pontificem Romanum vendicâſſe.

RESP. REDING: 1. *Cyprianus lib. I. Epiſt. 3. & lib. II. Epiſt. 3. unum in Eccleſia ad tempus eſſe Sacerdotem, qui judex vice Chriſti ſit conſtitutus in Cathedra Petri, ſcribit. En judicium Eccleſiaſticum à Chriſto inſtitutum agnoſcit. 2. Forenſe judicium in Eccleſia à Divina inſtitutione Conſtantinus M. arceſſit.* Ib. p. 397. Reſp. 1. Cypriani dictum ſupra excuſſimus. Judicialem poteſtatem, miniſtrantem puta, & merè ſpiritualem, non externam & coercentem Sacerdotibus tribuit. 2. Ubi Chriſtus Romæ Principatum Sacerdotum, & Religionis caput ſic conſtituerit, ut Imperatori terreno fas non ſit illic poteſtatem ſuam, temporalem puta, exercere, tu quæſo nos edoce. Nam cum ignariſſimis juxta hoc ignoramus. Neque hoc Conſtantino Imperatori in mentem venit unquam.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Chriſtus Matth. XVI. 19. Apoſtolis, & eorum in miniſterio ſucceſſoribus concedit poteſtatem clavium, quæ in ligando & ſolvendo conſiſtit, promiſitque in cælo ſolutum ligatúmque fore, quicquid illi in terra ſolverint & ligaverint. Ergo abſolutam illis poteſtatem & Juriſdictionem conceſſit.* Reſp. 1. Quid cum clavibus à Chriſto Apoſtolis & Eccleſiæ conceſſis commune habet Jurisdictio propriè dicta, enſes, lanceæ, ſceptra, coronæ, plena in omnia regna, animos & corpora

ra potestas, quæ omnia ex clavibus insani homines cudunt? Sicut herus Oeconomo tradens claves, ei externam hujusmodi Jurisdictionem non tradit, sed ministerium & curam familiæ: Ita Christus Apostolis & eorum successoribus tradens claves, illis communicavit non absolutam potestatem & externam Jurisdictionem, sed potestatem merè ministerialem, & ad præcepta Domini adstrictam, quâ videlicet illis incumbit populum suæ fidei creditum docere, hortari, consolari, increpare, inque disciplina retinere.

EXCIP. REDING: *Si Dominus præter dominium privatum habeat supremam Regni jurisdictionem, domûsque suæ œconomiam committat alteri cum authoritate clavium non domus privatæ duntaxat, sed Regni sui, concessa indefinita & illimitata ligandi & solvendi potestate, num insanus est, qui asserit, tali sub clavibus commissis absolutam jurisdictionem concessam esse? Ita Pharao Josepho, ita Christus Petro œconomicam potestatem tradidit.* Ib. pag. 397. 398. Resp. Nimis certè *absolutè* pronuntias, ut *absolutam jurisdictionem* Papæ & clero tuo vindices, ne sine causa Papa *Rex Regum*, & tu quoque *Princeps S. R. I.* audire videamini. Sed primò qualiscunque jurisdictio Petro, Apostolis & Ecclesiæ Ministris omnibus tradita est, illa tamen merè spiritualis, non externa, coercens, dominans est. Nam ne ipse quidem Christus, cùm hanc potestatem clavium S. Petro tradidit, se absolutum Regem ac dominum Cœli & terræ gessit, protestatus, suum Regnum non esse de hoc mundo. Unde vocantur claves Regni *Cælorum*, non terræ. Dein claves dedit S. Petro, ut Dominus servo, herus œconomo. Servi autem & œconomi potestas non est nisi ministerialis, pendens ex imperio & præscripto, quod si transgrediatur, reus est, neque quod transgrediendo agit, ratum est apud dominum. Unde ad rationem etiam administratæ domus & clavium reddendam vocari potest. Præterea potestas illa œconomica à Christo explicatur de potestate remittendi & retinendi peccata. Atqui Ecclesiæ Ministri peccata remittunt & retinent non ut Domini, vel ex plenitudine potestatis, vel per jurisdictionem ullam, nedum externam; sed ut præcones legis à Christo Domino latæ, quam conscientiis pœnitentium & impœnitentium sic applicant, ut sententiam tamen non ferant ipsi sed talem à Christo nudè præconient. Denique Christus corpore suo sejunctus licet à domo sua, Ecclesia, quam in mundo habet, potentia tamen & gratia Divinitatis, Spiritu & verbo conjunctissimus eidem, solus in conscientiis hominum, ligando & solvendo, peccata retinendo & remittendo, dominatur & jurisdictionem exercet, neque quenquam præter se dominum patitur: ministrandi, prædicandi potestate sola relicta quibusdam, quos visibili modo Ecclesiæ præesse voluit. Nulla ergo Ecclesiæ Ministris *jurisdictio* propria; nulla potestas *illimitata, indefinita*; nedum *jurisdictio absoluta*, quam solus Christus habet, solus Antichristus sibi arrogat; competit. Limitata sunt omnia, objectum, potestas, actus, rati vel irriti, prout minister mandato officio defungitur, vel non.

OBIECT. II. *Paulus Act. XX. 28. jubet Episcopos ποιμαίνειν regere Ecclesiam. Ergo iis competit regimen quoddam.* Resp. 1. Regimen competere ministris Ecclesiæ non negamus. Sed illud in vera Jurisdictione ac præfectura ejusmodi consistere, est *μέγα λίαν αἴτημα*. 2. Neque *ποιμαίνειν* hic notat actum regendi,

Digitized by Google

regendi, sed potiùs *pascendi*: hoc est, fide credenda proponendi, explicandi, à via perditionis & corruptorum morum monitis, consiliis, interminationibus, censuris revocandi, & in salutis viam dirigendi, quæ omnia sine coactione & vera Jurisdictione peraguntur. Ita pastores pascunt oves etiam alienas, quarum sine venia ne lanam quidem diripere audent: medici regunt ægrotos, Magistri discipulos, sine vera jurisdictione.

Excip. Reding: *Ex potestate clavium S. Petro data evincitur, pascendi potestatem, utpote cum ea conjunctam, ab officio regendi non discrepare.* Ib. pag. 398. Resp. Nec pastorale pedum clavibus, nec claves pastorali pedo jurisdictionem propriam, nedum jurisdictionem absolutam impartiri, ex iis, quæ jamjam diximus, liquet.

OBIECT. III. *Vetat Paulus 2. Tim. V. 16. adversus presbyterum accusationem suscipere nisi sub duobus aut tribus testibus. Et v. 17. ait, presbyteros καλῶς προεστῶτας duplici honore dignos esse. Ergo Presbyteri sunt Judices cum quadam præfectura, & præsunt subjectis.* Resp. 1. Accusationes adversus Presbyterum innuuntur non forenses, streperæ, externæ, sed ἀγαπητικαὶ, *charitativæ*, comparatæ ad id, ut accusatus publicè, dum convenirent fideles ad Synaxes, corriperetur & ad frugem revocaretur. Nec testes erant examinandi, ut Timotheus posset judicii servatâ formâ, ad Judiciales forenses actus progredi, sed ut tutò ac legitimè illum publicè corripere posset. Quæ quidem correptio, quia magna cum confusione conjuncta erat, cavendum erat, ne temerè, & ad unius accusatoris testimonium ad illam procederetur. 2. Potest etiam hoc intelligi non tam de judicio quocunque, quàm de arbitrio, etiam in civilibus commendato à Paulo 1. Cor. VI. quibuslibet fidelibus, adeóque etiam illis, qui præsunt Ecclesiæ. 3. Sunt sanè Episcopi & pastores quilibet προεστῶτες, tales qui *præsunt*, hoc est, populo suo duces sunt in fide, & moribus Christiano homine dignis, docendo, monendo, consolando, corripiendo. quæ citra jurisdictionem, & potestativam subjectionem obtinere queunt.

Excip. Reding: *An authoritas privandi aliquem jure suo, ut videlicet sit intra gremium Ecclesiæ, superiorem quandam potestatem non exigit? Atqui in accusationis, quam nonnisi sub duobus vel tribus testibus suscipi Apostolus permittit, processu ejusmodi privandi authoritas obtinet. Et eo ipso, quod testes examinandi sunt, jurisdictio, seu potestas authoritativa requiritur.* Ib. pag. 398. Resp. Aliud est potestas quævis superior, qualem Ecclesiæ, & iis, qui Ecclesiæ gubernandæ præsunt, competere non negamus, imò initiò quæstionis astruximus: aliud jurisdictio propriè dicta, externa, coercens per pœnas, quæ veræ vindictæ rationem habet. Illam, non hanc accusationis susceptio, & testium examen exigit. uti responsio nostra, quam frigidè & leviter attingis, probat.

Digitized by Google

OBIECT. IV. *Paulus minatur Corinthiis 1.Cor.IV.21. fieri poſſe, ut ad illos veniat ἐν ῥάβδῳ cum virga, non ἐν ἀγάπῃ cum charitate. Et 2.Cor.XIII. 2. minatur fore, ut venturus ad eos οὐ φείσῃ non parcat. Etiam 2.Cor.X.2. docet, ſibi in promptu eſſe ἐκδικῆσαι πᾶσαν παρακοὴν vindicare omnem inobedientiam. Quæ omnia coactionem & externam juriſdictionem arguunt.* Reſp. 1. Virgam Pauli interpretatur Chryſoſtomus non poteſtatem ordinariam, forenſem & coactivam, ſed extraordinariam in ſignis, ac miraculoſis punitionibus. Qualis conſpicua fuit in Anania & Saphira. Quam ſuam poteſtatem ipſe Paulus commendat 2. Cor. XII. 12. Atque eodem ſenſu etiam reliqua loca explicari poſſunt. 2. Poſſumus etiam cum Ambroſio *lib. 1. de pæn. cap. 12.* virgæ hujus poteſtatem referre ad correptiones, increpationes, & ad extremum ad excommunicationem. 3. Virgam opponit Paulus charitati, non quaſi ad paternam charitatem non etiam pertineat, cùm etiam pater erga filium dilectum utatur virga, ſed quia non eadem comitate & ſuavitate uſurus ſit erga immorigeros, quâ erga morigeros.

EXCIP. REDING: *1. Chryſoſtomus caſtigationem & ſupplicium interpretatur. Atqui authoritas ſupplicium inferendi eſt poteſtas juriſdictionis coactiva. 2. Poteſtas Apoſtolorum extraordinaria conjuncta fuit cum ordinaria; quam pendere ex ordinario procedendi modo per informationem teſtium, ex 2.Cor.XIII.1. conſtat. 3. Excommunicatio, qua quis jure communionis privatur, poteſtatem coactivam & juriſdictionem criminalem requirit; adeóque ſic charitatis eſt, ut etiam ſit juſtitiæ. 4. Tu ipſe ſupra contendebas, ex 1.Cor VI. evinci, fideles, qui præſunt Eccleſiæ, habere poteſtatem judicandi in civilibus. Ergo juriſdictionem etiam civilem agnoſcis.* Ib. pag. 399. Reſp. Lubricus es, anguillæ adinſtar. Conſtrictus ad alia ſemper elabi conaris; nec ad mea reſpondes. Etenim 1. Chryſoſtomus *ῥάβδον virgam* S. Pauli interpretatur *κόλασιν, τιμωρίαν, caſtigationem, ſupplicium*, tale, uti ſtatim ſubjicit, quale S. Paulus de Anania & Saphira ſumpſit. Quid hoc ſupplicium θάνατον & miraculoſum ad ordinariam Eccleſiæ poteſtatem? 2. Poteſtatem extraordinariam Apoſtolorum conjunctam fuiſſe cum ordinaria, fateor. Sed ordinariam coactivam, vel criminalem, vel civilem, úti tu deliras, fuiſſe, nego. Neque id 2.Cor.XIII. 1. lego. Nam cognitio rei per teſtes, de qua ibi S. Paulus loquitur, nec juridicum teſtium examen vel proceſſum; nec juriſdictionem coactivam ordinariam requirit, cùm privati quoque rem per teſtes cognoſcere poſſint. Et correptio quævis perſonæ corripiendæ delictum notorium, vel per teſtes idoneos patefactum, ſupponit. Neque correptio quævis, certè non eccleſiaſtica, juriſdictionem coactivam requirit. 3. Excommunicatio in Eccleſia juriſdictionem propriam & coactivam neutiquam ſupponit. Conſiſtit enim, reſpectu Eccleſiæ, in judicio, quo quis pro Ethnico & publicano habetur. Quòd ſi ſic excommunicatus refractarium ſe gerat, neque communione cedere velit, jam non Eccleſia, ſed civilis poteſtas vim excommunicato faciet, cúmque extra Eccleſiæ pomœria proturbabit. Ubi hic criminalis Eccleſiæ juriſdictio? 4. Ubi ego civilem Eccleſiæ juriſdictionem, ubi *civile* ejus *judicium* agnovi? Mentiri tibi pro libitu mos & ludus eſt. Provoco ad verba mea, quæ ſic habent: *Poteſt hoc intelligi non tam de judicio quocunque, quàm de arbitrio, etiam in civilibus commendato à Paulo 1.Cor.VI.*

En,

En, de arbitrio, non de judicio, in civilibus. At arbitrium in civilibus privati etiam interponere possunt.

OBIECT. V. *Paulus Hebr. XIII. 17. jubet obedire præpositis. Quibus etiam Tit. II. 15. tribuit* ἐπιταγὴν *imperium*, & *potestatem præcipiendi*, 1. *Tim. IV. 11. At cui præposito præcipienti, imperanti obediendum, is veram jurisdictionem habet.* Resp. 1. Ἡγεμονίαν, præposituram pastorum rectè ait Chrysostomus *homil. 3. in act.* non honorem esse, sed curam subditorum, quæ non in imperio, sed in ministerio consistat. Et sanè ipse Christus ἡγεμονίαν hanc dominatui opponit, & per διακονίαν, Luc. XXII. 15 definit. 2. Præceptum & imperium Ecclesiæ competit, at non coactivum illud, sed directivum potiùs, quo illi voluntatem Dei ex verbo ejus docent, & in nomine Dei tanquam præcones ejus, quibus οἰκονομία & villicatio credita est, præcipiunt ac imperant. 3. Obedientia, πειθαρχία & submissio illa locum habet in spiritualibus, in quibus vigilant pro animabus nostris. Neque adeò vel coactionem aliquam, vel Jurisdictionem externam exercendam etiam erga invitos supponit in eo, cui obediendum.

EXCIP. REDING: *Agnoscimus nos quoque, coactivam jurisdictionem ex Christi doctrina, & Chrysostomi sententia, non esse dominativam, quæ superioris duntaxat utilitatem respicit.* Ib. pag. 399. Jejunè iterum mea excipis. Verbis non esse dominativam agnoscis, reapse non item. An enim Papa Rex Regum dominus non est? An Princeps S. R. I. qualem te fers, dominus non est? An vobis & utilitatibus vestris non mactatis omnia? Testes sunt Regales gazæ, auri, argenti immensæ copiæ, purpura, potentia, Satrapæ, milites, equi, canes, culinæ, ventres vestri. Et tamen verum etiam & legitimum Regem, Principem ac dominum esse non propter se, & utilitatem propriam, sed propter subditos, Politici saniores pagani & Christiani quique agnoscunt.

OBIECT. VI. *Ecclesiastici minimè subsunt potestati civili, tum quia Paulus præcipit, ut omnis duntaxat anima, seu uti interpretatur Origenes, animalis, ei subsit, adeóque non spiritualis seu clericus: tum quia Ecclesia utpote sublimior externâ politiâ ei subesse non debet, neque etiam pastor ovi: tum quia Conciliorum Chalcedonensis, Agathensis, Carthaginensis III. decreta & Imperatorum constitutiones clericos à civili potestate eximunt. Ergo illis distincta & propria externa Jurisdictio competit.* Resp. 1. In loco Pauli *anima*, non hominem animalem, quæ Origenis παρερμηνεία est, sed usitatâ Hebræis Synechdoche, hominem quemlibet totum, adeóque etiam clericum anima constantem designat. 2. Neque etiam Ecclesia sublimior est politiâ civili in iis, quæ ad civilem subjectionem & jus civitatis pertinent. sed in iis duntaxat, quæ ad proprium Ecclesiæ munus spectant. Et in his etiam, non illis pastoris rationem obtinet. 3. Concilia, utpote ex Ecclesiasticis conflata, civili potestati præjudicare haud potu-

potuerunt. Et quæ allegantur, partim de isto clericorum privilegio omnimodæ immunitatis nihil habent, partim falsa interpretatione depravantur. 4. Imperatorum privilegia ad jus humanum, non Divinum spectant. Neque ea se extendunt ad criminalia, sed ad civilia, quæ non tam à subjectione & obligatione, quàm ab ordinariis quibusdam operibus relaxant. Neque etiam humanæ leges divino & naturali juri præscribere possunt. Cúmque privilegium quodvis perdatur per abusum, scandalum, delictum, enorme damnum; etiam clerus privilegiis concessis easdem ob causas pridem excidit.

EXCIP. REDING: 1. *Fateris, Ecclesiam in iis, quæ ad proprium munus spectant, politiæ civili non subjici. Ergo in iis subsunt alii superiori potestati quàm civili, atque eatenus ab hac eximuntur.* 2. *Jus Divinum, quo in civilibus & criminalibus omnis anima Magistratui politico subjecta esse debet, sic in se formaliter determinatum est, ut tamen materialiter quoad personam, cui ejusmodi authoritas competat, non extet juris Divini determinatio, sed personæ illius designatio ab humana constitutione pendeat. Quidni ergo in Conciliis Oecumenicis pro certis causis civilibus etiam judices Ecclesiastici designari potuerint? Cujusmodi etiam potestatem fidelibus primitivæ Ecclesiæ competere, S. Paulus 1.Cor.VI.4. testatur.* 3. *Eodem jure Ecclesia etiam circa causas criminales clericorum Politicæ potestati modum ponere potuit.* Ib. pag. 400. Resp. 1. In causis, quæ Ministrorum Ecclesiæ propriæ sunt, subsunt illi potestati sublimiori, at non humanæ, verùm Divinæ, Christo, animarum Pastori, qui legibus in verbo suo descriptis eorum officia & ministerium omne constrinxit. Exercitium autem ministerii illius quoad externum ordinem eminenti potestati civili, custodi ordinis & utriusque præceptorum Divinorum tabulæ subest. 2. Jure Divino equidem designatio personæ non est determinata, adeóque ea ab humana constitutione omnino dependet. Sed personæ cuicunque humano arbitrio designatæ sic omnis potestas civilis, cujus radix Divina institutio est, cedit, ut jure Divino & naturali omnes sine discrimine, Tros Rutulúsve, ecclesiastici plebeiive fuant, in civilibus, omníque externo ordine ei subjiciantur. Neque ecclesiæ Ministri designari possunt eminentis hujus potestatis subjectum, quia jure Divino à dominatione omni illi removentur, & secularibus negotiis implicari vetantur. Neque quidquam ad rem facit, quòd S. Paulus 1.Cor.VI.1. &c. discretionem causarum civilium fidelibus & sanctis quibusvis commendat, quia sermo ibi est de statu perturbato Ecclesiæ, quo illa infideli Magistratui suberat; & de causis civilibus levioribus; & non tam de potestate judiciaria cum jurisdictione externa & coercente conjuncta, quam omnem eminenti potestati ipsemet Rom.XIII.1. vindicaverat, quàm de compositione dissidentium per judicium charitatis, & arbitrium Sanctorum prudentum, citra obligationem civilem parendi. Vos contra potestati Ecclesiasticæ jurisdictionem externam & merè temporalem in causas civiles, bona, imò vitam ipsam clericorum vindicatis. Hæc toto Cœlo differunt. 3. Jure ergo legitimo nullo, sed merè Antichristiano etiam in criminalibus sive laicorum, sive clericorum causis Papa cum dominante suo clero Politicæ potestati modum ponit. Nemo enim, nisi superior, alteri in exercitio suæ potestatis modum ponere potest. Atqui Ecclesiæ ministri quoad civilia & temporalia eminente potestate civili superiores neutiquam sunt.

OB-

Digitized by Google

OCIECT. VII. *Chriſtus Matth. XVIII. 17. fratrem correptioni duorum vel plurium non parentem jubet deferri ad eccleſiam, eúmque eccleſiam audire ſub graviſſima pœna mandat. Ergo quælibet peccata contumacium ad Eccleſiæ præpoſitos, tanquam judices, deferenda ſunt.* Reſp. 1. Ita quidem viſum Innocentio III. qui hac ratione ad Juriſdictionem ſuam omnia omnium contumacium peccata, etiam Principum ac Regum controverſias *ſub formalitate peccati*, ſeu, quatenus in illis peccati quædam conſpicua eſt ratio, facilè revocare, adeóque immenſam in omnes Chriſtianos poteſtatem coactivam fundare potuit. Sed 1. Innocentianæ huic probationi Navarrus *in C. Novit. de Jud. notat. 6. num.* 55. inſolubiles objectiones oppoſuit, ac præcipuè hoc, quòd inde fororum maxima oriatur confuſio, cùm tamen nemo extra ſuum forum ſit trahendus. Cùm enim nulla ſit fori politici cauſa, quæ non contineat injuſtitiam, ſeu *formalitatem peccati*, patet ſanè, à foro politico nullam non cauſam ad Eccleſiaſticum ſic trahi poſſe. *Poſſent igitur*, inquit, *actores ad decipiendum ac declinandum judicem ſuum laicum ordinarium ita concipere libellos ſuos petitorios, ut concluderent, eos peccare, & in peccato perſeverare.* 2. Judicium circa peccatum duplici ratione pertinet ad Eccleſiam, nempe tum in foro *ſecreto*, ſeu privato, cùm peccator paſtori ſponte & ſecretò confitetur peccatum, & ab eo conſolationem petit; tum in publico, cùm peccatum publicum & notorium ſcandalum in eo corripitur, & peccator correptus ac contumax in eo à communione Sacra ſuſpenditur, vel excluditur. Atqui in neutro illo foro vera & coactiva juriſdictio locum habet. Non in illo, quia quamvis peccatorem confitentem corripere, pœnitentem conſolari, ad reparandum, v. g. damnum, obligare poſſit, tamen cogere non poteſt vel ad pœnitentiam, vel ad reparationem damni, neque in illum renitentem quidquam ei licet. Et ſanè in tali foro, in quo reus & accuſator & reus eſt, actor locum non habet. Non in hoc, quia peccata non externæ ejus juriſdictioni, ſed correptionis tantùm, & ad extremum excommunicationis judicio ſubſunt. Quin & excommunicationis hujus gladio obnoxia ſunt non quælibet peccata, ſed ea duntaxat, quæ externum eccleſiæ ſtatum perturbant, vel Eccleſiam ſcandalizant, adeò ut ſi ea non corripiantur vel emendentur, ruinæ ſpiritualis occaſio multis exiſtant. Neque aliud hìc ſpectat Eccleſia, quàm reparationem ſcandali, pœnitentiam & ædificationem peccatoris, non ejus deſtructionem vel vindictam propriè dictam. 3. Merum cavillum Innocentii & ſtropha ſophiſtica eſt, ſub ratione ſola peccati juriſdictionem velle acquirere in cauſas civiles, & ſupremas poteſtates, quæ in terris nullum judicem ſuperiorem habent, ſibi indirectè ſubjicere.

Digitized by Google

jicere. In controverſiis enim publicis quis alteri faciat injuriam, eccleſiæ conſtare non poteſt, quia quæſtio eſt de jure, quod à ſolo judice civili, non eccleſiaſtico cognoſci poteſt.

EXCIP. REDING: *1. Chriſtus Matth. XVIII. 17. indefinitè pronuntiavit, ut qui corripienti ſeorſim, vel aſcitis teſtibus, non paruerit, ad Eccleſiam deferatur. Qua ergo fronte negas, cauſam quamlibet juri Divino ſub formalitate peccati repugnantem, Eccleſiæ judicio ſubeſſe? 2. Ponamus ſtatum controverſiæ, in quo neuter litigantium ſuperiorem judicem civilem agnoſcat. Annon in eo caſu juſtè correptus ad Eccleſiam deferri poterit, quæ ejuſmodi ſententiam feret, ut qui ei non obediverit, pro Ethnico & Publicano haberi debeat. Licet ergo in tali caſu Eccleſia non directè cognoſcat de jure civili poteſtati ſubjecto, ſententiam tamen fert de peccato, adeóque indirectè de jure cognoſcit, quantum ad diſcernendam peccati formalitatem ſufficit. Ergo ſubſiſtit decretum Innocentii III. adverſus Regem Galliæ ad forum Eccleſiæ evocatum; quippe evidentibus rationibus ſuffultum. 3. Navarrus verò non tam impugnat decretum Innocentii, quàm adverſas rationes, quas tu ei doloſè tribuis, propugnat. 4. Fateris, judicium circa peccatum duplici ratione pertinere ad Eccleſiam, nempe tum in foro ſecreto, tum in publico. Fori autem ſecreti confeſſio inſtituta Joh. XX. 22. ejúſque poteſtas remittendi peccata etiam in Regno Cælorum, rationem habet veræ juriſdictionis, cujus vi agnoſcis pœnitentem ad reparandum obligari poſſe. Et in foro publico peccata Eccleſiæ ſtatum perturbantia agnoſcis ſubeſſe judicio excommunicationis, quæ ſine juriſdictione propriè dicta locum habere nequit.* Ib. pag. 401. 402. Reſp. 1. Non de quovis peccato, ſed de offenſa proximi, ab offendente reparandâ; imò de ſola pertinacia offendentis, qua quis correptioni plurium ſe opponit, Eccleſiæ judicio ſubjicienda loqui Chriſtum, nimis manifeſtum eſt. Dicit enim v. 15. &c. Ἐὰν ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σου. *Si peccaverit in te frater tuus, reprehende ipſum inter te & ipſum ſolum. Si non audiverit, aſſume unum aut duos &c. Si non audiverit eos, dic Eccleſiæ.* Offenſam certè ſimplicem, cum pertinacia non conjunctam, unius vel plurium etiam privatorum correptioni ſubjicit, ſine ulla juriſdictionis ſpecie. Qua ergo tu fronte cum Innocentio tuo cauſam quamlibet juri Divino ſub formalitate peccati repugnantem externo & juridico Eccleſiæ foro, detortis iniquiſſimè verbis Chriſti, ſubjicere conaris? 2. Caſum fingis, qui legitimè nunquam extitit, nec exiſtere poteſt. Nam cùm Chriſtus nomine *Eccleſiæ*, ad quam deferri juſſit pertinacem peccatorem, non univerſalem utique Eccleſiam, ſed particularem intellexerit, nulla unquam particularis extitit, vel exiſtet, cujus judicio ſubſint litigantes duo vel plures, qui judicem civilem ſuperiorem nullum agnoſcant. Supponis poteſtatem illegitimam Papæ Oecumenici, cujus poteſtas ſe in Reges & Principes quoſvis extendat, non tantùm quoad ſpiritualia, ſed quoad temporalia etiam, verbo quidem indirectè, ſed re directiſſimè. Nos monſtrum iſthoc ſupra debellavimus. 3. Navarrus Innocentianæ definitioni oppoſita à ſe argumenta diluere equidem conatus eſt. Sed irrito ſucceſſu. Nam objectionem à ſe motam, *quòd ſic fieret fororum confuſio, cùm tamen nemo extra forum ſuum ſit trahendus*, adeò difficilem ſibi viſam profitetur, ut nunquam auſus fuerit eam è cathedra proponere. Sed tum demum, cùm hæc ſcriberet, velut è machina occurriſſe reſponſionem, ejuſmodi, *verum quidem eſſe, poſſe actorem pro quacunque cauſa ſub ratione peccati reum coram judice Eccleſiaſtico convenire, niſi ipſe reus excipiat: reum verò poſſe excipere, id malitiosè fieri, ad declinandum forum, & talem exceptionem teneri*

judicem

Digitized by Google

judicem Eccleſiaſticum admittere, ne dolo ac fraudibus locus relinquatur. Ac ſic vitari illam fororum confuſionem, & fora non turbari. Sed quàm probè, Navarre, ſolviſti nodum? Quid enim ſi judex nolit admittere hanc exceptionem, an nihilominus poterit procedere, ac tum validus erit ipſius proceſſus? Si ais, argumentum à te Innocentio oppoſitum vivit, valet & vincit, nec ſic vitatur confuſio, cùm ſit in libertate judicis, illam exceptionem admittere, vel non admittere. Si verò proceſſus nullus eſt, ita ut poſt exceptionem interpoſitam, judicium ejus nullius ſit roboris, continget id vel ex defectu juriſdictionis, vel ex lege poſitiva, quæ tale judicium annullet. Si ex defectu juriſdictionis, quomodo judex Eccleſiaſticus habet hanc juriſdictionem integram ante exceptionem, poſt exceptionem verò illam amittit, cùm præſertim juriſdictionem erga peccata habere jure Divino liberam & abſolutam, absq; ulla ullius caſus exceptione, ſupponatur? Si ex lege, lex illa proferenda, & ſi qua eſſet, illa utpote poſitiva tantùm & eccleſiaſtica non tolleret, ſed ligaret, uſúmque ſolùm in caſu jam dictæ exceptionis prohiberet. Atqui leges poſitivæ facilè abrogari, ire in deſuetudinem, ac præſcriptione tolli poſſunt. atque ita non ſatis confuſioni conſultum foret, manétque argumentum Navarri adhuc vegetum inſolutúmque. 4. Forum ſecretum merè arbitrarium nullam omnino juriſdictionem præſupponit, quia ſententia præconis erga pœnitentem, etiam ad reparandum damnum obligans, non aliud eſt quàm miniſterialis propoſitio, & ad conſcientiam hominis declaratio legis Divinæ, procul omni vi & coërcitione externa. In foro etiam publico judicium excommunicationis juriſdictionem propriè dictam nullam requirere, ſœpe jam oſtendimus.

OBIECT. VIII. *Laici non ſunt capaces eorum, quæ ſunt merè ſpiritualia. At cauſæ fori epiſcopalis propriæ ſunt merè ſpirituales. Ergo.* Reſp. 1. Quid magis ſpirituale eſt, quàm à Patre cæleſti adoptari in filium, Chriſti fratrem eſſe, participem eſſe gratiæ Dei, regni cœlorum, baptiſmi, communionis Chriſti? Et tamen hæc omnia quibusvis fidelibus communia ſunt. 2. Sed & cauſæ, quas forum epiſcopale ſibi vendicat, delicta & contractus, ſi qualitates eæ, quas ſcriptura rebus ſpiritualibus tribuit, ſpectentur, ab iis tanto intervallo, quantum cœlum à terra, diſtant.

Excip. Redino: *1. Si tanto intervallo cauſæ, quas forum Epiſcopale ſibi vendicat, à rerum ſpiritualium qualitatibus diſtant, quo ergo vos jure eas ad conſiſtorium Eccleſiaſticum, cui etiam Miniſtri intereſſe debeant, trahitis? 2. An quia ſpiritualia quædam bona fidelibus omnibus communia ſunt, judicium de iis à præfectis Eccleſiæ nullum ſtatuendum eſſe ſequitur? Sic etiam civilis juriſdictio omnis abroganda eſſet, cùm ea etiam bona, de quibus judicium ferunt, omnibus communia eſſe poſſint.* Ib. pag. 402. 403. Reſp. 1. Sic in conſiſtoriis noſtris Miniſtri Eccleſiæ concurrunt, ut juriſdictionem externam & coercentem exercere, vel temporalia & civilia ad forum illud, quocunque prætextu, trahere iis nefas ſit. Alia planè ratio eſt cauſarum, quas forum Epiſcopale ſibi vendicat, ſub prætextu ſpiritualitatis iis inhærentis, merè terreſtrium & temporalium. Non enim per cauſas eas intelligitis ea, quæ merè ſpiritualia ſunt, cujuſmodi ſunt fides, pœnitentia, virtus Divina per præconium Evangelii in corda legentium vel audientium verbum Dei agens, hortationes ad novam vitam, &c. ſed jura Regalia, poteſtas convocandi Synodos, decretis vim legum imprimendi, hæreticos coercendi, de deci-

nis.proventibus,prædiis, matrimoniis, gradibus conſanguinitatis, repudiis, divortiis, teſtamentis,legatis,fabricis eccleſiarum,Xenodochiis adminiſtrandis &c. decernendi. Taceo juriſdictionem merè civilem in Clericorum bona, actus & vitam. Nil tale ſibi Eccleſiæ noſtræ Miniſtri in eccleſiaſticis ſuis conventibus vindicant. 2. Cùm laicos bonorum mere ſpiritualium capaces eſſe,diffiteri non poſſis, cur capaces eſſe non poſſunt juriſdictionis externæ in ea, quæ vos *ſpiritualitatis* fuco venditatis,cùm reapſe merè temporalia ſint ? Non igitur ſic judicia Eccleſiaſtica abolemus, ſed certis, & jure legitimo omni definitis limitibus coarctamus, ne Eccleſiæ miniſtri in Principes mundi commutentur, & relictis iis,quæ propriè ſpiritualia ſunt, in temporalia involantes, ædilitatem, quod ajunt, ſine ſuffragiis gerant. Quod apud vos impune fieri, boni omnes improbant & deteſtantur meritò.

OBIECT. IX. *Etiam antiquitas externam eccleſiæ Jurisdictionem agnovit. Auguſtinus de fide & oper. cap. 4. perverſiſſimam ſecuritatem præpoſitis tribuere eos ait, qui putant non pertinere ad eos niſi docere,quid cavendum, faciendúmve ſit; & ibidem,in eccleſiaſtica poteſtate ponit aculeos & coërcitionis ſeveritatem. Cyprianus lib. 5. epiſt. 1. ſtatuit prælatum eccleſiaſticum poſſe punire Clericum ablatione eccleſiaſticorum alimentorum. Sed & Diœceſin cujusque Epiſcopi ad ejus Jurisdictionem pertinere, docent veteres, nominatim Gregorius M. lib. 12. epiſt. 2. 3. 8. Denique Marſilius de Padua damnatus fuit, eò quòd omnem coërcitivam Jurisdictienem ab Eccleſia auferret.* Reſp. 1. Quibus gradibus ab inſtitutione Chriſti paulatim deflexerit Eccleſia, ſupra expoſuimus. 2. Apud Auguſtinum, alióſque melioris metalli patres,coërcitio tota conſtituitur in correptione, excommunicatione, uti ex Auguſtini *Serm.24.de verb. Apoſt.* liquet. 3 Privatio alimentorum eccleſiaſticorum, quæ alioquin Epiſcopus ex communi bonorum maſſa penſitabat, bene meritis, ad propriè dictam jurisdictionem æquè non pertinebat, atque ad eam non pertinet, cùm Pater filium immorigerum, Dominus ſervum inediâ mulctat. 4. Diœceſis quælibet ſpectabat ad Epiſcopi ſui Jurisdictionem, non ſtrictè & propriè, ſed latè ſumptam pro poteſtate ſpirituali gubernandi eccleſiam in proprio ejus objecto. 5. Damnatio Marſilii de Padua, ſi quæ contigit, fuit facti, non Juris.

EXCIP. REDING: *1. S. Auguſtinus coercitionis ſeveritatem in poteſtate ligandi & ſolvendi à Chriſto conceſſa fundat. Illam autem jurisdictionis eſſe, ſupra oſtendimus. 2. Vel alimentis privat Epiſcopos ob proprietatis dominium, vel per modum pœnæ vi jurisdictionis. Non propter illud. Ergo propter hanc. 3. Jurisdictionis propriæ actus ſunt legiſlatio & coercitio. Utrumque in jurisdictione Eccleſiæ locum habere,alibi oſtendimus.* Ib. pag.403. Reſp. 1. Nihil eo loco de poteſtate ligandi & ſolvendi Auguſtinus habet. Tu ei affingis. Nec poteſtatem eam propriè dictæ juriſdictionis rationem habere, tu probare unquam poteris. Hoc ſibi clariſſimè Auguſtinus vult, non ſatisfacere muneri ſuo Eccleſiæ miniſtrum, ſi tantùm facienda & fugienda doceat; ſed neceſſum inſuper eſſe, ut contra

contra scandalosos & infames acriori objurgatione & correptione, juxta monitum Apostoli 2. Tim. IV. 2. insurgat, &, ubi nihil sic profecerit, ab iis Ecclesiam purget. Quis hoc in dubium unquam vocavit? Dominium proprietatis toti equidem Ecclesiæ competebat. Sed administratio penes eos fuit, quibus Ecclesia eam demandavit. Illi ergo demensum partientes, vel ab eo malè meritos arcentes an quæso majorem jurisdictionem exercuerunt, quàm quivis privus paterfamilias, demensum pro merito dispartiens? Tœdet anilium nugarum. 3. Gregorium aliósque veteres jurisdictionem propriè dictam in Ecclesia agnovisse, probandum tibi fuerat, non jurisdictionis propriæ actus edisserendi. Nos verò etiam legislationem & punitionem propriè talem & externam, satis jam ab Ecclesiæ potestate removimus.

SESSIO XIV.

Quæ Est Quarta,

Sub Julio III. 25. Febr. 1551.

De sanctissimo Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis Sacramento.

Sacro-sancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata: præsidentibus in ea eisdem sanctæ Apostolicæ sedis Legato & Nuntiis. Quamvis in decreto de Justificatione multus fuerit de Pœnitentiæ Sacramento propter locorum cognationem, necessaria quadam ratione sermo interpositus, tanta nihilominus circa illud nostra hac ætate diversorum errorum est multitudo, ut non parùm publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidisse: in qua demonstratis & convulsis Spiritûs sancti præsidio universis erroribus, Catholica veritas perspicua & illustris fieret, quam nunc sancta hæc Synodus Christianis omnibus perpetuò servandam proponit.

Cap. 1.

De necessitate & institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in baptismo, ipsius beneficio & gratiâ susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso baptismo Sacramentum ad peccatorum remißionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit,

Digitized by Google

tulit, qui sese postea in peccati servitutem & dæmonis potestatem tradidissent: Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinâsset, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta & eliminata, tantam Dei offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestarentur.

Unde Propheta ait, Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etam dixit: nisi pœnitentiam egeritis, omnes simpliciter peribitis. Et Princeps Apostolorum Petrus, peccatoribus baptismo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm. Porro nec ante adventum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante baptismum. Dominus autem Sacramentum, tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittitur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit: & Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annunciandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falsò detorquent.

Cap. 2.
De differentia Sacramenti Pœnitentiæ & Baptismi.

Cæterùm hoc Sacramentum multis rationibus à baptismo differre dignoscitur. Nam præterquam quòd materiâ & formâ, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissimè dissident, constat certè baptismi ministrum judicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de his, qui foris sunt, judicare? Secus est de domesticis, quos Christus Dominus lavacro baptismi, sui corporis membra semel effecit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui, cùm id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal, tanquam reos, sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Alius est præterea baptismi, & alius pœnitentiæ fructus. Per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram

Digitized by Google

tegram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ sine nostris magnis fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus, ut meritò pœnitentia laboriosus quidam baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.

Cap. 3.
De partibus & fructu hujus Sacramenti.

Docet præterea sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ejus vis sita est, in illis ministri verbis positam esse, Ego te absolvo &c. Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more, preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio: qui, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenámque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione, requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur. Sanè verò res & effectus Sacramenti hujus, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax & serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Hæc de partibus & effectu hujus Sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui pœnitentiæ partes, inconcussos conscientiæ terrores & fidem esse contendunt.

Cap. 4.
De Contritione.

Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis modus necessarius: & in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum. Et certè, qui illos sanctorum clamores consideravit, Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ; & alios hujusmodi generis, facilè intelliget, eos ex vehementi

quodam

quodam ante actæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manâsse. Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominémque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu recipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione: vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solùm non facere hominem hypocritam, verùm etiam donum DEI esse, & Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat: & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrârunt. Quamobrem falsò quidem calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod nunquam ecclesia Dei docuit, nec sensit. Sed & falsò docent, Contritionem esse extortam & coactam, non liberam & voluntariam.

Cap. 5.

De Confessione.

Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis, jure divino necessariam existere. Quia Dominus noster Jesus Christus, è terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia peccata deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, & tantùm adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, & quanquam rectè & utiliter citráque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verùm cùm universa mortalia peccata, etiam cogitationes, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata, Christi fideles confiteri audent, procul dubio omnia

Digitized by Google

omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, non curat. Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: quòd sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet pro illis pœnitentibus imponere. Unde alienum à ratione est, docere circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantùm circumstantiam confitendam esse, nempe peccâsse in fratrem. Sed & impium est, confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut postquam quisquis diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.

Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. Ipsa verò hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus relevetur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur. Cæterùm quoad modum confitendi secretò apud solum sacerdotem: etsi Christus non vetuerit, quin in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cùm à sanctissimis & antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, quâ ab initio Ecclesia sancta usa est, & modò etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis, initium habuisse, docere non verentur. Nec enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse intellexerat: sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fructu, fidelium observatur mos ille salutaris confitendi sac o illo & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus maximè probat & amplectitur, tanquam piè & meritò retinendum.

Cap. 6.

De Miniſtro, & abſolutione hujus Sacramenti.

Circa miniſtrum autem hujus Sacramenti declarat ſancta Synodus, falſas eſſe & à veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines, præter Epiſcopos & Sacerdotes, Clavium miniſterium pernicioſè extendunt, putantes verba illa Domini, Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt alligata & in cœlo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo: &, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt: ad omnes Chriſti fideles indifferenter & promiſcuè contra inſtitutionem hujus Sacramenti fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit, ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem cuicunque factam. Docet quoque etiam ſacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus ſancti in ordinatione collatam, tanquam Chriſti miniſtros, functionem remittendi peccata exercere, eóſque pravè ſentire, qui in malis ſacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt. Quamvis autem abſolutio ſacerdotis, alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolùm nudum miniſterium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo, velut à judice, ſententia pronuntiatur. Atque ideo non debet pœnitens adeò ſibi de ſua ipſius fide blandiri, ut etiamſi nulla illi adſit contritio, aut ſacerdoti animus ſeriò agendi & verè abſolvendi deſit, putet tamen ſe propter ſuam ſolam fidem verè & coram Deo eſſe abſolutum. Nec enim fides ſine pœnitentia remiſſionem ullam peccatorum præſtaret, nec is eſſet niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui ſacerdotem joco ſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſeriò agentem ſedulò requireret.

Cap. 7.

De Caſuum reſervatione.

Quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibuſvis, ſed à ſummis duntaxat ſacerdotibus abſolverentur. Unde meritò Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus, in ſua cuique diœceſi, in ædificationem

tamen

Digitized by Google

tamen,non in deſtructionem liceat, pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores ſacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus annexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem, conſonum eſt divinæ auctoritati non tantùm in externa politia, ſed etiam coram DEO, vim habere. Verùm tamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſint: extra quem articulum ſacerdotes, cùm nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad ſuperiores & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant.

Cap. 8.

De ſatisfactionis neceſſitate & fructu.

Demum quoad Satisfactionem (quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum à Patribus noſtris Chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maximè noſtra ætate, ſummo pietatis prætextu impugnatur ab his, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt) ſancta Synodus declarat, falſum omnino eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim & illuſtria in ſacris literis exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem hic error quàm manifeſtiſſimè revincitur. Sanè & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter verò qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, accepto Spiritûs ſancti dono, ſcientes templum Dei violare & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui ſancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactioræ pœnæ, cautioréſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimámque inde arrham habentes quòd ſi compatimur, & glorificabimur.

Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum: nam quod ex nobis, tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo unde glorietur, ſed

Digitized

omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiâ, qui ex illo non habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres & credunt & docent. Nec propterea existimârunt sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ vel pœnarum, sicut nemo unquam Catholicus sensit ex hujusmodi nostris satisfactionibus, vim meriti & satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Novatores intelligere nolunt, ita aptissimam pœnitentiam, novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim & usum tollant.

Cap. 9.

De operibus satisfactionis.

Docet præterea, tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis, sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

Doctrina de Sacramento Extremæ Unctionis.

Visum est autem sanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adjungere ea, quæ sequuntur de Sacramento Extremæ Unctionis: quòd non modò pœnitentiæ, sed etiam totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus. Primùm itaque circa illius institutionem declarat & docet, quòd clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit; quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio, munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos

nos

Digitized by Google

nos penitus, & à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ prospicit.

Cap. 1.

De institutione Sacramenti Extremæ Unctionis.

Instituta est autem sacra hæc Unctio infirmorum, tanquam verè & propriè sacramentum Novi Testamenti à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum & effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. Nam Unctio aptissimè Spiritûs S. gratiam, quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat. Formam deinde esse illa verba, Per istam unctionem, &c.

Cap. 2.

De effectu hujus Sacramenti.

Res porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur, Et oratio fidei salvabit infirmum; & allevabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim gratia est Spiritûs sancti, cujus unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam allevat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: quâ infirmus sublevatus & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.

Cap. 3.

De ministro hujus Sacramenti, & tempore quo dari debeat.

Jam verò quod attinet ad præscriptionem eorum, qui & suscipere & ministrare hoc sacramentum debent, haud obscurè fuit illud etiam in verbis prædictis traditum. Nam & ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros: quo nomine eo loco non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt: Sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum presbyterii. Declaratur

Digitized by Google

etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam: illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur, unde & sacramentum exeuntium nuncupatur. Quòd si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quare nullâ ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam & dilucidam Apostoli Jacobi sententiam, docent hanc unctionem, vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, aut mandatum DEI, nec promissionem gratiæ habentem: & qui illam jam cessâsse asserunt, quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitiva Ecclesia referenda esset: & qui dicunt ritum & usum, quem sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse: & denique qui hanc Extremam Unctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissimè pugnant verbis. Nec profectò Ecclesia Romana, aliarum omnium mater & magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea, quæ hujus Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quàm quod B. Jacobus perscripsit. Nec verò tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere & ipsius Spiritus S. injuria esse posset.

Hæc sunt, quæ de pœnitentiæ & extremæ Unctionis Sacramentis hæc sancta Oecumenica Synodus profitetur & docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda & tenenda proponit. Sequentes autem canones inviolabiliter servandos esse tradit, & asserentes contrarium perpetuò damnat & anathematizat.

CANONES
De Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis, eadem Sessione publicati.

Canon I.

Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum, Anathema sit.

Canon 2.

Si quis Sacramenta confundens, ipsum baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, Anathema sit.

Canon 3.

Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt; non esse intelligen-

Digitized by Google

da de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit: detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, Anathema ſit.

Canon 4.

Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit duas eſſe tantùm Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio vel abſolutione, quâ credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata, Anathema ſit.

Canon 5.

Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magis peccatorem: demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, Anathema ſit.

Canon 6.

Si quis negaverit, Confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino: aut dixerit, modum ſecretè confitendi ſoli ſacerdoti, quem Eccleſia Catholica, ab initio ſemper obſervavit & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum, Anathema ſit.

Canon 7.

Si quis dixerit, in ſacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias quæ peccati ſpeciem mutant: ſed eam confeſſionem tantùm eſſe utilem ad erudiendum & conſolandum Pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantùm ad ſatisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum, aut demum, non licere confiteri peccata venialia, Anathema ſit.

Canon 8.

Si quis dixerit, confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam: aut ad eam non teneri omnes & ſingulos

Digitized by Google

singulos utriusque sexûs Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesima, Anathema sit.

Canon 9.

Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modò tantùm se credat esse absolutum: aut sacerdos non seriò, sed joco absolvat: aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere posset, Anathema sit.

Canon 10.

Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo: & quorum remiseritis peccata; remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, quorum verborum virtute quilibet absolvere posset peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta verò per spontaneam confessionem, Anathema sit.

Canon 11.

Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideò casuum reservationem non prohibere, quò minùs sacerdos à reservatis verè absolvat, Anathema sit.

Canon 12.

Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionémque pœnitentium non esse aliam, quàm fidem, quâ apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse, Anathema sit.

Canon 13.

Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo opimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam, Anathema sit.

Canon 14.

Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, Anathema sit.

Canon 15.

Digitized by Google

Canon 15.

Si quis dixerit, Claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse, quod virtute Clavium sublatâ pœnâ æternâ, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat, Anathema sit.

CANONES

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Canon 1.

Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus aut figmentum humanum, Anathema sit.

Canon 2.

Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessâsse, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, Anathema sit.

Canon 3.

Si quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideóque eum mutandum, posséque à Christianis absque peccato contemni, Anathema sit.

Canon 4.

Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum ungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremæ Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, Anathema sit.

Decretum de reformatione, eadem Sessione publicatum.

Procemium.

Cùm propriè Episcoporum munus sit subditorum omnium vitia redarguere, hoc illis præcipuè cavendum erit, ne clerici, præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, néve inhonestam vitam ipsis conniventibus ducant. Nam si eos pravis & corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent, qui uno ab eis ser-

Digitized by Google

mone convinci poſſent, quòd clericos ipſis patiantur eſſe deteriores? Quâ etiam libertate laicos corripere poterunt ſacerdotes, cùm tacitè ſibi reſpondeant, eadem ſe admiſiſſe quæ corripiunt. Monebunt propterea Epiſcopi ſuos clericos, in quocunque ordine fuerint, ut converſatione, ſermone & ſcientiâ commiſſo ſibi Dei populo præeant, memores ejus, quod ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum: & juxta Apoſtoli vocem, nemini dent ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium eorum: ſed in omnibus exhibeant ſe ſicut miniſtros Dei, ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis, Sacerdotes mei contaminant ſancta, & reprobant legem. Ut autem ipſi Epiſcopi id liberiùs exequi, ac quoquam prætextu deſuper impediri nequeant, eadem ſacro-ſancta Synodus, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis Legato & Nuntiis, hos, qui ſequuntur, Canones tuendos & decernendos duxit.

Cap. 1.

Cùm honeſtius ac tutius ſit ſubjecto, debitam præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſervire, quàm cum præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei cui aſcenſus ad ſacros ordines à ſuo prælato ex quacunque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extra judicialiter fuerit interdictus, aut qui à ſuis ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nulla contra ipſius prælati voluntatem conceſſa licentiæ de ſe promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus & dignitates ſive honores reſtitutio ſuffragetur.

Cap. 2.

Et quoniam nonnulli Epiſcopi Eccleſiarum, quæ in partibus infidelium conſiſtunt, clero carentes, & populo Chriſtiano, cùm ferè vagabundi ſint, & permanentem ſedem non habeant, non quæ Jeſu Chriſti, ſed alienas oves inſcio proprio paſtore quærentes, dum per hanc Synodum ſe Pontificalia officia in alterius diœceſi (niſi de loci ordinarii expreſſa licentia, & in perſonas eidem ordinario ſubjectas tantùm) exercere prohibitos vident, in legis fraudem & contemptum, quaſi Epiſcopalem Cathedram in loco nullius diœceſis ſuâ temeritate eligunt, & quoſcunque ad ſe venientes, etiam ſi ſuorum Epiſcoporum, ſeu Prælatorum literas commendatitias non habeant, clericali charactere inſignire, & ad ſacros etiam presbyteratus ordines promovere præſumunt: quo plerumque fit, ut minùs idonei & rudes ac ignari, & qui à ſuo Epiſcopo tanquam inhabiles & indigni rejecti fuerunt, ordinati, nec divina officia peragere, nec Eccleſiaſtica ſacramenta rectè valeant miniſtrare: nemo Epiſcoporum, qui titulares vocantur, etiamſi in loco nullius diœceſis etiam exempto, aut aliquo monaſterio cujusvis ordinis reſederint, aut moram traxerint, rigore cujusvis privilegii, ſibi de promovendo quoſcunque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis, continuæ commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprii prælati expreſſo conſenſu, aut literis dimiſſoriis, ad aliquos ſacros, aut minores ordines, vel primam tonſuram promovere ſeu ordinare valeat: contra faciens, ab exercitio Pontificialium per annum:

Digitized by Google

num: taliter verò promoti, ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.

Cap. 3.

Episcopus quoscunque suos clericos, præsertim in sacris constitutos, absque suo præcedenti examine, & commendatitiis literis quacunque authoritate promotos, licèt tanquam habiles ab eo, à quo ordinati sunt, probatos, quos tamen ad divina officia celebranda, seu Ecclesiastica Sacramenta ministranda minùs idoneos & capaces reperit, à susceptorum ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, suspendere, & illis, ne in altari aut aliquo ordine ministrent, interdicere possit.

Cap. 4.

Omnes Ecclesiarum prælati, qui ad corrigendum subditorum excessus, diligenter intendere debent, & à quovis nullus clericus per hujus sanctæ Synodi statuta, cujusvis privilegii prætextu tutus censetur, quò minùs juxta Canonicas sanctiones visitari, puniri & corrigi possit, si in Ecclesiis suis resederint, quoscunque sæculares clericos, qualitercunque exemptos, qui aliâs suæ jurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus & delictis, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem tanquam ad hoc Apostolicæ sedis delegati, corrigendi & castigandi facultatem habeant, quibuscunque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantùm suos obligant auctores, ipsis clericis ac eorum consanguineis, capellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione & intuitu minimè suffragantibus.

Cap. 5.

Insuper cùm nonnulli, qui sub prætextu, quòd super bonis & rebus ac juribus suis diversæ eis injuriæ ac molestiæ inferantur, certos judices per literas conservatorias deputari obtinent, qui illos à molestiis & injuriis hujusmodi tueantur ac defendant, & in possessione seu quasi bonorum, rerum ac jurium suorum manu teneant & conservent, nec super illis eos molestari permittant, ejusmodi literas in plerisque concedendis mentem in reprobum sensum detorqueant: iccirco nemini omnino cujuscunque dignitatis & conditionis sit, etiam si capitulum fuerit, conservatoriæ literæ cum quibuscunque clausulis aut decretis, quorumcunque judicum deputatione, quocunque etiam alio prætextu aut colore concessæ suffragentur ad hoc, ut coram suo Episcopo, sive alio superiore ordinario, in criminalibus aut mixtis causis accusari & conveniri, ac contra eum inquiri & procedi non possit, aut quò minùs, si qua jura ei ex cessione competierint, super illis liberè valeat apud judicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam causis, si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos conservatores judices in judicium trahere minimè liceat. Quòd si in his causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo conservator ab actore suspectus esse dicatur, aut si qua inter ipsos judices, conservatorem & ordinarium, controversia super com-

Digitized by Google

competentiam jurisdictionis orta fuerit. nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos, super suspicione aut jurisdictionis competentia fuerit judicatum, familiaribus vero ejus, qui hujusmodi literis conservatoriis tueri solent, nihil illæ prosint præterquam duobus duntaxat, si tamen illi propriis ejus sumptibus vixerint. Nemo etiam similium literarum beneficia ultra quinquennium gaudere possit. Non liceat quoque conservatoribus judicibus ullum habere tribunal erectum. In causis verò mercedum aut miserabilium personarum, hujus sanctæ Synodi super hoc decretum, in suo robore permaneat. Universitates autem generales, ac collegia doctorum seu scholarium & regularia loca, nec non hospitalia actu hospitalitatem servantia, ac universitatum, collegiorum, locorum & hospitalium hujusmodi personæ, in præsenti Canone minimè comprehensæ, sed exempta omninò sint, & esse intelligantur.

Cap. 6.

Quia verò, etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitûs extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, religionísque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant publicè laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus: Propterea omnes Ecclesiasticæ personæ, quantumcunque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini & dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus, redditibus & proventibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti, denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujusmodi coërcere possint & debeant, secundùm constitutionem Clementis quinti in Concilio Viennensi editam, quæ incipit: Quoniam invocando & ampliando.

Cap. 7.

Cùm etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari avelli debeat, qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicatum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferre liceat, sed omni ordine ac beneficio & officio Ecclesiastico perpetuò careat. Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum & altaris ministerium, & beneficia quæcunque ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, aut, ex causa, Metropolitano seu vici-

Digitized by Google

viciniori Episcopo, qui non nisi causâ cognitâ, & probatis processibus ac narratis, nec aliter dispensare possit.

Cap. 8.

Præterea quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri sunt pastores, ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus præesse quærunt, & ita alienis subditis quandoque intendunt, ut suorum curam negligant, quicunque etiam Episcopali præditus dignitate, qui alienos subditos puniendi privilegium habuerit, contra clericos sibi non subditos, præsertim in sacris constitutos, quorumcunque etiam atrocium criminum reos, nisi cum proprii ipsorum clericorum Episcopi, si apud Ecclesiam resederit, aut persona ab ipso Episcopo deputanda interventu, nequaquam procedere debeat: aliâs processus & inde sequuta quæcunque viribus omnino careant.

Cap. 9.

Et quia jure optimo distinctæ fuerunt diœceses & parochiæ, ac unicuique gregi proprii attributi pastores, & inferiorum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo Ecclesiasticus non confundatur, aut una & eadem Ecclesia duarum quoddammodo diœcesium fiat, non sine eorum incommodo, qui illi subditi fuerint: beneficia unius diœcesis, etiamsi parochiales Ecclesiæ, vicariæ perpetuæ, aut simplicia beneficia seu præstimonia, aut præstimoniales portiones fuerint, etiam ratione ad agendum cultum divinum aut numerum beneficiatorum, aut alia quacunque de causa, alterius diœcesis beneficio, aut monasterio seu collegio, vel loco etiam pio, perpetuò non uniantur, decretum hujus sanctæ Synodi super hujusmodi unionibus in hoc declarando.

Cap. 10.

Regularia beneficia, in titulum regularibus professis provideri consueta, cùm per obitum, aut resignationem, vel aliâs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantùm illius ordinis, vel his, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino lanâque contextam induant, conferantur.

Cap. 11.

Quia verò regulares de uno ad alium ordinem translati, facilè à suo superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi & apostatandi occasio tribuitur, nemo cujuscunque ordinis prælatus vel superiores, vigore cujuscunque facultatis, aliquem ad habitum & professionem admittere possit, nisi ut in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustro perpetuò maneat, ac aliter translatus, etiam si Canonicorum regularium fuerit, ad beneficia secularia etiam curata omnino incapax existat.

Digitized by Google

Cap. 12.

Nemo etiam, cujusvis dignitatis Ecclesiasticæ vel secularis: quacunque ratione, nisi Ecclesiam, beneficium, aut capellam de novo fundaverit & construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jus patronatûs impetrare aut obtinere possit aut debeat. In casu autem fundationis aut dotationis, hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori, reservetur.

Cap. 13.

Non licet præterea paterno, cujusvis privilegii prætextu aliquem ad beneficia sui juris patronatûs, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, jure pertineret, quoquo modo præsentare: aliâs præsentatio ac institutio forsan sequutæ, nullæ sint & esse intelligantur.

HISTORIA SESSIONIS XIV.

Die Sessionem XIII. subsequente, in generali congregatione materia de pœnitentiæ & extremæ unctionis Sacramento, nec non prosequenda Reformatione, in ordinem digesta est, simul etiam injecta mentio de servanda methodo jam antè præscripta Theologis, quam illos hactenus neglexisse, agentes in Synodo Scholarum in morem, & spinosis argumentorum aculeis, querela erat. De Sacramento pœnitentiæ è Lutheri libris excerpti sunt articuli XII. de quibus Theologos inter disceptaretur. Qui quidem articuli in anathematis formandis, post audita Theologorum suffragia ita mutati sunt, ut ne vestigium eorum ampliùs appareret. Additi sunt de extrema unctione articuli XIV. qui totidem anathematis διχερήδην respondebant. Tria etiam formata sunt Decreta de ordine procedendi in Concilio, *Primum* concernens Theologos, quibus injunctum, ut in sententiis pronuntiandis inhæreant sacræ Scripturæ, Apostolorum traditionibus, Conciliis approbatis, summorum Pontificum constitutionibus, & sanctorum Patrum authoribus, ab Ecclesia Catholica unanimi consensu receptis, útque brevitatem sectentur, quæstiones inutiles vitent, & contentionum pervicaciam fugiant; *Secundum* de ordine in Concilio proponentium; *Tertium* de Congregationibus quotidie bis habendis, manè & à meridie singulis vicibus ternis horis. De Reformatione etiam formati sunt XV. articuli, qui omnes respondent capitibus deinceps stabilitis, excepto decimo quinto, quo propositum erat, *ne beneficia cuiquam darentur in commendam, nisi ea ætate quam lex requirit in habente cum titulo.* Ille enim articulus,

Digitized by Google

culus,quia Pontificis & præſulum Nepotiſmo adverſabatur, ſtatim in ipſis cunis ſuffocatus eſt. Cæterùm in argumento *Pœnitentiæ* diſcutiendo adeò Theologi præſcriptam ſibi methodum ſúſque déque habuerunt, ut illud non tantùm ſecundùm ſcholaſticos, ſed etiam ſecundùm Canoniſtas inprimis Gratianum pertractarent, inſuper etiam haberent,quod injunctum erat de vitanda prolixitate & quæſtionibus inutilibus reſecandis. Ex articulis verò à Theologis diſcuſſis ſelecta ſunt doctrinæ capita, quæ ipſa tamen non omnibus æquè placuerunt. Etenim contra caput III. quo pœnitentis actus conſtituuntur partes Sacramenti, & contra caput VI. quo abſolutio dicitur actus judicialis, non nudum miniſterium declarans remiſſa eſſe peccata; multa Franciſcani Theologi exceperunt. Etiam Franc. Ambroſius Pelargus, Electoris Trevirenſis Theologus, verba Chriſti: *Quorum remiſeritis peccata* &c. ad Sacramentum pœnitentiæ pertinere negavit. Contra caput VII. quo de reſervatione caſuum agitur,Theologi Lovanienſes & Colonieneſes exceperunt,illam veteribus prorſus ignotam eſſe,niſi in caſu peccatorum publicorum, quin & Gerſonem eas reſervationes exagitâſſe. Iidem Colonienſes ſenſum verborum, *Quacunque ligaveritis &c.* Canone X. damnatum eſſe ipſius Theophylacti objiciebant, aliáque in eodem reprehendebant. Sed Cardinalis Legatus Creſcentius liberis Theologorum horum vocibus commotus,ſilentium iis injunxit, & quidquam immutari vetuit, ajens, *à dignitate Synodi alieniſſimum eſſe, Decreta ſic enervari, & vita animáque privari.* Timebat nempe, quod poſtmodum amicis aperuit, ne libertas hæc procedente tempore, ſi ipſi Proteſtantes intervenirent,noxia eſſet. Reformationis Decreta XIII. condita ſunt,Epiſcoporum Juriſdictionem ſpectantia, in quibus Epiſcopis poteſtatis ſuæ incrementum, & recuperatio eorum, quæ ipſis à curia Romana adempta ſunt, unicè curæ erat, Legatis Pontificiis contranitentibus, ut quàm minimum ipſis concederetur. Dum Patres formandis Decretis occupantur, Ducis Wirtembergici Legati Theodoricus Pleningerus, & Johannes Heklinus Tridentum veniunt, oblaturi Principis ſui confeſſionem, & Theologorum venturorum, ſiquidem idoneè, juxta Baſileenſis Decreti formulam, ipſis caveatur, ſpem facturi. Qui cùm à Comite Montforto Cæſaris Legato, quem illi primò compellaverant, remitterentur ad Præſidem Concilii Creſcentium, illi id facere gravati ſunt,eò quòd una eſſet ex conditionibus Germanorum, *ne Concilio Papa præſideat.* Proinde de eo literas dederunt ad Principem, ad quas reſponſum poſt finitam demum Seſſionem advolaverat. Legatus etiam Papæ de eo ſcribit, & quid in hoc negotio agendum ſuadeat, inprimis

mis cùm plures ejusmodi homines adventuros inaudiverit, explorat. Cui mox à Pontifice responsum, *inhærendum esse diplomati indictionis Concilii, in quo & approbata sint Pauli Pontificis decreta, & jus convocandi & moderandi Concilium sibi reservatum sit; de cætero consilium in arena ex re capiendum, & media consilia ac temperamenta tanquam pestem fugienda: Dogmatum segetem copiosissimam proponendam, ut Lutherani de spe conciliationis animum despondeant, nisi se Concilii Decretis subjicere velint, contra illos præsules magis excitandos, ad reformationem tractandam nihil otii præsulibus relinquendum; Concilii exitum maturandum esse &c.* Die 21. Nov. etiam Joh. Sleidanus Argentinensium, aliarúmque civitatum Legatus Tridentinum ad Concilium venit. Ac circa idem tempus Julius III. Cardinales tredecim creavit, Italos omnes, quæ veluti præsidia, muniendi sui causâ, Pontifices sibi comparare solent. Cæsar quoque, quò vicinior Concilio esset, Oenipontem venit, tridui itinere Tridento distantem, ubi intra unum diem, quid Tridenti gereretur, ex Oratoribus suis cognoscere poterat. Unde metus aliquis incessebat Pontificem, ne Cæsar à sententia propugnandæ sedis Apostolicæ dimoveretur. Contra quem tamen variis rationibus animum munivit. Successit tandem Sessio XIV. die 25. Novembris, quo convocatis Patribus, solito ordine Templum adeuntibus, ceremoniis peractis, Episcopo Missam celebrante, doctrina fidei, anathemata & Reformationis Decretum promulgata sunt. Simùlque spes facta fore, ut 25. Januarii Sessio habeatur, in qua de Sacrificio Missæ & Ordinis Sacramento agatur. Finita Sessione Legatus prohibuit, ne Decreta excuderentur. Verùm cùm caveri non posset, ne ea Tridento emanarent, factum mox ut in Germania excuderentur, & ob moram prodeundi in publicum curiosiùs in ea passim inquireretur.

NOTÆ

Ad Historiam & Decretum Sessionis XIV.

PRimò renovatum de Methodo à Theologis servanda, scholasticis tricis & subtilitatibus opposita, decretum arguit, qua in disceptandis fidei articulis norma illi hactenus usi fuerint. Nempe seposita scriptura, humanis ratiociniis, & versimilitudinibus indulserant. Imò ne innovatum quidem de rectiori Methodo decretum quidquam apud eos valuit, quò minùs Scholasticos & Gratianum duces & arbitros religiosè sequerentur. Adeò ipsis Helena illa, Scholastica Theologia in deliciis fuit ut ab

ea

Digitized by Google

ea nullâ vi abſtrahi potuerint. Nam quòd ſcripturas alicubi crepare viſi ſunt, quomodo eas tractaverint, inſigne ſpecimen affert Hiſtoricus *lib.* 4. *pag.* 312. ubi recitat, quomodo ex ſcriptura arguti illi homines Confeſſionem ſecretam probaverint, citando nimirum omnia V. & N. T. loca, in quibus occurrunt verba *confiteor, confeſſio*, figuras V.T. illam adumbrantes producendo &c. *Secundò* ipſum illud de novitia Methodo ſectanda Decretum, quod pro norma fidei obtrudit non ſcripturam tantùm, ſed etiam Traditiones Apoſtolorum, Concilia approbata, Pontificum conſtitutiones, & Patrum authoritates, non alium in finem, quàm ut his præſidiis ſcripturæ genuinus ſenſus non tam ſtabiliri quàm enervari, & ad quidvis probandum detorqueri poſſit; ejusmodi eſt, ut verè fideles à vitando tali minimè Chriſtiano Concilio validè abſterrere debuerit. *Tertiò* Cardinalis Legati Creſcentii indignatio adverſus Theologos Lovanienſes, Colonienſes, alióſque contra Decreta nonnihil excipientes teſtata prodit, quæ libertas Concilio conſtiterit, & quo veritatis ſtudio flagraverint Patres. Annon enim par erat, rationes à Theologis allatas expendere, & ſecundis ſapientioribusque curis ac cogitationibus locum relinquere? Ne in civilibus quidem negotiis tanta ſocordia, & melioris conſilii dedignatio vitio careret. *Quartò* ratio à Cardinale Creſcentio allegata, *quòd ea libertas periculoſa futura ſit, ſi Proteſtantes intervenirent*, arguit, quomodo excipere & tractare noſtrates, ſi Concilio intervenirent, purpurati Patres conſtitutum habuerint. *Quintò* digniſſimum quod perſtringatur, eſt Pontificis reſponſum ad literas Legati Creſcentii, quibus ille occaſione Legatorum Wirtenbergicorum, ipſum adire detrectantium, heri ſui conſilium, quomodo agendum ſit cum Proteſtantibus Concilio interventuris, requiſivit. Pontifex nempe ei injungit, *ut fortiter tueatur jus præſidendi, media conſilia & temperamenta fugiat, dogmatum copioſam ſegetem proponat, ut Proteſtantes de ſpe conciliationis ſpem abjiciant, & Concilio ſe ſubjicere cogantur, Præſules contra illos irritent*, aliáque ejuſmodi, quæ deſperatæ cauſæ indicia fuerunt, nec tam ex Chriſti & Apoſtolorum diſciplina, quàm Machiavelli ſimilium politica hauſta erant. *Sextò* fidei dogmata in quæſtionibus ventilabimus, nunc pauca tantùm ad Reformationis Capita animadverſuri. Ante omnia illud obelo notandum, quòd XV. articulum, quo propoſitum erat, *ne beneficia cuique darentur in commendam, niſi eâ eſſet ætate, quam lex requirit in habente cum titulo*, in ipſis cunis ſuffocare placuit. Timebant enim gnathones Papæ, & ipſi Præſules, ne nervi Nepotiſmi, quo hactenus nepotibus ſuis minorennibus adhuc beneficia reſignare conſueverant, hac ratione inciderentur. Adeò profundas radices Simonia & ambitus egerant. Quoad ipſa Reformationis capita, quæ XIII. numero erant, ea Juriſdictio-

 nis

Digitized by Google

nis Episcopalis nullo jure hactenus usurpatæ plures morbos nævósque pandunt, remedia verò iis opposita frivola planè & aliena ostendunt. Etenim *primo* capite sancitur, *ut puniantur, qui prohibiti ascendere ad ordines, interdicti vel suspensi, licentiâ aliunde corrogatâ nihilominus ascendunt.* Nempe querebantur Episcopi, contingere plurimùm, ut si quos illi justas gravésque ob causas, à suis ordinibus, gradibus aut dignitatibus Ecclesiasticis suspendant, aut ascensu illis ad sacros ordines interdicant, illud omne per licentiam & dispensationem à Pontifice impetratam retractetur, atque adeò non Episcoporum tantùm existimatio imminuatur, sed animarum etiam salus, & Ecclesiæ disciplina præsentissimum in discrimen adducantur. Ita animarum ille pastor animas indulgentiâ pretio emptâ, perditum ivit. At huic malo juxta Dei verbum ita medendum erat, ut Pontificis & Episcoporum illa potestate coactiva interdicendi, suspendendi, prohibendi sublata, summo & legitimo Magistratui jus integrum in delicta omnium subditorum, etiam clericorum animadvertendi restitueretur, & ecclesiæ ministerium ex eodem reformaretur. Deinde mentio expressa Pontificis, ejúsque hactenus iniquè usurpatæ potestatis, in decreto fieri debuit. *Secundo* capite cavetur, *ut si Episcopus quoscunque ordines sibi non subdito, etiam familiari, sine expresso proprii prælati consensu, conferat, uterque decretæ pœnæ subjaceat.* Nempe Sessione VI. cap. 5. de Reformat. prohibitum est, *ne quis in aliena Diœcesi Pontificalia officia exerceat, nisi de expressa ejus, qui est loci ordinarius, licentia.* Hinc Episcopi Titulares Decreto illi illusuri ad loca exempta, nullius Diœcesi subjecta se recipiebant, & ad sacros Presbyteratûs ordines ibi admittebant, qui à suo Episcopo rejecti essent tanquam inhabiles, vigore privilegii sibi de promovendo quoscunque ad se venientes concessi. Id Capite II. interdictum, cum cautione tamen, ne ob reverentiam sedi Apostolicæ debitam ulla mentio fiat ejus, qui privilegium concesserat. Sed rectius remedium erat, Episcopos illos titulares vagabundos, & inutilia terræ pondera, eorúmque ordinem abrogare, ordinationis jus Presbyterio restituere, & loca exempta, nulliúsque diœcesi subjecta, & soli Pontifici mancipata, legitimo Magistratui subjicere, denique Pontificiæ potestatis peristromata circumcidere. *Tertio* capite prohibetur, *ne Episcopi suos clericos ab aliis malè promotos ad officia celebranda admittant, nisi prævio examine.* Sed ludicrum & vanum erat hoc decernere, non expressâ mentione Pontificis, & licentiæ ab ipso concessæ. Canonistarum nempe dogma pridem obtinuerat, licentias, facultates, & privilegia à Pontifice concessa, nominibus generalibus minimè comprehendi, nisi eorum mentio fiat. *Quartum* caput vetat *ullum clericum eximi à correctione Episcopi, etiam extra visitationem quibuscunque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis minimè*

mè ſuffragantibus. Quibus poſtremis verbis placuit ſupplere Seſſionis VI. cap. IV. de Reformatione, ut videlicet decreto includantur etiam Eccleſiarum Cathedralium canonicæ, aliæque Collegiatorum dignitates, quæ non privilegiis, ſed vel antiquiſſima conſuetudine, vel ſententiâ rei judicatæ, vel concordiis cum Epiſcopis pactis & juratis erant in poſſeſſione exemptionis à Juriſdictione Epiſcopali. Cæterùm hoc Decretum Epiſcopis jus tribuit, & verbo Dei, & architectonicæ poteſtati adverſum, ut ſuperiùs, ubi de Juriſdictione Epiſcopali à nobis actum, probavimus. *Quinto* capite Judicum, qui *Conſervatores* dicti, Juriſdictio certis finibus concluditur. Nempe conſueverat Papa cuilibet ſupplici oblata mercede, pro lubitu judicem deputare, qui authoritate ſua illum tueretur, & in poſſeſſione rerum ac jurium ſuorum conſervaret, qui inde *Judex Conſervator* dictus. Hi judices cùm poteſtate ſua abuterentur ad ſupplices illos juſtæ debitæque animadverſioni eximendos, & ad ipſos Epiſcopos ac ſuperiores cenſuris fatigandos, placuit jus illud limitare ac reſtringere, quod jure divino penitus tollendum & radicitus antiquandum fuerat. Quinimò addita eſt exceptio, *ne videlicet eo decreto Univerſitates, collegia Doctorum aut Scholaſticorum, loca Regularia & Xenodochia comprehendantur.* Quam exceptionem meritò Epiſcopi judicabant eſſe ipsâ regulâ ampliorem, cùm qui in collegiis, Monaſteriis ac Xenodochiis vivunt, ſuperent numero eos, qui ex literis conſervatoriis commoda captare ſtudeant, longéque facilius ſit privati hominis improbitati occurrere, quàm morbos in corporibus integris aggraveſcentes depellere. Nempe Pontifici ejúſque Legatis id unicè curæ erat, ut Monaſteria & Academiæ à ſolo ipſo pendeant, ne unquam deſint poteſtatis ejus hyperaſpiſtæ. Capite *Sexto* pœna decernitur clericis in ſacris conſtitutis, aut beneficia poſſidentibus, *ſi decenti ſui ordinis veſte non utantur; poteſtate demandata Epiſcopo delinquentes ab officio & beneficiorum proventibus ſuſpendendi, ſi ab eo moniti non paruerint; etiam per privationem officiorum & beneficiorum coercendi; ſi correpti ſemel erratum non emendaverint, renovatâ Concilii Vienenſ. eam in rem conſtitutione.* Cæterùm Decretum illud cùm & ordinum diſtinctionem, & eximiam quandam in externo habitu ſanctitatem & cultum ponat, & libertatem Chriſtianam poteſtate non legitima judicet in iis, quæ adiaphora ſunt, ſimpliciter reſpuimus. Capite *ſeptimo* prohibentur Epiſcopi ordinare homicidas *voluntarios*: at circa *caſuales* diſpenſationi locum eſſe aſſeritur, committendæ videlicet loci ordinario, aut ſi ſubſit cauſa, Metropolitano vel viciniori Epiſcopo. Ita videlicet hactenus utroſque admitti mos tulit. Contra verò vetuſti Eccleſiæ Canones & voluntarios & caſuales arcent. Et decreti hujus uſus non tam in corruptelis moderandis, quàm in diſpenſationibus auctiori pretio licitandis

Ccccccc 2

Digitized by Google

dis consistit. Ne quidem ipsi Pontifici in homicidio voluntario manus alligantur. In fortuito verò etsi non alteri quàm Episcopo dispensatio à Pontifice committi poterat, quid vetabat tamen, quò minùs Pontifex per se dispensaret, causâ non commissâ alteri? Capite *octavo* statuitur, *ne ulli liceat clericos ex privilegio punire*. Hoc uti æquum agnoscimus, ita in fraudem decreti ejus multa committi nullo negotio probari posset. *Decimo* præcipitur, *ut regularia beneficia religiosis in titulum dari consueta, cùm ea in posterum quovis modo vacare contigerit, non conferantur nisi in religiosos illius ordinis, aut in eos, qui habitum & professionem ordinis suscipere teneantur.* Sed illud remedium gravi morbo, quo Regulares commendatum Pontificiarum invento beneficiis pluribus à Pontifice alienatis carere debebant, repellendo minimè par fuit, nec curiæ Romanæ noxium fuit, omnibus quibus per commendas aliquid adjici poterat, jam satis supérque commendatis. Potiùs igitur Commendarum Pontificiarum cauponatio in universum abroganda, & ecclesiastica beneficia legitimos in usus convertenda erant. Capite *undecimo* sancitur, *ut translati ad alium ordinem in claustro sub obedientia maneant, beneficiorum secularium incapaces existant!* Rectiùs facturi omnes, si à claustris suis transferantur ad veritatem Evangelii, quò sic beneficiorum Christi & libertatis ab ipso partæ capaces existant. *Duodecimum* caput sciscit, *ne jus patronatus quisquam nisi ex fundatione vel dotatione obtineat.* Cui subjunctum Caput *decimum tertium* mandat, *ut præsentatio non alii fiat quàm Episcopo loci ordinario, ad quem cessante privilegio ipsius beneficii institutio jure pertineret.* Hoc utrumque de Jure patronatus & præsentatione caput perperam supponit jus Episcopi in vocatione ac præsentatione Ministrorum, & collationibus beneficiorum, quod nullum esse, inferiùs probabimus. Deinde cùm Ecclesiam cum omni jure, bonis & pertinentiis in patrimonium Christi redactam esse sustineant Canonistæ, quomodo Concilium tale jus in seculares Patronos transferre potuit? Imò cùm Jure divino vocatio Ministrorum pertineat ad Ecclesiam, quomodo ad unum in ea membrum illam transferri, eidem consentaneum fuit? Et quidem ita, ut patroni talis jus fundaretur in contractu innominato *Do, ut des*, hoc est, in fundatione & dotatione præcedanea? Annon enim præstabat Jus integrum servari Ecclesiæ, & patronos informari de uberiori longè mercede eleemosynarum in cœlo? Ita olim David, Solomon, Ezra, Nehemias, & Centurio ille à Senioribus Judæorum Christo commendatus, *quòd diligat suam gentem, & ei Synagogam ædificaverit Luc. VII. 5.* nullum in templum & synagogam jus vel stipulati sunt, vel acquisivisse leguntur. Quid quòd hac ratione contingere potest, ut ministrorum electio transferatur ad quoscunque religionis & ecclesiæ juratos hostes, quorum forte Majores mercede fundationis

tionis & dotationis ejuſmodi oblata hoc jus licitati ſunt & acquiſiverunt? In has videlicet ſyrtes incidere neceſſum eſt, cùm homines à divina inſtitutione ſemel deflectunt. Non ignoro, etiam noſtris in Eccleſiis jus illud tolerari potiùs, quàm à cordatis probari. Sed illud ſolatio eſt, quòd in Juris illius exercitio ita patroni à ſuprema poteſtate reſtringuntur, ut cum Eccleſiæ periculo illud uſurpare nequeant, & ipſius Eccleſiæ commendatio vel ſuffragium non planè negligatur. Hoc unum addam, quòd Concilii illud de jure patronatus Decretum in congregatione ita declaratum fuit, *ut intelligatur etiam de Juribus patronatus, ante Concilium legitimè erectis, proinde eorum titulos oſtendendos eſſe ordinario.* Cui quidem Decreti illius declarationi Reges Galliæ, qui ſibi patronatûs ac Præſentationis jus in omnibus ditionis ſuæ beneficiis electivis arrogant, ſe conſtanter opponunt. De quo videſis Innocentium Gentilletum JC. Delphinenſem *Exam. Concil. Trid. lib. III. p. 122.*

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ.

Ad Decreta fidei Seſſionis XIV.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

QUÆSTIO I.

An pœnitentia ſit Sacramentum verè & propriè dictum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, Deo reconciliandis?

ASſerit Canon 1. & pœnitentiam intelligit eam, quæ conſtat tum ex actibus pœnitentis, contritione, confeſſione & ſatisfactione, tum ex abſolutione ſacerdotali. Et abſolutionem quidem actibus illis pœnitentis vim ſacramentalem ita conferre vulgò pertendunt, ut ad remiſſionem peccatorum promerendam effectivè concurrant. Nos pœnitentiam, ſive quâ virtus eſt, ſive Papiſticè ita explicatam, ſacramentum eſſe pernegamus. Etenim

Digitized by Google

ARG. I. Pœnitentia sic definita peccatorem abducit à fide obedientiæ, passionis & satisfactionis Christi ad fiduciam propriarum actionum, à Deo peccatorem justificante ad sacerdotem hominem peccata judicantem; obscurat veram doctrinam de Justificatione, vi & efficacia baptismi; judicium Dei de peccatis transfert ad sacerdotis humanum quoddam & politicum tribunal. Ergo non est Sacramentum verè & propriè dictum. Sanè Granatensis *lib. 1. memor. cap. 1.* asserit, dolorem nostrum conjunctum cum virtute Sacramenti ad salutem sufficere. Sicut enim candela recens extincta, & ad huc fumans, exiguo flatu accenditur & reviviscit: ita animam, quæ virtute attritionis fumat, licet accensa non sit, accedente virtute hujus Sacramenti mox totam accendi & reviviscere.

RESP. REDING: 1. *Si actus pœnitentis vi non propria, sed obedientiæ & meriti Christi virtutem peccati remissivam obtinent: Si Sacerdos hominum peccata dijudicans non propria, sed delegata Christi potestate absolvit: Si Baptismi efficacia ad præterita duntaxat peccata se extendit; adeòque alio remedio peccatorum postbaptismalium remissio indiget: Si denique judicium de peccatis à Sacerdote fit in ordine ad absolutionem Sacramentalem non alia quàm Dei principali virtute, & Christi meritorum ex hujus præscripto conferendam: tum vera non sunt, quæ huic Sacramento tribuis.* Tomo II. Tract. VII. Ss. 2. pag. 429. Resp. Mitte tua illa Si, Si, Si, Si. Si Cœlum caderet, multæ caperentur alaudæ. Conditio nihil ponit in esse. Certè meritum Christi sola fide, non actibus pœnitentiæ Sacramentalibus apprehensum peccata remittere: Ministros Ecclesiæ non ulla potestate judiciali, sed merè ministeriali à Christo iis delegata absolvere: Baptismum remissionem omnium promiscuè peccatorum obsignare: denique peccata sola Dei Christique gratia in Evangelio patefacta, & per præcones promulgata, remitti, S. Scriptura luculenter testatur. Et pleraque hæc à nobis jam evicta ampliori demonstratione non indigent. Frustra tu gratiæ & merito Christi socias & meritorias alias causas adjungis, & peregrinum ignem altari Jehovæ nefariè admoves.

ARG. II. Solius Christi est Sacramentum Novi Testamenti instituere, adversariis etiam multis fatentibus. Christus autem Sacramentum pœnitentiæ non instituit, tum quia nec mandavit, nec exercuit: tum quia non obligavit ad pœnitentiam aliam, quàm quæ est à Prophetis & à Johanne prædicata. Neque etiam Apostoli de pœnitentia & ratione consequendæ remissionis peccatorum aliter docuerunt, quàm prophetæ V. Test. uti ex Act. X. 43. & XXVI. 23. liquet.

RESP. REDING: 1. *Act. X. 43. hoc unum dicitur, quòd credentes per nomen Christi accipiant remissionem peccatorum; sed non sine remedio Divinitus ordinato. quale in N. T. præter contritionem utrique Testamento communem, est pro præteritis peccatis Baptismi, pro sequentibus Pœnitentiæ Sacramentum. Differunt ergo Testamenta in mediis, quibus communis gratia meriti Christi applicatur. 2. Institutum esse hoc Sacramentum à Christo ex Matth. XVIII. 18. Joh. XX. 21. liquet. Et agnoverunt Patres ejus institutionem o-*

mni

Digitized by Google

omni ævo. Ib. pag. 429--432. Reſp. 1. Chriſto omnes Prophetas teſtimonium perhibere, quòd in nomine ejus omnis, qui in ipſum credit, remiſſionem peccatorum habeat, S. Petrus Act. X 43. teſtatur. Commune ergo medium, quo remiſſio peccatorum per nomen Chriſti applicatur, teſtibus omnibus Prophetis & S. Petro, non aliud eſt quàm *fides in Chriſtum.* Baptiſmus verò remiſſionem peccatorum omnium non applicat, ſed fide ſola applicatam obſignat. Pœnitentia applicatæ & obſignatæ peccatorum remiſſioni superveniens, conſolationem & ſenſum ejuſdem reſtituit, Davide Pſal. LI. toto teſte 2. De textibus Matth. XVIII. 21. & ſententia piæ antiquitatis infra.

ARG. III. Nec materiam habet, nec formam ſacramentalem. Materiam nonnulli peccata faciunt pœnitentis. At abſolutio, quam formam faciunt, peccata deſtruit. Materia autem non deſtruitur, ſed perficitur. Synodus verò abſurdè materiam hujus Sacramenti facit actus pœnitentis, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, uti demonſtrabitur infra. Ubi autem materia non eſt, nec forma locum habet. Scotus quidem formam Sacramenti ponit in abſolutione. Sed aliis abſolutio pars eſt materiæ & forma ſimul, quod abſurditate non caret. Præterea forma abſolutionis Papiſtica nec in ſcriptura, nec in omni antiquitate reperitur, adeóque novitium inventum eſt. Ubi autem non eſt verbum Dei, ibi nec Sacramentum eſt. Et quænam in actibus pœnitentis & miniſtri abſolutione oſtendi analogia poteſt? talis qualis eſſe debet inter rem elementarem & cœleſtem? Addo immanem adverſariorum pugnam circa materiam & formam pænitentiæ, quæ ſatis arguit dogmatis vanitatem.

Resp. Reding: 1. *Materiam remotam & primam cum proxima & ſecunda confundit. Illa ſunt peccata, quæ per remiſſionem deſtruuntur: hæc actus pœnitentis, qui per formam abſolutionis eatenus elevantur ad Eſſe Sacramenti, quatenus participant de virtute gratiæ ſanctificantis, ut ſic peccatorum expulſivæ ſignificatrice & effectrice.* 2. *Verba quidem abſolutionis ſecundum ſignificationem ſuam naturalem ſe habent materialiter ad Divinæ inſtitutionis ſignificationem, quæ in Eſſe formæ Sacramentalis conſtituit. Planè ſicut verba pro Baptiſmatis Sacramento præſcripta, ſecundum naturalem ſuam ſignificationem ſpectata ſunt quid materiale, cui ex Divinæ inſtitutionis efficacia vis Sacramentalis ſignificationis ſupervenit.* 3. *Verba illa Chriſti,* quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; *poteſtatem utique tribuunt peccata remittendi. Hæc poteſtas ubi exercenda eſt, indiget ſigno talis remiſſionis expreſſivo. quod ſunt verba abſolutionis, quæ proin nituntur inſtitutione Chriſti. Ex hac Chriſti inſtitutione, quæ Divinæ virtutis & veritatis efficaciam importat, oportet iis verbis ineſſe vim operandi, quod ſignificant. Hæc autem vis remiſſionem peccatorum operans Sacramentalis eſt, & eo ipſo, quòd formaliter ejus effectus ſignificativa eſt, ſubit rationem formæ. Habes ergo inſtitutionem Divinam formæ.* 4. *Analogia verò inter actus pœnitentis, & abſolutionem Miniſtri, nititur ipſa Divinæ inſtitutionis veritate, quæ ſic per traditionem habetur, ut traditionis ejus origo ſit in prædictis verbis Chriſti, uti S. Patres teſtantur paſſim, aſſerentes, fruſtrari Evangelium & verba Chriſti,*

Digitized by Google

Christi, si quis coram Deo in corde duntaxat putet agendam pœnitentiam, neque recursum habere velit ad claves Ecclesiæ, se submittendo discipulis Christi. 5. *Concordant Theologi nostri in materia & forma pœnitentiæ quoad substantiam; sed discrepant in modo eas explicandi.* Ibid. pag. 432-434. Resp. Metaphysici & Physici conceptus tui quomodo quadrent, videamus paucis. 1. Formam materiæ præcedentis proximæ privari in mutationibus quibusvis, materia prima & remota ceu subjecto omnium mutationum, constanter manente & perennante, Scholæ tuæ philosophia hactenus docuit. Tibi contra materia prima & remota hujus Sacramenti, peccata scilicet, destruuntur, proxima verò, quæ nunquam informis esse potest, actus scilicet pœnitentis, ab accedente nova forma, absolutione, informantur. Quæ ergo materiæ proximæ forma est, quæ privata accedenti novæ formæ locum cedat? Quàm ergo bellè tibi, Philosophorum Scholasticorum alpha, constas? Quomodo etiam actus pœnitentis, contritio, confessio & satisfactio, *de virtute gratiæ sanctificantis, ut sic peccatorum expulsiva significatrice & effectrice*, participant? Nam si virtus gratiæ sanctificantis peccata expellit cui bono Sacerdotis absolutio? Quod jam ante expulsum est, absolutione nulla indiget. 2. Quòd idem simul pars materiæ, simul forma esse possit, nunquam tu probabis. In S. Baptismi Sacramento aqua sola materiæ totius munere fungitur. Verba verò; *Ego te baptizo*, nec quoad naturalem significationem pars materiæ, nec Baptismi forma esse possunt. Non illa, quia materia Sacramenti est elementum sensibile, non naturaliter, sed supernaturaliter ex institutione significans. Non hæc, quia verba illa nuspiam disertè præscripta sunt, neque adeò Sacramento dant esse. Par ratio est verborum absolutionis. 3. Verba Christi, *quorum remiseritis peccata &c.* Apostolis & universis Ecclesiæ Ministris potestatem remittendi peccata concedunt. Hanc potestatem ais indigere signo remissionis expressivo, atque illud facis verba absolutionis. Annon verò ratio omnis signi pertinet ad materiam Sacramenti? Jam ergo absolutionis verba erunt materia, non forma Sacramenti pœnitentiæ. Sed fallis turpiter etiam, statuens, signa, quibus minister Ecclesiæ exprimit voluntatem remittendi peccata, esse formam Sacramenti pœnitentiæ, atque inde formam institutionis Divinæ arcessis. Præterquam enim quòd signa illa remittendi peccata nuspiam determinatè instituta & præscripta sunt, illa etiam pœnitentiæ sunt extrinseca. Pœnitentia enim omnis in pœnitente est: verba absolutionis in alio. Quomodo igitur forma pœnitentiæ esse possunt? Forma id est, per quod res est, quod est, & constituit rei essentiam. At absolutio à peccatis non constituit essentiam doloris, confessionis, ut sit verus dolor, vera confessio. Errores erroribus cumulans addis, *verbis absolutionis inesse vim operandi, quod significant.* Hoc jam parum à Magica impietate abest. Quomodo enim humana verba arbitraria, & determinatè nuspiam præscripta, virtutem haberent remissionem peccatorum operandi, quam sola Dei gratia per & propter meritum Christi operatur? Quis unquam præconium damnationis vel absolutionis, ipsam damnationem vel absolutionem operari dixit? 4. Frustra ergo etiam analogiam inter actus pœnitentis & verba absolutionis in institutione formæ illius Divina, quam nullam probare potuisti, collocas. Nam analogia Sacramentalis omnis in significatione & repræsentatione rei, seu gratiæ invisibilis, quam Sacramentum exhibet, consistit. Quomodo verò actus pœnitentis, inprimis verò satisfactio, quæ absolutione posterior est, absolutionis verba, ut signum scilicet & elementum externum significant & repræsentant? Patres frustra appellas. Non enim quando pœnitentiam ecclesiasticam & canonicam illi urgent, atque interiorem pœnitentiam

Digitized by Google

tentiam sine exteriore, in scandalis scilicet enormibus, non sufficere contendunt, ejusmodi pœnitentiam externam illi intelligunt, qualem vos defenditis, *avaritiæ scilicet & ambitionis clericalis fomentum & adjumentum*, uti rectissimè M. Antonius de Dominis appellavit. De quo infra. 5. Dissensum vestrum occultare non potes. Manifestus nimis est, nec in modo loquendi consistit, dum alii aliam materiam & formam hujus Sacramenti constituunt; alii quasi materiam appellant; imò ipsam definitionem Sacramenti pœnitentiæ nullam constitutam habent. Bellarminus ait, *Theologos summo consensu Pœnitentiam Sacramentum esse docere, in eo solùm nonnihil laborare, ut ostendant in hoc Sacramento, quid sit Sacramentum tantùm, quid res tantùm, quid res simul & Sacramentum.* Scilicet Pontificii magno consensu docent, Pœnitentiam esse Sacramentum, sed nesciunt, qua ratione hoc affirment. Quo nihil verius dici potest. Nulla enim est particula materiæ, formæ, vel effecti hujus Sacramenti, de qua Scholastici inter se consentiant.

ARG. IV. In omni Sacramento juxta Augustinum *est signum visibile invisibilis gratiæ.* In pœnitentia Papistica frustra ejusmodi signum visibile requisiveris. Audibile ostendunt non ex diserto Dei verbo, sed ex fallaci ratiocinio.

RESP. REDING: *Etiam in Baptismo signum nonnisi audibile obtinet. Non igitur necessariò Sacramentum est invisibilis gratiæ signum visibile, maximè si id ad objectum visûs corporei referatur.* Ib. pag. 434 Resp. Apertè deliras. Baptismi signum visibile, aqua est. Audibile verbum Baptismi vobis forma, non materia, qua sola signum Baptismi est, habetur. Sic Eucharistiæ signum visibile panis & vinum est. Licet enim nonnisi verbo accedente fiat signum, adeóque Sacramentum, non tamen ideo signum audibile est. Alia ratio est causæ signum constituentis, alia signi. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Aliud igitur est verbum, aliud elementum, quod Sacramentum fieri debet. De cœtero in dubium revocans, an signum in Sacramentis debeat esse visibile, non solùm Augustino, sed Lombardo etiam vestro sic definienti repugnas. Sed quocunque etiam modo signum Sacramentale definiatis, certè actus pœnitentis signum nullo modo esse queunt. Non *contritio*, quia in sensus non incurrit, nisi per fallacia testimonia operum; & conteri, seu dolere de peccato non est signum gratiæ Dei, sicut dolere ob morbum, non est signum sanationis. Non *confessio*, quia fateri morbum pariter non est signum sanationis. Non *satisfactio*, quia satisfacere pro debito non est signum gratiæ, sed gratiæ potiùs repugnat.

ARG. V. Pœnitentia Veteris Testamenti, & ante-baptismalis non est Sacramentum, uti fatetur Synodus. Ergo nec Pœnitentia N. T. Par enim utriusque ratio in essentialibus. Et secus aliter reconciliati essent Patres, quàm fideles N. T.

RESP. REDING: 1. *S. Paulus Hebr. X. 1. veterem legem umbram vocat mysteriorum N. Test. eámque peccata tollere potuisse negat. Qua ergo conscientia eandem in essentialibus utrobique rationem fuisse, asseris?* 2. *In V. Test. obtinuit Pœnitentia efficax ad justificationem, non ex opere operato, sed operantis, non meriti condigni, sed valoris de congruo, Dispositorii dumtaxat rationem obtinentis; ex Christi cum Patre pacto, concomitanter se ad*

legem Mosaicam habente. Ib. pag. 434. Resp. 1. Præter legem, quæ umbra futurorum bonorum fuit, Patres V. Test. etiam promissionem, Testamentum gratiæ æternum habuerunt. Justificatio autem & Salus Patrum non fuit ex lege, utpote promissioni subintroducta, sed ex promissione & testamento gratiæ, quod utrobique idem fuit, quippe διαθήκη αἰώνιος, *Testamentum æternum*, Hebr. XIII. 20. Qua ergo tu conscientia ex testamento gratiæ æterno, adeóque eodem semper, diversa & essentialiter distincta cudis? Cùm tamen per gratiam Christi salvari nos καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι, *sicut & illi* Patres, salvati sunt, S. Petrus Act. XV. 11. asseruerit? 2. Nec in V. nec in N. Test. pœnitentia efficax fuit ad justificationem vel ex opere operato, vel operantis; merito condigni, vel de congruo. Pœnitentia quippe ratione novitatis vitæ, quæ sola salutarem eam reddit, justificationem non antecedit, sed sequitur. Et justificamur gratia Dei, per fidem, sine operibus, Rom. III. 24. 28. Quid quòd in pœnitentia Davidis æquè ac S. Petri contritio Evangelica, confessio Deo facta, satisfactio canonica, & absolutio conspicua fuit? Cur ergo Petri pœnitentia Sacramentalis fuit, Davidis non item?

ARG. VI. Sacramentalis pœnitentia ortum habet à corruptione disciplinæ Ecclesiæ veteris, in qua exigebantur contritionis signa & exomologesis, ac imperabatur satisfactio, seu reparatio scandali publicè dati, idque in criminibus manifestis & atrocibus. Illam autem pœnitentiam nec necessariam fecit, nec ei reconciliationem cum Deo promisit.

RESP. REDING: *Vetus Ecclesia præter contritionem exigens exomologesin, Sacramentalem Confessionem intellexit. Publica verò confessio ex accidentali duntaxat Ecclesiasticæ disciplinæ ritu superaddita est. Non ergo nostra de pœnitentia doctrina ex veteri corrupta est* Ib. pag. 436. Resp. Veteris Pœnitentiæ Canonicæ modernam Pontificiorum corruptionem, vini boni malum acetum esse, pluribus demonstrari posset. Sed progrediens nostra de Pœnitentia disputatio illud manifestum faciet. Paucis. De Pœnitentia scripserunt Tertullianus, Cyprianus & Ambrosius peculiares libros. Cyprianus addidit libellum de Lapsis. Multa passim legere est de exomologesi, seu pœnitentia publica. Concilia antiqua Canonibus Pœnitentialibus perspersa sunt, quibus præscribuntur pœnitentiæ gradus, tempus & similia. At Sacramenti nulla apud eos mentio. Nec post Pœnitentiam Sacerdos absolvebat his verbis: *Absolvo te à tuis peccatis*; sed pœnitens Ecclesiæ reconciliari suevit impositione manuum Episcopi & precatione. Pœnæ reconciliationem peccatoris præcedebant, non sequebantur. Non post eandem injuncta flagra, abstinentia à certis cibis, peregrinationes, iterata septem Psalmorum Pœnitentialium pronuntiatio, multæ pecuniariæ, & similia, quæ hodie utramque Pœnitentiæ paginam faciunt. Nec Sacerdos stipem accepit à pœnitente, absolutionis mercedem. Nec docebatur populus, defectum pœnarum purgatorii flammis suppleri. Hæc & similia inventa sunt in novissimorum Seculorum fœce. Veteres verò Canones Pœnitentiales Ecclesia Romana posterioris ævi abrogavit, novámque Pœnitentiæ formam invexit.

ARG. VII. Plerique etiam adversarii, Lombardus, Bonaventura, Marsilius, Major, Occam, Alexander, Thomas de Argentina, aliique, fatente Vasquez, *quæst.* 44. *art.* 3. docent, remissionem culpæ, & animæ vivificationem, ac dimis-

dimissionem reatûs æternæ pœnæ esse ex virtute clavium, vel ad hunc effectum claves se extendere, & ostendere tantùm sacerdotem, cùm inquit, *ego te absolvo*, jam illum absolutum esse à culpa per contritionem. Proinde effectus hujus absolutionis non est gratia justificans, quæ juxta Pontificios cujuslibet Sacramenti effectus est.

Resp. Reding: *Privata illa Doctorum quorundam Tridentino Concilio anteriorum sententia fuit, quam Ecclesiæ judicio subjecerunt. Aliter jam in Tridentino Concilio Ecclesia definivit.* Ib. pag. 434--436. Resp. Aliter Ecclesia in Tridentino Concilio definivit etiam, quàm Christus ipse & Apostoli, qui tamen, nisi fallor, sententiam suam Ecclesiæ, Tridentinæ inprimis, judicio non subjecerunt. Si subjecerunt illi, quos Vasquez inducit, viderint ipsi. Verbo Dei, non Ecclesiæ, seu Conciliabulo cuivis subjicere debuerant. Remissionem porro peccatorum, qua Ecclesiæ Ministri funguntur, ostensivam duntaxat & declarativam, non judicialem esse; adeóque, priusquam os ille aperiat, judicialem Dei solius remissionem præcessisse, infra *Quæst.* 14. probabimus.

ARG. VIII. De Ecclesia Græca notum, & fatetur Caucus, frustra obnitente Allatio, quòd sentiat, Confessionem non esse Juris divini, sed Ecclesiastici positivi. Jacobus Pamelius in lib. Tertulliani *de præscript. cap.* 40. *num.* 141. ajt, pœnitentiam disertis verbis raró à Patribus Sacramentum dici: imò nullum ex omnibus adfert locum nisi unum illum Tertulliani. Hominum verò non excommunicatorum privatam & sacramentalem absolutionem per Sacramentum pœnitentiæ omni antiquitati incognitam esse, certum est. Nec defuerunt ex Scholasticis, qui docerent, nec familiarem seu privatam, nec quamvis publicam pœnitentiam esse Sacramentum, sed solennem tantùm, quæ fit in cinere & sacco, & quam veteres irreiterabilem statuerunt. Citat eam in rem Cassander Simonem de Tornaco.

Resp. Reding: *Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus Resp. ad Germ. cap. 7. fatetur, Græcos septem Sacramenta agnoscere. Et apud Græcos Patres quinque prioribus Seculis confessionem in usu fuisse, ostendi potest.* Ib. pag. 436. Resp. Potuisses non Jeremiam tantùm illum, sed ante ipsum Gregorium Proto-Syncellum, Simonem Archiepiscopum Thessalonicensem, alios citare testes. Sed puriori Ecclesiæ Græcæ numerum eum placuisse, nunquam illi probabunt. Et Arcudius vester *lib. I. cap.* 2. fatetur, nunquam Græcos veteres numerum Sacramentorum septenarium expressisse. Sed de hoc quicquid sit, confessionem auricularem, qualis apud vos hodie obtinet, apud Græcos in usu fuisse, & quidem ex necessitate juris Divini, pernego. Neque tu probabis unquam. Aliud est ἐξομολόγησις, *Confessio*, aliud *auricularis Pontificia Confessio*. De re, non de nomine quæritur.

Digitized by Google

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Sacramentum pœnitentiæ Christus instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens:* Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt, Joh. XX. 23. *quo tam insigni facto & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis & eorum successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.* Est argumentum Concilii Cap. 1. Can. IV. Bellarminus autem, & ex ipso Aug. Reding p. 546. 547. ex iis Christi verbis pœnitentię Sacramentum colligunt hac ratione, *quòd in iis tum ritus externus sive symbolum, nempe vox & signum externum ac sensibile, quo Sacerdos necesse habet peccata remittere, nec non ritus externus & signa pœnitentis: tum promissio remissionis peccatorum innuatur & contineatur.* Resp. 1. Verba Christi cùm generalia sint, vi illius argumenti quælibet pœnitentia & absolutio, quæ externa ejusmodi signa & promissionem complectitur, Sacramentum erit. Ita Sacerdotes V. T. populo, Nathan Davidi, Jonas Ninevitis, Esajas Ezechiæ, Prophetæ Israëlitis, Johannes Baptista & Apostoli ante resurrectionem fidelibus, Christus paralytico & fœminæ peccatrici externo signo, verbo videlicet, post signa à pœnitentibus edita, peccata remiserunt. An igitur etiam tum administratum est peculiare pœnitentiæ sacramentum? 2. Etiam Christus Luc. XXIV. 47. jubet prædicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum. An iccirco ministerium verbi, quo externo signo & ritu & pœnitentia & remissio peccatorum prædicatur, est Sacramentum propriè dictum? 3. Neque etiam Apostoli, quibus hæc verba Christus dixit, uspiam ejusmodi sacramentum administrârunt, in quo ipsi peccatorum in aures sibi demurmuratorum, & satisfactionis vel contritionis merito expiatorũ judices se gesserint. Paulus enim Act. XXVI. 19. 20. suæ de pœnitentia doctrinæ summam recensens, processus ejusmodi judicialis haud meminit. 4. Si publicum Ecclesiæ Sacramentum his verbis institutum esset, ejus materia, seu externum sacramentale symbolum disertis etiam verbis exprimeretur. Nam ex propria institutionis sede assignari debet sacramentale signum, non generalibus, sed specialibus & disertis verbis. 5. Ex generalibus verbis Christi præter verbum absolutionis & actus pœnitentis nihil ulteriùs elicere Bellarminus potuit. At eos à ratione sacramentalium signorum alienos esse, inferiùs demonstrabimus. 6. Cúmque fideles V. T. de remissione peccatorum, absque externo aliquo symbolo in ejusmodi pœnitentiæ Sacramento, certi esse potuerint, patet quàm lubrica sit argumentatio, quòd homines, cùm sint

corpo-

Digitized by Google

corporales, non intelligant sibi esse remissa peccata, nisi per signum aliquod sacramentale. Et quid vetat, quò minùs externum illud signum sit verbum Dei, etiam extra Sacramentum prædicatum, & peccatori idoneè applicatum? Imò quid vetat, quò minùs sine externo signo, solo interno Spiritûs S motu, homo sibi remissa esse peccata intelligat? 7. In ipsa Synodo F. Ambrosius Pelargus, Electoris Trevirensis Theologus, verba illa Christi ab ullo Patrum exponi de Sacramento pœnitentiæ, negavit apud Historicum *C. T. lib. IV. p.* 316.

EXCIP. REDING: 1. *Verbis illis Christi remissionis peccatorum sub sensibili absolutionis signo potestas non cuivis fidelium, sed Sacerdotibus solis, Apostolorum successoribus commissa est. Licet autem etiam Sacerdotes & Prophetæ V. T. pœnitentiam prædicaverint, tamen iis collata non est potestas ponendi peccatorum remissionis signum practicum, remissionis ejusmodi, vi Divinæ promissionis infallibiliter effectivum. Pronuntiatio illorum erat merè speculativa, non practica.* 2. *Christus jussit prædicare pœnitentiam, quam ad remissionem peccatorum ipsemet instituit. At pro baptizatis & relapsis instituit pœnitentiam talem, in qua pœnitentibus à Sacerdotibus peccata remitterentur.* 3. *Annon Act. XIX. 18. multi confitentes venisse ad Paulum, & 2. Cor. II. 10. absolvisse ipse incestuosum dicitur?* 4. *Neque etiam Baptismum instituens Christus Matth. XXVIII. 18. ejus materiam & formam expressit. An iccirco Baptismus Sacramentum non est? Et tamen ex verbis,* quorum peccata remiseritis, &c. *materia Sacramenti hujus, peccata, ad Sacerdotis judicium mediante contritione & confessione delata, & forma ipsa elicitur.* 5. *Si Bellarminus ex verbis Christi absolutionem & actus pœnitentis elicuit, quomodo illos à ratione Sacramentalium signorum alienos esse statuis?* 6. *Potuisset Deus efficaciam remissionis non alligare signo Sacramentali. Sed aliter placuit.* Ib. pag. 436—439. Resp. Tot fidiculis opus tibi fuit, ut ex verbis Christi Sacramentum pœnitentiæ extunderes. Sed vanus profectò labor tuus est. Etenim 1. non cuivis fidelium ejusmodi potestatem remittendi peccata concessam esse, qualis concessa est Apostolis, cui ambiguum est? Sed Sacerdotes etiam & Prophetæ, Johannes Baptista, Christus, Apostoli, ante resurrectionem non fuerunt ex grege quorumvis fidelium, sed æquè, & Christus magis, Ecclesiæ præpositi. Et tamen illi credentibus, pœnitentibus remiserant peccata, eosdémque ab iis absolverunt. Sicut quibus Apostoli remiserunt peccata, iis remissa sunt: ita quibus illi, Christus inprimis, volente Deo peccata remiserunt, illorum peccata remissa sunt. In utrorumque remissione generalitas verborum Christi apparet. nec aliud tu ostendere potes. Illi, excepto Christo, remiserunt declarando, prædicando voluntatem Dei remittentis. Non aliter hi. Nam quòd Apostolis contendis datam esse potestatem ponendi remissionis peccatorum signum practicum, illius effectivum; nec ex verbis Christi probabis in æternum; & apertè id impium est. Sola enim voluntas Dei practica, seu effectiva est remissionis peccatorum. Verba verò hominum, inprimis ab iis excogitata, practica sunt, non efficiendo remissionem (solus enim Deus peccata remittit Marc. II. 7.) sed, significando. Unde Scholasticorum pater *lib. IV. d.* 18. verba illa: *Ego te absolvo*; exponit: *Ego te absolutum ostendo, declaro.* Atque eandem significandi praxin Sacerdotum, Prophetarum, Apostolorum ante resurrectionem, Johannis Baptistæ verba, vel signa quælibet absolventia æquè habuerunt. Aliâs deterior longè

 erit

Digitized by Google

erit conditio fidelium Novi, quàm fuit fidelium V. Test. Nam sub V. T. fideles se ad Deum convertentes ab eo remissionis peccati effectum immediatè consecuti essent; at nunc fideles remissionem tenerentur mendicare ab hominibus, quorum multi pessimi sunt; & quorum intentio, sine qua omne Sacramentum irritum esse declamant, prorsus incerta est. An mihi non sufficeret pœnitentia usitata in Ecclesia V. T. & ante resurrectionem Christi? 2. Non aliam certè pœnitentiam, non aliam remissionem peccatorum prædicari Christus jussit, quàm à se institutam, à se promeritam. Et illam præcones verbi prædicant. Cur igitur Sacramentum non æquè est? Imò Apostoli, Ministri Ecclesiæ remiserunt, remittúntque prædicando, quòd credentibus in Christum peccata remissa sint. Si propterea pœnitentia Sacramentum est, quia sine ea remissio non contingit: cur non etiam fides in Christum, sine qua nemini peccatum vel minimum remissum est? 3. An *confitentes* Act. XIX. 18. quicquam S. Paulo in aures insusurrarunt; peccata cum omnibus circumstantiis ei denudarunt? imò publica fuit confessio, non tam hominibus, quàm Deo facta. uti infra planum facimus. Et absolutio S. Pauli 2. Cor. II. 10. fuit non à peccatis in foro Dei, sed à censuris & pœnis Canonicis in foro Ecclesiæ. 4. Christus jubens baptizare, elementum, signum visibile, aquam instituit; interprete passim Scriptura Actor. VIII. 36. Ephes. V. 26. Et materiam hanc determinans, simul formam determinavit, significationem & obsignationem puritatis animæ, & interrogationis bonæ conscientiæ ad Deum, ib. & 1. Pet. III. 21. Nullam ejusmodi determinationem pro Sacramento Pœnitentiæ ex verbis Christi ostendere potes. Ubi enim peccata per actus pœnitentis ad tribunal sacrificuli esse materiam Sacramenti Christus dixit? Atqui & peccata jam à Deo remissa supponuntur, priusquam remissa à Ministris Ecclesiæ declarentur: & remissio peccatorum ubique in S. Scriptura non magis ab actibus pœnitentis, spuriis cumprimis illis, quos vos finxistis, quàm à fide in Christum, cujus exterior actus est confessio nominis Christi, quæ Sacramentum illud vestrum ne quidem intrat, suspenditur, & peccatorum remittendorum, vel imputandorum solus Deus judex est. Formam verò, Sacrificuli scilicet absolventis verba, quæ neque in Scriptura, neque in tota antiquitate αὐθεντικῶ reperire est; quotusquisque ex verbis Christi divinaverit? Etenim si in verbis illis, *Quorum remiseritis peccata &c.* verba illa, *Ego te absolvo*, ceu Sacramentalis forma, virtualiter saltem, uti loqui amatis, continetur, etiam in verbis annexis. *Quorum retinueritis peccata &c.* inclusa erit forma alicujus contrarii Sacramenti. Eadem enim utrobique ratio est. 5. Bellarminus elicere ex verbis Christi verba absolutionis & actus pœnitentis conatus est. Sed ut maximè elicuisset, nondum rationem propriè dicti Sacramenti à Deo instituti ea subiisse, demonstravit. Hoc autem demonstrandum potissimùm fuerat. 6. Signo Sacramentali, quod visibile esse debet, alligasse Christum remissionis efficaciam, cur denique non probas? Quid juvat inaniter garrire? Non quodvis signum Sacramentale est, sed Divinitus institutum signum visibile invisibilis gratiæ. Hoc nobis ostende, si potes; vel tace.

OBIECT. II. *Fideles justitiam in baptismo collatam non tuentur constanter. Opus igitur erat, aliud à Christo institui Sacramentum ad peccatorum remissionem pro iis, qui sese post baptismum in peccati servitutem & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur.* Ita Concilium *Cap.* 1. Resp. 1. Justitiam semel acceptam amitti haud

Digitized by Google

haud posse, ita, ut qui eam accepit, in peccati servitutem & dæmonis potestatem denuò redigatur, probatum supra dedimus. Qui verò post baptismum & justitiam in eo obsignatam inciderit in peccata, prævalente carne & humana infirmitate, cum fide & fœderis ac gratiæ Dei in baptismo obsignatæ pia recordatione & pœnitentia, qualis in Evangelio describitur, peccatorum remissionem accipere, pluribus etiam argumentis superiùs demonstratum est. 2. Neque uspiam Apostoli iis, qui post baptismum peccàrunt, aliam legem, aliud Evangelium, alium Christum, aliam fidem, aliud reconciliationis medium prædicàrunt vel applicàrunt.

Excip. Reding: *Justitiam amitti posse, & lapsos non sola fide & Baptismi recordatione restitui, supra probavimus. Apostoli autem prædicarunt pœnitentiam, quam Christus potestatem dando remittendi peccata statuit.* Ib. pag. 439. Resp. Nihil te probasse, in loco evicimus. Pœnitentiam quoque prædicarunt Apostoli, non fucatam, non Sacramentalem, non causam remissionis peccatorum; non baptizatis propriam, sed eandem baptizatis & non baptizatis; quæ præstantissima illa virtus est, per quam vita hominis emendatur, & à vitio ad virtutem revocatur. Ostende Scripturæ vel unicum textum, quo pœnitentia significet opera vestra pœnalia, quæ arbitrio Presbyterorum & Sacerdotum peccatoribus injungantur, & quo parta iis sit potestas in corpora & fortunas laicorum, ne Regibus quidem exceptis. Magna depravatio est verbi Divini, quod pœnitentiam vertitis in pœnam, & converti ad Deum vobis est supplicium: ornamentum spirituale in exercitium corporale commutatur: denique pro pœnitentia, quæ unica est, sexcentæ pœnitentiarum species substituuntur.

OBIECT. III. *Sicut fracta navi unum vitæ servandæ perfugium reliquum est, si fortè tabulam aliquam de naufragio liceat arripere, ita post amissam baptismi innocentiam, nisi quis ad pœnitentiæ tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est. Hoc sensu Hieronymus in Cap. 3. Esaja pœnitentiam vocat secundam post naufragium tabulam.* Catechismus Romanus *q. 11. cap. 5. q. 1.* Resp. 1. Inde necessitas pœnitentiæ, at non sacramentalis & Pontificiæ probari possit. 2. Fideles acceptâ semel & in Sacramentis obsignatâ justitiâ, ejus naufragium facere negamus, & contrarium in loco probavimus. Qui per tentationem excidunt sensu gratiæ ad tempus, navi semper manente integra, ad eandem reverti possunt. 3. Quo sensu Veteres pœnitentiam vocaverint *secundam post naufragium tabulam*, supra diximus.

Excip. Reding: *Ex ore Christi luculenter constat, peccata per absolutionem à Sacerdote non dimissa, retineri. Necessaria igitur est absolutio Sacerdotis, quæ ipsissima Sacramentalis pœnitentia est, secunda scilicet post naufragium tabula.* Ib. pag. 439. Resp. Peccata quævis à Sacerdote non dimissa retineri: vel dimitti peccata à Sacerdote judice Sacramentali ratione: vel pœnitenti, nedum ex humano præscripto vestro pœnitenti magis quàm credenti in Christum, remitti uspiam Christus Sancto ore suo testatus

ſtatus eſt. Quid enim? An etiam infidelium, non baptizatorum peccata à Sacerdote non remiſſa in Sacramento pœnitentiæ,retinentur? Certè quæ peccata remittunt & retinent Miniſtri Eccleſiæ ex præſcripto Chriſti,illa remittuntur retinentúrque. Non iccirco quæ non remittunt,non retinent,nullo modo remitti vel retineri ſequitur. Non enim miniſtris remiſſionem vel retentionem Chriſtus Dominus alligavit. Alias dicendum fuerat: *Quæ peccata non remiſeritis, non retinueritis, non remiſſa,non retenta erunt.* Superciliosi nimiùm eſtis Sacrificuli, & non tantùm poteſtatis remittendi peccata ſenſum nefariè,ad avaritiæ & ambitionis veſtræ ſtabilimentum pervertitis,ſed etiam ejus fimbrias nimium nimiúmque dilatatis; vobis,ſed non aliis judicibus,maximi.

OBIECT. IV. *Pœnitentia tollit omnia peccata. Ergo aquè Sacramentum eſt ac baptiſmus,qui etiam omnia peccat tollit.* Reſp. Pœnitentia tollit omnia peccata non *efficienter*,quod ſoli Dei gratiæ convenit,nec *ſignificativè*,quod Sacramentorum eſt: ſed *formaliter*,quia inchoata in nobis pœnitentia per gratiam Dei ex malis mutat in bonos,haud ſecus ac reliquæ virtutes tollunt vitia ſibi oppoſita,quæ non iccirco ſacramentis adnumerantur.

EXCIP. REDING: *Licet pœnitentiæ formalis honeſtas reparet malitiam creatæ virtutis morali honeſtati oppoſitam; tamen non eſt ſufficiens ad reparandam condignè malitiam, qua Divina Majeſtas læditur, quia jus Divinæ Majeſtatis nullo puræ creaturæ actu adæquabile eſt. Talis ergo ad remiſſionem peccatorum pœnitentia requiritur, cui ex Divina ordinatione annexa ſit meritorum Chriſti condignitas. quæ nonniſi Sacramentalis eſſe poteſt.* Ib. pag.440.441. Nec ſic reſponſioni meæ ſatisfacis: nec ſolidi quicquam pronuntias. Nam nec pœnitentiæ formalis honeſtas malitiam ei oppoſitam reparat, ſed tantùm ex malis in bonos commutat, ſolo interim ſanguine Chriſti malitiam peccati reparante & expiante: nec pœnitentia hominis, qualiſcunque ea ſtatuatur, læſæ Divinæ per peccatum Majeſtati ſatisfacere,vel juri Divinæ Majeſtatis adæquari poteſt. Sive enim ea ſpectetur,ut virtus eſt,actus hominis finitus infinito reatui tollendo nunquam ſufficit: ſive ut Sacramentum (quanquam id falsò ſupponitur)gratia remiſſionis foret poſterior,quia Sacramenta omnia gratiam jam collatam ſignificant & obſignant. Neque ullum Sacramentum, quâ ſignum viſibile inviſibilis gratiæ eſt, ejuſmodi condignitatem cum gratia,vel infinitum etiam valorem obtinet; ſive principali, ſive inſtrumentali effectiva virtute,uti ſupra oſtendimus. Quod ſoli gratiæ & merito Chriſti, acceptum referendum eſt, tu nunquam non alienis cauſis acceptum referre,atque ſic gratiæ & divitiarum Dei gloriam alienare ſtudes.

OBIECT. V. *Pœnitentiam etiam Patres tanquam Sacramentum commendant. Alii enim remiſſionem peccatorum aſſignant pœnitentiæ. Alii effitaciam pœnitentiæ Deo tribuunt. Alii pœnitentiam cum baptiſmo, aliiſque Sacramentis comparant,veluti Tertullianus de pœnit. Auguſtinus Enchirid. 65.66. Cyprianus de ablut. pedum,Ambroſius de pœnit. lib. I.7. Hieronymus lib. I.contra Pelag. Alii eam annumerant Sacramentis,ut Auguſtinus Epiſt. 180. & de Bapt. cap.20. Victor Uticenſis de Perſecut. Vandalica lib.2. Alii pœnitentiæ adſcribunt nomen Sacramenti,ut Ambroſius ſerm. 66. & de pœnit. lib. II. 3. Chryſoſtom. de Sacerdotio III. Greg. Nyſſ. de vita Moſis.* Reſp. 1. Per pœnitentiam

remitti

remitti peccata, ſive ea privata ſint, ſive publica & eccleſiaſtica : ejúsque efficaciam eſſe à Deo fatemur. Sed propterea Sacramentum eſſe negamus. 2. Patres, qui pœnitentiæ meminerunt, nuſpiam Papiſticam illam intelligunt, ſed vel privatam, quâ virtus eſt, vel publicam, poſtquam in publica non privata abſolutione peccata remittebantur. Ab hac autem ad ſecretam illam abſolutionem perperam argumentum trahi, etiam M. Canus *Relect. de pœnit. part. 6. quaſt. de mutis &c.* obſervat. 3. Pœnitentia cum baptiſmo comparatur ſubinde à Patribus, non in tota Sacramenti ratione, ſed in parte, quæ locum habere poteſt etiam extra Sacramentum, velut in remiſſione peccatorum, quæ aliis etiam modis, ſola nempe Dei gratia, fide, charitate &c. diverſo tamen ſenſu fieri poteſt. Ita Chryſoſtomus l. c. monet, Sacerdotes *non tantùm nos regenerare*, in baptiſmo nempe, ſed etiam *τὰ μετὰ ταῦτα συγχωρεῖν ἔχειν ἐξουσίαν ἁμαρτήματα poſtea facultatem obtinere condonandorum peccatorum.* At id eos facere in Sacramento pœnitentiæ, nec ipſe, nec alii docent. 4. Patres locis citatis Sacramenta nec numerant, nec definiunt, ſed aliud agentes [sic: agentcs], & occaſione captata, nominum farraginem contexunt. Sanè Auguſtinus etiam *conſolationem*, Victor Uticenſis *ſepulturæ officium* connumerant, quarum neutra Sacramentum eſt. Neque inſolens eſſe Patribus, propriè & impropriè dicta Sacramenta unâ communi Sacramentorum appellatione complecti, ex Hieronymo, Auguſtino, & Tertulliano, Forbeſius *Inſtruct.* lib. IX. 5. probat. 5. Neque etiam Sacramentum, proprii videlicet nominis, pœnitentiam diſertis verbis appellant, ſed vel ad Euchariſtiam reſpiciunt, ut Ambroſius, vel potiùs Maximus : vel Sacramentum latè ſumptum, ut Auguſtinus l. c. ubi etiam Evangelium eo nomine inſignit : vel *μυστήριον, myſterium,* ut Gregorius Nyſſenus, cujus interpres Trapezuntius id reddidit *Sacramentum.* Sed quot ſunt, quæ Patribus nomine myſterii veniunt? Plura de Patrum ſententia videſis apud Forbeſium loco citato, ubi contra Hardingum diſputat.

EXCIP. REDING : 1. *Efficacia pœnitentiæ privatæ ad remiſſionem peccatorum, unde eſt niſi ab abſolutione Divinitus inſtituta ? 2. Patres præter publicam abſolutionem Eccleſiaſtico duntaxat canone conſtitutam, ſecretæ, quæ ſola juris Divini eſt, paſſim meminerunt. Chryſoſtomus, enim de Sacerd. lib. III. pœnitentiam cum Baptiſmo comparat, ſed in parte duntaxat, nempe peccatorum remiſſione. Diſtinguit enim inter poteſtatem regenerandi & peccata condonandi. Sicut ergo ſigno Baptiſmi Sacerdos regenerat : ſic Pœnitentiæ ſigno peccata condonat. 2. Tertullianus quoque lib. de Pœnit. Baptiſmum cum pœnitentia ſecunda comparat, & hanc alibi confeſſione & abſolutione fieri aſſerit. Hieronymus lib. I. contra Pelag. Pœnitentiam ait imitari gratiam Baptiſmatis, quia in utroque ſanguis Chriſti à peccatis purificet. Et Epiſt. 1. ad Heliod. Pœnitentiam illam fieri per Sacerdotes, qui claves Regni Cœlorum habentes quodammodo ante diem judicii judicent, docet. Auguſtinus Epiſt. 180. ad Honorat. Pœnitentiæ æquè ac Baptiſmi effectum facit*

Digitized by Google

consolationem. Et Baptismi ac pœnitentiæ actiones Sacramentorum confessionem & erogationem vocat. Sed & de Bapt. lib. V. 20. impositionem manuum, sacerdotali absolutione perficiendam, Sacramentis Baptismi & Eucharistiæ comparat. Denique Victor Utiensis de Persecut. Vandal. lib. II. agnoscit Pœnitentiæ munus, quo ex potestate à Christo concessa Sacerdotes peccata remittant. 3. Neque de Sacramento impropriè sic dicto loquuntur Patres. Nam Ambros. de Pœnit. lib I. 7. Pœnitentiam cum Baptismo comparat in eo, quòd utrobique Sacerdos potestatem habeat peccata remittendi. Et lib. II. 6. confessionem ad pœnitentiam eam requirit, eámque criminum nexus solvere dicit. Augustinus verò de Baptismo lib. V. 20. cum Baptismo, Eucharistia & Pœnitentia jungit Evangelium, quia in Evangelio dictum, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur. Denique Gregorius Nyssenus Epist ad Mytilenens. cap. 1. Baptismum cum Pœnitentia comparat in eo, quòd peccata per Confessionem ad Sacerdotes delata eatenus tollantur, ut confitentes manu Sacerdotis ad vitam ducantur. Ib. pag 442-444. Resp. Videamus, an ingens ille sudor tuus valetudinis, an potiùs morbi tui deplorati indicium præbeat. Etenim 1. Efficacia pœnitentiæ privatæ (quamvis non de privata pœnitentia, sed de privatis peccatis responsio mea loquitur) ad remissionem peccatorum est à sanguine Christi, qui solus vera fide apprehensus ab omnibus peccatis purificat. Atque eodem, non aliò, Minister Ecclesiæ peccata remittens, pœnitentem remittit. 2. Invertis planè ordinem. Pœnitentia enim externa antiquitus recepta, & quoad potestatem absolvendi non in Ecclesiastico, sed in Divino foro, in potestate scilicet remittendi à Christo Apostolis concessa, & jure ipso clavium, à S. Patribus fundata, publica tantùm, non privata fuit; imò verò cum publica etiam peccati manifestatione, si occultum esset, & peccator clavium beneficio frui vellet; postea verò cum secreta peccati occulti manifestatione, sed publica pœnitentiæ defunctione; demum etiam cum privata in criminibus occultis pœnitentiæ defunctione, quam primus Leo M. *Epist. 86.* stabilivit; manente quoad publica & notoria crimina pœnitentia publica, donec & illa à Pontificibus cum secreta auriculari, hominum non excommunicatorum, Regni Pontificii nervo, communicata est. Quicquid ergo S. Patres de Pœnitentia externa loquuntur, illud omne ad publicam, non aliam referendum. quod etiam M. Antonius de Dominis *de Rep. Eccl. lib V. 7.* fusè demonstravit. Nihil proin ex dictis Patrum spuriæ & degeneri pœnitentiæ vestræ seritur vel metitur. Sed perpendamus tamen glossas tuas. Chrysostomus nec pœnitentiæ, nedum privatæ vestræ, meminit, nec potestatem condonandi peccata in Sacramento fieri, ullo apice meminit. Neque sanè si regenerant Sacerdotes baptizando, sequitur, id omne, quod post baptismum faciunt, Sacramenti propriè dicti rationem habere. Citiùs ergo ex pumice aquam, quàm ex Chrysostomi verbis illis Sacramentum pœnitentiæ elicueris. Esto enim, signo quodam peccata Sacerdotes condonent. At non quodvis signum Sacramentale est. Tertullianus *lib. de Pœnit.* Baptismo succenturiat *Pœnitentiam secundam.* sed ut Sacramentum propriè dictum succenturiare, nunquam probabis. *Obstructa,* inquit, *intinctionis sera* (per interdictum puta iterandi Baptismi) *aliquid adhuc permisit patere; Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Planè ad Sacramenti rationem non respexit. Cur enim alias Eucharistiam, Sacramentum indubium, non memorasset? Ejus verò de confessione & absolutione sententiam alibi discutimus. Quo etiam modo pœnitentia imitetur Baptismum, Hieronymus clarè expressit; non in Sacramentali ratione, sed quòd *utrobique sanguis Jesu mundet à peccatis.* Atqui etiam, & propriè magis, in fide, utpote apprehendente Christum, Sanguis Jesu mundat

mundat à peccatis. An ideo fides etiam Sacramentum eſt? Quo verò ſenſu idem Hieronymus Epiſt. 1. ad Heliod. Sacerdotes ante diem judicii judicare dixerit, ejuſdem *in Matth.16.* verba inferiùs vindicanda,arguunt. Auguſtinus *Epiſt.180. ad Honoratum*, in periculorum extremis *alios flagitare Baptiſmum, alios reconciliationem, alios pœnitentiæ ipſius actionem, omnes conſolationem,& Sacramentorum confectionem & erogationem*, ſcribit. Si verba ea evincunt, Pœnitentiam eſſe Sacramentum propriè dictum, etiam *reconciliationem* & *conſolationem* à pœnitentia diſtinctum Sacramentum propriè dictum eſſe, conſequitur. Nam differentiæ ex Auguſtino ratio nulla apparet. Quid verò *impoſitionem manuum*,qua idem reconciliari peccatores ſtatuit, nobis memoras? Apud vos enim ritus ille à pœnitentium abſolutione prorſus exulat. Denique Victor Uticenſis,inquis, *agnoſcit pœnitentiæ munus, quo ex poteſtate à Chriſto conceſſa Sacerdotes peccata remittant.* Quid hoc ad rem? Nec de pœnitentia veſtra ſecreta,nec de Sacramentali loquitur. 3. Ambroſii *lib.1. de Pœnit. cap.7.* verba ſunt: *Cur baptizatis, ſi per hominem peccata dimitti non licet? In baptiſmo utique remiſſio peccatorum omnium eſt. Quid intereſt,an per pœnitentiam,an per lavacrum hoc jus ſibi datum Sacerdotes vendicent? Unum in utroque myſterium eſt. Sed dices,quia in lavacro operatur myſteriorum gratia, quid in pœnitentia? Nonne nomen Dei operatur?* Ex quibus verbis promptius collectu eſt, pœnitentiam non eſſe Sacramentum. Alioqui apertè reſpondiſſet, etiam in ea myſteriorum gratiam operari. Quòd autem pœnitentiam videtur appellare *myſterium*, id ſignificatione generaliore accipiendum eſt. Aliàs Latinus ſcriptor Ambroſius, cui Sacramenti nomen familiare eſt, quique opus de Sacramentis peculiare confecit, alicubi pœnitentiam Sacramentum vocaſſet. quod nunquam ille fecit.Idem *confeſſione ſolvi nexus criminum*,ſcribit *lib.II.6.* Sed qua confeſſione? Nam & Deo confeſſio fit; & manifeſtè Ambroſius ad 1. Joh.I. 9. alludit. Auguſtinus *de Baptiſmo lib.V. 20.* ne quidem pœnitentiæ meminit, ſed Baptiſmi, olei, Euchariſtiæ, impoſitionis manuum,quæ conjungit non ut Sacramenta, ſed ut talia, *ſuper quæ exaudiat Deus homicidam deprecantem.* Denique Gregorius Nyſſenus *Epiſt. Can. ad Epiſcopum Mytilenenſ. cap.1.* peccatores *per pœnitentiam & confeſſionem à mortuis operibus ad viventem vitam aſcendere* ſcribit. Quomodo confeſſionem à pœnitentia diſtinguit, ſi illa hujus pars materialis eſt? Et vel *confeſſionem* vel *pœnitentiam* veſtram Sacramentalem privatam ab eo intelligi, proba. Profectò alia longè tibi quercus excutienda eſt,ſi vel modicè ſapienti perſuadere volueris, doctrinam de Pœnitentia à Conciliabulis veſtris Florentino & Tridentino definitam, piæ antiquitati receptam fuiſſe. Nam quæ hic attuliſti Patrum dicta, quibus tu lucem nequicquam fœnerari conatus es, ne equuleo quidem omnium Sophiſmatum veſtrorum impoſita,tale quicquam fatebuntur.

OBJECT. VI. *Qui veram & judiciariam in Sacramento pœnitentiæ remittendi peccata poteſtatem negant,hæreſin Novatianorum & Montaniſtarum reſuſcitant. Ita Concilium.* Reſp. Montani & Novatianorum hæreſis erat, uti Alphonſus de Caſtro *lib. IX. adverſus hæreticos* loquitur,*eos qui ſemel poſt baptiſmum lapſi ſunt, nunquam poſtea conſequi remiſſionem peccatorum.* At Proteſtantes,teſte Bellarmino *lib. III. de Juſtificat*,docent. *in Chriſtianis poſt baptiſmum requiri fidem & pœnitentiam,ut juſtificentur, & remiſſionem conſequantur.* Proinde etiam Gregorius de Valentia *de nom. Sacrament. cap. 4.* fatetur,*nos admittere rem ipſam poſt*

Digitized by Google

baptismum, idque toties, quoties contigerit in peccatum labi. Praxis etiam nostra, quâ gravissimos etiam peccatores pœnitentiæ signa proferentes, ad Sacramentorum participationem admittimus, nos satis superque ab objecta hæresi purgat.

EXCIP. REDING: *Novatiani, Eusebio lib. VI. 39. teste negarunt, in Ecclesia ullum jus ac potestatem esse reconciliandi peccatores. Id ipsum vos quoque negatis.* Ib. pag. 444. Resp. Quis nostrûm hoc negavit? Cedò tabulas. Debuisti hoc fingere, ut integrum tibi esset adversus responsionem meam hiscere. Manifestissimæ & pudendæ calumniæ rei estis. Quæstio enim nostra est, an *Pœnitentia sit Sacramentum?* Nunquam hoc Novatiani vel affirmarunt, vel negarunt. Neque à quoquam veterum, quòd id negassent, accusati sunt.

OBIECT. VII. *Etiam Augustanæ Confessionis Apologia tit. de numero & usu sacramentorum, pœnitentiam sacramentis accenset.* Resp. 1. At nuspiam verbum Dei. 2. Apologia accenset non pœnitentiam, sed absolutionem Sacramentis *propriè*, non *propriissimè* dictis, respectu finis, quem cum reliquis sacramentis communem habet, qui est nostræ de remissione peccatorum fidei confirmatio. Quo sensu ajt, *Sacramentum* dici posse, quicquid mandato & promissione gratiæ nititur. Sed Tridentini statuunt, verbum absolutionis vim sacramentalem conferre actionibus hominis pœnitentis, ut ad remissionem peccatorum promerendam effectivè concurrant, & una cum absolutione integrum sacramentum constituant, quod & Confessionis & Apologiæ authoribus ne in mentem quidem venit.

EXCIP. REDING: *Concilium Tridentinum non dicit, actus pœnitentis ex opere operantis, id est, ex valore, quem habent ex pœnitente quâ per gratiam etiam operante, ad peccatorum remissionem condignè promerendam, vel effectivè producendam valere.* Ib. pag. 444. 445. Resp. Quid hoc ad rem? Ut mutires scilicet, aliquid dicere debuisti. Ostende Tridentinas in Apologia Confessionis Augustanæ hypotheses: vel consensum ejus jactare desine.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

An ad integram & perfectam remißionem peccatorum requirantur tres actus in pœnitente, quasi materia illius sacramenti, videlicet Contritio, Confeßio & satisfactio?

AFfirmat Caput III. & Canon IV. & per contritionem intelligit dolorem voluntariè assumptum pro peccatis, per Confessionem specialem enumerationem peccatorum mortalium, per satisfactionem pœnam à Sacerdote injunctam. Hosce pœnitentis actus, excluso Christo & fide in ipsum, non materiam simpliciter, sed timidiusculé *quasi materiam* nuncupat Synodus, cujus videlicet merito accedat absolutio & peccatorum remissio. Nos negamus.

ARG. I. Contritio, confessio, satisfactio Papisticè definita, non sunt partes salutaris pœnitentiæ, uti infra probabitur.

RESP. REDING: 1. *Infra ea de re videbimus.* 2. *Discutiendum interim, quòd asseris, Tridentinos eos pœnitentiæ actus, excluso Christo & fide in ipsum, timidiusculè quasi materiam nuncupasse. An ergo cùm S. Johannes cap. 1. 14. Christum vocat quasi unigenitum, timidiusculè unigenitum vocavit? Non aliud sibi Concilium vult, quàm actus eos pœnitentis sic esse partes hujus Sacramenti, ut tamen suam in esse Sacramenti, perfectionem ex forma absolutionis accipiant. Sed & Concilium idem Sess. VI. cap. 6 disertè decernit, contritionem niti fide in Christum. Contritionem etiam docemus non ex merito suo, sed ex Christi meritorum opere operato conferre gratiam. Imposturæ igitur reus es.* Tomo II. Tract. VII. sz. 2. pag. 445. 446. Resp. 1. Nos quoque infra vestigia tua Σ. Θ. prememus & opprimemus. 2. Et timiditatem, & impietatem venerandorum Patrum tuorum vanissimo prætextu amoliri conaris. Nam Christi gloriam se vidisse, *ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς tanquam unigeniti à Patre,* Johannes cap. I. 14. testatur. ubi vocula *ὡς tanquam*, non similitudinem (quomodo *quasi* reddi posset) sed veritatem & certitudinem rei notat. Quomodo etiam Hebræorum *Caph* Num. XI. 1. Nehem. VII. 2. Joh. XXIV. 14. Hos. IV. 4. & ipsa vocula *ὡς* Matth. XIV. 5. Luc. XXII. 44. Rom. IX. 32. accipitur. Quod hic Chrysostomus & alii Græci vocant *ὡς ἀληθῶς*, & Hebræi כף לאמיתה An eodem sensu Tridentini *quasi materiam* nuncuparunt? Atqui tu ipse id negas, asserens, ita vocasse, quia materiæ in esse Sacramenti perfectionem ab absolutione habeant. Ergo non est verè materia Sacramenti, nisi absolutione accedente & informante. quasi verò ulla materia esse suum materiale à forma habeat, à qua tamen essentialiter distinguitur. Ergo *quasi materiam* Patres tui vocarunt, quia nihil in hoc

Digitized by Google

Sacramento invenerunt, quod verè & propriè ejus materia appellari posset. Infeliciùs adhuc excusas impietatem, qua Tridentinos excluso Christo & fide in ipsum pœnitentiæ materiam definivisse dixi. Nam Sess. VI.6. non loqui eos de pœnitentia postbaptismali, quam solam sacramentalem facitis, ipsemet fateris; & res ipsa loquitur, cùm dispositiones justificationi prævias ibi recensere instituerint. Non ergo imposturæ ullius reus ego sum: sed tu infelix Patrum tuorum hyperaspistes. De contritionis merito infra.

ARG. II. Materia Sacramenti oportet Verbo Dei sit determinata. At verbum Dei nusquam determinavit, hosce actus pœnitentis esse quasi materiam sacramenti.

RESP. REDING: *Christus Joh.XX.23. dicens* Quorum remiseritis peccata &c. *innuit, peccata per contritionem ad Sacerdotes esse deferenda, in ordine ad remissionem, seu absolutionem.* Ib.p.446. Resp. Nec materiam, nec formam Sacramenti vestri verbis his Christi determinatam esse, supra *Quæst.*1. *Resp. ad Object.*1. ostendimus.

ARG. III. Materia sacramenti est quiddam, quod à ministro applicatur recipienti. At actus illi pœnitenti non applicantur.

RESP. REDING: 1. *An in benedictione seu consecratione Eucharistica materia ejus recipienti applicatur?* 2. *In Sacramento Pœnitentiæ actus pœnitentis secundum se permanent quidem in pœnitente: quoad vim tamen Sacramentalem etiam applicantur recipienti.* Ib. pag. 446. Resp. 1. Non in benedictione, sed in panis jam benedicti & consecrati distributione materia recipienti applicatur. 2. Actus pœnitentis materia Sacramenti esse debent ante informationem per verba absolutionis, per quam ad esse Sacramenti eos elevari perperam asseris. Nam verbum ad elementum accedens facit Sacramentum, non forma materiæ opposita. Si ergo actus pœnitentis sunt materia Sacramenti, Sacramentalis materia sunt per verbum institutionis. Atqui qua tales à Sacerdote recipienti neutiquam applicantur. Peraguntur enim à peccatore pœnitente, non à Sacerdote. Peccator conteritur, confitetur, satisfacit. Nullæ hic sunt Sacerdotis partes. Imò & contritio ignoratur à Sacerdote, Satisfactio verò fit à Sacerdote non conscio, & ignorante, an peccator absolutus ritè jussa obeat. Mirificum sanè Sacramentum, cujus quarta tantùm pars confertur à Sacerdote, cœtera fiunt à peccatore pœnitente, qui ipse sibi hoc Sacramentum administrat.

ARG. IV. Materia Sacramenti est res aliqua naturalis, seu elementum. At pœnitentis actus sunt res voluntaria & artificiosa.

RESP. REDING: *Etiam Baptismi materia proxima, ablutio, est voluntaria. Eadem ratione pœnitentiæ materia proxima possunt esse actus voluntarii.* Ib. pag. 446. Resp. O chimæras tuas! Quis unquam actionem administrantis, seu materiam subjecto applicantis, qualis est ablutio in Baptismo; & multò magis, quis unquam actus Sacramentum recipientis, cujusmodi sunt pœnitentis actus, Sacramenti materiam dixit? Quò erroris desperatio errantes abripit?

ARG. V. Materia sacramenti significat gratiam per similitudinem. At actus pœnitentis non habent similitudinem ad gratiam. Spectantur enim vel

Digitized by Google

vel ut interni,& ſic non cadunt in ſenſus,adeóque illam analogiam non habent,qua gratia ſignificatur: vel ut externi, puta verba confitentis, ſigna contriti; & ſic non ſignificant gratiam,ſed internum affectum animi, nec quidquam ſimile in verbis apparet cum gratia.

RESP. REDING: *Utique Prophetæ paſſim converſioni ſeu pœnitentiæ promittunt vitam & ſalutem. Eſt ergo analogia inter eam & gratiam; non quidem ſub ratione condignæ ad peccati remiſſionem proportionis, ſed congruentiæ ac diſpoſitionis ad eam. Si enim Divinæ virtutis efficaciam in Baptiſmo naturali per aquam ablutioni imprimere potuit rationem analogiæ reſpectu gratiæ: multò magis confeſſioni per contritionem formatæ imprimere potuit. Quæ quidem analogia in Sacramento externa eſt,dum & contritio per confeſſionem redditur ſenſibilis, & per externam abſolutionem,ceu formam, ad eſſe Sacramenti elevatur.* Ib. pag.446.447. Reſp. Verborum inanium ſtrepitum audio, nihil præterea. In omni Sacramento eſt analogia inter ſignum,ſeu elementum quod verbo accedente Sacramentum fit, & rem ſigno eo ſignificatam. Ita aquæ & gratiæ ſimilitudo eſt in mundatione,purificatione: panis ac vini nec non corporis & ſanguinis Chriſti in nutritione. At hic ne quidem elementum ejuſmodi Sacramentale eſt. Qualis ergo analogia? Fruſtra enim pœnitentis actus cum vita & ſalute ex iis conſequente comparas, quia nulla ibi eſt ſigni elementaris & rei ſignatæ proportio; ſed antecedentis tantùm & conſequentis nexus. Speciebus omnibus tota eſſentia generis convenit: ac proin in natura illa inter ſe ſimiles ſunt. Communis autem natura Sacramenti non in qualicunque nexu,ſed in materia inprimis & forma conſiſtit. Analogia ergo in materia etiam, puta externa & interna oſtendi debet. Et numquid nexus ille inter actus pœnitentis etiam ad ſenſus manifeſtatos, & gratiam, etiam extra Sacramentum obtinere poteſt? Nam ibi quoque confeſſio Deo & homini, quin & ipſa abſolutio per verba fieri poteſt. imò in V. Teſt. facta eſt. Præterea ſi omnes actus externi,quibus gratia promittitur,ſunt Sacramenta; congregari in nomine Chriſti habet promiſſionem gratiæ Chriſti, Matth. XVIII.20. Confiteri Chriſtum coram hominibus, habet effectum, promiſſionem confeſſionis reciprocæ ipſius Chriſti coram Deo, ib. cap.X.32. Relinquere patrem & matrem promiſſionem centupli, & vitæ æternæ, ib. XIX.29. Atque ſic innumera Sacramenta nullo negotio cudi poſſent. Accedunt rationes, quibus actus pœnitentis analogiam illam ſuſtinere non poſſe,probavi. quibus nihil reſpondere potuiſti.

ARG. VI. Materia Sacramenti miniſtro eſt nota, quo ſic Sacramentum conficere poſſit. At contritionem & confeſſionem ſinceram & ſeriam non cognoſcit.

RESP. REDING: *An miniſter Baptiſmi cæcus, vel in tenebris conſtitutus, aquam cognoſcit? Annon illi ſufficit cognitio materiæ ex auditu? Sic in pœnitentia quoque contritionis & confeſſionis ſeriæ notitia ex auditu per pœnitentis ſeriam conſtitutionem ſufficit.* Ib. pag. 447. Reſp. Apud nos nec cœci, nec in tenebris conſtituti baptizant. Quid apud vos in tenebris ſedentes fiat,neſcio. De cœtero aqua non ſolo viſu,ſed aliis etiam ſenſibus dijudicari poteſt. At vera pœnitentia nec animo nec externis ſenſibus comprehendi certò poteſt,quia exteriores ejus actus in ſenſus incurrentes piis & hypocritis communes eſſe poſſunt. Et num quid, Redingi, ſuſtinere potes, omnes, quos abſolviſti toto Sacerdotii

Digitized by Google

cerdotii tui tempore, verè pœnitentiam egisse? Novi certè nonnullos, de quibus id vix affirmares.

ARG. VII. Materia hæc pœnitentiæ humana opera non tantùm ut merita, sed, quod majus est, ut Sacramentum proponit ad remissionem peccatorum impetrandam. Humanis igitur operibus quædam tribuitur divinitas.

RESP. REDING: *Non Divinitas, sed ex Divinitate profluens instrumentariæ virtutis participatio, pœnitentiæ æquè ac ablutioni Baptismatis, in humano etiam opere consistenti, tribuitur.* Ib. pag. 447. Resp. At ablutio in Baptismo non ut humanum opus, sed ratione rei significatæ per eandem, salvat. Contra pœnitentis actus externi interiorem pœnitentiam, non aliud, significare possunt. Interior igitur pœnitentia Divina virtute, Sacramentalibus actibus significata, salvabit.

ARG. VIII. Tres illæ partes etiam ab hypocritis expleri possunt. Ita Judas μεταμεληθεὶς *contritionem* suam ostendit signo, *confessus* est peccatum, *satisfecit* restituto proditionis pretio, Matth. XXVII. 5. 6. Ac postea expletâ ejusmodi pœnitentiâ se suspendit.

RESP. REDING: *Si vera fuisset Judæ pœnitentia, justificationem ipsi attulisset. Atqui ille per desperationem peccati se fassus reum est, neque restituto pretio satisfecit, sed se ipsum suspendit.* Ib. pag. 447. Resp. Veram fuisse, non dixi. Sed tamen fuit μεταμέλεια *pœnitentia*; & exterioribus etiam actibus talibus, quales vos materiam Sacramenti esse sciscitis, & qualibus absolutionem impartiri haud difficulter soletis, testata. Non fuit salutaris. Sed nec salutaris etiam est pœnitentia vestrorum quævis, actibus exterioribus contritionis, & confessionis, utpote fallibilibus, testata. Imò mos vobis est etiam ante satisfactionem absolvere. Judas verò utcunque satisfecit, adeóque ad absolutionem plus juris, quàm vestri pœnitentes, habuit.

ARG. IX. In Concilio Theologi Colonienses petierunt certo aliquo signo externo materiam hujus Sacramenti manifestari: Alioqui objectiones adversariorum satis commodè dilui non posse.

RESP. REDING: *Suaviana hæc impostura est. Sicut autem forma Baptismi sub signo moraliter certo: sic contritio & confessio pœnitentis sub illis signis moraliter certis facta, ad Sacramenti valorem sufficit.* Ib. pag. 447. 448. Resp. Quo verò argumento Suavem imposturæ convincis? Nullo. Satis tibi est, Suavem scripsisse aliquid, quod causam tuam affligat. Non eandem certitudinis materiæ in Baptismo & fictitia pœnitentia vestra rationem esse, jam supra etiam ostendimus.

ARG. X. Inter adversarios maximus est de materia Sacramenti dissensus. In Concilio Franciscani, allegantes consensum Scholæ Parisiensis, negârunt, tres illos pœnitentis actus esse pœnitentiæ materiam. Etiam Alexander Alensis *p. 4. q. 16. m. 1. a. 1.* disertis verbis negat, has esse partes pœni-

Digitized by Google

pœnitentiæ virtutis, aut actus ab ea elicitos. Et Bellarminus ipse *cap. 19.* fatetur, extra Sacramentum aliquando solam contritionem interiorem sufficere ad salutem. Istæ igitur non sunt partes absolutè necessariæ, ut peccator coram Deo in gratiam redire possit. Durandus in 4. *dist. 16. q. 1.* negat planè, satisfactionem & contritionem esse hujus Sacramenti partes, hoc inter alia argumento, quòd Sacramentum non sit totum successivum, sed permanens, quod suas partes simul habere debeat: satisfactio verò posterior sit contritione, confessione, imò & absolutione. Solam igitur *confessionem* facit materiam hujus Sacramenti. *Contritionem* ajt esse dispositionem, *satisfactionem* fructum. Alii peccata, alii gesticulationes sacerdotis, alii gesticulationes confitentis materiam hujus sacramenti faciunt. Perronius nuper post Scotum, súsque déque habitâ Concilii hujus definitione, absolutionem τὸ πᾶν esse voluit.

RESP. REDING: 1. *Alensis par. IV. q. 60. rectitudinem virtutis agnoscit etiam in Sacramento pœnitentiæ, & contritionem, confessionis & satisfactionis causam, eatenus perfici ait per confessionem Sacerdoti factam, ut inde efficaciam Sacramenti accipiat* 2. *Contritio perfecta, seu per charitatem formata, habens inclusum votum Sacramenti, etiam extra Sacramentum justificat. Necessaria ergo est confessio Sacramentalis vel in re, vel in voto. Hoc sensu Bellarminus, aliique intelligendi sunt.* 3. *Durandus loquitur de confessione non informi, sed per contritionem formata.* 4. *Calumnia est, quòd Perronius, Scotum scilicet secutus, definitionem Tridentinam susque deque habuerit, essentiam hujus Sacramenti in absolutione constituendo. Scotus enim licet essentiam Sacramenti in absolutione constituerit, ad ejus tamen valorem & integritatem contritionem, confessionem, satisfactionem etiam requirit. Unde Hicquæus Scoti sententiam sic explicat, ut dicat, actus pœnitentis esse materiam hujus Sacramenti in obliquo.* Ib. pag. 448. 449. Resp. Difficile equidem est credere iis, qui ipsi sibi non credunt, & orsa à se retexunt. Tales in hoc argumento vestri sunt. Si tamen omnes, quod tu magnus Palæmon contendis, in re consentiunt, cur ita labiis distrahuntur? Annon vel hinc Babylonicam confusionem vestram sentis? Sed singula lustremus. 1. Alexander Alensis *p IV. q. 9. memb. 2. Ss. 1.* ait, pœnitentiam, ordinem & matrimonium esse quidem novæ legis, quia in illa sint approbata; sed non esse in nova lege hæc instituta Sacramenta. Et *q. 16. m. 1. a. 1.* negat, actus pœnitentis controversos esse partes pœnitentiæ virtutis, aut actus ab ea elicitos. Aliter tamen docere eum paulò post *q. 14. membro 1. art. 2. Ss. 4. & a. 3.* non dissimulo. Ita enim errantes sibi parum constant. 2. Felicia vota vestra, quæ sic rem consequuntur! Sed necessitatem vel rei, vel voti, vel efficaciam voti idonea ratione probare debuisti. 3. Durandum vel non legisti, vel studio pervertis. Is enim *in 4. Sent. dist. 14. q. 3.* sic scribit: *Pœnitentia accepta pro habitu vel actu, quo detestamur peccatum à nobis commissum, est virtus vel actus virtutis, nec est Sacramentum. Alio modo accipitur pœnitentia pro actibus exterioribus, qui sunt inter pœnitentem & absolventem, qui actus sunt confessio & absolutio. Et pœnitentia sic accepta est Sacramentum. Hoc Sacramentum magis propriè dicitur Sacramentum confessionis & absolutionis, quàm pœnitentiæ, quia in confessione & absolutione constat hoc Sacramentum, tanquam in sua materia & forma.* Ubi confessio-

 nis

nis per contritionem formatæ meminit? Tuum hoc est somnium. Ubi satisfactionis? 4. De Perronio non calumnia mea est, sed impudentia tua negantis. In scripto enim Regi Angliæ opposito non tantùm confessionem partem esse Pœnitentiæ negat, sed etiam totius Sacramenti rationem in sola absolutione collocat. Testis etiam Horantius. *secundum aliquos ipsam Sacerdotalem absolutionem esse totam rationem Sacramenti.* Et *ii non distinguunt*, inquit Bellarminus, *materiam à forma.* Dux ita sentiendi Scotus sic *dist.* 14. pœnitentiam Sacramentum definit: *Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis à Sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione Divina efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccato.* Postea in *dist.* 15. *Dico*, inquit, *quòd ista tria*, contritio, confessio, satisfactio, *nullo modo sint partes ejus*, pœnitentiæ. Non ergo putavit ille pœnitentiæ materiam in illis constitui; vel te ipso judice, protervè licet calumniæ diram mihi impingente. Nam essentiam in sola absolutione eum constituisse, fateris: Est autem etiam materia pars constituens essentiam. Non ergo actus pœnitentis materiam Sacramenti esse credidit. Et hanc sententiam hodiéque tuentur illi, qui Scotum sequuntur, quos eo nomine Bellarminus *de Pœnit. lib.* I. 16. reprehendit. Hoc scilicet Tridentinis, quò minùs Scoto applauderent, obstabat, plerosque absolvi à Sacerdote, quibus nihil tale accedit tali absolutione: cùm ex eorum dogmate Sacramenta novæ legis efficere debeant, quod figurant. Ne igitur malè dogmata cohærerent, Scoto renuntiandum fuit.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Ad remissionem peccatorum etiam in V. T. contritio, confessio & satisfactio necessaria fuerunt, uti liquet ex Num. V. 6. Joel II. 12. 2. Sam. XIV. 10. Jon. III. 8. Ergo multò magis ea partes in pœnitentia* N. T. *requiruntur.* Resp. 1. An ergo sicut actus ii finguntur in N. Test. Sacramenti materia, etiam in V. Test. sacramentalis pœnitentiæ materia fuerunt? 2. Non quilibet pœnitentiæ actus sacramenti materiam constituunt. Imò cùm hæc tria etiam obtinuerint tum, cùm pœnitentiam Sacramentum fuisse negant, patet, illa Sacramentum essentialiter non constituere. 3. Pœnitentiæ externæ actus esse contritionem, confessionem, satisfactionem, fatemur, verùm sensu non Papistico, sed Orthodoxo, quem inferiùs explicabimus.

EXCIP. REDING: *Argumentum nostrum non absolutè, sed supposita pœnitentia ad esse Sacramenti per Divinam institutionem, concludit. Ita etiam in V. Test. Baptismum obtinuisse, ex 2. Esdr. IV. 23. colligitur, licet tum Sacramentum non fuerit.* Ib. pag. 449. Resp. An ergo actus illi Pœnitentis caruerunt vel institutione Divina, vel absolutione? Quòd si non caruerunt, cur utraque olim Sacramentum ea non fecit, at fecit sub Novo Testamento? De baptismo nugari videris. Nullus enim in V. Test. ex Divina institutione, gratiæ Divinæ promissionem habente, obtinuit. Legalibus lotionibus, seu baptismis typicis locus fuit, Hebr. IX. 10. Neque Nehem. IV. 23. baptismi mentio est, sed המים *aquarum*, difficili admodum & variante Interpretum sensu.

OBIECT. II.

Digitized by Google

OBIECT. II. *Chryſoſtomus* Serm. 1. de pœnit. *tres has pœnitentiæ partes enumerat his verbis :* Pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ſufferre. *Ita etiam Auguſtinus, aliique Patres loquuntur, & juxta tres peccatorum differentias, juxta quas peccatum eſt vel in corde, vel in ore, vel in opere, etiam fecerunt tres pœnitentiæ partes, in corde contritionem, in ore confeſſionem, in opere ſatisfactionem.* Reſp. 1. Chryſoſtomus *operis humilitatem*, Auguſtinus *operis* ſanctificationem nominare ſolent, non *ſatisfactionem*. 2. Tres illi pœnitentiæ actus à Patribus conſtituuntur in pœnitentia non ſacramentali, ſed eccleſiaſtica publica. 3. Neque contritionis ejuſmodi externo ſigno teſtatæ meritum, vel confeſſionem ſecretam, vel ſatisfactionem expiatoriam intelligunt. 4. Loquuntur de pœnitentia, non quatenus quærit & accipit remiſſionem peccatorum, ſed quatenus eſt vitæ mutatio & emendatio.

EXCIP. REDINO : 1. *Chryſoſtomus Serm. de confeſſ. pecc. disertè meminit ſatisfactionis, eámque veniam Divina pietate conciliare, aſſerit. 2. Cúmque ſatisfactio hæc, teſte Auguſtino in Pſal 44. ſic puniat peccata, ut Deus præveniatur, ne ipſe puniat; expiatoria ſit oportet. Imò homil. 50. reprehendit pœnitentem, dubitantem confugere ad claves Eccleſiæ; quas per Antiſtites adminiſtrari aſſerit. Planè ſic Pſeudo-Reformationis tuæ ſectatores dubitant accedere ad claves Eccleſiæ.* Ib. pag. 450. Reſp. 1. Loco in objectione citato Chryſoſtomus ſatisfactionis non meminit. Quo verò ſenſu Auguſtinus, aliique ſatisfactionum meminerint, infra diſcutimus. 2. In qualibet pœnitentia peccator ſe punit, præveniens Deum, ne puniat. *Si* enim *nos ipſos judicaremus, non judicaremur* à Deo, 1. Cor. XI. 31. Neque iccirco ſic nos judicantes peccata noſtra coram Deo expiamus, hoc eſt, ex jure & juſtitia pro iis Deo ſatisfacimus. Sicut pueri nolis ſonantibus affingunt, quod ipſi cantillant: ita vos vocibus à Scriptoribus ſacris & Patribus diverſiſſimo ſenſu uſitatis veſtrum, peregrinum certè ſenſum adaptatis. Et quis noſtrûm ad claves Eccleſiæ confugere vetuit? Quis pius confugere dubitavit? Sed Eccleſiæ veræ claves genuinas, non falſæ furtivas, ipſum Chriſtum poteſtate ſua defraudantes, commendamus.

OBIECT. III. *In reconciliatione liberorum cum parentibus, ſervorum cum Dominis, uxorum cum viris, naturâ duce, tria hæc obſervantur, ut reconciliandi ſigna doloris oſtendant, peccatum fateantur, & caſtigationi ſe ſubjiciant. Ergo etiam in reconciliatione cum DEO, qui eſt pater, Dominus, ſponſus noſter.* Reſp. 1. Non eſt eadem reconciliationis ratio cum Deo & cum hominibus. Peccata enim reſpectu Dei, quem offendunt, vergunt contra infinitum bonum, adeóque ſunt infinitum malum, quod infinitas pœnas, & infinitam ſatisfactionem, quam ſolus Chriſtus ſuſcipere potuit, meretur. 2. Quin ad reconciliationem hominum inter ſe aliquando ſola culpæ confeſſio & deprecatio ſufficit: aliquando etiam ſola vitæ emendatio. 3. In vera pœnitentia contritio, ſeu dolor & deteſtatio ſeria peccati, & confeſſio erga Deum & homines, non tamen cum ſpeciali enumeratione peccatorum con-

Digitized by Google

conjuncta, & satisfactio, non erga Deum, sed erga homines, adeóque extra Sacramentum locum habere potest.

EXCIP. REDING: 1. *Solus equidem Christus pro peccatis satisfecit. Sed satisfactio ejus per media Divinitus ordinata, absolutionem Sacerdotis, prævia satisfactione, applicatur. Sicut autem infinita malitia peccati infinitam Christi satisfactionem exigit: sic medium illud, quo satisfactio applicatur, Sacramentum pœnitentiæ, infiniti quoque valoris est.* Ib. pag 451. Resp. Scilicet satisfactio Divina per satisfactionem humanam; pharmacon per aliud pharmacon, victima per victimam applicatur. Ubi hoc applicationis medium Scriptura definivit? Atque ita quidem, ut medio huic æquè ac satisfactioni Christi infinitum valorem attribuerit? Profectò sine horrore blasphemiæ hæ legi non possunt. Divina institutio vera etiam Sacramenta non deificat, sed ea infinitæ gratiæ finita organa constituit. Et deificatam tu pœnitentiam Sacramentalem, deificatos actus in ea merè humanos, per infiniti valoris participationem, asserere non erubescis.

OBIECT. IV. *Tria sunt instrumenta peccandi, cor, lingua, manus. Ergo eadem tria sunt instrumenta pœnitentiæ, cor contritum, os confitens, & opus satisfaciens.* Resp. 1. Instrumenta pænitentiæ non sunt ejusdem materia. 2. Requirit pœnitentia cor contritum, os confitens, opus satisfaciens, sensu non Pontificio, sed orthodoxo, quem supra reddidimus.

EXCIP. REDING: *Sed peccata remittenda triplici illo instrumento patrantur.* Ib. pag. 451. Resp. Possent plura longè instrumenta peccandi ostendi. Omnia corporis humani membra, omnes animæ facultates arma injustitiæ fieri possunt. Imò quot peccata sunt, tot partes materiales pœnitentiæ constitui deberent. Non à fallacibus congruentiis, sed à Divina institutione materia Sacramenti pendet.

QUÆSTIO III.

An terrores conscientiæ à lege incussi, & fides concepta ex Evangelio, quâ quis credit, sibi per Christum remissa esse peccata, sint partes pœnitentiæ?

NEgat sub anathemate Canon IV. atque sic à salutari pœnitentia Christum, & fidem erga ejus misericordiam horrendo exemplo expungit. Nos salutarem pœnitentiam seu *resipiscentiam* ita distinguimus, ut vel latè illa, vel strictè accipiatur. Latè accepta notat totum conversionis nostræ opus, atque sic sub se complectitur contritionem, ortam à terroribus conscientiæ à lege incussis, fidem & renovationem.

Digitized by Google

nem. Ita enim Apoſtolus etiam infidelitatem fidei oppoſitam ſub corde ἀμετανοήτῳ comprehendit, Rom. II. 5. Strictè verò notat contritionem & converſionem, veluti Marc. I. 15. Luc. XXIV. 47. Act. XX. 21. ubi eam fidei ſcriptura contradiſtinguit. Latè igitur ſumpta fidem etiam ſub ſe complectitur: ſtrictè verò eam, non quidem ut propriè dictam partem, attamen ut cauſam, adeóque inſeparabilem neceſſario comprehendit. Atque hac limitatione facile eſt, tum Reformatos cum Lutheranis, tum ipſos inter ſe Reformatos Theologos, quibus hîc diſcordiam objicit Bellarminus, conciliare, ut non ſuperſit alia lis, quàm de nomine. Terrores igitur à lege conſcientiæ incuſſos, & cum dolore ſerio, & deteſtatione peccati ob offenſum Deum conjunctos, nec non fidem, non hiſtoricam illam, quam diſponere ad pœnitentiam fatentur ipſi, ſed juſtificantem, ſeu fiduciam in Chriſti miſericordiam, ſive ut cauſam, ſive ut partem, prout diverſus reſpectus habetur, ad ſalutarem pœnitentiam requiri, liquet ſequentibus argumentis. Etenim

ARG. I. Deus ipſe à pœnitentibus ejusmodi agnitionem peccati, à terroribus legis conſcientiæ incuſſis ortam, paſſim requirit, veluti Eſaj. XLVI. 6. LXVI. 2. Jerem. III. Joel. II. 12. Et exempla pœnitentium, veluti protoplaſtorum, Geneſ. III. v. 8. Davidis 2. Sam. XII. v. 7. XXIV. v. 10. Manaſſis 2. Paralipom. XXXIII. verſ. 12. hanc pœnitentiæ partem arguunt.

Resp. Reding: *Textus à te citati hoc unum probant, agnitionem peccati à terroribus legis conſcientiæ incuſſis ortam, cauſam impulſivam eſſe ad formalem pœnitentiam eam, cui remiſſio peccatorum promiſſa eſt. quod libentes agnoſcimus.* Ib. pag. 451. 452. Reſp. Imò id probant, Deum à verè pœnitentibus agnitionem peccati à terroribus legis ortam requirere. Jubent enim *reducere prævaricationes ſupra cor* Eſaj. XLVI. 6. & promittunt, quòd Deus paratus ſit *reſpicere ad contritum ſpiritu, & trementem ad ſermones ejus*, cap. LXVI. 2. & ſimilia, quæ in pœnitentia agnitionem peccatorum ex lege exigunt. Et ſi formalis pœnitentia ea eſt, cui peccatorum remiſſio promiſſa eſt, non poteſt ab ea peccatorum agnitio ex lege excludi magis, quàm confeſſio, quæ peccatorum ex lege agnitorum externa declaratio eſt.

ARG. II. Abſque ejusmodi agnitione peccati remiſſio peccatorum, & ſalus minimè conſtat. Neque enim qui valent, ſed κακῶς ἔχοντες, qui malè habent, πενθοῦντες *lugentes*, ob ſenſum peccati & offenſam cœleſtis patris laborantes & onerati, medico fruuntur, & conſolationem accipiunt, uti Chriſtus ipſe Matth. V. 4. IX. 12. XI. 28. fidem facit.

Resp. Reding: *Non negamus, agnitionem peccati, & ex ea luctum ac deteſtationem ejusdem promanantem ad peccatorum remiſſionem requiri. Sic autem peccatorum mole preſſi Chriſto Medico fruuntur, ſi medio ab eodem inſtituto utantur.* Ib. pag. 452. Reſp.

Atqui quod ad peccatorum remissionem requiritur, juxta vos pœnitentia est. Ergo agnitio peccati ex lege pœnitentiam ingreditur. Quomodo ergo terrorem incussum animo à lege à pœnitentiæ partibus Tridentini, & juxta eos Bellarminus, aliique removent? Imò quandoque à pœnitentia penitus abesse pertendunt?

ARG. III. Si terrores à lege conscientiæ incussi, & agnitionem peccati operantes, non sunt pœnitentiæ pars, quis erit usus concionum legalium in hominis conversione?

RESP. REDING: *Pœnitentiæ nominè sic latè uteris, ut sub eo quemvis actum ad eam causaliter vel dispositivè concurrentem intelligas. Ita non repugnamus.* Ib. pag. 452. Resp. Imò eo sensu accipienda vobis est pœnitentia, quo remissio peccatorum ei promissa est, juxta hypothesin vestram. Sic autem agnitio peccati ex lege nec dispositio, nec causa, sed pars est pœnitentiæ, multò magis quàm confessio peccati agniti. Id verò Bellarminus ratiunculis nonnullis infringere conatur.

ARG. IV. Sola fides pœnitentiam salutarem ab exitiali distinguit, uti exemplum Judæ proditoris desperati, & Petri verè resipiscentis docet.

RESP. REDING: *Fides, seu initium salutis, non pars pœnitentiæ, salutarem ab exitiali pœnitentia distinguit.* Ib. pag. 452. Resp. Si latè pœnitentia accipiatur pro toto conversionis opere, sic eam contritio ingreditur, ut fides fructuosa ejus genuina pars, non initium duntaxat, sed causa justificationis seu remissionis peccatorum sola existat. Hoc autem sensu vos accipiatis necesse est, quia causam absolutionis facitis.

ARG. V. Sine fide quicquam Deo placere posse negat Apostolus Hebr. XI. 6. Quomodo igitur sine ea per pœnitentiam datur aditus ad Deum, justitia, peccatorum remissio, salus?

RESP. REDING: *Nemo nostrûm id negat.* Ib. pag. 453. Cur ergo in descriptione pœnitentiæ Sacramentalis Tridentini ejus ne quidem meminerunt? An resipiscentiæ, seu actuum illorum, qui necessariò ad hoc, ut peccator cum Deo in gratiam redire possit, fidem partem esse concedis? Certè strenuè Bellarminus negat.

ARG. VI. Imò fide purificari corda pronuntiat Apostolus Act. XV. 9. Non igitur salutaris pœnitentia, in qua ipsa etiam cor hominis purificatur, sine fide constat.

RESP. REDING: *Fides per charitatem formata corda purificat. Et sine ea pœnitentia non est.* Ib. pag. 453. Resp. Supra errorem vestrum de forma fidei confiximus. Sed vide tuam ἀκολουθίαν. Fidem per charitatem formatam causam esse justificationis supra pertenderas. Quid ergo causalitatis ultra pœnitentia, & quidem à fide distincta, utpote cujus essentiam hæc juxta vos non ingreditur, continet?

ARG. VII. Salutaris pœnitentiæ terminus ad quem est Deus. At ad Deum sine Christo per fidem apprehenso, unica salutis nostræ via, aditus minimè patet.

RESP.

Digitized by Google

RESP. REDING: *Aditus ad Christum non patet, ubi promissionis peccatorum medium ab ipsomet institutum repudiatur.* Ib. pag. 453. Resp. Remissionis peccatorum medium, quo illa apprehenditur, in Scriptura passim non aliud quàm fides salvifica constituitur. Vel igitur pœnitentiam, cui ceu medio remissionem peccatorum tribuis, fides ingreditur: vel pœnitentia à vobis definita medium remissionis illius neutiquam est. Et sanè Christus Apostolis largiens potestatem remittendi peccata, nuspiam medium illud esse pœnitentiam Sacramentalem declaravit: imò expressè medium illud ne quidem nominavit. Ex analogia igitur fidei, & reliquis Scripturæ testimoniis genuinum medium, quo peccatorum remissio apprehenditur, erui debet. Neque aliud quàm fides salvifica in Christum erui potest.

ARG. VIII. Sine fide in Christum pœnitentia tota est opus legis, adeóque conscientiis territis solidam consolationem nequaquam affert, nec est εἰς ζωὴν καὶ σωτηρίαν *ad vitam & salutem*, Actor XI. 18. 2. Cor. VII. 10. adeóque minimè salutaris.

RESP. REDING: *Consentimus.* Ib. pag. 453. Resp. Cur ergo in explicandæ pœnitentiæ materia & forma nullum fidei locum facitis? Profectò pudet te errorum vestrorum, quos aperto Marte defendere non sustines.

ARG. IX. Sine fide in Christum cor contritum consolatione & pace destituitur: Confessio iratum Deum agnoscit & fugit: Satisfactio falsam in operibus fiduciam gignit. Necessaria igitur fides, per quam á Deo irato ad placatum fugimus.

RESP. REDING: *Per fidem peccator à Deo irato ad placandum confugit. Ad contritionem igitur, confessionem, satisfactionem necessariò requiritur.* Ib. pag. 453. Resp. Sed quomodo? An sic, ut conditio quæpiam contritionis, confessionis &c. genuinæ sit, non causa à parte hominis unica remissionis? Si posterius mecum agnoscis, jam ergo inter actus essentiales pœnitentiæ fidem, seu fiduciam in Christum, Tridentini tui omittere non debuerunt. Si prius, perversè loqueris. Nam à fide in Christum omnia opera hominis, sive interna sive externa, adeóque etiam actus vestri, quos pœnitenti tribuitis, si γνήσια sunt, vigorem, vitam & efficaciam omnem habent.

ARG. X: Meritò igitur ingeminamus verba Chemnitii: *His notis & indiciis, Dei judicio, coram toto mundo revelatur, qualis ecclesia sit cœtus Pontificius. Ad perpetuam igitur rei memoriam sit notum veræ Ecclesiæ Dei Concilium Tridentinum promittere pœnitentiæ reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum, sine fide, quæ quidem ex Evangelio concepta sit, & quà quis credat, per Christum sibi remissa peccata. Ita enim sonora voce decernit Canon IV.*

RESP. REDING: *Ad perpetuam rei memoriam sit notum mendacium Chemnitii & Heideggeriani spiritus, quòd Concilium Tridentinum pœnitentiæ remissionem peccatorum promittat sine fide. Vestram quidem fidem ac fiduciam inanem, quam causam facitis justificationis, rejectis veris mediis in Evangelio constitutis, repudiamus. At fides de peccatorum remissione per pœnitentiam Divinitus constitutam ex Christo obtinenda, eatenus fundamentum*

Digitized by Google

damentum est justificationis, ut nonnisi hæretica impostura sit sententiam contrariam Concilio impingentis. Ib. pag. 453-455. Resp. Sed & hoc ad perpetuam rei memoriam notum sit, Redingianum spiritum mendaciis suis æquivocationes, adeóque peccata peccatis, errores erroribus cumulare. Nam fidem nominans, non eam fidem intelligit, quæ sola pœnitentiam salutarem facit, & cui Scriptura remissionem peccatorum, adeóque justificationem soli Rom. III. 28. Gal. II. 16. tribuit, sed generalem tantùm assensum, quòd Christus Apostolis potestatem dederit peccata remittendi, & quidem, uti vos fingitis, sub conditione Sacramentalis pœnitentiæ, quæ nuspiam revelata est; qualis fides Diabolorum etiam & reproborum omnium esse potest. Fidem talem verè mortuam vos à pœnitentia vestra fictitia adeóque etiam mortua, excludere, nec Chemnitius, nec Heideggerianus spiritus, affirmavit. At affirmavit uterque, & meus adhuc fortissimè affirmat, Concilium Tridentinum promittere pœnitentiæ reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum sine fide salvifica & justificante, ex Evangelio concepta, qua quis credat, per Christum sibi peccata esse remissa. Hoc adeò verum est, ut ipse tu fidem verè Evangelicorum, ceu commentitiam, blasphemare non erubueris. Recta igitur fuit Chemnitii denuntiatio, & spiritus Redingiani in tenebris perambulantis fraus & prævaricatio jubare meridiano clariùs se profert.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Paulus 2. Cor. VIII. 9. 10. terrorem incussum à lege distinguit à pœnitentia, ajens, tristitiam, quæ secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operari.* Resp. 1. Non pronuntiat Paulus absolutè, quòd tristitia secundùm Deum operetur pœnitentiam, sed addit, quòd operetur μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον. Proinde distinguit veram & salutarem pœnitentiam ab infrugifera & exitiali. Illam dicit ἀπεργάζεσθαι *peragi* sive constitui à tristitia secundùm Deum, quæ vivificam Spiritûs S. consolationem semper conjunctam habet; hanc verò oriri à tristitia mundi, cui proinde mortis ἀπεργασίαν ἀντιθετικῶς tribuit. Potest etiam distingui pœnitentia à tristitia secundùm Deum, ut actus à suo habitu, effectus formalis à forma.

EXCIP. REDINO: 1. *Si pœnitentia à tristitia secundum Deum distinguitur, ut actus ab habitu, quomodo inter se comparantur, ut effectus formalis cum causa? Et annon tristitia secundum Deum æquè ac pœnitentia actus est?* 2. *Non facit ad rem tua exceptio, quòd tristitia ita operetur pœnitentiam, ut tamen Augustinus hanc ex Apostolo dicat stabilem & impœnitendam, tendentem ad salutem.* 3. *Tibi ipsi contradicis. Nam tristitiam secundum Deum & pœnitentiam comparas ut habitum & actum; & simul pœnitentiam ais constitui à tristitia secundum Deum. Constitutivum autem, inprimis formale, à re per se constituta adæquatè non distinguitur.* Ib. pag. 454. Resp. 1 Téne hæc ignorare? Formam ergo & causæ efficientis & formalis vice defungi, omnémque etiam causam agendo causare, atque sic actum producere, ex Dialectica disce. 2. Quomodo tristitia secundum Deum κατεργάζεσθαι *operatur* pœnitentiam, si nulla hic habitus & actus distinctio locum habet? De Augustino quid insuper somnias? Ego in responsione mea ejus ne memini

memini quidem. Neque causam dicis, cur exceptio mea ad rem non faciat. 3. Contradictionem fingis, quæ nulla est. Si enim prior responsio recipitur, pœnitentia, salutaris videlicet, quia à tristitia secundum Deum operante producitur & constituitur, ab eadem distinguatur oportet. Si posterior, aliud est habitus, aliud actus. Tibi omnia confundere prolubium est, ne ad ἰχέμυθίαν redactum te videam.

OBIECT. II. *Theologi tum Veteres, tum recentiores in definitione pœnitentiæ terrorum ejusmodi haud meminerunt.* Resp. 1. Est argumentum ab authoritate humana negativum. 2. Scripturam eorum meminisse ostendimus. In Psalmis Davidicis, qui salutaris pœnitentiæ speculum sunt, terrorum ejusmodi identidem mentionem fieri, quâ specie negari potest.? Jam olim Tertullianus *de pœnit.* eam definivit *passionem animi, seu dolorem de offensa Patris.* Lombardus pœnitentiam dicit esse *mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*, ex Ambrosio. quod terrores eos supponit. Gratianus ex Ambrosio definit pœnitentiam dolorem cordis & amaritudinem animæ pro malis commissis.

EXCIP. REDING: *Terrores in pœnitentia requiri, ultro agnoscimus. At formaliter pœnitentiam ingredi, ipsemet negas, dum eos à veteribus in definitione pœnitentiæ supponi asseris.* Ib. pag. 454. 455. Resp. At partem esse, nos cum veteribus allegatis contendimus. Dixi autem, veterum dicta terrores eos supponere, non anteponere. Supponunt ad ritè definiendam rem, non anteponunt rei. Judicet de verbis meis æquus lector, non contortulus Sophista.

OBIECT. III. *Partes pœnitentiæ sunt actus, qui ex virtute pœnitentiæ prodeunt. At terrores non sunt actus virtutis, sed naturalis affectio, quæ cadit etiam in bestias.* Resp. 1. Pœnitentiæ terror est agnitio peccati ob offensam Numinis. Talis in bestiam haud cadit. 2. Neque talis terror est actus virtutis à libero arbitrio acquisitus, sed potiùs efficax motus, à Spiritu sancto accensus. 3. Cùm cor hominis naturâ sit lapideum & ἀναίσθητον, quomodo terror ille naturalis affectio dici potest?

EXCIP. REDING: 1. *Si cor hominis natura eatenus lapideum est, ut affectio etiam naturalis in eo locum habere nequeat, quomodo agnitio peccati ob Numinis offensam in eo locum habere potest? 2. Pœnitentiæ salutaris actus effectivè profluunt ex libero arbitrio non naturæ, sed gratiæ viribus operante.* Ib. pag. 455. Resp. 1. Affectionem naturalem in corde lapideo locum habere non posse, ubi dixi? Imò verò terrorem à lege incussum, seu efficacem motum à Spiritu S. accensum eo ipso naturalem affectionem non esse, argui, quia cor hominis natura lapideum non à natura, sed à gratia ad recipiendum eum moveri debet. 2. De liberi arbitrii viribus abunde suprà.

OBIECT. IV. *Terrores etiam sunt in dæmonibus, damnatis & reprobis. Non igitur sunt pars salutaris pœnitentiæ.* Resp. In dæmonibus & damnatis sunt terrores, sed non ob offensam Numinis, nec cum fiducia conjuncti.

Gggggg EXCIP.

Digitized by Google

EXCIP. REDING: *Imò etiam ob offensam Numinis.* Ib. pag. 455. Resp. Ob offensam Numinis, ut causam sine qua non, sed non ut causam veram. quæ non alia quàm timor pœnæ est. Tolle metum pœnæ. Contremiscere Diabolus & damnati desinent.

OBIECT. V. *Pœnitentia à fide distinguitur, Marc.I.4. Act.XX.21. Non igitur hæc illius pars est.* Resp. 1. Pœnitentia iis locis strictè, non latè accipitur. 2. Etiam strictè acceptæ pœnitentiæ fides causa est, adeóque ab ea inseparabilis, quod nobis ad tuendam salutarem pœnitentiam sufficit.

EXCIP. REDING: *Sub pœnitentiæ latè sumptæ nomine confusum ex actibus realiter distinctis chaos fistis.* Ib. pag. 455. Resp. Confusionis hujus authorem facis ipsum Apostolum, qui Rom. II.5. sub corde ἀμετανοήτῳ etiam infidelitatem fidei oppositam comprehendit. Et quid vobis ipsis pœnitentia aliud est, quàm actus necessarii, ut peccator cum Deo in gratiam redire possit? Denique contritio, confessio & satisfactio, actus adeò realiter distincti, ut separentur etiam tempore, & satisfactio formam pœnitentiæ vestram, absolutionem puta, sequatur longo intervallo, unam juxta vos pœnitentiam constituunt. Habes informe in sinu vestro Babylonio chaos.

QUÆSTIO IV.

An contritio, hoc est, animi dolor & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, accedente charitate illam perficiente, & sacramenti voto, causa sit reconciliationis, & remissionis peccatorum?

AFfirmat Synodus capite IV. Et Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini consignatus, *cap.V.q.30.* docet, veræ contritionis eam vim esse, *ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim impetremus.* Concertant autem Scholastici, quorum alii, nominatim Lombardus, Thomas, Bonaventura, Scotus, Durandus, quibus accedit Bellarminus, pertendunt, Contritionem esse *meritoriam de congruo*; alii ut Richardus 4.*sent.dist.17.art.1.q.7.* asserunt, *meritoriam esse de condigno.* Nos sine vera contritione agnoscimus nullam esse peccatorum remissionem: at eam vel charitate perfectam, vel quocunque alio modo causam esse reconciliationis, & remissionis peccatorum, negamus. Etenim

ARG. I. Remissio peccatorum est merè gratuita, ac proinde non pendet ab ullo operis nostri merito, sed à solius Dei gratia, & Christi sanguine, Rom.III.

Digitized by

Rom.III.24.25.IV.6.1.Joh.II.2.Apoc.II.8. Neque verò Christi meritum operibus,& contritioni nostræ vim merendi indidit,ut Bellarminus hîc somniat,cùm is mortuus sit non eum in finem, ut bona opera nostra acciperent meritum & dignitatem expiandi peccata, sed ut mala nostra opera, quæ severitas divini judicii non tantùm in peccatis, sed in ipsis etiam bonis operibus nostris invenit, coram Deo expiarentur. Verissima proin est Glossatoris sententia in 1.Canonem 1.distinctionis de pœnitentia: *Dic quòd nec cordis contritione, nec oris confessione peccata dimittantur, sed tantùm gratiâ Dei.*

RESP. REDING: 1. *Sicut remissio peccatorum & à gratia Dei, & à sanguine Christi, adeóque causis subordinatis pendet: ita gratiam remissionis à merito Christi, & actibus pænitentis, per gratiæ vires elicitis, quibus illud applicatur, eidem subordinatis, pendet.* 2. *Glossas Can.1. dist. de Pænit. sola cordis contritione peccata dimitti, asseris.* Tomo II. Tract VII.Ss.2. pag.456 457. Resp.1. Jam exceptiunculam tuam in argumento meo dilueram. Gratia DEI & sanguis Christi disertè & conjunguntur & subordinantur Rom.III.24.25. At meritum Christi, & contritio hominis meritoria quocunque sensu, nuspiam vel conjunguntur, vel subordinantur. Imò pugnant manifestè, quia λύτρον & meritum Christi perfectissimum omne humanorum operum meritum excludit Rom. III.28 XI.6. Sic ergo meritum Christi & contritionis humanæ subordinantur, uti cera ignitis prunis imposita. 2. Ita est. Glossæ hæc verba sunt: *Sunt qui dicant, quemlibet criminis veniam sine confessione facta Ecclesiæ, & Sacerdotali judicio posse promereri, juxta Ambrosium supra Luc.22.* Quomodo hæc sententia Tridentino decreto vestro concinit? Sic videlicet, uti verba Glossatoris à me allegata, quæ Melchior Canus *Tract. de Pænit. par.5. Ss. ad Arg.* graviter increpat.

ARG. II. Cùm charitas fidelium in hac vita sit imperfecta, quomodo ea ita perfici contritio potest, ut causa reconciliationis nostræ existat?

RESP. REDING: *Possibilem charitatis perfectionem supra astruximus.* Ib. pag.457. 458. Resp. Nos eandem gladio verbi Divini destruximus, & tuis de amore Dei perfecto *quoad substantiam, & quoad modum*, quas hic repetis, tricis satisfecimus.

ARG. III. Pœnitentia est Dei donum Act.V.31.2.Tim.II.25.Unde Jeremias Threnor.V.21.precatur: *Converte nos & convertemur.* Si quod igitur esset meritum nostræ contritionis, id adscribi deberet Spiritui S. eique proinde remuneratio deberetur.

RESP. REDING: *Etiam fides Dei donum est. Et tamen intrinseca sui congruitate justificat.* Ib.pag.458. Resp. Nulla fidei ad justificationem congruentia meritoria est, sed vis merè organica à parte hominis. Vis autem meritoria omnis à merito Christi, quod fides hominis apprehendit, manat.

ARG. IV. Contritio est dolor & ægritudo animi, ex sensu peccati. Sicut igitur dolor ex sensu morbi non est causa sanationis, nec tristitia ob æs

Digitized by Google

alienum, ex crapula & libidine conflatum, causa remissionis debiti: ita nec dolor iste potest esse causa reconciliationis.

RESP. REDING: *Sicut dolor ex sensu morbi natus in Medico excitat commiserationem erga infirmum, ex qua ad medicinam salutiferam ei conferendam movetur: ita contritionem cœlestis medicus sic acceptat, ut ejus intuitu moveatur ad Christi meritum, ceu salutiferam peccati medicinam peccatori applicandam.* Ib. pag. 458. 459. Resp. Sicut contra ægrotantis dolor nunquam morbum sanat: sic nec contritio peccatoris justificat. Hic argumenti nervus est. Præterea peccas fallacia parium. Deus enim ad donandum peccatori Christum, ejúsque meritum, nullo peccatoris, adeóque nec contritionis actu, qui à fiducia in Christi merito sejunctus odium potiùs Dei, quàm commiserationem provocat; sed sola misericordia & voluntatis *εὐδοκίᾳ* movetur. *Præordinavit enim nos ad adoptionem per Jesum Christum in ipsum, secundum beneplacitum voluntatis ejus, ad laudem gloriæ gratiæ ejus, qua gratos nos fecit in dilecto*, Ephes. I. 5. Quin & misertus nostri est, nósque amavit, *cùm adhuc inimici ejus essemus*, Rom. V. 8. An inimicus ægrotantis vel peccatoris erga medicum affectus ad misericordiam eundem movet, atque sic movet, ut de congruo donationem medicinæ affectus ille mereatur? Nec cœlestis, nec terrenus medicus sic movebitur unquam.

ARG. V. Est hoc dogma peccatori desperationis laqueus. Nunquam enim de justa & debita, uti vocant, contritione, & adjuncta charitatis perfectione, certa & secura redditur conscientia, ut proinde de remissione peccatorum perpetim dubitandum sit.

RESP. REDING: *Contritio charitate perfecta æquè ac fides ad justificationem concurrens in Divinæ gratiæ efficaciam reducitur. Huic innitere, & securus eris, ex hypothesi, quòd Divinæ misericordiæ liberalitas eam tibi impenderit, ipsam actualiter in te operatam esse contritionem charitate perfectam, sub qua ex Divina promissione per merita Christi justificeris.* Ib. pag. 459. Resp. Ad justificationem concurrere fidem, Scriptura testatur; ad eandem ut causam concurrere contritionem charitate perfectam, nusquam testatur. Si charitate perfecta nostra, adeóque ex perfectis operibus nostris justificamur, Christus frustra pro nobis mortuus est. Frustra ad gratiæ Divinæ efficaciam recurris. Nunquam enim illa efficit, ut quod imperfectum est, manens tale perfectum sit. Et qualem quæso securitatem nobis venditas? Hypotheticam, qua, supposito, quòd perfectam charitatem Divina gratia nobis impenderit, securi esse queamus, eam in nobis perfectam charitatem actu operatam esse. O gerras plus quàm Siculas!

ARG. VI. In V. T. contritio sano sensu peperit remissionem peccatorum, vitam & salutem, Ezech. XVIII. 27. XXXIII. 11. non per modum *meriti*, sed *contritionis* per gratiam Spiritûs S. implendæ. Neque tamen ibi locus fuit voto suscipiendi sacramenti, fatentibus id adversariis.

RESP. REDING: 1. *Cur eadem contritionis efficacia non adhuc durat? Est enim de genere moralium, quæ nunquam abolentur.* 2. *In N. Test. Sacramentum Pœnitentiæ demum institutum est salutis remedium.* Ib. pag. 459. Resp. 1. Dixi, *sano sensu*. Non peperit ut causa remissionis; sed vel ut conditio, & causa sine qua non, absque qua fides salvifica

Digitized by Google

salvifica justificans nulla est; vel ut causa sensus peccatorum nobis sine nobis, vel merito & opere nostro, remissiorum. Hoc sensu contritionis efficacia adhuc durat. 2. Nec Sacramentum pœnitentiæ à Christo institutum esse probasti; nec voto suscipiendi fictitii illius Sacramenti suppleri ipsum Sacramentum, probare potes.

ARG. VII. Si contritio charitate perfecta est, reconciliare etiam poterit sine voto. Ridiculum enim est votum, quo quis constituit petere, quod jam jure habet à justo Deo.

Resp. Reding: *Ut contritio charitate perfecta Deo peccatorem reconciliet, subsistere debet sub charitatis specifica perfectione, Dei super omnia appretiativa. At talis in peccatore absque voto saltem implicito non subsistit.* Ib. pag. 459. Resp. Charitatis hæc specifica perfectio in solo Christo, non in ullo peccatore obtinet. Et quid votum implicitum nuspiam institutum, Sacramenti nuspiam instituti, ad charitatem sic perficiendam quæso confert? Insuper nec ad rationes meas respondes.

ARG. VIII. Neque uspiam scriptura docet, hominem verè contritum teneri ad ejusmodi votum. Timuerant boni patres, ne quid lucri sacerdotibus deperiret, si populus crederet non necesse esse homini verè contrito, & quem Deus absolvit, petere absolutionem à sacerdote.

Resp. Reding: *S. Scriptura exigit remissionis peccatorum remedium, quo homo ab omnimoda impietate se avertat. At Sacramentum contemnere, vel voluntariè negligere impietas est.* Ib. pag 459. Resp. Imò exigit sanguinem Christi ab omnibus peccatis purificantem, remissionis peccatorum causam unicam; pœnitentiam verò sinceram, non omnibus numeris consummatam, qualis in peccatore nullo est. Sicut verò impius est contemptus Sacramenti Divinitus instituti: sic vovere Sacramentum non institutum & ejusmodi votum causam salutis, obscurata vel suppressa genuina salutis causa, constituere, impietatis plenum est.

ARG. IX. Denique nec Scholastici sibi in hoc dogmate constant. Alii uti vidimus, meritum de congruo, alii de condigno hîc crepant. Sunt qui contritionem disponere duntaxat pertendant. Petrus à Soto varius est. Modò ait Ecclesiam Catholicam credere, *contritionem non esse meritum remissionis peccatorum, sed dispositionem necessariam, ut per eam justitiam veram consequamur.* Modò dicit, *nostram contritionem reddere nobis DEUM propitium, ac esse meritum vitæ æternæ, ac mereri integram remissionem peccatorum.*

Resp. Reding: *In dogmatica veritate à Concilio expressa omnes consentiunt. Dissensus est in subtilitate Scholastica, an in contritione ex charitatis Theologicæ motivo manante requiratur tam perfecta ad Deum conversio, atque est in peccato aversio à Deo. Et qui condignæ erga peccati remissionem satisfactionis perfectionem in contritione urgent, illam ex meritis Christi arcessunt.* Ib. pag. 460. Resp. Dogmatica tibi veritas id omne est, in quo consentitis; subtilitas Scholastica id, in quo dissentitis. Non igitur à veritate & momento rei, sed à conspiratione plurium, dogmata fidei æstimare soles. Quicquid autem sic dementare lectorem coneris, meritum de congruo & de condigno; dispositio

 & causa

& causa rei διὰ τῶν πολῶν differunt. Neque exigui adeò momenti dissensus est, cujusmodi contritio ad salutem sufficiat, cùm contritio insufficiens nihil operetur. Constitutum esse debet, quando secura esse possit conscientia, se contritione, ceu causa, uti pertenditis, remissionis peccatorum, ad justum modum defunctam esse. Absque quo est, conscientiam nunquam tranquillari, sed miris semper modis torqueri necessum est.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Deus Ezech. XVIII. dicens:* Cùm averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit; *non obscurè pœnitentiam facit causam vivificationis, adeòque reconciliationis nostræ.* Resp. 1. Vivificationis nostræ causa meritoria solus Christus est, Joh. V. 25. XIV. non homo ullo suo opere. Js enim in peccato mortuus quâ ratione sibi vitam conciliare & restituere poterit? 2. Pœnitentia igitur præcedit vivificationem, non ut causa, vel meritum, sed ut conditio, signum, indicium & τεκμήριον. Ejusmodi descriptiones Synecdochicæ in sacris usitatæ sunt, in quibus ex parte totum, ex signo signatum, ex consequente antecedens, ex fructu arbor cognoscitur.

EXCIP. REDINO: *Saltem ex textu illo constat, Deum merito Christi meritum contritionis subordinasse. Quod ex tuis etiam verbis colligere est. Fateris enim, pœnitentiam justificationem præcedere tanquam testimonium. Habet ergo cum illa non obtenta, sed obtinenda, connexionem, quæ non extrinsecam, sed intrinsecam respectu justificationis congruentiam habet.* Ib. pag. 461. Resp. Meritorum, causarum salutis nulla ejusmodi subordinatio est, ut aliæ sint in Deo & à Deo, aliæ in homine, & ab homine. Nam *gratia salvati estis per fidem. Et hoc non ex vobis, Dei donum est. Non ex operibus, ne quis glorietur.* Ephes. II. 8. 9. Pœnitentiam, hoc est, aversionem ab impietate, de qua Propheta loquitur, præcedere justificationem, ubi ego fassus sum? Imponere mihi audes in clara luce. An enim testimonium de re antecedit rem? Quomodo sic justificatur ἀσεβὴς *impius*, Rom. IV. 4. 5. si aversio ab impietate justificationem quocunque modo præcedit? Fructum porro conversionis cùm *vivificationem animæ* idem Propheta facit, phrasi Hebræa passim in S. literis usurpata id unum innuit, pœnitentem non periturum, sed victurum & salvandum esse. Confer Exod I 17. Deut. XX. 16. Jos. II. 13. Prov. XVII. 15. Alias solus Christus est *vita* nostra Joh. XIV. 6. non solùm merito, sed etiam efficacia. Ejus verbo ex morte spirituali peccatorum ad vitam spiritualem revocamur, Joh. V. 25.

OBIECT. II. *Eodem capite V. 31. Deus pœnitentes jubet facere cor novum. Ergo pœnitentiam agentes sibi fiunt causa justificationis.* Resp. 1. Jubentur pœnitentes facere, quod solus tamen Deus & facere potest, & facit, Ezech. XI. 19. XXXVI. 26. Psal. LI. 12. Cum verbo jubente apud fideles conjuncta est Spiritûs S. operatio. Dum enim jubet Deus renovare cor, simul hoc ipsum per Spiritum sanctum, & ministerium verbi donat. 3. Præcepta Dei non tam δύναμιν, seu *potentiam* nostrarum virium arguunt, quàm ἀδυναμίαν, seu *impotentiam*, cùm ex lege sit agnitio peccati.

EXCIP.

Digitized by Google

EXCIP. REDING: 1. *Fideles jussi facere, quod Deus solus facere potest, virtutem à Deo accipiunt, qua ut secundaria causa, principali subordinata, quod facere jubentur, facere possint. 2. Peccati agnitio ex lege supponit voluntatis arbitrium, quòd id liberè evitare valeamus.* Ib. pag. 461. Resp. 1. Unde verò subordinationem hanc causarum salutis: unde virtutis hujus communicationem probas? Si cor novum naturale homo naturalis sibi, communicata virtute & causalitate subordinata, facere potest; etiam novum spirituale simili ratione sibi facere posse, largior. Et quis unquam causis solitariis socias & subordinatas junxit? Deus autem, non alius, adeóque solus, *aufert cor lapideum, & dat carneum*, Ezech. XI. 19. XXXVI. 26. *creat cor mundum in nobis*, Psal. LI. 12. Si socia & subordinata datur causa creationis, etiam novæ hujus creationis fortè dabitur. 2. Agnitio peccati ex lege supponit voluntatem liberam agnoscendi peccatum, at non implendi legem. Ita ægrotans liberè agnoscere morbum, at non eadem libertate sanare potest.

OBIECT. III. *Spiritus contritus Deo gratissimum est sacrificium, Psal. LI. 19. At sacrificium, Deum placare & gratiam impetrare, aptum natum est.* Resp. Non aliud sacrificium ἱλαστικὸν propitiatorium agnoscimus, quàm sanguinem Christi. Fidelium pœnitentia est ἐυχαριστικὸν, gratiarum actio, quæ Deo placet, & impetrat non ex dignitate operis, sed ex gratia & dignatione DEI.

EXCIP. REDING: *Sacrificium Christi propitiatorium non evertit sacrificia, quibus illud applicatur, quale etiam spiritus contritus est.* Ib. pag. 462. Resp. Si quæ sacrificia Christi sacrificium ἱλαστικὸν applicant, ea non iccirco ἱλαστικὰ seu propitiatoria sunt. Salus enim Christus est ἱλασμὸς seu *propitiatio* pro peccatis nostris, 1. Joh. II. 2. Et sacrificia propriè dicta per sacrificia subordinata propriè etiam dicta subordinari, ubi Scriptura testis est? Desperatæ sententiæ somnia hæc sunt.

OBIECT. IV. *Peccata redimuntur Eleemosynis, Dan. IV. 24. Ergo etiam contritione.* Resp. 1. Peccata non redimuntur nisi infinito sanguinis Christi ἀντιλύτρῳ, uti docet analogia fidei. Quale quæso ἀντάλλαγμα mortis, seu pœnæ peccatorum sunt eleemosynæ, quas ipsas non ex nostro penu, sed divinæ misericordiæ & benignitatis thesauro apud nos deposito, pendimus? 2. In Chaldæo habetur: חטיך בצדקה פרק *peccata tua per Justitiam*, rectè dicta, facta, cogitata *avelle, abrumpe*. Nempe peccata deponuntur per assumptionem contrarii. Malè Græci reddunt λύτρωσαι. Nullus enim locus est, quo verbum hoc significet λυτρῶσθαι *redimere pretio*. Syrus equidem ἀπολύτρωσιν vertit פורקנא ob generalem *liberandi* notionem. Confer Genes. XXVIII. 40. Psal. VII. 3.

EXCIP. REDING: 1. *Quo jure Interpretes Græcum, Hieronymum, Vatablum &c. reprehendis? Vox sanè* פרק *etiam redimere notat. Unde* פריק *Redemptorem*, & פורקן *redemptionem notat. 2. Peccata præterita eleemosynis avellere, quid aliud est, quàm redimere? 3. Offensæ Divinæ & pœnæ debitæ ratio moraliter perseverans, per assumptionem contrarii non tollitur.* Ib. pag. 462. Resp. 1. Majori jure, quàm quo tu genuinam vocis פרק notionem, quam ignoras planè, oppugnas. Nunquam enim vel apud Chaldæos

Digitized by Google

dæos, vel apud Hebræos פרק significat λυτρῶσαι, *redimere*; sed propriè *vellere*, *avellere*; deinde & *liberare*. Liberatio quidem rei fieri potest per λύτρωσιν *redemptionem*. Sed non propterea omnis liberatio est redemptio. Certè peccata redimi non possunt, ut liberentur. Peccator, non peccata, liberatur. Redemptio notat liberationem per pretium. Deus autem peccatorem λυτροῦται & liberat pretio: peccator non liberat peccata pretio seu λύτρῳ, sed peccata per justitiam à se aufert. 2. Non igitur quævis avulsio rei est redemptio. Certè non peccatorum per oppositam justitiam. 3. Certum est, nec offensæ, nec pœnæ rationem per oppositam peccatoris justitiam tolli. Requiritur enim peccati expiatio & vera redemptio. Eandem ob causam vox פרק hoc loco *redimendi* notionem habere nequit. Cessante enim peccato, non cessat ejus reatus.

OBIECT. V. *Peccata multa remittuntur ei, qui multùm dilexit, Luc. VII. 47. Ergo contritio charitate perfecta est causa remissionis peccatorum.* Resp. Dilectio non causa ponitur remissionis, sed signum & character, uti parabolæ illius circumstantiæ docent. Igitur particula ὅτι *quia*, non est causalis, sed rationalis: non causa cur res sit, sed causa, cur cognoscatur: non causa consequentis, sed consequentiæ, qualis est deductio conclusionis ex præmissis.

EXCIP. REDINO: *Dilectio infert remissionem peccatorum. Habet ergo cum illa connexionem, non utique ceu effectus cum causa, quia si vox ὅτι rationem ab effecto redderet, sequi charitas, non præcedere deberet; sed ceu causæ cum effectu.* Ib. pag. 463. Resp. Qualem cum remissione peccatorum connexionem dilectio habeat, ipse textus docet, qui gratuitam, hominis respectu, peccatorum remissionem v. 42. 43. 47. 50. manifestè declarat. Et dilectionem nostram dilectionis Divinæ ac remissionis peccatorum causam non esse, Apostolus clarissimè docet 1. Joh. IV. 10. *In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexit nos, & Filium redemptorem misit.* Particulam verò illativam ὅτι, γὰρ, *quia, enim &c.* ex signo seu effectu causam inferre non raro, nemo nisi tyro ignorat. Confer Matth. XVI. 3. 1. Joh. III. 14.

OBIECT. VI. *Patres passim docent, pœnitentiâ Deum mitigari & placari, lachrymis peccata ablui, contritionem veniam mereri.* Resp. 1. Loquuntur de salutari pœnitentia, & adjuncta ei fide, cujus objectum apprehensum, Christus, hosce effectus suo sanguine producit. 2. Excidunt iis talia in genere loquendi homiletico, & ad pœnitentiam hortatorio versantibus. Concionatorum autem verba non semper eo rigore accipienda esse, quo primùm ad auditorum aures perveniunt, cùm multa per hyperbolen enuntient, & affectionum impetu, vel orationis cursu sæpe rapiantur, etiam Sixtus Senensis *Biblioth. lib. IV. annot.* 152. agnoscit. Merendi verbum apud Patres laxiùs accipi, aliâs monuimus. Alibi etiam Patres mentem suam commodiùs explicant. Vide Chrysostomum *Homil.* 80. *ad pop. Antioch.* Hilarium in *Ps.* 66. Gregorium *lib in Ezechiel. homil.* 7.

EXCIP.

Digitized by Google

EXCIP. REDING: *Sic nullum fidei orthodoxæ dogma stabit inconcussum, Semper enim hyperbolicas locutiones causari licebit.* Ib pag. 463. Resp. Inanis metus tuus est. S. Patres ex ipsis Patribus explicandi, ex fidei in verbo Dei traditæ analogia probandi sunt.

QUÆSTIO V.

An contritio sit dolor liber, sponte assumptus & voluntarius, an paßio coacta?

PRius asserit Canon V. Docent autem Papistæ non esse veram contritionem, quæ oritur ex terroribus legis, sed voluntariè & spontè debere assumi. Sicut peccatum per voluntatis consensum consummatur, ita per dissensum voluntarium dimitti, ut loquitur Thomas. Ejusmodi igitur liberam & voluntariam contritionem, ex solo dictamine naturæ, sine operatione Spiritûs S. regenerante ortam, docent disponere ad gratiam; quam dispositionem vocant, *facere quod in se est*, quod sit *meritum congrui*. Nos quidem in renatorum contritione agnoscimus voluntarias & liberas actiones, non tamen ita, ut excludantur passiones vel terrores à lege incussi, & ad resipiscentiam, non externa aliqu via, sed blanda & flexanima Spiritus sancti operatione cogentes. Contritio verò non renatorum est merè passiva, & in solidum Spiritui S. adscribenda. Synodo opponimus.

ARG. I. Non renati sunt servi peccati Johan. VIII. 34. & voluntas eorum, ut suprà probatum, in rebus spiritualibus nihil valet. Ergo salutares illos dolores sponte non assumunt.

RESP. REDING: *Ita irregeniti servi peccati sunt, ut tamen capaces sint gratiæ non quidem justificantis habitualis, sed actualis, quæ in transeunte auxilio Divino, voluntatem peccatoris ad producendos fidei, spei & pœnitentiæ actus elevante, consistit.* Tomo II. Tract. VII. Ss. 2. pag. 464. Resp. Capaces sunt gratiæ etiam justificantis, recipiendæ Divinæ gratiæ arbitrio; non actualis, ad actus fidei, spei &c. justificationi prævios, & ad eandem disponentes eliciendos. quod supra, ubi de gratia & libero arbitrio disputatum, evicimus.

ARG. II. Actiones quæ in contritis salutariter reperiuntur, sunt gratiosæ Spiritûs sancti operationes, Jerem. XXXI. 18. 19. Johan. VI. 43. 44. XVI. 8. Proinde planè sponte & liberè non conteruntur. Quin caro semper Spiritui obluctatur.

RESP. REDING: *Et gratiosæ, & voluntatis liberæ operationes sunt. Unde & credere & velle ex nostro arbitrio datum esse à Deo, Augustinus passim docet. Et gratiosa Spiritus S.*

Digitized by Google

operatio sic carnem Spiritui S. obluctantem superat, ut Spiritus noster ex gratia Dei liberè obediat. Ib pag. 464. Resp. Liberæ sunt, sed cum infirmitate, ob perpetuam luctam carnis & Spiritus, Gal. V. 17. Datur etiam à Deo credere & velle ex libero arbitrio, sed regenitorum, non regenerandorum. Hi enim, utpote in peccatis mortui, adeóque spiritualiter de novo generandi, creandi, libera voluntate obediendi ante regenerationem nulla pollere possunt.

ARG. III. Corda nostra, extra Spiritûs S. gratiam considerata, sunt dura & lapidea, Ezech. XXXVI. 27. ac proinde *ἀμεταμέλητα pœnitere nescia.* Requiritur igitur, ut Deus cor lapideum auferat, & det cor carneum Ezech. XI. 19. ut ipse convertat hominem, *vásque novum ex fracto formet virtute creandi,* uti loquitur Prosper. Nullus hîc arbitrii viribus locus talis conceditur.

RESP. REDING: *Ezech. XI. 19. & XXXVI. 26. 27. sic cor nostrum declaratur lapideum, & Deus novum ac carneum promittit, ut simul promittat idem facturum se, ut in præceptis suis ambulent, & judicia custodiant.* Ib. pag. 465. Resp. Regenerando Deus aufert cor lapideum, & carneum impertitur, ut corde novo & carneo donato, non ampliùs regenerandi, sed jam regeniti liberè in præceptis Dei ambulent, residua licet infirmitate libertatis, donec liberentur à corpore mortis, Rom. VII. 14—f. Regenerandi igitur & regeniti statum confundendo miserè hallucinaris, neque ad rem quicquam dicis.

ARG. IV. In contritione inveniuntur certæ passiones ad illam constituendam planè necessariæ. Tales sunt in corde timor futuri judicii, in conscientia compunctio, horror, summus angor. Ergo dolor in contritione est passivus.

RESP. REDING: *Etiam in visionis actu vitali certæ passiones ad illam constituendam necessariæ inveniuntur. Neque tamen in mera passione illa consistit. Licet ergo ad contritionem antecedenter & concomitanter passiones quædam requirantur, non tamen illa formaliter in passione consistit.* Ib. pag. 465. Resp. Si de regenerandorum contritione sermo tibi si, nego salutarem in ea actionem ullam cum passionibus contritorum conjungi. Omnes enim salutares actus regenerationem & initium vitæ spiritualis supponunt. Sin de regenitorum, voluntarias & liberas actiones cum passionibus & terroribus à lege incussis in ea concurrere, ipse jam præstruxi satis. Hoc sufficit ad demonstrandum, quòd neutra contritio sit merè libera & spontanea. qualem vos requiritis non aliam ob causam, quàm ut meritoriam esse evincatis.

ARG. V. Contritio enuntiatur vocibus passionem meram significantibus, quales confusio, erubescentia, percussio, conturbatio animæ, tribulatio Spiritûs, scissio cordis.

RESP. REDING: *Scriptura peccatorem jubet scindere cor suum Joel. III. 1. pœnitentiam agere, Act. XVII. 30. Non ergo in actibus iis meræ passiones sunt.* Ib. pag. 465. Resp. De regenitis nego. Mortui enim in peccatis non ipsi cor suum scindunt, sed Deo solo lapideum tollente, & novum substituente, scinduntur toti.

ARG. VI.

Digitized by Google

ARG. VI. Contritio, quæ, in externis gestibus & actionibus consistens, in irregenitis ex viribus liberi arbitrii oriri potest, hypocritica est, non salutaris.

RESP. REDINO: *Non in externis tantùm gestibus, sed interna etiam compunctione contritio consistit.* Ib. pag. 466. Resp. Sed salutaris ea ex viribus liberi arbitrii ante regenerationem nulla est. Quicquid ergo irregenitus adhuc viribus arbitrii hic præstat, id omne ad salutem proficere nequit; &, si splendere extus videatur, merè hypocriticum esse pertendo.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Deus passim jubet hominem scindere cor suum, facere sibi cor novum, projicere prævaricationes. Ergo homo liberè & voluntariè conteritur, & DEO in contritione cooperatur.* Resp. 1. Cooperationem aliquam hominum regenitorum, sed quæ legi terrores haud excludat, sed potiùs admittat, & fide in Christum expugnet, haud negamus. 2 Præcepta non tam potentiam, quàm impotentiam hominis peccatoris arguere, superiùs ostendimus. 3. Illa ipsa præcepta & minæ sunt salutaria remedia, per quæ DEUS in hominibus contritionem salutiferam operatur.

EXCIP. REDINO: *In prima fide homo nondum regenitus, gratiæ viribus instructus cooperatur. Præcepta igitur talia potentiam etiam regenerandorum arguunt.* Ib. pag 466. Resp. Fides regenerationem præcedens talis esse potest, qualis Diaboli, qui credit & contremiscit. Cooperari huic fidei irregenitus potest, sed sine ullo salutis vel regenerationis compendio. Neque ulla gratia Dei salutifera regeneratione prior & antiquior esse potest, quia prima gratia est, qua ex mortuis suscitati regeneramur, & salutariter credimus. Frustra igitur falsa falsis probare conaris.

OBIECT. II. *Contritio Deo placet, Psalm. LI. 19. At passio coacta Deo placere non potest.* Resp. 1. Contritio cum fide conjuncta placet Deo propter Christum fide apprehensum. 2. Coactioni externæ & violentæ nullum hîc locum concedimus. Lex enim comitata Spiritu filiationis ita terret, & sancta desperatione afficit fideles, ut vim nullam voluntati faciat, sed eam potiùs blanda vi ad Christum, salutis anchoram, adducat.

EXCIP. REDINO: *Vis illa blanda nullam voluntati vim faciens, juxta S. Augustinum optimè cohæret cum libertate voluntatis etiam activè sese habentis.* Ib. p. 466. 467. Resp. De regenitis concedo totum. De irregenitis nego, quia illi mortui in peccatis ad bene agendum se activè habere nequeunt.

OBIECT. III. *In hominis potestate situm est applicare animum ad ea, quibus timor excitatur.* Resp. Exterior verbi auditus & salutaris contritio in solidum Spiritui sancto adscribi debet.

Digitized by Google

EXCIP. REDING: *Respectu interiorum actuum fidei & contritionis voluntas à gratia præventa libera est. Neque eò minùs tamen salutaris contritio in solidum Spiritui S. accepta ferenda est, quia efficacia Divinæ voluntatis, ipsum etiam modum libertatis in actibus nostris decernentis, prima ratio, & radix libertatis est.* Ib. pag. 467. 468. Resp. Ante regenerationem liberam non esse, invictis argumentis supra evicimus. Hic operam ludere non libet. Et quicquid blandiaris Spiritui S. quasi in solidum ei gloria salutis à vobis sic relinquatur, nihil tamen minùs probabis unquam. Licet enim is prima libertatis radix à te dicatur, vos tamen ante omnem gratiam homini arbitrium liberum inesse, mordicus pertenditis. Atque sic semper vobis

Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

OBIECT. IV. *Peccatum per liberum voluntatis consensum admittitur. Ergo per ejusdem voluntatis liberum dissensum dimitti debet. At dimittitur in pœnitentia.* Resp. Nulla est argumenti consecutio. Peccator enim ad peccandum viribus abundat, & peccato se in servitutem & mortem spiritualem præcipitat. At servus peccati, & in peccato mortuus, peccatum sine gratia regenerante, & potenti Spiritùs S. tractu, adeóque divina virtute, simili ei, qua Deus Christum resuscitavit ex mortuis, dimittere nullo modo potest.

EXCIP. REDING: *Aliud est gratia quævis actualis, aliud justificans. Illam sine hac ante regenerationem locum habere posse, supra probavimus.* Ib. pag. 468. 469. Resp. Nos contrarium demonstravimus.

QUÆSTIO VI.

An contritio illa imperfecta, vulgò dicta attritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccati, cum proposito melioris vitæ, præparet ad DEI gratiam, & accedente virtute absolutionis justificet?

ASserit Caput V. & Canon V. Estque Tridentinis Patribus attritio dolor ille, qui concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu, excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ. Atque hanc attritionem, etiam charitate & fide destitutam, sciscunt esse *donum Dei, & Spiritûs sancti impulsum, non adhuc inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat;*

Digitized by Google

patat; ac proinde etiam ad Dei gratiam disponere, & accedente virtute absolutionis justificare. Quod ita explicant Doctores, ut dicant, vi Sacramenti, seu absolutionis Sacerdotalis, attritum fieri contritum, & repleri gratiâ Spiritûs S. Nos non diffitemur equidem, quin terrores ex comminationibus legis, & sensus pœnarum in conscientia orti, sint principium quodammodo conversionis, si accedat fides & charitas. Sicut enim, quo simili utitur Augustinus tract. 9. in 1. Epist. Johannis, *seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: ita timor primo intrat, non autem manet, quia perfecta charitas foras mittit timorem.* Absque fide & charitate terrores ejusmodi sunt inutiles & perniciosi, adeóque hoc modo pœnitentes & attritos vel disponere ad gratiam, vel accedente virtute absolutionis justificare, negamus. Rationes.

ARG. I. Attritio ex terroribus legis gignit gehennæ metum. Hunc autem malum esse suo, loco probatum est.

RESP. REDING: *Timorem ejusmodi bonum esse, supra ostendimus.* Tomo II. Tract. VII. Ss. 2. pag. 470. Resp. Ratiunculas tuas supra quoque nos discussimus, & contrarium liquidò probavimus.

ARG. II. Attritio etiam illa, quæ præcurrit conversionem, non oritur ex speciali gratia Christi Salvatoris, sed ex generali gratia, & misericordia Dei operantis servitutem ad timorem Rom. VIII. 15. Atqui actus talis, qui ex speciali gratia Salvatoris non oritur, nec per se, nec virtute absolutionis sacramentalis justificare potest. Qui in Christo non sunt, ambulant secundùm carnem, quos non δικαίωσις, sed κατάκριμα, uti analogia loci Rom. VIII. 1. docet, manet.

RESP. REDING: 1. *Si attritio conversionem præcurrens ex generali Dei gratia & misericordia oritur, qui verum est, metum gehennæ malum esse? An misericordia Dei operatur ad malum? 2. Cùm detestatio peccati ex metu gehennæ sit actus spei supernaturalis, ex gratia Christi Salvatoris speciali oriatur oportet. 3. Neque Rom. VIII. 1. docet Apostolus, antecedenter ad justificationem, cujus vi perfectè sumus in Christo, nullam dari gratiam actualem Christi pro fidei, spei, pœnitentiæ actibus eliciendis.* Ib. pag. 470. 471. Resp. 1. Sophisticaris. Attritionem intelligo eam, cui fides & charitas succedit, non vestram fide & charitate omni destitutam, uti in status quæstionis explicatione clarè distinxi. 2. Detestatio peccati ex solo gehennæ metu à fiducia in Christo separata, non spei supernaturalis actus est, sed desperationis fomes. Nulla enim non justificato per Christum spes vitæ affulget. Unde spem non pudefacientem Apostolus Rom. V. 1-5. à justificatione per fidem, ut causa, arcessit. 3. Apostolus idem Rom. VIII. 1. antithesin inter ambulantes *secundum carnem*, & *secundum spiritum* immediatam statuit. Hos in Christo condemnationi obnoxios esse negat. Illi ergo obnoxii sunt. Medium statum, quo quis nec in Christo, nec extra Christum; nec condemnationis reus, nec à con-

Digitized by Google

demnatione immunis sit, nec secundum spiritum, nec secundum carnem ambulet, ex Scripturis, si potes, ostende.

ARG. III. Dolor conceptus ex turpidine peccati, & ex metu gehennæ non potest excludere voluntatem peccandi, quia quæ ex metu oriuntur, secundùm sespectata sunt involuntaria, proinde semper manet voluntatis repugnantia, qua nollet aliquis facere, si pœna tolleretur. Perperam igitur attritioni tribuitur voluntas fugiendi peccatum.

RESP. REDING: 1. *Detestatio pœnæ adeò efficax est, ut etiam culpæ cum pœna connexa detestationem involvat.* 2. *Metus quidem sua natura aptus est ad causandum voluntarium mixtum involuntario. Nihilominus metus pœnæ conjunctus esse potest cum voluntate excludendi peccatum.* Ib. pag. 471. Resp. 1. Involvere potest detestationem peccati, sed non aliter, quàm quatenus peccatum est causa pœnæ. Si enim timens peccatum detestatur ob amorem offensi Numinis, jam hæc non attritio, sed contritio, non servilis, sed filialis timor est. 2. Par ratio est voluntatis excludendi peccatum. Quia enim illa ex solo pœnæ metu, non amore Dei oritur, remoto pœnæ metu cessabit ea voluntas. Manet ergo semper ea, quam dixi, repugnantia voluntatis.

ARG. IV. Quod disponit ad gratiam, vel accedente absolutione justificat, id mutat voluntatem malam. At timor ejusmodi voluntatem malam non mutat. Continet quidem manum, sed non animum; premit cupiditatem, sed non exhaurit. Animus autem eodem modo semper manet cupiditati adfixus.

RESP. REDING: *Metum gehennæ malam voluntatem mutare, inde liquet, quia Christus Matth. X. 28. jubet timere Deum, qui animam & corpus in gehenna perdere potest.* Ib. pag. 472. Resp. Non sic solo gehennæ metu malam voluntatem mutari Christus innuit; sed timorem, cum fiducia scilicet & obsequio conjunctum, commendat ejus domini, qui non, ut tyranni hujus Seculi, solum corpus, sed & corpus & animam in gehenna perdere potest. Non enim timorem pœnæ solius mandat, nedum ei quicquam promittit: sed timorem Dei potiùs, quàm hominum inculcat. Ipso Tirino *ad h. l.* judice, timor Dei opponitur pusillanimitati, *qua metu tormentorum vel à fidei confessione deflectant homines, vel justitia excidant, vel saltem munus sibi injunctum deserant.*

ARG. V. Consideratio, collectio, & discussio peccati tantum abest, ut disponat ad gratiam, vel justificet, ut magis etiam peccatum augeat & excitet, Rom. IV. 15. V. 20. VII. 7. 8. 9. Unde rectè dixit, quisquis pronuntiavit, attritionem facere magis peccatorem, & hypocritam, utpote quæ non procedit ex corde sincero & ἀνυποκρίτῳ, quod charitate munitum sit oportet, uti ex 1. Cor. XIII. & 1. Tim. I. 5. liquet.

RESP. REDING: 1. *Cur ergo Deus varia instituit Levit. IV. &c. pro variis peccatis sacrificia, quibus interioris pœnitentiæ contestatio non fiebat absque peculiari peccatorum recogitatione? Cur Ezechias Esaj. XXXVIII. recogitavit annos suos in amaritudine animæ suæ?*

Digitized by Google

ftat? 2. *Loca citata, quid lex sine gratia, non quid gratia operetur, ostendunt.* 3. *Etiam fides, utpote charitate prior, & ab ea separabilis, sine charitate subsistere potest. Ergóne illa quoque hypocritam facit?* Ib. pag. 472. Resp. 1. In sacrificiis veterum fuit utique ἀνάμνησις τῶν ἁμαρτιῶν *recordatio peccatorum* Hebr. X. 3. Sed sine fide in Christum & charitate erga Deum, qua vestra attritio caret, nihil illa profuit; imò ad desperationem potiùs, quàm spem ullam disposuit. Ezechias verò Esaj. XXXVIII. 15. non obstante animæ suæ amaritudine processurum se per omnes annos suos, hoc est, intempestiva morte non moriturum, sibi recipit. Quid hoc ad attritionis tuæ commentum? Certè non amaritudini suæ salutem acceptam refert, sed fide-jussioni, Christi scilicet, quem v. 14. sic imploravit: *Domine, vis mihi fit. Sponde pro me.* 2. Discussio, recollectio & detestatio peccati, fidei in Christum & charitati prævia, solius legis effectus sunt, non gratiæ, utpote quæ per Christum data justificat. Joh I. 17. Rom. III. 24. Cùm igitur lex per se in homine peccatore iram tantùm operetur, & peccatum augeat, quomodo eadem ad justificationem peccatoris disponet? 3. Fidem salvificam, charitatis fœtam matrem ab eadem inseparabilem esse, supra demonstravimus. Illa verò fides, per quam credens contremiscit tantùm, non confidit Christo, non justificandorum est, sed Diabolorum, Jac. II. 19.

ARG. VI. Attritio non nascitur ex amore Dei, sed ex amore sui. Timentur enim æterna mala, non quatenus impediunt, ne animus liberè transeat in Deum fruendum, sed quatenus sibi incommoda sunt & dolorifica. Et in ista consideratione requiescit attritio, nihil ultra satagendo. Hoc ipsum autem malum, quia non rectus est finis.

RESP. REDING: *Licet attritio non pertingat ad finem & perfectionem charitatis Theologicæ, qua Deus propter se diligitur; non iccirco attritio ex virtutum numero excludi debet. Nam Deus non amorem duntaxat sui, sed etiam nostri præcepit.* Ib. pag. 472. 473. Resp. Charitas sui, quæ ex amore Dei propter se diligendi non fluit, non genuina, sed adulterina charitas, & damnata αὐτάδεια est, quia per eam homo se ipsum amoris sui principium & finem constituit, & se-ipsum propter se diligit, neque adeò se amando gloriam Dei, ob quam, & ad quam facere omnia jubemur, intendit. *Perversa celsitudo est*, sic S. Augustinus *de Civ. D. lib. XI. 13.* loquitur, *deserto eo, cui debebat animus inhærere, principio, sibi quodammodo finem esse atque principium.*

ARG. VII. Quòd verò Synodus pertendit, hanc contritionem esse donum Spiritûs S. nondum quidem inhabitantis cor, sed tamen moventis, nunquam apud prudentes fidem inveniet. Spiritus S. enim neminem salutariter movet, quin in eo habitet, neque in quoquam est agens extrinsecum, quem non moveat intrinseco motu. Aliâs fieri posset, ut extrinsecùs moveretur à Spiritu S. qui intrinsecus à maligno dæmone movetur.

RESP. REDING: *Annon Spiritus S. movet ad primum fidei actum, antequam cor inhabitet? Annon dat omnibus vitam, Spiritum & omnia, Act. XVII. 25. licet in omnibus non habitet? Nam inhabitat nonnisi mediante forma justificante connexa cum charitate, per quam Spiritus datur.* Ib. pag. 473. Resp. Ἀπολέγω omnia. Deus per fidem in cordibus nostris

ſtris habitat, Epheſ.III.17. Simul operatur fidem, ſimul corda inhabitat. Vita, halitus, omnia, quæ promiſcuè omnibus hominibus Deus impartitur, Spiritus S. ſpecialem inhabitationem non requirunt, quia motus illi ſpirituales & per ſe ſalutares non ſunt. Denique quàm ineptè, juxta hypotheſes quidem veſtras, formam juſtificantem à charitate, utpote, huic connexa, diſtinguis: quàm impiè per charitatem, hoc eſt, opus inhærens homini, Spiritum S. dari aſſeris, cùm tamen is charitatis, ſanctificationis omnis jugis fons & ſcaturigo ſit?

ARG. VIII. Neque etiam quiſquam perfectè odiſſe poteſt peccatum, quin priùs amaverit Deum. Amor enim prior eſt odio, & hoc ex illo naſcitur.

RESP. REDING: *Perfectum peccati odium amorem Dei ſaltem virtualem ſupponit. Poſſunt tamen etiam odio haberi peccata ex amore non proprio charitatis Theologicæ, ſed terminato ad motivum cuique virtuti à charitate diverſæ, veluti ſpei, religioni, &c.* Ib. pag. 473.474. Reſp. Qualis Dei amor, tale peccati odium eſt. Si perfectus amor eſt, perfectum odium eſt. Ita Cœlites perfectè & amant Deum, & oderunt peccatum. Sin imperfectus amor eſt, odium pariter imperfectum erit. Talis viatorum amor Dei, tale odium peccati eſt. Separa odium peccati ab amore Dei, verum peccati odium non erit. Amor quoque Dei adeò univerſalis eſt, latéque dominatur, ut ſub ſe omnes virtutes Theologicas & morales vulgò dictas complectatur. Eſt enim impletio legis, & præceptorum legis ſumma conſtituitur Deut.VI.5. Matth.XXII.37. An ſperare quiſquam poteſt communionem cum Deo: an Deum vera pietate & religione colere, quin priùs eundem amaverit?

ARG. IX. Ipſa Synodus ſibi contrariatur. Etenim partem eſſentialem, ſeu materialem pœnitentiæ facit contritionem, cui accedens abſolutio faciat Sacramentum. Quî igitur attritio ad Sacramentum pœnitentiæ ſufficere poteſt? Sanè formæ munus non eſt ſupplere defectum materiæ, ſed materiam in ſuo genere completam perficere.

RESP. REDING: *Synodus contritionem genericè ſumptam, prout utramque contritionis perfectæ & imperfectæ ſpeciem complectitur, facit materialem pœnitentiæ partem. Nullo ergo modo ſibi contrariatur.* Ib. pag. 474. Reſp. Non tollis contradictionis notam. Quæro enim, an contritio illa, cui accedente charitate, abſolutionem in Sacramento vel voto ejus promittitis, ſit pars materialis pœnitentiæ? Si, uti certè aſſeritis, eſt, quid igitur defectum, qui in attritione eſt, ſupplet? Abſolutio, inquies. At abſolutio juxta vos forma pœnitentiæ eſt. Identidem igitur quæro, quomodo forma ſupplere poſſit defectum materiæ? Nam materia & forma res diſparatæ ſunt. Hoc tibi expediendum fuerat. Sicut in Miſſa verba conſecratoria juxta vos nihil operantur, ſi non ſit materia ſufficiens, & idonea ad tranſſubſtantiationem: ſic contritio ſufficiens ſi deſit, nihil abſolutio efficere poterit.

ARG. X. Crypſin dogmatis hujus, quod mordicus hodie Jeſuitæ tuentur, prodidit Montaltius & ipſe Papiſta, in Epiſtola Provinciali decima. Docet

Digitized by Google

cet enim, ex hac doctrina consequens esse, *ut per totam vitam sic peccata eliciantur, ut salutem adipiscantur, qui tamen nunquam Deum dilexerint.* Allegat horrendas Jesuitarum, Annati, Pinterelli, Sirmundi voces, quibus illi contendunt, *hoc Evangelicæ legis supra Judaicam præcipuum esse privilegium, quòd nunc amandi Dei præcepto Christiani immunes sint,* nempe quia contingit, solo dolore ob admissum peccatum, accedente virtute Sacramenti, sine Dei amore homines justificari & salvari. Ipse exclamat: *Quid restat ampliùs, nisi ut non amandi Dei privilegium à Christo hominibus prædicetur allatum? Hoc etiam vestri prædicârunt. Crescere jam non potest impietas. Ad summum pervenit.* Horresco referens infandum dogma.

RESP. REDING: *Doctrinam unius & alterius privati cum Synodi sententia confundis. Synodus enim definivit quidem, attritionem sufficere ad justificationem, accedente absolutione. An verò præceptum diligendi Deum non obliget nisi in ordine ad justificationem, adeòque ei per Sacramentum pœnitentiæ satisfiat, non definivit.* Ib. pag. 474. Resp. Quomodo, Redingi, id non definivit, si attritionem, ab amore Dei sejunctam, accedente Sacramento justificare definivit? Qui justificatur, idem glorificatur, Rom. VIII. 30. Si ergo attritus, sine amore ullo, accedente Sacramento justificatur, glorificabitur idem. Ergo omni amore Dei destitutus glorificari potest. Non ergo Jesuitarum illarum sententia priva est unius aut alterius doctoris, vel potiùs seductoris vestri, sed necessarium Tridentinæ definitionis consectarium. Qua ratione se facilè Jesuitæ tuebuntur, quicquid tu præcisionibus tuis moliare. Et rem tanti momenti clarè definiri à Concilio debuisse, Cl. Reiserus adversus Launoyum in *Launoio Conf. Verit. pag. 458. &c.* nuperimè solidis rationibus probavit.

ARG. XI. Meritò igitur hoc dogma Pontificiæ communionis Theologi, Jansenii asseclæ detestantur, & Concilii cothurno aliam sententiam affingere solicitè, etsi invitâ Minervâ, laborant. De eo videsis Jansenium in Augustino *lib. V. cap. 23. & seq.* ubi dogma hoc Scholasticorum, utpote natum ex intempestiva erga peccatores etiam inveteratos misericordia, solidè convincit. Confer etiam Montaltii Epistolam supra laudatam, & Wendrockii ad eam notas.

RESP. REDING: *Non Jansenius duntaxat, sed omnes Theologi Pontificii in præcepto diligendi Deum specificam amoris Divini in hac vita eliciendi obligationem agnoscunt.* Ib. pag. 474. Resp. Non hoc, Redingi, agitur. Quis enim in dubium revocet, an præceptum diligendi Deum obligationem talem inducat, cùm omne præceptum propriè dictum obliget? Sed quæritur, an obligatio hæc per Sacramentum pœnitentiæ suppleri possit? Hoc Tridentini definiverunt: hoc Jansenius negat. Hostilem Jesuitarum & Jansenitarum circa hoc dogma dissensum, si tu, adeò in rebus vestris hospes, ignoras, at nos probè exactéque novimus.

Digitized by Google

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Synodi mens non est, quenquam justificari sine contritione tali, cui charitas conjuncta non sit. Nam cap. III. docet, Materiam sacramenti pœnitentiæ esse contritionem, eámque requiri ad peccatorum remissionem. Et Canon IV. Contritionem definit* animi dolorem ac detestationem peccati commissi, cum proposito non peccandi de cœtero. *Quicquid autem ad contritionem in definitione requisiverat, imperfectæ etiam contritioni seu attritioni tribuitur Cap. IV. & Canone V. Non aliter igitur contritio & attritio distinguuntur, quàm quòd illa quidem charitatem perfectam, hac etiam charitatem, at non perfectam illam conjunctam habeat.* Ita Jansenius Augustini sui lib. V. cap. 34. Resp. 1. Quicquid sit de Concilio, certum est, eam esse sententiam Scholasticorum, ac inprimis Jesuitarum, quòd attritio sit timor purè servilis, *quo videlicet peccator Deum punientem ita timet, ut solius pœnæ fugiendæ causa à peccatis perpetrandis caveat, & de perpetratis doleat,* uti Bellarminus *de Pœnit. lib. II. cap.* 17. loquitur. Sirmundi sententiam refert Wilhelmus Wendrokius *Not. ad Epist.* 10. *Montaltii.* Jesuitæ Parisienses in thesibus Claromontanis, variisque libris eò processerunt, ut sustinerent, *tum atritionem naturalem, tum metum mali temporalis, à Deo ob peccatum inflicti ad recuperandam gratiam sufficere.* Quam assertionem *certissimam hæresin* vocat Wendrokius. Horror equidem impii dogmatis Jansenium impulit, ut aliam cothurno Concilii mentem indueret. Cæterùm perpendere debuit, Concilium cap. IV. contritionem his duabus notis ab attritione, distinguere, primò, quòd illa quidem *charitate perficiatur,* secundò quòd ita *charitate perfecta, accedente voto sacramenti justificet, & homines Deo reconciliet.* Perfectioni igitur contritionis, quam per charitatem fieri innuit, effectus tribuitur, ut solo voto Sacramenti justificet. At attritionem negat *sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem peccatorum perducere.* Causa discriminis colligitur ex superioribus, quia non æquè ut contritio *charitate perfecta est.* Neque innuit Synodus, in contritione charitatem *perfectam,* in artritione *imperfectam* obtinere, quia hoc discrimen non innuitur, nec contritio dicitur informari *charitate perfecta*, sed contritio *charitate perfecta* nominatur. Huc facit exemplum Ninevitarum à Synodo cap. IV. allegatum, quorum timor charitate Dei destitutus fuit. 3. Quòd caput III. contritionem facit materiam Sacramenti, at cap. IV. statuitur, sine perceptione Sacramenti, perfecta contritione hominem Deo reconciliari, contradictionem sapere, superiùs animadvertimus. 4. Detestatio peccati, & propositum non peccandi de cætero, sine actuali Dei amore consistere potest, si non suscipiatur nisi ob formidinem pœnæ.

Exem-

igitized by Google

EXCIP. REDING: 1. *Communis Pontificiorum doctrina est, peccatorem licet mediante Sacramento justificatum, in variis tamen vitæ & mortis casibus obligari ad Deum super omnia actualiter diligendum. Cui privata unius & alterius doctoris sententia nihil præjudicat.* 2. *Attritionem cum Sacramento justificantem excludere debere voluntatem peccandi, Synodus definivit. At hoc, nisi incluso virtuali proposito actualis & formalis Dei amoris fieri nequit. Et quomodo quod Scholastici timori servili juxta te tribuunt, à peccatis perpetratis cavebit peccator, sine voto implicito saltem amoris Divini?* 3. *Licet attritio ex propria sua specie non pertingat ad perfectionem charitatis; tamen per Sacramentum pœnitentiæ elevatur ad esse partis Sacramentalis, & valorem meritorum Christi recipit. Æquivalet ergo contritioni charitate perfectæ* Ib. pag. 475–478. Resp. 1. Fucum facis, & Tridentinæ definitionis te pudet. Quæro enim, an si obligationi illi in variis vitæ & mortis casibus peccator non satisfecerit, attritio cum Sacramento conjuncta justificet, nec ne? Si justificat, obligatio, quam indicas, non expleta nihil oberit. Sufficiet enim justificari attritum. Nam justificatus etiam glorificatur. Si non justificat, actum est de Tridentina definitione, qua simpliciter statuitur, eam *cum Sacramento pœnitentiæ ad justificationem perducere, & sine ea ad justificationem perducere.* Quæro etiam, quoties absolvitur attritus, ac inprimis proximè ante agonem mortis, annon justificetur? Quid ergo ei oberit, si obligationi diligendi Deum per totam vitam satisfecerit nunquam? Hoc sanè crudè profitentur Jesuitæ vestri, insignes scilicet Casuistæ, qui conscientiam peccatoris sic cauterio potiùs inurere, quàm sanare possunt. Tu non tam horrore impietatis, quàm tegendi dedecoris Tridentini studio, incrustare conaris. 2. Excludendi peccati voluntatem amorem Dei non necessariò ponere, supra probavimus. Imò in timore servili qualis in attritione est, planè non ponit. Caveri etiam peccata, sola formidine pœnæ non ullo virtutis amore, possunt. 3. Valor quoque qualiscunque attritioni à Sacramenti efficacia tributus, charitatem, quæ actu inesse debet, non ponit. Et æquivalentiam illam Synodus tua finxit, non ulla ratione probavit.

OBIECT. II. *Timor pœnæ utiliter concussit Ninevitas ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, ut pœnitentiam agerent, & misericordiam à Domino impetrarent, Jon. III. v. 10. Ergo multò magis ejusmodi timor cum Sacramento pœnitentiæ conjunctus justificat.* Resp. 1. Fructus salutaris pœnitentiæ est reconciliatio cum Deo, non vi attritionis, sed fidei in Christum, quâ solâ justificati pacem habemus. Rom. V. 1. Quòd si igitur reconciliati cum Deo, & justificati fuerunt Ninevitæ, non id vi ejusmodi timoris factum fuerit oportet, sed fidei in Christum, sincero Dei amore comitatæ. 2. Reconciliatos DEO & justificatos fuisse Ninevitas non dicitur, sed illud duntaxat, *Deum pœnituisse mali, quod loquutus fuerat se facturum illis, & non fecisse.* Pœnitentia igitur sua & contritione ac humilitate etiam fide & amore Dei destitutâ, impetrârunt mitigationem temporalium pœnarum, non reconciliationem cum Deo, & conscientiæ pacem. Ita Deus etiam bona irregenitorum opera præmiis temporalibus remuneratur, & Achabo ob similem pœnitentiam pepercit.

EXCIP. REDING: 1. *Si irregenitorum opera quædam proemio temporali condigna sunt, quomodo supra eadem odii Dei meritoria esse, pertendisti? Si fides sola justificat, & reconcilias cum Deo, quomodo non reconciliati cum Deo sunt Ninevitæ, quos credidisse in Deum, Scriptura Jon. III. 5. testatur? Si pœnitentia Ninevitarum fide & amore Dei destituta pœnarum temporalium mitigationem impetravit, quomodo attritionem talem hypocritam facere, statuisti supra? En perpetuum contradictionis spiritum.* Ib. pag. 478. Resp. Nugari, quàm seriò disputare, & rationibus meis respondere mavis. Ubi irregenitorum opera proemiis temporalibus condigna esse, dixi? Temporalium etiam bonorum erogationem cum odio Dei consistere posse, annon tibi & Scriptura Jerem. XII. 1.2. &c. & experientia quotidiana dictavit? Ninevitæ insuper quomodo in Christum sibi incognitum crediderunt, atque tali fide, quam solam justificantem statuimus, Deo reconciliati sunt? Denique quid mitigationi pœnarum temporalium, qua Deus mera liberalitate sua operum bonorum externos actus mactare solet, cum justificatione, cum reconciliatione cum Deo, quam attritioni Sacramentali promittitis, commune habet? Nec veritati igitur, nec mihi contradixi, sed tu præfracto studio veritati contradicendi incitatus, deliras ubique.

OBIECT. III. *Christus Matth. X. 28. jubet timere Deum, qui potest animam & corpus perdere in gehenna. Ergo timor pœna salutaris est.* Resp. 1. Timorem Christus mandat non servilem, sed filialem, eum videlicet, quo ipsum potiùs, quàm homines imbelles timemus, adeóque ipsum amamus super omnia, ex toto corde & omnibus viribus. Etiam pœnæ timorem, cui succedit fides & amor Dei, utilem ac salutarem esse ultro fatemur.

EXCIP. REDING: 1. *Christus Matth. X. 29. timorem servilem, ob solum pœnarum metum commendat. Qui licet ad justificationem non sufficiat, movet tamen ad contritionem perfectam.* 2. *Si timor ille cum fide conjunctus salutaris reddi potest, non igitur per se hypocritam facit, nec intrinsecè malus est.* Ib. pag. 478. 479. Resp. 1. At filialem commendari, probavi. Cur non respondes? An satis est, rancidas hypotheses reponere? 2. Timor servilis à fide & amore Dei sejunctus, sicut omnia regenitorum opera, malus & hypocriticus est ex accidenti, ob defectum causarum, quas ad integritatem operis Deus requirit. Nihil igitur obstat, quò minùs præsentibus & conjunctis causis illis salutaris reddi queat.

OBIECT. IV. *Scripturæ passim terrorem incutiunt peccatoribus, non alium in finem, quàm ut timorem concipiant, & ex eo timore pœnitentiam meditentur.* Resp. At pœnitentiam ejusmodi & sublestam ac imperfectam contritionem, fide in Christum & amore Dei destitutam, sive in Sacramento, sive extra illud justificare, nuspiam docet.

EXCIP. REDING: *Neque nos docemus, timorem fide destitutum justificare. Quin potiùs justificationis exordium ex fide petimus.* Ib. Resp. Fidem dixi non quamcunque, qualis etiam est fides dæmonum, sed *in Christum*, hoc est, fiduciam in misericordia Dei & merito Christi, cum amore Dei conjunctam. An talis fides timori servili inest?

OBIECT. V.

Digitized by Google

OBIECT. V. *Qui attritus justificatur, non sine charitate justificatur, quia virtute verborum absolutionis à sacerdote prolatorum repentè mutatus, perfunditur Dei gratiâ & charitate; adeóque ex attrito fit contritus.* Resp. 1. Experientia docet, sæpius absolutos à Sacerdote non meliores, sed nequiores evadere. Unde Gregorius de Valentia monet *disp. 7. q. de Contrit. p. 2.* tales nonnisi contingenter quandóque meliores fieri. 2. Sacerdoti impuro & irregenito, qui tanta potestas competere valeat? 3. Ex attrito fieri aliquem posse veré contritum virtute sacramenti, negant Thomas Aquinas *Suppl. par. III. quæst. 1, addit. art. 3.* Melchior Canus *Relect. de pœnit. part. III. q. 3.* Rationem reddit Scotus *dist. 17. q. 2. art. 5.* quia Sacramentum non constituit aliud objectum actui voluntatis. 4. Supponit hoc argumentum Sacramentorum efficaciam ex opere operato, quam suo loco confutavimus.

EXCIP. RÆDINGUS. 1. *Experientia testis est, absolutos apud nos meliores evadere. 2. Valentia disertè asserit, vi Sacramenti ex opere operato obtineri gratiam, cujus virtute absolutus gratia cum attritione conjuncta, certò & semper ex attrito fiat contritus, licet nonnisi contingenter, quoad intrinsecam contritionem ex objecto, quandoque ex attrito contritus fiat. 3. Si etiam Judæ proditori collata est potestas Sacramentum Eucharisticum consecrandi, cur non etiam impuro Sacerdoti potestas absolvendi à peccatis competere possit? 4. Thomas quidem negat, attritionem fieri posse contritionem, quia actus sint diversi, diversa principia, ille timorem servilem, hic filialem habentes. At ex attrito contritum fieri posse virtute Sacramenti, non negat.* ib. pag. 479 480. Resp. 1. An semper absoluti vestri meliores evadant, tute optimè noveris. Nunquam hoc, sat scio, ut credas ipse, induci poteris. Utinam non fiducia absolutionis vestræ, quæ nullum in foro soli valorem habet, plerique redderentur nequiores, quàm antehac fuerunt. 2. Valentia vester contritum ex attrito fieri nonnisi contingenter, te ipso indice, statuit. Non ergo per se melior evadit, quia sine contritione melior non evadit. Quin eò impudentiæ Lojolita ille processit, ut loco citato *pag. 4.* asserere non dubitaverit, contritionem adeò necessariam non esse ad effectum Sacramentorum percipiendum, ut magis obstet; quò minùs ille sequatur. *Igitur absurdum esset*, inquit, *præceptum, quod contritionem ad eam rem requireret, ut convenienter & fructuosè ista Sacramenta percipiantur. Quemadmodum certè absurdè faceret medicus, qui ægroto præciperet, ut non susciperet medicamentum, nisi priùs conatus esset absque medicamento morbum depellere.* 3. Bene est, si tantum potestatis Sacerdotibus vestris competit, quantum Judæ proditori competiit. Illi enim certè Sacerdotalem potestatem Christus non tribuit: imò ne Sanctos quidem Apostolos Sacerdotes propriè dictos fecit. 4. Sic Thomas loco citato attritionem devenire posse contritionem negat, ut contritum ex attrito fieri posse, neutiquam asserat. Cum enim nonnisi per contritionem fieri contritus possit, si ex attritione contritio fieri nequit, neque ex attrito contritum fieri posse, consequitur.

OBIECT. VI. *Patres etiam, Tertullianus lib. de pœnitentia, Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum, Cyprianus serm. de lapsis, Hieronymus in Cap. 1. Malachiæ, Chrysostomus lib. de compunctione cordis, Augustinus in Psal. 127. timorem pœnæ commendant.* Resp.

 1. Nullus

Digitized by Google

1. Nullus vel horum vel aliorum etiam, quos Bellarminus allegat, sacramentalis absolutionis supplementi vel uno apice meminit. 2. Commendant timorem pœnæ & mortis non absolutè, sed quatenus gradus est ad fidem & amorem Dei: neque ut causam salutis, sed ut argumentum officii, uti singula loca expendenti facilè patet.

EXCIP. REDINO: 1. *Ex sententia Patrum fides timorem præcedit.* 2. *Quomodo actus faciens hypocritam, & in fide non radicatus, gradum ad amorem Dei facere potest?* lb. pag. 480. 481. Resp. 1. Fidem intellexi fiduciam in gratiam remissionis, & meritum Christi recumbentem. cui timor pœnæ cedat necesse est. 2. Timorem à fide & charitate sejunctum, non cum ea conjunctum hypocritam facere statuimus. Per eum enim homo Deum fugit, & tacito quodam odio interiùs persequitur: facitque invitus, quicquid carnali metu pœnæ facit, uti etiam S. Augustinus *lib. III. ad Bonfac. cap. 4.* docet.

OBIECTIONES reliquas discussimus partim in quæstione *de timore gehennæ*; partim in quæstione *de Sacramentorum efficacia.*

QUÆSTIO VII.

An Confessio secreta, quâ aperiuntur Sacerdoti omnia peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habetur, etiam occulta, & circumstantiæ, quæ speciem mutant, sit jure divino ad salutem necessaria?

ASserit Canon VI. & VII. Nos negamus. Rationes.

ARG. I. Quod in N.T. jure divino ad salutem necessarium est, id Christus instituit. At Christus auricularem confessionem non instituit. Etenim nec remittens peccata secretam hanc peccatorum enumerationem exegit, nec Apostolis ut exigerent, mandavit. Neque ullum secretæ ejusmodi confessionis exemplum ostendi uspiam potest.

RESP. REDING: *Absolutio seu remissio peccatorum, cujus potestatem Apostolis delegavit Christus, peccatorum notitiam; & hæc confessionem requirit.* Tomo II. Tract. VII. Ss. 2. pag 481. Resp. Achillem huncce vestrum in objectionis primæ solutione debellavi.

ARG. II. Secreta confessio est carnificina animi, & desperationis laqueus. Etenim, perpetim conscientia dubia sit oportet de impetrata remissione, cùm

Digitized by Google

cùm de sufficienti & justo scrutinio certa esse nequeat. Deinde verecundia & timor prohibet, quò minùs ingenuè omnia peccata sibi nota confessor aperiat. Tum jubentur homines aperire peccata mortalia. Quotusquisque verò discrimen inter mortalia & venialia peccata dextrè statuet? Quin & requiritur ad effectum remissionis sacerdotis intentio. At illa certò explorari nequit. Denique Scholastici tot excogitârunt casus, quibus confessio fiat invalida, ut juxta illorum deuteroses impossibile esse confiteri, fateantur adversarii multi. Quæ causa est, quòd B. Rhenanus *Prœmio Not. in Tertull. de pœnit.* prolixas de eo exponit querelas Carthusianorum, Franciscanorum, Sanctimonialium, & ejusmodi tormenta, quibus piæ mentes vix unquam satisfacere queant. Confer Cassandrum *Consult. art. II.* similes querelas ingeminantem.

Resp. Reding: 1. *Ergone etiam David cogitando dies antiquos, Ezechias in amaritudine animæ recogitando annos similem in se carnificinam exercuerunt? 2. Sufficientis de peccatis scrutinii non ad rigorem metaphysicum, sed ad humanam & moralem industriam exacta certitudo sufficit. 3. Facilis quinetiam peccatorum mortalium & venialium discretio est; si hoc unum attendatur, an contra legem Dei, Christi & Apostolorum pugnent nec ne. 4. Cùm verecundia non cohibuerit à peccatis patrandis, & ab iisdem confitendis, multò minùs cohibere debet. 5. Rhenanus mala fide à te citatus de confessionis integritate non formali, sed materiali loquitur.* Ib. pag. 481. 482. Resp. 1. Mitte Davidis & Ezechiæ exempla alienissima. Neque enim illi vel Sacerdoti, vel in aures peccata sua singula insusurrarunt, nedum confessionem ejusmodi causam remissionis crediderunt. Mitto reliqua dissimilia omnia. 2. Præterquam quòd non levis, imò ad conscientiæ tranquillitatem stabiliendam Divina certitudo requiritur, si peccata non confessa non remittuntur, uti vos sciscitis; etiam scrutinii peccatorum ad humanam & moralem industriam exacta certitudo apud vestros fluctuet oportet. Unde enim iis constat, humanam, & moralem industriam sufficienter adhibitam esse? Quid si memoria fallat, & peccatum grave admissum, vel admissi circumstantias notorias non suggerat? Incertus semper erit, an ob humanam infirmitatem & industriæ defectum officio satisfecerit. Imò si pius & cordatus sit confitens, omnem diligentiam & industriam suam ipse suspectam habebit. Quò enim salutis & remissionis, ac peccati nostri cum Deo negotium, etiam gravissimis maximorum Principum, potentissimarúmque civitatum rebus, majus est; hoc majorem & diligentiorem nostram de illo curam ac excussionem animi nostri esse decet. Quotusquisque verò confitentium in se excutiendo parem istorum in expendendis ac examinandis sive suis, sive publicis negotiis curam ac diligentiam adhibeat? Ergo plerosque labascere & titubare necessum est, cogitantes multa forte sibi excidisse, quæ non confessa ad æternam mortem imputentur. Et de peccatorum singulorum circumstantiis aggravantibus vel speciem mutantibus, quæ non dubitationes animum exercebunt? Neque abs re hæc à nobis urgeri, docet ipsum Divi vestri Ignatii Lojolæ exemplum, qui, Orlandino *Hist. Societ. lib. I. Ss. 25. 26.* teste, confessionibus maximè vacans in æstus & pavores conscientiæ inexplicabiles incidit, dum primò vereretur, ne multa memoriam suam in confessione generali fugissent, novæque semper

Digitized by Google

ſemper aliæ ex aliis dubitationes exorirentur, nullúſque fieret ſcrupulorum & angorum finis, & infixus pectori vermis medullas carperet, ſuccúmque omnem pietatis conſumeret, etiam ipſas virium corporis reliquias depaſceret, donec tandem poſt ſolidam unius hebdomadæ inediam Deus veluti ἀπὸ τῆς μηχανῆς ipſi apparens priſtinam ei mentis tranquillitatem redderet. Cúmque de confeſſionis integritate, contritionis neceſſitate, ſatisfactionis ſufficientia inter Caſuiſtas plurimæ lites ferveant, confitentem inter diverſas iſtorum opiniones, velut inter oppoſitos infames ſcopulos deprehenſum neceſſariò fluctuare & torqueri dubium, ac tantùm non Cœlum inter & Tartarum medium pendere, neceſſe eſt. Accedit ſcrupulus perpetuus, quem Tridentini veſtri, definientes *Seſſ. XIV. cap. 6.* non debere ſibi pœnitentem blandiri, ut putet ſe coram Deo eſſe abſolutum, *etiamſi Sacerdoti animus seriò agendi, & verè abſolvendi deſit*; fixerunt. Quis autem Sacerdoti abſolventi animus ſit, præter Deum nemo certò novit. Imò ne quidem confitenti certò conſtat, an Sacerdos abſolvens ritè ordinatus, adeóque abſolutio ejus valida ſit nec ne. Tanta igitur confeſſionis exercendæ difficultas eſt, ut Bellarminus non dubitaverit inde argumentum Divinæ ejus inſtitutionis arceſſere, eò quod credibile non ſit *vel Eccleſiæ Præſides auſuros fuiſſe legem adeò difficilem ferre, aut populos perſuaderi potuiſſe, ut eam acciperent.* Jure ergo optimo carnificinam conſcientiæ appellavi. 3. Neque peccatorum mortalium à venialibus diſcretio juxta doctores veſtros difficultate caret. Ipſimet enim in definiendis venialibus peccatis diſtrahuntur opinionibus, dum Thomas, & aſſeclæ venialia peccata eſſe pertendunt, quæ non contra, ſed *præter legem* ſunt; Durandus, Cajetanus, Vega, quæ *contra legem* ſunt; Gerſon & Almainus, Pariſienſes Theologi, quæ talia ſint *ex voluntate Dei, ita de peccatis nonnullis ſtatuentis*; Fiſcherus Roffenſis Epiſcopus, & Bajus, quæ *ex miſericordia Dei* veniam impetrent. Et ut peccata mortalia ſint, quæ contra, venialia, quæ præter legem Dei ſunt, quotuſquiſque veſtrum confitentium omnia Dei, Chriſti, Apoſtolorum præcepta in numerato habet, in tanta inprimis populi veſtri, in implicita fide pietatem ſuam collocantis, barbarie? Et cum ſeptem peccata mortalia myſtagogi veſtri numerent, quàm facilè contingere poteſt, ut plurimi, maximè de vulgo, quæcunque in ſeptenario iſto numero non recenſita audiverunt, ea omnia venialia exiſtiment, qui immanis, à Sacris literis, & ab ipſis iſtorum placitis vehementer abhorrens error eſt. 4. Par ne ergo in patrandis & confitendis peccatis verecundia obtinet? De eo infra videbimus. 5. Rhenano nunquam diſtinctio tua in mentem venit. Ne quidem ipſum, credo, legiſti. Ponam ego ejus verba, quæ in ruborem te dabunt. Sic enim *Præfat. in Tertull. de pœnit. pag. 47.* habent: *A Franciſcanis & Carthuſianis diſcebat* (Joh. Geilerius, Argentoratenſis olim concionator & Theologus, cum multa gravitatis ac ſanctitatis laude ab eodem memoratus) *quibus tormentis quorundam piæ mentes affligerentur ob confeſſionem, cui ſatisfacere, ut ipſis videbatur, nequirent. Similes querelas ad eum deferebant Sanctimoniales. Proinde motus fuerat, ut libellum ederet in lingua Germanica, cui titulum fecit, de morbo confeſſionis, quo negabat eſſe triſtiorem, qui eo tenebantur. Erat Carthuſianus quidam, qui propter confeſſionem, quæ ei ſemper ob inexplicabilem circumſtantiarum vim imperfecta videbatur, ſed ipſe perfectiſſimam eſſe fruſtra contendebat, huc miſeriarum venerat, ut omnem ſalutem deſponderet, & apocartereſin cogitaret. Hujuſmodi homines libuit illi eo libello conſolari, id quod antea in ſcriptis ſuis fecerat Johannes Gerſon. Ita Geilerio non diſplicebat confeſſio, ſed moroſitas illa & anxietas quorundam, quam docent aliquæ recentiores ſummulæ &c.* Caſſander *Conſult. art. II.* ſimilia habet. *Credo*, inquit,

Digitized by Google

quit, de hac re controversiam nullam fuisse futuram, si non salutaris hæc confitendi medicina ab imperitis & importunis medicis multis inutilibus traditiunculis referta & contaminata fuisset; quibus conscientiis, quas extricare & levare debebant, laqueum injecerunt, & tanquam tormentis quibusdam excarnificarunt.

ARG. III. Docet Christus Matth. XVIII. 15. ei, qui potuerit ἐλέγχεσθαι & reprehensus obediverit, nos peccata remittere debere. Remittere ergo jubet sine interventu secretæ confessionis.

Resp. Reding: *An remissionis capax esse potest, qui culpam non agnovit & confessus est?* Ib. pag. 482. Resp. Capax esse potest ex Christi præcepto, licet Sacerdoti peccatum admissum, ejúsque circumstantias non revelaverit. Nam elencho defunctum lucrifecisse jam fratrem, si audiverit, sine ulla ad Sacerdotem relegatione, testatur.

ARG. IV. Recitatio peccatorum est μελέτη ἀναισχυντίας, exercitatio impudentiæ, quæ tangitur haud dubiè 2. Tim. III. 6. 7. Huc pertinent scandalosæ quæstiones, quas Casuistæ Confessariis injungunt apud Toletum, Angelum de Clavasio, Sanchez, Navarrum, Benedictum, Burchardum. Quid quòd mutus, uti docent Toletus & Navarrus, tenetur peccata sua confiteri & prodere gestibus? Quod non potest non turpiter fieri. Puduit hujus impudentiæ Melchiorem Canum, qui *Relect. de pœnit. p. 6.* fatetur, ex summis confessionum, quæ publicè prostant; *disci non confitendi, sed peccandi rationem & normam.*

Resp. Reding: 1. *Locus 2 Tim. III. 6. 7. potiùs vestris quadrat, judice etiam Erasmo, tibi familiari, ad Vulturium Necomium scribente, multos ex Evangelicis factos deteriores, indulgentes luxui, libidini & pecuniæ, semper discentes, &c.* 2. *Casuistæ nostri confessarios pro quibusvis Divinæ legi & honestati repugnantibus casibus instruunt eum in finem, ut puritatem conscientiarum in eluendis peccatis etiam occultis procurent, iis tamen cautelis adhibitis, ne vel perversis occasio enormiùs labendi, vel infirmis ulterioris ruinæ ansa detur. Quæ cautelæ si quando prætereuntur, quid hoc ad confessionem Divinitus institutam? Si igitur quispiam, cujus oculus dexter nequam est, eas Casuistarum quæstiones per Pharisaicum fermentum scrutatus, sibi scandalo sit, is dictum sibi putet: Qui sordescit, sordescat adhuc.* 3. *Impuritatem spiritus tui prodis, cùm in modo manifestandi peccata per nutus & gestus, impuri quicquam tibi imaginaris.* Ib. pag. 482. 483. Resp. 1. Non Erasmus aliquis, neutrarum in religione partium homo, sed ipse S. Paulus sœpiuscule dixit, & semel cum lachrymis dixit, *plures*, Evangelium scilicet idem professos, *ambulare ut hostes crucis Christi*, Phil. III. 18. Et plures eo tempore, quo Evangelii doctrina superiori Seculo denuo emersit, ambulasse similiter, an mirum cuiquam accidit? Papatus enim fermentum in plurium animis nondum detumuerat, & vel exiguum fermentum totam massam facilè corrupit. Sed quid tum postea? Non id Evangelicæ doctrinæ nostræ, sed humanæ malitiæ culpa accidit. Sed vestra morum perversitas, & impudentiæ illa in confessione exercitatio ex doctrinæ vestræ dictamine sequitur. Toto ergo Cœlo causæ nostræ distant. Tegere quidem disciplinæ vestræ probra studetis. Sed nulla diligentia efficere potestis, quin vel vestris prodentibus multa rescifcamus. Ipse,

Digitized by Google

quem mihi objecisti, Erasmus, *Exomolog. T.5. pag.129.* non dissimulavit, *confitentes in eos sæpe Sacerdotes incidere, qui sub prætextu confessionis patrant non referenda, proque medicis fiunt aut socii, aut magistri, aut discipuli turpitudinis. Et utinam,* inquit, *hoc frustra videar monuisse, ac non tam multa passim exempla occurrerent, quæ nec sine dolore recordor, nec sine pudore possim referre.* Ex hoc Sacerdotum genere ille fuisse videtur Sanctimonialium præfectus, quem idem Erasmus paulò antè *pag.128.* narrabat cuidam Theologo esse confessum, *sese stuprasse ducentas virgines.* Quin & mala confessionum in novem classes distributa eodem Exomologeseos opere *pag.128. &c.* fusè adeò idem Erasmus explicavit, ut Inquisitores Hispani propalatorum dedecorum impatientes integrum locum, sex grandes paginas complectentem, improbè pro consueta audacia resecuerint. Quid verò multis? Annon, qui apud vos confitentur, contra disertum Apostoli Eph.V.3.4. præceptum multa inhonesta ac turpia eloqui; præterita correctáque, & ante plures menses admissa, atque oblivione pœne sepulta flagitia cogitatione retractare, mente & memoria versare, & quæ penitus obrui, ac sepeliri, velut purgamenta, decuerat, ea effodere, ac in lucem protrahere coguntur, maximo cum dedecore? Sive enim pœnitens verè emendatus, & in spiritualem virum conversus est, necesse est eum isthac fœditatum suarum recognitione non parum turbari, & pace gaudióque, quo in Christo jam fruebatur, spoliatum angi: sive carnalis est, uti sunt plurimi, fieri nequit, quin ejus animus polluatur, & concupiscentiæ labe, titillatione & prurigine inficiatur. Accedit, quòd ex ore Confessarii multa ignota peccata, multas peccatorum arcanas species confitentes discunt. quæ scientia quàm perniciosa sit, omnes vident. Corruptis enim animis vix unquam impune peccata, & peccatorum imagines monstrantur. Cogita autem, quantum, quámque pestilens malarum ac impurarum cogitationum ac libidinum agmen in virginum, matronarúmque simplicium ac pœne innocentium animos invehat, qui eos ex Burchardi vel Sanchezii alicujus canonibus ac disciplina interrogat confessarius; quantam exinde pietatis & sanctimoniæ perniciem inducat. Præterea confessio hominum verecundiam deterit, paulatímque planè consumit. Nam qui semel pudoris primos limites transilierunt, ii gnaviter impudentes fieri solent; indéque est, quòd deprehensis audacia crescit. 2. Casuistas vestros, Confessionarios informantes quod attinet, satis jam constat illorum chartas, quæ sanctimoniæ ac verecundiæ plenæ esse debuerant, priscis Elephantidos libellis, & nuperis perditorum Italorum voluminibus obscœniores esse; in quibus, velut in lupanarium scriniis, omnes turpitudinum species ac modi, etiam qui nullo apud flagitiosissimos in usu fortasse sunt, accuratissimè descripti continentur. Audi viri ex Romana communione gravissimi, Petri Aurelii de Sanchesii denso, quod *de Matrimonio* inscribitur, opere judicium. *Opus est,* sic ille *Vindic. cens. Facult. Parif. pag.517.* scribit, *non gloriandum, sed pudendum tam immani curiositate, tam invisa in rebus spurcissimis, & infandis, & monstrosis, & Diabolicis perscrutandis sagacitate horrendum, ut mirum sit pudoris alicujus hominem ea sine rubore scripsisse, quæ quivis modestioris ingenii vix sine rubore legat. Portenta ista sunt, non scripta; animorum insidiæ, non mentium subsidia; incentiva libidinum, schola flagitiorum, non honestæ disciplinæ, non scientiæ Christianæ instrumenta. Infelix scientia, quæ omnes perdere, paucos juvare apta nata est, quæ circa sordes & sterquilinia volvenda & revolvenda volutatur, ut ejus doctorem jure cum scarabæo conferas, vel cum iis, qui latrinariam factitant, vel qui ejus artis fusissima volumina graphicè conscribenda suscipiunt. Quanquam eo illud tetrius & odiosius est, quia corporum fæces molestiam & turpitudinem* brevio-

breviorem habent ; illa animorum purgamenta , illa venereæ totius sentinæ indagatio & ante legentium oculos effusio, non fœditatis modò permultum, sed periculi & perniciei multò amplius vehit , quò animi vel ipsa inusitata & inaudita turpitudinis novitate moveantur. Castigata dein Jesuitarum Granatensium, qui operi huic infinita cum laude auctoris præfati sunt, dictitantes etiam, *neminem superiori Seculo dubias de Matrimonio controversias uberiùs & limatiùs , quàm istum , enodasse* ; impudentia ; *Equidem,* inquit pag.518. *si de uberima & subtilissima spurcitiarum omnigenarum ventilatione agitur, nemo unquam eam laudem Thomæ Sanches eripiet ; quin omnium primus Sacramentum matrimonii cum tanta cogitationum , sermonisque licentia , imaginatione potiùs, quàm judicio duce versavit, quantam ante ipsum Ecclesia ab initio Christiani nominis, nec viderat, nec audierat. Modestiores fuerunt semper Ecclesiastici tractatores, non obliti Apostoli vocem : Fornicatio & omnis immunditia &c. nec nominetur in vobis Nec tanti fecerunt ancipitem istam & periculosam conjugalium arcanorum , flagitiorum , piaculorúmque scientiam.* Neque tamen querela isthæc & indignatio pauciorum & meliorum ex Romana communione prohibet, quò minùs multi quotidie apud eos ejusdem furfuris libri, maximè à Jesuitis, artis istius turpissimæ & quæstuosissimæ facilè principibus, nulla verecundiæ habita ratione, nulla cautelarum, quas Redingius dicis gratia allegat, edantur. Nam si qui necessarias cautelas (cautelas tamen Redingius appellat, quæ tales neutiquam sunt) observassent, at non observant arcana Confessionis tribunalia, quæ omnem istam sentinam moveri ac discuti , curioséque à singulis pœnitentibus delicta omnia, quorum nullum scilicet nisi confessum , remitti posse præstruunt, requiri jubent. Summam igitur hic à confessario diligentiam adhiberi , & pœnitentem, præsertim, si rudis sit, & rerum Divinarum imperitus, de singulis peccatorum generibus , speciebus , modis ac circumstantiis, ne quid non confessum supersit, interrogari necessum est. Unde liquet & confessarios, qui cœlibes sunt, & confitentes instituti hujus vi necessariò fieri impudentes, & ad omnia ista turpia, si non scribenda & divulganda, at certè in arcano colloquio eloquenda, sciscitanda & recitanda cogi. 3. Impuritatem spiritus tui tu potiùs apricaris nimiùm, cùm in modo manifestandi peccata per nutus & gestus pura omnia tibi imaginaris. Sic accidit vobis, quod latrinæ assuetis assolet, quibus moram in iis aliquandiu nectentibus nullus ampliùs gravis fœtor est, qui tamen vel inexpertis, vel primùm adeuntibus gravissimus esse solet.

ARG. V. Confessio est vinculum Regni Papalis. Nam hamus est sacerdotum & ecclesiæ, cujus hoc modo mirificè crescunt divitiæ, authoritas, ac formidabilis potentia. Sic enim *Scire volunt secreta domûs, atque inde timeri.* Magistratus & imperia subiguntur terrori Papæ, qui arcana quæque hac via inquirit. Prætextu sigilli vita Regum & Principum in anceps discrimen adducitur, ut palam facit illa Jesuitæ Bineti vox, *præstare omnes reges occidi, quàm vel semel sigillum Confessionis revelari*, apud Casaubonum Ep. ad Eudæmon. Johann. Casus majores reservantur Papæ, tanquam summo Hierarchæ & principi ecclesiæ. Denique imperandis post confessionem satisfactionibus totum sibi mundum Papa subjicit.

Digitized by Google

RESP. REPING: 1. *Cùm confessio authoritate absolvendi à Christo concessa nitatur, si vinculum est Regni Papalis, à Christo institutum esse Regnum Papale, pariter consequitur.* 2. *Si ex speciali Dei, Ecclesiæ Nutritios promittentis, beneficentia, inde Ecclesiæ divitiæ proveniunt, an claves Ecclesiæ datas eo argumento impugnare fas est?* 3. *Cùm ipsi Pontifices, Gregorius & Innocentius III. Canonibus conditis tam rigidum statuerint secreti pœnitentialis sigillum, non igitur Papa & Sacerdotes Confessionis ope arcana quæque expiscari intendunt.* 4. *Cúmque malum faciendum non sit, ut eveniat bonum, sigillum confessionis violari nequit, ut vita Regum salvetur.* 5. *Neque majorum causarum reservatio, & ad Papam delatio vituperari potest, quia is Divino jure summus Ecclesiæ princeps est, & absolutionem, ac satisfactionis impositionem salvo sigillo, aliis delegat, denique non subjectionem mundi, sed salutem pœnitentis spectat.* Ib. pag. 483 484. Resp. 1. Egregium verò Papæ Regis, & Regni ejus à Christo instituti argumentum! Quasi verò Confessio, si maximè, quod nunquam probasti, Divinitus instituta esset, peregrinum in usum, perinde ut ministerium clavium, à Christo revera institutum, hominum malignitate trahi non posset? 2. Claves Ecclesiæ datæ Cœli, non terræ thesauros aperiunt. Sunt enim claves Regni Cœlorum. Quæ igitur avaritiæ hominum, pietatem quæstui habentium, vix usquam alibi quàm Romæ stabulanti, inservire coguntur, non Christi, sed Antichristi claves haud dubiè sunt. 3. An verò secreti sigilli religio obstat, quò minùs secretissima quæque in confessariorum, Papæ inprimis, qui supremus confessarius est, & ad quem maximè arcana deferuntur, notitiam veniant, & rationes dominationis suæ inde illi instituant? Sed, quicquid tu restites, jam pridem cordatioribus suboluit, imò penitus innotuit, nefaria & funesta totis Regnis ac Rebuspublicis consilia in illo interdum secreto agitata fuisse. Bella inprimis Galliæ ab Henoticis adversus Henricum III. & IV. gesta constat Confessariorum maximè consiliis atque artibus, & primùm commota exarsisse, & postea iisdem flabellis suscitata & succensa tandiu fuisse, ut vix restingui potuerint. Cujus rei auctorem gravem Thuanum *Annal. lib.* 85. testem locupletissimum habemus. Huc etiam pertinet, quod apud vitæ Pauli Sarpii Veneti scriptorem *pag.* 110. legere est, nempe Hippolytum Lucensem, magna fama Theologum, Ducissæ Urbini, cujus erat Confessarius, in illo confessionum arcano persuasisse, ut Ecclesiasticæ factioni contra Cæsarem Estensem adhæreret; & ob navatam in eo negotio operam Montispilosi in Neapolitano Regno Episcopatu à Cardinale Aldobrandino, Clementis VIII. nepote, donatum esse. Neque dubitandum, quoties hujusmodi causæ Papam inter & Principes vertuntur, quin ad hoc exemplum Confessarii sui ministerii opportunitate sæpe in Romanæ Sedis gratiam, magno Principum ac Rerumpublicarum damno & detrimento, abutantur. 4. Ne sigillum confessionis reseretur, merè humana constitutio est: ut vita hominis, Regum inprimis, unctorum Domini, quos contrectari idem severissimè vetuit, conservetur, planè Divina, naturæ omnium hominum impressa, & verbo Dei testata, constitutio est. Vos igitur sigilli vestri prætextu Regum Principúmque vitam negligentes, propter traditionem vestram legem Dei aboletis. quod in Pharisæis graviter Christus Matth. XV. 6. Marc. VII. 9. reprehendit. Sic planè res habet. Affirmat enim Suarez *de Pœnit. disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 2. disertè, *in nullo casu, & propter nullum finem, etiam pro tota tuenda Republica ab ingenti malo temporali & spirituali, violari sigillum licere.* Idem habet Emanuel Sa Jesuita Aphorismis, verbo *Confessor.* Extat Epistola Viri Doctissimi, Isaci Casauboni, ad Frontonem Ducæum Jesuitam, in qua testatur sibi dictum à Bineto Jesuita, *præstare omnes Reges occidi, quàm vel semel confessionis sigillum*

sigillum revelari. Et Perronius libro adversus Regem Britanniæ scripto *cap.6.7.* approbat apophtegma Jesuitæ, qui dixerat: *Si Christus in terra adhuc ageret, potiùs permittendum, ut trucidaretur, quàm confessio revelanda.* Nequissimus sit oportet, in cujus sinum tutò adeò parricidii & proditionis consilia deponuntur; summa quidem fide erga parricidas & perduelles; sed in Regem, patrem, patriam summa perfidia. Cùm tamen perjurium Lege Dei vetetur, & honor, obedientia ac fides erga patrem & Regem verbo Dei præcipiatur: at de silentio & sigillo confessionis altum in S. Scriptura silentium sit. 5. Cùm Papa Divino jure nec Princeps, nec summus Princeps Ecclesiæ, sed nefarius usurpator summi principatus soli Christo competentis sit, & casuum reservatorum arbitrum se sine Divino suffragio gerat, denique animarum salutem post Regni sui commoda & cupiditates habeat, quo loco sit habenda casuum reservatio, & satisfactionum imponendarum arbitrium, ultro liquet.

ARG. VI. Illud verò durissimum jugum est, quòd Synodus cap.V. jubet Confessario revelare *occultissima*, etiam *cogitationis peccata*, & cupiditates militantes *adversus duo ultima* Decalogi præcepta. Cùm tamen ipsa Synodus Sess.V. definiverit, concupiscentiam lege vetitam in regenitis non esse verè & propriè dictum peccatum. Sic igitur inhonesta cogitatio, quæ fortè virgini obrepserit, sacerdoti revelanda fuerit.

RESP. REDING: *Christus Sacerdotibus potestatem largiens remittendi peccata, indefinitè omnia peccata intellexit. Ergo etiam occulta, & cupiditates quatenus libero voluntatis consensui subsunt.* Ib. pag. 484. Resp. Frustra confessionem secretam & particularem ex potestate remittendi peccata vos eruere conari, infra ostendimus. Cúmque contra ultimum Decalogi præceptum quævis concupiscentiæ, adeóque etiam consensum voluntatis præcedentes prohibeantur, antilogia vestra à me animadversa in aperto est.

ARG. VII. In confessione Sacerdos non scrutatur conscientiam peccatoris, an Deum amet toto corde? An credat in Christum? An promissiones Evangelii amplectatur? An rejiciat suas curas in Deum? An Dei honori studeat? pauperes alat, scripturam meditetur, &c. Petuntur à confitente non alia, quàm *Catholicitatis Romanæ* certiora indicia.

RESP. REDING: *Cur scrutaremur amorem Dei ex toto corde, præceptorum & consiliorum Evangelicorum observantiam, quæ juxta vos impossibilis est? Scrutinium autem à Sacerdote fit sub discreta cujusque statui congrua prudentia.* Ib. pag.485. Resp. Bellam responsionem tuam! Siccine ergo confessionem vestram nostris accommodatis hypothesibus? Præterea amor Dei ex toto corde, obedientia Evangelicis præceptis (consilia enim vobis malis consultoribus relinquimus) præstanda, honoris Divini studium &c. officia sunt cuilibet hominum statui communia, & quidem ad salutem necessaria omnibus. An hæc & similia confessio vestra sciscit? An Sacerdotum prudentiam harum rerum percontatio dedecet?

ARG. VIII. Secreta confessio Ecclesiæ primitivæ fuit incognita, teste Gratiano *Dist.1.de pœnit.* B. Rhenano, Polydoro Vergilio. Requirebat quidem

Digitized by Google

ecclesia publicam exomologesin in gravioribus peccatis. Cùmque in Ecclesia Græca publicæ Confessioni privata adjungeretur, quâ sacerdoti ἰχεμύθῳ liberè graviora crimina aperirentur, non diu duravit mos, sed à Nectario, teste Sozomeno, abrogatus est. Et abrogationem ratam habuit Chrysostomus, Nectarii successor, aliique Episcopi Orientales. In Ecclesia verò Latina secreta illa confessio ante tempora Concilii Lateranensis Innocentio III. Papa habiti (eo scilicet tempore quo extincta pietate & doctrina, sine delectu quidvis licentiæ Pastorum larvæ sibi sumpserunt;) pro necessaria ad salutem non est habita. Qui veteris Ecclesiæ de Confessione sententiam cognoscere avet, ex Forbesio *Instruct. lib. XII. cap. 5.* eam nullo negotio perdiscet. Plura etiam addemus infra in objectionis 7 solutione.

RESP. REDING: 1. *Gratianus dist. 5. de Pœnit. ejusmodi confessionis necessitatem agnoscit, ut qui eam negligit, tremendo Dei judicio separandus sit in æternum ignem. Licet autem ibidem Glossa dicat, confessionem institutam esse à quadam universalis Ecclesiæ traditione potiùs, quàm V. & N. T. authoritate, tamen traditionem eam agnoscit obligatoriam apud Latinos scilicet, non Græcos, utpote ad quos traditio illa non manaverit. Qui tamen in Glossa est error non tam facti quàm juris. 2. Nectarius non confessionem, sed publicam peccatorum confessorum manifestationem abolevit. 4. Chrysostomus verò in cap. 18. Luc. homil. 8. & de Lazaro homil. 4. secretam confessionem disertè agnoscit.* Ib. pag. 485. 486. Resp. 1. Gratianus, in Schola vestra Canonica magnus Apollo, initio tractatus de Pœnitentia quærit: *An sola cordis contritione & secreta satisfactione, absque oris confessione quisquam Deo possit satisfacere?* Tum; *sunt*, inquit, *qui dicant, quemlibet criminis veniam sine confessione Ecclesiæ & Sacerdotali judicio posse promereri.* Ergo etiam Gratiani ætate non deerant, qui confessionis necessitatem nulli agnoscerent. Mox hanc istorum sententiam plurimis Scripturæ & veterum dictis confirmat. Sed & oppositæ opinionis fundamenta explicat, & perducta huc usque disputatione ipse quidem nihil definit, sed *cap. 89. Quamvis.* rem totam lectoris arbitrio permittit. *Utraque*, inquit, sententia *fautores habet sapientes & religiosos viros.* Hæc ille, quam Estius *in 4. d. 17. S. 7.* de hac re *non habuisse fixam sententiam*, Gregorius Valentia *T. 4. in Thom. disp. 7. q. 9.* etiam *errasse, atque hallucinatum esse*, dicunt. Subjicit idem Gratianus *cap. 90. Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam Sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota ferè sancta Ecclesia; quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam &c.* Ubi verba, *ut Græci*, è margine in textum irrepsisse Bellarminus, Gratiano diffisus, finxit, cùm tamen illa & Burchardus, & Ivo, multis annis Gratiano antiquiores, & è quibus ille locum hunc descripsit, repræsentent. Quid verò multis? Thomas Aquinas ipse *in 4. d. 17.* quærens. *An sufficiat peccata Deo confiteri*, respondet: *Magister & Gratianus hoc pro opinione ponunt. Sed nunc post determinationem Ecclesiæ sub Innocentio III. factam, hæresis reputanda est.* Idem sentit Bonaventura, Thomæ σύγχρονος, qui in hunc Magistri locum disputans, ait, ante Innocentianæ determinationis tempus *hæreticum non fuisse, confessionis vocalis necessitatem negare*; quòd multi Doctores Catholici ita sentirent, *uti ex Gratiano*, inquit,

Digitized by Google

inquit, *apparet.* Quæ verò ex *Dist. 5. cap 1. Consideret*, citas, non Gratiani verba sunt, sed nescio cujus, Authoris scilicet libri de vera & falsa pœnitentia supposititii, quem Augustinum Glossator facit, Trithemio, Erasmo, Lovaniensibus & Parisiensibus editoribus id meritò negantibus. 2. Famosum Nectarii, Constantinopolitani Episcopi factum à Socrate *Histor. Eccl. lib. V. 19.* & Sozomeno *Histor. VII. 16.* narratum diversis interpretationibus obnoxium esse, non ignoro. Consulat de eo, cui lubet, Celeb. Dallæum *de Confess. lib. IV. 24.* Quomodocunque autem explicetur, cladem opinioni vestræ affert. Si de abolitione confessionis privatæ, ne ipse quidem negare ausis. Si de abolitione publicæ, qua videlicet peccata Presbytero, Pœnitentiali judici pro tempore constituto, necessariò confitenda fuerint, ruit simul Innocentianæ vestræ confessionis privatæ necessitas, utpote cum qua omnia, quæ de facto illo Socrates & Sozomenus commemorant, pugnent. uti fusè Dallæus *loc. cit.* probavit. Vel solum Nectarii decretum Confessionem vestram configit, quem ait Socrates Eudæmonis consilio obsecutum *περιελεῖν μὲν τὸν ἐπὶ μετανοίας πρεσβύτερον. συγχωρῆσαι δὲ ἕκαστον τῷ ἰδίῳ συνειδότι τῶν μυστηρίων μετέχειν; Presbyterum pœnitentiarium sustulisse, & liberam dedisse potestatem, uti pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet.* An sic quoque apud vos fit? 3. Chrysostomo turpiter imponis. Is enim de confessione loquitur; at non de auriculari, scrupulosa, necessaria, Sacramentali, & Sacerdotalis silentii sigillo obsignanda. Innumera ferè Chrysostomi loca, quibus asserit, sola apud Deum confessione peccata pœnitentibus remitti, afferri possent; & allata atque vindicata solidissimè ab eodem Dallæo *De Confess. Lib IV. cap. 25—33.* sunt.

ARG. IX. Juris divini non esse secretam confessionem fatentur Nicolaus de Orbellis, Panormitanus, Felinus, Petrus Osmensis, alii. Scotus ad Sacramentum pœnitentiæ eam pertinere negat *in 4. Sent. dist. 14. q. 4.* Eámque sententiam tuentur omnes Scotistæ. Varia de institutione ejus judicia indicat auctor Glossæ de pœnitentia dist. 5. Confer Forbesium Instruct. lib. IX. 5. 24. 25. &c.

Resp. Reding: *Licet Scotus essentiam Sacramenti Pœnitentiæ ponat in absolutione, alibi tamen, præsertim dist 16 q 1. Ss. Hæc tria &c. ad integritatem Sacramenti Confessionem præviam requirit. Etiam Panormitanus & Felinus ejusdem necessitatem agnoscunt. Qua ergo fronte eos pro causa tua testes inducis?* Ib. pag. 486. Resp. De Scoti sententia supra. Confessionem agnoscit is dispositionem præviam ad pœnitentiam; at partem Sacramenti Divinitus institutam esse negat. Sic quoque Panormitanus, sic Felinus, sic plures alii quondam censuerunt. Possent etiam consentientes produci Goffridus, Lombardus, Gratianus, Thomas, Bonaventura, Antoninus, alii pertendentes, peccata contritis à Deo, etiam à nullo Sacerdote absolutis dimitti. Testimonia apud eundem Cl. Dallæum *loc. cit. cap. 43.* consulas licet.

ARG. X. Denique quod cap. 7. sancitum est de casuum reservatione in attrocibus criminibus, nempe non contra Deum, sed contra Papæ Majestatem, uti ex Bulla cœnæ liquet, commissis, multis in ipso Concilio segniter probatum est. Theologi Lovanienses & Colonienses objecerunt, *rem esse*

Digitized by Google

esse non perspicuæ veritatis, neque ab ullo Patrum ejus mentionem factam esse, & à Gersone, Durando, & Cajetano eam reservationem casuum scriptis exagitatam esse. Addebant reservationem illam pecuniarum aucupium esse, neque aliud de ea Cardinalis Campegii in sua reformatione judicium esse. Videsis Historicum lib.IV.p.315.316.

RESP. REDING: 1. *Suaviana commenta, quæ tu recoquis, Pallavicinus solidè discussit. 2. In Bulla Cœnæ reservantur crimina hæreseos, apostasiæ, schismatis. An illa non committuntur adversus Deum? Et ipsa Papæ Majestas juri Divino innititur. 3. Concilium Carthaginense III. cap. 32. & Africanum can. 10. reservationis casuum vestigia habent.* Ib. pag 486. 487. Resp. 1. Pallavicini verissima commenta nos quoque in loco discutimus. 2. Crimina apostasiæ, hæreseos, schismatis, quibus inest defectio à Deo, & injusta separatio à veris fidelibus, adversus Deum committi quis ambigat; At vobis apostasia, hæresis, schisma defectionem non à Deo, sed à Papa & ejus lege Antichristiana, nec non separationem ab eodem, & quotquot charactere ejus insigniti sunt, notant. Non ergo contra Deum, sed contra Papæ Majestatem, non Divino, sed Hildebrandino & Bonifaciano jure nixam, committuntur. 3. Cùm auricularis Confessio Carthaginensibus & Afris veteribus cunctis prorsus incognita fuerit, frustra eos reservatorum casuum testes appellas. In publica pœnitentia non consulto Episcopo reconciliari pœnitentes canones illi vetant, nullo prorsus casuum vel criminum discrimine. Quid quæso hoc ad casuum reservationem vestram, in qua Sacerdotes minores Christi authoritate prætensa absolventes non casus dubios, sed certa crimina aliis superioribus, quasi Christi remittentis authoritas pro hominum authoritate minui vel attolli possit, remittenda reservant.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus è terris ascensurus ad cœlos Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tanquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, quò pro potestate clavium, remissionis aut retentionis eorum sententiam pronuntient, Joh. XX. 23. Matth. XVI. 19. At Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere, vel æquitatem in pœnis injungendis servare non possunt, si in genere duntaxat, & non in specie ac sigillatim ipsis peccata declarentur.* Sunt verba Concilii cap. V. Idem argumentum urgent cùm alii, tum Aug. Reding pag. 547. &c. Resp. 1. Ex judicio Sacerdotibus commisso sequi necessitatem auricularis confessionis, negant Canonistæ, & ex Scholasticis nonnulli, nominatim Biel, 4. *Sent. dist.* 17. *q.* 1. ubi ait, *dari Apostolis potestatem judicandi, sed non imponi peccatoribus necessitatem confitendi.* Additque, frequenter constitui partibus judicem arbitrarium, & tamen non imponi partibus necessitatem se submittendi. 2. Deus in causa sua nullum unquam hominem judicem constituit. Neque enim nudi homines corda & internos affectus hominum, in quibus propriè ratio & natura peccati posita est, nôrunt. 3. Proinde etiam potestas remittendi & retinendi peccata Matth. XVI. & Joh. XX. ecclesiæ ministris

Digitized by Google

ministris collata judiciaria non est, nec consistit in æstimatione quantitatis ac qualitatis peccatorum, sed ministerialis, consistens in prædicatione Evangelii, Sacramentorum administratione, & disciplinæ Ecclesiasticæ usu, uti infra probabitur. Ad exercitium hujus potestatis merè ὑπηρετικὸν particularis illa confessio minimè requiritur. Sufficit generalis confessio facta Ecclesiæ, vel ea, quæ soli unique Deo fit. Ita præco sententiam promulgat, qui tamen crimina specialiter non cognovit. 4. Apostoli optimi potestatis sibi & ecclesiæ collatæ interpretes, nuspiam secretam & specialem ejusmodi confessionem peccatorum à pœnitentibus exegisse leguntur. 5. Etiam Gratianus *Caus.33.q.3. de pœnit.* negat, in confessione peccatum remitti, aitque fieri eam *ad ostensionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ.* Quam sententiam plures ex adversariis tuentur, juxta quam cognitio causæ haud requiritur. 6. In Ecclesia quoque Romana quandoque usurpatur publica remissio & absolutio, cujus formulas videre est in Pontificali Romano *p.3. fol.356. 359.* & Rituali Romano *pag.265.* &c. sine ulla tamen ejusmodi præcedanea speciali confessione.

Excip. Reding: 1. *Gabriel Biel pro certo supponit confessionis necessitatem ex hypothesi, dum peccator se voluerit participem reddere salutaris authoritatis remittendi peccata Apostolis concessæ. An verò liberæ peccatoris electioni permissum sit, ut per contritionem charitate formatam justificationem, sine absolutionis confessionem exigentis necessitate, procuret, sic ille decidit, ut asserat, præceptum de Confessione Sacramentali promulgatum esse à Christo Apostolis, & per hos Ecclesiæ verbo & facto, sine omni Scriptura. An ergo tu vir integræ fidei audire mereris sic fraudulenter Gabrielem, aliosque Theologos allegando?* 2. *Qui alteri in causa sua solvendi & ligandi, remittendi & retinendi peccata arbitrium pro ratione æquitatis committit, nonne is eum in causa sua judicem constituit?* 3. *Nec argumentum negativum quicquam valet, nec desunt vestigia confessionis ab Apostolis exactæ.* 4. *Theologi veteres asserentes, ad Sacramentum pœnitentiæ requiri contritionem perfectam, adeòque antecedenter ad formam absolutionis supponi peccata jam remissa, remissionisque adeò factæ in Sacramento pœnitentiæ declarationem fieri, sententiam suam Ecclesiæ judicio subjecerunt; mutaturi haud dubiè, si Tridentini Concilii decreta iis innotuissent.* 5. *Formulæ Pontificalis ac Ritualis Romani vim habent duntaxat ex precibus Ecclesiæ ad impetranda gratiæ auxilia, quibus homines excitentur ad actus pœnitentiæ, ut his mediantibus peccatorum remissio obtineatur.* Ib. pag.487‥489. Resp. 1. Fidem certè meam cum Redingiana plus quàm Punica commutatam nollem. Hoc etiam loco integram illibatámque probo. Nam Bielis verba à me citata tu ipse in dubium vocare non ausis. Et tuo gladio perfidiam tuam jugulo. Fateris enim, Bielem asserere, præceptum de confessione Sacramentali promulgatum esse sine Scriptura. Atque ita omnino ille docuit, neque solus ille, sed alii plures, puta Scotus *in D.4.q.17.* Juris Canonici Glossator *Glossa de Pœnit. D.5.* Panormitanus, & Maldonato ipso *Disput. de Sacram. Tom.II. de Confess. Orig. cap.2. pag.35.* teste, Canonistæ omnes, *qui*, sic Maldona-

tus loquitur, *secuti primum suum interpretem omnes dicunt, confessionem tantùm esse introductam jure Ecclesiastico.* Si igitur, consentientibus iis, jure Ecclesiastico, non Divino scripto Confessionis auricularis necessitas introducta est, annon ex eorum mente imbelle erit argumentum ex potestate remittendi peccata Sacerdotibus, Joh. XX. 23. commissa petitum? Si enim ex eorum mente argumentum validum est, jam non Ecclesiastico, sed Divino scripto jure Confessio nitetur, quod pernegant illi. Utinam ingenuè ageres! 2. An arbitrium omne judicium propriè dictum est? Et si Sacerdotibus arbitrium remittendi peccata commisit, an etiam judicium? Et tamen nec arbitrium, nec judicium *pro ratione æquitatis*, uti tu loqueris, sed potestatem merè ministerialem, non *ex arbitrio* & *ratione æquitatis* liberè definita, sed ex indubitabili lege verbi Divini declarandi, quorum peccata remittantur, quorum retineantur, Apostolis & universis Ecclesiæ Ministris Christus commisit. Non igitur in causa sua judicem hominem Deus constituit, vel ob solam rationem à me allatam, quam tu ne attingis quidem. 3. Cur in rebus fidei, quæ uni solíque revelationi Divinæ obstringitur, à testimonio Divino negativo æquè atque affirmativo argumentari fas sit, causam sæpe diximus. Credendum est id unicè, quod Deus dixit. Quod igitur non dixit, seu dixisse non comperitur documentis certissimis, credendum non est. 4. Theologos veteres fasces suos Tridentinis Paterculis submissuros fuisse, unde tibi constat? Rectiora forte & saniora suasuri, & oculos ad plenam lucem veritatis ex verbo Dei patefactam aperturi fuerant. Neque nos tam authoritate Theologorum illorum, quàm rationibus, quatenus illæ verbi Divini testimoniis suffultæ sunt, innitimur. 5. Olim certè absolutio & remissio publica sola in usu fuit. Si quæ ejus reliquiæ apud vos supersunt, uti quidem formulas extare in Pontificali & Rituali vestro inficiari non audes, vel vera illa absolutio non est, vel non sola gratiæ auxilia, quibus homines ad actus pœnitentiæ, quibus mediantibus peccatorum remissio demum impetretur, excitentur, confert.

OBIECT. II. *Confessionis secreta typi varii præcesserunt in V.T. Ita Deus exegit confessionem ab Adamo, Eva, Caino, Genes. III. IV. Etiam Num. V. 6. divinitus mandatur peccatorum confessio.* Resp. 1. Typos hos fuisse secretæ confessionis fingitur, non probatur. 2. Protoplastorum confessio non facta est in aures hominis, sed Dei. Caini verò confessio cum desperatione conjuncta fuit. 3. Confessio Israëlitarum facienda sacerdoti non fuit typus auricularis illius, sed necessaria erat ad typicam expiationem per sacrificia pro particularibus delictis. Sicut in N. T. *unâ oblatione consummantur omnes qui sanctificantur*, Hebr. X. 14. adeóque non ampliùs distinctæ hostiæ, vel humana expiatio requiritur: ita nec specialis ejusmodi confessio uni sacerdoti aperienda ampliùs necessaria est.

EXCIP. REDING: *Licet Caini confessio cum desperatione conjuncta fuerit, Deus tamen eam exegit cum spe veniæ, & contritione perfecta, à qua per propriam culpam Cain excidit. 2. In statu quoque Evangelicæ legis Sacerdotibus facienda est confessio particularis, quia iis Deus Joh. XX. judicium peccata remittendi commisit.* Ib. pag. 489. Resp. 1. Si Caini, & præcedanea Adami confessio auricularis & particularis fuit, apud Angelum Dei, uti Bellarminus vult, à pœnitente facta, jam igitur non typus auricularis vestræ, sed ipsius auri-

Digitized by Google

auricularis vestræ confessionis exemplum est. Quo ergo jure eam demum ex Joh.XX. arcessitis? Sed quicquid sit, non Sacerdoti, non Angelo Dei facta est & Adami & Caini confessio. Nam יהוה *Jehova*, Adamum citavit verbis, *Ubi es?* Et cœtera, quæ dicuntur, eidem Domino tribuuntur, Genes. III. 9. &c. Denique idem יהוה *Jehova* cum Caino collocutus ib. cap. IV. 6. &c. scribitur. Idem Thomas Aquinas *Supplem. ad 3. q. 6. art. 2.* Scotus *in IV. D. 9. Unica*, Durandus *in IV. D. 17. q. 8.* aliique vestrates fatentur, Tu quoque ipse fateris, *Deum cum spe veniæ confessionem à Caino exegisse.* Quid ergo id omne ad stabilimentum auricularis vestræ confessionis, in Sacrificuli aures demurmurandæ, facit? Et annon omnes confessores vestri, utpote pœnitentes, absolvuntur? 2. De loco Joh. XX. abundè supra.

OBIECT. III. *Baptizati à Johanne dicuntur ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν, confessi peccata sua, Matth. III. 6.* Resp. 1. Confessio illa præcessit baptismum, proinde diversi generis fuit. 2. Neque etiam in ea facta specialis peccatorum enumeratio. Nam ad Johannem exivisse dicitur *tota Hierosolyma & omnis Judæa, & omnis regio Jordanea v. 5.* Hi omnes si peccata sua eorúmque circumstantias in aures Johannis ingerere debuerunt, vix totum ejus ministerium occupationi par fuit.

Excip. Reding: *Ministerium isthoc Johannis nec uno die, nec uno mense peractum est.* Ib. pag. 489. 490. Resp. Cùm in eremo prædicaret Baptista, τότε *tum* ad eum Hierosolyma, tota Judæa & circumjacens regio ad eum exivisse, baptizata & confessa dicitur. Exiguum planè ministerii ejus tempus indigetatur, quo tot hominum tot peccata confessa audire, & histrioniam vestræ similem peragere neutiquam potuisset. Et quicquid sit, manet, baptizandos, non baptizatos confessos esse non peccata singula, sed τὰς ἁμαρτίας *peccata*, in genere. Qui se *multa ac magna peccata* admisisse in genere dicit, is non minùs sua peccata confitetur, quàm qui ea sigillatim recenset. Imò si rem bene putemus, singularis peccatorum enumeratio nihil ad confessionem facit. Confiteri enim est simpliciter non negare, sed agnoscere, id verum esse, quod objicitur. Peccata sigillatim exponere potiùs est ea enumerare, ac narrare quàm confiteri. Nemo, credo, dixerit, Danielem cap. IX. 5. 6. dicentem: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus &c.* sua & Populi peccata non confessum esse, licet singula non recensuerit.

OBIECT. IV. *Historia Apostolica testatur, Act. XIX. 18 credentes confessos esse, & renuntiâsse τὰς πράξεις αὐτῶν, actus suos. Ubi specialem enumerationem intelligi, arguit tum articulus τὰς, tum verbum ἀναγγέλλειν annuntiare.* Resp. 1. Non desunt, qui τὰς πράξεις interpretentur non de peccatis, sed de miraculis per fideles patratis. Ita Chrysostomus *homil. 41. in Acta.* 2. Sed fuerit ea confessio peccatorum. At ante, non post baptismum illam factam esse, adeóque minimè hypothesi adversariorum patrocinari, Petrus Lintrensis & Lorinus Jesuita fatentur, probántque evidentibus argumentis, qualia sunt, quòd series narrationis à versu 11. ad 20. id evincat: quòd similes ἐξομολογούμενοι fuerint etiam ante baptismum Johannis, Matth. III. 6. quòd veteris Eccle-

Digitized by Google

ſiæ doctores, nominatim Baſilius, Euſebius, Auguſtinus, Beda, Arator, de nondum baptizatis id explicaverint: quòd nullus Theologorum veterum, ac ne Tridentinum quidem Concilium hoc loco ad probandam ſacramentalem confeſſionem uſum fuerit: quòd ita ſentiant etiam Cajetanus, Michaël à Palatio, Andreas Vega: denique quòd veriſimile haud ſit, Chriſtianos Neophytos tam citò poſt baptiſmum ſuum, Paulo cum ſociis adhuc præſente, & quotidie concionante, rediiſſe ad peccata priſtina, & inter ea ad artes Magicas, ac libros ſibi magicos paråſſe, eóſque legiſſe. 3. Fuerit verò ea confeſſio poſterior baptiſmo, reſpondebit adhuc pro nobis Cajetanus ad h.l. *deſcribi confitentes facta ſua in genere, aut publicè, neque fuiſſe confeſſionem ſacramentalem, ſed profeſſionem pœnitentiæ vitæ præteritæ.* 4. Quòd ſi etiam confeſſi ſunt ſpecialia quædam, non tamen vel ſacerdoti cuipiam judici ea demurmurârunt in aures, vel ſingula peccata unâ cum circumſtantiis, ſed atrociora illa, ſive τὰ περίεργα, de quibus agitur v.19.

EXCIP. REDING: 1. *Chryſoſtomus confeſſos eſſe peccata ſua, habet. Et ſanè miracula non hominum, ſed Dei actus ſunt.* 2. *Licet probabilis ſit ſententia aſſerentium, confeſſionem illam non fuiſſe Sacramentalem, probabilior tamen eſt contraria, quia confitentes illi vocantur* πεπιστευκότες, *credentes, vel, qui crediderant; quod nomen proprium olim fuit Chriſtianorum; inprimis cùm dicantur credidiſſe, in præterito; adeóque conſequenter baptizati intelligantur. Et potuerunt tales libros magicos retinere, ſicut hodiéque apud frigidos, ſegnes & rudes Catholicos libri ſuperſtitioſi, magici & hæretici reperiuntur.* 3. *Licet textus ille ſolitariè acceptus non probet Sacramentum confeſſionis, conjunctus tamen cum Joh.XX. probat.* Ib. pag. 490. 491. Reſp. 1. Chryſoſtomum non inſpexiſti. Nam is ἀναγγελιῶν *peccatorum* ibi ne verbo quidem meminit, nedum πράξεις peccata fuiſſe, aſſerit. Et ſanè ἀναγγέλλειν πράξεις *renuntiare, prædicare actus* ſuos non eſt confiteri peccata, quia confitens peccata non prædicat peccata, ſed deteſtatur potiùs. Sic ergo ἐξομολόγησις *confeſſio* ad Dei laudem, Divinæque miſericordiæ agnitionem referenda fuerit. Et πράξεις αὐτῶν *actus eorum* miracula vocari poſſunt, quia Deus *dedit fieri ſigna & prodigia* διὰ τῶν χειρῶν αὐτῶν *per manus eorum*, uti de Pauli & Barnabæ miraculis idem Scriptor S. Lucas Act. XIV.3. loquitur. 2. Argumentis Jeſuitarum veſtrorum à me relatis cur nil reſpondes? Nam quod de *frigidis Catholicis* veſtris ingenuè ſatis, & verè nimis fateris, non quadrat primis illis Chriſtianis πεπιστευκόσι *credentibus*, quorum ferventior zelus fuit, quàm ut in *frigidorum & rudium Catholicorum* veſtrorum tribum ſe compingi patiantur. Neque ullum in nomine πεπιστευκότων præſidium habes. Tales enim eſſe poſſunt & baptizati, & nondum baptizati, ſed baptizandi, ſive vox illa in præſenti, ſive in præterito accipiatur. Adulti enim, niſi priùs crediderint, non baptizantur. Et aliud eſt πιστεύοντες, aliud πεπιστευκότες. Illud non raò nominaſcit, & pro fidelibus baptizatis accipitur. Hoc verò ceu participium præteriti temporis activum, nunquam nominaſcit, ſed actionem neceſſariò ſignificat. Perperam autem vulgatus veſter reddidit *credentes*, cùm non πιστεύοντες, ſed πεπιστευκότες in textu dicantur. Quod Syrus optimè ſic reddidit: *Plurimi* מן אילין דהימנו *de illis crediderunt.* Et Arabs: וכתירון מן אלדין אמנו *Et plurimi ex his, qui crediderunt.* Neque aliter Interpres Æthiopicus. Ad Cajetani

jetani insuper rationem cur nihil respondes? Fugit te ratio. Nam professò qui indefinitè *actus suos* confitetur, is singulos confiteatur necesse non est. Alias etiam confitebitur bonos; & actus exteriores duntaxat, cùm πράξεις interiores neutiquam notent. 3. Si textus solitariè acceptus nihil probat, uti tu abjecta veluti hasta fateris, omittite ergo imposterum imbelle vel tuo ipsius judicio argumentum. Nam locum Joh. XX. nil juvare, manifestum fecimus. Reliquam responsionem meam alatus prætervolas.

OBIECT. V. *Jacobus cap. V. v. 16 jubet* ἐξομολογεῖσθαι ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, *confiteri invicem peccata.* Resp. 1. Jacobus non de confessione secreta in aures sacerdotis susuranda, sed de mutua offensarum confessione agit. Ita jam pridem locum interpretatus est Augustinus *Epist.* 54. Ita etiam nobiles Papistæ Cajetanus , & Balthasar Poës Doctor Lusitanus *in h. l.* nec non Scotus *in 4. Sent. dist.* 17. qui sententiam hanc duobus argumentis confirmat. Prius, quòd jubeat confiteri ἀλλήλοις *invicem*, sibi mutuò. *Non magis*, inquit, *dicit confessionem faciendam Sacerdoti, quàm alii.* Posterius, quòd subjiciat Apostolus: *Orate pro invicem, ut salvemini.* Quis dicet, hîc mandari orationem duntaxat pro sacerdotibus? Sicut in posteriori membro mutua precationum auxilia: ita in priori mutua confessio, proinde non secreta illa injungitur. Eadem est sententia Erasmi & glossæ interlinearis. Imò etiam Suarez & Vasquez negant locum illum cogere.

Excip. Reding: *Vim locus ille obtinet, si combinetur cum Christi Joh. XX. facto promisso.* Ib. pag. 491. Resp. Miserum te, Redingi, & ad incitas redactum! Contra responsionem meam ne mutire quidem ausus, ad unum illud telum jam nimiùm nimiúmque tibi obtusum, te convertis. Jaces professò, virium omnium inops.

OBIECT. VI. *Johannes 1. Epist. cap. I. 9. dicit:* Si confiteamur peccata, fidelis & justus est, ut nobis remittat peccata. *Non jubet ea confiteri soli Deo. Aliâs sacerdos frustra quibusdam peccata retineret, si per confessionem Deo factam invito ipso absolverentur.* Resp. 1. Illi confiteri jubet Johannes, qui fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata. At is solus Deus est. Cui proinde David Psal. XXXII. 5. confessus est. 2. Opponit Johannes hæc duo, *dicere, quòd non habeamus peccata*, & *confiteri peccata.* Prius generatim accipiendum. Quid nî igitur etiam posterius? 3. Sacerdote invito & retinente peccatum, ut remittatur tamen confitenti à Deo, quid obstat? Imò agnoscunt id etiam Canonistæ nonnulli. Vide *dist. 1. de pœnit. c. Convertimini*, & Lombardum 4. *sent. dist.* 17.

Excip. Reding: 1. *Dicens, quòd non habeamus peccata, nec collectivè, nec sigillatim peccata ponit. Ergo contra, injungens ut peccata confiteamur, peccata & collectivè & sigillatim confiteri jubet.* 2. *Imò Lombardus sic statuit, per confessionem soli Deo factam, contritione tamen perfecta formatam, obtineri peccatorum remissionem, ut post multis argumentis probet, oportere etiam Sacerdotibus confiteri.* Ib. pag. 491. 492. Resp. 1. S. Johannes

nes non *peccata*, sed *peccatum* nominat. Sic enim scribit: *Si dixerimus, quòd ἁμαρτίαν peccatum non habeamus.* Atque id v. 10. sic explicat: *Si dixerimus, ὅτι οὐχ ἡμαρτήκαμεν, quòd non peccaverimus*; hoc est, peccatum nullum admiserimus. Antithesin ponit, *ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας, peccata confiteri.* Sicut ergo *dicere, quòd non peccaverimus*, est in genere negare peccatum, vel, quòd peccator aliquis sit; non negare sigillatim peccata: sic *confiteri peccata* est in genere non negare peccata, quòd peccator aliquis sit, adeóque agnoscere, se peccatum habere, idque ex animo apud Deum profiteri, non sigillatim peccata confiteri. Ita peccata sua confitebatur publicanus, qui *à longè stans*, ac ne oculos quidem attollere ausus, percutiebat pectus suum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Peccatum verò habere se negabat superbus ille Pharisæus, qui apud Deum sua jejunia, decimas, velut præclara quædam ἀνδραγαθήματα, jactabat, Luc. XVIII. 11. 12. &c. Ita Cajetanus: *Si confiteamur peccata nostra) E regione negantium, se habere peccatum, locat nos confitentes peccata nostra. Et est sermo de confessione sive interna, sive externa, qua homo recognoscit, se habere peccatum.* 2. Lombardo teste hoc unum probo, quòd ejus ætate non defuerint Canonistæ, agnoscentes, quòd remitti peccatum à Deo, sine Sacerdotali judicio & confessione Ecclesiæ facienda, possit. An tu id inficiari audes? Non ausurus certè, si Lombardum legisses. Is enim *lib. IV. Sent. dist.* 17. proposita hac quæstione: *Utrum sufficiat peccata confiteri soli Deo, an oporteat confiteri Sacerdoti*, hæc statim subjicit: *Quibusdam visum est, sufficere, si soli Deo fiat confessio sine Sacerdotali judicio & confessione Ecclesiæ.* Mox istorum fundamenta ex Scriptura & Patribus exponit: Tum, *His*, inquit, *auctoritatibus innituntur, qui sufficere contendunt, Deo confiteri peccata sine Sacerdote. Dicunt enim, quòd si quis timens detegere culpam suam apud homines, ne inde opprobrio habeatur, vel alii suo exemplo ad peccandum accingantur, & ideo tacet hominibus, & revelat Deo, consequitur veniam.* Ipse quidem diversam opinionem, id est, errorem sequitur, & conatur objectis rationibus satisfacere, aliásque pro suo dogmate futiles & fluxas opponit. Hoc nunquam ego negavi. Nihilominus & dissentientes Theologos recenset, & eos in Catholicorum censu reponit, neque ulla vel hæreseos, vel schismatis nota aspergit.

OBIECT. VII. *Confessionem hanc agnoverunt Patres. Dionysius Areopagita* Ep. 8. *meminit confessionis peccatorum coram sacerdote. Irenæus* lib. I. c. 9. *meminit mulierum facientium exomologesin. Tertullianus* de pœnit. *necessitatem ejus agnoscit. Origenes* Homil. 17. in Luc. &c. *Sacerdoti etiam occulta peccata confitenda docet. Et in Psal.* 37. *confessionem omnino faciendam statuit. Cyprianus* lib. III. Ep. 14. *etiam cogitationes apud Sacerdotem confitendas docet. Lactantius* lib. IV. Instit. cap. 17. *adeò necessariam confessionem ait, ut qui peccata secreta celant, veniam non consequantur. Hilarius* in Matth. 18. *tantam potestatem sacerdotibus tribuit, ut quos solverint, soluti sint in cœlis. Basilius* Resp. 16. *monet, mentis arcana retegenda esse sacerdotibus. Ambrosius* lib. 1. de pœnit. c 2. *jus hoc remittendi & retinendi peccatum solis sacerdotibus concessum esse dicit. Gregorius Nyssenus* Epistol. ad Episcop. Mitylenens. cap. 1. *ait, nos per pœnitentiam & confessionem à mortuis operibus ad vitam ascendere. Hieronymus* in cap. 16. Matthæi, *comparat Sacerdotes N. T. cum Sacerdotibus V. T. leprosum mundum, vel immundum facientes. Chrysostomus passim in homiliis specialem*

Digitized by Google

lem occultorum peccatorum confeſſionem urget. Auguſtinus homil.50. *jubet implicatos mortiferis vinculis peccatorum confugere ad claves eccleſiæ.* Ita Bellarminus, & compilator ejus Aug.Reding,pag.458 &c. Reſp. 1. Si quid ex humanis illis Patrum teſtimoniis extundere valerent Sacrificuli, non juris Divini neceſſitatem, ſed eccleſiæ conſuetudinem probarent. 2. Vetuſtiſſimi Patres confeſſionem commendant,non auricularem illam, ſcrupuloſam, ſacramentalem, & ſacerdotalis ſilentii ſigillo obſignandam, ſed publicam exomologeſin coram univerſo Eccleſiæ cœtu edendam. Fatentur B.Rhenanus *Præfat in Tertull.de pœnit.* Polydorus Vergilius *lib.VI.de rer.invent.cap.*1. quorum teſtimonia ungues Expurgatorii diſpunxerunt. Ne verò petulantibus deriſorum linguis temerè exponerentur fratres, viſum eſt permittere ſacerdotis judicio, an ea culpa, quam ei ſeorſim quiſpiam eſſet confeſſus, publicari deberet,ad accipiendam publicam medelam,& ad cœterorum ædificationem. Atque adeò privata hæc prorſus erat libera,& ad publicam gradus. Ideo autem tantopere confeſſionem urgebant Epiſcopi Occidentales præſertim,non quaſi eam de jure divino neceſſariam exiſtimarent,ſed ut eſſet pœnitentiæ adjutorium, uti ex Tertulliano liquet. Cùmque privata illa pœnitentia aditum faciens ad publicam,abuſum poſt ſe traheret,Nectarius, eúmque ſecuti omnes Orientis Epiſcopi abrogârunt, teſtibus Socrate lib.V.19.& Sozomeno lib.VII.16.qui ipſi Hiſtorici originem inſtituti pœnitentiarii Presbyteri & confeſſionis ei faciendæ referunt ad Epiſcopos illos,qui poſt Decianam perſecutionem vivebant,qui τὴν προσθήκην(ita vocat Socrates)*additamentum hoc* veteri Canoni ſeu regulæ adjiciendum pro tempore cenſuerint, quò lapſos in ea perſecutione facilùs averterent à ſchiſmate Novatianorum, apud quos pœnitentiæ publicæ nullus uſus erat. Nectarii judicium prolixè comprobavit Chryſoſtomus homil.4.in Lazarum. Qui hoc cum judicio applicaverit omnibus, quæ allegantur, Patrum dictis, nullo negotio genuinum eorum ſenſum deprehenderit. Confeſſionem auricularem, ſcrupuloſam illam & ſacramentalem,quâ Sacerdoti judici ac ſedentario,& ſoli quidem peccata mortalia, eorúmque circumſtantiæ revelentur & enumerentur, ex divini juris neceſſitate,ne in mentem quidem, certè non in calamum ulli vetuſtiorum veniſſe, intrepidè affirmamus. 3. Ne tamen nos vadimonium deſerere quiritetur vicinus Abbas, paucis defungar. Dionyſium Areopagitam ex primo in IV.vel V. Seculum rejiciendum, eruditi invictis argumentis docuerunt. Argumento illud ipſum eſt, quòd confeſſionis coram ſacerdote meminit, quæ tempore 1. Seculi haudquaquam in uſu fuit. Irenæus exomologeſin memorat. Confeſſionis in aures ſacerdotis

cerdotis faciendæ omnium mortalium peccatorum nulla apud totum Irenæum mentio. Tertullianus sub finem *libri de pœnitentia* exomologesin à Christo institutam dicit. Et cap.6 commendat exomologesin, *quâ delictum Domino nostro confitemur.* Abbas ille impudenter ex Tertulliano citat *Confessionem peccatorum presbyteris se advolventium.* Cedo, ostende verba! *Presbyteris advolvi* peccatores jubet S.Pater, & *omnibus fratribus legationes deprecationis injungere.* Sanè cap.10. suadet peccata non solis sacerdotibus, sed etiam reliquis fratribus confiteri, ut palàm obtineatur absolutio in ecclesia. Confiteri presbyteris nuspiam jubet. Nec qui *presbyteris advolvitur*, statim eis confitetur. Typhus ille Sacerdotis sedentarii priscæ Ecclesiæ incognitus fuit, ut qui maximè. Origenis Homilias in Psalm. spurias esse agnoscit Erasmus. Neque *hom.71. in Luc.* omnia peccata mortalia confitenda esse scribit. Et confessionis finem facit, ut constet, an in ecclesia publicanda sint. Cyprianus *tract. de lapsis* loquitur de Satisfactione publica. Fateor, ipsum eos, *qui sacrificaverunt, vel cum judicibus pepigerunt*, ad publicam pœnitentiam invitare eorum exemplo, qui cogitationes etiam suas de sacrificiis aut libellis apud sacerdotes Dei confessi sunt. Sed non agit S. ille Pater de omnibus peccatis, sed de idololatria vel perpetrata vel cogitata: non postulat recitationem scrupulosam, ejus confessionis necessitatem ex divino jure non urget. Lactantius *Instit. IV.17.* Confessionem commendat, non quæ hominibus, sed quæ Deo fit. *Si peccata,* inquit, *confessi, satis Deo fecerimus.* Confessio ipsi satisfactio est. At qui sacrificulo confitetur, an iccirco satisfecisse putatur? *Sed Deum,* inquit Abbas, *latere nihil potest.* An iccirco Deo secreta confitenda non sunt? Et multò minùs aperta? Pudeat impietatis eum, qui Christianus haberi vult. *Idem*, inquit ille, *confessionem ponit inter notas Ecclesiæ.* Confessionem auricularem, scrupulosam, sacramentalem, jure divino necessariam? Proba. Et eadem loqui Athanasium, Hilarium, Basilium, proba. Ambrosius si confessionem secretam probavit, cur eam commendavit in libris de Pœnitentia & de Sacramentis? Altum ibi est de ea silentium. Allegatur *exhortatio ad pœnitentiam*, ubi habeatur, fieri eam debere coram sacerdote. At librum inter spurios recenset ipse Possevinus Jesuita in recensione operum Ambrosii. Loquitur etiam non de quibusvis peccatis, sed de criminibus. Reliqua ait, quotidie remitti per Orationem Dominicam. Gregorius Nyssenus confessionem laudat. Auricularem & scrupulosam intelligi, unde constat? Hieronymi locum si repræsentâsset Adversarius integrum, sacrificulorum typhum Pharisaicum eo pulsari lector facilè animadvertisset. Chrysostomus *homil. 4. de Lazaro,* & *homil. 8. de pœnit.* clarissimè suadet, ut

in

Digitized by Google

in peccatis occultis quilibet coram Deo conſcientiam ſuam examinet, ſoli Deo peccatum privatim dicat, atque ſic ad menſam Domini accedat. Qua ratione Nectarii prædeceſſoris factum approbavit manifeſtè. Sed adverſarius ille mirificè argutus exemplum Nectarii à Cl. Vedroſio ſibi objectum, eludit hâc ratione, quòd non privatam confeſſionem is abrogaverit, ſed eam, *quæ abſolutis per modum ſatisfactionis publicè edenda à ſacerdote impoſita fuerit*, p. 551. Hoc videlicet κενοφύλακτον Heſſelius Concilio Tridentino in reſponſo ſuo ſuggeſſit, quod habetur in Collectaneis Concilii, editis Lovanii pag. 105. &c. Atqui Nectarius, teſtibus Socrate & Sozomeno, *conſulentibus quibusdam, unicuique liberum permiſit, prout ſibi conſcius eſſet, & confideret, ad myſteriorum communionem accedere.* Ibi *unicuique liberum facit accedere ad communionem, prout ſibi conſcius eſſet & confideret*, non injungit electionem privati confeſſoris pro conſcientia. Unde etiam Michaël de Palatio *Sent. lib. IV. diſt. 17. diſp. 5.* infert, Nectarium ſtatuiſſe, ut deinceps eſſet arbitraria. Auguſtinus denique homil. 46. & 50. diſertè agit de publica adulterii confeſſione. Et mentem animi ſui declarat *Confeſſ. lib. X. 2.* iis verbis, quibus ſententiam noſtram conſignatiſſimè expreſſit: *Quid mihi ergo cum hominibus, ut audiant confeſſiones meas? quaſi ipſi ſanaturi ſint omnes languores meos; Curioſum genus ad cognoſcendum vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſuam.*

EXCIP. REDING: 1. *Dionyſius Areopagita, de cujus prima antiquitate teſtes habemus Concilium Conſtantinopolitanum III. Anaſtaſium Biblioth. Scotum, aliósque; diſertè meminit procedentis Sacerdoti, & ad medicinam malorum confitentis.* 2. *Irenæus exomologeſeos quidem ſolius meminit. Sed intellexiſſe illum voce ea delictorum confeſſionem, quæ non præfertur ſola conſcientia, ſed actu etiam aliquo externo ſcilicet, adminiſtratur, Tertullianus de Pœnit. cap. 9. teſtatur. Unde idem Tertullianus aliqualis etiam ſatisfactionis opera in exomologeſi exigit, atque inter ea etiam iſthoc, ut pœnitens ſe Presbyteris advolvat. Fratribus verò reliquis confiteri jubet, ſed non, quòd confeſſio talis ad Sacramentum pertineat, vel abſolutionis, & extinguendæ gehennæ vim habeat.* 3. *Origenes in Pſal. 47. homil. 2. confeſſionem faciendam ſtatuit eo fine, ut confeſſor ſe accuſet, & delicti veniam petat. Proin ibidem peritum requiri jubet medicum, qui diſcernat peccata, quæ in conventu publicanda, vel non publicanda ſint. Qua diſcretio omnia peccata mortalia Sacerdoti confitenda eſſe, arguit. Idem homil. 2. in Levit. remitti peccata docet, cùm pœnitens non erubeſcit Sacerdoti indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam. Et homil. 3. etiam quæ in occulto egimus, pronuntianda eſſe aſſerit. Quæ confeſſio non utique ea intelligitur, quæ in conſpectu totius Eccleſiæ fieri debet, quippe cùm per Sacerdotem, cui cuncta erant priùs manifeſtanda, diſcerni oportuerit, an & quæ in Eccleſia publicanda fuerint.* 4. *Cyprianus lib. III. Epiſt. 14. etiam de minoribus peccatis agendam eſſe pœnitentiam, atque ſic juxta diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniendum eſſe, docet. En exomologeſin ex ordine diſciplinæ faciendam! Quem ordinem à Chriſto inſtitutum eſſe, idem Epiſt. 19. ubi diſciplinam Domini vocat, fatetur. Et Serm. de lapſis ejuſmodi exomologeſin*

 gesin

Digitized by Google

gessu urget, qua etiam cogitatum facinus libelli apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter pœnitens confiteatur. 5. *Lactantius Instit. lib.IV.* 17. *illam esse veram Ecclesiam docet, in qua est religio, confessio & pœnitentia; confessio utique etiam exterior. Dicit enim, Deum non faciem intueri, sicut homo. Apud homines ergo faciem confiteri jubet.* 6. *Hilarius in Matth. can.* 18. *confessione veniæ recipi peccatorem ad salutem, atque sic solvi docet. Loquitur ergo de confessione Sacramentali.* 7. *Basilius in Regul. Resp.*16. *etiam arcanorum peccatorum confessionem faciendam ait iis fratribus, quibus datum illud negotium est.* 8. *Ambrosius de Pœnit. cap.*2. *disertè etiam Sacerdotibus potestatem remittendorum criminum concessam esse demonstrat. Ib. lib.II.*6. *Si vis justificari, inquit, fatere delictum.* 9. *Gregorius Nyssenus Epist. Can. ad Episcop. Mityl. cap.*1. *per pœnitentiam à mortuis operibus ad viventem viam nos ascendere scribit. Confessionem verò eam Sacerdoti ut Patri faciendam esse, Orat. ad eos, qui duriùs alios dijudicant, asserit.* 10. *Hieronymus in cap.*16. *Matth. Sacerdoti N. T. tribuit authoritatem non cognoscendi, quis ligatus vel solutus sit (quomodo Sacerdotes V. T. mundabant, id est, mundos declarabant) sed quis solvendus. Et Epist. ad Pammach. secundam post naufragium tabulam vocat, culpam simpliciter confiteri.* 12. *Chrysostomi mens quæ sit, supra ostendimus.* 13. *Augustinus homil.* 50. *distinguit duplicem confessionem, alteram in conspectu Ecclesiæ faciendam quoad peccata scandalum objicientia: alteram, quæ prosit ad recipiendam salutem; eo modo faciendam, ut cùm quis in se protulit severissimæ medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia administrantur claves. Alibi verò Confess. lib.X.*2. *loquitur de peccatis à se ante Baptismum patratis. quæ Sacramentalis Confessionis materia non sunt.* Ib. pag 492-500. Resp. Cuncta isthæc, magno strepitu à te declamata, talia sunt, ut generali responsione, quam jam perhibui, nullo negotio dilui possint. Nihil planè *confessionis, exomologeseos, confessionis apud Sacerdotem, potestatis remittendi, solvendi &c.* mentio Confessioni vestræ, quam primus Innocentius III. sanxit, patrocinatur. Toto Cœlo voces eæ, vocúmque sensus à S. Patribus intentus à fictitia & lucrosa confessione vestra discrepat. Sed singula discutiamus paucis. 1. Dionysii Areopagitæ authoritatem solidis argumentis & vestrorum etiam, Cajetani, Vallæ, Erasmi, aliorum suffragiis, denique Photii authoritate non semel jam minuimus. In hac ipsa, quæ objicitur, Epistola *Monachorum* meminit, qui nulli apud Christianos ante Antonium fuerunt, & Christianis Templa cum adytis tribuit, quæ Apostolorum ævo nulla fuerunt, ut alia taceam. Sed de eo quicquid sit, meminit sanè Author ille pœnitentis *προσπίπτοντος τῷ ἱερεῖ procumbentis Sacerdoti,* & *quærentis peccatorum remedia.* quem Demophilus *calce abjecerat*, ipso Sacerdote convitiis lacerato, negans *peccatoris etiam pœnitentis esse miserendum.* quo se hæresin Novatianorum secutum docet; eóque ipso prodit scriptor iste, se post exortam illam hæresin vixisse. Quid hoc ad Romanum de confessione arcana dogma? Quis negat, peccatori licere Ministrum Christi ad quærenda peccatorum remedia adire? Quis pœnitenti misericordiam negandam contendit? Ne quidem de confessione peccatorum quicquam ille habet, nedum ut eam vel necessariam esse, vel secretò fieri debere, dixerit. Sacerdoti humilitatis causa procumbere solebant, omnes lapsi pœnitentiam, omnes pœnitentes pacem petentes. 2. Irenæus quid intellexerit per exomologesin, quàm ineptè quæso ex Tertulliano probare conaris? An enim Tertullianus Irenæi mentem exposuit? Atqui ejus ne quidem meminit. Tam desultoriè agis. Dubitant equidem non parum docti, Erasmus inprimis & Rhenanus, an libri illius de pœnitentia author Tertullianus fuerit. Sed fuerit etiam. Certè Gabriel Albaspinæus vestras ipse

lib.II.

lib. II. Observat. 26. fusissimè probat, nihil vel Tertullianum, vel Patres alios exomologesin memorantes auriculari confessioni patrocinari. *Publica illa & generalis confessio nihil aliud erat, quàm signis quibusdam & piaminibus ab Episcopo indictis, se peccatorum & bonorum communione indignum agnoscere*, inquit etiam Erasmus *Schol. in Epist. Hieron. ad Ocean.* Neque id etiam Petavius Jesuita diffiteri potuit suis ad Epiphanium notis. *Actu* aliquo *administrari* non confessionem, sed pœnitentiam, dixit. *Is actus*, sic ipsemet definit, *qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur.* Ergo finitore ipso, exomologesis non nuda est delictorum enumeratio, sed *actus* exterior flendi, gemendi, & similia præstandi, quo deliquisse nos in Dominum fatemur; & quo secunda pœnitentia, uti idem explicat, administratur. Secunda autem pœnitentia juxta eundem *una* erat, cum confessio vestra omni mense & hebdomada frequentari possit. Denique pœnitentem ait idem *presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari.* Eodem modo presbyteris & caris Dei. *Ecclesia*, inquit, *Christus. Ergo cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoscularis. Atque illi cùm super te lachrymas agunt, Christus patitur, Christus patrem deprecatur.* Aliter ad Presbyterorum, aliter ad fratrum & Ecclesiæ totius genua pœnitentem procumbere, Tertullianus neutiquam dicit. Tu discrimen aliquod fingis, non probas. 3. Neque etiam propitium habetis Origenem, quicquid ei Tu affingas. Ille enim *homil. 2. in Psal.* (non 47. sed) 37. (cujus homiliæ γνησιότης in dubium vocari ipse Bellarminus non dissimulat) nec Sacerdoti peccata confitenda esse pertendit, sed circumspiciendum esse medicum, apud quem semet ipsum accuset: nec necessariò, nec omnia peccata confiteri jubet, cùm apud veteres non alia peccata fideles Ministris Ecclesiæ confiteri debuerint, quàm ea, quibus ex canonibus publica pœnitentia constituta erat; nec denique clanculum in aures Sacerdotis ingeri, absolutionis ergò, sed ut constet, quæ per exomologesin publicari debeant, mandat. Quid hæc omnia ad vestræ confessionis mysterium? Idem *homil. 2. in Levit.* præter Baptismum & confessionem Sacerdoti factam quinque alias rationes commemorat, quibus peccatorum remissio à Domino obtineatur. Non ergo, ut alia taceam, putavit, sine vocali confessione apud Sacerdotem nullius peccati remissionem haberi posse. Et an hodiéque eo fine confessio apud vos editur, ut decernat Sacerdos, quæ peccata publicanda sint? Nihil profectò minùs. Nota enim est sigilli religio. 4. Cypriano memorata exolomogesis, & disciplinæ ordo nihil planè privatæ & arcanæ disciplinæ vestræ patrocinatur. Utramque enim publicam intelligi, more disciplinæ tum temporis recepto, liquet. Neque tu contrarium probas. 5. Lactantius *loc. cit.* cum Novatianis disputans, non aliud intelligit, quàm quod apud istos deerat; nimirum spem veniæ lapsis propositam, certámque confessionem ac pœnitentiæ ordinem pœnitentibus definitum, quò ad communionem recuperandam decurrerent. Quis verò ille pœnitendi & confitendi ordo fuerit, non definit. Neque sanè quævis confessio exterior auricularis vestra est. 6. Infirma quoque tua ex Hilario ratiocinatio est. An enim quæ vel Deo soli, vel Ecclesiæ publicè confitetur, ad solutionem Sacramento, & quidem nuspiam instituto indiget? Neque aliud Hilarius dicit, quàm id ipsum, quod extat in Evangelio, ligata nimirum & soluta fore in Cœlo, quæ Apostoli in terra ligaverint solverintque. Inde autem auricularem confessionem non confici, supra ostendimus. 7. Basilius *loc. cit.* ne quidem confessionis meminit. ἐξαγόρευσιν, non ἐξομολόγησιν memorat. Ea verò peccatorum ἐξαγόρευσις *revelatio* non tam ad reatum, quàm ad habitum peccati tollendum, juxta ipsum, pertinet. quod tum ex medicorum similitu-

Digitized by Google

dine ab ipso allata, tum ex Pauli loco citato liquet. Neque definit, omnibus Christianis necessariò incumbere, ut peccata sua quævis medico cuipiam enuntient. 8. Ambrosio quis unquam negavit, Sacerdotibus, seu Ministris Christi potestatem remittendorum peccatorum concessam esse? Quis delictum fatendum esse, saltem Deo, ad justificationem impetrandam, negat? Næ ficulneis rationibus ubique pugnas. 9. Nyssenus non quemvis fidelem, sed eum, cui exomologesi publica ex ævi illius canonibus opus erat, alloquitur. Quid hoc ad confessionis vestræ secretæ commentum? 10. Hieronymum turpiter pervertis. Ille enim Sacerdotem Leviticum & Episcopum disertè æquiparat. *Quomodo*, inquit, *ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit; sic & hic alligat vel solvit Episcopus.* Supra autem dixerat, *apud Deum non sententiam Sacerdotum, sed reorum vitam quæri.* Quæ lethalem plagam prætoriæ Sacerdotum vestrorum authoritati infligunt. De cœtero omnium fidelium officium esse, ut morbos quosvis medico Sacerdoti revelent, non dixit Hieronymus. Si quis laborat, sine Medici cura convalescere potest, nihil eum, ut medico sua mala denudet, coget. Verba verò illa, *Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri*, perversissimè ad auricularem Confessionem detorques, cùm palam sit, Hieronymum ibi de impii dogmatis, si quod secutus sis, ejeratione loqui. 12. Chrysostomi sententiam supra discussimus. 13. Augustinum *homil.* 50. non quosvis fideles, sed solos adulteros alloqui, manifestum est. Neque confessionis, qua scilicet peccata singula enumerantur, meminit ullo apice, sed solius pœnitentiæ & quidem publicæ. Clara sunt verba: *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia.* Imò pœnitentiam in occulto, qualis vestra est, prorsus Augustinus repudiat; atque sic pœnitentes *frustrari Evangelium & verba Christi* asserit. Denique idem *Confess. lib. X.2.* de se jam converso & baptizato manifestè loquitur.

OBIECT. VIII. *Publica confessio etsi prohibita non est, tamen nec divino præcepto mandata est. Nec satis consultò humana aliqua lege præciperetur, ut delicta secreta publicâ confessione aperiantur.* Ita Concilium Cap. V. Resp. 1. Confessionem publicam omnium etiam secretorum peccatorum necessariam esse, ecclesia Orthodoxa nunquam asseruit, quæ solam illam, quæ Deo fit, absolutè necessariam statuit. 2. Alia ratio est peccatorum publicè comissorum, aut certè publicè cognitorum. Hæc qui publicè arguunt, & eorum confessionem publicam qui postulant, non abludunt à praxi Apostolorum 2. Cor. II. 6. Quanquam id Ecclesiarum prudentiæ & libertati relinquimus. qui noverimus, potestatem ipsi concessam exercendam esse ad ædificationem, non destructionem. 3. Quin ipso in Concilio, teste Historico *lib. IV. p. 316.* Theologi Colonienses petierunt, ut pœnitentia publica restituatur, quippe quam adeò frequenter memorant Patres, Cyprianus inprimis & Gregorius Papa, quorum hic in Epistolis jure divino necessariam asserat. Addebant, nisi in usum revocetur, sperandum non esse, ut ecclesia liberetur à scelerum manifestis.

EXCIP. REDING: 1. *Cùm Joh. XX. & Matth. XVI. omnino confessio aliqua, ceu necessaria, instituta sit, eaque non sit publica, utpote, te etiam fatente, non necessaria: privata er-*

Digitized by Google

ge, seu Sacramentalis in foro conscientiæ facienda, fuerit. 2. *Quæ ex perfido Polano Coloniensibus affingis, Pallavicinus elisit.* Ib. pag. 500. Resp. 1. Loca citata nec vestram auricularem, nec publicam quorumvis secretorum peccatorum confessionem præcipere, supra ostendimus. 2. Coloniensium in Synodo postulatum fictitium esse, ne ipse quidem Pallavicinus contendit. Hoc unum disputat, quo sensu Gregorius pœnitentiam publicam juris Divini esse statuerit. quod responsio nostra non attingit.

QUÆSTIO VIII.

An dentur satisfactiones humanæ vel sponte susceptæ, vel à Deo aut Sacerdote injunctæ, quibus peccata redimi possint?

AFfirmat Synodus Cap. VIII. & Canone XIII. & XIV. Nos de satisfactione pro peccatis ita statuimus. Peccator post peccatum admissum, maximè si publicum & notorium fuerit, quadruplex potissimùm forum sortitur, Divinum, Politicum, Ecclesiasticum, denique Privatum. Potest enim per peccatum lædi Deus, Magistratus, Ecclesia, deniq; proximus noster, qui singuli non aliter, quàm interpositâ idoneâ satisfactione peccatori reconciliantur. Politico Magistratui satisfit toleratis forensibus pœnis. Proximus reconciliatur pœnitentiâ, deprecatione, & si qua alia est ejusmodi mutua transactio. Ecclesiæ pro scandalo & opprobrio satisfieri potest per Canonicas pœnas, quas *satisfactiones* veteres appellavére. Erat autem duplex Canonica satisfactio, *pœnalis* altera, quæ imponebatur contumacibus, quibus resipiscere nesciis ad extremum anathema dictum; altera *medicinalis*, quæ pœnitentibus veniam & reconciliationem petentibus injungebatur. De gradibus illorum ἐπιτιμίων, καὶ τιμωριῶν *pœnarum & castigationum*, uti vocabant, cùm alii scriptores Ecclesiastici agunt, tum compendiosè Casaubonus *Exercit XVI. Sect. 43.* & Forbesius *Instruct. Histor. lib. XII. cap. VI.* Deo satisfit per pœnas, quas peccatori in verbo suo comminatus est, vel ab ipso peccatore, vel ab idoneo & acceptabili sponsore, qualis Christus est, ἔγγυος & vas noster, exantlatas. Est autem ea ratio quadruplicis hujus fori, ut quod in uno transigitur, alteri neutiquam præjudicet. Agnoscimus autem, Magistratum, proximum, Ecclesiam à peccatore satisfactionem jure expetere. Atque sic etiam verbi Dei Ministri peccatoribus satisfactiones injungere possunt, & in eo exercent potestatem clavium. Sed Synodus in ejusmodi satisfactionibus minimè acquiescit. Sic enim sentit, peccatorem

Digitized by Google

coram tribunali Dei peccata redimere, & eorum pœnas, uti alii, nominatim Tapperus *in explicat. art.6. Lovan.* & Vega *in Concil. Trident. lib.XIII.36.* volunt, æternas, alii temporales, persolvere oportere. Huc aurigantur Tridentini, asserentes, *remitti pœnam & satisfactionem æternam, non tamen semper temporalem; aliter in gratiam recipi, qui ante baptismum per ignorantiam peccaverint, aliter qui post baptismum scienter Spiritum S. contristant, satisfaciendo nos pati pro peccatis, & Christo Jesu conformes reddi.* Scholastici, uti videre est apud Altenstaig in Lexico, & Gabr. Biel *dist.16. q.2. art.1.* ejusmodi hîc intelligunt satisfactionem, *quæ sit redditio æquivalentis voluntaria, aliâs indebiti.* Adverbium enim *satis* ajunt importare *æquam correspondentiam ejus, quod redditur pro illo, quod redditur sive in præmiis, sive in pœnis.* Et Catechismus Romanus seu Tridentinus *lib.II. cap.5.q. 52.* satisfactionem definit *rei debitæ integram solutionem, & compensationem, quâ homo pro peccatis commissis Deo aliquid persolvit.* Ejusmodi satisfactiones illis sunt jejunia, eleemosynæ, peregrinationes, multæ pecuniariæ, flagellationes, Laconicæ διαμαστιγώσεως imitamentum, aliáque, quæ iis veniunt *operum laboriosorum* nomine. Hoc sensu satisfactiones illas propriè dictas à Tridentinis stabilitas oppugnamus his rationibus.

ARG. I. Deus nobis nostra peccata gratis gratiâ suâ, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem Deus statuit propitiatorium per fidem in sanguine ejus, remittit, Rom.III.24.25. Matth XX.28. Ephes.I.7. Tit.III, 5.7. 1.Pet.I.18.19. 1.Joh.II.2. IV.10. Ergo homines propriis satisfactionibus peccata coram Deo non redimunt.

RESP. REDING: *Distinguendum tibi fuit inter reatum culpæ in habituali peccati necdum remissi macula situm, & reatum pœnæ temporalis, quæ culpa remissa remanet, & propria pœnitentis satisfactione tollitur. De illo, non de hoc loca à Te citata intelligi debent.* Tomo II. Tract.VII. Sect. 2. pag.501--503. Resp. Distinctionis hujus, quo doctrinæ gratiæ Dei & merito Christi iniquissimæ venenum tegitis, nervos *Quæst. XIX. ad Sess.VI.* dedita opera, ponderosisque argumentis incidimus. Neque operam hic ludere libet.

ARG. II. Satisfactio Christi habet infinitam perfectionem & valorem. Adeóque per eam à Deo judice peccatum commissum, & debita peccato pœna ad justam ἰσότητα seu æqualitatem reduci possunt. Quo posito, si Deus aliam satisfactionem postulat, excedit justitiam, & ad immanitatem præcipitat. Hoc autem tam est à Deo alienum, ut Scriptura magis justitiam Dei commendet bonitate & misericordiâ temperatam, quàm severitate & immanitate contaminatam.

RESP. REDING: *Habet quidem satisfactio Christi infinitum valorem; ac proin per eam debita peccato pœna ad justam æqualitatem reduci omnino potest. Nam cuilibet Christi, etiam humanitatis ejus operi morali propter suam ex infinita Christi persona dignificationem,*

Digitized by Google

nem, inest valor infinitus, per quem à Deo judice peccatum, eique debita pœna ad æqualitatem reduci potest. Cur ergo non per primam sanguinis Christi effusionem in circumcisione factam, imò per primum actum moralem Christi, in primo conceptionis instanti elicitum Deus peccatum, eique debitam pœnam ad æqualitatem reduxit? Nempe potuit, sed non voluit. 2. Satisfactionem Christi ad remissionem peccatorum in homine adulto applicari debere dependenter à fidei nostræ actu, ipsi vos percenditis. Nos addimus; applicari etiam per pœnitentiam, cujus pars est satisfactio, seu pœna temporalis. Ib, pag. 503.-507. Resp. 1. Quædam satis incautè pronuntias. quale est illud de infinito valore actuum moralium humanitatis Christi. Etenim infinitus est valor actuum personæ Christi, seu actionum Theandricarum, non actuum humanitatis moralium seorsim spectatorum. Neque in ordine ad remissionem peccatorum quivis actus morales humanitatis Christi æquè validi sunt, sed ex obnuntiatione Divina requirebatur exinanitio ejus ad mortem usque crucis, tum propter justitiam Dei, quæ peccatum nonnisi morte expiari patitur, Rom. I 32. tum propter veracitatem ejusdem, mortem peccato comminati, Genes. II. 17. Rom. VI. 23. Neque exinanitio isthæc valorem aliunde, quàm ab unita Divinitate, seu indissolubilis vitæ potentia, Hebr. VII. 16. habet. Futilis ergo tua omnis ratiocinatio est. Justitia enim & veracitas Dei nec quemvis actum moralem humanitatis Christi, nec quamvis effusionem sanguinis, qualis in circumcisione obtinuit, sed mortem θεανθρώπου efflagitavit. Non aliter peccatum, eique debita pœna ad æqualitatem reduci potuit. Non aliter Deus reduci voluit. Et postquam sic reduxit, aliam satisfactionem homini jam punito & expiato in Christo justè & sanctè imponere non potuit. 2. Fide applicari meritum Christi, Scriptura Joh. I. 12. Rom. III. 28. IV. 3. 4. &c. docet. Merito novæ satisfactionis humanæ applicari, nuspiam docet. Satisfactio enim nova præstanda remissionem culpæ & pœnæ omnimodè factam non esse, arguit. Quomodo igitur applicaret id, quod non est? Applicatio quippe ad rem applicandam refertur. Neque Deus contrarium per contrarium applicat, puta remissionem peccatorum per pœnam, hoc est, lucem per tenebras, salutarem medicinam per propinationem veneni. Modi quoque, per quos Christi beneficium nobis applicatur, discendi sunt à Scriptura, non hauriendi ex humano cerebro, cui summa mentiendi libido inest; neque tales esse debent, ut perfectioni meriti Christi derogent.

ARG. III. Satisfactionum propriarum necessitas mutat statum Ecclesiæ N. T. In Veteri quidem Testamento fuerunt satisfactiones impropriè tales, legales victimæ, venientes nomine אשם, quæ non tollebant, sed indicabant reatum, & Christum præfigurabant. Quod autem typicum fuit in N. T. cessare debet.

Resp. Reding: *Etiam in V. T. sic subsistierunt typi, ut tamen Christi gratia, atque adeò N. T efficacia per anticipatam meritorum Christi acceptationem ibidem viguerit.* Ib. pag. 507 Resp. Quis hoc negat? Sed tu vim argumenti non attingis. Typica satisfactio veræ satisfactioni Christi cedit, sicut umbra corpori. Neque vera satisfactio typicæ respondens, alia est quàm Christi, quem solum Deus fecit אשם *ἁμαρτίαν peccatum*, seu piamentum, satisfactionem pro peccato, Esaj. LIII. 10. 2. Cor. V. 21.

ARG. IV.

ARG. IV. Sic potentior esset reatus Adami ad nos servituti pœnæ tum æternæ, tum temporalis subigendum, quàm obedientia Christi, ad nos ab omni maledictione liberandum, quod Apostolus Rom. V. 15. negat.

RESP. REDING: *Mortis quidem Christi valor infinitus est; adeòque ad remissionem peccatorum omnium condignus. Sed non operatur hunc effectum, nisi applicetur fidei & contritionis operatione.* Ib. pag. 507. 508. Resp. Nescio quomodo infinitum valorem meriti Christi, efficientiæ saltem respectu, agnoscas, cùm remissa per Christum culpa & pœna æterna, remanere temporalem, propria satisfactione piandam, pertendas. Quomodo verò applicabitur remissio pœnæ temporalis per Christum, quam nullam agnoscitis? Et sanè satisfactio nova non magis ad satisfactionem Christi, quæcunque illa est, applicandam, quàm nova mors, redemptio, resurrectio ad mortem, redemptionem, resurrectionem Christi applicandam requiritur.

ARG. V. Inter nostram satisfactionem, & Divinam quamlibet offensam est infinita distantia. Hanc distantiam solius meriti Christi infinita dignitas explere potest. Cum quo inæstimabili mortis Christi pretio si quis conjungere ac comparare velit passiones, jejunia, eleemosynas, labores Sanctorum, absurdior erit, quàm si solis meridiani lucem candela, mare gutta augere, thesauris Crœsi teruncium addere, regiæ togæ mendici veteramentum assuere vellet. In his enim omnibus est proportio aliqua. At inter Christi infinitam satisfactionem & finita opera nostra nulla est proportio.

RESP. REDING: 1. *Quæstio nostra est de satisfactione pro pœna temporali, non pro offensa Divina. Inter offensam Divinam & satisfactionem est infinita distantia, quam solus Christus emetiri potuit. At veniale peccatum non subit strictam offensæ Divinæ rationem, adeóque nec pœnam infinitam exigit. 2. Sicut Deus, ceu prima causa, licet ex se potens sit ad quasvis creatas substantias producendas, tamen causis secundis utitur, & cum iis influxum suum in ordine ad effectus ejusmodi producendos conjungit: ita satisfactio Christi per satisfactionem humanam, licet inferioris longè gradus, applicari potest.* Ib. pag. 508. 509. Resp. 1. Qua ratione pœnam temporalem ab offensa Divina sic dispares, ipse videris. Deus enim nisi offensus nullam pœnam injungit, qua bonitate & justitia est. Offenditur autem quocunque peccato, quia peccati cujusvis essentia in transgressione legis Divinæ, & aberratione ab ultimo fine consistit. Venialis, seu potiùs venalis (nam propter quæstum distinctio hæc inventa est) peccati commentum mittimus. 2. Frustra subordinationem satisfactionum & meritorum, qualis in generatione causæ primæ & secundarum est, oggeris. Satisfacere enim pro peccato nemo mortalium potest. Requiritur redemptionis pretium, quod infiniti valoris est. *Frater fratrem redimere non potest, neque Deo pretium redemptionis persolvere. Carum nimis illud est, & cessabit in æternum*, Psal. XLIX. 8. 9. Christus *torcular calcavit solus*, Esaj. LXIII. 3. Neque *in alio quoquam est salus*, Act. IV. 12. Cedit ergo in summam Christi contumeliam tam disparium satisfactionum conjunctio, non secus ac si quis gemmas carbonibus sociaret, aut contra legem Mosis bovem cum asino ad aratrum adjungeret. Neque subordinationem ejusmodi

Digitized by Google

ejusmodi satisfactionum ratione ulla, probare potes, contentus dicere: Deus *potest* applicare satisfactionem Christi, per satisfactionem hominis. Velle proba.

ARG. VI. Quicquid facimus, illud debendi rei sumus ob gratiam tum redemptionis, tum satisfactionis. Ergo opera nostra titulum satisfactionum sustinere non possunt. Opus enim debitum non satisfacit pro alio debito. Tum id ipsum, quod facimus, à gratia est.

Resp. Reding: 1. *Sic ne Christi quidem satisfactio veri nominis satisfactio erit, quia ipse quoque ex debitis, creationis scilicet titulo, & gratia Dei, satisfecit. 2. Homo justus per actus supernaturales ex forma sanctificante dignificatos satisfactionis condignitatem ponere potest; licet satisfactio talis ad rigorem justitiæ non pertingat.* Ib. pag. 509. 511. Resp. 1. Cùm satisfactio Christi sit ἀποτέλεσμα, seu opus personæ utraque natura constantis, ineptissimè eam ex debito satisfacientis & gratia acceptantis arcessis. An enim secundùm Divinam saltem naturam Christus cuiquam debitor est, vel ex gratia aliquid accipit? Si de humana sermo sit, ne sic quidem reus fuit debendi sponsionem satisfaciendi pro peccatore, sed sponte sua Deo Patri obedientiam vicariam pro peccatore spopondit. Alia planè ratio est operum peccatoris, multiplici jure debitorum. 2. Ponere potest, inquis. Proba velle. A posse ad esse perperam argutaris. Proba actuum supernaturalium tantam dignitatem ex quacunque vis forma, ut inde satisfactio condigna censeatur peccato. Neque enim gratia sanctificans aptitudinem satisfaciendi Deo pro peccato, sed gratitudinem Christo pro nobis satisfacienti testificandi confert. Mera ergo somnia nobis tua propinas.

ARG. VII. Satisfactiones injunctæ à Sacerdote plerumque sunt vel impiæ, vel injustæ, vel sublestæ, ac cum injuria & contumelia Dei conjunctæ, vel absurdæ. Tales sunt crudeles & barbaræ vexationes corporis, peregrinationes nudipedales ad reliquias sanctorum, recitatio precularum superstitiosè toties repetita, & quidem in lingua incognita, substitutio alienarum flagellationum, opera per se debita, qualia sunt preces, eleemosynæ, jejunia, quæ vice pœnalium operum exiguntur, pecuniariæ mulctæ, battologia & πολυλογία à Christo damnata, aliáque ejusmodi, quæ ipse Anthonius Arnoldus Sorbonicus Doctor spisso volumine nuper exagitavit, veluti universali Seculi hujus impœnitentiæ faventia, applaudentibus Theologis & Episcopis multis.

Resp. Reding: 1. *Opera pœnalia à te exagitata in Scriptura commendantur. velut 1. Cor. IX. 26. 27. Joel. II. 12. Rom. VIII. 18. 19. &c. 2. Arnoldus in censu prohibitorum authorum est. Et tamen non aliud ille, quàm canonum pœnitentialium relaxationem in moderna praxi vituperat.* Ib. pag. 511. Resp. 1. Sublesta illa opera pœnalia, & gerras Siculas in Scriptura commendari? Impium id est assertu. Nam 1. Cor. IX. 26. ὑπωπιάζειν & δουλαγωγεῖν τὸ σῶμα est corpus spiritui, ceu rectori subjicere, ejúsque concupiscentias veluti frœno quodam, labore puta, sobrietate vigiliis coercere, citra ullam opinionem satisfaciendi justitiæ Dei. Nihil huc faciunt tyrannicæ flagellationes, quæ ceu à-

 ςοδία

φειδία σώματος læsio corporis Col.II.23. damnantur, & parùm à voluntaria cœde distant. Comparat se ibi S.Paulus cum athletis. quorum nemo unquam se flagellis paravit ad luctam. Et quid fletus, jejunia Divinitus indicta Joel.II.12. cum jejuniis vestris hypocriticis, non abstinentia à cibis, sed voluntario ciborum delectu, qualis in opiparis conviviis obtinere potest, commune habent? Denique quid mortificationi actuum corporis, hoc est, concupiscentiarum, quæ in corpore regnant, & actibus corporis se exerunt, per spiritum, Rom.VIII.19. cum vestris satisfactionibus? Quid enim meretur homo, quam satisfactionem Deo & justitiæ ejus præstat, cùm Spiritu Dei concupiscentias refrænat? Neque enim Deus à nobis exposcit cruciatum corporis, sed animi mutationem & resipiscentiam. *Exercitium corporale ad pauca est utile. At pietas ad omnia utilis est, habens promissionem præsentis & futuræ vitæ*, 1.Tim.IV.8. Annon sic vides damnatas satisfactiones vestras, *γυμνασίας σώματος* exercitationes corporales, flagellationes, nudipedalia, *χαμευνίας*, inprimis mulctas vestras pecuniarias, sub titulo eleemosynæ irrogatas? Nam quæ dantur Monachis distentis aqualiculo, & ipsi Papæ, eleemosynæ appellantur. Ideóque bullis indulgentiarum semper hæc clausula inseritur, dari gratiam spiritualem iis, *qui manus adjutrices porrigunt*. Et ad calcem Bullæ *Datum Romæ*, cùm potiùs scribendum fuisset, *Venditum Romæ*. 2. Arnoldum nunquam, credo, vidisti, nedum legisti. Satis tibi est, Romanarum Harpyarum unguibus laceratum esse. Hoc ipsum verò authorem istum bonis omnibus commendat magis. Nihil enim æquum, moderabile nihil Roma suadere hodie potest.

ARG. VIII. Nullam habere potest peccator infallibilem certitudinem de redemptione peccatorum per satisfactiones. Cùm enim satisfactio justa & æqualis delicto exigatur, ejus tamen æqualitatis certa ac definita mensura nec verbo Dei, nec ratione est definita. Proinde nec Sacerdos, nec pœnitens de peccati remissione certus esse potest.

RESP. REDING: 1. *Certitudo de remissis peccatis infallibilis haberi nunquam potest.* 2. *Remissionis peccati modus in contritione charitati, vel attritione Sacramento sejuncta secundum definitam mensuram in actu signato verbo Dei determinatus est; remanente incertitudine in actu exercito ex parte applicationis particularis, quæ dubia semper esse potest.* Ib. pag.512. Resp. 1. De certitudine gratiæ abundè supra. 2. Ostende in verbo Dei finitam satisfactionum mensuram in actu signato. Nam vestræ quidem satisfactiones vel sponte extra Sacramentum suscipiuntur, vel arbitrio sacerdotis injunguntur. Spontaneam autem illam, nec non arbitrio Sacerdotis injunctam patientiam nullam Dei verbum definivit. Frustra ergo actum signatum in Dei verbo definitum crepas; & simul certitudinem in actu exercito tollis, adeóque fidelibus omnem inter ærumnas consolationem adimis, rebúsque per se amaris satis, insuper fel & absynthium affundis; siquidem suas calamitates sine ulla indubitabili certitudine gratiæ remissionis peccatorum accipere illi debent, ut vindictas & satisfactiones irrogatas à judice, non verò ut remedia & castigationes paternas. Fideles de Dei erga se amore persuasi de cruce gloriantur, & ærumnas pro Christo censent esse honesta dehonestamenta, ac velut adversa vulnera, & cicatrices in pectore, virtutis argumenta. At uri & torqueri ad satisfactionem, & pœnas pro peccatis pendere, non modò nulla est gloria, sed insuper causa

Digitized by Google

causa anxietatis. & ad desperationem gradus. Nunquam enim qui affligitur, scire potest, an plenè satisfecerit, nec quantum ad perfectam satisfactionem desideretur.

ARG. IX. Ecclesia Romana statuit morte Christi totam culpam obliterari. Adempta culpa nihil restat, pro quo satisfaciendum sit. Neque enim satisfit pro pœna, sed pœna satisfacit pro culpa. Tertullianus *de Bapt. cap.5.* exempto reatu remitti & pœnam ait. Injustus est, qui cruciat carentem culpa. Et remissa culpa nullam remanere pœnam, nullum κατάκριμα. supra pag.253. &c. probavimus.

RESP. REDINO: 1. *S. Augustinus Tract.124. in Joh. scribit, productiorem esse pœnam, quàm culpam; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna.* 2. *Blasphemum est asserere, injustum esse cruciare carentem culpa. An ergo injustus fuit Deus, cùm Christum carentem culpa cruciavit? Si propter alienam culpam cruciavit, cur propter propriam, ratione offensa dimissam licet, cruciare non possit?* 3. *Tertullianus cum reatu pœnam tolli statuit, nempe in Baptismo.* Ib. pag.511. Resp. 1. Augustinus culpæ & pœnæ durationem comparat, non pœnam à culpa divellit. 2. Christus volens nostra peccata in se suscepit. Non igitur innocens, vel simpliciter propter alienam culpam, quippe *pro nobis factus peccatum* 2.Cor.V.21. cruciatus est. Neque propterea Deus, qua bonitate & justitia est, cruciabit propter culpam propriam, sed jam remissam. Culpa enim remissa apud nullum æquum judicem pœnam meretur. 3. Tertulliani verba generalia sunt. Mortem per oblationem debitorum in baptismo deleri eo probat, *quòd exempto reatu eximatur & pœna*, quæ generalis utique ratio est. Neque discrimen ullum peccatorum ante & postbaptismalium eatenus statui potest quia semper justè Deus judicat. At cruciare immeritos & innocentes, nec justi, nec boni judicis est.

ARG. X. Neque etiam opera fidelium, quæ *meritoria* faciunt adversarii, simul esse *satisfactoria* possunt, quia quod meretur aliquam mercedem in gratia & gloria, nullam ampliùs habet dignitatem, quâ pro pœna satisfaciat. Omnis enim illa dignitas in merendo exhausta & consumpta est. Et bona opera pœnalia vocare, in virtutes injuria est.

RESP. REDINO: 1. *Annon etiam Christi passio fuit meritoria gloriæ ejusdem?* 2. *Pœnale hic dicimus, quod arduum & difficile est. At virtutis universa via ardua est.* Ib. pag.512.513. Resp. 1. Christi obedientia non in sola passione, sed in perfecta totius legis observantia & impletione consistit; atque insuper infiniti valoris est. Sic ergo patiendo à peccato & pœna peccato debita liberavit, ut simul non tam sibi, quàm nobis vitam & gloriam cœlestem meruerit; vel potiùs nos sibi, ceu membra capiti, servos domino vindicaverit. Nil in tale humanis satisfactionibus, culpa jam remissa, præstandis obtinet. 2. Satisfactionem vestri omnes definiunt pœnam propriè dictam, seu solutionem pro debito. Sic Catechismus Tridentinus *Cap. de Pœnit.* Satisfactionem definit *rei debitæ integram solutionem & compensationem, qua homo pro peccatis commissis Deo aliquid persolvit.* Navarrus: *Satisfactio est passio voluntaria pœnæ pro peccato.* Gregorius de Valentia *de Satisfact. cap.1. Satisfactio est compensatio pœnæ temporalis debitæ*

Digitized by Google

Deo, per peccatum illatæ, secundum aliquam æqualitatem justitiæ. Ipsa Synodus Tridentina pœnas hasce *vindictas* vocat. Non igitur pœna vobis dicitur propter solam difficultatem, sed propter compensationem, secundum æqualitatem justitiæ & vindictam. Et pœnæ ejusmodi vobis jam sunt preces, eleemosynæ, aliáque etiam bona opera, à quibus prohibere potiùs gravis pœna censeri debet. Ergo Deo servire jam pœna erit. Sic virtutes fiunt odiosæ, dum pœnis & molestis passionibus annumerantur.

ARG. XI. Concilium asserit Cap. 8. *Satisfactiones mederi peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo contrariis virtutum actionibus tollere.* At inauditum est, ut qui *medicinam* ad morbum curandum adhibet, is satisfacere dicatur.

RESP. REDING : *Quid sonat satisfactio aliud quàm valorem culpæ ac pœnæ exclusivam? An verò medicina non potest esse expultrix qualitatis mortiferæ?* Ib. pag. 513. Resp. Satisfactio ne ergo pœnam excludit, an includit? Nugaris solenniter. Qui satisfacit, punitur, non pœnam expellit. Aliud profectò est mederi alicui rei, aliud satisfacere. Illud à bonitate & libera voluntate, hoc à justitia fluit.

ARG. XII. Veteris Ecclesiæ eandem fuisse sententiam, quam & nos tuemur, Cl. Dalleus *de pœnis & satisfactionibus* libro VII. integro fusè demonstravit.

RESP. REDING : *Pseudo-reformationi tuæ plura antiquitatis testimonia opposuit Georgius Rhatus adversus Vedrosium.* Ib. pag. 513.-517. Resp. Eadem Cl. Vedrosius, & ante eum plures alii, Celeb. Dallæus inprimis, cui nemo vestrûm satisfacere vel conatus quidem est, solidè discusserunt, & nos quoque infra discutimus. Haud alienum tamen fuerit, quædam veterum testimonia, quibus satisfactiones vestræ configantur, apponere. Justinus Martyr *Dial. cum Tryphone*: Ἡ *χρηστότης*, inquit, *καὶ φιλανθρωπία τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ ἄμετρον τοῦ πλούτου αὐτοῦ τὸν μετανοοῦντα ἀπὸ τῶν ἁμαρτημάτων, ὡς διὰ Ἰεζεκιὴλ μηνύει, ὡς δίκαιον καὶ ἀναμάρτητον ἔχει. Bonitas & humanitas Dei, & immensitas divitiarum ejus resipiscentem à peccatis, prout per Ezechielem indicat, perinde atque justum, atque qui peccatum non admiserit, habet.* Qui à Domino habetur ac si peccasset, nec punitur amplius, nec satisfacit. Tertulliani verba supra adduximus & vindicavimus. Lucifer Calaritanus *Moriendum esse pro D. F. pag. 323.* ratione generali, quòd *ubi deest culpa, nec pœna sit*, probat; Catholicos, nullius criminis reos, ob fidei veræ professionem à Constantio cruciatos, nullum propriè supplicium passos esse. Chrysostomus *homil. 4. de Annunt.* *Ὁ εἰπὼν, ἐλέησόν με, συγχώρησιν ἔλαβε τῶν πεπλημμελημένων. Ὁ γὰρ ἐλεηθεὶς οὐ κολάζεται. Qui dixit, miserere mei, remissionem delictorum accepit. Qui enim misericordiam consecutus est, non punitur.* Et *Homil. 20. in Matth* eum, qui Deum Patrem appellaverit, *καὶ ἁμαρτημάτων ἄφεσιν, καὶ κολάσεως ἀναίρεσιν & peccatorum remissionem & exemptionem à pœnis* consequi asserit. Insuper *homil. 3 de Pœnit.* Deum, quoties peccata dolet, *κολάσεως ἀπαλλάττειν punitione liberare* statuit; & nullum dimissi peccati *ἔλεγχον*, nullum *δεῖγμα*, nullum *argumentum* aut *indicium* in eo extare, pronuntiat. Clarissimè idem sive quisquis author est; *Homil. 2. in Psal. 50.* *Ὅπου ἔλεος, ἐξέτασις οὐκ ἔστιν. Ὅπου ἔλεος, δικαστήριον οὐ κάθηται. Ὅπου ἔλεος, εὔθυναι οὐκ ἀπαιτοῦνται. Ubi misericordia est, non est inquisitio. Ubi misericordia est, non sedet judicium. Ubi misericordia est, pœna*

na

næ non expetuntur. Cyrillus Alexandrinus *in Zachar. part. 8.* Ὅπου ἁμαρτίας ἄφεσις, ἕψεται πάντως καὶ τὸ ἀπαλλάττεσθαι δεῖν τῶν δι' αὐτὴν ἐπιλυπουμένων. *Ubi remittitur peccatum, illic etiam sequitur necessariò malorum propter peccata inflictorum depulsio.* S. Augustinus *in Psal.31. conc.2.* verba Davidis, *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates &c.* enarrans: *Si texit*, inquit, *peccata Deus, noluit advertere, noluit animadvertere. Si noluit animadvertere, noluit punire. Noluit agnoscere, maluit ignoscere.* Tum pauculis interjectis: *Tecta peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata?* Augustino igitur Deus *tegere*, vel *non videre* ea peccata dicitur, quæ non *punit.* Atqui Deus nemini culpam dimittit, nisi cujus peccatum *tegit.* Ergo ex Augustino neminem Deus punit, cui peccatum, sive culpam *dimisit.* Idem *de verb.1. ser.37.* docet Christum moriendo ita pro nobis satisfecisse; ut peccatorum & culpas & pœnas expunxerit. *suscipiendo*, inquit, *pœnam, & non suscipiendo culpam, & culpam delevit & pœnam.* Hieronymus *in Psal.31.* paria iis, quæ ex Augustino excerpsimus, scribit: *Quod tegitur*, inquit, *non videtur, non imputatur; quod non imputatur, non punitur.* Fidelium autem peccata *tegi*, neque *imputari*, palam est. Fulgentius *Epist. 7. ad Venant. cap.8. Non punit*, inquit, *Deus in peccatore peccata, si peccatoris cervix non fuerit indurata.* Hæc pauca delibasse sufficiat.

ARG. XIII. Satisfactiones à vera pœnitentia separabiles esse probant vel solæ indulgentiæ. Tum fatetur Cajetanus, non teneri ex præcepto divino pœnitentem satisfactiones suscipere. Emmanuel Sá citat Scotum, Biel, Navarrum, Johannem de Medina, asserentes, pœnitentem posse satisfactionem renuere. Nihil dicam de maximo dissensu Scholæ tum circa effectum satisfactionum, dum alii & culpam & pœnam, alii pœnam & æternam & temporalem, alii temporalem duntaxat iis redimi statuunt; tum circa ordinem imponendarum satisfactionum, ante scilicet, an post absolutionem. Inter quas disputationes Concilium suspenso & timido gradu incedit, atque ita artificiosè verba moderatur, ne videatur ullam damnare. Quam in rem multa defendendæ Synodo nequicquam protulit Launojus apud Cl. Reiserum *Launoii. Anti-Bell pag. 462. &c.* Gassander denique multùm conqueritur, negligentiâ & inscitiâ Episcoporum & Sacerdotum doctrinam de satisfactionibus esse corruptam.

Resp. Reding: 1. *Fidei dogmata ab opinionibus probabilibus distinguere debueras. In his libera est disputatio.* 2. *Pœnæ temporalis reatui per indulgentias, seu æquivalentem, imò eminentialem causam, utpote ex Thesauro superabundantium satisfactionum Christi depromptas satisfieri potest.* 3. *Cajetanus, Scotus, Biel &c. non simpliciter negant officium satisfaciendi; sed in optione pœnitentis esse ajunt, ut pro pœna temporali vindictam vel à Deo, vel à Sacerdote suscipere velint. Qui ipsi tamen Conciliorum decretis hâ in re repugnant.* 4. *Distinguendæ sunt satisfactiones, quarum aliæ per contritionem charitate formatam, non condignæ sed congruæ, & culpæ & pœnæ æternæ reatum tollunt, tam intensæ subinde, velut in Maria Magdalena, ut temporalem quoque pœnam expient: aliæ post culpam lethalem remissam, pro pœna temporali condignæ, vel etiam Sacramen-*

tales post absolutionem imposita. Juxta satisfactionum harum differentiam etiam diversitas in effectu elucet. Ib. pag. 516. 517. Resp. 1. Liberæ opiniones vobis sunt omnes, in quibus Scholæ vestræ doctores non conveniunt. Hæc sola libertatis causa vobis habetur; non momentum rei, vel Divinæ revelationis claritas, vel quicquam aliud. 2. Thesaurus satisfactionum abundantium, carbonum potiùs, pro quibus magna vobis vis auri & argenti provenit, quàm verarum Christi satisfactionum thesaurus est. Nulla igitur hic æquivalentia, nedum eminentia obtinet. 3. Sufficit nobis, quòd Cajetani, Scoti &c. opinionem in Conciliis, Tridentino inprimis, damnatam innuis. Jam ergo dissensus erit in articulo fidei, non in opinione probabili. Conciliaris enim definitio juxta vos articulum fidei constituit. 4. Dissensum vestrum immanem circa satisfactionum effectum distinctio tua frivola neutiquam elevat. Sunt qui pro ipsa culpa, sunt qui pro pœna satisfieri posse pertendant. Atque hic nova sententiarum divortia se produnt. Quidam enim disputant, ipsam pœnam æternam peccatis debitam virtute clavium mutari in temporalem, ut pro ea satisfacere possimus: quidam asserunt, & culpam & pœnam æternam remitti per contritionem, remanente obligatione ad pœnam aliqualem temporalem, cujus pars virtute clavium remittatur, pars impositis vel sponte susceptis satisfactionibus expietur. Possem dissensionum harum testes Cadmæos producere Thomam, Scotum, Antoninum, Tapperum, Bonaventuram, alios.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Satisfactio, quam pro peccatis nostris exsolvimus, fit per Christi merita. Nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita omnis gloriatio nostra est in Christo, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus.* Sunt verba Concilii *Cap. 8. & Can. 13.* Resp. Emplastrum hoc est nullius pretii, quod violato honori satisfactionis Christi, Patres illi obducere nequicquam conantur. Nuspiam Scriptura dicit Christum sanguine suo meritum esse, ut nos quoque simus Salvatores nostri, nostrísque actionibus justitiæ Dei satisfaciamus. Nuspiam dicit, Christum meruisse, ut nos redimamus nos ipsos, vel satisfaciamus pro peccatis nostris. Potiùs docet, Christum per se ipsum omnia præstitisse, & purificationem peccatorum nostrorum per se ipsum fecisse, Hebr. I. 3. factum esse nobis redemptionem 1. Cor. I. v. 30. Verbo, Scriptura asserit, Christum satisfecisse semel Deo, hi satisfacere eum quotidie: illa, satisfecisse *per semetipsum*, hi *per nosmet ipsos*: illa, quòd satisfecerit pro nobis *in semet ipso*, hi, quòd satisfecerit *pro nobis in nobis ipsis*. Nonne hoc redundat in satisfactionis Christi injuriam?

EXCIP. REDING: 1. *Quis nostrum dicit, Christum meruisse, ut ipsi simus Salvatores nostri? Actiones nostras non de condigno, sed de congruo satisfactorias, & causaliter & formaliter satisfactioni Christi subordinatas dicimus.* 2. *Cùm Scriptura pœnitentiam vocet justitiam, utique per eam aliquatenus justitiæ Dei satisfieri poterat; ita tamen ut hoc ex Christi infinita satisfactione manat.* 3. *Absolutè loquendo is demum se ipsum à peccatis redimit,*

Digitized by Google

mit, qui ex propriis offert pretium redemptionis. Potest tamen homo peccator sibi hoc pretium applicare. Quia tamen ejus valorem non ex se ipso, sed ex Christo habet, non potest nisi cum subordinatione ad Christum secundariò ac participativè dici, per pœnitentiam redimere se ipsum, pro peccatis suis satisfaciendo per proprium, ex Christo tamen donatum pœnitentiæ actum. Ib. pag. 517. 518. Resp. 1. Qui satisfacit ipse pro peccatis, hoc est, peccatorum quorundam pœnas suffert, is eatenus sui Salvator est, quia se à peccatis illis salvat. Merum autem esse applicationem satisfactionum Christi per nostras *κεγεφύχβε*, vel ex eo apparet, quòd Bellarminus *de Indulg. lib. I. 4.* narrat, Pontifices Romanos damnasse hunc articulum quorundam Lovaniensium: *Solius Christi satisfactionibus remitti pœnam temporalem, Sanctorum autem passionibus offerri Deo, ut Deus illarum intuitu nobis merita Christi applicet.* Et subordinationem satisfactionum Christi & nostrarum supponis, non probas. Etenim si pro culpa & pœna æterna Christus satisfecit immediatè, pro pœna temporali mediatè, hoc est, mediantibus satisfactionibus nostris suæ subordinatis, jam non una, sed duplex erit satisfactio Christi; neque semel Christus satisfecit, sed semper satisfacit; neque *δι' ἑαυτοῦ per semet ipsum*, sed per nos; denique non tam satisfacit pro nobis, quàm in nobis. 2. Non quælibet justitia infinitæ Dei justitiæ satisfacere potest, sed illa demum, quæ numeris omnibus consummata, & peccati omnis exors est, qualis certè pœnitentia non est, quocunque sensu justitiæ nomine veniat. Neque infinita Christi satisfactio præstat, ut perfecta justitia hominis sit, quæ non est. Neque Christus mortuus est, ut nobis daret vires satisfaciendi, sed ut pro nobis satisfaceret. Non redemit nos, ut ipsi essemus redemptores nostri. Non persolvit debita nostra, ut ipsi ea solveremus. Figmenta hæc sunt cerebri vestri, adhuc ab incude calentia. 3. Absolutè loquendo is se à peccatis redimit, qui pretium ipse solvit, sive ex suo, sive aliundè solvat. Lex enim non aliud quàm maledictionem, mortem comminatur. Qui huic satisfacit, undecunque satisfaciat, is se à peccatis redimit. Neque Christus magis satisfacit, quatenus gratiam hominibus præbet satisfaciendi, quàm resipiscit, & confitetur peccata, quatenus resipiscendi & confitendi gratiam suppeditat.

OBIECT. II. *Per satisfactiones tanquam media divinitus instituta, reddimur participes satisfactionis & meriti Christi, illúdque nobis applicamus. Potest autem satisfactio Christi per nostram satisfactionem applicari, & hæc illi tam efficienter quoad sui mediante gratiâ per Christum donata positionem, quàm formaliter quoad sui ab æterno Patre acceptationem subordinari, æquè ac causa secunda suum cum prima influxum conjungere possunt.* Aug. Reding. pag. 564. Resp. Est hoc alterum emplastrum curando vulneri, merito Christi inflicto, non minùs futile. Etenim 1. Concilium non applicari docet, per nostras satisfactiones, satisfactionem Christi, sed *redimi peccata, satisfieri pro peccatis Deo.* Hoccine est applicare satisfactionem? 2. Nec satisfactiones propriæ sunt media divinitus ordinata applicandi satisfactionem Christi. Requiro scripturas ejus rei testes. Solâ fide, apprehendente Christum cum certa fiducia, quatenus operibus nostris opponitur, mortem Christi peccator sibi applicat. 3. Insaniæ proximum est, nugari passionem per passiones, solutionem per solutionem, satisfactionem per satisfactionem applicari.

4. Stolida

Digitized by Google

4. Stolida eſt ratiocinatio adverſarii petita à cauſis ſecundis primæ ſubordinatis, tum quia cauſæ ſecundæ non nudè applicant virtutem cauſæ primæ, ſed ſub cauſa prima, communicata virtute, influunt ad effectum: tum quia in rebus naturalibus cauſæ ad finitum effectum producendum, ſub prima cauſa ordinatæ ſunt, at in rebus ſupernaturalibus, & negotio redemptionis noſtræ, nulla omnino finita virtus ad producendum infinitum redemptionis effectum concurrere poteſt. Sicut nulla finita virtus creare, ita nec redimere, ſatisfacere, pœnam infinitam peccato, quod infinitum reatum habet, exſolvere quacunque ratione poteſt. Nam יקר פדיון נפשם *pretioſa eſt redemptio animæ ipſorum. Deſinet in Seculum.* Pſalm. XLIX. 9.

EXCIP. REDING: 1. *Synodus cap. 10. decernit, noſtram ſatisfactionem eſſe per Chriſtum, tum cauſaliter, quatenus ea ex viribus gratiæ ex Chriſti meritis acceptæ promanat: tum formaliter, quatenus valorem habet ex Chriſto eas Patri offerente. Quomodo hoc ſubſiſteret, ſi ſatisfactio Chriſti per noſtram, ceu ejus effectum non applicaretur? 2. Non ſola fide, ſed etiam pœnitentia meritum Chriſti applicari, ſupra probavimus. 3. Solutionem ex ſe perfectam, & ſatisfactionem ex ſe ſufficientem, ſed in ſua efficacia pendentem ex applicatione Divinitus ſtatuta applicari per ſolutionem inferiorem & inſufficientem ac ſubordinatam, quid vetat? Ita enim etiam cauſæ ſecundæ cauſam primam applicant, vel potiùs à prima applicantur; non in rebus tantùm naturalibus, ſed etiam ſupernaturalibus, ipſóque redemptionis opere, teſte S. Paulo Eph. II. 10. nos ambulare in operibus bonis (quæ actus ſupernaturales ad opus redemptionis ſpectantes ſunt) in quibus per Chriſtum creati ſumus. Atque ita etiam ad creationis opus concurrere poteſt cauſa ſecunda ſub formalitate tamen longè inferiori; per actionem nempe potentialitati immerſam, reſpicientem eſſe ſpeciei in ſe eſſentialiter finitæ.* Ib. pag. 518-520. Reſp. 1. Non capite 10. ſed 8. profitetur Synodus, *Satisfactionem noſtram eſſe per Chriſtum Jeſum.* Sed tuam declarationem, quòd *cauſaliter* & *formaliter*, eo, quo pertendis, ſenſu, ſit per Chriſtum, nuſpiam in Concilio lego. Tu interpretaris pro lubitu. Neque profectò, ſatisfactionem noſtram eſſe per Chriſtum, hoc eſt, ex gratia meriti Chriſti ſatisfaciendi virtutem habere: & ſatisfactionem Chriſti per noſtram ſatisfactionem applicari, æquipollent. Poteſt enim ex gratia meriti Chriſti manare, quod nihil aliud applicat. Ita charitatis habitum ex gratia Chriſti derivatis, & tamen ab eadem juſtitiam Chriſti, vel aliud quid imputari, negatis. 2. De applicatione meriti Chriſti per ſolam fidem ſupra egimus. neque operam hic ludimus. 3. Applicationem ſolutionis perfectæ per imperfectam Divinitus ſtatutam eſſe, proba. Somnia enim tua obtrudi nobis non patimur. Inprimis redemptionem Chriſti redemptione vel ſatisfactione noſtra ſic applicari, uti cauſæ ſecundæ applicant virtutem cauſæ primæ, cum eadem ad effectum influentes, audacter aſſeris, & ex Epheſ. II. 10. ſtolidè probare niteris. Opera enim bona, in quibus creati in Chriſto Jeſu, & præparati à Deo ambulamus, non ſunt opera redemptionis vel ſatisfactionis noſtræ redemptioni Chriſti ſubordinata, vel eandem applicantia, adeóque mediatoria, ſed communia ſanctificationis, ſine qua nemo Deum videre poteſt. Denique bellè Judæis & Antitrinitariis patrocinaris, concurſum cauſæ ſecundæ cum prima in opere creationis, quod infinitæ potentiæ eſt, aſtruens, argumento futili, quòd *creatura recipiat eſſe ſpeciei in ſe eſſentialiter finitæ.* Quaſi recipere

Digitized by Google

vi esse sit concurrere agendo ad productionem rei ex nihilo. Quàm hæc Theologo vel Philosopho indigna sunt!

OBIECT III. *Divina justitia exigit, ut aliter in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter qui semel à peccato & dæmonis servitute liberati, scientes templum Dei violaverint. Non igitur hic sine satisfactione aditus ad gratiam patere debet.* Concilium cap. 8. Resp. 1. Sæpe qui ante baptismum peccant, scientes peccant, & qui post baptismum, ignorantes. Nititur argumentum falsa hypothesi de physica efficacia baptismi. 2. Quin gravior maneat pœna peccatorem scientem, quàm ignorantem, dubium haud est. At hic non de pœnis, sed de remissione peccati quæstio est. Utrique verò remittitur, credenti in Christum, qui pro nobis plenissimè satisfecit, neutri satisfacienti.

Excip. Reding: *Omnino graviora peccata sunt post-quàm antebaptismalia, tum quia in illis, non in his invincibilis ignorantia Dei, quâ finus saltem supernaturalis, subesse potest: tum quia illi, non hi experses sunt gratia Spiritus S. Cùm igitur peccata ante Baptismum eandem ob causam una cum pœna omni remittantur, ea quæ post Baptismum committuntur aliquatenus, quoad pœnam temporalem, puniri debent.* Ib. pag. 520. 521. Resp. Contingens id omne est. Gravitas enim peccati ex ἀνομίᾳ seu exorbitantia à lege, & dispositione peccatoris, quæ ante & post baptismum eadem esse potest, non à Sacramenti usu pendet. Sic Constantinus M. adhuc catechumenus, necdum baptizatus, gravissimè peccavit, Crispum filium, & Faustam uxorem, & Licinium juniorem, sororis suæ filium interimens. Et de hoc quicquid fiat, Christi sanguis purificat ab omnibus peccatis 1. Joh. I. 7. Neque *ulla condemnatio in iis est, qui in Christo Jesu sunt*, adeóque etiam in baptizatis, Rom. VIII. 1. Repeto, hic non de pœnis, sed de remissione peccati agi, ad quod nihil respondes, respondendi impos.

OBIECT. IV. *Divina clementia convenit, ne peccata absque ulla satisfactione dimittantur. Alioquin peccata leviora putantes in graviora labentur, thesaurizantes iram in diem iræ.* Concilium *l. cit.* Resp. 1. An igitur, si propria satisfactio nostra haud intercesserit, peccata dimittentur sine satisfactione? Siccine Christi satisfactio in numerum non perveniet? An gravissima, quam Christus pro nobis sustinuit, pœna & maledictio, non satis erit ad æstimandum pro merito peccatum? 2. Sed & alia æstimandi peccati subsidia præstò sunt, lex iram denuntians, ira ex cœlo revelata super omnem impietatem, peccati meritum, æternæ pœnæ gravitas. 3. Quid divinæ clementiæ conveniat, ex voluntate Dei patefacta judicandum. 4. Accedit, quòd satisfactionibus nugatoriis illis defuncti peccata ut plurimùm rem jocularem arbitrentur, quæ tam levibus piaculis dilui queat.

Excip. Reding: 1. *Satisfactionem Christi includimus, non excludimus.* 2. *Efficaciùs movent, quæ molestiam proprio supposito, at longè minorem inferunt. Talia sunt satisfa-*

 ctiones.

Digitized by Google

ctione propriæ. Atque is modus ex clementia Divina provenit. 3. Non tam joculatorem, quàm blasphemum calumniatorem agis, pœnas à Concilio definitas sic traducens, quas tamen ipse supra crudeles & barbaras vexationes insignivisti. pag. 521. Resp. 1. Satisfactio Christi perfecta, an imperfecta est? Si prius, propria includi non debet. Posterius blasphemantis spiritus est. 2. Molestiam etiam paternæ castigationes & fidei *probationes* proprio supposito inferunt. ut satisfactionibus & pœnis propriè dictis nullatenus opus sit. 3. Non ago *joculatorem*, fateor. In re enim seria tecum *joculari* quid attinet? Sed nec *blasphemum calumniatorem* egi, scapham appellando scapham. Annon enim gerris Siculis flagellationes, ciborum discrimina, incubare Solo, cranium habere pro cervicali, sub interula nôdoso fune succingi, lumbos exulcerare, aliáque ejusmodi accensenda sunt? Quæ nonnulla crudelia licet, adeóque ab Apostolo Col. II. 21. damnata, nugatoria esse non desinunt, quia fini proposito consequendo nihil conducunt.

OBIECT. V. *Satisfactionum etiam hæc insignis utilitas est, quòd conducunt ad habitus vitiorum eradicandos, & virtutum inserendos, & Christi passionibus nos conformant.* Concilium *l. cit.* Resp. 1. Periculosum est argumentandi genus, ut quod utile videtur, statim in religione constituendum concludatur. Ita olim Novatiani utilissimum esse ad homines in officio continendos putârunt, si lapsis omnis venia negetur. 2. Imò tali disciplina vitiorum habitus non eradicari, sed foveri, adolescere, confirmari, virtutes oppositas extingui palam est, quando peccata tam levibus pœnis dispungi homines sibi stolidè fingunt, & tantum de Christi merito delent, quantum satisfactionibus suis tribuunt. 3. Operibus illis laboriosis, qualia sunt jejunia piscaria, precum ad globulos exactio, peregrinationes animi gratiâ susceptæ &c. quomodo Christo conformantur homines? Ludunt potiùs, quàm patiuntur. Proinde ex ipsis adversariis Arnoldus Sorbonista satisfactionum ejusmodi ludibria grandi volumine exagitavit, & nihil minùs quàm Christo nos conformare ea docuit. Crux potiùs divinitùs immissa, propriæ satisfactionis typho destituta, persecutio ob Evangelium infracto animo tolerata id præstare apta nata est.

EXCIP. REDINO: 1. *Synodus supposita veritate de satisfactionibus authoritate Divina firmata, utilitatem earundem asserit.* 2. *Cùm omnis virtus & valor satisfactionum à merito Christi pendeat, nihil huic per nostras satisfactiones decedit; sicut nihil causæ primæ per secundarum influxum.* 3. *Cùm passiones nostræ tales sint, ut gloriæ Christi participes reddant, siquidem compassi conglorificamur, utique per eas Christo conformamur.* Ib. pag. 521. 522. Resp. 1. Malè Synodus supposuit, malè posuit. Si qua satisfactionum vestrarum utilitas est, sacrificulorum culinæ tota inservit. Conflatum enim dogma illud est ad incudem avaritiæ. Et artibus his pridem Pontificia religio in cauponationem conversa est. Nam Papæ mancipia mordicus tenent, summáque contentione defendunt, pœnam temporalem luendam esse in hac vita, & in Purgatorio, ut Papa habeat quod indulgeat, & inde lucretur, & clerus ex Missis & suffragiis pro defunctis rem

Digitized by Google

rem faciat. Hæc satisfactionum vestrarum vera utilitas est. 2. Undecunque virtus satisfactionum derivetur, satisfactiones propriæ dicuntur, atque eatenus merito Christi derogant. Disparem verò satisfactionum ac meritorum nostrorum, & causarum naturalium subordinatarum primæ rationem jam sæpe ostendimus. Placuit Deo per causas secundas naturam gubernare. At redimere mundum per homines meros non placuit. 3. Passi cum Christo cum eodem glorificantur, & morti Christi conformantur, Rom. VIII. 17. Phil. III. 10. 2 Tim. II. 11. Sed passiones eas veri nominis satisfactiones esse, supponis, non probas. Horrenda etiam S. Scripturæ depravatio est, per quam, quod Apostolus de persecutionibus, ærumnis & martyrio, pro professione Evangelii dicit, ad flagra, peregrinationes, mulctas pecuniarias à Curione indictas, ad obmurmurationem septem Psalmorum, ciborum discrimina, aliáque ejusmodi trahitur. Qui talia sponte patiuntur, non Christi, sed suam crucem ferunt. An qui sibi dorsum scutica concidit, aut cilicio scapulas sibi excoriat, per hæc Christo conformis fit? At nihil horum Christus fecit, vel fieri jussit, vel sponte subiit; nihil Apostoli Christi imitatores γνήσιοι factitarunt unquam. An abstinere carne biduo aut triduo ante Pascha, conformitas censebitur, qua assimilemur Christo cùm illa ipsa die Christus cum discipulis agnum comederit? An muliercula quinquagies repetens suum *Ave-Maria*, Christo, qui nunquam *Ave Maria*, dixit, conformabitur? Næ risum talia movent potiùs, quàm fidem faciunt.

OBIECT. VI. *Pœnam temporalem, post remissam culpam, fidelibus exantlandam esse, multis argumentis probari potest.* Resp. Argumenta ea supra discussimus, & prægnantibus rationibus contrarium probavimus.

EXCIP. REDING: *Supra veritatem eam ex S. Literis probavimus.* Ib. pag. 522. Resp. Nos falsitatem demonstravimus.

OBIECT. VII. *Deus Esaj. I. 16. 17. remissionem peccatorum plenam & perfectam iis promittit, qui variis operibus laboriosis se exercuerint.* Resp. At operibus illis, quæ ibi enarrantur, satisfacere fideles non asserit, utpote quæ debita esse, & minimè ærumnosa & pœnalia nemo non videt. Non igitur satisfactionibus, sed veræ pœnitentiæ, quæ ex bonis operibus velut arbor ex fructibus definitur, remissio peccatorum promittitur.

EXCIP. REDING: *Omnis actus virtuosus, comparatus ad congenitum sensualitatis fomitem arduus, pœnalis est.* 2. *Operibus talibus Esajas proportionem quandam ad perfectam peccatorum remissionem tribuit. Nam per pœnitentiam peccata, sanguinea quasi malitia aspersa, dealbari nivis & lanæ instar dicuntur.* Ib. pag. 523. Resp. 1. Siccine virtuti studere, & servire Deo pœna est? Atqui pœna omnis passio est ob peccatum animo invito suscepta. An qui virtuti studet, patitur ob peccatum invitus, & non potiùs agit id sponte, quod peccato adversatur? Sic virtutes fiunt odiosæ, dum molestis passionibus annumerantur. 2. Neque ulla proportio verè meritoria & satisfactoria pœnitentiam inter & perfectam remissionem peccatorum statuitur, sed ex signo res signata, ex effecto causa ostenditur. Pœnitentia enim vera remissionis perfectæ & dealbationis signum, non causa est. Fides enim, cujus anteambulo est contritio, & pedissequa

Digitized by Google

bona opera, in solo Christo reconciliationem quærit. Sola ergo aspersio sanguinis Christi nitorem & candorem illum peccatori conciliat, 1. Joh. I. 7. Psalm. LI. 7. 8.

OBIECT. VIII. *Johannes Baptista Matth. III. 8. Luc. III. 8. jubet facere fructus dignos pœnitentiæ. Hi fructus utique sunt opera, quibus peccata delentur, & malefacta puniuntur.* Resp. Fructus pœnitentia dignos sancta opera intelligit, qualia par est eum edere, quem verè peccati pœnitet. quomodo etiam Ferus, Jansenius, ipse Maldonatus explicat. At operibus illis Deo satisfieri, est τὸ κρινόμενον.

EXCIP. REDING: *Eo ipso, quòd talia opera sunt fructus pœnitentia digni, in linea sunt ejus proportionis, quam pœnitentia, ad remissionem culpæ ac pœnæ æternæ & temporalis habet.* Ib. pag. 523. Resp. Proportionem habere causæ meritoriæ & effectus fingis, non probas. Hoc ipsum τὸ κρινόμενον est. Saltem ex hoc loco nihil conficis. Annon & isti, quibus tota pœna jam est remissa, (quomodo Bellarminus ex communi Scholasticorum sententia docet, *aliquando tam vehementem esse posse dolorem contritionis, ut tota pœna remittatur*) tenentur fructus edere pœnitentia dignos? Pro qua ergo re illi fructus tales edentes satisfaciunt?

OBIECT. IX. *Paulus 1. Cor. XI. 31. ait, non judicatum iri nos, si nos ipsos judicaverimus. Ergo ad satisfactiones ejusmodi hortatur. Idem 2. Cor. VII. 11. ἐκδίκησιν vindictam, puta de peccatis præteritis, adeóque satisfactionem in Corinthiis laudat.* Resp. 1. Se ipsum judicare non est satisfacere, vel aliquid Deo compensare, sed culpam suam agnoscere ac delere, uti etiam Anshelmus, & ante eum Chrysostomus in h. l. explicat. 2. Ἐκδίκησις illa seu *vindicta* in Corinthiis laudata erat, non satisfactio propria, sed excommunicationis sententia à Corinthiis, ex Apostoli præscripto, in incestuosum lata, uti etiam Cajetanus, Isidorus, Clarius, Gagnæus, Godellus, aliique plurimi agnoscunt.

EXCIP. REDING: 1. *Deus judicanti se parcit, ne condemnetur cum mundo. Ergo pœnitentia talis proportionem habet cum remissione. Sic etiam Chrysostomus. 2. Corinthii vindictam tum de se, tum de incestuoso sumebant. Fieri autem non posse, quin anima Divini judicii horrore perculsa partes ultionis in exigenda de se pœna occupet, ipse Calvinus Instit. III. 3:16. fatetur.* Ib. pag. 523. Resp. 1. Parcit judicanti seu διακρίνοντι *discernenti* se, non satisfacienti pro pœna, sed culpam agnoscenti, deprecanti, se emendanti, & à Seculi hujus conversatione se *discernenti*, segreganti. Qui sic se discernunt, illos κρίνεσθαι *judicari*, damnari à Domino Apostolus negat. Quicunque autem satisfaciendo pœnam subeunt, ii judicantur sanè. Quid verò multis? *Judicari, à Domino* est cum mundo damnari. Hæc verò pœna non retinetur, nisi etiam culpa non dimittatur. Si culpa dimittitur, pœna etiam condonatur. Nihil ergo Paulus de ea pœna, cui satisfactionem Papistæ assignant. Et dum Dominus judicabat, multi infirmabantur, dormiebant. At nemo unquam se judicans, damnavit aut morbo aut morte, excepto Juda, & similibus. 2. Vindicta de incestuoso sumpta anne satisfactio fuit pro pœna peccati proprii? Pro-

Digitized by Google

ba ex textu, in quo nil tale legimus. Calvinum & malè citas (ſ.15. non 16. verba habentur) & detorques. Pœna illi non propriè, ſed impropriè talis eſt; puta *pudor, confuſio, gemitus, diſplicentia ſui, & reliqui affectus, qui ex ſeria delictorum recognitione naſcuntur.* uti ipſe ſubjicit. An affectus hi ſunt pœnæ, ſatisfactiones propriè tales, qualibus peccata expiantur, damna Deo illata ſarciuntur, & merces ex juſtitia commutativa debetur. quod ſatisfactioni propriè dictæ Bellarminus tribuit?

OBIECT. X. *Etiam Patres ejuſmodi humanas ſatisfactiones agnoverunt. Juſtinus Martyr* Dial. cum Tryph. *negat Davidi remiſſam eſſe noxam ante pœnitentiam. Irenaus* adverſus hæreſes lib. IV. 24. *Zachai reddentis quadruplum exemplum proponit. Origenes* Homil. 6. ſuper Exod. *jubet pœnitendo, flendo, ſatisfaciendo delere admiſſum. Tertullianus* lib. de pœnit. *Satisfactionem ait confeſſione diſponi, confeſſione pœnitentiam naſci, pœnitentiâ Deum mitigari. Cyprianus* lib. 1. Epiſt. 3. *Novatianos redarguit, quòd ſatisfactionibus delicta non redimant. Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, ejuſmodi opera commendant. Hieronymus* lib. III. epiſt. 295. *jubet ante praſtitutum diem per res ipſas ſatisfacere. Auguſtinus* in Pſal. 44. *mandat, ut quiſque peccata ſua puniat.* Ita Bellarminus & rapſodus ejus Aug. Reding *pag.* 559. *&c.* Reſp. 1. Eſt argumentum humanum, quod contra divini verbi fidem nihil probare poteſt. 2. Pleraque loca illa probant neceſſitatem pœnitentiæ etiam externis operibus teſtandæ. Cum quo luctantur hi homines? an cum lemuribus? Quis unquam noſtrûm pœnitentiæ neceſſitatem vocavit in dubium? Hoc quæritur, an externa pœnitentiæ opera inprimis illa, quæ hoc titulo donant Adverſarii, ſint juſtæ compenſationes offenſarum, & propriè dictæ ſatisfactiones, ſubordinatæ ſatisfactioni Chriſti, adeóque peccata, vel eorum, uti quidem mitiſſimi ſentire videri volunt, temporales pænas propriè redimant? Ad has verò lineas decertandum. 3. Satisfactiones ſi qui commendant, verbo eodem ſubinde, ſed diverſo ſenſu loquuntur. Cedo enim unum ex Patribus, qui pro pœnis temporalibus ſatisfieri Deo aſſerat? Satisfieri volunt peccatis per oppoſita bona opera, peccati habitum tolli, & induci contrarium habitum, ſatisfactiones & pœnas eas præcedere veniam & remiſſionem, iis redimi peccata, ſanctis non eſſe remiſſam noxam ante ſatisfactionem, deleri ſatisfaciendo admiſſum, & puniri peccatum. At Papiſticæ ſatisfactiones ſupponunt remiſſionem culpæ, ſequuntur veniam, redimunt non peccata, non æternam pœnam, ſed juxta pleróſque, temporales duntaxat, nec pulſo veteri novum habitum inducunt, cùm liberatio à pœnis non ſit novi habitus inductio. Quid ergo ad ſatisfactionarios illos ſententia Patrum? Fateor ſanè veterum in hanc partem ἁμαρτίας omnes vix exigi poſſe ad amuſſim ſimplicitatis Chriſtianæ, & A-

postolicæ sinceritatis, & mecum bonos omnes exoptare, ne sibi permisissent à phrasibus Scripturæ recedere, & κενοφωνίαις indulgere, quæ facilè apud universos inprimis ἐπὶ πλεῖον προκόψουσιν ἀσεβείας 2.Tim.III 16. Interim fidenter dico, nostram sententiam, quæ pœnitentiam constituit in mutatione vitæ, quæ & doleat præcedentia peccata, & fleat, & plangat, & jejunet, & peccatis iis comparet oppositas virtutes, propiùs imò planè ad mentem Patrum accedere, etsi verbis nonnihil discrepet. Quanquam & illud, quòd *satisfieri Deo* dicunt, commodè explanari potest, ne putemus videlicet, pœnitentiæ aut internum sensum, aut externa opera metienda esse nostro potiùs judicio, quasi optimè functi partibus nostris fuerimus, cùm nos homines non improbaverint, quàm ad amussim voluntatis divinæ in verbo ejus expressæ. Apud bonos quoque Authores *satisfacere* notat culpam agnoscere, uti notat Levinus Torrentius ad verba illa Suetonii in Julio cap.73. *Satisfacientem eodem die adhibuit cœna.* Juxta quam notionem multò magis *satisfacere* dici potest, qui dolorem agnoscit & testatur quoque externis indiciis. 4. Quæ diximus, clavis solutionis esse possunt ad omnia loca ex Patribus objecta. Qui tamen singula discussa cognoscere avet, adeat licet Cl. Dallæum *de Pœnis & satisfact.* lib. VII. nec non Chamierum *Panstrat. Tom. III. lib. XXIII.* 15.

EXCIP. REDING: 1. *Quæ hæc audacia est, testimonium ex Patribus depromptum humanum vocare, & eosdem arguere, ac si à phrasibus Scripturæ & simplicitatis Christi amussi recessissent!* 2. *Falsò supponis, à nobis statui in homine justas offensarum propriè dictas satisfactiones, peccatorum ac pœnæ æternæ redemptrices; neque ullas dari satisfactiones, quàm quæ veniam subsequentem, & peccatorum remissionem supponunt.* 3. *Justinus non sola fide, sed pœnitentia etiam deletum Davidis peccatum ait. Proin aliquam congruitatis proportionem habere, pœnitentiam ad remissionem peccatorum innuit. Cúmque David sub veteri lege pro pœna temporali satisfecerit, pro eodem sub nova lege satisfaciendum fuerit. Irenæus quoque loc. cit. ex bonis in pauperes erogatis fieri præteritæ cupiditatis solutionem, adeóque veram satisfactionem, in foro etiam Dei, ad quod bonitas moralis spectat, asserit. Origenes pœnitendo, flendo, satisfaciendo deleri docet, quod admissum est. Quid clarius? Addit homil. 3. in lib. Jud. Deo satisfieri in confessione pœnitentia. Tertullianus redimi impunitatem pretio ac compensatione pœnitentiæ astruit. Cyprianus Novatianos satisfactionibus delicta non redimentes arguit. Basilius remedium contra peccati gravitatem statuit confessionem, amaras lachrymas, vigilias, in quibus satisfactionis formalitas consistit. Nazianzenus non sola fide sed per officia misericordiæ purgari peccata pronuntiat. Ambrosius plura esse subsidia, quibus peccata nostra redimamus, statuit. Hieronymus, si ante præstitutum diem per res ipsas satisfecerimus, in judicio misericordiam nos consecuturos recipit. Augustinus mandat, ut quisque peccata sua puniat, ne Deus puniat. Quid his omnibus luculentius? Ideo distinctè ad testimonia hæc respondere supersedisti.* Ib. pag. 524-526. Resp. 1. Cùm Doctores quivis Ecclesiæ homines, non Deus fuerint, eorum testimonium, quod ex scripto Dei verbo (aliud enim non extat) non depromptum

prompſerunt,non poteſt non merè humanum eſſe. Tu ergo vel ſingula Patrum dicta & phraſes ab iis, in hoc inprimis argumento, uſurpatas ex verbo Divino ſcripto nobis demonſtra, vel calumniari deſine. 2. Diviſum circa ſatisfactiones labium veſtrum ſupra apricatus ſum. Non eadem veterum inprimis Scholæ doctorum mens fuit. Reſponde tamen, ſi potes,pro mitiſſimis,qui pro pœnis temporalibus ſatisfieri, eáſque redimi pertendunt. Vel unicum ex S. Patrum choro nobis ſiſte,qui pœnam temporalem ab æterna & culpa diſtinxerit,atque pro illa ſatisfieri ſola affirmaverit. Hoc ſi potes, per me rubrum galerum habeto. ſi Babyloni tuæ ſic placuerit. Sed in æternum id præſtare non poteris. Cur inſuper ad inſtitutam a me ſatisfactionum, quarum veteres meminere, & veſtrarum antitheſin nihil reſpondes? Hic ſi uſpiam, tibi aqua hæret. Non verba ſola *ἐπιπολαίως* attendenda,ſed rerum definitiones ponderandæ ſunt. 3. Fruſtra ergo magno hic verborum ſtrepitu, magna enumerationis pompa, aures doctorum obtundere, & infirmorum judicium obruere conaris. Oſtendam paucis. Pœnitentia deletum Davidis peccatum dixerit Juſtinus. An ſolam pœnam temporalem deletam dixit? Imò de culpæ, pœnæ & æternæ & temporalis remiſſione loquitur, & deletum pœnitentia peccatum dicit, vel quia ex miſericordia illud credenti & reſipiſcenti Deus condonavit. vel quia vitioſos peccandi habitus forti pœnitentia ex animo ſuo expunxit obliteravítque. Præteritæ cupiditatis ſolutio, quam Irenæus aſſerit, qua ratione in ſatisfactionem pro pœna temporali quæſo commutatur? De Origenis verbis idem ſtatuendum, quod de adductis ex Juſtino. Sed ſatisfaciendo, inquis, deleri,quod admiſſum eſt, Origenes ait. Atqui non de verbis, ſed de verborum ſenſu agitur. Satisfaciendi autem vocem apud vetuſtiſſimos authores Latinos alio ſenſu, quàm eo, quem novella ſuperſtitio veſtra ei affinxit, uſitatam eſſe,probatum jam dedi. Et S. Patres alio ſenſu uſurpaſſe liquet,tum quia eos etiam,qui ex impietate ad Evangelii fidem ſuſcepto baptiſmo convertuntur, *Deo ſatisfacere* ajunt: tum quia ſatisfaciens juxta veteres non ſolius pœnæ,ſed etiam culpæ remiſſionem accipit: tum quia quam commemorant ſatisfactionem,eam remiſſionem peccatorum antecedere,non ſequi volunt: tum quia apud ipſos ſatisfaciens gehennæ, ſive æternæ pœnæ remiſſionem accipit: tum quia ſatisfaciens Dei miſericordiam convenire iis dicitur, cùm veſtra ſatisfactio juſtitiam reſpiciat: quæ aliáque veterum conſignatiſſimis teſtimoniis Cl. Dallæus *de Pœnis & Satisfact. lib. VII.* 4. confirmavit. Sed quis locupletior ipſo Origene à te citato teſtis eſt? Etenim is *Deo ſatisfieri in confeſſione* docet. An vobis confeſſio ſatisfactio eſt? Pari inſcitia *redimendi* vocem,qua Cyprianus, Ambroſius,aliíque utuntur, flagellas. Etenim ipſe Arnoldus veſter agnoſcit, eos non pœnæ temporalis, ſed culpæ remiſſionem intelligere; & *redemptionis* voce iis ſimpliciter liberationem, abſque ullo pretio redemptionis venire. In lachrymis,vigiliis, &c. ſatisfactionem propriè conſiſtere,tu aſſeris. An ſic etiam Baſilius? Proba. Purgari peccata per officia miſericordiæ, Nazianzenus dixit. At vos ſatisfieri non pro peccato, ſed pro pœna temporali per officium juſtitiæ aſſeritis. An ergo ſic paria facitis? Auguſtinus jubet quemque peccata ſua ſine diſcrimine punire,vos peccata mortalia in Chriſto punita eſſe conceditis; atque eo remiſſo pœnas temporales exigitis. Viden' Redingi. Annon,ſicut pueri molis ſonantibus affingunt,quod ipſi cantillant: ſic vos degenerans natio veteribus?

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

An absolutio Sacerdotis fiat per actum judicialem, quo ab ipso, velut à judice, sententia remissionis peccatorum pronuntietur, an per nudum ministerium pronuntiandi & declarandi, remissa esse pœnitenti peccata?

AFfirmat prius Cap.VI. & Can.IX. Fatemur nos, à Christo Ecclesiæ concessam esse potestatem absolvendi, & peccata pœnitentibus remittendi, significatam metaphora clavium aperientium & claudentium. Porro exercitium hujus potestatis est partim in prædicatione Evangelii, sub qua etiam Sacramentorum administratio continetur, partim in disciplina Ecclesiastica. In prædicatione Evangelii remittuntur peccata, non tamen per actum judicialem, fatentibus adversariis. In disciplina Ecclesiastica peccata remittuntur, præcisè non quatenus offendentia Majestatem Dei, sed quatenus Ecclesiam. Pastores enim dirigunt Ecclesiam Dei in hac vita. Proinde cùm ita remittunt, verè sunt judices, & per actum judicialem remittunt pœnas sive satisfactiones Canonicas Ecclesiæ debitas. Cæterùm Synodus sciscit, sacerdotem ut judicem remittere peccata, quatenus Deum offendunt, adeóque ipsum quasi inter Deum & peccatorem medium, sententiam absolutionis talem pronuntiare, quam Deus æquè ac si ab ipso Christo lata esset, firmam & ratam in suo judicio habeat, & citra quam nemo post baptismum lapsus DEO reconciliari possit, ut loquitur Bellarminus *de pœnit. lib.III.3.* Sed & Catechismus Tridentinus *lib.II.5.* monet, non aliter accipiendam esse vocem sacerdotis, peccata legitimè condonantis, quàm Christi dicentis paralytico: *Confide fili, peccata tua tibi remissa sunt.* Hoc præcisè negamus. Etenim

ARG. I. Potestas absolvendi per judicialem actum est solius Dei, incommunicabilis ulli creaturæ. Solus ipse judex est, Genes.XVIII.v.24. Psal. XCVII.1. Hebr.XII.23. Jacob.IV.12. Est proprietas essentialis Dei peccata remittere, Luc.V.v.21. Jesaj.XLIII.15. Mich.VII.18. Matth.VI.12. Ergo Sacerdos non absolvit ut Judex.

RESP.

Digitized by Google

RESP. REDING: 1. *Christo etiam qua homini data est potestas judicandi, Joh. V.27. Et Luc. V.22. Filius hominis habere potestatem dicitur dimittendi peccata. Ergo si non absoluta & primaria, saltem secundaria peccatorum remittendorum potestas communicabilis est. 2. Genes. XVIII.27. Deus dicitur judicare terram. An iccirco homines nulli judices sunt? Annon etiam duodecim tribus Israel sedebunt judicantes, Matth. XIX. (non XV.) 28? Annon etiam Luc. V. 24. Christus ipse, qua filius hominis sibi peccatorum remittendorum potestatem vindicat? Aliud ergo est primaria potestas remittendi peccata, ministerialis aliud.* Tom. II. Tract. VII. Ss.2. pag. 526.527. Resp. 1. Judiciaria potestas remittendi peccata tribuitur Christi, filii hominis, personæ, non seorsim humanitati. Dicit enim Christus ipse Joh. V.27. *Dedit ipsi potestatem*, non utique secundariam, uti tu nugaris, sed absolutam & primariam, quia ib. v.22. πᾶσαν κρίσιν omne judicium Filio dedisse, imò ipse judicare, non Pater quenquam judicare, dicitur) *faciendi judicium* ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί, *quia Filius hominis est; non quâ homo est.* Est enim judiciaria potestas illa ἀποτέλεσμα personæ, utraque natura in eo faciente, quod suum est, cum communione alterius. Filius hominis nominatur, quia peccatum sine morte, adeóque carne hominis, judicari, & sine ea execratio legis aboleri non potuit. 2. An judex homo quisquam judicat orbem? An Apostoli judicabunt tribus Israelis secundum suum, an secundum Dei, quod prædicarunt, verbum? S. Paulus Rom. II.16. litem decidat: *In die*, inquiens, *qua judicabit Dominus occulta hominum, secundum Evangelium meum, per Jesum Christum.* Judex ergo erit Christus solus: judicii norma Evangelium à duodecim Apostolis prædicatum.

ARG. II. Etiam ratio sana comprobat, judiciariam potestatem peccata remittendi penes solum Deum esse. Qui enim peccata remittit, oportet sit καρδιογνώστης, qui peccata animi, quæ sub sensum non cadunt, cognoscat; animarum & conscientiarum Dominus, qui pœnas iis convenientes dictet & irroget. Hinc adeò ipsi Patres cap.5. innuunt, sacerdotes non posse esse judices, nisi perfectam cognitionem peccatorum habeant. At sacerdotes his dotibus minimè pollent. Ad hoc enim, ut noverint peccatum pœnitentis, ejúsque pœnitentiam, non sufficit externa confessio, & contritionis externa signa, quia nescit, an hæc vera & integra, an potiùs simulata & imperfecta sint. Proinde judicant de ignotis, iis nempe, quæ hominis cognitionem effugiunt. Si respondeatur, eos non judicare *absolutè*, sed *conditionaliter*, hoc ipso veros judices se haud esse produnt. Judices enim veri non judicant conditionaliter. Neque dicunt: *Hunc damno, si est homicida*; sed potiùs: *Hunc damno, qui est homicida.*

RESP. REDING: *Argumentum non stringit nisi contra absolutam & primariam potestatem remittendi peccata, quæ solius Dei est. Potestas autem remittendi peccata Ministris concessa à Christo secundaria conditioni humanæ, quæ intuitivam secretorum cordis cognitionem non admittit, proportionata est. Quòd si propria confessio in foro justitiæ est probatio probationum, cur non magis in foro clementiæ pœnitentis confessio cum dolore conjuncta sufficiens probatio ad munus judicii absolutorium exercendum habebitur?* Ib. pag. 527—528.

Digitized by Google

527--528. Resp. Primariæ & secundariæ potestatis judicialis remittendi peccata distinctionem probare, & tum demum legitimè applicare debueras. Nos autem eo ipso, quod hic posuimus argumento non aliam, quàm absolutam, soli Deo convenientem dari, pertendimus. Nulla enim judicialis potestas sic remittendi peccata in terris, ut remissio rata quoque sit in Cœlis, cum humana conditione fallibili conjungi potest. Qualis enim remissio judicialis esse potest peccati illius, quod quale sit, & cum qua animi dispositione & pœnitentia conjunctum sit, pro certo non constat? Accedit, quòd judex peccatorum remittendorum & retinendorum potestatem habere debet in animam, quæ ob peccata punitur vel absolvitur. Talis autem potestas Divina uni solique Deo competit: Frustra confessionem in foro soli & poli, justitiæ & clementiæ comparas. Ex ore confitentis judicatur reus in foro humano justitiæ, quia nemo sibi iniquus censetur, & qualiscunque pœna decernitur, ea corpori, non animæ infligitur. Non ideo ex ore confitentis in foro Divino clementiæ absolvi quilibet potest, quia confessio & signa pœnitentiæ externa fucata esse possunt. Qui igitur sic absolvit, cordis & renum explorator sit oportet. *Si*, ita Novatianus *de Trinit. cap.* 13. arguit, *cùm nullius sit nisi Dei corda nosse secreta, Christus secreta conspicit cordis: quod si cum nullius sit, nisi Dei peccata dimittere, idem Christus peccata dimittit, meritò Deus est Christus.* Deus ergo similiter Sacerdos vester erit, si argumentum hoc pro Deitate Christi stringit, uti stringit fortissimè. Conditionata verò absolutio judicialis esse nequit.

ARG. III. Apostoli peccata remiserunt, nunquam tamen tanquam judices, usurpata absoluta tali formula, quali utitur sacerdos.

RESP. REDING: *Si peccata Apostoli remiserunt, non igitur remittere peccata est proprietas Dei essentialis: & sub formula quadam judiciali remiserint oportet.* Ib. pag. 528. Resp. Si remiserunt, ut judices. De tali enim remissione quæstio est, & argumentum sonat. Remiserunt ut præcones, credentibus & pœnitentibus sine discrimine Evangelii sententiam promulgantes, formula tali: *Fili confide, remissa tibi sunt peccata: Crede, & salvaberis &c.* Nuspiam profectò invenies ullum Apostolum aut Evangelistam dixisse ulli pœnitenti: *Absolvo te à peccatis*; aut ab eodem scrupulosam & minutam peccatorum enumerationem exegisse; aut pœnas corporeas vel pecuniarias post absolutionem ei dictasse. S. Paulus ignovit incestuoso Corinthio, & eidem ignosci à Corinthiis voluit. Sed remissio ea fuit non coram tribunali Dei, nec absolutio per Sacramentum pœnitentiæ; sed remissio pœnæ Ecclesiasticæ, per quam pœnitens Ecclesiæ reconciliabatur.

ARG. IV. Cùm statuatur, Sacerdotes V. T. hanc potestatem non habuisse, sequetur hinc deteriorem esse conditionem novi, quàm veteris fœderis. Nam multiplicatio judicum est pars quædam πλεονεξίας.

RESP. REDING: 1. *In V. T. obtinuit utique peccatorum confessio, licet ei remissio ex opere operato conjuncta non fuerit.* 2. *Judicium Sacerdotum N. T. non in vindictam scelerum, sed ad misericordiæ abundantiam, in peccatorum ex operato Christi meritorum opere remittendorum efficacia constitutum, meliorem, non deteriorem N. T. conditionem reddit.* Ib. pag. 528. Resp. 1. Obtinuit confessio eorum peccatorum, pro quibus hostiæ Divinitus decretæ erant; at nec scrupulosa illa, nec Sacramentalis, nec cum judiciali absolutione

Digitized by Google

tione, vel retentione peccatorum à Sacerdotibus peragenda, conjuncta. Neque enim peccatores obnoxii erant pœnis à Sacerdote, qui sæpe confitente nequior est, & contra jus & fas, de rebus etiam ignotis judicat, indictis. 2. Judicium non remittendi duntaxat, sed etiam retinendi peccata; atque illud sub conditione ejusmodi satisfactionum, quas ipsa Synodus *vindictas* nominavit, vobis arrogatis. Judicium igitur purum putum justitiæ, non clementiæ est. Neque enim judicis clementis, sed justi est, absolvere sub conditione satisfactionis. Sic profectò meliùs actum fuerit cum Ecclesia veteri, quàm hodie agitur cum nova, cujus tamen fœdus κρεῖττον *præstantius* esse S. Paulus Hebr. VIII. 6. pronuntiat.

ARG. V. Christus Pastoribus par jus dedit & retinendi & remittendi peccatum. Quo igitur modo retinent, eodem remittunt. At retinent non per judicialem actum, cùm nemini æternam damnationem peccato debitam irrogare queant. Ergo non remittunt per actum judicialem.

Resp. Reding: *Par retinendi & remittendi peccata jus Christus dedit, non ex proprii arbitrii libidine, sed ex æquitatis judicio, adeòque utrumque cum actu judiciali conjunctum. Neque retinere peccata est æternam pœnam infligere, sed pœnæ hujus debitum per remissionem non tollere.* Ib. pag. 528. Resp. Major profectò est argumenti mei vis, quàm ut sic declinari possit. Etenim si Sacerdos per judicialem actum peccata retinet, ceu judex utique peccatorem pœnæ adjudicat, licet non ipse, sed Deus ex sententia ejus judiciali eam infligat. Neque enim judicis punientis actus judicialis merè negativus est, & in non remittendo consistit: sed positivus, secundùm quem decretoria sententia sontem pœnæ adjudicat. Si igitur Sacerdos non hoc modo, uti tamen ipse agnoscis, peccata retinet, sed merè *non remittendo*, hoc est, declarando, quòd peccata remissa non sint, sed à Deo retineantur ad pœnam: utique remittit etiam non per judicialem actum, sed declarando, quòd peccatori in Christum credenti peccata non retineantur, imputentur, sed condonentur; ipséque adeò peccator non veniat in judicium, sed ex morte ad vitam transiturus sit Joh. V. 24.

ARG. VI. Remittere peccatum est donare justitiam & vitam æternam. Atqui Sacerdos nemini, per actum judicialem, justitiam & vitam æternam adjudicare potest, cùm ipsemet peccator sit, reatus particeps, & indigus ejusdem beatitudinis. Solius meriti Christi, fide apprehensi, hæc dos est.

Resp. Reding: *Sacerdos, qua judex, profert sententiam absolutionis, cui per efficaciam non jam à Sacerdote, nisi qua instrumento, sed à Christo derivatam inest vis justitiam & vitam donandi.* Ib. pag. 519 Resp. Sic ergo ex Sacerdotis sententia Christus ad dandam justitiam & vitam obligabitur. Ille judex erit: Christus dominus judicii executor. Sic scilicet ἄνω ποταμῶν sursum torrens fluit. Quòd si Sacerdos *certissimè* confert remissionem peccatorum dignè accedentibus, uti Synodus *cap. 5.* dicit, inde planè sequitur, si Sacerdos absolvat morientem, eum quoque isti homini animam agenti dare vitam æternam. Unum enim sequitur ex altero. Qui ut judex remittit & absolvit, is & justum pronuntiat, & eidem dat potestatem vivendi. Sic ergo Sacerdos erit Servator animæ, & dabit gratiam, quæ ultra mortem extenditur.

Digitized by Google

ARG. VII. Sic Sacerdos se geret judicem Dei & in causa Dei. Nam causæ peccatorum disceptantur inter Deum offensum & hominem offendentem. Inter hos medius venit sacerdos, & peccata probè ponderata judicat, tantùm non in Deum ferens sententiam, & ad remissionem compellens. Et tamen sacerdotes, æquè, imò quandoque magis peccatores & & rei coram Deo sunt, quàm ii, quibus peccata remittunt. Ac perinde res habet, ac si duobus sontibus & perduellionis reis, unus alteri diceret: *Absolvo te à tuis peccatis.* Accedit quòd ipsi sacerdotes æquè ac omnes reliqui tenentur dubitare de remissione peccatorum, juxta Sess. VI. Can. 13. 15. Quomodo igitur alios à peccatis absolvere, & de remissione peccatorum certos reddere possunt?

RESP. REDING: *1. Sicut Magistratus vestri judex non est, qui ejus jussu à peccato adversus se patrato pœnitentem absolvit: sic nec in foro pœnitentiæ Sacerdos Dei, ceu partis, judicem gerit, sed subdelegatum ejusdem subdelegantis & primarii judicis judicem. Neque refert, an & qualis peccator etiam sit Sacerdos, quia Christi authoritate agit. 2. In absolutione tali Divinæ operationis efficacia in se prorsus certa, & propter Divinam promissionem infallibilis est, licet ex parte pœnitentis & Sacerdotis absolventis quibusdam conditionibus Divinitus requisitis nitatur, ex quarum incertitudine dubium quoddam oboriri potest.* Ib. pag. 529. Resp. 1. Judiciariam potestatem subdelegatam fingis iterum, non probas. Dein Bellarminus disertè scribit, peccata esse causas, quas habemus cum Deo. Sedet ergo Sacerdos arbiter in Dei causa. Deus est actor, conquerens factam sibi injuriam: sacerdos judex, Deum inter & peccatorem, cognoscens causam, dijudicans, discernens jus & injuriam. Sic judex Magistratum inter nostrum & subditos, adeóque ipsius Magistratus nostri est, quisquis causas utrorumque cognoscit, & sententiam judiciaria potestate, undecunque collata, fert. Neque proin obstat, quòd Sacerdos judicio suo Christi authoritatem præfert. Nam eam non probat, & id omne ad incrementum dignitatis suæ refert. Dicunt se servire Christo, ut hominibus imperent, & gravi jugo premant conscientias, atque inde consectentur lucra, rem faciant, & divitias accumulent. Sic, qui in Republica student rebus novis, & suam potestatem augent dispendio Regis, dicere solent, se servire Regi, ejúsque negotia curare. 2. Quid verò si conditionum Divinitus requisitarum impletio Sacerdoti plenè & certissimè cognita non sit? An tum absolutè judicabit, & absolvet? Annon sic contingere sæpissimè potest, ut judex ejusmodi justificet sontem, & condemnet insontem, adeóque abominatio sit Jehovæ? Sed hac de re pluribus infra.

ARG. VIII. Consilium de remissione peccatorum est æternum. In tempore igitur non potest per judicialem actum novum vel interpolari vel mutari.

RESP. REDING: *Omnia Dei consilia & decreta æterna sunt. Et tamen temporales actiones à causis secundis promanantes mutabiles sunt. Licet ergo Divinum consilium sit immobile, effectus tamen, utpote dependens à conditionibus mutationi obnoxiis, mutabilis est.* Ib. pag. 529. Resp. Actiones temporales respectu causarum secundarum mutabiles, re-

spectu

Digitized by Google

spectu primæ immutabiles esse, quis ignorat? Cùm verò decretum Dei de remittendis aut retinendis Titio vel Mævio peccatis sit æternum & immutabile, & Sacerdoti ignotum; si Sacerdos absolvit hominem, quem Deus ab æterno reprobavit, aut negat absolutionem electo, an Sacerdotis sententia refiget Dei decretum? An Deus tenebitur perdere electum, aut servare reprobum?

ARG. IX. Absolutio talis pœnitenti est inutilis, quia nunquam de remissione certior fiet. Nam ad integritatem requiritur intentio sacerdotis, & regularitas, cujus plurimi finguntur defectus. De his autem nunquam potest peccator πληροφορεῖσθαι, proinde nec de absolutione.

RESP. REDING: *Salus nostra, ejusque media, adeòque etiam remissio peccatorum etsi ex parte nostra incerta, ex parte tamen Dei infallibilia sunt.* Ib. pag. 530. Resp. Hic verò quæstio est de certitudine & infallibilitate ex parte Dei. Sacerdos enim se peccata remittere authoritate Christi profitetur. Si igitur pœnitens de Sacerdotis voluntate & regularitate, à qua effectus remissionis pendet, nunquam certus esse potest, quæ hic ex parte Dei infallibilitas statui potest? Et quis absolutionis Sacerdotalis fructum in conscientia sua ullum percipiet, si ab intentione & regularitate Sacerdotis, de qua utraque nunquam pœnitentes securi esse possunt, ille pendet? Anxietatem & incertitudinem isthanc post Medinam & Adrianum VI. non dissimulavit Jesuita Vasquez, cujus *in 3. p. Thomæ q. 90. art. 1.* hæc verba sunt: *Non est tutior via confessionis; imò est minùs certa, quia ex parte Sacerdotis absolventis multa incerta sunt; An sit Sacerdos? An habeat authoritatem & jurisdictionem? An habeat intentionem?*

ARG. X. Eam sententiam jam olim in Episcopis & Presbyteris damnavit Hieronymus *Comment. ad Matth. XVI.* ubi ait, eos locum de clavibus Regni cœlorum non intelligentes, *aliquid sibi de Pharisæorum assumere supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur. Cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur.* Deinde Episcopos & Presbyteros comparat cum sacerdotibus V. T. qui leprosos immundos judicaverint, non ita ut immundos facerent, sed *ut haberent notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere, qui mundus, quive immundus sit.* Et subjicit: *Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit: Sic & hic alligat vel solvit Episcopus & Presbyter,* Et sanè privata illa hominum non excommunicatorum absolutio à peccatis, per Sacramentum pœnitentiæ, prorsus Catholicæ antiquitati incognita fuit, cui absolutio vel publicam peccatorum solutionem, vel eam, quæ fit per Evangelii prædicationem, notat. Vide de eo plura apud Casaubonum Exercit. XVI. Sect. 130.

RESP. REDING: 1. *Imò per judicialem actum pœnitentes à Sacerdotibus absolvi, ex ipso Hieronymo liquet. Dicit enim, Sacerdotes sibi assumere de supercilio Pharisæorum, qui vel damnant innocentes, vel noxios se solvere arbitrantur. Non igitur damnare & solvere, quod judicis est, sed damnare innocentes, & solvere nocentes vetat. Eisdem tribuit facultatem mundum ab immundo discernendi, adeòque statum pœnitentis dijudicandi.*

di. *Scopus ejus id ipsum arguit. Hoc enim probare intendit, præmittendum esse solutioni vel ligationi judicium discretionis, quo sontes ab insontibus discernantur, idque exemplo Sacerdotum Leviticorum.* 2. *Qua verò fronte negas, piæ antiquitati cognitam fuisse absolutionem? Etenim Chrysostomus homil. super verba Esaja, vidi Dominum &c. relatis Christi verbis, quibus remittendi peccata potestatem discipulis dedit, subjungit, à terra judicandi principalem potestatem sumere Cœlum.* Nam judex, *inquit*, sedet in terra. Dominus sequitur servum. Et quicquid ille hic judicarit, hoc ille in supernis comprobat. *Si judicium Sacerdotis tantùm declarativum esset, tum judicium à peccatis absolutorium præsupponeret. At secus habet Chrysostomus. Alibi de Sacerd. lib. III. 5. illud ipsum judicium, quod Pater Filio in remittendis peccatis dedit, hunc Apostolis dedisse agnoscit. Ibid. cap. 6. Sacerdotes N. T. à Sacerdotibus V. T. eatenus distinguit, quòd hi à lepra purgatos declararint, non purgarint; illi à peccatis purgent. Ambrosius in Psal. 38. Dominum, quod ante erat judicii sui, dedisse Apostolis peccata remittendi potestatem; asserit.* Ib. pag. 530. 531. Resp. 1. Hieronymi verba disertiora sunt, quàm ut tenebris à Sophistice tua offusis se obscurari patiantur. Damnant & absolvunt præcones Evangelii non propriè, uti judices solent, sed sententiam in lege & Evangelio jam latam, nomine Christi prædicantes. Hoc non abnuit Hieronymus, non abnuimus nos. Neque Leviticum inter Sacerdotem & Episcopos ac presbyteros comparationem instituit quoad solam discretionem sontium ab insontibus, sed quoad Sacerdotum veterum mundationem, & Episcoporum solutionem ac ligationem. *Quomodo ergo*, inquit, *ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit: Sic & hic alligat, vel solvit Episcopus & Presbyter.* Atqui Sacerdotes mundabant, non per judicialem actum, vel mundos faciendo, sed mundos ab immundis discernendo, adeóque mundos vel immundos declarando. Sic Episcopi & Presbyteri ligant & solvunt, pœnitentes ab impœnitentibus discernendo, & solutos ante vel ligatos sententia Christi, ceu tales, prædicando, declarando. Sic planè etiam Theodoretus lib. IV. *περὶ αἱρετικῆς κακομυθίας* Audianos accenset hæreticis, *ὅτι ἄφεσιν ἁμαρτημάτων πάνυ νεανικῶς διδόασι* *quòd juvenili temeritate remissionem peccatorum darent.* 2. Imò constans veterum omnium sententia est, solum Deum posse remittere peccata. Fuisset olim res horrenda, & prodigio similis, si Episcopus aut Presbyter pœnitenti dixisset: *Absolvo te à tuis peccatis.* Formulam ejusmodi, in qua vos absolutionis essentiam collocatis, si potes, apud veterum quenquam ostende. Imò Christiani ad rem talem, ceu horrendam & impiam cohorruissent. Peracta Canonica pœnitentia peccatores Ecclesiæ per preces Episcopi & populi, impositionem manuum Episcopi reconciliabantur. Nec Episcopus pœnitenti dabat absolutionem, nec peccata ei, in foro poli, remittebat. Nec post reconciliationem hanc pœnas vel corporeas vel pecuniarias irrogabat. Neque tibi favet Chrysostomus, cujus verborum veluti prætenso scuto etiam Baronius vester conficere quondam satagebat, Sacerdotes supra omne genus humanum evectos, supra ipsos Angelos sublimatos esse, communicata ipsis à Deo facultate sibi uni propria remittendi peccata. Nimirum hac in re Sacerdotes vestri ministri non sunt, sed Domini, Christi, quatenus homo is erat, æquales, & pari cum ipso potestate prædìti in quorum arbitrio sit jus totum remittendi vel retinendi peccata; cùm tamen expressè S. Augustinus *de Bapt. contra Donat. lib. III. 18.* dicat, *peccata non secundum arbitrium hominum, sed secundum arbitrium Dei dimitti.* Chrysostomus, ut ad ejus loca objecta respondeam, loquitur *ἐπινοητικῶς*, secundum considerationem quandam, non simpliciter, vel absolutè. Conati sunt viri boni ei persuadere, ut pateretur se Episcopum vel Sacerdotem fie-

ri,

ri. Ille tenuit, & ſingulari techna amicorum conatus eluſit. Offenderat ea res plurimos, conſilii auctores præprimis, vitio ei dantes, quòd Sacerdotium contemneret. Hac occaſione impulſus libros de Sacerdotio ſcripſit, & magnitudinem Sacerdotalis muneris ſupra modum extulit. In ejuſmodi ſcriptis hyperbolarum multus atque ἀφειδὴς ſolet eſſe uſus, & παρακεκινδυνευμένα plura. Sumenda tamen Chryſoſtomi dicta ſunt ex ejus mente, non eorum libidine, qui obtentu ſpiritualium poteſtatem Sacerdotibus vindicant temporalem, quò ſic per gradus pateat aſcenſus ad turrim Babylonis, hoc eſt, infinitam unius in omnes dominationem Monarchicam. Quæ porro mens Chryſoſtomi ſit, ex aliis ejuſdem dictis patet. In locum Joh. XX. 23. ſcribit, propterea pravam Sacerdotum vitam efficaciæ miniſterii ipſorum non officere, quia beneficia illa, quorum iis conceſſa eſt adminiſtratio, unius Dei ſit præſtare. Ἃ γὰρ, inquit, ἐγκεχείρισται ἱερεὺς, Θεοῦ μόνου ἐστὶ δωρεῖσθαι. *Quæ tentat Sacerdos, ſolus Deus donare poteſt.* Solus ergo Deus, non Sacerdos, propriè peccata remittere potis eſt. Ibidem: Πατὴρ καὶ υἱὸς καὶ πνεῦμα ἅγιον πάντα οἰκονομεῖ. Ὁ δὲ ἱερεὺς τὴν ἑαυτοῦ δανείζει γλῶτταν, καὶ τὴν ἑαυτοῦ παρέχει χεῖρα. *Omnia beneficia ſpiritualia Pater, Filius & Spiritus S. diſpenſant. Sacerdos linguam ſuam commodat, & manum præbet.* Idem *Serm.* 88. *in Pentec.* οὐδὲν αὐτὸς ὁ παρὼν πράττει. *Nihil ipſe,* Sacerdos *præſens agit, nec poſſunt dona propoſita ab humana natura præſtari.* In 2. Cor. *homil.* 6. οὐδεὶς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἰ μὴ μόνος ὁ Θεός. *Nemo peccata remittere poteſt, niſi ſolus Deus.* In Joh. *homil.* 24. Τὸ γὰρ ἀφιέναι ἁμαρτίας οὐδενὸς ἑτέρου ἐστί. *Remittere peccata nullius alterius,* quàm Dei eſt. Ita conſtanter ipſe. Ita *S.* Patres omnes. Quomodo ergo propriè, ut judex, peccata remittit? Remittit peccata Sacerdos, remittit Dominus; ſed cum hac exceptione, quam ipſe Chryſoſtomus *homil.* 19. *in* 1. *Cor.* ponit, ἂν καὶ μία ἡ λέξις, διάφορος ἡ ἔννοια. *Si dictio una, aut ſenſus diverſus eſt.* Hæc clavis ſolutionis eſto. Si flagellare S. Patris verba volueris, ipſi profectò injuriam gravem feceris. An enim propriè Chriſtus Dominus Miniſtros ſuos, ſervos ſequitur? Annon potiùs Miniſtri Dominum, ejúſque ſententiam priùs in Cœlo latam, & in Evangelio patefactam? Blaſphemum foret, ſtatuere prius: & poſterius disertè Tridentinus Catechiſmus ipſe pertendit. Te verò τολμᾶν, & negare perfricta fronte, quòd judicium Sacerdotis abſolutorium Dei judicium præſupponat? Sic profectò decebat ſententiam Dei libidini ſententiæ Sacrificuli ſubjicere. Apageſis blaſphemiam tuam! Neque concedet ſanus quiſquam, Chriſtum, *quod erat judicii ſui, dediſſe Apoſtolis peccata remittendi;* niſi quatenus illa poteſtas in prædicanda Chriſti ſententia conſiſtit. Alias Sacrificulos Chriſtus in Deos & Salvatores veros permutaſſet. Non diu eſt, quicquid tu, tuíque ſimiles machinemini, exquo corruptela hæc Eccleſiam Romanam, velut peſtilens ſidus, afflare cœpit. Nam in officio Romano, quale uſitatum erat tempore Caroli M. & ejus ſucceſſorum, habemus formulam verborum, per quam peccator Eccleſiæ reconciliabatur, in hæc verba: *Deus dimittat tibi omnia peccata tua, & te liberet ab omni malo.* Precatio eſt, non ſententia judicis.

ARG. XI. Judicialem hunc proceſſum disertè rejiciunt Lombardus, Alexander de Hales, Bonaventura, Theologi Franciſcani in ipſo Concilio, aliíque plures citati à Vaſquez *in* 3. *p. Thomæ q.* 80. *art.* quibus favet Hadrianus *VI. q.* 5. *quodlib. fol.* 32. nec non quidam anonymus apud Thomam Opuſc. 21. contendens, abſolutionem non debere fieri formâ indicativâ, ſed

ſed optativâ, in quam rem alios citat. Jeſuitarum etiam impiam de abſolutione eorum, quos in peccata priſtina relapſuros noverint, ſententiam à Janſenitis pro merito ſugillatam, videſis apud Montaltium Epiſtola Provinciali 10. & Wendrockium in notis ad eandem. Denique ipſi etiam Patres Tridentini ſuam hîc hæſitationem produnt, dum cap. V. vocant Sacerdotes *tanquam Præſides & Judices,* & cap. VI. abſolutionem ajunt eſſe *ad inſtar actus judicialis.*

RESP. REDINO: *Etiam Doctores à te citati requirunt judicium diſcretionis, ex pænitentis confeſſione ac diſpoſitione formandum, quo confeſſarius diſcernat, dignus an indignus ſit, ſuper quo forma abſolutionis pronuntietur. Quæ licet declarativa ſit, quia tamen judicium diſcretionis ſupponit, naturam actus judicialis ſubit. Sed alio titulo rejicienda hæc opinio eſt, quòd pro diſpoſitione ad Sacramentalem abſolutionem prævia perfectæ contritionis actum prærequirit. Qua in re ſi Tridentini Concilii definitio præiviſſet, ſententiam mutaturi Theologi illi fuerant. 2. Licet ante Concilium Tridentinum Theologi nonnulli ſenſerint, attenta Sacramentalis abſolutionis verborum ſignificatione ex humano inſtituto pendente, oportere ea proferri modo deprecativo; nihilominus iidem in Sacramentali ſignificatione talem efficaciam ex Divinæ dictionis authoritate agnoverunt, ut modus etiam indicativus vim modi imperativi obtineat. 3. Jeſuitæ ſic aſſerentes ſupponunt, poſſe pænitentem in eo verſari ſtatu, ut revera contritus habeat efficax emendationis propoſitum, cujus tamen infirmitas adeò perſpecta ſit ex occaſionibus, quas ex cauſis rationabilibus deſerere vel non poteſt vel non debet, ut ipſum in peccata priſtina relapſurum prævideat. 4. An etiam S. Johannes in fide unigeniti Filii hæſitavit, quando Joh. I. 14. eum vocavit Quaſi Unigenitum? Ejuſmodi ergo particulæ non hæſitationem produnt, ſed verborum ex rebus ſenſu perceptibilibus ad ſpiritualia myſteria translationem. Sic quæ in rebus corporalibus abſolutè dicitur poſſeſſio, in ſpiritualibus vocatur Quaſi poſſeſſio.* Ib. pag. 531. 532. Reſp. 1. Quid judicio diſcretionis, quod privati cujuſvis nulla authoritate prædìti eſſe poteſt, cum judiciali proceſſu? Annon is etiam, qui ſententiam ante latam prædicat, per eam ſontes ab inſontibus, damnatos ab abſolutis diſcernere poteſt? Et tamen, qui ſic diſcernit, nec judex eſt, nec per judicialem actum id facit. Sed bene eſt, quòd diffiteri non potes, eos, qui ita ſentiunt, Concilio Tridentino repugnare. Unde veſtri de judiciali Sacerdotis proceſſu dogmatis, Concilii Tridentini definitione haud antiquioris, novitas ultro colliqueſcit. Hæc ſcilicet fidei veſtræ antiquitatis nota eſt, cum Tridentino Concilio natæ, & cum eodem denaſcituræ. 2. An diſtinctionem tuam fictitiam in animo habuerint Theologi à me citati, ex illorum verbis propriis conſtare poterit. Tua enim ſomnia iis imponi non patimur. Lombardus *Sent. lib. IV. Diſt.* 18. ſic animi ſui mentem prodit: *Sacerdotibus Deus conceſſit poteſtatem ſolvendi & ligandi, id eſt, oſtendendi, homines eſſe ligatos aut ſolutos. Unde Dominus ſanitati leproſum priùs per ſe reſtituit, deinde ad Sacerdotes miſit, quorum judicio oſtenderetur mundatus.* Ubi ſic modo indicativo vim imperativi ineſſe, declarat? Inſignia ſunt Hadriani VI. Papæ *Quodlibet. fol. 32. q. 5.* verba: *Difficultas magna eſt inter Doctores, an claves Sacerdotii ſe extendant ad culpæ remiſſionem? Et certè probatiſſimi Theologi ſenſerunt,* quod nos Magiſter Sententiarum docet, *quòd Sacerdotibus non conceſſit Deus poteſtatem dimittendi peccata, ſeu ligandi, ſed oſtendendi homines ligatos & ſolutos. In culpis igitur*

retinendis & solvendis Ecclesiasticus idem facit quod in leproso olim legalis. Item Doctor Irrefragabilis quarta parte q.80. Sacerdotis potestas se extendit ad culpam delendam per modum deprecantis; sed per modum impertientis vel (NB.) *imperantis nequaquam. Unde dicit: Sacerdos nunquam tentaret absolvere eum, de quo non præsumitur quòd esset absolutus à Deo.* Addit, Bonaventuram idem sentire. Dicit tamen, se rem relinquere in medio & indecisam. At Vasquez Jesuita *in 3. p. Thomæ q. 80. a. 3.* magnam affert turbam Doctorum, qui senserunt, Sacerdotes non esse judices, Lombardum, Bonaventuram, Bielem, Marsilium, Majorem, Ockamum, Antisiodorensem, Alexandrum, Thomam de Argentina, Abulensem, Sotum, Hugonem de S. Victore, alios. Gratianus *dist. 1. de pœnit. cap. omnis qui* disertus est. *Non ergo*, inquit, *in confessione peccatum remittitur, quod jam remissum esse probatur. Fit itaque confessio ad ostensionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ. Et sicut circumcisio data est Abrahæ in signum justitiæ, non in causam justificationis, sic Confessio Sacerdoti offertur in signum veniæ acceptæ, non in causam remissionis accipiendæ.* Hæc Gratianus affert ex Chrysostomo. Ostende, in his & similibus, si potes, modum imperativum; & cum definitione Tridentina, quæ novum isthoc de processu judiciali Sacerdotis paradoxum, verbo Dei, & antiquitati omni incognitum nobis peperit, concilia. 3. Téne verò, Jesuitarum Casuisticæ Theologiæ nuper ex orco advocatæ, patrocinari non erubescere? Quantum sic diversus abis à Sancto vestro Carolo Borromæo, qui *Act. part. 4. Instr. Conf. pag. 767.* tacitè Jesuitarum impiam praxin perstringens, sic admonet: *Sacerdos neminem sic affectum absolvere debet, ut probabile censeat in eadem peccata recursurum, si in iisdem occasionibus perseveret: sed certum temporis spatium sumere ad emendationem illius explorandam. Atque hic eò magis evigilandum est, excubandúmque animo, quòd Confessorum culpa & inertia factum videmus, ut in plerisque artibus & professionibus innumeræ corruptelæ, & gravissima delicta passim vigeant, sine quibus res alioqui justissimæ jam à paucis admodum sectari posse videantur.* Et paulò superiùs: *Confessarios monitos volumus, ut iis, quos peccata non dimissuros probabiliter existimabunt, quantumvis polliceantur ac spondeant, ea se dimissuros, absolutionem procrastinent, quoad emendationem perspexerint. Nec non ii, qui per multos annos in eadem peccata prolapsi erunt, neque operam ullam ad correctionem vitæ contulerint.* Quæ Borromæi Sancti decreta non tantùm typis excudi Clerus Gallicanus curavit, sed nominatim in Epist. ' huic libello præfixa hanc doctrinæ Jesuiticæ corruptelam gravissimis verbis incessit, & Jesuiticas, quas Redingius quoque prætexit, causas sic præcidit: *Præter illam doctrinæ Moralis pravitatem, quæ facilè, nisi provideatur, Christianorum mentibus illabetur, non mediocri, nos afficit dolore perniciosa quàm plurimorum Confessariorum in concedenda promiscuè pœnitentibus absolutione facilitas, quam illis falsis pietatis coloribus prætexunt; quasi modo illos à peccato paulatim averterent, à desperatione, ac religionis contemptu retraherent.* Quis igitur non miretur, tam parùm frontis fuisse Redingio, ut spreto Sancti Borromæi sui, & universi Cleri Gallicani judicio, Jesuiticam impietatem tuendam susciperet? Hoc uno sanè Jesuitarum decreto totam Ecclesiæ disciplinam labefactari, & pœnitentium salutem nefariè prodi, citatus à me VVendrockius *Not. 1. ad Epist. Prov. 10.* sic demonstrat. *Cæteræ*, inquit, *Casuistarum Jesuitarum labes utcunque in singulis quæque flagitiis excusandis versantur. Hæc universa complectitur etiam illa, in quibus excusandis omnis Casuistas defecit industria. Inveteratis peccatoribus scatet & premitur orbis Christianus. Omnes pæne sub Paschatis tempus peccata confitentur, festo peracto ad vomitum redeunt: nulláque prorsus in ipsis*

mutatæ in melius vitæ vestigia comparent. Unum huic malo medium est, firmitas Sacerdotum ad ejusmodi peccatores ab altaribus removendos. Hoc cùm Ecclesiæ à Jesuitis eripitur, omnis emendandæ Christianorum vitæ via pariter eripitur. 4. Frustra Concilii hæsitantiam purgare conaris. S. Johannes enim Filium Dei non simpliciter *Quasi unigenitum* appellat; sed visam ejus gloriam *ὡς μονογενοῦς, tanquam unigeniti,* dicit. ubi particulam *ὡς tanquam* *ἐμφατικὸν* Græci vocant, hoc est, veritatis & certitudinis notam, more Hebræo, quo suum כף לאמיתת *Caph veritatis* frequenter usurpant. Tridentinis Patribus vel idiotismum illum Hebraicum; vel Jurisconsultorum *Quasi*, à rebus corporalibus ad ea, quæ corporalia non sunt, significando traductum, in animo fuisse, credat Judæus apella. non ego. Quanquam si in animo fuit posterius, Sacerdos, qui judex haberi vult, licet *spiritualis* vulgò appelletur, res tamen corporea est, quæ manibus apprehendi & attrectari potest. Voces igitur illæ *quasi, tanquam, instar* improprietatem, fictionem, abusionem potiùs Tridentinis significare debent. Puduit enim fortè eos manifestæ blasphemiæ, homines veros peccatorum remittendorum judices statuentis, & jus Dei protervè involantis. Unum heic addo reliquis argumentis, quæ vindicata dedimus; nullam videlicet Papæ, & Sacerdotibus in judiciali hac absolutione propugnanda authoritatem constare posse. Inde enim ipsis quæstus, maximum emolumentum, neque ullum certius aucupium est. Totum Pœnitentiæ Sacramentalis choragium isthoc præcipuum fundamentum est imperii Papalis, & authoritatis Sacerdotalis palladium, pro quo, ceu non tam pro aris, quàm pro focis masculè adeò litigant. Per hoc Sacramentum pernôrunt arcana & labes familiarum, & Papa capitibus Regum, nobilium juxta ac ignobilium insultat. Quorum peccata, postquam Papæ innotuerunt, indicit eis pœnas satisfactorias, per quas Regia Majestas proculcatur, & ad pedes Papæ abjicitur. Sic acceptus est à Papa Alexandro III. Henricus II. Angliæ Rex, cæsus verberibus à Monachis Ecclesiæ Cantuariensis, sic jubente Papa, octoginta, quorum singuli ternos ictus Regis tergo inflixerunt; qui grandi pecunia à Papa absolutionem, & ne tonderetur, redemit; Matthæo Paris in vita ejus teste. Sed fingamus tantisper, Christum Apostolis & eorum successoribus dedisse potestatem remittendi peccata judiciariam. Nihil hoc Pontificios juvaret. Sicut enim mutatis seris claves fiunt inutiles: ita evanesceret hæc potestas in Ecclesia Romana, quæ Purgatorio, meritis, justificatione per opera, indulgentiis, invocatione Sanctorum &c. corrupit doctrinam Evangelii, ex qua claves Ecclesiæ datæ suspensæ sunt. Denique, ut rem in pauca conferam; si peccator tangitur seria pœnitentia, & credit in Christum, & resipiscit, certissimum est, ejus peccata per Christum, cujus sanguis ab omni peccato purgat, remissa esse. Nihil ei oberunt injustæ excommunicationes, nil Papales diræ, & bruta Vaticana fulmina. Vicissim si Papæ & Sacerdotes sexcenti absolvant hypocritam, aut si in Jubilæo à Papa accipiat plenissimam remissionem omnis pœnæ & culpæ, casuúmque reservatorum, non per id Deo reconciliabitur, nec ei Sacramentalis absolutio proderit. Sine ea pii servantur, & cum ea impii plurimi damnantur.

OBIECTIONES TRIDENTINORUM.

OBIECT. I. *Christus Ecclesiæ dedit potestatem clavium ligantium & solventium, quæ consistit in potestate judiciali remittendi & retinendi peccatum, Matth. XV. 19. Joh. XX, 23. non declarandi duntaxat, peccata remissa esse vel retenta, tum quia claves non dantur*

Digitized by Google

dantur ad significandum, ostium esse clausum vel apertum, sed ad claudendum & aperiendum re ipsa: tum quia ligare & solvere non significat denuntiare vel declarare, sed re ipsa vincula injicere aut demere: tum quia retinere est remittere nolle, adeóque negatur remissio illis, quibus Sacerdotes remittere nolunt: tum quia Evangelium indefinitè omnibus prædicandum, at non omnibus indefinitè peccata remittenda sunt: tum denique quia Spiritus S. insufflando datus est, ut ostenderetur, peccata remitti extinguendo & dissolvendo. Resp. 1. Hunc quidem locum Patres Concilii Can. 3. non de autoritate prædicandi Evangelium, sed de potestate remittendi & retinendi peccata, judiciali videlicet illa, in Sacramento pœnitentiæ intelligendum esse, sub diro anathemate definiunt, inusitato in omnibus vetustioribus Conciliis exemplo, ex quibus nullum reperitur, quod textûs alicujus controversi interpretationem sub anathemate definiverit. Nos verò illud fulmen ex pelvi flocci pendentes, negamus verbis illis Christi Ecclesiæ ministris collatam esse ejusmodi judicialem potestatem, in Sacramento exercendam, asserimúsque, Christum illis verbis instituisse ministerium, seu publicum onus ecclesiæ gubernandæ, cui addita sit efficax autoritas remittendi peccata, vel per prædicationem Evangelii publicam, vel per consolationem privatam, vel denique per ecclesiasticam disciplinam. Etenim talem potestatem Christus instituit, qualem Apostoli exercuerunt. At ipsi nuspiam judicialem ejusmodi & Sacramentalem potestatem exercuerunt. Neque ipse quidem in carne agitans ejusmodi potestatem exercuit, sed potiùs evangelizavit, sanavit contritos, prædicavit captivis remissionem, Esaj. LXI.1.2. Luc. IV.18. Et eam potestatem Luc. XXIV.47. declarat *per prædicationem resipiscentiæ & remissionis in nomine DEI apud gentes.* Cúmque Patres Cap. V. innuant, non posse sacerdotes esse judices, nisi perfectam habeant cognitionem peccatorum, patet, judices hîc institui non potuisse, cùm soli Deo ejusmodi notitia competat. Tum eadem ratio est remissionis, quæ retentionis, seu ligationis. At retentio & ligatio nihil est aliud, quàm declaratio & testificatio sententiæ condemnantis, jam ante in Dei judicio latæ. Ergo eadem est remissionis quoque ratio. Præterea remissio peccatorum latè patet etiam apud Pontificios. Habet enim etiam apud illos locum extra Sacramentum in reconciliatione publica pœnitentium, cujus in Rituali Romano duplex habetur formula, in indulgentiis, &c. Etiam Hieronymus judicialem illum typhum, in Episcopis & Presbyteris sui temporis, (ex his locis conclusum condemnavit, uti supra vidimus. Denique in ipso Concilio Ambrosius Pelargus monuit, verba illa Christi, *Quorum remiseritis, &c.* vix ab ullo Patrum exponi de Sacramento pœnitentiæ.

Imò & Franciſcani in Concilio, Hieronymi, Lombardi & Bonaventuræ authoritate ſuffulti, abſolutionem illam merè declarativam eſſe pertenderunt. 2. Clavium poteſtas κυρίως reſidet in Chriſto, atque ita verè judicialis eſt. At in Eccleſiæ miniſtris reſidet miniſterialiter, hoc eſt, per Miniſterium Evangelii, quod eſt miniſterium Spiritûs, quô Spiritu aperitur aditus in cœlum pœnitentibus. Aliud eſt, rem efficere miniſterialiter, aliud authoritatem & poteſtatem rei formaliter poſſidere. Aliâs à Metaphora clavium minùs rectè argumentum petitur. Idem dicendum de poteſtate ligandi & ſolvendi. Neque enim talem ſignificationem & declarationem fingimus, quæ excludat efficientiam verbi, puta inſtrumentalem. Novimus enim etiam prædicationem Evangelii eſſe potentiam ad ſalutem omni credenti. 3. Retinere ſanè eſt remittere nolle. Atque ſic negatur remiſſio illis, quibus Eccleſiæ miniſtri remittere nolunt, eâdem ratione, quâ Deus remittere non vult, puta incredulis & pœnitere neſciis. Voluntas miniſtri non eſt norma remiſſionis, ſed voluntas Chriſti, cui ſi conformis non eſt voluntas miniſtri, illa fideli & pœnitenti nequaquam præjudicat. Hinc etiam Scholaſtici tum demum ſententiam miniſtri in cœlo ratam haberi docent, quando in terra judicatum eſt *clave non errante*. Aliâs quid fiet, ſi duo Sacerdotes unam eandémque confeſſionem audientes ita diſſentiant, ut alter retineat, alter remittat peccata confitentis? Et ſanè vel remittuntur peccata credenti & reſipiſcenti, ſive velit, ſive nolit Sacerdos, vel Evangelium verum non eſſet. 4. Evangelium indefinitè omnibus prædicatur, nempe credentibus & reſipiſcentibus, adeóque non ſine conditione. 5. Collectio illa ex flatu magis ridicula eſt, quàm ut ſeriò refutari debeat. Evaneſcat igitur ut flatus.

EXCIP. REDINO: 1. *Imò vetera Concilia ex Sacrorum textuum interpretatione dogmata fidei definiverunt. 2. Si ex Chriſti verbis cuivis prædicationi Evangelii publicæ, vel conſolationi privatæ, imò & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ineſt efficacia remittendi peccata, Sacerdos igitur, Apoſtoli Succeſſor, habeat oportet authoritatem à Chriſto ſibi delegatam iis omnibus actionibus ex ſe, ceu inſtrumento Chriſti manantibus immediatè per infallibilem efficaciam conferendi peccatorum remiſſionem. Quod ergo nos ex eo textu Sacramentali abſolutioni, id vos publicæ prædicationi, abſque ullius textus authoritate, tribuitis. 3. Diſpar ratio eſt formulæ, quæ ex Eccleſiæ ritu in publica pœnitentium reconciliatione extra Sacramentum in uſu eſt; utpote quæ in externo duntaxat Eccleſiæ foro tollit cenſuras Eccleſiaſticas publicè inflictas. Abſolutio verò Sacramentalis peccatorum, quatenus in foro Dei ſtringunt, reatum abſtergit. 4. Clavium poteſtas ſic miniſterialiter in Sacerdotibus reſidet, ut tamen veri judices ſint. Sic Reipublicæ Tigurinæ ita judiciaria in Civitatem poteſtas denominativè competit, ut delegatus ab ea ad exercenda in territorio ſuo judicia ſimul miniſter, ſimul verus judex ſit. Prædicatio Evangelii inſtrumentaliter mediatè peccatorum remiſſionem, excitando ad pœnitentiam; abſolutio immediatè eandem efficit.*

5. Licet

5. Licet voluntas Ministri peccata remittentis non sit primaria remissionis norma, ipse tamen Christus Joh.20. eam posuit normam, ut quorum, præmisso discretionis ad remissionis potiùs quàm retentionis sententiam afferendam judicio, peccata remiserint, iis remittantur. Si igitur Sacerdos pœnitenti ritè disposito etiam iniquè peccatorum remissionem deneget, tum Christi normam pœnitenti iniquè subtrahit; & remissionem peccatorum pœnitens impetrat non vi potestatis clavium, sed contritionis charitate formatæ, & voti Sacramenti. 6. Christus Apostolis insufflando Spiritum S. iis & successoribus ritè ordinatis eatenus contulit Spiritum S. ut accepta peccata remittendi potestate, hujus virtute pœnitentibus Spiritum Divinæ promissionis impertirent. Ib. pag.533--535. Resp. 1. Nullum tamen Concilium textus cujuspiam sacri interpretationem sub anathemate obtrusit. Contrarium, si potes, ostende. Atque hoc Tridentinis *κενοφωνίαις* objeci meritò. 2. Efficacia remissionis peccatorum præconio Evangelico annexa est non respectu Ministri, ceu judicis; sed respectu Christi, Domini, cujus sententiam absolutoriam Minister, eodem mandante, ex verbo Evangelii credentibus & pœnitentibus universis annuntiat. Aliud est, rem ministerialiter efficere: aliud authoritatem & potestatem rei efficiendæ formaliter possidere. Nihil ergo minùs ex textu eo, quàm judicialem authoritatem (quæ semper dominans est, & vel primam & immediatam, vel communicatam & mediatam potestatem dominandi conjunctam habet) vel præconio Evangelii, vel privatæ & angulari absolutioni vestræ, quæ commentitia tota est, sive immediatè, sive mediatè insitam probas, vel probare unquam poteris. Neque enim nos Ministro prædicanti id, quod vos Sacrificulis cum immani judicandi supercilio absolventibus tribuere soletis, vendicamus; sed Deo & Christo ejus judicii gloriam illibatam servamus. 3. Absolutionis Sacramentalis vim iterum supponis, non probas. Stat tamen infractum argumenti nostri robur. Si enim Ministri Ecclesiæ peccata remittunt etiam extra Sacramentum in reconciliatione publica pœnitentium, in indulgentiis, meritis, justificatione per opera, & similibus, utique ex potestate remittendi peccata à Christo Apostolis concessa, Sacramentalis & judicialis absolutio præcisè non probatur. Annon etiam remittuntur peccata in reconciliatione publica, ubi aufertur reatus sive culpæ, sive pœnæ, uti vos distinguere amatis? Convincam autem te formulæ duplicis absolutionis, quam Episcopus in reconciliatione publica pœnitentium pronuntiat, recitatione ex Pontificali Romano *P.III. fol.156. & 159.* Prior sic sonat: *Omnipotens Deus vos absolvat ab omni vinculo peccatorum* (non à pœnis Canonicis Ecclesiæ debitis) *ut habeatis vitam æternam & vivatis, &c.* Posterior: *Indulgentiam, absolutionem, remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus.* Similiter in Rituali Romano Pictavii edito An. 1619. *pag.365. &c.* proponitur primò formula absolutionis, *quæ dicitur in Parochiis tempore quadragesimæ diebus Lunæ, Mercurii & Veneris*; in qua postquam plebem Parochus hortatus est, ad pectora tundenda, & Deo dicendum à singulis; *Confiteor Domino &c.* aliquas fudit orationes ad Dominum *pro his famulis & famulabus ipsius*, ut eorum & earum *vulnera & peccata* remittere dignetur, in hæc verba erumpit: *Dominus noster Jesus Christus, qui dixit discipulis suis: Quæcunque ligaveritis supra terram, erunt ligata in Cœlis; & quæcunque solveritis supra terram, erunt soluta in Cœlis; de quorum numero quamvis indignos nos esse voluit, ipse vos absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis vestris, quæcunque cogitatione, locutione, operatione negligentes egistis, atque à nexibus peccatorum absolutos perducere dignetur à Regna Cœlorum. Qui cum Patre &c.* Et ne optativè tantùm hæc dicta regeras, statim idem

Presbyter sequentia adjicere debet: *Absolvimus vos, Fratres & Sorores, vice Sancti Petri Apostolorum Principis, cui à Domino collata est potestas ligandi atque solvendi, cujus etiam nos licet indigni vice fungimur*; (hic quilibet Sacrificulus, æquè ac ipse Papa, Petri vicarius constituitur; quomodo etiam Papa ipse appellatur à Carthusiano *in Joh. 20. fol. 380*) *quantum vestra expetit accusatio, & ad nos pertinet remissio, secundum quod nobis, ut diximus, à Domino in S Petro est attributum, sitque vobis Dominus Jesus Christus redemptor noster vita & salus, & omnium peccatorum vestrorum clementissimus indultor. Qui cum patre &c.* Tum omnibus sic absolutis Presbyter injungit, ut ter dicant *Pater noster, & Ave Maria.* Hic, si uspiam, extat verbum absolutionis, & tamen Sacramentum imaginarium pœnitentiæ neutiquam administratur. Imò, paucis superstitiosis omissis, optaremus totum illud pœnitentiæ choragium intra hos terminos mansisse. 4. In rebus temporalibus sic suprema potestas judiciariam potestatem delegare potest, ut subdelegatus potestate dominante sibi communicata judicare possit ex præscripto legis. Sic igitur subdelagatus ejusmodi judex Supremæ potestatis Minister est, ut judicando verus sit Dominus. In spiritualibus, remissione inprimis peccatorum, id nullo modo obtinet, tum quia solus Christus legislator judex, Dominus noster est, & solus peccata remittit: tum quia potestas spiritualis est potestas non in corpora duntaxat sed etiam in spiritus, quæ *καρδιογνωσίαν*, adeóque infinitam scientiam requirit, qualis nulla homini mero competit. Licet enim, quod ineptè tu moves, Spiritus hominis, qui in ipso est, noverit, quæ sunt hominis, 1. Cor. II. 11. nemo tamen hominum scrutator cordium est. Quippe loquitur S. Paulus de scientia hominis de se ipso, non de aliis: neque ejusmodi scientiam ipsi tribuit, quæ ignorantiam omnem excludat. Quippe *astutum est cor hominis super omnia & ærumnosum*, מי ידענו *Quis noverit illud?* Jerem. XVII. 9? Ne proprii ergo cordis quidem, nedum alieni perfectus scrutator homo est. 5. Primariam & secundariam remissionis normam qua ratione fretus distinguis? Una ejus norma est, voluntas Dei, cujus præconem Ecclesiæ Ministrum Christus constituit. Is enim peccata ministerialiter remittit, quatenus & declarat, peccata esse ante remissa, & gratiam Dei in Evangelio offert, ex cujus applicatione remissio peccatorum sequitur. Rectè Cajetanus ad verba illa, *Quorum remiseritis &c. Ne*, inquit, *intelligeremus authoritativè dimitti peccata à discipulis, non dixit: Remittite peccata; sed quorum remiseritis peccata, remittuntur iis: at vis & efficacia remissionis non explicaretur in discipulis, sed in Deo remittente. Dicendo enim, Quorum remiseritis peccata &c. remissionem quidem, sed ministerialem significare se monstrat ex eo, quod subjungit, remittuntur iis.* Neque etiam vi contritionis charitate formatæ, & voti Sacramenti pœnitentiæ, à Deo impetratur remissio à Sacerdote iniquè interversa, sed sola Dei gratia, & fide in Christum, justitiam ejus, quæ remissionis peccatorum causa est, apprehendente, Rom. III. 24. 25. & IV. 4. 5. &c. 6. Tenuissimi flatus sunt, quæ ex insufflatione illa colligis. An enim eo modo, quo Christus Apostolis Spiritum S. insufflavit, iidem, vel successores eorum, Sacrificuli inprimis vestri Spiritum promissionis impertiverunt aliis? Næ sussenus nimiùm es Tibi & tui similibus Sacrificulis, in quibus plerisque omnibus Spiritus potiùs mundi, quàm Dei, dominatur, nedum ut vel Spiritus Dei in iis peccata remittat, vel ipsi Spiritum Dei aliis impartiri; vel peccata judiciali potestate remittendo, eadem flatu suo judiciali extinguere & dissolvere valeant. Procul, procul profana hæc dogmata!

OBIECT. II.

Digitized by Google

OBIECT. II. *Discipuli Christi etiam ante resurrectionem prædicaverunt Evangelium. Neque tamen jam tum potestatem remittendi habuerunt. Non igitur prædicatione Evangelii continetur peccatorum remissio.* Resp. 1. Quid verò obstat, quò minùs priùs distincta, postea conjungerentur? Imò primæ etiam missioni utramque & remittendi & retinendi potestatem annexam fuisse, patere potest ex Luc.X.10.11.12.16.

Excip. Redino: *Ne per umbram quidem ex Luc.X.10.11. &c. evinces, quod intendis.* Ib. pag.535. Resp. 1. Qui Apostolos audiebat, Christum audiebat, ipso Christo teste v.16. Auditi autem sunt prædicantes regnum gratiæ, atque illud passim offerentes, v.9. &c. Regni gratiæ verò bonum eximium & præcipuum est peccatorum remissio. Tu ergo cœcus nec umbram, nec corpus vides.

OBIECT. III. *Christus misit Apostolos, sicut ipse missus erat à Patre, Joh.XX.21. Sicut ergo Christus missus à Patre judiciariam accepit potestatem remittendi & retinendi peccata: Ita etiam Apostoli.* Resp. 1. At quem in finem Christus misit Apostolos? Nempe ad prædicandum Evangelium omni creaturæ Matth.XXVIII.19. Hæc ergo potestas, cui subordinata est illa remittendi potestas, Apostolis collata est. 2. Neque etiam iis verbis Christus sibi Apostolos vel Ecclesiæ ministros exæquat, sed potestatem, gratiam, instructionem, finem Patris mittentis Filium, & Filii mittentis Apostolos comparat. Vide, quæ ea de re supra diximus. Misit Deus pater Filium, ad salvandum & redimendum mundum. An eodem modo missi sunt etiam à Christo Apostoli?

Excip. Redino: *Cùm Christus Apostolis dixisset:* Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; *statim insufflando dixit:* Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata &c. *Participarunt ergo de potestate remittendi peccata ministerialiter.* Ib. pag.535. Resp. Ministerialiter, sed non judicialiter & authoritativé. quod ipsum Cajetanum vestrum negantem supra induximus. Ministerium hoc non aliud intelligi potest, quàm ministerium Evangelii, quod est ministerium Spiritus, quo peccatorum remissio à Christo impetrata applicatur. Syllogismus talis conficitur: *Si credis remittuntur tibi peccata.* Hæc propositio generalis est. Pœnitens assumit: *Ego credo.* Conclusio inde sequitur singularis remissionis: *Ergo tibi peccata remittuntur.*

OBIECT. IV. *Si Deus olim auferens de Spiritu, qui erat in Mose, et tradens LXX. viris, eandem prophetandi gratiam in illos contulit, etiam Spiritum Christi peccata dijudicantem ecclesiæ tradi, & in posteros propagari decuit.* Resp. 1. Impiè Moses ita comparatur cum Christo, ut eadem ratione Christi Spiritus Sacerdotibus communicari dicatur, quà Mosis Spiritus propheticus communicatus est LXX. viris. Etenim Christus accepit Spiritum sine mensura, non Moses. Neque sicut Christus, Dominus, Princeps & Rex est ecclesiæ

Digitized by Google

ecclesiæ, ita etiam Moses ecclesiæ Dominus, Princeps & Rex fuit. 2. Insanissimæ est audaciæ, Deo præscribere quid ipsum deceat. 3. Neque etiam Scriptura dicit, LXX. viros Mosi gratiâ prophetandi æquales esse.

EXCIP. REDING: *1. Licet Septuaginta viri, Spiritus Mosis redditi participes, Mosi in gratia prophetandi æquales non fuerint; tamen inde sequitur, spiritus quandam participationem fieri posse. Cur ergo Spiritus etiam Christi communicari & participari analogicè non possit? 2. Imò sic participari oportuit, quia Christus in Cœlum ascensurus suam in remittendis peccatis potestatem Ecclesiæ relinquere voluit.* Ib. pag. 535. 536. Resp. 1. Qualiscunque fuit communicatio Spiritus Mosaici, nihil prorsus ad rem facit; quia illa vel Mosi, vel Senioribus facta, potestatem remittendi peccata judicialem non contulit. Christi quoque Spiritum nobis communicari, tota Scriptura testatur; adeò ut *qui Christi Spiritum non habet, ne* quidem *Christi sit*, Rom. VIII. 9. Sicut autem propter communicationem illam Salvatores & Redemptores nostri nullo modo sumus, ita nec peccatorum judices. Potestas enim remittendi peccata judicialis est apotelesma & παλαιόκτημα Mediatoris, quod nulli creaturæ meræ communicari potest. 2. Non igitur sic oportuit, Redingi, quicquid obstrepas, & Deo ipsi legem figere impiè coneris. Nam potestatem remittendi peccata, quam Christus ex mundo digressurus Apostolis dedit, judicialem, Sacramentalem, privatam vestram esse, turpiter ubique supponis, & nullo hactenus apice probas.

OBJECT. V. *Si Sacerdos non aliter peccata remitteret, quàm annuntiando divinam promissionem, frustra & ridiculè absolverentur surdi, qui non audiunt annuntiantem.* Resp. Alexander Alensis, aliique Scholastici docent, *potestatem clavium extendi ad culpam delendam, per modum deprecantis & impetrantis absolutionem, non per modum impertientis.* Ergo hoc saltem modo absolvi poterit. 2. Prædicatio non est tantùm in verborum sono, sed in aliis etiam signis & gestibus. Et Sacramenta, quibus illi absolutionem annumerant, sunt propriè visibilia signa. 2. Annuntiare & remittere peccata sunt ejusdem ministerii diversi actus.

EXCIP. REDING: *Christus Apostolis potestatem remittendi peccata immediatam, non mediatam, qualis illa est, quæ in annuntiando vel deprecando consistit, contulit. Quanquam Theologi à te citati deprecativum illum modum immediatè justificare docent.* Ib. pag. 536. Resp. Impia tua assertio est. Non possunt enim homines ullo modo remittere, nisi mediante voluntate Evangelii, gratia Christi, & fide pœnitentis. Potestas remittendi peccata immediata solius Christi est, liberimè peccata remittentis, vel retinentis. Vel remissio peccatorum humana Divinam sequitur, vel antecedit. Si sequitur, mediante ea fit. Si antecedit, jam igitur absoluta & principalis est, adeóque Deum ipsum ligat. Sive autem modus ille *deprecativus* mediatus, sive immediatus est, nullo modo ille surdo insinuari potest; adeóque par ejus, quæ modi *annuntiativi*, eatenus ratio erit. Addo, absolutionem hominis surdi firmum nobis adversus doctrinam vestram, qua Sacramenta physica esse instrumenta gratiæ in anima efficiendæ pertenditis, argu-

Digitized by Google

argumentum suppeditare. Absolutio enim surdo collata nihil quicquam operatur in ejus corpore, nedum in anima, corpore mediante.

OBJECT. VI. *Si absolutio non est actio judicialis, sed simplex annuntiatio divinæ promissionis, tum etiam laicus, fœmina, puer, infidelis, diabolus, psittacus absolvere poterit.* Resp. 1. Bellarminus hanc rationem obvertens blasphemat prædicationem Evangelii, dum illam facit opus infidelis, pueri, diaboli, psittaci. An potest psittacus aut diabolus esse Nuntius Apostolicus Papæ, aut legatus à latere? Si potest, alia tamen ratio est legationis Evangelicæ. 2. Prædicatio Evangelii habens conjunctam promissionem, non est simplex & nuda recitatio remissionis divinæ, sed conjuncta est cum authoritate divina, & cum applicatione efficaci, quæ pendet ab authoritate muneris.

EXCIP. REDINO: 1. *In te hoc retorqueo, supra asserentem, efficaciam Sacramenti non pendere ab intentione Sacerdotis. Ad prædicationem ergo Evangelii Sacramento etiam obsignandam, sufficiet recitatio verborum materialis, quoad extrinsecum verborum sonum, qualis à psittaco etiam fieri potest.* 2. *Ita est. Recitatio verborum promissionis conjuncta est cum authoritate Divina, & applicatione efficaci. Talis verò authoritas Dei est, ut remissa intelligantur peccata eo ipso, quòd Ministri prævio discretionis judicio, eorum reatum remittunt. Unde applicationis efficacia sequitur.* Ib. pag. 536. 537. Resp. 1. Siccine Sacrificulos vestros, & te, Eremitane Abbas, in Sacerdotali ministerio vestro non aliud à Psittaco, simia, Diabolo ipso, quàm interior intentio, quæ quàm præsens semper sit, ipsi noverint, distinguit? Nostros verò Evangelii præcones alia omnia, sancta vocatio, sancta doctrina, sancta juxta normam infallibilis verbi Divini muneris administratio, aliàque ejusmodi à simiis, psittacis, Diabolo & sacrificulis ipsis efficacissimè distinguunt. 2. Authoritas & applicatio sententiæ judicialis efficax Ministrorum Evangelii, eosdem propriè dictos judices non reddit. Nam in civilibus etiam præcones Magistratus authoritate pollent, & judicialem sententiam præconiando, non judicando, efficacissimè applicant.

Digitized by Google

Ad Canones ejusdem

SESSIONIS XIV.

DE

EXTREMA UNCTIONE.

QUÆSTIO UNICA.

An Chriſtus inſtituerit ſacram unctionem infirmorum, tanquam verè & propriè dictum N. T. Sacramentum, cujus vi peccatorum, ſi quæ ſint adhuc expianda, reliquiæ abſtergantur, morbi leviùs ferantur, tentationibus Sathanæ faciliùs reſiſtatur, & ſanitas interdum etiam corporis recuperetur?

SYnodus *de Extr.Unct.cap.I.* ejusmodi ſacram Unctionem, quâ videlicet Sacerdos oleo ab Epiſcopo conſecrato, inungit exteriores ſenſus & renes agonizantis, ad producendos effectus in quæſtione expreſſos, ait à Chriſto apud Marcum quidem *inſinuatam*, per Jacobum verò fidelibus *commendatam*, ac *promulgatam* eſſe. Nos unctionem quandam infirmorum, vigente miraculorum dono, ab Apoſtolis uſurpatam fuiſſe, hunc videlicet in finem, ut externo hoc ſigno valetudo corporis reſtitueretur laborantibus, ultro fatemur. At vel inſtitutam, vel inſinuatam, vel commendatam eam eſſe eccleſiæ, ut ſit ordinarium N. Teſt. Sacramentum, ad producendum effectus illos à Synodo memoratos, negamus. Etenim

ARG. I. Propriè dictum N.T. Sacramentum à Chriſto inſtitutum ſit oportet. At unctionem ejusmodi à Chriſto inſtitutam eſſe, probari minimè poteſt. Nam apud Marcum quidem inſtitutam eam eſſe, ne ipſa quidem Synodus affirmare ſuſtinuit, quæ tantùm inſinuatam ibi eſſe ait. Et teſtatur Hiſtoricus lib. IV. pag. 310. primò quidem Patres ſcripſiſſe *inſtitutam*, at

Digitized by Google

at mox, monente Theologo, quòd Apostoli eo tempore nondum ordinati fuerint Sacerdotes, surrogatam esse vocem *insinuatam*. At Sacramenta indigent plena & aperta institutione, quæ mandato & promissione expressa absolvatur. Quòd si instituisset Christus hoc Sacramentum, utique & ritum & signum perpetuum designasset. Tale verò signum perpetuum unctio non fuit, cùm constet, non semper sanandos ab Apostolis unctos fuisse, neque donum *ἰαμάτων*, cujus signum fuit unctio, in Ecclesia perpetuum fuisse.

RESP. REDING: 1. *Nisi Calvinisticæ superbiæ super omnia Concilia Oecumenica semet efferentis spiritu turgeres, ad probandam Christi institutionem Concilii Tridentini & Florentini authoritas tibi sufficeret. 2. Perperam negas in Ecclesia perpetuum miraculorum & sanitatum donum; & unctionis gratiam non aliam, quàm curationis agnoscis, cùm S. Jacobus pronuntiet, per illam infirmo conferri salvationem remissioni peccatorum conjunctam. 3. Suavis relationem falsam esse Pallavicinus ostendit, ex legitimis actis demonstrans, mense integro priùs quàm decretum conciperetur, plures ex Theologis observasse, Unctionem apud Marcum insinuatam, non institutam esse.* Tomo II. Tract. VII. Ss. 3. pag. 537--539. Resp. 1. Vera erga Deum & verbum ejus humilitas mihi & bonis omnibus Conciliabuli vestri utriusque Tridentini & Florentini validum contemptum pridem suasit. Tu magni facis, quia verbum Dei non curas, & Babylonicum typhum, utroque Concilio firmatum, amas. 2. Perpetuum miraculorum verorum in vera Ecclesia usum cum ratione negamus. Quæ vos, Tu inprimis, Eremitane Thaumaturge, jactatis, *τέρατα ψεύδους, miracula* illa *mendacii*, quæ S. Paulus 2. Thess. II. 9. 10. Antichristo & pereuntibus tribuit, esse, pridem demonstravimus. 3. Fallit te nimium oraculum tuum, Pallavicinus. Theologi enim illi, qui apud Marcum institutum non esse unctionis Sacramentum observarunt, ii ipsi sunt, qui reliquorum & Patrum ipsorum errorem correxerunt. quod solum Suavis retulit. *Quàm* verò *appositè*, inquit idem Suavis, *hoc loco* Patres *vocabulum* insinuatum *adhibuerint, quidque id hac in re significare verè valeat, facilè judicabit, quisquis intellexerit, quid sit insinuare, idque accuratè retulerit, & ad ea, quæ tam Apostoli fecisse apud Marcum narrantur, & ad ea, quæ Jacobus in Epistola sua præcipit, & cum iis denique compararit, quæ sunt ab illa Synodo hac de re definita.* Cur porro nihil ad hoc respondes, quod observavi, *non semper sanandos ab Apostolis unctos*, adeóque unctionem à Christo institutam non esse. Aqua tibi profectò hæsit.

ARG. II. Nec materia, nec forma, nec ritus hujus ita nuncupati Sacramenti verbo Dei definitus est. Non *materia*, quia verbum Dei nuspiam meminit sanationis per oleum ex olivis confectum, ab Episcopo consecratum, & per exorcismos excantatum. Non *forma*, de qua ipsi adversarij mirificè dissentiunt, an certa verborum formula recitari debeat enuntiativè, an deprecativè, an optativè. Hodie quidem forma ponitur his verbis: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per Visum, Auditum, Gustum, Odorem & Tactum, Amen.* At veri Sacramenti forma non in oratione & verborum flexu, sed

in similitudine externi signi & rei signatæ consistit. Denique non *ritum*, ungendi videlicet in oculis, auribus, naribus, ore, & renibus. Ubi enim ritum ejusmodi Deus in verbo suo præscripsit?

RESP. REDINO: 1. *Materiam Sacramenti ostendit S. Jacobus cap. V. 14. oleum scilicet, quod simpliciter olivarum est. Sicut autem oleum habet virtutem mitigandi dolores, leniendi ægritudinem, robur conciliandi &c. ita Sacramentum hoc excitat spem Divinæ misericordiæ, sanitatem corporis aliquando confert, infirmum roborat ad infirmitatem patienter sustinendam, & superandas Diaboli insidias. Hac materiæ analogia est. Episcopalis verò olei benedictio ex traditione cognoscitur, & ratione hac firmatur, quòd, cùm oleum nunquam per contactum Christi sanctificatum sit, sicut aqua Jordanis ad Baptismum, necessum sit aliunde, adeòque ab Episcopali benedictione illud sanctificari.* 2. *Forma ex eodem S. Jacobo liquet. Is enim verbis*, ungentes eum oleo, *statim subjungit*, & orent super eum. *Cui orationi tribuitur salvatio. Atqui formæ Sacramentalis proprium est, quòd in ipsam efficacia Sacramenti reducitur. Hæc ergo fidei oratio forma est Sacramenti, & quidem deprecativa, non indicativa, quia in unctione secus quàm in reliquis Sacramentis, non semper sanitas corporalis confertur.* 3. *Ritus ungendi oculos, manus &c. in usu fuit apud veterem Ecclesiam, uti ex Ephrem liquet. Et cùm ungendus sit infirmus, utique unctio sensus ejus externos afficere debet, sive omnes, sive nonnullos. Ex praxi autem Ecclesiæ afficiuntur omnes, quia essentia extremæ unctionis perfecta esse nequit, nisi pro illo instanti, in quo subsistit virtus remissionis peccatorum, ex omnibus sensibus originatorum.* Ib. pag. 539-541. Resp. 1. De loco S. Jacobi infra. Cùm Sacramenti institutio ex eo probari nequeat, nec materiæ Sacramenti institutio ex eo probari potest. Neque proin analogia materiæ externæ cum re signata à vobis conficta obtinere potest. Neque etiam Jacobus vel benedictionis, vel ejusdem per Episcopos Papales (quos cum Christo blasphemè comparas, quasi id præstet eorum benedictio, quod contactus aquæ à Christo factus præstitit) perficiendæ meminit. Clarè ergo patet, materiam hujus Sacramenti non esse nisi creaturam humanam. Quid quòd Maldonatus vestras *Tom. II. de Sacr. extr. unct. q. 1 pag. 209.* fusè probatum ivit, *consecrationem olei tantùm esse necessariam propter præceptum ac disciplinam Ecclesiæ, quæ consueverit omnis Sacramenti materiam priùs benedicere, quàm Sacramentum conficiat; non autem ad veritatem ipsius Sacramenti?* Idem Victoria, referente Becano, censuit. His antesignanis vestris si fides est, nec benedictio olei, nec Episcopalis benedictio à Christo instituta est. 2. Orationem super infirmo S. Jacobus mandat. At orationem vel eandem, qua Ecclesia Romana hodie utitur, vel, ut Sacramenti formam, quæ in analogia signum inter & rem significatam potiùs consistit; ab eo mandari, unde tu fidem facies? Certè oratio illa nec in Scriptura habetur, nec ab omnibus ungentibus adhiberi solebat. *In Ecclesia Ambrosiana*, sic Bonaventura *in 4. dist. 23.* scribit, *hæc est forma: Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut more militis uncti præparatus &c.* Quæ oratio potiùs enuntiativa, quàm precativa est. Cujusmodi etiam erat illa, quam in Ecclesia Veneta olim obtinuisse, ex libro ejus Sacramentali à Leone X. approbato Michael Palatinus *in 4. d. 23.* refert. Frivola tua exceptio est, quòd in unctione secus quàm in reliquis Sacramentis, non semper sanitas corporalis conferatur. Atqui proprium unctionis effectum non sanitatem corporis, sed peccatorum reliquorum expiationem, & robur spirituale ad resistendum tentationibus, facitis. Et quomodo alias ex opere ope-

rato,

Digitized by Google

ſito, ac virtute inhærente unctio effectum producit. quod omnibus Sacramentis ſupra tribuebatis § 3. De veteris Eccleſiæ ſenſu infra. Unctio quidem corporis ſenſum quempiam corporis afficiat oportet. Quem verò, vel quos afficere debeat, ne inter vos quidem conſtat. Florentina Synodus ſeptem unctiones præſcripſit; quas inter poſtrema erat *in renibus, propter delectationem ibidem vigentem.* quæ hodie omittitur, *quia vix honeſtè fieri poteſt, præſertim in fœminis.* Unde liquet, quàm graves & Sancti fuerint Patres Florentini ſancientes id, quod honeſtè fieri poſſe, hodierni negant. Paludanus, Medina, Lovanienſes, Becanus, alii *eſſentiam hujus Sacramenti una quavis unctione perfici*, aſſerunt. Priùs ergo inter vos tranſigite, & pòſt ritum à vobis unanimiter conſtitutum ex Dei verbo definite. Cùm enim multa ſint peccata animæ, quorum radix in ſenſibus externis corporis nulla eſt, nihil tua ratio ab origine peccatorum ex quinque ſenſibus arceſſita cauſam veſtram juvat.

ARG. III. Sed & promiſſio remiſſionis peccatorum, *ſi qua reliqua ſint expianda*, uti Synodus loquitur, aliorúmque ejuſmodi beneficiorum unctionis ſigno, veluti perpetuo, nuſpiam in verbo Dei alligata eſt. Ipſa promiſſio ſigno unctionis temporario facta apud Jacobum reſpicit ſanitatem corporis, mediante eo ſigno recuperandam.

RESP. REDING: *S. Jacobus diſertè dicit: Si peccata fecerit, remittentur ei.* pag. 541. Reſp. De verbis S. Jacobi infra. Unum heic moneo, abſterſionem peccati quoad culpam, juxta vos, in pœnitentia antecedenter habere: quoad pœnam ſatisfactionem vel indulgentiam requirere.

ARG. IV. Miniſter unctionis hujus, juxta illos, oportet ſit ſacerdos ab Epiſcopo ritè ordinatus, qui intentionem habeat faciendi, quod facit Eccleſia, neque quilibet ſacerdos, ſed curatus, aut cui hoc munus is delegaverit, adeò ut excommunicationem de facto incurrat, qui ſine Curati licentia hoc attentaverit. Cùm igitur miniſter Sacramenti in Dei quoque verbo definitus eſſe debeat, ubi loci ejuſmodi miniſtrum nobis oſtendent?

RESP. REDING: *S. Jacobus clarè Presbyterum nominat. Unicè ergo character Sacerdotalis ad valorem Sacramenti requiritur. Curati verò qualitas neceſſaria non eſt, niſi ad licitam adminiſtrationem. Sacramentum enim adminiſtrare, Paſtoris munus eſt.* Ib. pag. 541. Reſp. Presbyterum S. Jacobus nominat; at nec diſtinctum jure Divino ab Epiſcopo, vel à tali ordinatum, nec ungendo Sacramentum conficientem. Mitto, quòd non Sacerdotem, ſed *πρεσβυτέρους Presbyteros*, plures ſcilicet, orantes & ungentes acceſſi S. Jacobus jubet: quódque apud vos plures presbyteri curati non ſunt.

ARG. V. Quâ etiam majori ratione ex unctione infirmorum in ſacris memorata Sacramentum facient magis, quâm ex aliis quibusvis Symbolis, quæ in S. literis commemorantur? Cur non eadem ratione aliquam natatoriam Siloæ, in quam ſe malè habentes immergant, conſtituunt? Cur

non mortuis incubant, quia puerum mortuum illi incubando suscitavit Paulus? Cur non lutum ex sputo & pulvere Sacramentum faciunt?

RESP. REDING: *Ratio diversitatis est, institutio unctionis pro indefinito Ecclesiæ statu, qualis non est signorum à te inductorum.* Ib. pag. 544. Resp. Instituta est unctio non pro indefinito Ecclesiæ statu, sed eo duntaxat, quo sanationum charisma vigere debuit.

ARG. VI. Extremam unctionem fingunt Sacramentum constitutum *ad egressum ab Ecclesia.* Ei oppositum baptismum vocant Sacramentum *ingredientium.* Atque sic tum baptismi efficaciam enervant, quasi ejus recordatio & vis nulla esset ad εὐθανασίαν, tum mortem piorum fingunt esse *egressum ab Ecclesia*, & separationem à Regno Christi, cùm tamen sit introitus ad Dominum, non ἔκδυσις, sed potiùs ἐπένδυσις, uti Paulus 2. Cor. V. 4. docet.

RESP. REDING: 1. *Baptismi vim, extrema unctio non enervat, sed potiùs efficacem reddit per suppeditationem gratiæ efficacis ad consummationem cursus in Ecclesia militante, & introitum felicem ad Ecclesiam triumphantem. Non ergo opposita, sed subordinata sunt hæc Sacramenta; & unctio Baptismo ulteriora adhuc gratiæ actualis subsidia ad extremam vitæ mortalis luctam superandam supperaddit. 2. Neque mortem piorum dicimus esse egressum ab Ecclesia & Regno Christi; sed ad triumphantem Ecclesiam ingressum.* Ib. pag 542. Resp. 1. Baptismi vim minui certè multum, adeóque enervari oportet, si non æquè ad egressum ex Ecclesia, atque ad ingressum in Ecclesiam conducit. Quantum unctio gratiæ actualis ad consummandum vitæ cursum sive obsignando, sive efficiendo præstat, tantum baptismo demit. Cúmque fœdus Baptismo obsignatum æternum, ejus ad ingressum & egressum æqualis sit efficacia oportet. Baptismum salvare S. Petrus 1. Ephes. III. 21. docet. Quomodo salvat, si ad egressum ex vita terrestri ad Cœlestem aliud Sacramentum requiritur? Si, quod vestri asserere non verecundantur, damnandus baptizatus licet, per unctionem reliquias peccati expiantem salvatur? 2. Unctionem ad egressum ex Ecclesia constitutum esse Sacramentum, simpliciter asseritis. Sic Patres Tridentini Sess. XXIV. *cap. 3.* vocant Sacramentum *exeuntium.* Sic Lancellotus *Instit. Jur. Can. lib. II. tit. 7.* sic alii. Mors verò fidelium consummatus ad Ecclesiam gloriosam ingressus est, cursu ad hanc metam uno eodémque inde à nativitate incipiente, & per introitum in Cœlum desinente.

ARG. VII. Quòd si extremæ unctionis hi effectus sunt, cur non etiam ungunt infantes, amentes, ad capitis pœnam damnatos? An enim peccata residua quæ expientur, non habent?

RESP. REDING: *S. Jacobo teste Sacramentum hoc requirit tum statum infirmitatis, qualis non est capitis damnatorum: tum peccati capacitatem, qualis infantum & perpetim amentium non est.* Ib. pag. 543. Resp. Juxta vos primarius effectus est peccatorum reliquorum remissio. An malefici hoc non indigent? Annon illi, ut & amentes ac infantes moribundi æquè ex vita per mortem egrediuntur? Turpiter profectò nobis illudere conaris. Ubi de capite damnatis sermo est, infirmitatis; ubi de infantibus & amenti-

Digitized by Google

amentibus, peccati defectum causaris. Atqui & in damnatis capite peccata; & in infantibus ac amentibus infirmitas locum habet. Quinimò exeuntibus omnibus, sive firmis, sive infirmis unctio administranda fuerit, quia *Sacramentum* esse *exeuntium* Tridentini definiverunt.

ARG. VIII. Unctionis ejusmodi sacramentalis pro exeuntibus usus in veteri Ecclesia nullus fuit. Etenim ejus nulla mentio occurrit in omnibus Seculi secundi ac tertij libris. Ne quarti quidem Seculi scriptores, qui accuratè sacra Ecclesiæ Christianæ instituta, & ritus enarrant ac edisserunt, veluti Epiphanius, Dionysius Pseudo-Areopagita, Clemens Romanus, Augustinus &c. ejus mentionem faciunt. Veteres sex priorum seculorum scriptores, qui piorum mortem diligenter describunt, veluti Constantini, Helenæ, Anthonii, Athanasii, Basilii, Gorgoniæ &c. ejusmodi unctionis nuspiam meminerunt. Et quinti, imò etiam sequentium usque ad nonum, Seculorum certi & indubitati scriptores, qui sumptæ à moribundis eucharistiæ meminerunt, extremæ tamen unctionis ab ijsdem susceptæ nullo apice meminerunt. Cùmque hodie de hoc Sacramento extent infinitæ concertationes Adversariorum, nihil earum apud Veteres uspiam occurrit. Ac ne in Æthiopicis quidem ecclesiis antiquissimis ejus usus unquam receptus est, uti fatentur Franciscus Alvaresius & Alphonsus Mindesius ex Jesuita Æthiopum Patriarcha. Mansit equidem apud Veteres diu miraculosa unctio, ex cujus κακοζηλία Papistica Seculo demum XII. Bernhardus & Lombardus visi sunt docere, extremam unctionem præcise esse necessariam, & gratiam remissionis peccatorum producere. Eam Scholastici, argutum hominum genus, amplificârunt, & expoliverunt, & Concilia etiam sequentia definiverunt. Cæterùm hoc argumentum ab antiquitate petitum fusè post alios Forbesius *Instruct. Historico-Theol. lib. XII.* nec non Dalleus *de Extrema unctione lib. II.* tractat. Ex formulis etiam veterum, quas videre est in tribus antiquis Menardi libris, nec non apud Cassandrum in Hymnis ecclesiasticis, & consultatione, aliósve, liquet Veteris unctionis & Papisticæ à Tridentinis stabilitæ diversitas.

RESP. REDING: *1. Unctionis Jacobeæ usum suo Seculo Origenes homil. 2. in Levit. quarto Augustinus, Innocentius I. alii; septimo Beda, Alcuinus &c. agnoscunt. 2. Ecclesia Græca in Euchologio cap 98. extremæ unctionis administrandæ meminit. Et Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus Resp. 1. cap. 7. extremam unctionem inter septem Sacramenta numerat. 3. Fateris tandem, diu apud veteres mansisse miraculosam unctionem. At hæc Sacramentalis est, S. Jacobo & Patribus agnita. Qua ergo fronte scribis, XII. demum Seculo Bernhardum & Lombardum visos esse docere, unctionem extremam esse necessariam, & effectum remissionis peccatorum producere? 4. In formulis veterum licet accidentalis quædam*

quædam variatio interveniat, substantia tamen eodem perseveravit. Ib. pag. 543-545. Resp. 1. Cùm testimonia ex Origene, Augustino, Innocentio I. aliisque deprompta in objectionibus à me solidè discussa sint, quid attinebat eadem nuda hic reponere? Amas sic inutiliter farcire chartas. Rationem potiùs reddere debueras, quamobrem tot quarti etiam Seculi scriptores iis in locis, quibus accuratè sacra Christianæ Ecclesiæ instituta, ritus, Sacramenta enarrant, edisserunt, explicant; velut Epiphanius, Pseud. Areopagita, Clemens R. Augustinus, alii unctionis hoc mysterium ne uno quidem apice memoraverint? Quamobrem etiam veteres priorum sex Seculorum scriptores, dum piorum velut Constantini, Helenæ, Antonii, Athanasii, Basilii, Gorgoniæ &c. mortes accuratè describunt, nullam extremæ unctionis mentionem fecerint? Hic, hic, Redingi, vires tuas, si quarum tibi conscius es, periclitari debueras. Sed pisce & rana Seriphia magis mutus es. Bellarminus *de Extr. Unct. cap. 6.* ridiculè admodum respondet, *res notissimas & quotidianas non scribi.* Scilicet baptizari, orare, Eucharistiam sumere, mortuos sepeliri &c. res notissimæ & communissimæ, non commemorantur ab iis, qui vitas mortésque Christianorum hominum describunt, & eosdem laudibus ferunt! Et Pontificii inde ab aliquot seculis frequentissimam & notissimam apud se unctionem non memorant ibi, ubi clarorum & piorum virorum mortes describunt! Vel Surius vester Carthusianus alia omnia docebit, ubi vitam Borromæi, Francisci Borgiæ, Antonini Florentini, Bernardini Senensis, Laurentii Justiniani &c. describit. Candidior Bellarmino Launojus libro *de Sacramento unctionis infirmorum* edito, fatetur disciplinam ungendorum infirmorum in primis Ecclesiæ Seculis infrequentiorem fuisse. Cujus rei causas plures reddere conatur, à Doctiss. Reisero *Launoii Anti-Bell. pag. 468. &c.* ad partes solidè vocatas. Asserit ibidem Launojus, certum quidem esse, quòd mos ungendi quondam receptus fuerit; *sed unde, & quo tempore cœperit obtinere, incertum esse*, addens, super ea re malle se judicium suspendere, quàm temerè, quod nesciat, pronuntiare. Quæ ingenuitas licet laude defraudanda non sit, maximum tamen causæ adversæ præjudicium affert. Quale enim Sacramentum est, cujus incerta est origo? 2. Cùm de veteris Ecclesiæ sensu quæstio hic sit, cui bono recentiores Græcos, ad quorum consensum non provocaveram, nobis opponis? Potiùs ad consensum Ecclesiarum Æthiopicarum antiquissimarum vobis objectum respondendum fuerat. Sed hic tibi aqua planissimè hærebat. Sed frustra etiam Græcorum consensum jactas. Licet enim, quod ex Euchologio Græcorum, Jeremia Constantinopolitano, Simeone, Cabasila, aliisque constat, Græci sacram ex oleo fidelium, quod *εὐχέλαιον oleum cum oratione, & ἅγιον ἔλαιον sanctum oleum* nuncupare solent; unctionem in usu habeant, ejus tamen quoad ministrum, materiam, objectum, formam, finem, effecta, ab unctione moderna discrimen à Cl. Dallæo *de Extr. Unct. lib. II Pontificiorum* 21. fusè demonstratum tantum est, ut ipse Arcudius passim Græcorum illam unctionem detestetur. 3. Apud veteres diu satis unctionem miraculosam mansisse, fassus sum. At receptam fuisse superstitionem de unctione extrema Pontificiam, denuo pernego, & ejus originem ad Seculi XII. doctores refero. Prima enim mutationis indicia, sed levia, in Bernhardo apparent, mox in Hugone de S. Victore, & in Lombardo multò luculentiora. qui tres viri circa An. 1130. & 1145. propemodum æquales vixerunt. 4. Formulas à Menardo & Cassandro recensitas si legisses, aliter certè judicares. Omnes enim pro fine unctionis sanitatem corporis, constituunt. qui finis apud vos merè accidentalis habetur. Discrimen igitur non in accessoriis, sed in rei ipsius substantia versatur. Quod ipsa formularum collatio apertissimè demonstrat.

ARG. IX.

Digitized by Google

ARG. IX. Incertitudinem hujus dogmatis produnt variæ adverſariorum de authore, materia, forma, fine, miniſtro, effectu, textibus hoc Sacramentum probantibus diſputationes, quarum vix alibi pudenda magis ſeges occurrit. Ab Apoſtolis, non à Chriſto inſtitutum eſſe hoc Sacramentum, contendunt Hugo à S. Victore, Lombardus, Bonaventura, Johannes Eckius, quos eo nomine pulſat Gregorius de Valentia *Tom.4.diſp.8.q.1.p.1.* Conſecrationem olei factam ab Epiſcopo ad Sacramenti hujus eſſentiam pertinere, negat Maldonatus *Tom.2.de Sacram. pag.*209.& ante ipſum Victoria, ac eodem inclinat Cajetanus, cæterique plerique aſſerunt. Formam fieri debere alii *enuntiativè*, alii *deprecativè*, alii *optativè*, alii omnibus his modis, diſputant. Eugenius Papa *Inſtruct.ad Armenos* ungi voluit tum ſenſus quinque, tum pedes quoque & renes. Sed pedes & renes nunc ferè ungere omittunt. Nec deſunt, qui ſtatuant, quinque ſenſuum unctionem ad Sacramenti eſſentiam non pertinere, & ſufficere unam quamlibet unctionem, nominatim Paludanus & Medina, eósque ſecutus Becanus *Summ.Theol de Sacr.q.3.de Unct.* Extremè laborantes & deſperatos ungendos eſſe plerique ſentiunt. At Maldonatus quosvis graviùs ægrotantes, & quidem non ſemel duntaxat, vel bis, ſed per dies ſeptem continuos ungendos ſancit, & diſſentientes inter proletarios & veluti capite cenſos refert. De effectu quoque hujus Sacramenti diſcrepantes ſunt opiniones. Tridentini peccatorum reliquias expiari docent, ſed venialia an mortalia peccata, macula peccati an reatus, intelligantur, acriter diſceptant. De ſanitate quoque, quam Sacramenti finem eſſe volunt, non idem omnium judicium. Denique de duobus N.T. locis, in quibus mentio fit unctionis ex oleo, videlicet Marc. VI.13. Jac. V. 14.15. gravis eſt adverſariorum pugna, quorum alii Cajetanum ſecuti *neutrum*, alii, puta Catharinus, à Caſtro, Lindanus, Eckius, Clingius, Horantius, *utrumque*: alii denique *alterum* duntaxat ad ſuam illam unctionem pertinere contendunt. Qua in contentione verſutos ſe gerunt Tridentini, qui ne unam ex poſterioribus ſententiam damnare neceſſe haberent, ſciſcunt, ſuum illud Sacramentum apud Marcum *inſinuatum*, apud Jacobum *promulgatum* eſſe. Patet igitur, quàm lubrica & incerta ſit tota illa myſterii ratio. Tridentinorum autem fuerant partes, litigantes potiùs ad concordiam redigere, quam rem adeó incertam ſub anathemate injungere.

RESP. REDING: 1. *Subſtantiam dogmatis & accidentarias opiniones ubique confundis. 2. Circa inſtitutionem Sacramenti de fide eſt, omnia N. Teſt Sacramenta ſecundum id, quod in iis formale eſt, puta efficaciam ſignificandi & cauſandi gratiam, immediatè à Chriſto inſtituta eſſe. Et in hoc omnes conſentiunt. Diſſenſus eſt de inſtitutione hu-*

 jus

jus Sacramenti secundum materiale, seu rem ejus sensibilem; an ea sit immediata Christi, an mediata per Apostolos. quod de fide non est. 3. Olei consecrationem necessariam esse, omnes consentiunt. Dissensus olim erat, an olei consecratio sit de essentia Sacramenti. Id ante definitionem Concilii de fide non erat: post eam de fide est; consentientibus nunc cunctis. 4. Orationem, seu formam Sacramenti hujus, saltem virtualiter deprecativam esse debere, quocunque modo efferatur, pariter omnes consentiunt. 5. Neque de fide est, quorum sensuum unctio sit de essentia hujus Sacramenti; sed hoc unum, quòd unius saltem sensus unctio de ejus essentia sit. in quo omnes iterum consentiunt. 6. Ex communi sententia ad collationem Sacramenti hujus requiritur infirmitas, quæ morale mortis periculum secundum judicium prudentum, inferat. Maldonatus quoque exigit morbum lethiferum, licet à mortis articulo remotiorem. 7. Quòd effectus hujus Sacramenti sit gratia Spiritus S. cujus unctio delicta residua abstergat, de fide est. Sed ejus effectus natura abstrusior varias opiniones peperit. 8. Sanitatem ægrotantis esse secundarium unctionis effectum, omnes consentiunt. 9. Cajetani unius de loco Jacobi sententia Conciliari decreto nihil præjudicat. Ib. p. 545--547. Resp. 1. Dissensus opinionum circa institutionem Sacramenti, materiam, formam, ritum essentialem, effecta ejusdem, quomodo circa rei substantiam non versatur? Quid enim ad Sacramenti substantiam pertinet, si hæc non pertinent? 2. Si tibi fides est, non aliud de fide Divina est, quàm quod in Conciliis vestris definitum habetur, de quo, propter authoritatem, quam Conciliis vestris tribuitis, dissentire ampliùs nemini licet. Sic in proclivi tibi est, dissensiones vestras acerimas purgare. Cur verò Concilia vestra, Tridentinum inprimis, nihil eorum, quæ doctores vestros celeberrimos pridem in partes distraxerunt, definivit? Cur vulpes Samsonis capitibus divisas non univit, & solis caudis alligatas reliquit? An Conciliorum negligentia efficit, ut quæ res magni momenti est, sit exigui, vel nullius, de qua liberum sit omnium ingeniorum lascivientium judicium? Circa institutionem unctionis ineptè formale à materiali distinguis, cùm nec forma sine materia, nec hæc sine illa esse possit: & institutio potissimùm circa materiam, seu rem sensibilem verseтur. Nam accedente verbo ad elementum fit Sacramentum. Synodus Tridentina, & ante hanc Senonensis præceptum & institutionem unctionis Evangelio abjudicavit, & ei *insinuationem* tantùm quandam tribuit. Ante Synodum Tridentinam alii Christo, alii Jacobo institutionem asseruerunt, quod ex Alberti, Bonaventuræ, Thomæ, Scoti, aliorum scriptis constat. Neque tum institutionis immediatæ & mediatæ; formalis & materialis distinctio audita est. Quod una Thomæ ratio ædificavit, id altera Bonaventuræ destruxit. Et quoad originem hujus Sacramenti, longè aliter dissidentes partes conciliavit nuper Launojus, quàm Redingius noster. Is enim sufficere ait, quòd in eo omnes conveniunt, quòd unctio sit Sacramentum verè ac propriè dictum. Quasi Sacramentum esse possit, cujus incerta & obscura origo est. 3. Consecratio olei ab Episcopo si ante Tridentinum Concilium de essentia Sacramenti non fuit, post illud essentiam ejus ingredi non potuit, quia Christus, non Tridentini Patres, Sacramentorum essentiam definivit, & quid circa eam de fide sit, vel non sit, declaravit. Etiam post Concilium Maldonatus *Tom. 2. de Sacram. de extrema unctione q. 1. pag. 209.* consecrationem ad Sacramenti essentiam facere fortiter negat, asseritque, eam *tantùm necessariam esse propter præceptum ac disciplinam Ecclesiæ, quæ consuevit materiam omnis Sacramenti priùs benedicere, quàm Sacramentum conficiat; non autem ad veritatem ipsius Sacramenti.* Victoria, referente Becano, idem censebat. Et Cajetano satis visum, *si fiat* consecratio *per quemcunque presbyterum.* 4. Refert certè non

Digitized by Google

non parùm, quo modo forma unctionis proferatur, enuntiativo, optativo, an deprecativo. Nam formam enuntiativo modo prolatam, qualis Ambroſiana eſt, Thomas, Bonaventura, Vaſquez, Conink, & alii ratam eſſe negant. Si in eo deprecativa forma virtualiter contineretur, non multum fortè illi contendiſſent. Et certè aliud eſt enuntiare rem, aliud precari, deprecari rem, quæ nondum eſt. 5. Non unius, ſed quinq; ſenſuum unctionem eſſe de Sacramenti eſſentia, planéque adeò neceſſariam, Bellarminus, Valentia, Henriquez, Suarez, aliique graviſſimi iſtarum partium Theologi, uti apud eundem Conink *Diſp. 9 de Extr. Unct.* videre eſt, pertendunt: repugnantibus Paludano, Medina, Lovanienſibus, Becano, Redingio, qui una quavis unctione eſſentiam Sacramenti perfici, aſſeverant. De eſſentia igitur Sacramenti Cadmæi hi fratres litigant. 6. Infirmitatem equidem & mortis periculum in ungendo requiri, ut conditionem neceſſariam, plerique veſtri conſentiunt. Quanquam Sacramentum *exeuntium* appellat Synodus. Exeunt autem etiam firmi nonnulli, ad ſupplicium rapti, milites, infantes ἀβάπτιστοι, amentes, quibus Sacramentum non applicatis. Diſſentit etiam quicquid reſtites, Maldonatus. Is enim *de Sacram. Unct. pag.* 108. disertè negat, ſolis ægrotis, de quorum vita deſperatum eſt, hoc Sacramentum præbendum eſſe. *Nam*, inquit, *priſca Eccleſia omnibus, qui graviùs ægrotabant, dabat extremam unctionem.* Item: *Abuſus eſt, quòd vulgus putat, non eſſe dandum hoc Sacramentum niſi illis, de quorum vita deſperatum eſt. Non enim vocatur extrema unctio, uti popularis opinio fert, propterea quòd in extremo vitæ danda ſit; ſed quòd, cùm multæ unctiones ſint in Eccleſia, hæc poſtrema ſit.* 7. Tridentini ſanciunt effectum unctionis eſſe, quòd per eam *reliquiæ peccatorum abſtergantur.* Cœterùm quæ ſint peccatorum reliquiæ ab aliptis abſtergendæ, & quis Sacramenti effectus palmarius ſit, non leviter ſanè veſtri diſſentiunt. Neque variantium hic opinionum ſtabulum veſtrum ingredi vacat. Tu *abſtruſam* effectuum illorum *naturam* cauſſaris. Tot ergo profundiſſimi & abſtruſiſſimi Doctores Tridentini *abſtruſam* illam naturam *explicare* non potuerunt? Nos dogmatis totius vanitatem & incertitudinem diſſenſionum iſtarum cauſam eſſe, dubitamus nulli. 8. Becanus *quæſt. 5.* pugnat, hoc Sacramentum ad tollenda venialia peccata non eſſe principaliter inſtitutum: quod tamen fatetur à Bonaventura, Richardo, Durando, Majore, Scoto, aliis affirmari. Culparum & pœnarum abolitionem ſecundarium unctionis effectum conſtituit. De ſanitate verò corporis dilutè admodum philoſophatur. 9. Cajetanum cum ratione pronuntiantem, Concilio ſine ratione dogmatizanti, quis non multis paraſangis præferat? Sed quid tandem multis? Fatetur ipſe Pallavicinus in hiſtoria Concilii paſſim, Patres tantùm opiniones ſectariorum voluiſſe damnare, non finem quæſtionibus inter Theologos controverſis imponere. Per Concilium igitur licet Papæ mancipiis infinitis opinionum divortiis diſtrahi. Quam verò ſic Concilium, Eccleſiam inter ſacrum & ſaxum, & in opinionum labyrintho relinquens, laudem mereatur, & quàm ſegniter Conciliorum veterum, quæ Eccleſiæ ad unitatem & concordiam reducendæ impensè ſtuduerunt, veſtigia preſſerit, ultro liquet.

Objectiones Tridentinorum.

OBIECT. I. *Apoſtoli ægros oleo ungebant, Marc. VI. 13. Id autem fecerunt ad ſanitatem non tam corporis, quàm animi, adeóque peccatorum remiſſionem impetrandam: tum quia, ſi ad morbos corporis curandos eo uſi eſſent, omnes exiſtimâſſent, naturaliter ægros fuiſſe ſanatos: tum quia ad curationem morborum corporis ſigno opus non*

Digitized by Google

fuisset, cùm secuta statim sanitas fidem miraculi fecisset: tum quia ratio reddi non potest, cur Apostoli non medicinam, sed Evangelium professi, oleo uterentur. Resp. 1. Hoc quidem argumento post Lyranum, Alphonsum Castrensem, Thomam Waldensem, aliósque, Maldonatus utitur. Sed Tridentini Patres tam animosi non fuerunt, ut eodem uterentur. *Insinuatum* duntaxat hoc loco Sacramentum illud asserunt. 2. Maldonato occurrit gregalis Bellarminus *lib. de Extr. Unct. cap.* 2. ubi negat sacramentalem unctionem ab Apostolis apud Marcum fuisse institutam, tum quia unctio illa solùm aut præcipuè relata sit ad curationem morbi corporalis, sacramenta autem pertineant ad curationem animæ: tum quia Apostoli promiscuè quosvis ægrotos curaverint, Sacramentum autem unctionis non conferatur nisi extremè laborantibus: tum quia Apostoli sine discrimine baptizatos & non baptizatos inunxerint, at ecclesia non inungat nisi baptizatos: tum denique, quia ita etiam sentiant Ruardus, Jansenius, Dominicus à Soto. 3. Et sanè apertissimum est, unctionem illam Apostolorum apud Marcum memoratam, fuisse miraculosam, & pertinuisse ad curationem morborum. Etenim Christus discipulis suis ad prædicationem Evangelii missis, dedit potestatem eijciendi dæmones & curandi morbos, Matth. X. 1. Marc. VI. 7. Luc. IX. 1, 2. Itaque egressi Evangelium prædicârunt, *& dæmonia multa ejecerunt, & multos ægrotos oleo sanârunt*, uti hoc loco Marcus testatur. Quod Christus præcepit, hoc exequuntur Apostoli. At præcepit, ut dæmonia eijcerent, & morbos curarent. Id ipsum ergo heic Apostoli exequuntur, adeóque oleo ungentes sanabant morbos, non animi sed corporis. 4. Apostolis eâdem ratione data est potestas curandi morbos, quâ etiam iis data est potestas dæmonia ejiciendi, mortuos suscitandi, leprosos mundandi &c. Si illa curandi infirmitates adhibita unctione potestas jam est in ecclesia ordinaria sacerdotibus omnibus curatis, cur non etiam ordinaria iis est potestas suscitandi mortuos, sanandi leprosos, ejiciendi Dæmones? 5. Quis verò adeò stupidus fuisset, ut gravissimorum morborum curationem oleo, & non potiùs miraculo tributurus fuerit? 6. Et quoties quæso Prophetæ, Christus, Apostoli, externo signo morbos curârunt? An iccirco laboravit fides miraculorum, quæ illi patrârunt? 7. Quæ verò ratio fuerit, cur oleum potiùs, quàm quidvis aliud Apostoli adhiberent, sine periculo ignorari potest. Probabile est, vel à Christo, vel certè ab ejus Spiritu admonitos eos fuisse, ut oleo uterentur, quoties videlicet commodum & consultum videretur.

EXCIP. REDINO: 1. *Aliud est probabilitas opinionum: aliud doctrina per Apostolicam traditionem firmata. An unctio ab Apostolis administrata remissionem peccatorum contulerit*

Digitized by Google

tulerit nec ne, quæstio est, quæ probabilibus utrinque argumentis disceptatur. 2. Non potestas sanandi ægrotos per unctionem Apostolis Marc. XVI. collata est; sed illa, quæ Jac. V. Ecclesiæ tradita est ordinaria. Atqui posterior hæc non contulit facultatem suscitandi mortuos, sed peccata reliqua remittendi, & ægrotantes alleviandi. Ib. pag. 548. Resp. 1. Non probabilia, sed necessaria sunt, & plerisque vestris habentur, argumenta Bellarmini. Necesse planè est, vel Maldonati vel Bellarmini argumenta vincere. Contradictoriæ enim sunt sententiæ. Verbo dicam. Maldonati sententia falsissima est, & ab ipso Concilio non obscurè rejecta; omnique adeò probabilitate carens, vel ob ea argumenta, quæ Bellarminus attulit, & tu ipse improbare non sustines. 2. Si potestas sanandi ægrotos per unctionem Apostolis Marc. VI. collata Ecclesiæ ordinaria non est, non igitur illa vel unctionem extremam, utpote in Ecclesia vestra ordinariam, probat, vel per eam hæc insinuatur. Ruit ergo & Maldonati argutatio, & Tridentinorum timidiuscula assertio.

OBIECT. II. *Jacobus Cap. V. 14. 15. jubet Presbyteros ecclesiæ orare supra infirmos, ungere eos oleo in nomine Domini. Additque promissionem, fore videlicet, ut suscitet ægrotantem Dominus, & siquidem peccata fecerit, ei remittantur. Ex eo loco constat mandatum, signum externum, unctio videlicet oleo peragenda, & promissio remissionis peccatorum. Etenim si non alia quàm miraculosa curationum gratia hic promissa esset, omnes homines eo tempore, advocatis Presbyteris immortales reddi potuissent.* Resp. 1. Eandem hîc describi unctionem, quæ apud Marcum, fatentur Cajetanus, Maldonatus, alii. Et patet id manifestè, quia eadem utrobique res, eadem rei causa, materia eadem, idem finis, idem denique effectum. Quòd si igitur illa apud Marcum descripta unctio sacramentalis non fuit, uti probat Bellarminus, & nos demonstravimus, quæ ratio est, cur hæc, cujus apud Jacobum mentio est, sacramentalis esse debeat? Parium par ratio, & sirempS lex est. 2. Unctio Jacobæa à Papistica extrema & sacramentali prorsus aliena est, tum quia illa ad corporis curationem referebatur, quippe in qua ἀσθενὴς ita est unctus, ut erigeretur, & pristinæ valetudini restitueretur; quod ipsum quoque ex verbis ἐγείρειν, ἰᾶσθαι, κάμνοντα σώζειν, quæ de sanitate corporis non possunt non intelligi, liquet: tum quia Jacobus peccatorum remissionem non absolutè, sed conditionatè, si videlicet peccatum aliquis commisisset, quod causa esset illius morbi, non unctioni, sed τῇ εὐχῇ τῆς πίστεως *orationi fideli* pollicetur; Papistæ autem peccatorum remissionem absolutè & curationem morborum conditionatè unctioni promittunt: tum quia Jacobus inungi jubet quosvis ἀσθενοῦντας *infirmos*, at Papistæ non inungunt nisi moribundos: tum quia Jacobus induci jubet plures Presbyteros, Papistæ verò non adhibent nisi unum Sacerdotem curatum: tum denique quia unctionis apud Jacobum memoratæ, seu potiùs unctionis illius fidelis finis absolutus erat curatio morbi, conditionatus remissio peccatorum, at Pa-

Digitized by Google

pistica unctio hunc ordinem invertit, & alium finem insuper comminiscitur, nempe ut æger spirituali auxilio muniatur adversus metum mortis. Pleraque hæc argumenta etiam Cajetanus *in cap.5. Jacobi* urget. 3. Extat sanè mandatum, extat signum, sed temporarium utrumque, quod duraret tantisper, dum charisma sanationum in ecclesia cessaret. Extat promissio remissionis peccatorum, sed nec absoluta, nec quorumlibet peccatorum. sed eorum duntaxat, quæ morbi peculiaris causa videri poterant, de quali peccato quærebant Apostoli Joh.IX. 3. nec facta unctioni, sed orationi fideli, nec si maximè facta esset unctioni, duratura ultra ipsum signum & mandatum, quod temporarium fuisse diximus. 4. Neque iccirco omnes homines tum temporis advocatis Presbyteris reddi immortales potuisse sequitur, si non alia quàm miraculosa curationum gratia absolutè promissa fuit. Etenim ipsi adversarii docent, remissioni peccatorum in Sacramento conferendo obicem poni posse. Cur igitur non etiam gratiæ curationis obex poni potuit, nimirum incredulitas ægrotantis, vel infirma fides Presbyterorum orantium? Neque promissio curationis ita absoluta fuit, ut quolibet tempore, & quoties vellent ii, qui donum sanationum habebant, se ejus efficacia exereret: Sed tum demum, cùm Spiritus, quo ducebantur, iis ut curationem tentarent, suggereret. Ita in primitiva Ecclesia, vigente dono sanationum, non tamen omnes immortales erant, ac ne ipsi quidem, qui sanabant.

EXCIP. REDING: 1. *Si eadem unctio apud Marcum & Jacobum intelligitur, ergo illa apud Marcum æquè ac illa apud Jacobum justificantem gratiam contulit.* 2. *Cùm peccatorum remissio absque forma justificante fieri nequeat, ea infirmi unctio, cui etiam conditionatè peccatorum remissio promissa est, efficaciam formæ justificantis conferendæ habuerit, adeóque Sacramentalis fuerit, oportet.* 3. *Eo ipso, quòd extrema unctio nostra fieri debet cum oratione fidei, cui ceu formæ, illi verò ceu materiæ per hanc determinandæ, salvatio & peccatorum remissio tribuitur; Sacramentalis illa unctio esse debet.* 4. *Jacobus per ἀσθενῆς infirmos non quosvis infirmos intelligit, sed, juxta proprietatem vocis Græcæ, eos, qui præ infirmitate deficiunt. Ita nos quoque non moribundos, sed in quibus extat morale mortis periculum, ungimus.* 5. *Presbyterorum S. Jacobus meminit, stylo Scripturæ, quo sæpe plurale pro singulari ponitur; & quia saltem ad preces plures concurrere possunt.* 6. *Unctioni absolutè salvatio, si non ponatur obex, promittitur. Si salvatio illa non aliud esset, quàm corporis sanitas, potuisset unctus quilibet non ponens ex sua parte obicem, se immortalem reddere. quod cum sententia Dei mortem peccatori denuntiantis pugnat. Ergo salvationis promissio absolutè potiùs salutem animæ, quàm corporis spectat.* 7. *Neque unctio à Jacobo præcepta ritus tantùm temporarius est, sed perpetuus, cùm præscripta sit indefinitè, & in Epistola ad fideles cujusvis temporis directa.* Ib. p. 549--551. Resp. 1. Inverte potiùs argumentum. Si eadem utrobique unctio intelligitur, Maldonato, Cajetano, fatentibus & argumentis meis astruentibus; sicut ergo unctio apud Marcum promissionem gratiæ justificantis non habuit, uti Bellarminus demonstravit:

ſtravit; ita nec unctio Jacobi eam habuit, vel Sacramentalis fuit. 2. Ineptè remiſſionem peccatorum formam juſtificantem, quam in habitu juſtitiæ collocatis, appellas, uti ſupra vidimus. Ineptiùs Sacramentum vocas, quod efficaciam remiſſionis peccatorum conferendæ habet. Sic enim ſanguis Chriſti, quod efficaciam illam præprimis conjunctam habet, Sacramentum foret. Denique ineptiſſimè efficaciam ejuſmodi tribuis unctioni, quæ ad curationem corporis propriè refertur, ad remiſſionem peccatorum, nec ſemper, & merè per accidens, ac vi orationis fidei potiùs, quàm cujuſquam ritus. 3. Orationem fidei formam eſſe Sacramenti unctionis, probandum tibi fuerat. Certè ab unctione non obſcurè diſtinguitur; & oratio intelligitur, non qualis in aliptico veſtro myſterio obtinet, ſed qualis in precibus privatis & Eccleſiaſticis Presbyterorum & fidelium omnium pro ægrotantibus funditur. Quid quæſo precibus hujuſmodi cum oratione veſtra aliptica, quam deprecativam & optativam eſſe, ipſi pernegatis? 4. S. Jacobus ſimpliciter dicit: *Ἀσθενεῖ τις. Infirmatur quis in vobis.* Eſt autem *ἀσθένεια*, finitore Heſychio, *ἀῤῥωστία ægritudo*, Suida *νόσος morbus* quilibet. Chryſoſtomus *in 2. Cor. homil. 29. Ἀσθένεια λέγεται ἡ τοῦ σώματος ἀῤῥωστία. Infirmitas vocatur corporis ægritudo.* Ita verbum hoc accipitur Matth. X. 28 XXV. 36. Marc. VI. 56. Luc. IV. 34. Reſpondet Hebræo חלה uti eſt Proverb XXII, 35. Quid verò multis? S. Jacobus ſimpliciter & in genere dicit: *Infirmatur quis*; non *infirmatur quis ad mortem*; & *Ἀσθενῶν* ei idem eſt, quod *κάμνοντα*, quod *laborantem, ægrotantem* quemvis ſignificat. Laborantes autem, & viribus corporis etiam deficientes quoſvis ex diſciplina veſtra ungere non ſoletis, ſed *exeuntes*, uti Tridentini loquuntur, adeóque moribundos. Hi enim exeunt. 5. Stylum Scripturæ affingis ex veſtro more, quo unus myſterio hoc defungi ſolet, non plures. Contra jam olim in Oriente plures, ſeptem ſcilicet, ſi eorum copia eſſet, ad hanc rem adhiberi ſolebant, certo indicio, quòd S. Jacobi mandatum non de uno, ſed de pluribus intellectum primitus fuerit. Apud vos autem unus non tantùm ungit, ſed etiam orat. 6. Neque immortalem reddi potuiſſe unquam, ſi *ſalvatio* ad corpus referatur, jam oſtendimus. Cur non reſpondes? Scilicet ad incitas redactus taces. Addo nunc, argumentum tuum in te etiam retorqueri poſſe. Si enim abſoluta eſt promiſſio, & ad animam præcipuè ac abſolutè refertur, aut ſemper ſic ſalvantur uncti, aut non ſemper. Si ſemper, nulli ergo niſi non uncti damnari poterant. Si non ſemper, ergo falſa erit Jacobi abſoluta promiſſio. Quod cùm fieri non poſſit, neceſſariò concludendum eſt, vel non eſſe illam Jacobi promiſſionem abſolutam, vel certè de animæ ſalute non eſſe intelligendam. Ipſe Bellarminus ſui oblitus, *cap* 8. verba illa, *Oratio fidei ſalvabit infirmum*, de corporis ſalute accipit. *S. Jacobus*, inquit, *breviſſimè omnes tres hujus Sacramenti effectus complectitur. At primò incipit à leviſſimo, id eſt, à ſanitate corporali, cùm ait: Oratio fidei ſalvabit infirmum.* 7. Denique perpetuitatem ritus inde probare non potes, quòd unctio præſcripta ſit indefinitè, & in Epiſtola ad quoſvis cujuſvis temporis fideles directa. Quid enim obſtat, quò minùs in eadem Epiſtola, eodem libro præcepta & perpetua & temporaria præſcribantur? Quomodo S. Paulus in ſuis ad Corinthios præcepta perpetua plura, & nonnulla temporaria, eáque indefinitè propoſita, veluti de prophetia, de habitu mulierum prophetantium; reliquit. Sed res ipſa loquitur. Unctio Jacobi, volente Deo, corporis ſanitatem reſtituit, uti comprobavimus. An veſtra unctio hodiéque id præſtat? Annon id magis medicina & preces Eccleſiæ præſtant?

OBIECT. III.

Digitized by Google

OBIECT. III. *Christus servis suis tum quovis tempore, tum inprimis eo, quo impendet in exitus vitæ, quóque adversarius omnes versutiæ suæ nervos, ad eos penitus à fiducia divinæ misericordiæ deturbandos, intendit, de salutaribus remediis adversus omnia hostium tela, prospectum voluit per Sacramenta. At nullum aliud Sacramentum ostendi potest, quo tanquam firmissimo præsidio finem vitæ muniverit, quàm extrema unctio.* Est argumentum Concilij. Et Bellarminus eodem usus ajt, *nullo modo credendum esse, defuisse nobis providentiam Dei in egressu & transitu ex hac vita in aliam.* Resp. 1. Argumentum à ratione humana petitum, citra expressam institutionem, quæ nulla ostendi potest, veri nominis Sacramentum minimè arguere potest. 2. Quæ verò hæc temeritas, DEI providentiam, & Christi pro fidelibus curam lacessere, si extremam unctionem, quæ tamen ex verbo DEI probari nequit, non instituerit? Sine aliptico hoc præsidio DEUS ecclesiæ suæ prospexit per quatuor millia annorum. Cur postea prospicere aliter quàm hoc subsidio unctionis non potuit? 3. Quomodo igitur infantibus, amentibus, supplicium capitis adeuntibus, Martyribus, in prælio violenter abreptis, in itinere, vel subitò etiam, antequam sacerdotis copia haberi potest, decedentibus DEI providentia & Christi cura succurrit? 4. Longè alia igitur præsidia sunt, quibus Deus finem vitæ fidelium munivit, nimirum Spiritus ejus, unctio in iis manens, verbum Dei solatiis refertissimum, armatura spiritualis, ad Eph. VI. descripta, solatium firmissimum in fœdere Dei, semel in baptismo, & toties in eucharistia obsignatum, &, verbo dicam, Jesus Christus pro nobis crucifixus.

EXCIP. REDING: 1. *Providentiam Divinam à Concilio lacessi, perfidè nimis statuis. Hoc unum illud asseris, sicut in aliis Sacramentis Deus vitæ hominum prospexit, sic in Sacramento unctionis clementer prospexisse fini vitæ. Bellarminus verò institutione jam probata, argumento à providentia Dei petito usus est. 2 Infantes & amentes per baptismum ante sanctificati Sacramento hoc non indigent. Facinorosi verò ad supplicium rapti infirmi non sunt. Denique alia media suppetunt iis, qui unctione sine culpa sua privantur.* Ib. pag 551 552. Resp. 1. Institutionem unctionis sacramentalis nec Concilium, nec Bellarminus probavit. Malè ergo probationem eam uterque supposuit: malè ratiociniis suis sine Dei verbo indulsit; & Dei providentiam, ac Christi pro infidelibus curam verissimè lacessivit. Quasi scilicet non instituto tali Sacramento nec Dei providentia, nec Christi pro fidelibus cura salva & integra esse potuisset. quæ quater mille annis sine aliptico hoc mysterio salva & integra esse potuit, etiamsi nec pauciores, nec minùs validi hostes exeuntes ex hac vita circumsteterint. Non defuit Deus veteribus, etiamsi nullum iis morientibus oleum illevit. Ergo nec nobis defuturus fuit, etiamsi nullos nobis morientibus aliptas dedisset. Hoc vobis objectum strenuè dissimulas. 2. De infantibus, amentibus, facinorosis &c. ineptè respondes. An enim morientibus illis vel non æquè Diabolus insidiatur, vel mors non æquè gravis est, vel trepidatio & pavor minor

nae oboritur, quàm infirmis quibusvis? An media illa, quæ non unctis juxta te sufficiunt, infirmis quibusvis sufficere nequeunt?

OBIECT. IV. *Unctionis, qua fit oleo, meminerunt Veteres, Clemens, Dionysius, Basilius, Origenes in Levit. homil. 2. Patres Niceni, qui Can. 69 olei infirmorum meminerunt, Chrysostomus de Sacerdot. ubi citato Jacobi loco ait, Sacerdotes condonandorum peccatorum potestatem habere; Innocentius epist. ad Decentium, ubi agnoscit fideles ægrotantes sancto oleo Chrismatis perungi posse; Eligius Novicomensis in appendice tom. IX. Augustini, ubi jubet ægrotantes oleum benedictum ab ecclesia petere; Beda histor. lib. V. ubi ait, ab Apostolis sumptum esse ecclesiæ morem, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato; Alcuinus, alii.* Resp. 1. Non Ecclesiæ testimonium vel consuetudo, sed divina institutio Sacramentum facit. 2. Cùm multiplex fuerit apud Veteres olei in sacris usus, puta in baptismo, sanatione ægrotantium, unctione cadaverum &c. clarum est, non probari Sacramentum unctionis ex iis Patribus, qui olei benedicti meminerunt. 3. Origenes pœnitentiæ, per quam remittantur peccata, applicat locum Jacobi, & unctionis talis meminit, quâ ungendus non ægrotans, sed peccator pœnitens quilibet, potest facere opera pœnitentiæ, in duris & laboriosis se exercet &c. Unde Estius fatetur, Origenem & Bedam unctionem ad aliud Sacramentum, nimirum absolutionis referre. 4. Concilii Niceni non sunt nisi 20 Canones genuini. Reliqui, adeóque etiam citatus 69. ab Isidoro Mercatore intrusi, & ab Hincmaro, paulò post Mercatoris tempora, repudiati sunt. 5. Chrysostomus commendat ex loco Jacobi orationis sacerdotalis efficaciam, neque de oleo quidquam in superioribus dixerat. 6. Innocentii epistola ad Decentium suspecta habetur ob argumenta, quæ contra ejus γνησιότητα affert Cl. Dallæus de *Extr. Unct. lib. II. 9.* Et differt illa unctio ab Innocentio memorata à Papistica. Nam & oleum illud, quo lini ægrotantes voluit, chrisma vocat: & ægrotantes quosvis, non moribundos duntaxat ungi voluit: & ut quisque fidelis se ipsum ungeret, permisit. Proinde de oleo loquitur, quo etiam laici extra Sacramentum uti queant. 7. Post VII. Seculum Eligius, Beda, Alcuinus meminerunt unctionis, sed diversissimæ quoque, nimirum quorumvis, non desperatè laborantium duntaxat, & ad sanitatem recuperandam, non ad moriendum comparatam. Nimirum cùm observarent in ecclesia ecclesiasticæ lucernæ oleum, & baptismi ac eucharistiæ symbola ad curanda interdum corpora adhiberi, & olei usus esset in baptismo, & conjuncta ei chrismatione ac cadaverum præparatione, & eos, qui dono sanationum pollebant, ægrotantes non sine successu inungere; factum est circa Seculum VII. ut primò apud paucos,

mox apud plures extraordinarium signum traheretur ad ordinarium usum, donec tandem, non ante Seculum VII. tamen, heterogenei effectus unctioni tribuerentur, & paulatim Sacramentum ex eo ritu exstrueretur. Differentias porro unctionis Papisticæ & illius, quæ Seculo VII. & secutis usitata erat, in fine, forma, suscipiente, modo, ordine, ministro, nomine ipso, Cl. Dallæus *de Extr. Unct. Lib. II. 18.* pandit.

EXCIP. REDINGII. 1. *Ecclesiæ consuetudo perpetua Divinæ institutioni testimonium præbet.* 2. *Origenes præter pœnitentiam & confessionem in Ecclesia impleri dicit, quod S. Jacobus de unctione olei præscribit.* 3. *Concilii Niceni Canones 80. ex Arabico translatos genuinos omnes esse, pluribus in editione Parisiensi argumentis confirmatur.* 4. *Chrysostomus loc. cit. perpetuam peccata remittendi potestatem Sacerdotibus collatam inde probat, quia unctione olei eos peccata remittere Jacobus testatur.* 5. *Innocentii Epistolam cur suspectam reddis, cùm ipse Calvinus Instit. lib. IV. 19:21. ex ea probare conetur, quòd extrema unctio ab Innocentio instituta sit? Quanquam is à Jacobo commendatam testatur. Chrisma verò quid aliud quàm unctionem sonat? Idem laicos posse uti unctione, eam recipiendo, non administrando, scribit.* 6. *Beda & Alcuinus de olei unctione à Jacobo præscripta loquuntur. Eorum proin ætate post septimum Seculum Apostolica traditio per manus Ecclesiæ accepta viguit.* Ib. pag. 552. 553. Resp. 1. Non quævis Ecclesiæ consuetudo Divinæ institutionis fidem facit. Plures enim antiquas consuetudines in Baptismi & S. Cœnæ usu receptas Papatus abolevit; quas proin Divinitus institutas esse non credidit. Neque quælibet consuetudo Divinitus etiam instituta perpetuum & ordinarium Ecclesiæ Sacramentum constituit. 2. Origenes *loc. cit.* disertè loquitur de pœnitentia, per quam ait peccata remitti, cùm peccator admissa cum dolore apud Dei ministrum confitetur, medicinam quærens; eo impleri affirmans, quod est apud Jacobum. Atqui apud vos extrema unctio pars pœnitentiæ nulla est. Sed & apud Origenem qui ungitur, potest facere & facit pœnitentiam; *peccata confitetur Sacerdoti Domini, lavat stratum suum lachrymis, in duris & laboriosis se exercet.* An in vestra quoque unctione isthæc obtinent? Nulla apud eundem infirmitatis corporalis, nedum desperati morbi mentio est. Hoc sibi Origenes voluit, unctionem à Jacobo præceptam fuisse typum & figuram quandam solatii, quod peccator à Dei ministro per pœnitentiam consequitur. In pœnitentia ergo impleri vult, quod de peccatore propriè & ad literam dixit Jacobus. De Estio à me citato nihil respondes. Is in 4. *Sent. dist. 23 §.* disertè scribit, *Origenem Jacobum interpretari de peccatis gravioribus, ad quæ remittenda opus sit ministerio clavium, & ita partem posteriorem à priori abstrahere, & ad aliud Sacramentum referre, videlicet absolutionis; idemque fecisse Bedam commentariis in Jacobum.* 3. Concilio Nicæno assutus Canon 69. monstrum est quicquid contra nitaris, in omni retro Ecclesia Græca & Latina inauditum; quæ illius Concilii Canones viginti constantissimè numeravit; donec Isidorus Mercator plures ei, pro consueta sua impudentia, affinxit. Sed id commentum paulò post Hincmarus solidis rationibus confixit. Ac ne ipsos quidem Arabes & Ægyptios plures quàm XX. Canones pro genuinis agnoscere, quicquid de Arabicis illis assumentis delirent alii. Celeb. Beveregius *Animadvers. ad Can. Orient. pag.* 212. demonstrat. Sed fuerit etiam Canon ille LXIX. γνήσιος. Meminit is *olei infirmorum*, eo tempore, quo quidam adhibita unctione & precatione à morbis corporalibus

adhuc

adhuc sanabantur. At extremam unctionem Sacramentum esse, non scisfit. Et hodie unctio illa à morbis corporalibus neutiquam sanat. 4. Chrysostomus nec ungendos morientes Christianos ait: nec unctionem eam Sacramentum esse dicit: nec denique vel de ægroto loquitur; sed eam tantùm vim, quam habeant preces Sacerdotis ad remissionem peccatorum, ex verbis Jacobi probat; & eadem ratione, qua Origenes & Beda, posteriora Jacobi verba de remissione peccatorum à prioribus divellit. 5. De Epistolæ Innocentianæ germanitate quicquid fiat, (non desunt tamen νοθείας argumenta speciosa satis) unctionem tamen ab ea memoratam plurimùm à vestra discrepare, probavi. Neque ἀποδείξεις tuæ solidæ sunt. Aliud vobis chrisma, aliud extrema unctio est. Innocentius autem chrisma, illud, quo baptizandi inungebantur, intelligit; & ad alium usum transfert. De laicis non loquitur; sed *fideles ægrotantes sancto oleo chrismatis perungi posse*, docet. At vos non quosvis *fideles ægrotantes*, sed periclitantes perungitis. Eosdem ægrotantes *languidos* etiam *omnes* Innocentius appellat. Denique cùm hodierna Romanorum unctio à solis Presbyteris vel Episcopis administrari possit, Innocentius contra sua illa *uti in sua, aut suorum necessitate inungendo* omnibus Christianis concedit. Quod frustra tu de iis, qui unctionem recipiunt, non qui conferunt, interpretaris. Si de unctione recepta, non collata loquitur, quorsum ille dicit, *non solis Sacerdotibus, sed omnibus Christianis ea uti licere, inungendo*, (non unctionem suscipiendo) Quasi verò quisquam putaverit, solis Sacerdotibus, & non fidelibus aliis unctionem recipere licuisse. Sed usus, quo ipsi laici ungere solebant, ante & post Innocentii tempora receptus erat. Nam & antea Procuratorem Evodiæ Severum unxisse, ex Tertulliano; & ipso Innocentii ævo Hipponensem virginem se ipsam unxisse, ex Augustino didicimus; & postea Seculo septimo morem fuisse, ut ægrotans fidelis accepto ab Ecclesia oleo benedicto, unde se ipsum ungeret, ex Eligio, & Sermonis de tempore apud Augustinum 205. authore constat. Unde Waldensis etiam *Tom. 2. de Sacram. cap. pen.* ex Innocentii verbis citatis concludit, *ubi deest Sacerdos, laico permitti, ut hoc Sacramentum infirmo administret.* Proin etiam ex relatione annalium Pontificiorum, Sigeberti Gemblacensis, Calvinus loco à te citato evincit, *Innocentium* (non unctionem instituisse, uti tu perfidè ei impingis; sed) *instituisse, ut non Presbyteri modò, sed omnes etiam Christiani oleo uterentur, in suam suorúmque necessitatem ungendo.* 6. Bedam & Alcuinum unctionis meminisse, non diffiteor. Sed extremæ, qualis à Tridentinis confirmata est, meminisse, id verò negavi, rationibus iis fretus, quas tu impugnare non potuisti. Et Beda quidem *hist. lib.5.* Jacobæam, & Apostolicam apud Marcum unctionem eandem fuisse, disertè asserit; quinimò eam non ægrotis duntaxat, sed energumenis etiam, neque à presbyteris duntaxat, sed quibusvis etiam Christianis, juxta Innocentii decretum, administrari consuêsse, scribit.

SESSIO XV.

Quæ eſt Quinta:

Sub Julio III. Pont. Max.

Celebrata die 25. Jan. A. 1552.

Decretum prorogationis Seſſionis.

Cùm ex eo, quod proximis Seſſionibus decretum fuit, ſancta hæc & univerſalis Synodus per hos dies accuratiſſimè diligentiſſiméque tractaverit ea, quæ ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, & ad Sacramentum ordinis ſpectant, ut hodierna Seſſione, quemadmodum Spiritus S. ſuggeſſiſſet, decreta de his rebus, & quatuor præterea articulo, ad ſanctiſſimum euchariſtiæ Sacramentum pertinentes, in hanc tandem Seſſionem dilatos publicaret, atque interim affuturos eſſe putaverit ad hoc Sacroſanctum Concilium eos, qui Proteſtantes ſe vocant, quorum cauſa eorum publicationem articulorum diſtulerat, & ut liberè, ac ſine cunctatione ulla huc venirent, fidem eis publicam, ſive ſalvum conductum conceſſerat: tamen, cùm illi nondum venerint, & eorum nomine ſupplicatum huic ſanctæ Synodo fuerit, ut publicatio, quæ hodierno die facienda fuerat, in ſequentem Seſſionem differatur, certa ſpe allata, affuturos eos eſſe omninò multò ante illam Seſſionem, ſalvo conductu amplioris formæ interim accepto: eadem ſancta Synodus in Spiritu S. legitimè congregata, iiſdem Legato & Nuntiis præſidentibus, nihil magis optans quàm ex præſtantiſſima nationa Germanica omnes de religione diſſenſiones & ſchiſmata tollere, ac ejus quieti, paci, otióque conſulere; parata ipſos ſi venerint, & humaniter excipere, & benignè audire; confidénſque, eos non fidei Catholicæ pertinaciter oppugnandæ, ſed veritatis cognoſcendæ ſtudio eſſe venturos; & ut Evangelicæ veritatis ſtudioſos decet, ſanctæ matris Eccleſiæ decretis ac diſciplinæ ad extremum eſſe acquieturos: Sequentem Seſſionem, ad edenda et publicanda ea, quæ ſupra commemorata ſunt, in diem feſtum S. Joſephi, qui erit die 19. menſis Martij, diſtulit, ut illi ſatis temporis & ſpatii habeant, non ſolùm ad veniendum, verùm etiam ad ea, quæ voluerint antequam is dies veniat, proponenda. Quibus, ut omnem cunctandi diutius cauſam adimat, fidem publicam, ſive ſalvum conductum ejus, qui recitabitur, tenoris & ſententiæ, libenter dat & concedit. Interea verò de Matrimonii Sacramento agendum, & de eo, præter ſuperiorum decretorum publicationem, definiendum eſſe eadem Seſſione ſtatuit & decernit, & proſequendam eſſe materiam reformationis.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA SESSIONIS XV.

ALtera post Sessionem XIV. die in generali congregatione decretum est, ut nova tractatio susciperetur de Missa. Designati igitur Patres, alii quidem qui articulos colligerent, argumentum videlicet futuræ disceptationis: alii verò, qui decreta conderent. Ita septem articuli propositi sunt, de quibus bis quotidie disputatum; & ex his confecta tredecim de Missa anathemata, quæ tamen hâc Sessione promulgata non sunt. Interea Legati Wirtembergici per Cardinalem Tridentinum Principis sui postulata, ut videlicet fide publicâ Theologis suis caveatur eo modo, quo in Basileensi Concilio Bohemis cautum est, & doctrina eorum scripto oblata excutiatur, donec Theologi advenerint, Legato Crescentio communicant. Utrumque postulatum Legatus cum indignatione rejicit, dictitans, neutiquam tolerandum *esse, ut vel ipsi, vel alij Protestantes doctrinam suam scripto offerant, multóque minùs, ut eam propugnare cogitent. Synodum quidem ad eos instituendos paratam esse, sed nunquam se induci posse, ut Patres ad eorum doctrinam recipiendam consentiantur. Quòd verò fidem publicam alia forma interponi cupiant, intolerabilem ipsi ecclesiæ, cui sic diffidant, facere injuriam, in qua vindicanda quivis fidelis mortem oppetere non dubitet.* Responsum tam præfractum Cardinalis Tridentinus Legatis Principis referre non ausus, aliquot dierum moram ipsis, donec ira ejus deferbuerit, suadet. Verùm postea id ipsum responsum Toletano Cæsaris Oratori perhibuit. Interim Legati Argentinenses adventant, qui Wirtembergicis juncti, per Pictavium alterum Cæsaris Oratorem, responsum solicitant. Sed Pictavius Cæsari, qui Protestantes promissis allexerat, rem totam aperit, qui mandat, ut usque ad Mauritii Saxoniæ Electoris Legatorum adventum cæteri humaniter tractentur, & spe potiundi voti lactentur. Interea Papa in festo Nativitatis XIV. Cardinales, Italos omnes, creat, causatus necessitatem, quòd Galliæ Rex Patriarcham se in Gallia creaturum minitetur, atque eam ad rem Cardinales Gallicæ Nationis, si numero suffragiorum non vincantur, operam suam navaturi sint. Atque misso Tridentum Faliscorum Episcopo Cardinali Crescentio, ut Patribus eam creationem muniendi sui causa, & ut habeat ministros à se uno pendentes, atque tanti amici spe Patres Pontificias partes alacriùs tuerentur, factam significet, & bellum Parmense excuset. Exacto Nativiatis festo congregatio habita est conficiendis dogmatis & anathematibus de Sacramento Ordinis, de quo Veronensis Nuncius ingenuè professus est, *ubique esse abusum aliquem emendationis indigentem, at hic esse abusum oceanum:*

ceanum. Ita anathemata octo,quibus variæ de Sacramento hoc Ordinis sententiæ hæreseos damnatæ,& quatuor doctrinæ capita sancita sunt,quæ eidem de Missa decreto juncta,sequente Sessione publicata haud sunt. Septimo post Januarii die, Mauritii Saxoniæ Electoris Legati Tridenti appellunt, & mandata sua,*ut videlicet fide, quâ in Concilio Basileensi Bohemis olim, sibi caveatur,expeterent, & Theologorum suorum præsentiam promitterent; si Concilium sit liberum,ante acta retractentur, Papa se ei submittat, Episcopis juramentum remittatur, & suffragari ipsis quoque Protestantibus liceat,* Cæsaris Oratoribus aperiunt, neglectis Legato Pontificio & Collegis ipsius. Cúmque Cæsaris Oratores Legatorum mandata ad Crescentium & socios referrent, illi indignatione pleni omnia illa postulata rejiciunt, *tantásque esse adversus sanctam Sedem impietates & blasphemias,ut centies mori malint, quàm tam indigna perferre*, regerunt. Id cùm Cæsar intelligeret,non parùm equidem commotus, Cardinali tamen Tridentino, & Oratoribus suis in mandatis dedit, ut ad conciliandum Legatum omnem lapidem moverent, ac primò precibus, dein verbis asperioribus uterentur,ut ad idoneum,quo utrisque satisfieret, temperamentum illum compellerent. Oratores Cæsaris Crescentium & collegas variè demulcent, ac eò tandem adducunt, ut consenserint,recipiendos esse Protestantium Legatos non in consessu, sed in congregatione publica, in ipsius ædibus, quò ita pro conventûs capite agnosceretur, habenda. Instant postea Oratores Cæsaris, ut ulteriori tractatione supersedeant Patres, donec Protestantium Theologi ipsi quoque adessent. Quibus Legatus, annitente Veronensi Nuncio,gratificatus est ea lege,si Præsules in Congregatione generali non refragentur. Ad generalem igitur congregationem relata sunt capita de dilatione, & salvi conductûs formula. Dilatio impetrata non magno negotio. De salvo conductu juxta formulam Basileensis Concilii concedendo disceptatum diu, tandémque formulam conscribendam,tribus Electoribus Ecclesiasticis,& Cardinale Madrucio Patres impellentibus, sancitur. Cúmque Petrus Tragliavia Archiepiscopus Panormitanus scrupulos moveret,de loco Legatis Protestantibus assignando,& an ipsi,ac Principes ipsorum honorificis titulis compellandi sint,eò quòd hæretici sint,& cum talibus nullum commercium habere liceat,nisi vel ad instituendum, vel ad condonandum,placuit,monente ita Episcopo Naumburgensi,suo loco eos collocari, & honorificis nominibus insigniri, sed prævia publica protestatione,quòd id fiat studio charitatis,& Zelo pietatis, quæ cunctis legibus sit potior. Hæc quidem difficili labore impetrata,Orator Cæsaris Pictavius Protestantium Legatis postea detegit,eos ad patientiam,facta spe majorum,hortatur, & fidei publicæ breviarium iis exhibet. Illud verò breviarium

viarium illi, utpote diverſum à Cautione, à Baſileenſi Concilio Bohemis conceſſa, cùm improbarent, & capita alia quatuor, puta 1. *ut decidendi quoque facultatem habeant.* 2. *Ut ſola ſcriptura judex ſit.* 3. *Ut domi ſua religionis ſua exercitio uti iis integrum ſit.* 4. *Ne quid in doctrina ipſorum contemptum interim fiat*; ei inſcribi expeterent, Legatus Creſcentius petitionis iniquitatem cauſatus, eam ad Patres retulit, qui in ſchedula cautionis ipſis exhibita nihil omnino immutandum decreverunt. Die 24. Januarii Legati Proteſtantium in generalem congregationem deducti ſunt, in qua cùm Patres proteſtationem de perſonis Proteſtantium ad Concilium venturis, eorum mandatis, locis, aliiſque præmiſiſſent, & in acta referri juſſiſſent, Badehornus Principis ſui Electoris Mauritii mandata gravi oratione expoſuit, Wirtembergici verò Principis ſui confeſſionem ſcripto comprehenſam Synodo exhibuerunt: Utrique denique Theologorum ſuorum jam iter ingreſſorum adventum, ſiquidem conditiones ratæ habeantur, promittunt. Utrique reſponſum nomine Synodi à Promotore ſuo tempore ſucceſſurum exſpectare juſſi ſunt. Ac tandem ſucceſſit die 25. Seſſio ipſa, in qua ab Epiſcopo Catanenſi decretum prorogandæ Seſſionis, & ſalvi conductûs forma prælecta ſunt.

NOTÆ

Ad Hiſtoriam & Decretum Seſſionis XV.

PRimò Legati Creſcentii ferox reſponſio per Cardinalem Tridentinum, & poſtea etiam Oratorem Toletanum Wirtembergicis Legatis perhibita, nigrum theta meretur. Ex ea nempe pertinacia, & ſupercilium Patrum illorum purpuratorum cognoſci poteſt. Negat Proteſtantes ad Synodum admitti poſſe, niſi diſcere & inſtitui cupiant. Perinde ac ſi ſapientia in ſcrinio pectoris purpuratorum illorum nata eſſet. Negat cautionis publicæ formam immutari poſſe, atque Proteſtantium eam in rem petitionem *intolerabilem eccleſiæ Chriſti injuriam*, pro qua vindicanda vel centies mori exoptet, interpretatur. Patet igitur, quale Concilium Proteſtantibus expectandum fuerit, nempe in quo ipſi ſubſellia puerorum diſcentium & plorantium occuparent, & ne quidem ſecuri de vita ſua commorari poſſent. *Secundò* tot Cardinalium, XIV. videlicet ſubita creatio, inſtituta eum in finem, ut Papa habeat *præſidia muniendi ſui cauſa, miniſtros à ſe uno pendentes*, argumento eſt, Pontificem non Dei auxilio, non bonitati cauſæ, ſed purpuratorum multitudini & potentiæ innixum eſſe, quod deſperatæ cauſæ certum indicium erat. *Tertiò* vox Veronenſis Nuncii, *in Sacramento*

mento Ordinis eſſe abuſuum Oceanum, tragicis etiam reliquorum Patrum exclamationibus confirmata, quæ in Seculum mittatur, digna eſt. Fidem ei faciet procedens noſtra tractatio. *Quartò* moroſitas Creſcentii iterum perſtringenda venit. Is vix precibus, minis, argumentis, quibus oſtendebat Toletanus, *unius animæ ſalutem adeò Chriſto charam eſſe, ut ad eam lucrifaciendam detrectaturus non ſit alteram mortem crucis*, quem proinde imitari ipſum deceat, compelli potuit, ut Proteſtantium legatos admittere, paucorum dierum moram indulgere, & ſalvi conductûs formulæ mutationem ad Patres referre dignaretur. Quid ſibi de tam iniquis hominibus noſtrates promitterent? *Quintò* Archiepiſcopi Panormitani ſcrupuli, an Proteſtantium Legati, utpote hæretici, honeſto loco collocandi, honorificiſque titulis compellandi ſint, & ſecuta de eo Patrum proteſtatio oſtendit, quo loco Proteſtantes fuerint infulatis his ſtatuis, nimirum damnatorum jam hæreticorum, monſtrorum, cum quibus nullum omnino habere commercium fas ſit. Cui bono igitur Concilium coactum fuit, ſi jam antè Proteſtantes condemnati, & in hæreticorum album relati fuerunt? Confer quæ eam in rem ſupra diximus. *Sextò* obſtinata tergiverſatio Legati & Patrum Concilii, in impertienda cautione tali, qualem olim Baſileenſe Concilium Bohemis gratificatum eſt, manifeſtum facit, haudquaquam iis curæ fuiſſe Concilium liberum & Chriſtianum, in quo S. Scriptura judicis officio fungatur, & æquo jure utantur omnes illi, quorum cauſa agebatur. *Septimò* denique Concilii ſervitutem prodit, quòd in admittendis Legatis, & tractandis, nihil non ex nutu, conſilio & oracolo Pontificis, cui omnia conſilia Legatus communicaverat, geſta ſunt. De quo vide Hiſtoricum libr. IV. pag. 336.

SESSIO XVI.

Quæ eſt VI. & ultima

Sub Julio III. Pont. Max.

Celebrata die 28. Apr. A. 1552.

Decretum ſuſpenſionis Concilii.

SAcroſancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu S. legitimè congregata, præſidentibus in ea Reverendiſſimis Dominis, Sebaſtiano Archiepiſcopo Sipontino & Aloyſio Epiſcopo Veronenſi, Apoſtolicis Nuntiis, tam eorum propriis, quàm Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini Marcelli, tit. S. Marcelli, ſanctæ Romana

manæ Ecclesiæ Cardinalis, Crescentij Legati, ob adversam ejus gravissimam valetudinem absentis, nomine, non dubitat, Christianis omnibus patere, hoc Concilium œcumenicum Tridentinum primò à Paulo fel. rec. convocatum & collectum fuisse; Deinde à Sanctissimo Domino Julio III. efflagitante Carolo V. Augustissimo Imperatore, ea præcipuè de causa fuisse restitutum, ut religionem in multis orbis partibus, & præsertim in Germania, in diversas opiniones miserabiliter distractam, in statum pristinum revocaret; abusus & mores Christianorum corruptissimos emendaret. Cùmque ad hoc agendum quam plurimi Patres, nullâ laborum suorum periculorúmque habitâ ratione, è diversis regionibus alacriter confluxissent; résque strenuè, magno fidelium concursu, feliciterque procederet, ac spes esset non levis, illos Germanos, qui eas novitates excitârant, in Concilium venturos sic animatos, ut veris Ecclesiæ rationibus unanimiter acquiescerent, lux denique quædam rebus affulsisse videretur: Capútque attollere inciperet profligata antea, & afflicta Respublica Christiana: ii repentè tumultus, ea bella hostis generis humani versutiâ exarserunt, ut Concilium velut hærere, ac suum cursum interrumpere satis incommodè cogeretur, spésque omnis ulterioris progressûs hoc in tempore tolleretur: tantúmque aberat, ut sancta Synodus Christianorum malis & incommodis mederetur, ut multorum mentes, præter sui animi sententiam, irritaret potiùs quàm placaret. Cùm igitur ipsa sancta Synodus omnia, & præcipuè Germaniam armis ardere & discordiis videret, omnes ferè Episcopos Germanos, præsertim Principes Electores, suis consultum Ecclesiis, è Concilio abiisse, decrevit tantæ necessitati non reluctari, & ad meliora tempora rejicere; ut Patres, quod eis nunc agere non licet, suis ovibus prospectum ad suas Ecclesias regredi valerent, ne diutiùs utrobique inutili otio conterantur. Atque ita, quoniam sic temporum conditio tulit, hujus Oecumenici Concilii Tridentini progressum per biennium suspendendum fore decernit, prout præsenti decreto suspendit: Eâ tamen lege, ut si citiùs pacata res sit, ac tranquillitas pristina revertatur, quod sperat Dei Optimi Maximi beneficio non longo fortè spatio futurum, ipsius Concilii progressus eodemmet tempore suam vim, firmitatem, vigorémque habere censeatur. Sin autem, quod Deus avertat, peracto biennio prædicta legitima impedimenta non fuerint submota, cùm primùm cessaverint, talis suspensio eo ipso sublata esse intelligatur, ac suus vigor & robur Concilio sit restitutum, & esse intelligatur sine alia nova Concilii convocatione, accedente ad hoc decretum consensu & auctoritate Sanctitatis suæ, & sanctæ sedis Apostolicæ. Interea tamen eadem sancta Synodus exhortatur omnes Principes Christianos, & omnes Prælatos, ut observent & respectivè, quatenus ad eos spectat, observare faciant in suis regnis, dominiis, & Ecclesiis omnia & singula, quæ per hoc sacrum Oecumenicum Concilium fuerunt hactenus statuta & decreta.

HISTORIA SESSIONIS XVI.

LEgati Cæſaris inter alia Proteſtantium Legatis ſpem fecerunt imminuendæ poteſtatis Pontificiæ, dictitantes, ſe ubi actioni Proteſtantium januam patefactam viderint, continuò ſecundas partes acturos. Id ipſum quoque Hiſpani Præſules agitaverunt. Id cùm intelligeret Papa, factus à Cæſare alienior, ad Galliæ Regem animum convertit, & Cardinali Turnonio Regis nomine tractanti, aures præbuit, bona ſpe fretus, fore ut ſic Concilium ultro diſſolveretur. Interim Legati Proteſtantium cautionis publicæ formulam non immutatam recipientes, urgent reſponſum Synodi ad ea, quæ propoſuerunt, & ſimul, quæ nuper petierant capita, formulæ inſeri poſtulant. At Pictavius Legatus Cæſaris, ut cautionis formulam ratam habeant, hortatur. *Nam decidendi facultatem prematurè illos expetere, quæ poſteà fortè per occaſionem tribui queat. Quoad S. Scripturam, neminem repugnare, quò minùs judex controverſiarum habeatur. Sed cùm de ejus interpretatione lis oritur, credendum eſſe Concilio. Scripturam enim eſſe rem inanimem atque mutam, ſicut etiam ſint reliquæ leges politicæ, judicis autem accommodandam ei vocem, ut rectè percipiatur. Eam Concilii eſſe vocem. Quò minùs verò domi ſua ſacra tractent, non prohiberi. Neque eſſe cur vereantur, ne quid in eorum religionem protervius fiat. Id enim severè prohibitum iri.* Quoad poſtulata autem illorum, ijdem Cæſaris Legati eos acquieſcere jubent. Etenim *actionem in eorum gratiam intermitti, & in aliud tempus produci. Vt autem decreta jam facta repetantur, orare, ne velint hanc tantam maculam inurere tot viris præſtantibus. Spondere ſe, cùm illuc venerint, de rebus omnibus auditum iri. Quòd Pontificem in ordinem redigi, & jus jurandum remitti velint, nihil poſſe à Patribus decerni, priusquam ad Pontificem referatur.* Multis invicem commutatis verbis, cùm hoc legati potiſſimùm urgerent, eos, qui litis alteram partem ſuſtinent, de re controverſa velle judicare, periniquum eſſe, tandem ita diſcedunt, *cautionis exemplum non aliâ ſe lege ſuſcipere, quàm ut ad Magiſtratum quisque ſuum mittant*, quod ipſum etiam effectum dedêre. Mox in generali congregatione de Sacramento Matrimonij themata 30. Theologis diſcutienda exhibita ſunt. Statuerant enim Patres, ſi fieri poſſet, una ſeſſione decreta de communione ſub utraque, miſſa, ordine, Matrimonio, & reliquis promulgare, atque ſic Concilio finem imponere. Confecti ſunt de Sacramento ordinis canones ſex. Cùm igitur Proteſtantes apud oratores Cæſaris quererentur, contra datam fidem, non expectatis Theologis ſuis, nova decreta procudi, illi quidem apud Legatum inſtabant, uti promiſſis ſtarent Patres, & deſiſterent ab ejuſmodi decretis, donec Theologi Proteſtantium adventaverint. Verùm adeò nihil impetratum, ut potius omnia

acce-

accelerarentur, quò Proteſtantes vel ab itinere Tridentum deſtinato deterrerentur, vel eò profecti, controverſiis jam omnibus deciſis, operam luderent. Idque proceſſiſſet haud dubiè, niſi Cæſar, Nuntio Tridentum miſſo, partim blanditiis, partim minis Patres eò adegiſſet, ut in generali congregatione decernerent abſtinere omnibus Concilii actionibus, ſed durante tantùm Synodi placito. Quo facto irritatus Papa Tridentinis ſtatim imperat, uti iſtam actionum Concilii ſuſpenſionem quàm poſſent pauciſſimis diebus continuarent. & ad tuendam Synodi dignitatem actiones intermiſſas, reſpectu omni ſepoſito, remitterent. Die 7. Febr. Ambroſius Pelargus, Electoris Trevirenſis Theologus Dominicanus, Evangelii locum illum explicans, qui eſt de zizania tritico permixta, tollendam eſſe zizaniam, hoc eſt, hæreticos, dicebat inter alia quocunque modo, ſi tamen abſque tritici detrimento fieri poſſit. Id ita delatum ad Proteſtantes, ac ſi dixiſſet, hæreticis non eſſe ſervandam fidem. De quo cùm querelam apud Cardinalem Tridentinum, & Cæſaris Legatos inſtituiſſet Mauritianus Legatus, Pelargus cauſam dicere juſſus profeſſus eſt, *in genere ſe locutum de hæreticis. Quòd ſi dixiſſet, ferro, laqueo, igni, & quâcunque ratione tollendos, id ipſum dicturum fuiſſe, quod Seſſione II. præcipitur.* Cepit inde occaſionem diſcedendi Elector Trevirenſis, cui jam cum Gallo ſecreta conſilia interceſſerant. Et creſcente belli Cæſarem inter & Gallum, & Confœderatos rumore, etiam Moguntinus & Colonienſis die 11. diſcedunt. Quos ſecuti etiam Mauritiani Legati ſibi metuentes, magno ſilentio Tridento abeunt, diverſis itineribus domum reverſi. Poſthac nihilominus quatuor Theologi Wirtembergici, in iiſque Brentius, & duo Argentinenſes Tridentum venerunt. Cum his Legati ejus Principis mox Cæſaris Oratores adeunt, orántque reſponſum Synodi ad poſtulata, & ut actio inchoetur. Legatus Pontificius reſpondet, inſtare diem 19. Martii Seſſioni Publicæ deſtinatum. De hoc rectè inſtituendo primam jam eſſe debere curam, deliberandúmque de tractationis ſuſcipiendæ modo. Eodem die in ædibus Legati deliberatum de Seſſione ad Calendas uſque Majas proroganda, & exceptus ſimul eſt Regis Luſitaniæ orator. Legati Wirtenbergici cùm viderent, nihil ad poſtulata ſua reſponderi, & confeſſionem doctrinæ à ſe exhibitam à Legato retineri, pauca exemplaria typis excuſa, quæ ſecum attulerant, diſtribuunt. Id factum Patres iniquo animo tulerunt, & peccatum in fidei publicæ leges interpretati ſunt, eò quòd illi, quibus idoneè cavetur, obligentur ad fugiendam omnem ejus offenſionem, qui cavit. Sed oratorum interventu tandem turbæ conſiluerunt. Denuo Proteſtantes actionis inchoationem obnixè petunt, & quamvis de jure ſuo remittentes in multis, & Patribus liberam optionem,

tionem , unde auſpicari velint , facientes , quin & Cæſaris oratoribus etiam adnitentibus , nihil tamen impetrârunt , Legato Pontificio ægritudinem præ ſe ferente,& Epiſcopis quidem Cæſareis, Hiſpanis, Neapolitanis & Siculis,ut actio procederet,urgentibus: Pontificijs verò omnes impedimentorum occaſiones conſectantibus, & ne procederet actio, objicientibus. Interea etiam Galliæ Rex cum Pontifice de pace diligenter agit, quæ ſi fieret , quoniam tunc in armis erat Gallus contra Cæſarem , dubium non erat , quin mox Concilium diſſolveretur. Sub finem Martii Proteſtantium Legati, datis ad Cæſaris oratorem literis, poſtulata ſua urgent,& de Franciſcani impia Concione,in qua tum in Lutherum quædam accerbè dixerat,tum gentilibus pijs ſalutem adjudicabat, querelas movent. Quas literas illi benignè recipiunt, & gaudere etiam dicunt,oblatam eſſe urgendi negotii occaſionem. Mox ubi nuntius de Auguſta jam per Mauritium capta, & Oeniponte obſidenda,occupandiſque per Alpes viarum clauſtris, Tridentum allatus eſt,Epiſcopi Itali perterriti ad navigia profugiunt, & ſecundo flumine Athesi Veronam petunt. His rebus commoti etiam Wirtenbergici , cùm jam ultro Concilium dilaberetur , oratores Cæſaris adeunt , & quam ob rem ipſi quoque cum Theologis ſuis domum redire cogitent, exponunt. Illi verò magnopere reſiſtunt , & ſe aſſentiri, niſi de Cæſaris voluntate poſſe negant. Verùm cùm nihil proficerent apud Legatos Proteſtantium,cauſas abitionis conſignatas ſibi literis tradi petunt, ut ad Cæſarem atque Patres excuſent. Id cùm feciſſent,die 8. Aprilis ipſi quoque cum Theologis diſcedunt. Cùm igitur pauci Epiſcopi remanſiſſent, & Legatus Creſcentius graviùs decumberet, Pontifex relictis Patribus poteſtatem dedit ſuſpendendi Concilium. Sic Patribus pleriſque placuit, etiam inſcio Cæſare,Concilium ad biennium uſque ſuſpendere. Quod ſuſpenſionis decretum die 28. Aprilis habita Seſſione XVI. à Nuntio Sipontino recitatum eſt. Placuit illud confeſtim Epiſcopis Italis. At Hiſpani numero duodecim negabant tantum inſtare periculum , ut Concilium etiam inſcio Cæſare,abſolutè ſuſpendendum ſit. Sed illis nequicquam proteſtantibus,Nuntius Sipontinus priùs Patribus bene precatus , ſingulis, quò vellent, abeundi poteſtatem fecit. Nuntiis ergo & Præſulibus Italis primùm diſcedentibus,Hiſpani & Oratores Cæſarei,elapſis aliquot diebus,ipſi quoque abeunt. Indignabatur autem non parum Curia Romana, quòd decreta præcedentia, nondum à Pontifice confirmata, Synodus Tridentina obſervanda in omnibus dominiis, & Eccleſiis injunxerit. Neque deerant,qui Patres decreto aſſentientes pœnam, *Canone omnes Diſt.22.* ſancitam incurriſſe clamitarent. Poſt paucos dies Cardinalis Creſcentius, Pontificius Legatus

(antea

Digitized by Google

(antea, videlicet die 25. Mart. cùm scribendis ad Pontificem literis ad multam usque noctem insudâsset, territus spectro canis atri, inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram prope demissis, ad ipsum rectà contendentis, deinde sub mensam delapsi) Veronæ mortuus est, postquam morti vicinus identidem suis acclamavit, ut canem, qui lectum conscenderet, arcerent. Atque ita Concilium denuo dissolutum die 28. Aprilis anni 1551. interruptum suspensúmque mansit, non per biennium duntaxat, sed per decem integros annos, nimirum inde usque ad 18. Januarii Anni 1562.

NOTÆ

Ad Historiam & Decretum Sessionis XVI.

PRimò Cæsareorum Legatorum molimina, Pontificem in ordinem redigere constituentium, testantur, quæ Cæsaris aliàs fortissimi & prudentissimi de Pontificia potestate sententia fuerit. Sleidanus *lib.* 23. ostendit, Oratores hoc inprimis intendisse, ut, quod ipsi cupiebant, per Protestantium Legatos efficerent. Id quidem tunc obscurè, at postea certò cognitum. *Secundò* argumentum pertinaciæ Synodi evidentissimum erat, quòd toties à Cæsareanis etiam interpellati Patres, nec ut idoneè caverent Protestantibus, nec ut ad propositionem Legatorum Protestantium responsum aliquod ederent, adduci potuerunt. Re infecta tandem discedere coacti sunt. Scilicet liberum hoc & Christianum Concilium erat, in quo pauci in Pontificis verba jurati, Christianos & zelo gloriæ Dei ardentes Principes adeò neglexerunt, ut ne responsione quidem eos dignarentur. *Tertiò* Pictavii Cæsarei oratoris vox, quòd Scriptura *sit res inanimis atque muta, eóque sicut reliquæ leges Politicæ, judicis voce animanda*, ex penetrali Theologiæ Pontificiæ petita, impietatis notam insignem meretur. Paulus enim scripturam vocat *ζῶντα λόγον sermonem viventem*, Hebr. IV. 12. *inspiratam à Deo* 2. Tim. III. 16. adeoque à Spiritu S. animatam. Illi non verentur dicere *rem inanimatam*, quod sanè apertam in Dei verbum blasphemiam spirat. *Quartò* Patres Concilii ad dogmata de matrimonio procudenda festinârunt contra datam Legatis Protestantium superiori Sessione fidem. Constituerant nempe præcipitatis, quæ residua erant, decretis, Synodo finem imponere, quò Protestantes vel ab itinere deterrerentur, vel adventantes operam luderent. Cúmque Cæsar precibus, quæ mixtæ minis erant, à Patribus impetrâsset, ut denuo promitterent *suspensionem actionum Concilii, pro ejus beneplacito*, Papa pro sua, quam in Concilium gerebat, dictatura, ut suspensionem quàm paucissimis

diebus continuarent, præcepit. Patet hinc, tum quam fidem Concilii & Pontificis sibi Protestantes polliceri habuerint tum quàm exigua ipsis Patribus constiterit libertas, tum denique quàm parùm curæ fuerit, ut Protestantes, quorum vel solam præsentiam reformidabant, legitimè in Concilio audirentur. *Quintò* Ambrosii Pelargi Dominicani seditiosa concio, quam ad fallendam hæreticis fidem comparatam esse fama erat, quámque ex decreto Sessionis II. quo Concilium congregatum statuitur *ad hæreticorum extinctionem*, defendere non dubitavit, argumentum præbet ejusdem Punicæ Patrum Concilii erga Protestantes fidei. *Sextò* quàm parùm publicæ fidei, Protestantibus à oncilio promissæ, tribuendum fuerit, probat Patrum quorundam, Legatos Wirtenbergicos, ob confessionis suæ exemplaria quædam excusa, & Tridenti distributa, fidei publicæ violatæ accusantium, dira vociferatio. Sic videlicet nunquam defuturi erant prætextus causandi violatam fidem, & animum vindictæ adversus Protestantes cupidum exsatiandi. *Septimò* & illud animadvertendum, quòd Theologi Protestantes Wirtenbergici quatuor, Argentinenses duo missi ad Concilium, nec suis, nec Legatorum Cæsareorum precibus, quamvis etiam non parum de jure suo concederent, impetrare potuerunt, ut in Concilio audirentur, & tractationis cum ipsis initium fieret. Quin re infectâ & prorsus inauditâ, discedere tandem Tridento coacti fuerunt. Ludicra igitur fuisse, quæ de Concilio legitimo instituendo jactaverant Bullæ, quis dubitare potest? Nam quòd *disputare cum hæreticis vanum & inutile fuisse*, adeóque à Patribus responsum tulisse hos Pseudotheologos, *disputandi locum non esse, & Sessionem instare*, regerit Scipio Henricus *Censur. pag.*68. planè frivolum est. Hoc enim inani prætextu perpetuo à Concilio arceri Protestantes poterant. Quin sibi ipsis egregiè contradixissent Patres, qui in salvi conductûs formula Protestantibus facultatem concesserunt *proponendi, loquendi unà cum Synodo, de quibuscunque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, & omnia quæcunque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet tam scripto quàm verbo liberè offerendi, cum iis, qui à Concilio delecti fuerint, disputandi Christianè &c.* An igitur tam subitò promissorum horum oblivio Patres incessit, an potiùs declarârunt hoc responso, se ad fidem Protestantibus datam adstringi minimè velle? Vanum etiam erat, quòd *Sessionem instare* tricabantur Patres. Nam eam à die 13. Martii ad Calendas Maji prorogare eo ipso, quo ita responsum erat, die, in generali congregatione placuit Patribus, *ob rerum gravitatem*, inquit Scipio, quasi videlicet magnæ molis fuisset, decreta prorogationum condere, & non potiùs opera danda fuisset, ut religionis disceptandæ negotium ritè procederet. *Octavò* suspensio Concilii à Pontifice, pro suo in Concilium imperio, suspensionis Bullam Tridentum missi-

Digitized by

missitante, mandata; & à potiore Patrum parte approbata est, eâ quidem lege, ut suspensio ea duret per biennium, quo exacto, remotisque impedimentis, robur pristinum Concilio, sine alia nova ejus convocatione restituatur. Sed intercesserunt ei suspensionis decreto Hispani numero duodecim, editâ contra illud Protestatione, in qua negabant, tantum esse, quantum causabantur illi, periculum. Hoc non obstante, discedentibus Nuntiis & reliquis Patribus, Concilium denuo solvitur, & per decem annos interruptum manet. Pericula equidem imminentia prætexuêre Patres. At constat, etiam ante belli cœpti rumorem, Episcopos Pontifici præ cæteris addictos, quòd tractationem Concilii in Curiæ Romanæ emendationem mox abituram metuerent, omnes impediendi & dissolvendi Concilii occasiones consectatos esse. Quòd si legitimi & Christiani Concilii cura insedisset animo Pontificis, cur non evanescentibus periculis, etiam sine *alia nova convocatione*, uti verba decreti sonant, statim Concilium restituit? Cur ad decimum usque annum extraxit? Si quicunque sufficeret prætextus, nunquam illi defuturi erant, adeò ut nunquam deinceps restitui debuerit. *Nonò* Patres inconsulto Pontifice, vel certè non allegato ejus consensu & authoritate, decreta in Concilio hucusque formata, firma rataque esse jubent. Etenim sub finem decreti hortantur *omnes Principes Christianos & omnes Prælatos, ut observent & respectivè, quatenus ad eos spectat, observare faciant in suis Regnis, Dominiis & Ecclesiis omnia & singula, quæ per hoc sacrum œcumenicum & generale Concilium fuerunt hactenus statuta & decreta.* Sic igitur exemplo suo probant jus confirmandi conciliaria decreta Pontifici haud competere. Excusare equidem se Patres Curiæ Romanæ ob id indignabundæ conati sunt eo colore, quòd *decretorum observationem non præcepissent, sed suasissent.* Atqui decretum non suadet Principibus, sed eos exhortatur, ut omnia, *quæ per hoc sacrum œcumenicum Concilium fuerunt hactenus statuta, observent, & observare faciant.* Si *observanda* fuerunt decreta, utique jam obligârunt, adeóque veræ legis vim habuerunt. *Decimò* denique Crescentii Pontificii Legati morbus ex terribili spectro, uti ipsius amici ac familiares, qui decumbentem consolati erant, referebant, obortus, atque mox secuta inde mors, non obscurum Divini digiti indicium fuit.

De quo tamen cogitare multa, quàm enunciare proclivius est.

Digitized by Google

INDEX IV.

Locorum Scripturæ, qui citantur, explicantur, objiciuntur & vindicantur.

Cap.	Verſ.	Pag.
	GENESIS.	
II.	17.	193
III.	1.	193
	8.	961
	15.	215.337.573
IV.	7.	298
V.	1--3.	193
VI.	5.	194.262.264
	6.	190
	9.	290.293.449
VIII.	21.	190
XV.	6.	373.375
XVII.	1.	449
	7.224.337.466.573. (672	
	10.	584
	12.	230
	14.	230
XVIII.	24.	1028
XXII.	18.	337
XXXVII.	35.	232
XLV.	5.	309.310.313
	8.	306
XLIX.	17.	407
L.	20.	306.309.310.313
	21.	306
	EXODUS.	
I.	17.	970
XII.	10.	832
XXV.	22.	872
XXXII.	34.	509
XXXIV.	7.	439

Cap.	Verſ.	Pag.
	LEVITICUS.	
VII.	15--17.	832
XXVI.	9.	672
	DEUTERONOMIUM.	
IV.	12.	120
VI.	13.	861
X.	16.	271
	20.	861
XII.	5.	849
	31.	630
XVII.	8.	17
	9.	43
	10.	666
	12.	43.666
XX.	16.	970
XXIX.	4.	295.308
XXX.	6.	281
	9.	438
	15.	299
XXXI.	19.20.	158
	24.	120
XXXII.	7.	120
	19.20.	158
	JOSUA.	
II.	13.	970
VI.	4.	849
	RUTH.	
I.	12.	396
	I. SAMUELIS.	
XIV.	6.	675

Xxxxxx Cap.

Cap.	Vers.	Pag.
	18.	849
XVI.	26.	675

II. SAMUELIS.

XI.	11.	849
XII.	7.	961
XVI.	10.	306
XXIV.	1.	306
	10.	961

I. REGUM.

XII.	28.	863
XIV.	9.	863
XXII.	23.	306

I. CHRONICORUM.

XIII.	1.	849

II. CHRONICORUM.

XVIII.	21.	308
XXIV.	20.	308
XXXIII.	12.	961

JOBUS.

I.	22.	491.492
IX.	2.	20.355.439
	3.	20.355
XIII.	15.	419
XV.	15.	439
XIX.	25.	419
XXVII.	6.	419

PSALMI.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	3.	470
II.	6.	407
	7.	132.133
	12.	393
III.	15.	449
V.	5.	308
VII.	9.	494
XVII.	21.	494
XIX.	13.	439
XXVI.	1.	494
XXXII.	1.2.	360
	6.	439
XXXIII.	2.	393
XXXVII.	23.24.	470
XXXIX.	8.	396
XL.	7.	864
XLIX.	8.9.	1012
LI.	12.	970
	19.	971
LXXVIII.	19.	467
	41.	285
LXXXVIII.	6.	293
XCVII.	1.	1028
XCIX.	5.	871
CIII.	3.8.	393
CXV.	3.	280
CXVIII.	17.	419
CXIX.	12.	513
	108.	514
CXXV.	2.4.	470
CXXX.	3.	355
	9.	439
CXXXII.	13.	849
CXLIII.	2.	439

PROVERBIA.

I.	7.	333
	23.24.	286
	28.	285
VIII.	15.	664
XVII.	15.	970
XX.	5.	417

Cap.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
	9.	439
XXIX.	25.	330
ECCLESIASTES.		
XI.	1.	417
CANTICUM.		
I.	4.	288
	15.	218
ESAIAS.		
I.	5.	306
	16.17.	1023
II.	22.	165
V.	4.	287
X.	5.	306
	7.8.	309
XXV.	24.25.	356
XXVI.	18.	335
XXVIII.	16.	373
XXIX.	13.	503
XXXIII.	22.	663
XXXVIII.	15.	979
XL.	6.7.8.	436
XLII.	25.	308
XLIII.	15.	1028
XLVI.	6.	961
XLIX.	4.6.	467
	21.	468
LIII.	10--12.	337.467
LIV.	10.11.	467
LV.	3.	672
LVI.	5.6.	547
LIX.	21.	157
LXIII.	3.	1012
	20.	285
LXIV.	6.	355.439.440.486

Cap.	Verſ.	Pag.
LXVI.	2.	961
	19.	608
	24.	232.239
JEREMIAS.		
II.	30.	308
III.	3.4.	271
V.	3.	308
	21.	295
X.	24.	295
XIII.	24.	290
XVI.	10.	295
XX.	7.	281.288
XXIII.	6.	356
XXXI.	18.	271.288.973
	33.	157.425
	39.40.	482
XXXII.	39.	671
XXXIII.	16.	356
EZECHIEL.		
XI.	19.	970
XII.	2.	287.295
XVIII.	23.	489
	24.	474.489
	27.	968
	31.	271
XXXIII.	11.	968
XXXVI.	26.	228.421.425.970
	27.	264.280.974
DANIEL.		
IV.	24.	422
IX.	6.	439
	7.8.	486
	17.18.19.	393
XII.	3.	547

Digitized by Google

Cap.	Vers.	Pag.
	HOSEAS.	
II.	19.	672
XI.	4.	281
	JOEL.	
II.	12.	422
	14.	961.1014
	AMOS.	
IV.	6.	308
	JONAS.	
III.	10.	983
	MICHEAS.	
VII.	18.	1028
	HABACUC.	
I.	12.	296
II.	4.	375
	ZACHARIAS.	
I.	3.	271
VII.	12.	285
IX.	11.	232
	MALACHIAS.	
I.	21.	237
	MATHÆUS.	
II.	7.	17.169
III.	2.	638
	6.	999
	7.8.11.	639
	12.	232
	45.	1024
IV.	10.	861
V.	4.6.8.	232
	16.	458
	19.	459
	20.	169
	46.	533
	48.	449
VI.	1.	533
	3.	392
	12.	361.507.1028
	22.23.	292.493
	33.	512
VII.	22.	503
VIII.	11.	232
	26.	392
IX.	10.12.	211
X.	4.	897
	16.	5
	28.	330
XI.	12.	642
	50.	447
XII.	31.	340
	47.	212
XIII.	11.	667
	18.	503
XIV.	31.	330.392
XV.	19.	1038
XVI.	2.3.	534
	6.	169
	18.	75.77.80.169
	19.	66.77.903
	24.	340
XVII.	26.	901
XVIII.	15.	989
	17.	44.45.62.65.168. (169.897.908
	18.	76.670
XIX.	14.15.	224
	17.	434
	21.	683

Cap.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
XX.	25.	18.48.81
	28.	337
XXI.	25.	639
XXII.	27.29.	444
XXIII.	8.10.	33.666
	33.	340
	37.	285
XXIV.	23 26.	761
XXV.	41.	232.239
XXVI.	11.	773
	28.	337.780
	29.	763.880
	37.	534
XXVIII.	10.	683
	19.	76.643.662.666.(674

MARCUS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	1--3.	638.642
	4.	639.673
V.	36.	384.392
VI.	13.	1055
IX.	44.	239
X.	42.	896
XIV.	28.	763
XVI.	15.16.	639 673

LUCAS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	28.	217
	47.	211
	68.	337
	77.	638
	79.	291
III.	3.4.	639
	8.	645.1024
V.	21.	1028
VI.	31.	533
VII.	30.	639
	47.	384.534
VIII.	50.	384.392
X.	3.	58
	10--14.	1043
	20.	425
XI.	14.	493
XII.	28.29.	392
	41.	899
XVI.	9.	513
	16.	642.643
XVII.	23.	762
XVIII.	19.	393
XXII.	20.	780
	23.	48.81
	25.	896
XXIV.	35.37.	787
	49.	703

JOHANNES.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	12.	262.393.513
	16.	353
	17.	578
	33.	338.639
III.	5.	227.231.599
	6.	263.290
	12.	600
	18.	319.393
IV.	2.	644
	24.	863
V.	27.	1029
	34--39.	163
	44.	502
VI.	40.	393
	44.	281.973
	35.51.	293.782
	61.62.	769

Digitized by Google

Cap.	Vers.	Pag.
	63.	768
VII.	19.	436
	39.	641.695
VIII.	32.	293.664
	34.	973
	44.	193.340
IX.	13.	339
X.	12.13.	513
	11.	337
	20.	674
	22.	138
	28.	470
XI.	1.2.	674
	42.	339
XII.	32.	281
	42.	502
XIII.	10.11.	340
	33.	773
	34.	462
XIV.	6.	578
	13.	768
	23.	449
XV.	5.	294.322
	13.	338
	16.	264.703
	29.	645
XVI.	8.	973
	13.	48.169
	23.24.	703
XVII.	6.	337
	9.19.	339
	12.	464
	16.	339
XVIII.	12.	340
XIX.	34.	564
	19.	787
XX.	21.	669.897.1043

Cap.	Vers.	Pag.
	23.	66.76.944.1038
XXI.	2.	75
	15.17.	62.66.76

ACTA APOSTOLORUM.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	5.	65
II.	3.	645
	16.	694
	17.33.	695
	23.	306.312
	38.39.	573.639.640.644
	42.	886
IV.	11.	1012
	12.	393
	27.	306.312
VII.	37.	454
	51.	285
	53.	436
VIII.	17--19.	703
	22.	422.464
IX.	5.	786.787
X.	4.	393
	13.	392
	24.	393
	48.	644.938
XIII.	31.	773
	38.	436
XV.	2.16.22.	28.29
	9.	377.392
	10.	436.448
	11.	393
	28.	45.46
XVII.	23.	325
XVIII.	24.	640
XIX.	2.	695
		45.639.642.645.695. (703

Cap.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
	18.	999
XX.	7.	886
	27.	123
	28.	66.76.904
XXII.	16.	639
XXIII.	1.	481
XXVI.	18.	393
	22.	123.231.938
	AD ROMAN.	
I.	1.	205.505
	17.	373
	18.	539
	19.	322
	21.	189.190.291.303
II.	4.5.	308
	14.	190.322.326
	15.	262
III.	3.	672
	21.	457
	22.	377
	24.	353.366.506.967
	28.	373.392
IV.	2.3.	356.375
	5.	273.377
	6.	657.967
	10.11.	573.584
	20.	392.406
	24.	375
V.	1.2.	582
	4.5.	365.411
	12.	392
	17.	353
	18.	342
	19.	366
VI.	3.	673
	5.	663

Cap.	Verſ.	Pag.
	6.	355
	12.	210
	13.	199
	17.	293
	19.	210
	20.	293
VII.	5.	292
	8.9.	330
	12.	210
	13.	196.199.320.330.439
	18.	196.320
	20.	355
VIII.	1.	977
	3.	436.446
	5.6.7.	294
	9.	403
	10.	206.353.355
	14.	273
	15.	513
	16.	513
	19.	1014
	24.	384
	29.	272.368.427.470
	30.	277.368
	32.	338
	33.	206.
	38.	407.419.427
	39.	427
IX.	7.	337
	16.	264
X.	10.	401
	13.14.	382
XI.	6.	353.435
	16.	214
	23.24.	264.291
	25.26.	158

Cap.

Digitized by Google

Cap.	Verf.	Pag.
	29.	473
	31.	343
XIII.	1.2.	48.81.663.900
	8.	449
XIV.	4.	657
	15.	350
	23.	319

I. CORINTH.

Cap.	Verf.	Pag.
I.	21.	704
	30.	356.358.1018
II.	5.	303
	12.	403.404.425.429
	14.	264.291.294.320
III.	10.	80
	12.	494
	21.	665
IV.	4.	420
	7.	264
	21.	906
V.	7.	576
	21.	370
VI.	12.	37
	20.	349
VII.	10.12.	666.667
	14.	224
	19.	579
	23.	37.665
	25.	666.685
	28.	491
	37.	301
IX.	26.	1013
X.	2.3.	565.573.576
	5.	534
	9.	453
	12.	434
	16.	766.781.791

Cap.	Verf.	Pag.
	17.	883
XI.	2.	129
	20--22.	860
	23.24.	633
	25.	885
	26.	767
	28.	884
	31.	1024
	34.	129
XIII.	2.	500
	10.	488
	14.	399
XIV.	29.	29
	34.35.	856
XV.	5.	426
	10.	300.539.544
	22.23.	344.345

II. CORINTH.

Cap.	Verf.	Pag.
I.	12.	426
	13.	120
	22.	403.468.607
	24.	37
III.	5.	273.294
IV.	2.	33
	6.	120
	13.	607
	16.	488
V.	15.	338.343
	20.	899
	21.	212.446
VI.	16.	657
VII.	1.	488.657
	11.	1024
IX.	4.	396
X.	2.	906
	5.	391.401

Cap.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.
XI.	5.	77.79
	17.	396
XII.	3.	544
	11.	77.79
	12.	906
XIII.	1.	906
	5.	408
	GALAT.	
I.	8.	120
II.	4.	77.375
	6.	79
	7.	77
	9.	83
	11.	375
III.	26.27.	662
IV.	6.	403
	9.	579
V.	1.	37
	19.	208
	23.	194
	EPHES.	
I.	7.	322
	13.	403
	14.	523
	19.	281
II.	3.	211.290.320
	5.6.	264
	8.	296.393
	9.	273.375
	10.	1020
	20.	80
III.	12.	400
IV.	4.	576
	7.	353
	11.	76.136
	18.	189
V.	5.	642
	25.26.	230.337.488.612
VI.	16.	393
	30.	403
	PHILIPP.	
I.	6.	539
	16.17.	612
	29.	264.280
II.	13.	264.280.296.421
III.	12.	488
	COLOSS.	
I.	24.25.	37
II.	11.12.	565.576
	14.	507
	16.	668.851
	20.	37.663
	23.	1014
III.	24	523
	I. THESSAL.	
I.	3.4.5.	431
II.	19.	544
V.	24.	421
	II. THESSAL.	
II.	5.	130
	10.11.	306.308
	13.	431
	15.	128
III.	2.	431
	I. TIMOTH.	
I.	5.	377.401
	9.	451.452
	15.	407

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	4.	896
	7.	343
	II. TIMOTH.	
I.	5.	401
II.	3.4.5.	187
	18.19.	428.429
III.	5.	477
	6.7.	989
IV.	8.	407.526
V.	16.	905
	TIT.	
I.	1.	428.431
	15.	322
III.	1.	900
	5.	206.230.612.673.(674
	HEBR.	
II.	9.	343
	10.	337.344.349
	30.	639
IV.	14.	899
V.	16.	899
VI.	3.4.	202.300.475.679.
	17.	580
VII.	18.19.	446
VIII.	10.	339
	12.	878
IX.	8.	580
X.	14.16.	339.506
	29.	349
XI.	1.	396.397
	6.	319.382.398
	8.9.	375
	39.40.	657
XII.	23.	1028

Cap.	Verſ.	Pag.
XIII.	7.	899
	17.	670.907
	20.	580
	JACOBI.	
I.	6.7.	331
	13.	308
	15.	206
II.	10.	489
	15.	500
	24.	375.385.542
	26.	497.499
III.	2.	199.439
IV.	12.	663.664.668.1028.
V.	14.15.	1057.1058
	16.	1001
	I. PETRI.	
I.	5.	674
II.	13.	900
III.	21.	578.588.642.673
V.	2.	37
	3.	81.896
	II. PETRI.	
I.	3.	657
	4.	538.657
II.	1.	348
	10.	81
	18.19.20.	477
	I. JOH.	
I.	8.	199.355.439.680
	9.	1001
II.	2.	680.967
	8.	462
III.	9.	468.469

Cap.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Pag.	Cap.	Verſ.	Pag.
	14.	389.408		APOC.	
	24.	408	II.	8.	967
IV.	13.	404.408		18.	403
	12.	449	III.	21.	544
V.	3.	448	V.	9.	340
	8.	564	VII.	4.14.	340
	10.	404	XIII.	8.	41
	12.	383		17.	605
	19.	408	XIV.	4.	549.547
	JUDÆ.			11.	605
			XXI.	14.	80
	6.	193	XXII.	11.	541
	9.	294		18.	120

INDEX V.

Authorum Ecclesiaſticorum, S. Conciliorum & Patrum, qui laudantur, vel vindicantur.

A

Ambroſius Damaſum Papam domus Dei rectorem inſignivit, 96. de conceptione B. Virginis quid ſenſerit? 214. 219. Ejuſdem ſententia de pœna peccati origin. 227. de timore Geheñæ, 336. de mortis Chriſti amplitudine, 344. de fide juſtificante, 379. 380. de certitudine Gratiæ, 403. de Baptiſmo Johannis, 640. de neceſſitate Baptiſmi, 659. de corporali præſentia Chriſti in Euchariſtia, 775. de conſecratione Euchariſtiæ, 792. de Tranſſubſtantiatione, 827. de adoratione hoſtiæ, 875. de tempore communionis ſacræ, 887. de Sacramento Pœnitentiæ, 951.

Anshelmi ſententia de conceptione B. Virginis, 215. 220. de meritis operum, 532.

Amphilochius de conceptione B. Virginis, 213.

Arelatenſe Concilium, vide *Concilium.*

Aretas de fundamento Eccleſiæ quid ſentiat? 81.

Athanaſius Scripturas vocat fideî primitias, anchoram & fulcrum, 126. ejus de libris Apocryphis ſententia. 140. de conceptione B. Virginis, 213. 219. de cauſa juſtificationis, 363.

Auguſtinus quid de capite Eccleſiæ ſen-

sentiat? 79. per Petram Christum intelligit, 80. Ejus sententia de Petri restitutione, 82. de Scripturæ perfectione, 126. de Traditionibus, 135. 2. librum Machabæorum ex catalogo Canonicorum expunxit, 142. de S.Scripturæ interpretatione, 163. de peccati originalis essentia quid senserit? 191.b. vindicatur, 191. 192. ejus causam deficientem vocat, 193 concupiscentiam peccatum dicit, 200. de peccato originali B. Virginis, 210. omnibus hominibus sanctis, excepto Christo, orandum fuisse, *Dimitte nobis debita nostra*, 212. 219. ejus de loco Gen. III. 15. sententia, 215. Vindicatur ejus sententia de peccato orig. 219. 220. ejusdem de pœna peccati sententia, 222. 234. de Gratia præveniente & libero arbitrio, 268. 269. 270. de Gratiæ convertentis efficacia, 282. 283. 284. vindicatur, 287. 289. de liberi arbitrii viribus, 394. de voluntate hominis à Deo mota, 297. ejus de Dei circa malum providentia & decreto doctrina, 310. 311. vindicatur, 313. de operibus irregenitorum, 319. 320. 321. vindicatur, 323. de timore Gehennæ, 332. de mortis Christi amplitudine, 347. 348. Justificationem in remissione & non imputatione peccatorum consistere docet, 363. de fide justificante quid? 378. 379. 386. de certitudine Gratiæ, 403. 413. &c. de certitudine Prædestinationis, 429. de lucta carnis contra Spiritum, 444. de dilectionis imperfectione, 446. de Christo Legislatore, 455. de perseverantia Sanctorum, 446. Vindicatur, 465. 469. 471. 479. Ejus de loco Esaj. LXIV. 6. sententia explicatur, 486. de bonorum operum imperfectione, 488. 490. explicatur & vindicatut, 492. de fidei & charitatis nexu, 497. 515. de opere ex intuitu mercedis, 515. de stipendio peccati, 524. de meritis operum, 531. Ejus definitio Sacramenti, 562. de percusso Christi latere, 564. à Calvino vindicatur, de numero Sacramentorum, 567. Circumcisio quomodo sigillum justitiæ fidei fuerit, 575. de Sacramenti efficacia, 598. Baptismum vocat characterem, 603. explicatur & vindicatur, 610, de intentione Sacramentali, 619. verba qualia sint signa? 624. de ceremoniis Sacramentalibus, 628. 629. de Baptismi ceremoniis, 653. de necessitate Baptismi, 656. æquo incautiùs locutus, 658. de Baptismi efficacia, 676. Vindicatur, 677. Explicatur, 678. 681. de Chrismatis Sacramento, 710. quomodo Christus corpus suum erogaverit? 770. Christum manu teneri negat, 776. Vindicatur, 785. Corporis natura in quo consistat, 789. 808. de Sacramentorum similitudine cum rebus signatis, 879. 826. 829. de tempore Communionis sacræ, 888. de jurisdictione Ecclesiastica, 912. de Sacramento pœnitentiæ, 949. 951. de pœnæ peccati & culpæ duratione, 1015.

1015. tegere peccata quid sit? 1017.
Aurelianum Concilium, *Vide Concilium.*

B

Barlaamus Hierosolymitanum Romano Episcopo præfert. 84. de Operibus irregenitorum quid senserit? 323.
Basilius M. de Traditionibus quid sentiat? 126. 135. Vindicatur, 136. de Conceptione B. Mariæ, 213. Ejus Liturgia, 219. de Operibus irregenitorum quid sentiat? 323. de fide justificante, 380. de certitudine gratiæ, 403. de meritis operum, 413. 520. de Baptismo Johannis, 640. de corporis Christi reali præsentia in Eucharistia, 775. 776. de Confessione secreta, 1006. Vindicatur & explicatur, 1007.
Beda de certitudine prædestinationis, 428. de Transsubstantiatione quid sentiat? 828. de confessione secreta, 1000. de extrema unctione, 1061.
Bernhardus de conceptione B. Mariæ quid sentiat? 213. fundamentum festi Conceptionis B. Mariæ verum notavit, 220. Solam aliquando sufficere fidem ad salutem, 226. de Baptismi necessitate, 228. de libero arbitrio, 296. de fide justificante, 380. de certitudine gratiæ, 413. de meritis operum, 524. amplè, 532. de necessitate Baptismi, 657. de jurisdictione Ecclesiastica ad Papam Eugenium, 902.

C

Cabilonense Concilium. *Vide Concilium.*
Carthaginense Concilium. *Vide Concilium.*
Chalcedonense Concilium. *Vide Concilium.*
Chrysostomus quid de præsidio Petri in Concilio Hierosolymitano sentiat? 79. de traditionibus, 129. 135. 136. Explicatur, quomodo multa sine literis Apostolos instituisse dixerit, 136. B. Mariam peccati arguit, 213. de libris Apocryphis, 139. Ejusdem Liturgia, 219. Verba Genes. IV. 7. de Caino, non de peccato interpretatus est, 299. de operibus irregenitorum, 323. de mortis Christi amplitudine, 344. 346. de causa justificationis, 363. de fide justificante. 380. de certitudine Gratiæ, 403. de certitudine prædestinationis, 429. fidei charisma à fide fidelium communi distinguit, 501. de stipendio peccati quid sentiat? 530. de numero Sacramentorum, 568. de præsentia corporis Christi in Eucharistia, 775. de adoratione Eucharistiæ quid sentiat? 875. Eremitis communionis intermissæ culpam impingit, 886. de jurisdictione Ecclesiastica, 901. 902. per τὰς πράξεις fidelium quid intelligat? 999. de satisfactionibus humanis, 1016. 1025.
Clemens Alexandrinus de Canone scipturæ & libris Apocryphis, 139. de timore Gehennæ, 336.
Clemens Romanus de libris Canonicis

cis Scripturæ,140. de circumgestatione Eucharistiæ, 843. 844. ejus παραφόρα quid? 844.

CONCILIUM

Arelatense,quid definiverit de recipiendis in Ecclesiam baptizatis?702.

Aurelianense III.de electione Episcoporum, 92. Sacramentum Confirmationis instituisse creditur,702.

Basileense. In eo Presbyteri Bohemi suffragati sunt,20.30.

Constantiense.Wiclefum damnat,24.

Cabilonense quid de Sacramento confirmationis? 708.

Carthaginense,de libris Canonicis & Apocryphis, 147. Baptismum & manuum impositionem Sacramenta vocat,707.

Chalcedonense an Ecclesiæ Romanæ primatum agnoscat? 93.

Constantinopolitanum II.suum EpiscopumOecumenicum dixit,93.95.

Eliberitanum de manuum impositione baptizatis conferenda.701.702.

Florentinum de libris Apocryphis quid? 147.septenarium sacramentorum numerum confirmat, 566. formulam Chrismatis præscripsit, 696.697. 703. Transsubstantiationis dogma noluit definire, 816.Illi non interfuerunt Græci, 819. de panis transmutatione disputat, ibid.

Hierosolymitanum Petrum non habuit Præsidem,79.

Laodicenum libros Canonicos ab Apocryphis discernit, 141. vindicatur, 147.

Lateranense primùm Transsubstantiationis dogma sanxit,778.815.816.

Meldense instituit Confirmationis sacramentum,565.690.

Milevitanum omnes homines peccatores esse asserit,212.

Moguntinum Confirmationis materiam imutatam esse queritur,692.

Neocæsariense Oecumenicum non fuit,40.Erravit, 41.

Nicenum I. sanxit rebaptizandos hæreticos, & prohibuit ἀναστρέφεσθαι iis,qui cingulum abjecerunt,40.In magna nobis etiam veneratione est in iis,quæ fidem concernunt,41. de constitutione Episcoporum quid? 92. Romanæ Ecclesiæ primatum non agnoscit,93.94. de asservatione Eucharistiæ quid? 842. 843.

Nicenum II. erravit,40. Conciliabulum fuit,41. Patriarcham Oecumenicum vocat Episcopum Romanum,95.

Romanum adversus Berengarium habitum est,827.

Sardicense non fuit Oecumenicum, 88.

Viennense Festum corporis Christi sanxit,851.

C

Cyprianus omnes Apostolos pari honoris & potestatis consortio præditos fuisse docuit,79. quas Ecclesias Apostolicas nuncupârit? 84. se Papæ Stephani definitioni opposuit,86. De Romanæ Ecclesiæ primatuquid?96.quo sensu eam vocet

Digitized by Google

Cathedram Petri? 97. Tractatus de operibus Chriſti cardinalibus, ejus non eſt. 219. de certitudine gratiæ, 413. de perſeverantia ſanctorum, 472. de ablutione pedum aliiſque ritibus, 653. de Confirmationis Sacramento quid? 707, Manuum impoſitionem Sacramentum vocat, 708. de aſſervatione Euchariſtiæ, 843. de juriſdictione Eccleſiaſtica, 902. 903. de Satisfactionibus publicis, 1004. Ejus exomologeſis nihil privatæ diſciplinæ Pontificorum patrocinatur, 1007. quomodo delicta ſatisfactionibus redimenda dixerit? 1025. 1027.

Cyrillus Alexandrinus quid de loco Gen. IV. 7. ſenſerit? 299. de cauſa juſtificationis, 362. de numero Sacramentorum, 567. de Confirmatione non tanquam Sacramento agit, 701. de Satisfationibus humanis, 1017.

Cyrillus Hieroſolymitanus de Petri reſtitutione triplici interrogatione. 82. fruſtra citatur pro aſtruenda abſoluta Baptiſmi neceſſitate, 228. de cauſa juſtificationis, 362. de certitudine fidei, 413. de Sacramentorum numero, 567. de adoratione Euchariſtiæ, 877. de Satisfactionibus humanis, 1016.

D

Damaſcenus de conceptione B. Virginis, 215. 219. de fidei fiducia, 400.

Dionyſius *Areopagita* præmia κατ' ἀξίαν diſtribui dixit, 520. ejus de numero Sacramentorum ſententia, 567. Sacerdotales ordines à Sacramentis diſtinguit, 568. De Baptiſmi ceremoniis, 651. ſuppoſitia ejus ſcripta, ibid. uti ſunt libri de Eccleſiæ Hierarchia, 708. idem oſtenditur fuſiùs, 709. Euchariſtiam non adorat, 875. idem oſtenditur, 876. 876.

E

Eliberitanum Concilium. *Vide Concilium.*

Epiphanius de libris Apocryphis, 141. de mortis Chriſti amplitudine, 344. de charactere ſacramentali, 608. Circumciſionem cum Baptiſmo comparat, ibid. de tranſſubſtantiatione quid ſenſerit? 826. 827.

Evagrius de indictione Concilii Epheſini per Theodoſ. juniorem, 20. de ſuffragantibus in Concilio, 30. de præſide Concilii, 56. de Synodi Chalcedonenſis confirmatione, 90.

Euſebius Cæſarienſis de ſuffragantibus in Concilio Epiſcopis. 35. Præſidem in Concilio Nicæno Conſtantinum M. tradit, 55. de capite Eccleſiæ, 78. omnes Epiſcopos, nec ſolum Romanum Concilia confirmaſſe, dicit. 90. de libris Apocryphis, 141. de Confirmationis Sacramento, 700. ejus ſententia non patrocinatur Tranſſubſtantiationis errori, 826. nec aſſervationi Euchariſtiæ, 841.

F

Florentinum Concilium. *Vide Concilium.*

Ful-

Fulgentius de pœna peccati Originalis, 237. de loco Matth. XXIII.37. de gratiæ convertentis efficacia, 286. 287. de pane & calice in Eucharistia, 828.

G

Gaza *Theodorus*, de scriptis adulterinis Dionysii Areopagitæ, 709.

Gelasius Papa, ejus de asservatione Eucharistiæ sententia, 834. de jurisdictione Ecclesiastica, 898.

Gennadius fidei charisma à fide fidelibus omnibus communi distinguit, 501.

Gregorius Magnus titulum universalis Episcopi damnat, 72. Petrum non studio, sed infirmitate peccasse docet, 479. ejusdem de bonorum operum imperfectione sententia, 490. de jurisdictione ecclesiastica, 912.913.

Gregorius Nazianzenus. Vide *Nazianzenus*.

Gregorius Nyssenus. Vide *Nyssenum*.

H

Hesychius Hierosolymitanus reliquias panis eucharistici suo tempore crematas fuisse, tradit, 834.

Hieronymus de Petri primatu, 79. Damasum vocat Pastorem, 96. non tamen universalem Ecclesiæ Pastorem vel Episcopum, 97. de Scripturæ authoritate, 126. de libris Canonicis & Apocryphis, 139.140. Primum Machabæorum vocat *Pastorem* 148, Ejus commentarii in Psalmos genuini non sunt, 219 ejus de loco Gen. IV. 7. sensus, 299. de operibus irregenitorum, 323. de causa justificationis, 363. de certitudine gratiæ, 403. de certitudine perseverantiæ, 428.429. de possibilitate implendi legem, 442. negat absolutè, 444. difficiliùs arrogantia, quàm auro & gemmis nos carere dixit, 529. de operum meritis, 531. quo sensu pœnitentiam secundam post naufragium tabulam dixerit? 682. de Confirmatione & manuum impositione, 710. de jurisdictione Ecclesiastica, 901. de satisfactionibus humanis 1017, 1025.

Hilarius de libris Canonicis & Apocryphis, 139. de conceptione B. Mariæ in peccato Originali, 213. de fide justificante, 379.380. de Confessione secreta, 1007.

I

Ignatius de Ecclesiæ Romanæ primatu, 95.96. de meritis operum, 520.

Irenæus de Ecclesiæ Romanæ primatu, 95.96. de traditionibus, 122. de libris Apocryphis, 139. de conceptione B. Mariæ, 213. ejus de Marci Archihæretici poculum sacrum magicè consecrantis impostura testimonium 776.777. de Transsubstantiatione quid senserit? 879. de Eucharistiæ asservatione, 841. Confessionis secretæ nullam facit mentionem, 1004. quid per exomologesin intellexerit? 1006.

Isidorus Hispalensis qualem dederit Sacramenti definitionem? 562.

Isidorus Pelusiota de efficacia Sacramenti Baptismi, 676.

Julius

Digitized by Google

Julius Africanus de libris Apocryphis, 149.

Justinus Martyr Baptismi necessitatem absolutam non docet, 228. ejus de causa justificationis sententia, 362. de numero Sacramentorum, 567. de Baptismi ceremoniis, 650. Sacra signa in Eucharistia vocat alimenta, quibus carnes nostræ nutriantur & augeantur, 826. 828. de asservatione Eucharistiæ, 841. de remissione peccatorum gratuita, 1016. Satisfactiones humanas non asseruit, 1025. vindicatur & explicatur, 1027.

L

Lactantius quid de confessione sentiat? 1004. 1006. explicatur, 1007.

Laodicenun Concilium. *Vide Concilium.*

Lateranense Concilium. *Vide Concilium.*

Leo Magnus quid de mortis Christi amplitudine sentiat? 344. de Perseverantia Sanctorum, 479. de Baptismi ceremoniis, 649.

M

Macarius de capite Ecclesiæ, 84. 88.

Martialis Baptismi absolutam necessitatem non asseruit, 228.

Meldense Concilium. *Vide Concilium.*

Melito Sardicensis de libris Apocryphis, 140.

Milevitanum Concilium. *Vide Concilium.*

Minutius Felix securitatem futuræ felicitatis, Christianæ professionis symbolum prædicat, 413.

Moguntinum Concilium. *Vide Concilium.*

N

Nazianzenus *Gregor.* de fide justificante, 380. de Chrismatione baptizatorum, 701. Hostiæ in Eucharistia adorationem nescivit. 875. à jurisdictione Ecclesiastica abhorruit, 901.

Nicenum Concilium. *Vide Concilium.*

Nicephorus de Julii I. epistola ad Orientales, 25. de Episcopis assensu suo Concilia firmantibus, 90. de Athanasii adhuc pueri baptismo, 619. de hostiæ asservatione, 834. de hostiis residuis pueris dari solitis, 836.

Nilus Thessalonicensis, de jure convocandi concilia, 19. de primatu Ecclesiæ Romanæ, 84.

Nyssenus *Gregor.* de peccato originali irregenitorum in Oratione contra Clinicos, 202. de conceptione B. Mariæ in peccato orig. 213. de numero Sacramentorum, 567. de Efficacia Sacramentorum, 587. quid per μεταστοιχειώσεως intellexerit? 818. Confessionem laudat, sed non ut Sacramentum, 1004.

O

Oecumenius de fidei & charitatis nexu, 501.

Origenes quo sensu quemvis fidelem petram appellet? 80. de conceptione B. Mariæ, 219. an Baptismi absolutam necessitatem statuerit? 228. de fide justificante, 279. 380. de meritis operum, 520. de unctione & ma-

manuum impositione, 700. quid de signis in Eucharistia sentiat? 826. 828. Opus 10. *homiliarum de diversis* non ipsius est, 875. ut & Homiliæ in Psalmos, 1005. explicatur, 1007.

P

Photius de Præside Concilii, 56. de Latinis conqueritur, est, quòd Symbolum adulterârint, 112. quam differentiam gratiam inter & opus statuat? 531. de Baptismo Johannis, 641. Scripta Areopagitica aspernari videtur, 709.

Primasius de fide justificante, 381. quo modo conciliaverit Apostolos Paulum & Jacobum de causa justificationis, 386.

Prosper de indictione Concilii Ephesini, 20. de mortis Christi amplitudine, 234. 344. 346. de loco Gen. IV. 7. de Dei circa malum providentia & decreto, 310. de Operibus irregenitorum, 324. de conversione hominis per Spiritum S. 974.

R

Romanum Concilium. *Vide Concilium.*

Ruffinus, de indictione Concilii, 20. de Episcoporum potestate in Concilio, 30. de Hosio Concilii Niceni præside, 56. de Concilii Niceni canone VI. 93. de Athanasii pueri adhuc baptismo per ludicram imitationem celebrato, 619.

S

Sedulius de B. Mariæ conceptione, 219. de fide justificante, 381.

Socrates de Julii I. epistola ad Orientales, 25. de suffragantibus in Concilio, 30. de præside Concilii, 55. 56. de Alexandri M. animæ in Julianum apostatam immigratione 82. de Episcopis assensu Concilia firmantibus, 90. de Nectarii Episcopi Constantinop. facto, 995.

Sophronius de Mariæ conceptione, 219.

Sozomenus de indictione Concilii, 23. de Julii I. epistola ad Orientales, 25. ejus de Valentiniano testimonium, 29. de Episcopis assensu suo concilia firmantibus, 90. de libris Apocryphis, 149. de Athanasii adhuc pueri ludicro baptismo, 619. de Nectarii Episcopi Constantinopolit. facto, 995.

T

Tertullianus quas Ecclesias Apostolorum Cathedras appellarit, 84. de traditionibus, 126. de libris Apocryphis, 139. de pœna peccati Originalis, 228. de timore Gehennæ, 536. de Perseverantia Sanctorum, 471. de ceremoniis Baptismi, 651. de Sacramento Confirmationis, 700. de Transsubstantiatione, seu de signis sacris in Eucharistia, 826. 829. de asservatione Eucharistiæ, 843. de partibus Pœnitentiæ, 965. de Confessione auriculari, 1004. de satisfactionibus humanis, 1015. 1025.

Theodoretus de indictione Concilii, 20. de præside Concilii, 56. de Capite Ecclesiæ, 89. 93. de traditionibus, 129. de libris Canonicis & Apocry-

Digitized by Google

pocryphis,138. de fide justificante, 380. de meritis Operum,530. de efficacia Baptismi,676. de Transsubstantiatione,819.827.
Theophylactus de conceptione B. Mariæ, 213. de fide justificante, 381. de certitudine gratiæ, 413. de fidei & charitatis nexu, 501.
Tridentinum Concilium. *Vide Indicem Rerum.*

V

Victor Antiochenus de pœna peccati originalis,240.
Viennense Concilium. *Vide Concilium.*

INDEX VI.

Authorum Ecclesiasticorum & profanorum, qui citantur, laudantur, notantur, vel explicantur.

A

Abbotius Robertus,465.
Abenezra,225.
Abulensis,147.
Adrianus de Trajectu Papa,486.
Æneas Sylvius,20.30.
Albaspinæus,709.1006.
Albertus Magnus,515.888.
Albertinus Edmundus, 775.793.816. 826.
Alensis Alexander, 398.565.641.643. 689.706.877.956.
Allatius Leo,943.
Alliacensis Petrus,364.689.784.815.
Alvares,237.268.289.315.
Altensteig Johannes,602.1010.
Altissiodorensis Guilhelmus,784.
Amama,151.
Amyraldus Moses,805.
Andradius,90.152.216.359.
Angelus de Clavasio,620.
Angles,315.578.
Apologia Augustanæ Confessionis,952.
Aquinas Thomas, 75.152.191.238.268. 282.310.324.325.401.416.475.562. 577.607.610.641.656.772.985.
Arator,1000.
Arcudius,568.943.
De *Argentina* Thomas,525.942.
Arias Montanus,216.501.
Ariaga,805.
Ariminensis Gregorius, 191.222.237. 270.278.324.364.518.
Aristenus,41.148.
Aristoteles,810.
Arnoldus Antonius,1013.
A Soto Petrus,969.
Avila,417.
Aureolus Petrus,694.990.
Azorius,152.155.632.

B

Bajus,521.
Balæus,850.
Baldingerus,785.
Balsamon,93.
Bandellus,214.220.
Bannes,255.268.289.316.407.414.
Barbosa,112.

Barnesius,422.
Baronius,84.148.629.
Beatus Rhenanus,709.
Becanus,238.269.282 583.787.1054.
Bellarminus, 33.36.41.55.76.82.94.124. 127.136.191. 192.194.216.224 237. 268.282.289.296.311.315.359.360. 381.382. 414. 426. 518.525. 526. 567. 611. 619. 643. 773. 787. 816. 873.
Benedictus,152.
Bernhardus Parmensis,815.
Beroaldus,629.
Bertramus,828.886.
Bessarion,794.
Bereregius,94.
Bidenbachius Felix,415.
Biel Gabriel, 227. 264. 319. 364. 401 602. 602. 657. 689. 778. 784. 866. 996.1010.
Birletus,991.
Blesensis Petrus,901.
Blondellus,55.71.815 837.
Bochartus,83.
Bodius,853.
Bohemus Aubanus,629.
Bonaventura,229. 238 361 562.566.583. 593. 598. 600. 657. 690 784. 866. 994.
Bonfrerius,151.230.
Borromaus Carolus,1037.
Bostius,850.856.
Bradvvardinus,285.318.
Brixianus Bartholomæus,815.
Bullingerus,20.
Burgensis,152.215.216.518.
Buxtorfius,139.157.

C

Cæsar Aquilinus,415.
Cajetanus, 152. 154. 191. 227. 278. 518. 523. 607. 641. 644. 709. 784. 1000. 1042.
Calaritanus Lucifer,1016.
Calvinus, 304. 310. 311. 313. 567. 593. 1063.
Camero,894.
Canus, 152. 213. 215. 226. 415. 583. 589. 590. 949. 967. 985.
De *Capite fontium* Christophorus,791.
Capreolus,316.778.
Caranza,122.148.
Caronaeus,237.
Cartesius,805.
Casaubonus,991.1033.
Cassander Georgius, 127. 227. 657. 793. 848.869.987.1017.
à *Castro*,90.951.
Cataneus,154.271.
Catechismus Romanus, 585.656.696.889.
Catechismus Tridentinus, 563. 1010.1015. 1028.
Catharinus Ambrosius,611.791.
Caucus,943.
Cavellus Hugo.562.
Chamierus, 124. 568.587.593.653.709. 1026.
Chemnitius,620.963.
Christophorsonus,25.
Clarius Isidorus,152.154.
De *Clavasio*,620.
Cluniacensis Petrus,885.
Coninck Ægidius,595.
Conrius Florentius,236.

Conrius

Digitized by Google

Contarenus, Cardinalis, 237. 355. 363. 395. 399.
Corderius, 877.
Costerus, 698.
Crabbius, 147.
Cramerus, 417.
Crocius, Job. 71.
Cumel, 268. 289. 315.
Cusanus, 20. 23. 31. 57. 784.

D

Dallaus, 699. 708. 793. 815. 835. 842. 866. 877. 995. 1016. 1026. 1027. 1062.
Dionysius Carthusianus, 607.
Dominicus à Soto. Vide Soto.
De *Dominis* Marc. Anton. 901.
Driedo, 122. 152. 191. 237.
Durandus, 220. 238. 264. 364. 401. 529. 535. 583. 778. 784. 787. 957. 999.

E

Eduensis Stephanus, 784.
Egesippus, 138.
Eisengremius, 414. 415. 532.
Elisius Thomas, 227. 657.
Emanuel Sà, 419. 608.
Erasmus, 151. 709. 989. 990.
Erigena, 269.
Espencaus, 23. 236.
Estius, 607. 691. 694. 994. 1058.
Evagrius, 30. 56. 836.
Eucherius Lugdunensis, 215.
Eugenius IV. Papa, 611. 618.

F

Fabricius Guido, 216.
Faventinus Anton. 709.
Felinus. 995.
Felisius, 216.
Ferrariensis, 316.
Ferus. 784. 902. 1024.
Finus Adrianus, 151.
Fonseca, 809.
Fontidonius, 107.
Forbesius, 421. 568. 583. 619. 658. 659. 709. 775. 815. 826. 949. 994. 995. 1051.

G

Gamachaus, 787 809.
Gardinerus Wintoniensis, 829.
Genebrardus, 138.
Gerhardus, 815.
Gerson, 31. 226. 227. 486. 657. 784. 815. 901.
Glassius, 158.
Goar, 877.
Godellus, 709.
Godeschalcus, 269. 311.
Granatensis Ludovicus, 475.
Gratiani Decreta, 23. 31. 94. 471. 477. 562. 610. 765. 775. 827. 993. 994. 1037.
Gregorius III. Papa, 127.
Grocinus Guilielmus, 709.
Gropperus, 295. 584.
Guerrerius, 784.
Guido de Monte Rocherii, 698.
Guido Fabricius, 216.
Guilielmus Parisiensis, 510.

H

Hartus, 155. 216.
De *Hales* Alexander, 784.
Heideggerus, 199. 331. 581.
Hesselius. 1005.
Hesychius, 381. 1059.
Hincmarus, 1061.
Hottingerus, 71.
Huetius, 216.

Digitized by Google

Hugo de S.Victore,225.315.363.565.657.
Humbertus de silva candida,831.

I

Jamesius,151.152.
Jansenius, 151. 198. 236. 237. 268. 270. 279. 280. 304. 323. 331. 348. 514. 640. 784. 987.
Jarchi Salomon,225.
Ignatius.96.520.
Index Expurgatorius Madriticus, 523. 649.
Innocentius III.784.815.
Jonathanis Ibargum.299.
Josephus.145.149.216.
Joverius.147.
Jovius,311.
Julianus I.C.150.
Junius,41.55.138.

K

Kranzius Albertus,848.854.

L

A *Lapide*,216.227.299.547.
Lavaterus Johannes,805.
Launojus,709.1013.1052.
Ledesma,315.583.
Lindanus,152.215.784.
Lintrensis Petrus,999.
Lipsius,311.
Lombardus, 191.192.228. 229.323.325. 562.565. 612. 656. 825.942. 965. 1001.1037.
Lorinus,999.
Lotharingus Card.79.
Lucifer Calaritanus,1016.
Lugo,812.
Lutherus,294 426.683.
Lyranus,152.215.237.

M

Maldonatus.240.997.1024.1048.1054.
De *Marca* Petrus,83.816.825.
Marcellus,847.
Marcus Monachus,531.
Mariana,153.155.285.
Marianus Scotus,83.
Marinarus Antonius, 203.361.414. 657.
Marsilius Patavinus,31,278. 583.912. 942.
Masius,151.877.
Medina,319.364.379.415.420.633.
Menardus,877.
Menochius,608.
Mercator Isidorus,1061.
Metaphrastes,84.
Methodius,83.
Micrologus,834.
Mirandulanus,311.
Molina,238.269.282.
Molinaus,71.
Montaltius,980.1036.
Mornacus,709.
Mornaus du Plessis,71.

N

Navarrus,910.
Nauclerus,851.
Nicephorus,25.90.619.834.836.
Nicolinus,147.
Nilus Thessalonicensis,19.84.
Nicerinus,311.
Nugno Didacus,268.278.289.
Nyssenus Gregor. Vide Greg.

O

Occamus,264.319.364.821.942.
Oda,791.

Ab

Digitized by Google

Ab *Oleastro* Hieronymus, 152.
De *Orbellis* Nicolaus, 995.
Ordo Baptizandi, 533.
Orlandinus, 987.
Ortys Petrus, 791.
Osinensis, 995.
Ostiensis Cardinalis, 875.

P

Pagninus, 216.
à *Palatio* Michael, 1000. 1048.
Pallavicinus, 58. 68. 144. 203. 215. 324. 414. 563. 620. 658.
Paludanus, 364.
Pamelius, 699. 709. 943.
Panormitanus, 31. 995.
Paris Matthæus, 1038.
Paschasius Radbertus, 77. 836.
Paulus Servita, 71.
Pelargus Ambrosius, 1039.
Pererius, 216. 414. 525.
Petronius Cardin. 848. 860. 957. 992.
Petavius, 709. 1006.
Pighius Albertus. 365. 381.
Pineda, 155. 419.
Pineus, 216.
Platina, 851.
Poës Balthasar, 1001.
Polanus, 57. 74. 214. 565.
Polydorus Vergilius, 857. 993. 1003.
Pomerius, 853.
Pontificale Romanum, 997. 1041.
Possevinus, 1004.
Procopius, 240.

R

Rabanus 325 886.
De *Rada* Joh. 315. 364. 799.
Radulphus, 147.
De *Ragusio* Joh. 784.
Ranchinus, 32.
Reiserus, 981. 1017. 1052.
Remigius Archiepisc. Lugd. 340.
Rhenanus Beatus, 987, 993. 1003.
Rhodiginus Cœlius, 709.
Ribadeneira, 417.
Ribera, 155. 216.
Richardus, 238. 364.
Richardus Armachanus, 784.
Richardus de media villa, 778. 784.
Rigaltius, 84. 97.
Rispolis, 268. 269. 289. 315.
Rituale Romanum, 997. 1035. 1041.
Rivetus, 214.
Rocchæ Angelus, 152.
Roffensis, 324. 709.

S

De *Sacrobosco*, 155.
Salmasius, 25. 71.
Salmero, 21. 151. 213. 214. 224. 236. 418. 678.
Sanches Thomas, 990.
Sanctesius, 791.
Sanctius, 547.
Sarisberiensis, 147.
Scaliger, 95. 401.
Scaynus Anton 501.
Schwizerus Casparus, 677.
Scirio Henricus, 22. 100. 106. 118.
Scotus, 238. 264. 269. 364. 414. 415. 518. 595. 602. 610. 614. 623. 691. 778. 826. 827. 957. 999.
Simon Richardus, 154. 155.
Siricius Papa, 649.
Sirmondus, 346. 694. 707. 709.
Sixtus IV 210.
Sixtus Senensis, 138. 144. 149. 152. 828.

Sleidanus,102.
à *Soto* Dominicus, 219. 237. 371. 414. 426. 518. 528. 657. 678. 690. 691.
à *Soto* Petrus,969.
Stapletonus,64. 80. 417.
Steuchus,152. 216.
Suarez,238. 282. 317. 360. 420. 655. 689. 787. 808. 872. 866. 874. 992.
Suavis Polanus, 106. 118. 144. 214. 324. 361. 414.
Sylburgius,520.
Sylvius Franciscus,107. 315. 359.
Surius,147.

T

Tapperus,296. 379. 529. 692. 784.
De *Tena Ludovicus*,155.
Theodoricus à Nyem,849.
Theodulphus Episcop. Aurel.708.
Thomas,*Vide* Aquinas.
Thomas Waldensis,518. 784.
Thuanus,74. 649. 992.
Tilemannus Sigebergensis, 227. 657. 784.
Tirinus,237. 270. 296. 608. 631.
Titelmannus,791.
Toletus,414.
Torrentius Levinus,1026.
Trapezuntius,949.
Turrecremata,91.

V

Vaittemius,519. 520.
Valafridus,Strabo,650.
De *Valentia* Gregor. 155. 264. 395. 414. 426. 585. 622. 690. 787. 951. 985. 994.
Valerius M. Cupucinus,76.
*Valesius Henr.*25. 83.
Valla,151. 709.
Vasquez, 224. 230. 257. 269. 282. 363. 364. 424. 527. 595. 651. 787. 942. 1033.
Vedrosius Jacobus,1005. 1016.
Vegas, 152. 154. 155. 270. 365. 414. 415. 426. 530. 657. 1000. 1010.
Venetus Georgius,216.
Verratus Joh. Maria,784.
Victor Uticensis. 948. 950.
Vilalpandus,155.
Villagagnonus,791.
Vitriacus,Card. 690.
Vives Ludovicus,634.
Ulpianus,150.
Vorstius Johannes,386. 775.
Vossius,198. 232. 465. 471. 676. 677.
Usserius Armachanus,691.
Utenbergius,416.
Walenburgii.126. 134.
Wendrokius,981. 982. 1036. 1037.
Wiclefus,312. 423.

X

Ximenius Cardinalis,147.

Y

Ysambertus,787.

Z

Zonaras,41. 57. 93.
Zwinglius,305. 310. 481.

IN-

Digitized by Google

INDEX VII.

RERUM, PERSONARUM, ET VOCUM.

A

Abbatibus an in Concilio suffragari liceat? 28.

Aberrare à fide quid? 480.

Abnegatio Petri non sustulit ejus fidem, 479.

Abrahami fides de semine benedicto, 406. Ejus fiducia, ibid.

Absolvere à peccatis solus Deus potest, 1029. Non ergo sacerdotes, 1032.

Absolutio sacerdotalis fusè oppugnatur, 1028. &c. absurda est, 1032. pœnitenti inutilis, 1033. Patres Ecclesiæ eam damnarunt, 1033. 1034.

Absolutionis publicæ formula, 1041.

Absurda sequuntur ex Pontificiorum sententia de Peccato originali, 191.

Abusus Ecclesiæ Pontificiæ à Cardinalibus delegatis notantur, 101.

Accedere ad Deum quid? 383.

Acceptio personarum apud Deum nulla est, 536. in gratuitis nullum habet locum. ib.

Accidentia à substantia separata nihil sunt, 802. ideóque separata non existunt, 808. nec agere vel pati possunt, 809.

Acta Concilii Trid. cur vulgata non sint, 105.

Actio est ratio formalis Sacramentorum, 839.

Adami peccatum quale fuit? 177. in posteros transiit, ibid. Idem peccatum & ejusdem pœna posteris imputatur, 234. 237.

Adamus peccando æternam mortem meruit, 135.

Adamus & Cain an confessionis auricularis fuerint typi? 999.

Adjutorium possibilitatis Pelagianum est, 280. in sufficiens & efficax distinctum impugnatur, 281-283. S. Augustini de eodem sententia explicatur, 283.

Adoratio hostiæ fusè impugnatur, 858. &c. idololatrica est, 863. Similis idololatriæ Jeroboami, ibid. Ludibrio est infidelibus, 866. noviter nata, 867. Vide *Hostia*.

Adoratio Sanctorum, Vide *Sancti*. Imaginum, V. *Imagines*.

Adriani VI. vox ingenua de coruptione Ecclesiæ Rom. 11. Concilium legitimum aversatur, 12.

Adventus Christi in carnem causæ, 243.

Ænigmaticum cognitionis nostræ speculum, 162.

Agenda ecclesiastica veteris Ecclesiæ merita excludunt, 529.

Ager Matth. XIII. non est Ecclesia, sed mundus, 233.

Agnitio peccati ex lege ad pœnitentiam requiritur, 961.

Ἀγνοεῖν quid? latiùs patet quam ἐξαγορεύειν, 349.

Digitized by Google

Alexandrinæ Synodi Epiſtola ad Felicem,26.
Allatius refellitur,64.86.
Amalarius primus in Occidente errorem de orali manducatione introduxit,777.
Amneſtiam Deus peccatoribus propter Chriſtum pollicetur,507.
Amor Dei & proximi ſumma eſt virtus, 515. hic ſine illo verus amor non eſt, 331. amor Dei & fiducia connexa ſunt,332.
Ἀναμαρτησία ſolius Chriſti privilegium eſt,442.450. nulli hominum competit,443.
Anchora Spei,432.
Appellatio ab abuſu,561.
Appellatio à ſententia interlocutoria prohibetur,758.
Appellationes à Concilio ad Papam, 87. perſtringuntur à Gropero,755. 758.
Apocryphi libri,137-149. non ſunt θεόπνευστοι,137. apud Judæos in Canone nunquam fuerunt, 138.139. quónam idiomate ſcripti? 139. ab Eccleſia veteri nunquam in Canonem recepti, 140. Inſita Divinitatis argumenta non habent,141.142. à Concilio Tridentino iniquè pro Canonicis Eccleſiæ obtruduntur, 143. ab ipſis Pontificiis nonnullis Canonici non habentur,144. Objectiones Trident. diluuntur, 144.-149. Concilia vetera eos pro Canonicis non agnoverunt,147.
Apoſtoli à Deo immediatè inſpirati infallibiles fuerunt, 49.164. in rebus fidei definiendi poteſtatem habuerunt, 46.58. eandem à Chriſto immediatè acceperunt, 66. quomodo peccata remiſerint? 1030. Eorum unctio miraculoſa fuit, 1056.
Apoſtolica Sedes & Papa diſtinguuntur,752.
Aquinatis diſtinctio corporis Chriſti in verum & ſacramentale,813.
Arca fœderis an ob præſentiam Dei adoranda? 872. ejus circumgeſtatio in V.T. nihil patrocinatur circumgeſtationi Hoſtiæ, 849. ejus circumgeſtatio,1013.
Arca Noë quomodo fuerit figura Baptiſmi? 578.
Argentinenſes legati Tridentum veniunt,1065.
Arianorum baptiſmus cur invalidus fuerit? 652.
Arnoldus Sorbonicus laudatur,1013. opera pœnalia rejicit,1022.
Arrhabo hæreditatis, 468. Spiritus ſanctus eſt,405.
Articuli ad ſalutem neceſſarii ex S. Scriptura haberi poſſunt,134.
Ἀρτολατρεία recens eſt Eccleſiæ Rom. dogma,867. &c. pudenda eſt idololatria,871. Veteribus incognita, 867.875.
Aſcenſio Chriſti in cœlum convellit fictitiam corporis Chriſti in Euchariſtia realem præſentiam,769.
Aſſenſus non eſt ratio formalis fidei, 390.
Aſſervatio Euchariſtiæ refellitur,830. &c. abſurda inde emergentia, 833.

Auditus

Ἀθεὸς & Ἀθέτεια quid significent? 1059.
Athanasii adhuc pueri Baptismus per lusum administratus ratus habetur, 618.619.
Athenienses εὐσεβεῖς quo sensu? 325. quomodo ignotum Deum coluerint? ibid.
Attritionis dogma fusè refellitur, 976. &c. ejus crypsis, 979.980.
Augmentum gloriæ an cadat sub meritum? 543. Gratiæ per merita non datur, 539.&c.
Augustanum & Tridentinum decretum colliduntur, 728.
Augustini de peccato originali sententia vindicatur, 189.191.197.201. Ejus mens de libero arbitrio, 292. 294.302.311. de peccati causa, 311. de operibus irregenitorum, 320. error de pœna infantum, 222. ejus sententia de pœna sensus à Jansenio vindicata, 236. insignis præco fuit gratiæ, 268. Ejus error de necessitate baptismi, 597.598. de Eucharistia infantibus porrigenda. ibid. Ejus sententia de certitudine fidei, 412. quomodo in articulo de perseverantia sibimet conciliandus? 465. Ejusdem sententia de Sacramentorum efficacia, 598. de Baptismo fallaciter administrato, 619. Alicubi de Baptismi necessitate incautiùs loquitur, 658.&c. Ejusdem sententia de efficacia baptismi, 678. de Unctione, 710.
Aureolæ refelluntur, 543.&c. Virginum, 544. Martyrum, 546.
Aurum in sacris non semper denotat id, quod sine peccato est, 494.495.
Αὐτεξούσιον doctrina mater est superbiæ, 295.
Authenticum quid? 150.
Authoritas S. Scripturæ. V. *Scriptura.*

B

Babylon 1. Pet. V. 13. non est Roma, 83.
Balsamum in Palæstina nullum hodie reperitur, 692. non potest esse materia Chrismatis, 693.
Baptismales ceremoniæ veterum, 701.
Baptismus non tollit peccatum originale, 196.&c. Olim differri solitus est, 201.202. Objectiones Tridentinorum diluuntur, 204-209. quomodo dicatur lavacrum regenerationis, 206. Ejus necessitas absoluta oppugnatur, 222.&c. 655.&c. Non salvat ex opere operato, 586. quando fiat sigillum justitiæ? 614. non est causa regenerationis, 228. 599. quomodo sit interrogatio bonæ conscientiæ, 588. Characterem non imprimit, 603. cur irreiterabilis, 610.646. quando apud Veteres reiteratus fuerit, 702. quomodo per Nubem in Vet. Testamento fuerit adumbratus, 574. Per Arcam Noæ, 579. Christi & Johannis idem fuit, 566 eandem habuit vim, 638. Johannis baptismus Evangelicus fuit, 641.642. à Deo institutus, 643. promisit Spiritum S. 645. doctrina Baptismi in Papatu corrupta est, 647.&c. fluminis, flaminis & sanguinis distinguitur, 657. Ejusdem

ſdem varii ritus veterum, 649. &c. tempus ibid. Efficacia exponitur, 671.&c.quomodo ſit initiationis ſacramentum, 658. ejuſdem fructus, 664. an ad futura etiam peccata extendatur ? 674. non ſeriò, ſed jo̧culariter tantùm adminiſtratus an ratus haberi debeat ? 618.ſeq.

Baptiſta Caſtellus appellationum neceſſitatem defendit,755.

Baptizandi à Johanne confitebantur peccata,999.

Baſileenſe Concilium an Oecumenicum habendum ſit ? 30.

Barbaries terminorum ſcholaſticorum Redingii reprehenditur, 358.

Bath Kol בת קול quid? 145.146.

Bellarminus Manichæizans,194 Ejus de peccato Originali ſententia impugnatur,188. de juſtificatione nobiſcum ſentit, 381. 382. Ejus axioma de adoratione exploditur, 871.

Benedictio an ſit cauſa conſecrationis in Euchariſtia ? 790. Eſt cauſa efficiens Sacramenti,839.

Benefacere homini à natura impoſſibile eſt,291.

Beneficiorum reſidentiæ & non-reſidentiæ abominanda diſtinctio, 259. Pluralitas diſceptatur, 556. 559. Ejus origo, 559. Compatibilium & incompatibilium diſtinctio,ibid Eorundem unio,560.

Berengarii de præſentia Chriſti in Euchariſtia ſententia, 815. à Nicolao II.condemnatur,817.

Bertramus realem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam impugnavit,777.

Biblia Tigurina Verbum Dei continent, 42.159. Anſint authentica? 151.

Bitontini Epiſcopi Oratio,99.102. rationes contra Seſſionis III. decretum,112.

Bohemi Presbyteri in BaſileenſiConcilio ſuffragati ſunt,30.

Bononiam transfertur Concilium, 711. &c. Translationis ejus veræ cauſæ & prætextus diſcutiuntur, 714. &c. Inſtituta eſt Paulo III. conſcio, 715.716. Bononienſes & Tridentinos inter Schiſma exoritur,720.721.

Bononienſium pertinacia,730.contra illos Cæſar proteſtatur,731. Violatæ fidei rei peraguntur,736.

Bracii Martelli ſententia de ſuffragiis, 182. Romæ propterea accuſatur,ibid. & 185.

Brandeburgico Legato Concilium aſtutè reſpondet,759.

Brentius Tridenti appellit,1071.

Brixiani de Vulgata Verſione judicium,154.

Bulla indictionis Concilii Tridentini,1-10.

Bullarum Indulgentiarum clauſulæ, 1014.

C

Cæſares olim convocabant Concilia, 19.20.

Cajetanus poteſtatis Papalis primus aſſertor vapulat,66.

Calix in Euchariſtia quomodo dicatur

tur

tur Novum Teſtamentum, 763. 764. communio ſanguinis Chriſti, 766. Ejus communio à Julio III. certa conditione permittitur, 737. ejus privatio ſacrilega eſt, 627.
Calvinus Deum nuſpiam authorem peccati docet, 310. 312. &c. vindicatur, 644.
Canon librorum Veteris Teſt. à quibus fuit conſtitutus? 139.
Canonica ſatisfactio veterum qualis fuerit? 1009. 1016. 1027.
Canonicorum librorum catalogus diſceptatur, 116. quinam ſint? 137. &c. quomodo liber aliquis canonicus dicatur, 141.
Canoniſtæ Papæ divinas tribuunt proprietates, 187. eorum abuſus. ibid. Theologiam Scholaſticam eliminari petunt, 183. 185.
Capernaitica carnis Chriſti manducatio, 769. inutilis eſt ibid. impoſſibilis, 770.
Caph Veritatis quid? 1038.
Capita doctrinæ omittuntur Seſſione VII. 555. addi anathematibus petunt Itali, 753.
Caput ראש aliquando primum ſignificat, 24.
Caput Eccleſiæ non eſt Papa Rom. 61. &c. ſolus Chriſtus eſt, 63. an viſibile eſſe oporteat? 85.
Cardinalium conſilium de emendanda Eccleſia, 101. à Julio III. ſimul creantur quatuordecim, 1067.
Carentia juſtitiæ originalis an ſit peccatum originale, 191. 192.
Carnem Chriſti adorandam eſſe, quomodo veteres dixerint? 871.
Carni ſuccumbere non eſt vivere in conjugio, 545.
Caro denotat totum hominem irregenitum, 208. retundit motus ſpiritus, 487.
Caro Chriſti quomodo cibus fiat? 784.
Carolus V. inſtituit conventum Norimbergenſem, 13. 19. fœdus cum Papa init, 255. Bellum Germanicum gerit, 722. Concilium non à Papa indicendum exiſtimat, 727. &c. Poſt victoriam Concilium Tridentinum urget, 729. Ejus in perſuadendis Principibus & civitatibus, ut ſe Concilio ſubmittant, aſtus, 730. Concilii frequentationem Proteſtantibus imperat, 735. contra Synodum Bononienſem proteſtatur, 731. 736. Ejus in mortis articulo conſtituti de juſtificatione confeſſio, 382.
Carteſius in doctrina de accidentium à ſubjecto ſeparatorum impoſſibili exiſtentia, 805.
Caſuiſtæ peccandi rationem docent, 989.
Catalonius Trivultius ſpoliatur, 105.
Catharina Medicæa petit ex Baptiſmo tolli exorciſmum, 648. Vindicatur, 652.
Catharini ſententia de Peccato originali, 187. de reſidentia, 256. 257. de intentione Sacerdotis, 611. 619. de certitudine ſalutis, 415. 426.
Cathedra. Ex Cathedra loqui quid-ſit,

ſit, ipſi neſciunt Pontificii, 70. Petri quid ſit Hieronymo? 96.
Cathedræ Apoſtolorum dici ſolebant Eccleſiæ ab Apoſtolis fundatæ, 84.
Cauſæ ſecundæ quomodo cum cauſa prima concurrant, 1020.
Ceremoniæ V. *Ritus*.
Certamen hominis Chriſtiani non meretur coronam, ſed ex gratia eam conſequitur, 546.
Certitudo ſenſus S. Scripturæ pendet & manat à ſolo Deo, 178.
Certitudo fidei & ſalutis defenditur, 402. &c. vindicatur, 417. &c. quomodo nitatur Dei verbo, 158. Ejus in abſolutam & conditionalem diſtinctio futilis eſt, 410.
Chalcedonenſe Concilium Dioſcuro ſedem inter Epiſcopos negat, 24. Quo ſenſu Papam vocet univerſalis Eccleſiæ Pontificem, 93.
Character Sacramentalis refellitur, 610, &c. non eſt indelebilis, 604. Beſtiæ qualis? 605.
Charitas timorem excludit, 329. Proximi abſque Dei charitate eſſe nequit, 331.
Charitas inhærens non eſt juſtificationis cauſa, 352. 365. 366. à juſtificatione & fide ſeparari nequit, 377. Eſt cœterarum virtutum συμπλοκὴ, 379. à fide diſtinguitur, 388. eſt fidei effectus, 395. ejus cum fide nexus, 496.
Charitas Dei quomodo diffuſa ſit in cordibus noſtris, 366.
Chaſir & Jother non corrumpunt textum Scripturæ, 158.
Cheregati de audiendis Proteſtantibus iniqua ſententia, 100.
Chriſma ſeu Unctio apud veteres qualis fuerit ritus, 651.
Chriſmatio & manuum impoſitio an idem? 692. utro fuerint uſi Apoſtoli? 693. Veteribus ceremonia baptiſmalis fuit, 701. diverſi ejus ritus fuere veteribus, 707.
CHRISTI in nomine quomodo congregemur? 21. ſolus eſt Eccleſiæ doctor, 33. ſolus caput, 63. Ex matre peccato infecta purus naſci potuit, 221. Non eſt mortuus pro omnibus & ſingulis, 337. Ejus meritum conſideratur ut victima, vel impendium, 348. Ejus juſtitia nobis imputatur, 352. &c. non eſt Legiſlator propriè dictus, 453. &c. implevit Legem pro nobis, 459. Ejus interceſſio pro nobis perennis eſt, 467. Potentia in ſuis ſervandis, 471. Speculum eſt, in quo prædeſtinationem noſtram contemplemur, 431. Plenam peccatorum remiſſionem impetravit, 506. non tantùm æternas, ſed & temporales peccatorum pœnas pertulit, 507. Debitum plenè ſolvit, ibid. Solus cauſa meritoria eſt ſalutis, 522. quomodo debuerit Deo Patri obedientiam, 533. Satisfactio ejus meriti infiniti eſt, 1012. ſuo baptiſmo noſtrum baptiſmum ſanctificavit, 641. Eſt Dominus ſuæ Eccleſiæ, 897. Ejus regnum non eſt de hoc mundo, ib. Solus eſt mundi judex, 1029.

Chryſo-

Digitized by Google

Chryſoſtomus qua occaſione libros de Sacerdotio ſcripſerit, 1035.
Circumciſionis neceſſitas, 229. Gratiam etiam contulit, 574. 575. 577. Philonis & Joſephi de fine ejus opiniones corrigendæ ex Moſe & Paulo, 582. in remiſſione peccatorum ejuſdem cum Baptiſmo efficaciæ fuit, 675.
Citatio non facit librum Canonicum, 146.
Clavium poteſtas qualis ſit, 18. Eccleſiæ data, 30. Non Papæ 31. Eſt tantùm miniſterialis Apoſtolis data, 58. 67. 76. 78. non ſoli Petro, 78. Non eſt dominium abſolutum, 81. cum juriſdictione propriè dicta nihil habet comune, 903. Quo modo in Chriſto, quo in Miniſtris, 1040.
Clavis Cognitionis penes Sacerdotes V. Teſt. fuit, 170.
Clemens VII. Papa nothus eſt, 12. declinavit concilium, ibid. Nepoti ſuo omnia beneficia vacantia integro anno delegat, 560.
Clementina Editio Latina Bibliorum in Concilio Trid. approbata, 46. annis poſt prodiit, 153.
Clinici in mortis articulo baptizari petebant, 202.
Cœcitas vel naturalis vel acquiſita, 308.
Cœlum eſt locus Corporis Chriſti uſque ad extremum judicium, 774. ad dextram Dei Patris, 776. &c.
Cognitio noſtra in Divinis quomodo in ænigmate fiat? 162.
Cohen כהן quid ſignificat? 17.
Colonienſis Elector à Papa exauctoratur, 181. 184.
Color, Odor, Sapor qualia ſint accidentia? 809.
Columba argentea ab Urbano IV. Thomæ Aquinati mittitur, 851.
Comminationes in Evangelio occurrentes non ſunt ejus pars, 461.
Communio noſtri cum Deo & Chriſto quid ſit, 766. quomodo fiat, 538. 781.
Communionis ſacræ tempus diſceptatur, 885. &c. neglectus graviſſimis damnis Eccleſiam affecit, 887.
Conceptio B. Virginis, 210—222. Ejus feſtum recentiſſimum eſt, 220.
Conciliatio difficiliorum locorum Scripturæ non arguit dogmatis incertitudinem, 386.
Concilium legitimum Pontifices ſemper averſati ſunt, 11. 12. &c. ejus ſuſpenſio ad beneplacitum Papæ, 13. 14. Convocandi jus cui competat, 16. &c. Suffragandi jus in eo diſceptatur, 27. &c. Ejus definitiones non ſunt judiciales, 36. 37. non Divina fide recipi poſſunt, 42. conſcientiam non obligant, 44. Errare poſſunt, 40. quæ vis ſit anathematum Concilii? 47. Jus præſidendi in eo non competit Papæ, 52. &c. Ejus ſupra Papam ſuperioritas, 72. 73. Cur Oecumenicum hodie nullum convocari poſſit? 51. Concilii confirmatio unde pendeat? 91. An repræſentet Eccleſiam univerſalem? 107. Eorum decreta quos obligent? 118.

Conci-

Concilia an Papam ſupremum Controverſiarum judicem agnoverint? 87. An decreta ſua à Papa confirmari petierint? 89.

Concilium Lateranenſe Tranſſubſtantiationem primùm ſanxit, 778.

Concilium Tridentinum, *Vide Tridentinum Concilium.*

Concilio Libertas à Papa adimitur, 1074. Vide *Tridentini Concilii libertas.*

Concionandi munus injungitur Epiſcopis, 183.

Concionari Epiſcopórum olim fuit, 182. Monachis non licebat, ibid. Epiſcopi jubentur, 183.

Condemnatio nulla in iis, qui in Chriſto ſunt, 200.

Concupiſcentia prava quid? 189. 191. 197. eſt peccatum 196. ſeqq. remanet in baptizatis, 200. eſt mater peccatorum, ibid. 206. 207.

Conditiones promiſſionum ipſemet Deus in nobis implet, 421.

Confeſſio auricularis materia Sacramenti falsò ſtatuitur, 953. &c. fusè impugnatur, 986. &c. docet rationem peccandi, 989. 990. Verecundiam deterit, ib. Eſt vinculum regni Papalis, 991. Arcana ejus pateſcunt, 992. duriſſimum jugum eſt, 993. Veteribus incognita fuit, ibid. 994. 1004. 1007. Non eſt juris Divini, 1000. Patres eam ignorârunt, 1004.

Confirmationis Sacramentum refellitur, 689. &c. Ejus miniſtri qui ſint, diſceptatur, 691. Non eſt Baptiſmi perfectio, 697. aniles ejus ſuperſtitiones, 697. Ejus ritus Apoſtolis incogniti fuerunt, 698. prima Eccleſia ignorabat, 700.

Congregari à Chriſto quid ſit? 287.

Congregationum à Seſſionibus præpoſtera diſtinctio, 106. Particulares diſtinguuntur, 181. 182.

Conſcientiis imperare ſolius Dei eſt, 665.

Conſecratio Euchariſtiæ quomodo fiat? 790.

Conſequentia ex Scriptura, an ipſa Sctiptura? 135.

Conſilium & mandatum quomodo differant? 667. 669.

Conſolatio noſtra in Vita & morte, 431.

Conſtantienſe Concilium Eccleſiam Catholicam repræſentare voluit, 107. Ejuſdem Titulus defenditur, 108.

Conſtantinus Magnus ſuffragatus eſt in Concilio Nicæno, 30. idem cum Theodoſio Magno diſtuleri Baptiſmum ad ultimum vitæ articulum, 201. 202. Nec ideo extra Eccleſiam putabatur, 202.

Conſtantinopolitani Epiſcopi Damaſum Papam Rom. pro capite Eccleſiæ non habuerunt, 94.

Contareni Cardinalis orthodoxa de juſtificatione peccatoris ſententia, 355. 356.

Contritio an materia ſit Sacramenti Pœnitentiæ? 953. &c. an cauſa remiſſionis peccatorum? 966. &c. in cenſum meriti non venit, 968. de ejus libertate, 973.

Digitized by Google

Controversiarum in Ecclesia militante nullus erit finis, 176.

Conversio peccatoris variè in Scriptura insignitur, 364. non pendet à libero arbitrio 265. Est opus infinitæ virtutis, 266. 268. solius gratiæ, 271. Ejus gratiæ resisti non potest, 275. 276. 279. nunquam eventus eam destituit, 281. non est coactio, 288. est à Spiritu S. principaliter, à Dei Verbo organicè, 289.

Cooperetúrne, homo gratiæ Dei in sui conversione? 975.

Cordium scrutator solus Deus est, 1043.

Cornelius Papa Rom. à plebe eligitur, 93.

Corporis Christi præsentia nonnisi visibilis erit, 762. ejus polytopia impugnatur, 771. 787. &c. ejus existendi modus nonnisi localis esse potest, ib. idque secundum omnia corporis attributa essentialia, 772. 773. In Eucharistia nec producitur, nec aliunde adducitur, 811. duplex fingitur ab Aquinate, verum & Sacramentale, 813. 817. Ejus Festum ab Urbano IV. institutum, 850. V. *Festum.*

Creatio nova quid? 264.

Credere quomodo omnes teneantur, 350.

Crescentius Papæ Legatus cautiones authoritati Pontificiæ conservandæ proponit, 734. ejus ferox responsum Legatis Protestantium perhibitum, 1067. 1073. Ejusdem mors tragica, 1073.

Crucis signo quomodo veteres usi fuerint? 651. an sit de essentia Sacramenti Confirmationis? 696. 697.

Culpâ remissâ etiam quælibet ejus pœna remittitur, 504. &c. nulla restat satisfactio, 1015. 1017.

Cultus Divinus nititur mandato Divino, 226. non hominum arbitrio, ibid.

Cusanus circumgestationem hostiæ improbat, 848. 854.

D

Dallæus laudatur, 699. 708. & passim vindicatur, 1016.

Damascenus primus errorem de orali manducatione apud Græcos introduxit, ut Amalarius apud Latinos, 777.

Damnati obligatione amandi Dei soluti non sunt, 451.

Debita nostra solvit Christus, 507.

Debitum non solvit, nec satisfacit, 1013.

Debitor Dei est omnis homo, 534.

Debitorem quomodo se Deus faciat, 525. 528.

Decretum Dei conditionatum nullum est, 272. 273.

Decisio in rebus fidei penes quem? 31.

Deficientes ad Papismum etiamsi non rebaptizentur, tamen Sacramentum à nostris ministris collatum validum agnoscitur, 617.

Deus peccati author neutiquam est, 204. &c. non accipit personas, 536.

Diabolorum peccatum hominum

Digitized by Google

peccato gravius graviorem meretur pœnam,241.
Διάταξις Apostoli I.Cor.XI.34. quid? 129.
Dicere Dei non semper facere,sed rem factam aliquando enunciare est, 792.801.823.
Dignitas & dignatio quomodo differant? 516.
Dilectio Dei & proximi perfecta requiritur, 445.448. in quo consistat? 449. sincera esse debet,450.Ejus præceptum quomodo novum sit? 462.
Dionysii Areopagitæ νοθεία, 708.709.
Discretionis donum in rebus fidei nulli certo hominum ordini alligatum est,173.
Dispensationes Papales à Parisiensi Parlamento improbantur,752.
Dispositiones ad fidem quæ requirantur? 374.
Dissensus Pontificiorum Doctorum in dogmate de efficacia Sacramentorum, 595. argumentum præbet contra Tridentinos irrefragabile, 596. de Charactere Sacramentali, 606. de Baptismo Johannis, 643. de modo conversionis panis in corpus Christi,810. circa effectum satisfactionum,1018.circa Unctionis extremæ doctrinam, 1049. 1053. Vide *Tridentini Patres*.
Divinitas S. Scripturæ unde innotescat? 172.
Doctor noster est solus Christus,33.
Doctores Ecclesiæ non sunt infallibiles,174. nonnisi ea, quæ Christus præcipit, docere debent, 668.
Dogmata quædam fidei an ex traditionibus tantùm cognoscit possint? 130.
Dominicani,V.*Franciscani*. Eorum sententia de pœna infantum, 222. de conceptione B. Virginis, 210. De gratia & libero atbitrio,271.de differentia Sacramentorum Vet. & Novi Test.572. de efficacia eorum, 583. de materia Sacramenti Pœnitentiæ,956. in modo transsubstantionis panis Eucharistici,810.811.
Dominium externum omne ab Ecclesia abesse debet,895.
Dona Spiritus Sancti nulli certo hominum ordini alligantur,163.
Dordracena Synodus defenditur,403.
Dubitans non credit,412.
Dubitare, timere opponuntur fiduciæ,392.
Dubitatio & fluctuatio oritur ex fiducia in propriis meritis,529.
Dubitationis dogma Clero Pontificio quæstuosum est,483.
Dubium quid non potest esse adorationis objectum,865.

E

Ecclesia ad externa non habet hierarchicam potestatem,18. repræsentativa Pontificiorum perstringitur, 33. Ecclesia quomodo audienda? 44.45. quomodo ei assistat Spiritus S.48. quale sit ejus judicium in rebus fidei? 50. non agnoscit visibile caput, 61. &c. ejus authoritas præfertur scripturæ,116 117. Ejus unitas in quo consistat,50.quo sensu

Digitized by Google

ſu non errare dicatur,51. quo item ſenſu dicatur columna & firmamentum veritatis,170. eam audire quid ſit? 665.668. Ejus libertas in ritibus adiaphoris vel retinendis vel mutandis,653. Ejus poteſtas tota ſpiritualis eſt,897.904. à temporali eſſentialiter diſtincta, 898. non eſt coactiva nec corporis nec animæ, 899. Ejus jurisdictio fusè oppugnatur,65.66.894.&c.

Eccleſiæ Pontificiæ corruptionem agnoſcunt Tridentini Patres, 101. Unitas qualis,116.185. Leges refelluntur,661.

Eccleſiaſtici an ſubſint civili poteſtati? 907.908.

Editio Vulgata Bibliorum an authentica? 114.116.

Ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας quid? 171.

Eiſengremius ſalutis certitudinem defendit,414. ſeq.426.

Electionis certitudo,427.&c.433.

Eleemoſynæ an redimant peccata? 971.

Elementis mundi vivere quid? 663.

Emti quomodo dicantur infideles? 348.349.

Encæniorum feſtum an divinitus inſtitutum? 138.

Ἐφόδιον ſeu Viaticum olim moribundis dari ſolitum,847.

Epiphaniæ feſtum cur inſtitutum? 855.

Epiſcopi Pontificii quales ſint juxta Eſpencæum,23.32. Imperiti ſunt, 24. an à Papa olim inſtituti & confirmati? 91. 92. cur ſoli olim ad Concilia vocati? 35. In Concilio certant cum Fratribus regularibus de jure prælegendi & concionandi, 182. 185. jubentur à Concilio concionari,183. ſed fruſtra,186. per vicarios, ibid. Eorum promotores ad ferenda vota non admiſſi, 102. Titulares ſua poteſtate abutuntur, 934. Jurisdictionis illorum reformatio qualis? 755. In judicio quomodo eos Concilium tractari velit,757.758.

Epiſcopalis jurisdictio explanatur & exploditur,903.

Epiſcopatus ſitne juris divini, diſceptatum in Concilio Tridentino,73.

EST in verbis inſtitutionis quid ſignificet? 792.

Ethnicus & publicanus quis ſit habendus? 45.

Evangelium eſt lex, fidei, non operum, 457.460. ejus comminationes non ſunt ejus pars,461.

Euchariſtia. An in ea corpus Chriſti ſit indiſtanter præſens? 760. &c. Conſecratio ejus quomodo fiat? 790. &c. Tranſſubſtantiatio in ea impugnatur,797.&c. Verba inſtitutionis tropica ſunt,820. Euchariſtiæ aſſervatio refellitur, 830. &c. an ad abſentes mitti poſſit? 841. moribundis olim viatici loco dabatur,842.844. Ejus circumgeſtatio impugnatur,845.&c. Adoratio fusè refellitur, 858 &c. Ejus ritus apud veteres longè diverſi à modernis Pontificiis,867. ejus effectus in remiſſione peccatorum venia-

Digitized by Google

lium expenditur, 879. &c. Communionis ſacræ tempus diſceptatur, 885. Præparatio ad eam quomodo fieri debeat, 891. &c.
Evidens aliquid eſſe poteſt, licet non videatur. 398.
Eunuchi quinam Eſaj. LVI. 56. intelligantur? 547.
Ἔξαρχος διοικήσεως an Papa ſit? 89.
Exauditionis precum certitudo, 410.
Excommunicatio non præſupponit juriſdictionem Eccleſiæ coactivam, 906. 909.
Exemplum & praxis fidelium ſunt noſtra inſtitutio, 405.
Exomologeſis Veterum aliud fuit, quàm Pontificiorum auricularis confeſſio, 942. 943. 1003. 1006.
Exorciſmi apud Veteres in Baptiſmo nullus uſus, 651. 655. ingens utriuſque diſcrimen, 631. 632. 651.
Exploratio ſui ipſius, 408. fidei. 411.
Extrema Unctio fuſè oppugnatur, 1046. in Veteri Eccleſia non fuit in uſu, 1051. Vide *Unctio*.

F

Facere id, quod facit Eccleſia, quid ſit? 620.
Facere Dei & dicere aliquando differunt, 792. 801. 823.
Farneſius Proteſtantes cum Turcis comparat, 14.
Fatalem neceſſitatem non docent Reformati, 311. 312.
Feſta hominibus dicari nefas eſt, 221.
Feſtum Conceptionis B. Mariæ recentiſſimun eſt, 220 Corporis Chriſti fuſè oppugnatur, 850. &c. ſcatet erroribus & abuſibus multis, 852.
Feſta religionis ergo in N. Teſt. Eccleſiæ non ſunt obtrudenda, 851.
Fideles de ſua electione certi ſunt, 428.
Fides noſtra in homines non reſolvitur, 165. quale ſit medium intelligendæ & interpretandæ S. Scripturæ, 175. ſola juſtificat, 353. &c. de Chriſto & in Chriſtum, 350. non eſt prima duntaxat motio & radix juſtificationis, 382. Eſt fiducia Divinæ miſericordiæ, 389. Non eſt nudus aſſenſus, 390. Ejus certitudo, 401. 402. Eſt ſimul in intellectu & in voluntate, 388. 401. juſtitiam promereri non poteſt, 386. 387. quomodo per charitatem ſit efficax, 388. Effecta ejus, 392. Objectum ſpecialis Dei miſericordia, 393. Ejus definitio ex Auguſtino, 394. in hac vita non eſt perfecta, 403. Ejus fulcra, 468. Temporaria quæ? 475. Theologica & Hiſtorica malè opponuntur, 476. A charitate ſeparata non eſt vera, 496. &c. Fides Papiſtica mortua eſt, 497. Veræ fidei effecta, 498. &c. Miraculoſa qualis? 501. Antichriſti eſt, ibid. Salvifica eſt pars pœnitentiæ ſalutaris, 962. Electorum propria eſt, 430. 431.
Fiducia quid? 391. ea fides carere nequit, ibid. Opponitur timori, 392. qualis ſit juſtificatorum? 246. in ſola Dei gratia, non in meritis propriis collocanda eſt, 526. falſa fiducia parit dubitationem, 579.
Filii Dei ſumus per Chriſtum, 371.

Fiſtula

Digitized by Google

Fistula præconii non semper pedum gratiæ comitans habet,288.
Fœdus Abrahamicum perpetuum fuit,466.
Fœdus Dei per Sacramenta obsignatur,672. ejus prærogativa infantibus fidelium competit,224.
Fœdus Caroli V. & Papæ contra Protestantes, 158. Ejus prætextus & veræ causæ,259 260.
Fontes S.Scripturæ non possunt esse corrupti,157.160.
Forbesius laudatus,421.568.583. & passim.
Foribus clausis quomodo se Christus præsentem stiterit discipulis? 787.
Forsan, ἄρα non semper dubitantium nota est,422.
Forum soli cum foro poli non confundendum,48.
Fracastorii consilium de Pestilentia Tridenti grassante,712.
Frænum aureum justitiæ originalis, 193.194.
Franciscanorum & Domminicanorum dissensiones de conceptione B. Virginis, 210. de pœna infantum, 222. de gratia & libero arbitrio,271. de differentia Sacramentorum Vet.& N.Testamenti, 572. de Efficacia eorundem,583.590.de præsentia Christi in Eucharistia, 810. de materia Sacramenti Pœnitentiæ,956. Vide *Dominicani*.
Franciscani cujusdam Monachi Oratio de cœdendis Protestantibus, 102. Alterius impia concio, 1071. 1074.
Fundamenti Ecclesiæ in primarium & secundarium, absolutum & vicarium distinctio sensu Pontificio erronea est,80.
Fundamentum fidei quod? 134.
Fudamentum Dei stat,428.

G

Galli Concilium supra Papam esse statuunt, 107. contra Concilium Tridentinum protestantur,741.
Gehennæ metus propriè dictum peccatum est, 328. Est homini laqueus,330. desperatio,331. nascitur ex amore sui, non ex amore Dei,331. non præparat ad justificationem, 336, per se malus est,977.
Gentilium ceremoniæ ad veri Dei cultum nec materialiter nec formaliter traducendæ sunt,630.
Gerson doctor consolatissimus,226.
Gloriæ beatorum an gradus futuri sint,547.
Gnosticis similes sunt Traditionum patroni,122.
Græca Ecclesia septenarium Sacramentorum numerum nunquam agnovit,943. antiqua nonnisi duo agnovit,567.
Græcorum à Latinis secessionis causa,112.
Gratia Dei non alligatur Sacramentis,222. an amitti possit? 249. præveniens qualis sit,263. Ei soli omnia bona accepta ferenda sunt,264. Excitans quid? 265. Libertatem non tollit,269. Ejusdem distinctio Augustini à Jesuitis malè detorquetur, 270. efficaci nullum arbitrium

Digitized by Google

trium humanum resistere potest, 279 Ejusdem distinctio in efficacem & sufficientem retunditur, 279.294. Theologi Pontificii dissident, 282. regenerans non est tantùm svasio moralis,281 283. multa inde absurda,ibid. Pontificii hîc in partes eunt,282.284. Eadem omne bonum in nobis operatur,300. Justificans quid ? 353 &c. favorem Dei notat,366. Ejus efficacia omnibus & singulis fidelibus promissa est,425. Eadem in Christo est causa salutis nostræ,521. Operibus opponitur,5225.524. Stipendio, ibid. quomodo Sacramentis annexa? 580. Eis non alligatur,658. Baptismalis, seu Baptismo inhærens figmentum est,675. Gratia Dei sola sustentat lapsos & restituit,976.

Gregorius Ariminensis tormentum infantum,222.

Gregorius Magnus redarguit Oecumenicum Ecclesiæ Pastorem,72.

H

Hææmin האמין qualem habeat emphasin? 390.

Habitus acquisiti an ad posteros transmitti queant? 194.

Hæresi quis offendatur? 45.

Hæresis quid notet Pontificiis? 99. 100.

Hæreticos conversos quomodo veteres in Ecclesiam susceperint? 702.

Hæreditas meritum excludit,523.

Hebraica Editio Veteris Test.non est corrupta,157.

Hebræum idioma à Pontificiis negligitur, 155. ejus vocales consonis sunt coævæ,157.

Helvetii ad Concilium Trid.invitantur,181. Non parent invitationi, 740. 741. Inducti ad id à Rege Galliæ,742.

Henricus II.Galliarum Rex protestatur contra Concilium Trident. 741. dissvadet Helvetiis, ne probent Concilium,742.

Henricum III. Regem Galliæ pudet festi Corporis Christi,854.

Henricus II. Angliæ Rex à Monachis cœditur octoginta ictibus,1038.

Hesselii Κηρυγφύγετον de Nectario Confessionem abrogante,1005.

Hierarchia quomodo paulatim in Ecclesia succreverit,78.

Hieronymi Canon, 147. Versio an adhuc extet? 150.

Hierosolymitana Synodus Apostolica quos habuerit suffragatores? 28. Decreta ejus qualia? 45. 46. 630. 635. 669. Ejus authoritas, 45. 46. Præses, 59,60. Non recipit libros Apocryphos, 144. Omnium Conciliorum norma est,28.

Hierosolymitana Ecclesia mater est omnium N.T.Ecclesiarum,95.

Hitzdik הצדיק & δικαιῦν quid? 369.

HOC pronomen in verbis institutionis S. Cœnæ quid significet? 780. 796. 798. non significat individuum vagum,799.821.823.

Homines sunt instrumenta Dei, 309. non solummodo tamen instrumenta peccati respectu,310.

Homo

Digitized by Google

Homo naturalis & spiritualis quomodo differant? 275.
Hostia in pompa Pontificali circumgestatur, 847. adoratur, 858. elevari quando cœperit, & ad quid? 866.
Hostiis intoxicatis quidam perierunt, 805. 809.
הוא pro הִוא an in Scriptura legatur? 215.
Humanitas Christi non adoranda est, 871.
Hypocrisis insignis Pontificiorum peccata extenuantium & negantium, 447.
Hypocritæ, 477. verè fideles non sunt, 478. in Ecclesia sunt non ut membra, 503.
Hypostasis fidei quid? 390. 391. 396. 397. aliquando καύχησιν, & alia significat, 397.

I

Jacobi Apostoli conciliatio cum Paulo in doctrina de justificatione, 385. caput V. non agit de unctione Pontificia, 1057.
Jansenius laudatur, 514. & passim. ejus doctrina de gratia, 268. 270
Jansenitarum & Jesuitarum hostile dissidium unde? 981.
Ἰδία ἐπίλυσις Scripturæ quid? 173. 176.
Jejunia & consilia Ecclesiæ Romanæ sunt inter dogmata carnalia, 669.
Jeremias Propheta quomodo in utero matris sanctificatus fuerit? 211.
Jesuitarum & Thomistarum dissensio in doctrina de gratia & libero arbitrio, 268. 269. Theologia casuistica perstringitur, 1037. docent hominem omni amore Dei destitutum salvum fieri posse, 981.
Ignatius Lojola ex confessionibus nimiùm auditis in terrores conscientiæ incidit, 987.
Igne Baptizare solus Christus potest, 654.
Ignem Persæ cur circumgestârint olim? 847.
Ignorantia culpabilis an effectus sit peccati originalis? 189. 140.
Illationes unde fiant? 534.
Illuminati qui? 300.
Illusor Papatus, 365.
Imperatores olim convocabant Concilia, 19. 20. Conciliorum decreta confirmabant, 89. 90.
Imperfecta sunt piorum opera, 489.
Impossibilia quomodo obligent? 302. 451. Cur Deus præcipiat? ibid.
Impotentia legem Dei servandi, 438. 439. unde sit? 442. 489. hominis irregeniti, 294.
Imputatio justitiæ Christi, 370. non est fictio mentis, sed realis, 372.
Incantatio quid sit? 594.
Incertitudo seu dubitatio de salute multa gignit absurda, 416. causæ hujus insani dogmatis, 417. dogma hoc commune est etiam Diabolo, 427.
Indurare & misereri opponuntur, 345.
Indurationis, excœcationis & traditionis in reprobum sensum quænam sit causa? 307. 308. 310.
Infallibilitas quatenus Conciliis sit tribu-

Digitized by Google

tribuenda? 40.49. Privilegium fuit Apostolorum, 164. 174. non item ordinariorum Ecclesiæ ministrorum, 175. Papæ nulla est, ibid.

Infantes sine baptismo decedentes an pœna damni in Limbo, non pœna sensus in gehenna afficiantur? 222-243. Pontificiorum sententia, 223. Eos non promiscuè damnari probatur, 223-227. possunt martyrii coronam deportare, 227. quomodo ante baptismum regeniti dicantur? 229. post baptismum peccato originali infecti, 199. ante baptismum sunt in Ecclesia, 202. Ob baptismi defectum non sunt damnandi, 656. sanctificationis & regenerationis capaces sunt, 657. 659. quomodo iis Baptismus prosit? 598. intentionem baptismum suscipiendi nullam habent, 614.

Injuria Deo illata à solo Christo reparatur, 511.

Innocentius III. primus Confessionis auricularis patronus, 992. 1006.

Inquinamenta mundi effugere quid? 477.

Institutio Christi deest 5. Sacramentis Pontificiorum, 565.

Instrumenti vitium non est adscribendum causæ principali, 309.

Intentio sacerdotis Sacramentum administrantis ad integritatem Sacramenti non est necessaria, 611. &c. Dogma hoc tollit certitudinem efficaciæ Sacramentorum, 615, totum Papismum incertum reddit, & idololatriæ exponit, 616.

Intellectus est oculus mentis, 292.

Intercessio Christi pondere suo nunquam caret, 467. pro solis electis fit, 468.

Interim formula cuditur, 733. de ea queritur curia Romana, 734. Turbas excitat ibid.

Interpretatio Scripturæ non ab Ecclesia Romana nec à consensu Patrum pendet, 161. neque à Papa, 163. &c. est donum Dei non ad unum cœtum, vel ordinem hominum restrictum, 164. iniquè Papa sibi soli vendicat, 167. Objectiones Tridentinorum diluuntur, 168-177. Scriptura sui ipsius interpres est, 168. 169. ἰδία ἐπίλυσις quid sit? 173. Papæ non est infallibilis, 175.

Interrogatio bonæ conscientiæ quomodo Baptismus sit? 588.

Jobi afflictio à quo? 310. ejus fiducia explicatur, 419. integritas, ibid. 420. defectus, 440. 492. agnitio imperfectionis suæ, 487. fuit peccator, 491.

Johannis Bapt. Vide *Baptismus*

Johannes Baptista fuit præcursor Christi, 644. ab eo baptizati cur non nulli rebaptizati fuerint? 646.

Jother & Chasir non corrumpunt textum Hebræum Scripturæ, 158.

Ira Dei qualem pœnam notet? 235.

Iræ filii naturâ qui & cur dicantur? 291.

Irenæus quo sensu Romano Episcopo ἱκανωτέραν ἀρχὴν tribuat? 96.

Irregeniti quales sint naturâ, 263. eorum opera peccata sunt, 319.

Israeli-

Digitized by Google

Iſraelitarum conventus à quo indicti? 17.18.
Itala Verſio Bibliorum non fuit authentica habita, 156.
Judæi S. Scripturæ ſunt cuſtodes, 157. 158.
Judices conſervatores qui? 935.
Judiciaria poteſtas Chriſto non qua homini, ſed qua Filio hominis data eſt, 1029.
Judicia Dei quo reſpectu imperſcrutabilia ſint, 54.
Judicium humanum conſcientiis non dominari debet, 50, 51.
Judicium fidei ad quos pertineat? 37. Infallibile Eccleſiæ non eſt neceſſarium, 50. diſcretionis & applicationis Scripturæ ſingulis competit fidelibus, 162. non eſt penes ſolos doctores Eccleſiæ, 171.
Judicium circa peccatum duplici ratione pertinet ad Eccleſiam, 909.
Jugum Chriſti quomodo ſuave dicatur, 447.
Julii III. Bulla reſumptionis Concilii Tridentini, 723. Notæ ad eam, 725. &c. Ejus Proſopographia, 726. Cauſæ ad Concilium reſumendum impellentes, 729. Non conſtat ſibi Concilium Tridenti indicens, 726. Vult eſſe Concilii Dominus, ibid. 727. Eligitur in Pontificem, 734. Impulſu Cæſaris de Concilio habendo deliberat, 735. Ejus adverſus Proteſtantes pertinax animus, ibid. Mittit ad Helvetios, 740. Minatur Gallo ſpoliationem Regni, ibid.
Juriſdictio Epiſcoporum in Concilio reſtringitur, 757. Eccleſiaſtica fusè impugnatur, 894. &c.
Jus patronatus an dependeat à fundatione vel dotatione Eccleſiæ alicujus. 936.
Juſtificandi qui? 243.
Juſtificationis impii deſcriptio, 244. 245. ejus cauſæ, 245. 352. &c. Incrementa, 246. fructus, 249. non eſt habitus infuſus charitatis inhærentis, 353. ſed juſtitia Chriſti, 355. ejus cauſa meritoria à formali non diſtinguenda, 361. impia & blaſphema effata Pontificiorum de cauſa ejus, 362. Diſſenſus, 364. differt à regeneratione, 369. ideo cum ſanctificatione non confundenda, 539. non tollit omnia peccata ex homine, 441. abſolvit tamen ab omnibus peccatis, 675. quomodo ſit ex operibus, 542.
Juſtitia juſtificatorum qualis eſſe debeat, 355. Eſt juſtitia Chriſti imputata, ibid. 356. aſſeritur fusè, 362. &c. 367. an & quomodo inhærenter ſit in homine? 367. &c. an & quatenus amitti poſſit? 474. non eſt tantùm fictio mentis, ſed realis, 372.
Juſtitia alia eſt cauſæ, alia perſonæ, 494. ſtricta & temperata diſtinguitur, 535.
Juſtitia Phariſaica, 460.
Juſto quomodo lex poſita non ſit? 452.
Juſtus & juſtificatus quomodo differant? 541.

Digitized by Google

K

Keri & Chetibh non sunt corruptio textus Hebraici, 158.

L

Labia sacerdotis scientiam custodire debent, 169. 170.

Lapsi quomodo sint erigendi? 248. post Baptismum olim gravi coërcebantur pœna Ecclesiastica, 681.

Lateranensis Concilii sententia de Transsubstantiatione expenditur, 818.

Latriæ cultu an hostia veneranda? 858. 865. 873. affirmat Concilium Trident. ibid. 873.

Lavacrum regenerationis quid? 230.

Lectiones variæ textus corruptionem non arguunt, 158.

Legatorum Papæ admonitio in Sessione I. 99.

Leges Ecclesiasticæ baptismo an præjudicent? 661. &c. quomodo obligent, 662. non sunt immediatè à Spiritu S. nec pars Divini cultus, 666.

Legislator propriè dictus an Christus sit? 453. &c. summus est Deus, 664. minùs principales homines, 665. &c.

Leo Allatius Vide *Allatius*.

Leo X. aversatur Concilium, 11. 12.

Leo Magnus primus pœnitentiam privatam stabilivit, 950.

Lex Dei perfectè observari nequit, 436. &c. Mosaicæ perfectio, 455. 459. Divinæ rigor, 450. Ejus terrores quomodo salutares? 451.

Liberi arbitrii actus naturales non disponunt ad justificatiónem, 261. &c. 265. 266. in Spiritualibus nullas habet vires, 267. 273. &c. 290. &c. non cooperatur gratiæ, 267. 282. de eodem Augustini sententia, 275. 283. Vide *Augustinus*.

Liberum arbitrium gratiæ non resistere potest, 276. 279. ante regenerationem fertur tantùm in malum, 319.

Libertas Christiana, 164. circa ritus adiaphoros, 653. quousque se extendat? 664.

Limbus infantum, 223. Pelagii fœtus est, 236 Paradisus Muhammedicus est, 238. de eo Scholasticorum dissensiones, 237. Patrum, scholæ commentum est, 232. medius locus talis non datur, 233.

Linguarum originalium ignoratio Versionem Vulgatam Latinam authenticam fecit, 154. impedit Scripturæ interpretationem, 159.

Liturgiæ Veteres pleræque sublestæ fidei sunt, 877.

Lucta Spiritus cum carne etiam in justificatis residua manet, 442. 450.

Lutherus cur de non nullarum Epistolarum Scripturæ Divinitate dubitârit, 131. ejus de dogmate incertitudinis fidei & salutis vox, 426.

M

Macchabæorum libri quid ad historiam sacram conferant? 148.

Magistratus imperium Evangelicæ libertati nihil derogat, 64. ejus leges quomodo obligent conscientiam? 663. Pastor est, 58. ejus cura

Digitized by Google

circa sacra, 900. jus habet vocandi Ministros, 901.
Major inter fideles quis sit? 668.
Malachias ultimus Prophetarum, 138.
Malè facere homini naturale est, 291.
Mali bene operari non possunt, 322.
Mandati & consilii differentia, 47. 667.
Mandata Dei obedientiæ & officii norma sunt, 208. quomodo gravia non sint? 448. &c. eorum observatio perfecta an sit possibilis? 247. non sunt norma virium, sed officii nostri, 271. V. *Legis impletio.*
Manducatio carnis Christi Spiritualis, non oralis est, 769. in quo consistat? 784. Oralem Amalarius primùm in Ecclesiam Latinam introduxit, 777.
Manuum impositio quomodo ab Apostolis fuerit adhibita? 693. quid effecerit? 695. qualis apud Pontificios? 703. Non est Sacramentum confirmationis ibid.
Manichæis deteriores sunt Pontificii in articulo de peccato originali, 189. 190. 191. quia Deum faciunt authorem peccati, ibid.
Marcelli Papæ Epistola rapsodia est, 25. 26.
Marci Anton. de Dominis dissertatio de pluralitate beneficiorum, 559.
Marinarus malè habetur, 115. sententiam orthodoxam de peccato originali tuetur, 204. item de justificatione, 361. de certitudine salutis, 415. voti Sacramentorum necessitatem impugnat. 657.
B. Maria. V. *Virgo.*
Μαριολατρεία serò in Ecclesiam invecta est, 214.
Martyres veteres nondum baptizati, non damnandi sunt, 227.
Mauritius Saxoniæ Elector fidei Caroli V. Imperat. permittit Concilium, 729. ejus Legati Tridentum veniunt, 1065. 1066.
Media à fine non sunt divellenda, 425.
Medicus Christus est ægrotis, non sanis, 211.
Mediis uti tenemur. 226.
Mendozæ protestatio contra Synodum Bononiensem, 731.
Mercedis intuitu an operari liceat? 512 &c.
Merces & meritum an & quomodo sint relata? 533.
Merces terrena veram virtutem non arguit, 326. 327.
Mercenarius quis sit? 513.
Meriti Christi sufficientia absque efficacia esse nequit, 341. illud applicandi potestas non Ecclesiæ, sed soli competit Christo, 637. non applicatur per satisfactiones. 1019 1020.
Meritum non potest esse satisfactio, 1015.
Merita operum fusè discutiuntur, 516. &c. meriti requisita, 519. 525. &c.
Meriti definitio Pontificiorum arguitur, 518. &c. 525. merita à Patribus plerisque exploduntur, 530. eis non subest justificationis augmentum, 538. &c. nec gloriæ, 543.

Meſſalianorum ſeu Euchetarum dogma quale fuerit? 677.

Miniſtri Eccleſiæ à Principibus hujus mundi differunt, 48. qualia ſint inſtrumenta? 621. inter illos & judices politicos magnum eſt deſcrimen, 622. eorum & cauſæ principalis diſcrimen, 623. 624. eorum intentio non requiritur ad Sacramenti efficaciam, 624. merè miniſtri, nullatenus Domini ſunt, 896.

Miraculorum ritus non ſunt ſacramentales, 654.

Miraculoſa fides qualis? 501. ab Antichriſtianis jactatur, ibid.

Miſſa corpus Chriſti ſimul in cœlo & in terra exiſtere dicit, 768. pro infantibus fruſtra celebratur, 203. eorum arguit peccatum, ibid.

Miſſio Chriſti & Apoſtolorum in quibus conveniat? 670.

Μισθὸς quid? 533.

Monachalis vita perſtringitur, 416.

Monachi magis quàm Epiſcopi Papæ poteſtatem defendunt, 182. illis olim concionari non licuit, 182.

Monaſteria Epiſcoporum juriſdictione eximere Papatus habetur arcanum, 183. Exemptio eorum arguitur, 256.

Monita & minæ non fruſtra fiunt, 303.

Montaniſtarum & Novatianorum hæreſis, 951.

Montanus Card. Concilii Trident. loco Pauli III. præſes ejus translationem promovet, 712. 715. &c. ejus arrogans reſponſum redditum Velaſco proteſtanti Cæſaris nomine, 732. Papa eligitur, & nomen Julii III. aſſumit, 734. Vide *Julius III.*

Moribundis an Euchariſtia ſit miniſtranda? 842. 844.

Mors non eſt ſequela naturæ, ſed pœna peccati, 199. 505. ſtipendium peccati, 211. 524. fidelium non habet rationem pœnæ pecati propriè dictæ. 510.

Mors Chriſti non eſt ſubita loco ſingulorum hominum, 337. &c. ejus amplitudo, 338. &c. Ejus in ſufficientem & efficacem diſtinctio nulla eſt, 341.

Mortem gignere quomodo concupiſcentia dicatur? 207.

Mortui in peccatis bene operari ex ſe nequeunt, 293.

Moſcholatria Iſraëlitarum à Deo punita fuit etiam ſerò, 509.

Munditics cordis qualis ſit in regenitis? 418.

Mundus credentium, 346. quomodo Chriſtus pro eo mortuus dicatur? 347. de eodem Auguſtini ſententia, ibid. non notat ſemper ſingulos qui in mundo ſunt, 348. Ejus inquinamenta effugere quid? 477.

N

Næpheſch נפש quid notet? 445.

Natura hominis corrupta eſt, 263.

Naturæ & legis imbecillitas ad juſtificandum hominem, 243.

Nectarius privatam confeſſionem in Eccleſia Orientali abrogavit, 994. 1003.

Nepotiſmus in Concilio Trid. fovetur, 931. 935.

Nico-

Digitized by Google

Nicenum Concilium I. & II. in quibus rebus erraverint? 40.41.
Nicolai I. vox de laicis in Concilio ſuffragantibus, 31.
Nicolai II. ſententia de S. Cœna contra Berengarium, 827.
Ninivitarum pœnitentia, 334.983.
Norinbergenſis conventus, 13.
Notitia fides certa eſt, 421. quam fideles habent de remiſſione peccatorum unde eſt, 408.409.
Nutritii Eccleſiæ Reges ſunt, 54.

O

Obedientia Chriſti cauſa eſt regenerationis, 228.
Obedientia non ſemper præſupponit imperium, 907.
Obligari ad impoſſibile an quis poſſit? 302.
Obſignatio credentium quid ſit? 607. 608.
Obſtetrices Ægyptiacæ quomodo Deum timuerint? 301.
Oculus hominis lucidus quo ſenſu dicatur, 493.
Odio & condamnatione dignum quid, an in regenitis remaneat? 204.205.
Oeconomi quales fuerint Apoſtoli? 47.
Oecumenicum Concilium hodie nullum à Papa convocari poteſt. 22
Oecumenicus Eccleſiæ paſtor Antichriſtus, Beſtia, Pſeudo-propheta audit in Scriptura, 70.
Oecumenicus Papatus fusè impugnatur, 61. &c. in Concilio jugulatur, 560.
Ὁμολογεῖν τὰς ἁμαρτίας non infert Confeſſionem auricularem, 1002.
Omnis particula non ſemper exceptionem excludit, 343.344.
Omnes quomodo credere teneantur? 150.
Opera irregenitorum ſunt peccaminoſa, 319. &c. ſunt mali malæ arboris fructus, 322. Deo non placent, ib. peccatis polluta ſunt, 326. 489. non juſtificant, 354. &c. ſunt imperfecta, 485. &c. Eorum primarius finis, 512. quo ſenſu mercedis intuitu fieri poſſint ibid. eorum merita fusè diſcutiuntur, 516. & 249. bona fide juſtificante poſteriora ſunt, 375.
Operis meritorii requiſita, 525.
Opera pœnalia Pontificiorum à S. Scriptura ignorantur, 1013. damnantur, 1014.
Opus operatum Spiritus S. in Sacramentis quale ſit? 597.
Oralis carnis Chriſti manducatio inutilis eſt, 769. & impoſſibilis, 770. ab idolorum fabricatoribus ortum traxit, 777.
Oravit Chriſtus pro Petro & cœteris Apoſtolis, 70.
Ordinis actus in Concilio quinam ſint? 54.55.
Ordinis externi ſanctio à quo pendeat? 18.
Orientales Eccleſiæ ab Occidentalibus ſeparatæ ordinis poteſtatem retinent, 67.
Origenis de Unctione ſententia, 1061. 1062.

Digitized by Google

Originalis Scripturæ textus an interierit? 159. ejus ignoratio noxia eſt, ibid.

Originale Peccatum definitur à Concilio Trid. 177. qua in re ejus eſſentia? 187-196. Variantes Pontificiorum ſententiæ, 188. quomodo ſit qualitas poſitiva, ibid. aſſeritur fuiſſe, 189. intellectum & voluntatem corrupit, 190. Pontificii id tollunt, 191. unde multa abſurda, ibid. Scholaſticorum opiniones variæ, 191.192. Objectiones Trident. diluuntur, 192.-196. Eſt ens poſitivum, 193.194. quomodo propagetur, 194.195. per baptiſmum non tollitur, 196. &c. à peccato actuali diſtinguendum, 197.198. in regenitis eſt cauſa actualium, 198, mortis, 199. manet in regenitis, 200. &c. meretur æternam damnationem, 234. pœnam damni & ſenſus, 223. 232.

Orimaſda Perſarum quis? 847.

P

Paciecus Cardinalis non conſentit Bononienſi translationi, 713. Bononiam migrare recuſat, 719.

Palatinus Elector cauſam Concilii fidei Imperatoris Caroli V. permittit, 730.

Panis in Euchariſtia quomodo ſit & dicatur Corpus Chriſti, 763.764. communio corporis Chriſti, 766. 822. non annihilatur, nec convertitur in corpus Chriſti, 814. Vide *Euchariſtia*.

Papa. Ei non omnes Eccleſiaſtici ſubſunt, 22. Jus præſidendi in Concilio non habet, 52. non eſt ſucceſſor Petri, 53.58.75.68.77.79.8.. Non eſt caput Eccleſiæ, 61.85. non eſt infallibilis, 69.70. Ejus majeſtas in quibus conſiſtat, 80. authoritas & potentia in Concilio Trid. ſtabilitur, 107. Vult haberi Eccleſia repræſentativa, ibid. Eorum aliqui ab Eccleſia reprehenſi ſunt, 164. ſunt errori obnoxii, 166. Diſſenſum inter ſuos tollere nequeunt, 167. Infallibilitatem ſtultè ſibi arrogant, 175. Papæ authoritas habetur principium ἀναπόδεικτον, 384. Legem Dei ſolvit, 459. ſe ſupra Chriſtum effert, 848.

Papatum dubium reddit dogma de intentione Sacerdotis, 616.

Papias credulus nimis, 83.

Pariſienſe Parlamentum improbat diſpenſationes Papales, 752.

Paſcendi munus non eſt imperium, ſed miniſterium, 76.82. non ſoli Petro, ſed cœteris quoque Apoſtolis injunctum fuit, ibid. 78. Paſcere non eſt dominari, 76.905.

Paſcha non fuit typus Euchariſtiæ, 712.

Paſchæ & Pentecoſtes tempore tantùm olim baptizabatur, 649.

Paſſiones quales nos cum Chriſto conformes faciant? 1023.

Paſtor cur dictus fuerit I. liber Macchab. 148.

Paſtorum Eccleſiæ munus, 39.82. iis quatenus obediendum? 670. quomodo peccata remittant? 1031.1034.

Paſto-

Digitized by Google

Pastophoria veterum quid? 844.
Patriarchæ quo sensu œcumenici fuerint dicti? 95.
Patres V. T. quomodo justificati fuerint? 266.
Patris titulo quomodo Papa sit compellandus? 58.
Patrum consensum iniquè crepant Pontificii, 165. iis Transsubstantiatio incognita fuit, 815. &c 827. eorum sententiæ de Pœnitentia examinantur, 950. alicubi de Baptismi necessitate cur incautiùs locuti? 658. 659.
Pauli raptus in tertium Cœlum, 406.
De Paulinianistis quid Concilium Nicœnum decreverit? 41.
Pauli III. Bulla indictionis Concilii Trid. 1-10. Notæ ad eandem 11-16. à Concilio abhorruit, 12. &c. Cur Mantuam profectus ad Carolum V? 14. Sanguinarius fuit, ibid. Vitia & nefanda scelera ejus recensentur, 15. Cum Carolo V. agit procaciter, 19. Jubileum publicat, 98. Ejusdem diploma classicum est belli in Germania, 256. Bononiensis translationis Concilii conscius & author fuit, 714. 715. &c. Ejus Bulla facultatis, 718. Henrico II. Galliæ Regi fœdus offert contra Cæsarem, 721. Carolo V. Concilium Bononiense, & bellum adversus Angliæ regem Eduardum VI commendat, 730. 736. meditatur fœdus adversus Cæsarem, 732. Nuntios mittit in Germaniam cum Bulla invitante ad reconciliationem, 735. 737.
Peccatum homini naturale est, 190. quomodo voluntarium? 208. est vitium instrumenti, 309. concretè considerati plures dantur causæ, 310. ejus macula post remissum reatum remanet, 370. 371. Originale quid? 187. Vide suprà *Originale*. Ejus authorem faciunt non Reformati, 304. &c. 315. 317. sed Pontificii, 363. ejus remissio quid? 360. 361. remittere solus Deus potest, 1029. 1035. ejus agnitio ex lege ad pœnitentiam requiritur, 961. non est causa remissionis, sed conditio, 970. gravitas ejus unde æstimanda? 1021. malè distinguitur in mortale & veniale, 882. omne est *ἀνομία*, 883. Omnes homines infecit, 485. 488.
Pelagianorum sententia de Gratia & Natura, 268. à Jesuitis & modernis Pontificiis defenditur, 269. de Salute non baptizatorum infantum, 236.
Pelagianismo favet sententia Pontificiorum de Peccato originali, 190. 199.
Pelargi concio seditiosa Tridenti habita, 1071. 1074.
Πιστεύοντες à Vulgato interprete malè vertuntur credentes, 1000.
Perfectio legis Mosaicæ, 455. &c. 459.
Permissio Dei circa peccatum non est planè otiosa, 308.
Persarum mos Mithræ imaginem circumferentium, 847.
Perseverantia Sanctorum, 248. fusè pro-

propugnatur, 463. &c. ejus certitudo subjectiva defenditur, 481. absurda ex Pontificiorum dogmate contrario monstrantur, 472. &c.
Personarum acceptio in gratuitis locum non habet, 536. apud Deum nulla est, ibid.
Persuasio moralis nullam certitudinem gignere potest, 415.
Petra Christus est, 80. quomodo à Petro distinguenda, 75. in deserto fuit typus Christi, 574.
Petrus an præfuerit Concilio Hierosolymitano? 59. 79. an cœteris Apostolis major? 77. 79. nunquam fuit caput Ecclesiæ, 75 76. an, & quomodo Petra? 80. jussus est pascere oves non suas, sed Christi, 82. Romæ an unquam fuerit? 83. Repræsentavit Ecclesiam sociali modo, 67. Infra reliquorum Apostolorum dignitatem à Pontificiis deprimitur, 67. 77. 79. Ejus lapsus non sustulit ejus fidem, 479.
Pharaonis induratio à quo? 310.
Pharisæis similes sunt Romanenses, 203.
Φαρμακεία, incantatio quid? 594.
Φωτισμὸς illuminatio an Baptismus sit? 679.
Pictavii Oratoris Cæsaris colloquium cum legatis Protestantium, 1070. ejus impia vox de Scriptura, 1073.
Pœnæ damni & sensus distinctio qualis? 222. est ἄγεωφ@, 232. ambæ indivulso nexu cohærent, ibid. futuri sunt gradus, 239. non æternas tantùm, sed & temporales pro nobis Christus pertulit, 507. Piorum non sunt satisfactiones & vindictæ, sed castigationes, 510. propriè dictas Ecclesia non infligit, 899. earum timor non bonus est, 330. non mutat voluntatem malam, 331.
Pœnitentia baptismalis & postbaptismalis Pontificiorum est figmentum, 679. quo sensu veteribus secunda post naufragium tabula fuerit dicta? 681. 949. Evangelica à Papistica multùm differt, 893. non est Sacramentum propriè dictum, 937. &c. Materia ejus an sit contritio, confessio & satisfactio? 939. &c. 941. 953. &c. Ejus origo, 942. qualem Apostoli docuerint? 947. Patres qualem? 950. Partes ejus, 960. &c.
Polycarpus, Irenæus, Cyprianus, Augustinus, alii an Papam pro Ecclesiæ capite agnoverint? 86. 87.
Polytopiæ corporis Christi absurditates, 787. 789. Vide *Corpus Christi*. Item, *Eucharistia*.
Pontifices Rom. inde à Leone X. omnes à Concilio legitimo abhorruerunt, 12. Arcana eorum, 182. non idem esse Pontificem & Sedem Apostolicam Galli tuentur, 752. V. *Papa*.
Pontificum mandata ad Concilium & legatos missa. V. *Tridentinum Concilium*.
Potentia Dei non est alligata Sacramentis, 226. hominibus non communicatur, 674. ad contradictoria

&

& implicantia sese non extendit, 806.
Potentiæ hominis planè corruptæ sunt, 291.
Potestas civilis ab Ecclesiastica toto genere differt, 898. Unica est à Deo instituta, 900. Ecclesiastica non uni soli homini est commissa, 65. qualis hominibus sit à Deo communicata? 241. Papæ qualis sit? 16.17.
Pseudo-Christi & Pseudo-Prophetæ qui? 762.
Præcepta Dei quomodo possibilia vel impossibilia sint? 442.449. illis nihil addere licuit in Vet. Test. 665. Humana ad cultum carnalem pertinent, 666.669.
Prædeterminantes qui? 277.278. nobiscum faciunt, 282.284.285.289.
Prædestinationis certitudo defenditur, 247.427.&c. ejus effectus, 430. causæ, 435.
Prædeterminatio voluntatis humanæ an cum libero arbitrio consistere queat? 277.278.
Prædicationem Verbi Dei per quos Concilium Trid. fieri voluerit? 183.
Prælectiones per quos fieri debeant? 183.
Præparatio justificandorum qualis requiratur? 244. non fit per opera, 378.379.383.384.
Præparatio ad S. Cœnam qualis fieri debeat? 891. &c. Sufficientiæ & probabilitatis exploditur, 893.
Præscientistæ qui? 277.282.284.
Præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, 760.&c. triplici sensu accipitur, ib. malè in naturalem & supernaturalem distinguitur, 772. Vide *Eucharistia. Corpus Christi. Polytopia.*
Præses Concilii quis esse debeat? 52.&c.55. præsidendi jus non competit soli Papæ, 52.
Πράξεις ἀναγγέλλειν quid? 1000.
Preces secretæ in Ecclesiis nostris usitatæ vindicantur, 627.
Presbyteris advolvi, non est confiteri, 1004.
Primatus Papæ qualis? 62.
Principes hujus mundi quomodo Dei sint ministri? 48.
Privatio sola absque contemptu Sacramenti noxia non est, 226.
Prolapsi qui dicantur, 476. à simpliciter lapsis differunt, 679.
Promissiones Divinæ quomodo sint conditionatæ, 421. 429. earum & præceptorum par ratio est, 424.
Promissiones Dei de bonis spiritualibus omnibus credentibus communes sunt, 657.
Promissio gratiæ utriusque Testamenti Sacramentis annexa fuit, 580.
Prophetiæ donum & ordinarium Ecclesiæ ministerium differunt, 165.
Propheticus liber qui dicatur? 138. quinam illis annumerandi? 142.
Πρόσκαιροι quinam sint? 475.
Protestantes Turcis comparantur in Concilio Trid. 102. à Leone X. prædamnantur; 100. quomodo audiendos putaverint Tridentini, 101. iis

Cæsar imperat Concilii frequentatiouem, 735. habendi Concilii conditiones præscribunt, 730. Salvum sibi conductum præstari petunt, 753. subdolè talis iis conductus decernitur, 756. 757. Theologos suos Tridentum mittunt, 1071. actionis inchoationem urgent, ib. disceptatur an, & qualis cautio illis concedenda, 1066. in Concilio non audiuntur, 1074.

Prudentiale principium interpretandæ Scripturæ Papæ infallibilitas nullum est, 175.

Puncta vocalia Hebræa consonis coæva sunt, 157.

Q

Quasi quid notet? 953.

R

Rechenbergii Abbatis Einsidlensis de Præsentia reali corporis Christi vox, 860.

Redemptio Christi non est universalis, 337. &c.

Redempti quomodo infideles dicantur, 2. Pet. II. 1? 348.

Redimere quid? 772.

Redingius Abbas Einsidl. falsus testis, 378. à Scriptura ad Patres provocat, 439. auream Pauli catenam luxat, 464. 473. mendacii arguitur, 567. & passim. criminis falsi postulatur, 698. & alibi. Polypo mutabilior est, 590. variorum errorum arguitur, 596. Ignorantiæ, 646. & passim.

Reformatio Cleri & populi Concilio Tridentino prætexebatur, 101.

Regeneratio hominis fit per gradus, 206. non habet dispositiones prævias, 264. &c. non est opus voluntatis humanæ, 273. sed Spiritus Sancti, 274. ejus principium & progressus distinguitur, ibid.

Regeniti peccato originali subsunt, 196. &c. 198. eorum perfectio qualis? 449. 450.

Regnum Christi quale sit? 897.

Regula fidei quæ? 134.

Religio Romana non fide Divina, sed hominum opinionibus nititur, 76.

Remissio peccatorum efficit, non, ne peccatum in homine existat, sed ne ei imputetur, 205. Remissio peccatorum & renovatio mentis non sunt partes justificationis, 359. Utriusque discrepantia, 360. non pendet ex Sacramentis, 596. nec proinde effectus est Baptismi, 640. tribuitur tamen baptismo, 673. &c. plenam Christus impetravit, 526. Ejus caussa efficiens est voluntas Dei, non verba hominum, 945. non ulla operum merita, 996.

Remittendi potestas qualis Ecclesiæ ministris concessa sit? 998.

Remittere peccata solius Dei est, 1029. quomodo verò Christus, quo Apostoli & Ministri Ecclesiæ dicantur? 945.

Repræsentatio Ecclesiæ qualis sit juxta Pontificios, 33. est character Bestiæ, 34.

Reprobi an & quomodo Evangelio crede-

Digitized by Google

credere teneantur? 301. culpa non vacant 352.
Reſidentia urgetur à Cardinale Montano, 255. à Caranza, 255. De ea decretum conditur, ibid. 279. abuſus ex non reſidentia, 257.
Reſiſtendi libertas repugnat fundamento Prædeſtinationis, 277.
Reſiſtere Spiritui Sancto qui dicantur? 285. &c.
Revelatio Novi Teſt. qualis? 49.
Revelationes fœminabus quibuſdam factæ exploduntur, 856.
Reverentia Symbolis ſacris qualis debeatur? 861.
Rhæti Epiſcopum ſuum Curienſem ex Concilio Trid. revocant, 742.
Ritus adiaphori Eccleſiam non obligant, 653.
Ritus veteris Eccleſiæ in Euchariſtia, 877. à modernis Eccleſiæ Pontificiæ longè diverſi ſunt, ibid.
Ritus Sacramentales Pontificii an neceſſarii? 625. Eccleſiaſtici non obligant conſcientiam, 626. ſunt ſuperſtitioſi & quidam impii, 627. onera ſunt, 628. eorum nimia copia, 629. ex Judaiſmo & Paganiſmo tranſſumpti, ib. 630. non ſunt pars Divini cultus, 631. eum corrumpunt, 634. Baptiſmales diſceptantur, 647 &c. Veterum recenſentur, 649. &c. ſunt plerique humanæ originis, 651. non ſunt Sacramentales, 654.
Roma moderna generoſi vini peſſimum eſt acetum, 96. emporium ſpirituale, 605.
Romana Eccleſia in magna olim fuit veneratione, 95. defecit, 97. ejus corruptionem fatentur ipſi Tridentini, 101. ritus ſuos aliis obtrudere non debet, 631, falsò ſibi tribuit jus in alias, ibid. Et poteſtatem definiendi de Sacramentis, 647. Symbolum Nicenum mutavit, & Schiſmati occaſionem præbuit, 112.
Romanum Concilium IV. à Rege Theodorico indictum eſt, 25.
Ruach רוח Spiritus, voluntatem Dei revelatam aliquando ſignificat, 286.

S

Sacerdotes Veteris Teſt. quomodo ſcientiam cuſtodiverint? 170. eorum decreta qualia? 44. externam poteſtatem cur & quando exercuerint? 900. quomodo purificaverint, 1030.
Sacramenta. Abuſuum in iis reformatio, 556. an ob eorum diſpenſationem aliquid accipiendum? ibid. eorum numerus ſeptenarius fusè refellitur, 561. &c. Veteris & Novi Teſt. Sacramenta an ſubſtantiâ differant? 572. &c. Obſignant fœdus Dei ejuſque promiſſiones, ibid. quomodo exhibuerint gratiam? 575. 577. figurativa & demonſtrativa fuerunt, 576. Eis tribuitur propitiatio, 577. quomodo egena mundi elementa dicantur? 579. Eorum phyſica efficientia & Opus operatum fusè oppugnatur, 583. &c. non ſunt cauſa gratiæ nec phyſica nec moralis, 587. ſuo modo promiſſionem gratiæ continent, 592. & ex-

habent, 593. sunt signa practica, 599. characterem nullum communicantibus imprimunt, 601. &c. ritus Pontificii examinantur, 625. &c. Intentio Sacerdotis administrantis refellitur, 611. &c. Non sunt adoranda, 862. &c.

Sacramenti vox apud veteres passim pro quocunque signo sacro sumitur, 710.

Sacrificia Vet. Test. quo sensu ἱλαστικὰ propitiatoria fuerint? 581. Propitiatorium nullum est præter Christi sanguinem, 971.

Sacrificuli Missifici θαυματουργοὶ haberi volunt, 594. sed φαρμακεῖς incantatores potiùs sunt, ibid.

Salazar Episcopus Hispanus malè habetur, 105. Episcoporum vitia aulæ Romanæ imputat, 556.

Salus non dependet è Baptismo, 224. aut Necessitate medii, 225. ejus remedia an ad unum restringi possunt? 569. Salus in spe & in re nonnisi ratione differunt, 674.

Salvus conductus. V. *Protestantes.*

Sanationis donum miraculosum & temporarium fuit, 1058.

Sanchesii de Matrimonio opus flagitiorum fœdissima sentina est, 991.

Sanctificari qui dicantur? 350.

Sanctificatio cum justificatione à Pontificiis confunditur, 367. Utriusque differentia ostenditur, 368. in adultis invisibiliter efficitur, 659.

Sanctitas Ecclesiæ Pontificiæ qualis? 101, 102. Infantum qualis? 224. nonnullorum Pontificiorum ementita, 444.

Sanctuli fictitii, 444.

Sanguis Christi in Eucharistia an sit Testamentum? 765. ejus effusio non quævis, sed in morte satisfecit justitiæ Dei, 1011.

Sanguinis & suffocati interdictum non nova fuit ceremonia, 630. temporarium fuit interdictum, 635.

Sapientia nobis quomodo Christus factus sit? 358.

Sardicense Concilium non fuit Oecumenicum, 88.

Sarisim סריסים Esaj LVI. 4. Eunuchos infames significat, 547.

Satisfactio an sit materia Sacramenti Pœnitentiæ, 953. Humanæ fusè refelluntur, 1009. &c. non subordinantur Christi satisfactioni, 1019. à sacrificulis injunctæ impiæ & injustæ sunt, 1013. ad desperationem gradus, 1015. earum definitiones, ibid. Usus, 1022. Patrum de iis sententiæ, 1016. 1027.

Scabellum pedum non est adorandum, 871.

Schachar שחר quid? 533.

Scholasticam Theologiam eliminari petunt Canonistæ, 187. 193.

Scholasticus quis olim dictus fuerit? 183.

Scipio Henricus Jesuita Messanensis, Svavis Polani censor, refellitur defendens contra Svavem Clementem VII. 12. jus convocandi Concilium quasi proprium Papæ, 23. 25. Prædamnationem Leonis X. 100.

Digitized by Google

100. Non editionem actorum Concilii, 106. Titulum Concilii, 107.108. Definitionem articulorum à paucis manantem, 118. Theologiæ scholasticæ & Canonistarum abusus, 187. Translationem Concilii Bononiam, 716. Bullam facultatis Pauli III. 718. Bullam ejusdem invitantem ad pœnitentiam, 737. Dissensum Theologorum, 756. Non admissionem ad Concilium Legatorum & Theologorum Protestantium, 1074.
Scoti de Transsubstantiatione sententia expenditur, 818. Redingio opponitur, ibid.
Scriptura. Articuli de ea propositi in Concilio ventilantur, 115. ejus perfectio asseritur, 121. &c. Eam Dei verbum esse non constat ex Traditione, 130. sufficiens est ad salutem, 121.122. Est unica fidei & morum regula, 122. pro ejus integritate Deus vigilat, 124. Ejusdem necessitas, 128. ejus divinitas unde agnoscatur? 130. Canon unde? 131. Sensus, 132. Perspicuitas, 133. libri Canonici, 137. &c. eorum librorum numerus, 145. est ἀξιόπιστος καὶ αὐτόπιστος, 172. sui infallibilis interpres, 174. impiè à Pictavio res muta vocatur, 3073. à Theologis Tridentinis exsibilatur & detorquetur, 932.933.
Scrutinium competentium, 648.
Sectæ unde originem trahant? 173. 174. in ipsa Romana Ecclesia plures sunt, 177.185.
Semen Dei in fidelibus manens quid? 468. &c.
Semipelagiani qui? 268. iis succenturiantur Scholastici, 269.
Sensuum testimonium confutat Transsubstantiationem, 828.
Separationis nostræ ab Ecclesia Romana causæ, 102.
Septenarii numeri celebritas, 570.
Servare & præservare à peccato non unum idémque est, 211.221.
Sessionum à Congregationibus præpostera distinctio, 106.
Sfondratus Cæsari Bononiense Concilium svadet, 730.
Sigillum Concilii, 110.111. Spiritus Sancti obsignans quid? 405. Confessionis humanum inventum est, 991.992.
Sigilla sunt rerum vel præteritarum vel futurarum, 594. non confundenda, ibid.
Signaculum Dei quid? 429.
Signa non continent in se rem signatam, 585. nec efficiunt, 586. quam habeant inter se analogiam? 955. signando repræsentant, 623. 624. ante & post usum non habent rationem Sacramenti, 831.
Simon magus fictè credidit, 501. non fuit justificatus, 464.
Simultas potentiæ & potentia simultatis qualis sit distinctio? 277.
Sirmondus cum Aurelio contendit de Chrismate, 709.
Sixtus Papa vulgatam Versionem à multis mendis purgavit, 152.
Sleidanus Tridentum venit, 932.

Solicitudo de mediis salutis, non est dubitatio, 423.
Solifidiani qui dicti 381.
Sorbona Paris. Papali potestati adversatur, 67. 68.
Spes res promissas exspectat, 376. spe salvum esse quid? 384 spes & fides quatenus inter se differant? 399. ejus præstantia, 432.
Σφραγισμὸς obsignatio fidelium quid sit? 607. 608.
Spiritus privatus non est interpres Scripturæ, 173. Neque proin Papæ, 174. 175.
Spiritus S. ducit in omnem veritatem, 49. 169. quomodo renatis donatur? 274. Ejus effecta communia, 476. quomodo ab Apostolis fuerit collatus? 695. miraculosè datus, 703. ejus testimonium de nostra adoptione, 493. 404.
Sponsor noster Deo obedientiam non simpliciter debuit, 533.
Stare fide quid? 434.
S. Stephani caput & corpus duobus in locis ostentantur, 84.
Stipendium & donum gratuitum sibi opponuntur, 524.
Subscribere Conciliis quorum sit? 34. 35.
Sufficientia meriti Christi absque efficacia esse nequit, 341.
Suffragari in Concilio quibus liceat? 26. &c.
Syllogismus practicus de certitudine salutis, 483.
Symbolum Ecclesiæ Rom. dicis causa in Concilio Trid. legitur, pro Niceno venit, 112.
Symbola præsentiæ Dei non sunt adoranda, 870. sed ceu sacra honoranda, 873. 875.
Synodorum in interpretanda S. Scriptura utilitas, 176. illarum judicium tantùm ministeriale est, ibid. Provincialium celebrandarum injussu Papæ, Cæsar potestatem facit, 738.
Synodus. Vide *Concilium*.

T

Tabulæ mandati Divini norma sunt judicii humani, 39.
Temporales etiam pœnas Christus pro nobis toleravit, 507.
Temporarii credentes quales sint, 475. 477.
Tempus Sacræ communionis disceptatur, 885.
Testamentum Vetus in Joh. Baptista desiit, 642.
Testimonium Spiritus S. de nostra adoptione, 404. 413. Sensuum confutat Transsubstantiationem, 828.
Terrores conscientiæ à lege incussi pœnitentiæ pars sunt, 961.
Theologia scholastica perstringitur, 752. 753. 756. 951. &c 935.
Theologis in Concilio silentium injungitur, 931.
Thomas Aquinas refutatur, 342. ejus & asseclarum sententia de authore peccati, 318. ejus à Scotistis in modo præsentiæ corporis Christi dissensus, 778. 779. fuit patronus festi Corporis Christi, 851. ei columba adhu-

Digitized by Google

ad humerum cur appingatur? ibid.
Timor quis ſit initium ſapientiæ? 333. Gehennæ propriè dictum peccatum eſt, 328. &c. Homini eſt laqueus, 330. gradus ad deſperationem, 331. non ex Dei, ſed ſui ipſius amore naſcitur, 331. non præparat ad juſtificationem, 336. ſervilis non eſt ſalutaris, 984. Opponitur fidei & fiduciæ, 392. 423. 434. Timori Dei filiali, 482.
Tickun Sopherim quid? 157.
Tormentum infantum, 222.
Traditio in reprobum ſenſum quomodo fiat? 307.
Traditionis ſint ne verbo Dei ſcripto æquiparandæ? 119.-137. Apoſtolicæ nullæ ſunt non ſcriptæ, 120 ſunt Pontificiæ religionis fundamentum, 121. &c. Fdei certitudinem gignere non poſſunt, 123. iis in V. T. nullus fuit locus, 124. non ſunt neceſſariæ, 125. indefinitæ ſunt, ibid. Patribus damnantur, 126. Earum Origo, 127. Objectiones, 128. Patrum de iis ſententiæ, 135. 136.
Tranſſubſtantiatio an fiat in Euchariſtia? 797. &c. refellitur, ibid. &c. pugnat cum inſtitutione S. Cœnæ, & præcipuis fidei articulis, 802. S. Cœnæ eſſentiam deſtruit, 803. Implicat, 805. de modo ejus inter ipſos Pontificios diſceptatur, 813 Antiquitati incognita fuit, 815. 827. ejus legitimæ conditiones, 864.
Tridentini Concilii initium, 98. ordo apertioniis, ibid. ſcopus, 99. &c. qua conditione Proteſtantes audire voluerit? 100. qua methodo uſum in examinanda ſententia Proteſtantium, ibid. Reformationis neceſſitatem agnoſcit, 101. Generalis titulum ſtatim in prima ſeſſione ſibi tribuit, 102. Trojano equo comparatur, 103. Titulus ejus diſceptatur, 105. &c. Acta ſua vulgari vetat, 106. Præceptum de modo in eo vivendi, 108. de modo veniendi ad propoſitum finem diſceptatur, 109. Papæ ſigillo munitur, 111, ſententias non expendit, 185. S. Scripturam anathematizat, 200. armis decidere controverſias mavult, 258. Hallucinatur circa articulum de juſtificatione, 359. Ejus doctrina eſt mater ſuperbiæ, hypocriſeos, infidelitatis, injuſtitiæ, 447. Seſſione VII. capita doctrinæ omittit, 555. Simoniæ non medetur, 559. Bononiam transfertur, 711. &c. idque per veteratorias artes, 717. Sub Julio III reſumitur, 723. &c. 725. 727. &c. 735. Conventus nomine à Rege Galliæ inſignitur, 741. 743. quatuor articulorum definitio ad Proteſtantium uſque adventum per ludibrium differtur, 759. Concilium Pontifici obnoxium & ſervum fuit, 717. quo ſpiritu fuerit agitatum? ibid. Statuit pœnitentiæ reconciliationem cum Deo, & remiſſionem ſine fide ſalvifica ex Evangelio concepta obtingere, 963. Satisfactiones humanas vindictas dicit, 1016. Concilii diſſolutionem multi machinantur, 1070. 1071.

Digitized by Google

Augusta capta dilabuntur Patres, 1072. suspenditur ad biennium usque, 1072. 1073.
Tridentinorum Decretorum cothurni seu generalitas & ambiguitas, veluti in doctrina de Efficacia Sacramentorum, 583. De intentione Sacerdotis, 611. 612. de necessitate Baptismi, 655. De attritione, 981. de Extrema Unctione, 1053.
Tridentini Concilii libertas à Pontifice multis modis infringitur, 107. 111. 117. 184. 558. 717. 718. 722. 933. 1073.
Tridentino Concilio & Legatis Pontifices mandata mittunt & leges præscribunt, veluti de methodo tractandi Reformatos & dogmata junctim, 115. de non promulgandis decretis, nisi Romæ priùs visis & probatis, 181. de immunitate Ordinum regularium, 182. De residentia, 257. 259. De abusibus Sacramentorum, 557. 558. De Concilio transferendo, 711.
Tridentini Patres in Concilio dissentiunt variis de capitibus, veluti de Catalogo librorum Canonicorum Scripturæ, 137. &c. de Peccato originali, 185. &c. de Pœna infantum, 222. 223. de Residentia, 260. 572. de Sacramentis, 558. de Numero Sacramentorum, 562. de eorundem efficacia, 583. 590. Non definiverunt modum, quo Sacramenta gratiam efficiant, 590. de intentionis gradibus, 620. de Baptismo Johannis, 643. de Baptismi necessitate, 656. 657. de Confirmationis Ministro, 690. in verbis Consecrationis, 798. &c. de modo quo panis in corpus Christi convertitur, 810. &c. de materia Pœnitentiæ, 956. &c. circa effectum Satisfactionum, 1018. de absolutione Sacerdotali, 1035.
Tridentum celebrando Concilio deligitur, 7. Vide *INDICEM GENERALEM.*
Tristitia secundum Deum quomodo operetur pœnitentiam, 964.
Trojani equi cum Tridentino Concilio comparatio, 103.
Tropicæ locutiones in Sacramentis usitatissimæ, 820. 821.
Typographis leges à Concilio Trid. feruntur, 114.
Tyrannis Papalis fideles ab ore suo pendere vult, 167. 168. 172.

V

Valentinianus Imperator sine Baptismo mortuus, non damnatur, 659.
Valor mortis Christi infinitus est, 1012. ei nihil addi potest vel debet, ibid.
Vasquez dissentientium de Sacramentorum efficacia Opiniones octo recenset, 595.
Velasci protestatio contra translationem Bononiensem, 717. contra Synodum Bononiensem, 731. 736.
Verbum Dei solum judicii in rebus fidei norma est, 38. ejus constantia, 437. Traditum Papa est, 124.
Verba Christi in institutione Eucharistiæ quomodo practica dici possint? 623. 823.

Verge-

Vergerio (*Paulo*) in Concilio consessus negatur, 116. ideo pontificiam religionem deserit, ibid.
Veritas illa, in qua Deum adorare oportet, qualis sit? 864.
Vermis ille Esaj. LXVI. 24. qualis sit? 239. 240.
Versio Græca præpostera est, 335. nonnunquam & Hebræo textui & Latinæ Versioni adversatur, 335. 336.
Versionis Vulgatæ authoritas ventilatur, 149. &c. non est authore θεοπνεύστῳ, 150. non est αὐτόπιστος, 151. non est incorrupta, ibid. demum, 46. annis post Concil. Trid. edita, 153. pro fonte venditatur, 154.
Veteris Testamenti Sacramenta in præcipuis conveniunt cum Sacramentis N.T. 572. &c.
Vincentia Concilio habendo deligitur, 4.
Vindicta de incestuoso 2. Cor. VII. 11. sumta non fuit satisfactio, 1024.
Vires ad bonum spirituale in Adamo perditæ sunt, 302. 303.
Virga Apostolica Pauli quid? 906.
Virgines Apoc. XIV. 4. quales intelligantur? 547. earum aureolæ, 547.
B. Virgo Maria an in peccato Originali concepta? 210. Nec à Papa, nec à Concilio Trident. definitur, 182. 184. miseriis & peccati pœnis fuit obnoxia, 212. non est concepta à Spiritu S. 213. Non contrivit ipsa serpentis caput, 215. 216. Genealogia ejus recensetur, 217. quomodo sit κεχαριτωμένη, 218. quomodo secundum D. Augustinum peccatum vicerit? 220. Conceptionis ejus festum recentissimum est, ib. quomodo sanctificata fuerit ad partum, 221. Peccatum originale an illi fuerit ignominiosum? 221.
Virtus quomodo sibimet merces sit? 514. in amore Dei & proximi consistit, 515.
Virtutes in Theologicas 3. & 4. Cardinales à Pontificiis insulsè distribuuntur, 570.
Vita æterna est hæreditas, 523. Donum Dei, 524. non datur ex debito, 533. &c.
Vita spiritualis unde & quæ sit? 265.
Vitium & peccatum an differant? 203.
Unctio fidelium non est character, 606. qualis ritus apud Veteres? 651. 701. 703. 708. erat ceremonia baptismalis, 707. non est Chrismatio Pontificiorum, 705. Extrema fusè oppugnata, 1046. &c. miraculosa veterum fuit, 1051. 1056. Ea, quæ à S. Marco, & quæ à S. Jacobo describitur, eadem est, 1057. à Papistica prorsus alia, ibid. Ejus usus apud veteres longè alius fuit, 1063.
Unitas Ecclesiæ à Christo conservatur, 50. Pontificiæ nulla est, 185. 191.
Universalium negantium necessaria est veritas, 505.
Unum quale ad salutem necessarium? 569.
Unum corpus quomodo fideles in Christo fiant? 767.
Voluntas Dei circa peccatum quomodo sit efficax? 306. 308. 309. eam

Digitized by Google

Deo tribuere inefficacem absurdum est, 343. Signi & præcepti quæ? 186. Voluntatem Dei facere quid sit? 438.

Voluntarium quomodo peccatum dici possit? 208.

Vota Pontificia Baptismo derogant 683. &c. votum in baptismo nuncupatum sitne propriè dictum tale? 686. an id præstare sit in potestate hominis? 687.

Υπωπιάζειν & δουλαγωγεῖν τὸ σῶμα quid sit? 1013.

Urbanus IV. Festum corporis Christi instituit, 850. ejus Epistola ad Evam Leodiensem, 851. Bulla de Festo corporis Christi promulgatur, 854.

Urim & Thummim quandiu duraverint? 145.

Utile non semper in religione pro principio constituendum, 1022.

Wirtembergici Legati Tridentum veniunt, 1065.

X

Xavierum polytopum fabulatur Turselinus, 772.

Xenodochiorum cura ad Episcopos non pertinet, 561.

Z

Zwinglius peccatum Originale non negavit, 186. Vindicatur in doctrina de baptismo, 617. & passim.

INDEX VIII.

Sphalmatum Typographicorum.

TAmetsi, Benevolè Lector, *nulli opera pepercerimus, ut Opus quàm emendatissimum prodiret, emissitios tamen oculos nostros fugerunt non tantùm leviora quædam errata, quæ nullo negotio attentus & prudens Lector, nullo etiam monitore, corriget; sed nonnulli etiam pœnitendi defectus, non citra sensus injuriam, & obscurationem textus. Illorum igitur potissimùm Indicem exhibere volui, ut ea, quæ lectionis progressum remorari, & sensum turbare possent, in integrum restituere promptum sit. Ante omnia verò ad pag. 71. lin. 16. observari nunc demum velim, Epistolam ibi ab Adversario nostro, Calvino hæresin negatæ hujus carnis resurrectionis impingente, citatam, non esse vel Farelli, vel ad Calvinum, sed potiùs Calvini ad Socinum, hæreseos hujus, per calumniam insignem Calvino impactæ, reum. Quamvis enim in Editione Epistolarum Calvini, secunda vice à Beza recognita, titulus sic habeat:* Farellus Calvino; *tamen non à Farello ad Calvinum, sed à* Calvino ad Socinum *exaratam esse, demum ex Erratis restituendis, ab ipso Beza in posteriore editione consignatis, didici. Et forte ipse etiam ante me Bellarminus, ex quo calumniam Redingius mutuatus est, id observavit. Scribit enim:* Si titulus fallit, videat Beza, qui secundò etiam hoc asserit. *Tam nova, tam extra ordinem exceptionis quæ causa fuit, si non vidit, objici sibi posse, non* esse

esse hanc Epistolam Farelli, non esse ad Calvinum? Et in tanto crimine testimonio suspecto confidere Adversarius noster non debuerat. Liquet tamen vel inde magis calumniæ atrocitas. Cætera paulò graviora παροράματα sic restitui velim.

Pag.	*Lin.*	*Lege*	*Pag.*	*Lin.*	*Lege*
21.	6.	Christi igitur,	280.	33.	ipsa volitionis
31.	34.	ipsis	284.	5.	Ignatianos
36.	4.	recensiti.	287.	7.	regenerans
40.	33.	rebaptizari voluit.		40.	Principum
42.	34.	notam	288.	36.	absque qua est
63.	9.	hieroglyphica	289.	11.	פתיתני
66.	34.	acceperunt		39.	clitellarii.
68.	1.	Differt. XX.	291.	23.	nigra cutis
81.	17.	Prov. VIII. 14. 15.	292.	21.	σκοτασμὸν
97.	9.	Florem & Floram.		39.	corpus tenebrosum
120.	15.16.	significando	295.	33.	ἀπονοίας
	34.	tum diversa	296.	21.	morticinam
126.	9.10.	ἐπεισάγειν	299.	34.	Hæc δὶς
131.	12.	Deut. XXXII. 47.	306.	36.	dependent
131.	21.	fidelibus eadem	312.	4.	Scripsit ita Calvinus
136	17.	ob hæc	322.	11.	in irregenitis
135.	26.	ejusmodi, timebant	328.	28.	timoris
158.	30.	versiones.	345.	32.	Hebræos
160.	31.	lapidem.	355.	18.	quia imperfectionem
161.	14.15.	pertendimus contra	356.	32.	διὰ πασῶν
163.	27.	2. Pet. I. 19. 20.	358.	25.	termini repetenti
164.	4.	exigent	365.	1.	dogmatis
	23.	exigendorum.	385.	13.	orationem
166.	6.	1. Tim.	399.	36.	& inseparabilia.
172.	15.16.	veritatem	400.	11.	propriè respiciat
174.	34.	ergo	401.	28.	corde nos credere
192.	33.	quoad	403.	35.	Christi vera
195.	20.	περικείμενον	404.	38.	per eum
200.	22.	חלאתה	413.	7.	Hoc, inquit
203.	39.	Ranuccius	422.	25.	Act. VIII.
212.	6.	Μακρολάμπρως		28.	Eusthathius
213.	4.5.	obturbantem	427.	17.	Gal. II. 20.
219.	31.	peccatorum	429.	1.	qui sui
222.	9.	neglectæ	438.	33.	maledictione liberaret
236.	11.	jam non operibus	44.	18.	quòd ne
247.	37.	præsumere		22.	gloriabor
262.	29.	impendii rationem		43.	& lucta
270.	16.	hominem	449.	41.	Psal. XVIII. 21-25.
277.	39.	Sic tu	452.	32.	proba.

Pag.

Index Octavus Sphalmatum.

Pag.	Lin.	Lege
452.	3.	Rom. VIII. 14.
455.	36.	nulla imperfectione
457.	3.	Psal. LXXXIX. 29.
474.	5.	à nulla
475.	21.	Magis in amore sui, quàm Dei
476.	24.	amore Dei efficit,
	44.	facit ad excutiendam
479.	16.	vocas, destituto
487.	9.	Job. IX. 2,
491.	9.	qualia esse
	10.	arguunt.
	17.	& parva
499.	39.	ubicunque
507.	1.2.	condonationem
509.	9.	Dei patientia
512.	24.	Jes. XLV. 19.
527.	39.	nullam habere
529.	7.	instabili
535.	6.	infinitam
537.	23.	imperfectè bona; illa à peccatoribus
538.	18.	Tract. IV.
546.	34.	soli Deo
576.	6.	*dele* Ephes. IV. 4.
596.	27.	adeóque externæ
606.	32.	verò nec in
615.	39.	obsignabunt
629.	33.	Divina officia
636.	10.	his, ut instrumentali
739.	39.	eàdem causæ
642.	6.	baptismus Christi, solennis saltem ille,
645.	22.	Act. XI.
650.	9.10.	retenta
659.	24.	Talis ego
667.	1.	ipse iis præceperat
674.	15.	1. Joh. II.
675.	22.29.	1. Sam. XVII.
719.	29.	*In media pagina ponendus titulus:* Historia Sessionis IX.
760.	18.	Heb. XI.
763.	34.	& bibere vinum
765.	39.	impassibilis
773.	41.	Act. III. 21.
782.	11.	victimæ dicebantur
788.	4.	sicut & tempus
792.	38.	Nequit igitur
812.	43.	Heroes
822.	35.	quas ipsi
841.	28.29.	memorat
842.	34.	morem
866.	26.	in Palinodia Berengarii
874.	24.	sed absolutè adorari
886.	36.	reprehendit.
918.	41.	potestatem
914.	9.	similiter
930.	27.	authoritatibus
953.	28.	Job.
958.	12.	dicam
964.	19.	2. Cor. VII.
970.	7.	XVIII. 21.
974.	31.	tibi sit
	42.	irregenitis
975.	13.	legis
1007.	39.	An enim qui
1010.	26.	hujus, qua
1013.	4.	tum sanctificationis
	17.	Proba posse. Proba velle, &c.
1015.	35.	Nil tale in
1016.	11.	exclusivum
	28.	ac si non peccasset
1022.	16.	loc. cit.
1038.	42.	Matth. XVI.
1057.	2.	Marc. VI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google